
BIBLIOTECA NAZ
XVIII
H
65
NAPOLI


BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XVIII
H
65
NAPOLI

BENEDICTI

FERNANDII BORBENSIS

LVSITANI, E' SOCIETATE IESV

Theologi,

COMMENTARIORVM

atque Obseruationum moralium in GENESIM

Tomus Secundus.

NVNC SECVNDVM PRODIT

INDICIBVS *cùm locorum sacræ Scripturæ, tum rerum memorabilium illustratus.*



Cum priuilegio Regis.

LVGDVNI

SVMPTIBVS IACOBI CARDON

M. DC. XX VIII.

C. Audran fecit.



AD MARIAM
SEMPER VIRGINEM
DEI MATREM.



RDVVM ſanè opus, meíſque viribus impar ſuſcepi; ſed tuum tamen, ô terræ cælíque Regina. Verebar equidem, ne in medio curſu ante metas preſſus onere ſuccumberem, fractáve linguarum, & iudiciorum ventis parua & futilis cymba mergeretur. At (quæ tuæ gratiæ potentia) tuo præſidio tuſtultus ad metas demùm conſedi: meaque ratis tuo vultu (ô Pulcherrima ſtella maris) per medios directa fluctus optatum tenuit portum. Audio quidem (ô digniſſima Dei mater) tuum illud opus vbique placere, nuſquam non probari. Cur enim diſpliceat, quod tuo nobilitatum nomine, tuæque beneuolentiæ mellito rore ſuperfuſum è prælo in mundum prodiit? Dicebam illud immaturum adhuc opus: quippe quod inter continua, ac permoleſta concionandi ſtudia, & alias religioſæ vitæ occupationes, quæ multæ ſunt, anno & dimidio inceptum fuerit, & abſolutum. At maturum nihilominùs, ſapidúmque ex tui nominis aura, laudúmque dulcedine video iudicari. Quamobrem in ſpem haud dubiam erigor tua beneuolentia fretus, hoc alterum, quod in præſentia profero, ampliùs multò placiturum. Eſt enim (auſim dicere) mei (qualecumque illud ſit) ingenij maturior, & pulchrior fœtus. Licuit quippe, licèt inuito mihi ac dolenti moras, lentiùs ac preſſiùs alterum hunc Tomum elaborare. Maius ergo nunc opus, & pulchrius (ſi fas ita loqui) orbi, & luci damus. Vtramque gratiam (ô Domina mundi) haurit à tua Conceptione, cui ſacratum offero. Quid enim maius, & auguſtius; quid etiam purius, & pulchrius, quàm tua (ô ſuauiſſima Dei Mater) Conceptio, cui prædicandæ tota hæc ſubinde inſudat Commentatio? Tecum ſcilicet conceptus pariter eſt honor, amplitudo, maieſtas: & quo momento vitam primo habuiſti, magna fuiſti. *Aſtitit* (Vates de te cecinit) *Regina à dextris tuis, in veſtitu deaurato, circundata varietate.* Pſalm. 44. Non Pſalm. 44

ã 2 priùs

prius quidem animam, quàm sceptrum, quàm diadema accepisti ab ipso Deo Filio tuo: non prius Infantula, quàm Regina. Exulto igitur sperans à Regina honorari, defendíque cum tuo auctore tuum pariter opus: at quàm pulchrum etiam reddes (vtique sub Deo pulcherrima) cuius vel externa vestis auro, gemmísque collucet, & variis picturata pulchritudinum omnium generibus, figurísque splendescit? Sed quid

Psalm. 44. tandem de anima dixerim? *Omnis gloria Filiæ Regis ab intus.* Psal. 44. Anima siquidem tua (ô Virgo Mater) sic pura, sic immaculata, sic ab omni labe originalis, actualísque errati libera, sic iustificante gratia, donísque cœlestibus supra omnẽ creaturam illustrata & locupletata in ipso creationis, & ad corpus vnionis puncto fuit, ac si iam pulchritudinem ipsam, ornamentúmque cœlestis gloriæ possideret. Hinc meo iam nunc, vel tuo potius operi, decorem & ornatum, (vt mundo placeat) spero aduenturum. Tuum igitur (ô Domina) opus in lucem profero, tibi nouis adhuc nominibus debitum offero; vitam enim auctori suo penè fugientem, quæ tuum in obsequium scribendo impendebatur, mirabili pariter atque amabili præsidio reuocasti. Namque interea dum moliendo huic operi constanter studium impenderem, grauissimis penè ad mortem vsque doloribus afflictatus, tuam cum lacrymis opem imploraui, salutémque è vestigio pristinam tuo deinceps obsequio mancipandam per te, ô clementissima Domina, impetraui. Gratus igitur animo, salutis à te impetratæ beneficium, plausúmque vbique priori Tomo (vti audio) à tua gratia concessum re colens, audeo rursus in apertum prodire. Creuerunt proinde in me beneficia tua, creuerunt simul & mea tibi debita, creuerunt onera, creuit obligatio. Quid restat igitur, nisi vt (quod obnixè contendo) plura iam nunc, ac meliora, & legentibus iucundiora in tui, ô Mater Dei, commendationem scribam; multóque subinde hæc ipsa Commentatio tuis laudibus locupletatior, aspirante demum tui Virginei vultus suauissimo flatu, instituta felicissimè dirigatur?

BENEDICTVS FERNANDIVS
seruus tuus inter omnes minimus.

VIRGINI

VIRGINI DEIPARÆ PRO auctore Commentariorum in Genesim emeritus professor Rhetoricæ dedicat opus.



OEcundos iterum reddit tibi noster agellus
Fructus, VIRGO, *beat quos tua larga manus.*
In steriles campos facilis cùm lumina flectas,
Producunt teneras aspera saxa rosas.
Hanc etiam gratis oculis VIRGO *aspice partem,*
Non quia nostra,placet; sed quia VIRGO *tua est.*
Maiorum hic titulos cernes, & fata tuorum
Innumera, æthereis inuidiosa plagis.
Latus,at illacrymans Abrahamus acinace dextram
Armat,& in puerum ligna,rogúmque parat:
Dum stupet, Aligeri monitis pia dextra retrorsum
Conuersa est; aries dat sua colla neci.
Iunior hic fratri patrium furatur honorem,
Fratique exul tela,necémque fugit.
Panditur & profugo domus omnipatentis Olympi
Iacobo; assurgit multus in astra gradus.
In summo residens æternum vertice Numen
Scalæ, prædicit grandia fata viro.
Interea Aligeros sursum, nunc ire deorsum
Dum videt, æternos & bibit aure modos.
Surgit, & erectum saxum perfundit oliuo:
Atque ait: Hoc portam marmore signo poli.
Bis septem æstates formosa ardore Rachelis
Iacob seruitio dedicat,& pecori.
Sed cùm pastor amet pretium tam grande, labori
Tantus amor vitam(proh)dolet esse breuem.
Proles orta Liam commendat, forma Rachelem.
Matribus es cunctis VIRGO *prerennis honor.*
Quæ tamen antiquas VIRGO *inter gemmea frondes,*
Pulchrior Idæis nasceris vna rosis.
Ergo vt quæque suo possim effigiare colore;
Vt meus hæc spiret viuus ab arte labor:
Nulla tuum nomen, VIRGO *ô Patrona,tacebit*
Sectio:eritque operi gratia,grande decus.



AD LECTOREM.



VDEO rursus, optime Lector, in lucem & in aciem prodire: quo nullum grauius homini cordato periculum: vbi scilicet tam varia sunt hominum iudicia, tam multiplex sensus, gustúsque. At si quis huic rimori succumbat exanimis, quid quæso arduum, quid virile, quid gloriosum affectet efficiátque? Vanos huiusmodi metus & sapienter contempserunt, & constanter abegerunt, qui Rempublicam mortalium, & maximè Dei Ecclesiam, editis ad communem vtilitatem suorum ingeniorum monumentis illustrarunt. Illa siquidem omnium mentibus insedit ratio, non desiderandum ab homine, quod ab omni virio, næuóque liberum notari, arguíque possit; cum nihil sit omni ex parte bearum. Conandum tamen est ei, qui auder publicum suorum scriprorum examen subire, vr, quàm possit diligentissimè, reddat luci opus elaborarum. Id quidem ego peroptaui, ad hoc præstandum, quàm potui maximè, omnes industriæ neruos contendi. Faxit Deus, vr voris effecta respondeant. Enimuerò post primum Commentationum nostrarum in Genesim opus, è manibus darum prælo, licuit ad elaborandum secundum longiore tempore vti, maioiésque subinde studij conatus adhibere; vr fere mecum statuam, alterum hunc mei laboris, & ingenij fœrum maruriorem, & (si fas est dicere) non suo tantùm auctori, sed aliis eriam pulchriorem videri posse. Nisi fortè fœtus hic alter, vti & prior, suum fallit auctorem. Scirum est enim illud S. Ambrosij: *Vnumquemque fallunt sua scripta, & auctorem prætereunt: atque vt filij etiam deformes delectant parentes, sic etiam scriptorem indecori sermones sui palpant.* hæc ille, *Epist.* 40. *lib.* 6. Continget fortasse id quoque mihi auctori, vt deformia non videam, quæ tanti facio scripta, quia sint mea. Sed tamen hoc vnum ausim affirmare, longè hunc mihi fœtum chariorem esse, quia licuit magis elaborare. Porrò qui decreueram rorum Commentariorum opus in Genesim duos in Tomos diuidere, nec stare promissis, nec altero deinde Tomo totam Commentationem circumscribere potui. Nimirùm succrescente ad scribendum materia, ne opus in immensum excresceret; visum potiùs est, vt secundum Tomum, à capite decimoquinto inchoatum, in explicatione rrigesimi primi circumscriptum typis & luci traderem; fretus quidem Dei & Matris ipsius dignissimæ Virginis auxilio, expectánsque vt reliqua

S. Ambros.

liqua vndeuiginti, quæ restant, elucubranda Geneseos capita nostris deinde commentariis, si vita sit comes, suo tempore illustrentur, illustratáque typis dentur: atque in manus tuas, Lector humanissime, totum nostrarum vigiliarum & sudorum opus veniat absolutum. Commentamur itaque sexdecim Genesis capita, eodem stylo, dictione, atque ordine, vti priorem Commẽtationem instituimus. Vbi nihil, quod ad literalem sensum pertineat, desideratur: ex quo subinde pulchriores variarum rerum sententiæ, concinníque (vt vulgò dicuntur) ad concionandum conceptus, quos sacri Doctores, interpretésque Diuinarum literarum, tanquam aurum, margaritásve in suis scriptis eruunt oculis legentium, & auribus audientium exponuntur. Tractent enim (ait ille) fabrilia fabri: & qui concionandi iampridem officio fungitur, non in alio, quàm in isto argumento insudare debet: in quo nullam scriptorum quorumcumque materiam inuidere potest quibuslibet seculi sapientibus religiosus Concionator. Nam (vt scribit Clem. Alex.) *prædicandi scientia est quodammodo angelica, vtrouis modo iuuans, seu per manum, seu per linguam operetur: quoniam qui seminat in spiritum, de spiritu metet vitam æternam.* Hæc ille, *Stromat.* 1. Curauimus etiam, quod in priori Tomo statuimus, vt nulla sit toto in opere sectio, in qua (prout feret occasio) de laudibus Deiparæ Virginis non disseramus. Illius est enim & auctor, & opus. Nec esse quicquam potest pulchrum, & iucundum, quod sacrosancto Virginis Matris nomine non ornetur, & præsidio non fulciatur. Vale igitur, optime Lector, nostrúmque studium & boni consule, & beneuolo vultu suscipe. *Clem. Alex.*

LVSITANVS EQVES IN auctorem Commentariorum supra Genesim.

Æthereos ortus, primi & cunabula mundi,
Et quæ de antiquo semine traxit humus:
Diluuio immersas scelerata ob crimina terras,
Quidquid de Noe est posteritate satum:
Tam bene doctoris BENEDICTI *lingua resoluit,*
Vt bene dicta nouum sint habitura melos.
Aut pater æternus BENEDICTO *obscura reclusit,*
Vt calamo tenebras splendidiore fuget:
Aut VIRGO *assistens Sophia, dum conderet orbem,*
Auctori dictat tam bene dicta suo.

ã 4 *Facultas*

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV *in Prouincia Lusitana.*



GO Antonius Mascarenhas Prouincialis Societatis IESV in Lusitania, potestate ad hoc mihi facta à Reuerendo Patre Nostro Mutio Vitellesco Præposito Generali eiusdem Societatis, facultatem concedo, vt *Tomus secundus Commentariorum atque Obseruationum moralium in Genesim, à Patre Benedicto Fernandio, nostræ Societatis Theologo, compositus*, ac grauium, doctorùmque hominum eiusdem Societatis iudicio approbatus, typis mandetur. In cuius rei fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas, dedimus. Conimbricæ 13. Septembr. 1620.

ANTONIVS MASCARENIVS.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV *in Prouincia Lugdunensi.*

BARTHOL. IACQVINOTIVS Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Februarij 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absque superiorum permissione imprimant: permittit IACOBO CARDON Lugdunensi Bibliopolæ, vt librum sic inscriptum: *Benedicti Fernandij Borbensis Lusitani, è Societate* IESV *Theologi, Commentariorum, atque Obseruationum moralium in Genesim Tomus secundus*: ad sex primos annos imprimere, ac libere diuendere possit. Datum Lugduni die 28. Decembris 1620.

B. IACQVINOTIVS.

APPROBATIO THEOLOGORVM.

NOs infrascripti sacræ Theologiæ Doctores fidem facimus, nos *Benedicti Fernandij Borbensis Lusitani, è Societate* IESV *Theologi, Commentariorum, atque Obseruationum moralium in Genesim Tomum secundum* perlegisse, omniáque in illo iuxta orthodoxam Catholicæ, Apostolicæ ac Romanæ Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum sanam doctrinam summa cum eruditione exponi. Lugduni 11. Decembris 1620.

Fr. ROBERTVS BERTHELOT Episc. Damasci.

DE VILLE.

R. D. D. Thomæ de Meschatin la Faye huius libri imprimendi facultas.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus, & Camerarius Ecclesiæ Lugdunensis, & Vicarius Generalis in Archiepiscopatu Lugdunensi, Opus inscriptum, *Benedicti Fernandij Borbensis Lusitani, è Societate* IESV *Theologi, Commentariorum, atque Obseruationum moralium in Genesim, Tomus secundus*, vt in lucem edatur, facultatem concedo. Lugduni 27. Octobris 1621.

MESCHATIN LA FAYE.

SVMMA PRIVILEGII A CHRISTIANISSIMO Galliarum Rege concessi.



VDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis diplomate sancitum est, ne quis in regno suo, aliísve locis ditioni suæ subiectis, intra decem annos, à prima editionis die computandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo, & ratione curet librum, qui inscribitur, *Benedicti Fernandij Borbensis Lusitani, è Societate* IESV *Theologi, Commentariorum atque Obseruationum moralium in Genesim Tomus secundus*, præter IACOBVM CARDON Bibliopolam Lugdunensem, aut illos, quibus ipsemet concesserit. Prohibitum insuper eâdem auctoritate Regiâ omnibus suis subditis, eundem librum extra regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare, sine consensu dicti IACOBI CARDON. Idque omne sub confiscatione librorum, aliísque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expressis. Datum Parisiis die 16. Ianuarij 1621.

De mandato Regis,

Signatum

POTIER.

INDEX



INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,

QVÆ SPARSIM IN HOC VOLVMINE CITANTVR, ET EXPLICANTVR.

C. caput, S sectionem, N. numerum indicat.

EX VETERI TESTAMENTO.

Repleti

Contritio.

Quia

Ex Marco.

Ex Luca.

Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, &c. c.27.f.5.n.2
4. Quid habes, quod non acceperis? c.22.f.1.n.8
5. Exiguum fermentum totam massam corrumpit.c.27. sect.6.n.12
Epulemur. c.30.f.10.n.15
6. Corpus non fornicationi, sed Domino, & Dominus corpori. c.30.f.4.n.7
Fugite fornicationem. c.21.f.2.n.5
Qui fornicatur, in corpus suum peccat. cap.18. f.2. num.5
7. Alligatus es vxori? noli quærere solutionem, &c. c.19.sect.7.n.1. & 2
Tempus breue est, &c. num.2
Mulier, si dormierit vir eius, à lege liberata est, c.25. sect.1.n.2
Melius est nubere, quàm vri. c.19.f.2.n.11
9. Sic currite vt comprehendatis. c.28.f.3.n.17
Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, &c. c.29.f.8.n.7
10. Misericos Dominus non sinit nos tentari supra id quod possumus. c.15.f.2.n.3
Calix benedictionis. c.30.f.10.n.16
Qui se putat stare, videat, ne cadat. cap.18.sect.1. num.6
11. Qui manducat & bibit, &c. c.27.f.6.n.11
Ideo mulier debet habere potestatem supra caput propter Angelos. c.31.f.11.n.16
Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. c.19.f.6. num.3
12. Propter hoc ter Dominum rogaui. c.15.f.3.n.3
Æmulamini charismata meliora. c.31.f.11.n.3
13. Cùm paruulus essem, &c. c.25.f.2.n.9
15. Plus omnibus laboraui. c.31.f.11.n.5
Gratia Dei sum id, quod sum; & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis laboraui. cap.15. sect.6.n.3

Ex II. ad Corinth.

2. In iis, qui salui fiunt, odor vitæ in vitam. c.27.sect.4. num.11
Christi bonus odor sumus in omni loco, & in iis qui salui fiunt, &c. c.31.f.5.n.20
4. Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. cap.15.sect.8. num.2
5. Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino, per fidem, &c. c.24.f.1.n.1
Audemus enim, & bonam volontatem habemus magis peregrinari à Domino, &c. ibid.
8. Dominus noster Iesus Christus propter nos egenus factus est, &c.c.28.sect.6.num.6.& cap.31.sect.10. num.17
11. Quis infirmatur, &c ego non infirmor? &c. cap.27. sect.3.n.3
Satanas transfigurat se in Angelum lucis. cap.31. f.4. num.4
Æmulor vos Dei æmulatione. Despondi vos, &c.c.29. sect.4.n.4
12. Virtus in infirmitate perficitur. c.28.f.1.n.12

Ex Epist. ad Galatas.

4. Qui secundum carnem natus erat, persequebatur eum qui secundùm spiritum. c.21.f.2.n.1
5. Hæc sibi inuicem aduersantur. c.29.f.11.n.6
Euacuatum est scandalum crucis. c.29.f.3.n.5
6. Alter alterius onera portate. cap.26.f.3.n.1.& 2
Si quis putat se aliquid esse, cùm nihil sit, &c. cap.18. sect.1.num.5

Ex Epist. ad Ephes.

2. Maledici regnum Dei non possidebunt.cap.15.sect.2. num 11
6. Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere, &c.c.31. sect.6.num.11

Ex Epist. ad Philippens.

1. Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.cap.17.f.4. num.13
2. Factus est obediens, &c. c.28.f.3.n.17

Ex Epist. ad Coloss.

3. Auaritia simulacrorum seruitus habetur. cap.18. f.9. num.5
Expoliate vos veterem hominem cùm actibus suis. c.24.f.1.n.4

Ex I. ad Thessal.

2. Vos estis gaudium meum & corona gloriæ. c.17.f.3. num.6

Ex I. ad Timoth.

3. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, &c.c.31. sect.11.num.1
5. In Christo nubere volunt habentes damnationem, &c. c.31.f.5.n.13
Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. cap.16. sect.3.n.3
Vidua quæ in deliciis est, viuens mortua est, cap. 17. sect.3.n.5
6. Radix omnium malorum cupiditas. c.28.f.9.n.2
Diuitiarum desideria nociua mergunt homines in interitum, & perditionem. c.28.f.9.n.5
Habentes ergo alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. c.18.f.9.n.9
Est quæstus magnus pietas cum sufficientia. ibid.

Ex II. ad Timoth.

3. Omnes qui piè viuere volunt in Christo IESV, persecutionem patiuntur. c.19.f.11.n.7

Ex Epist. ad Hebræos.

1. Administratorij spiritus missi in ministerium, &c. c.18.f.3.n.8
6. Fortissimum solatium habeamus. c.16.f.3.n.8
11. Vnde eum & in parabolam accepit. cap. 22. sect.3. num.5
Fide Abraham non hæsitauit, cum vnicum offerret, in quo acceperat repromissionem, credens, quia & à mortuis potens est suscitare Deus, cap.22. f.1. num.6
12. Fidéque obtulit Abraham Isaac, cùm tentaretur, & vnigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones, arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus. c.22.f.1.n.1
Ne quis fornicator, aut profanus sicut Esau, qui propter vnam escam vendidit primogenita sua, &c. c.27.f.6.n.5
13. Ipsi enim peruigilant, quasi rationem reddituri pro animabus nostris. c.27.f.7.n.8

Ex Epist. B. Iacobi.

1. Dominus Iesus voluntariè genuit nos, vt simus, &c. c.17.f.6.n.9
Omne quippe datum bonum, &c. c.27.f.2.n.1
2. Superexaltat misericordia iudicium. cap.28. sect.7. num.13
Quid proderit si fidem quis se dicat habere, opera autem non habeat? nunquid poterit fides saluare? c.15.f.3.n.2
5. Diuites, plorate vlulantes, &c. c.28.f.9.n.6

Ex I. B. Petri.

2. Oblatus est, quia ipse voluit; & non aperuit os suum, &c. c.31.f.13.n.1

3. Qua

BENE





BENEDICTI RNANDII BORBENSIS LVSITANI, E SOCIETATE IESV

COMMENTARIORVM IN GENESIM TOMVS SECVNDVS.

PRAEFATIO.

INCEPTA in ſuperioribus hiſtoria Patriarcharum, deinceps per ſequentia ſexdecim capita, quibus iam nunc commentandis inſiſtimus, maiori ac nobiliori ex parte ſuj deducitur. Hîc enim Abrahæ fidelium patris, & gentis, Hebrææ auctoris virtutes à ſacro ſcriptore commemorantur. Vt nimirum in Angelis Deum repræſentantum exceperit hoſpitio, ac menſa recrearit: ab eo ſubinde certam ſpem naſcituri intra annum filij acceperit: in quo diuinitus ſibi factæ promiſſiones eſſent complendæ: riſúmque natus & gaudium grau iam ſenio, & longa expectatione defeſſis afferret parentibus. Vt ſtatim imminenti excidio Sodomitarum admonitus, Angelos Dei contra Pentapolim ſcelere infamem vadentes fuerit comitatus: móxque horrendam, & nullis viſam ætatibus ignis & ſulphuris tempeſtatem agglomeratis incendiorum nimbis de cœlo ruere: totámque illam quinque ciuitatum regionem cum ſuis pariter incolis deuorari flammis: ac demum in cineres redacta omnia ſpectarit. Naſcitur ergo Iſaac, Dei miraculo, de ſenio confectis parentibus; feſtiuóque plauſu, regalique conuiuio ablactatur. Dein adoleſcens, iubente Deo, à patre in holocauſtum offertur: quo nihil illuſtrius, & ſacratius, atque futurorum myſteriorum ſignificantius in toto Geneſeos opere continetur. Hinc diuino oraculo ſeruatus ab holocauſto iuuenis à patre in coniugium adornatur. Cui à Meſopotamia Virgo accerſitur non minùs pudica, quàm pulchra Rebecca. Hæc feliciter & ſanctè Iſaac copulata gemellos deinde vno partu edidit filios: qui ſicut vtero materno antea colluctantes, ita in lucem editi ad mortem vſque diſpares ingenio, moribus ſorteque perſtiterunt. Enimuerò iunior pio quodam dolo benedictionem patris ſibi præripuit: timénſque proinde deluſi fratris iram ad Laban auunculum auſugit In itinere, vbi ſors & nox peregrinantem cepit, in frigido ſolo, ſub dio recubans à terra ſubrectam & cœlo innixam ſcalam, ſurſum deorſum curſitantibus Angelis, Deúmque in ſummo gradu ſcalæ adnitentem vidit, audiuítque blandè alloquentem, ac ſingularia diuinæ benignitatis dona pollicentem exulanti. Inde diuinis colloquiis mirificè recreatus, erecto in miraculi argumentum lapide, perfusóque in ſignum myſterij oleo, pergit vlteriùs ad puteum, in quo Rachelem pulcherrimam Labani filiam paſcentem, & adaquantem greges inuenit. Ab ea edoctus domum auunculi ſubintrat: à quo exceptus, & coniugio filiarum Liæ & Rachelis copulatus paſtorem multos annos egit. Demúmque ſoceri fraudes & iniurias pertæſus, cũ vxoribus, & vndecim filiis, plurimóque grege, ac diuite ſupellectili ad parentes inſcio Labano aufugit. Fugientem ſocer iratus perſequitur, tandémque aſſequitur: ſed Deo minante ac monente, poſitis iris blandè comitérque generum affatur; percuſſóque ſanctè vtrinque fœdere ſocer in Meſopotamiam redit, gener verò inceptum tenuit iter. Hæc ſumma rerum eſt, quæ à capite decimoquinto, vſque ad trigeſimum primum ſcripta memorantur.

Potten

Torrentem pertransiuit anima nostra, cap.26.ſ.3. n.13.c.27.ſ.3.n.5

126. Cum dederit dilectis ſuis ſomnum. c.25.ſ.1.n.4
Ecce hæreditas Domini filij merces fructus ventris. c.25.ſ.2.n.6

137. Super flumina Babylonis,&c. c.30.ſ.12.n.9
In ſalicibus,in medio eius. ibid.
In conſpectu Angelorum pſallam tibi.cap.31.ſ.11. num.16

138. Mirabilia opera tua. c.28.ſ.2.n.5
Nox illa illuminatio in deliciis homini eſt. cap.31. ſect.11.num.13

140. Singulariter ſum ego, donec tranſeam. cap.29. ſ.1. num.11

141. Periit fuga à me. c.31.ſ.5.n.3

142. Non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine. c.26.ſ.3.n.6

143. Domine,quid eſt homo, quia innotuiſti ei? aut filius hominis, quia reputas eum? cap.15. ſect.5. num.3
Libera me Domine de manu filiorum alienorum, &c. c.29.ſ.11.n.3

146. Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. c.15.ſ.4.n.2.& 3
Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. num.4

148. Laudate eum ſol & luna:laudate eum omnes ſtellæ, & lumen. c.30.ſ.6.n.3

Ex Prouerb.

1. Fruſtra iacitur rete ante oculos. c.18.ſ.2.n.10

2. Prudentiam fac notam tibi, vt te ſeruet à muliere aliena. c.29.ſ.2.n.1
Rex, qui ſedet in ſolio iudicij, diſſipat omne malum intuitu ſuo. c.17.ſ.1.n.3

3. Spes quæ differtur,affligit animam. c.17.ſ.2.n.2
Eſt cum ſimplicibus ſermocinatio eius. cap.15.ſect.3. num.8

5. Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui, &c. c.30.ſ.1.n.3
Sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adoleſcentiæ,&c. ibid.

6. Pretium meretricis tantum eſt vnius panis: mulier autem pretioſas capit animas. c.29.ſ.2.n.2
Non eſt grandis culpa, cum quis furatus fuerit, &c. c.31.ſ.10.n.8

8. Ego diligentes me diligo. c.22.ſ.1 n.5
Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, ab æterno ordinata ſum. c.24.ſ.1.n.5
Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum cap.29.ſect.1. num.11

10. Argentum electum lingua iuſti. c.31.ſ.7.n.2
Subſtantia diuitis vrbs fortitudinis eius.cap.17.ſect.3. num.7
Quaſi tempeſtas tranſiens non erit impius. cap.31. ſect.8.num.8

13. Viam prauam,& os bilingue deteſtor.cap.31.ſect.14. num.1

19. A Deo præparabitur viro vxor. c.24.ſ.1.n.9
Vbi non eſt ſcientia animæ, non eſt bonum. cap.30. ſect.3.num.12

28. Qui peruerſis gradítur viis, concidet ſemel. cap.31. ſ.14.n.1

30. Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi. cap.28. ſect.9.num.9

Ex Eccleſiaſte.

1. Vanitas quæ in hoc ſeculo ſunt. c.31.ſ.5.n.1

3. Tempus pariendi,& tempus moriendi. c.29.ſ.4.n.8

4. Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Domini, &c. c.28.ſ.5.n.4

7. Noli eſſe multùm iuſtus. c.15.ſ.4.n.4
Mulier laqueus venatorum eſt,&c. c.29.ſ.2.n.3

10. Væ tibi terra,cuius Rex puer eſt. cap.15.ſ.8.n.4

Ex Canticis.

1. Oſculetur me oſculo oris ſui. c.27.ſ.4.n.5.6.& 7
Dum eſſet Rex in accubitu ſuo,nardus mea,&c. c.30. ſect.2.num.7
Ecce tu pulcher es,dilecte mi. c.15.ſ.1.n.5
Introduxit me rex in cellaria ſua. c.29.ſ.7.n.13
Meliora ſunt vbera tua, vino fragrantia vnguentis optimis. c.28.ſ.7.n.11
Filij matris meæ pugnauerunt contra me. cap.27. ſ.1. num.3
Nardus mea dedit odorem ſuum. c.27.ſ.2.n.14
Nigra ſum,ſed formoſa ſicut pelles Salomonis. c.27. ſect.3.num.7
Nolite me conſiderare, quod fuſca ſim: quia decolorauit me ſol,&c. c.29.ſ.2 n.15
Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es: oculi tui columbarum. c.24.ſ.1.n.8
Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. c.25.ſ.3.n.6
Equitatui meo aſſimilaui te, amica mea. cap.31.ſ.1. num.12
Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis, collum tuum ſicut monilia. c.31.ſ.1.n.12
Ne ſuſcites dilectam. c.28.ſ.7.n.14
Trahe me poſt te:curremus in odorem vnguentorum tuorum. c.27.ſ.2.n.1
Si ignoras te,ô pulcherrima mulierum, egredere, & abi poſt,&c. c.30.ſ.3.n.12
Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. c.25.ſ.2.n.5
Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum. Recti diligunt te. cap.26.ſect.1. num.15
Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi. cap.26.ſect.4.num.3

2. Ecce iſte venit ſaliens. c.28.ſ.1.n.12
Læua eius ſub capite meo,& dextera illius amplexabitur me. c.15.ſ.1.n.7
Adiuro vos filiæ Hieruſalem ne ſuſcitetis dilectam, quoad vſque ipſa velit. ibid.
Vox dilecti mei, ecce iſte venit ſaliens in montibus, &c. c.15.ſ.1.n.9.c.25.ſ.1.n.3
Quoad vſque ipſa velit. c.15.ſ.1.n.9
Stipate me malis,quia amore langueo.cap.28. ſect.8. num.5
Sonet vox tua in auribus noſtris, vox tua dulcis. c.15. ſect.6.n.2
Flores apparuerunt in terra noſtra. c.28.ſ.6.n.4
Adiuraui vos,filiæ Hieruſalem. c.27.ſ.5.n.6
Iam hyems tranſiit,&c. c.30.ſ.4.n.9
Veni amica mea,columba mea,formoſa mea.cap.29. ſect.6.num.13
Vulnerata charitate ego ſum. c.31.ſ.8.n.6
Adiuro vos per capreas, ceruóſque camporum, &c. cap.28.ſect.2.num.10
Sub vmbra illius quem deſideraueram ſedi. cap.15. ſect.2.num 8

3. Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus. c.17.ſ.1.n.6
In lectulo meo quæſiui quem diligit anima mea, & non inueni. c.30.ſ.12.n.12
Egredimini,& videte filiæ Sion Regem Salomonem. cap.28.ſect.7.num.14

4. Bona vbera tua ſuper vinum, & odor vnguentorum tuorum ſuper aromata. c.26.ſ.1.n.4
Gratia,gratia illi. Tota pulchra es, & macula non eſt in te. c.29.ſ.8.n.12
Quam pulchra es,oculi tui columbarum, abſque eo, &c. c.18.ſ.8.n.3
Vulneraſti cor meum. c.18.ſ.1.n.2
In vno crine colli tui. ibid.
Sicut turris Dauid collum tuum. c.31.ſ.2.n.9

Quia

Ex Marco.

Ex Luca.

Neque

Neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, &c. c.27.ſ.5.n.2

4. Quid habes, quod non acceperis? c.22.ſ.1.n.8

5. Exiguum fermentum totam maſſam corrumpit. c.27. ſect.6.n.12

Epulemur. c.30.ſ.10.n.15

6. Corpus non fornicationi, ſed Domino, & Dominus corpori. c.30.ſ.4.n.7

Fugite fornicationem. c.21.ſ.2.n.5

Qui fornicatur, in corpus ſuum peccat. cap.18.ſ.2. num.5

7. Alligatus es vxori? noli quærere ſolutionem, &c. c.29.ſect.7.n.1. & 2

Tempus breue eſt, &c. num.2

Mulier, ſi dormierit vir eius, à lege liberata eſt, c.25. ſect.1.n.2

Melius eſt nubere, quàm vri. c.19.ſ.2.n.11

9. Sic currite vt comprehendatis. c.28.ſ.3.n.17

Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, &c. c.29.ſ.8.n.7

10. Miſericors Dominus non ſinit nos tentari ſupra id quod poſſumus. c.15.ſ.2.n.3

Calix benedictionis. c.30.ſ.10.n.16

Qui ſe putat ſtare, videat, ne cadat. cap.28.ſect.1. num.6

11. Qui manducat & bibit, &c. c.27.ſ.6.n.11

Ideo mulier debet habere poteſtatem ſupra caput propter Angelos. c.31.ſ.11.n.16

Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. c.29.ſ.6. num.3

12. Propter hoc ter Dominum rogaui. c.15.ſ.3.n.3

Æmulamini chariſmata meliora. c.31.ſ.11.n.3

13. Cùm paruulus eſſem, &c. c.25.ſ.2.n.9

15. Plus omnibus laboraui. c.31.ſ.11.n.5

Gratia Dei ſum id, quod ſum; & gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantius illis laboraui. cap.15. ſect.6.n.3

Ex II. ad Corinth.

2. In iis, qui ſalui fiunt, odor vitæ in vitam. c.27.ſect.4. num.11

Chriſti bonus odor ſumus in omni loco, & in iis qui ſalui fiunt, &c. c.31.ſ.5.n.20

4. Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, vt ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis. cap.13.ſect.8. num.2

5. Dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino, per fidem, &c. c.14.ſ.1.n.1

Audemus enim, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à Domino, &c. ibid.

8. Dominus noſter Ieſus Chriſtus propter nos egenus factus eſt, &c. c.28.ſect.6.num.6. & cap.31.ſect.10. num.17

11. Quis infirmatur, &c ego non infirmor? &c. cap.27. ſect.3.n.3

Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis. cap.31.ſ.4. num.4

Æmulor vos Dei æmulatione. Deſpondi vos, &c. c.29. ſect.4.n.4

12. Virtus in infirmitate perficitur. c.28.ſ.1.n.12

Ex Epiſt. ad Galatas.

4. Qui ſecundum carnem natus erat, perſequebatur eum qui ſecundùm ſpiritum. c.21.ſ.2.n.1

5. Hæc ſibi inuicem aduerſantur. c.29.ſ.12.n.6

Euacuatum eſt ſcandalum crucis. c.29.ſ.3.n.5

6. Alter alterius onera portate. cap.26.ſ.3.n.1. & 2

Si quis putat ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſit, &c. cap.28. ſect.1.num.5

Ex Epiſt. ad Epheſ.

1. Maledici regnum Dei non poſſidebunt. cap.25.ſect.2. num.11

6. Accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere, &c. c.31. ſect.6.num.11

Ex Epiſt. ad Philippenſ.

1. Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. cap.27.ſ.4. num.13

2. Factus eſt obediens, &c. c.28.ſ.3.n.17

Ex Epiſt. ad Coloſſ.

3. Auaritia ſimulacrorum ſeruitus habetur. cap.28.ſ.9. num.5

Expoliate vos veterem hominem cum actibus ſuis. c.24.ſ.1.n.4

Ex I. ad Theſſal.

2. Vos eſtis gaudium meum & corona gloriæ. c.17.ſ.3. num.6

Ex I. ad Timoth.

3. Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, &c. c.31. ſect.12.num.1

5. In Chriſto nubere volunt habentes damnationem, &c. c.31.ſ.5.n.13

Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior. cap.16. ſect.3.n.3

Vidua quæ in deliciis eſt, viuens mortua eſt, cap.17. ſect.3.n.5

6. Radix omnium malorum cupiditas. c.28.ſ.9.n.2

Diuitiarum deſideria nociua mergunt homines in interitum, & perditionem. c.28.ſ.9.n.5

Habentes ergo alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. c.28.ſ.9.n.9

Eſt quæſtus magnus pietas cum ſufficientia. ibid.

Ex II. ad Timoth.

3. Omnes qui piè viuere volunt in Chriſto IESV, perſecutionem patiuntur. c.29.ſ.12.n.7

Ex Epiſt. ad Hebræos.

1. Adminiſtratorij ſpiritus miſſi in miniſterium, &c. c.28.ſ.3.n.8

6. Fortiſſimum ſolatium habeamus. c.26.ſ.3.n.8

11. Vnde eum & in parabolam accepit. cap.22.ſect.3. num.5

Fide Abraham non hæſitauit, cum vnicum offerret, in quo acceperat repromiſſionem, credens, quia & à mortuis potens eſt ſuſcitare Deus, cap.22.ſ.2. num.6

12. Fidéque obtulit Abraham Iſaac, cùm tentaretur, & vnigenitum offerebat, qui ſuſceperat repromiſſiones, arbitrans quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus. c.22.ſ.1.n.1

Ne quis fornicator, aut profanus ſicut Eſau, qui propter vnam eſcam vendidit primogenita ſua, &c. c.27.ſ.6.n.5

13. Ipſi enim peruigilant, quaſi rationem reddituri pro animabus noſtris. c.27.ſ.7.n.8

Ex Epiſt. B. Iacobi.

1. Dominus Ieſus voluntariè genuit nos, vt ſimus, &c. c.27.ſ.6.n.9

Omne quippe datum bonum, &c. c.27.ſ.2.n.1

2. Superexaltat miſericordia iudicium. cap.28.ſect.7. num.13

Quid proderit ſi fidem quis ſe dicat habere, opera autem non habeat? nunquid poterit fides ſaluare? c.25.ſ.3.n.2

5. Diuites, plorate vlulantes, &c. c.28.ſ.9.n.6


Ex I. B. Petri.

2. Oblatus eſt, quia ipſe voluit; & non aperuit os ſuum, &c. c.31.ſ.13.n.1

3. Qua

BENE





BENEDICTI FERNANDII BORBENSIS LVSITANI, E SOCIETATE IESV

COMMENTARIORVM IN GENESIM TOMVS SECVNDVS.

PRAEFATIO.

INCEPTA in superioribus historia Patriarcharum, deinceps per sequentia sexdecim capita, quibus iam nunc commentandis insistimus, maiori ac nobiliori ex parte sui deducitur. Hîc enim Abrahæ fidelium patris, & gentis Hebrææ auctoris virtutes à sacro scriptore commemorantur. Vt nimirum in Angelis Deum repræsentatum exceperit hospitio, ac mensa recrearit: ab eo subinde certam spem nasciturі intra annum filij acceperit: in quo diuinitus sibi factæ promissiones essent complendæ: risúmque natus & gaudium filius graui iam senio, & longa expectatione defessis afferret parentibus. Vt statim de imminenti excidio Sodomitarum admonitus, Angelos Dei contra Pentapolim sceleribus infamem vadentes fuerit comitatus: móxque horrendam, & nullis visam ætatibus ignis & sulphuris tempestatem agglomeratis incendiorum nimbis de cœlo ruere: totámque illam quinque ciuitatum regionem cum suis pariter incolis deuorari flammis: ac demum in cineres redacta omnia spectarit. Nascitur ergo Isaac, Dei miraculo, de senio confectis parentibus; festiuóque plausu, regalique conuiuio ablactatur. Dein adolescens, iubente Deo, à patre in holocaustum offertur: quo nihil illustrius, & sacratius, atque futurorum mysteriorum significantius in toto Geneseos opere continetur. Hinc diuino oraculo seruatus ab holocausto iuuenis à patre in coniugium adornatur. Cui à Mesopotamia Virgo accersitur non minùs pudica, quàm pulchra Rebecca. Hæc feliciter & sanctè Isaac copulata gemellos deinde vno partu edidit filios: qui sicut vtero materno antea colluctantes, ita in lucem editi ad mortem vsque dispares ingenio, moribus sorteque perstiterunt. Enimuerò iunior pio quodam dolo benedictionem patris sibi præripuit: timénsque proinde delusi fratris iram ad Laban auunculum aufugit. In itinere, vbi sors & nox peregrinantem cepit, in frigido solo, sub dio recubans à terra subrectam & cœlo innixam scalam, sursum deorsum cursitantibus Angelis, Deúmque in summo gradu scalæ adnitentem vidit, audiuítque blandè alloquentem, ac singularia diuinæ benignitatis dona pollicentem exulanti. Inde diuinis colloquiis mirificè recreatus, erecto in miraculi argumentum lapide, perfusóque in signum mysterij oleo, pergit vlteriùs ad puteum, in quo Rachelem pulcherrimam Labani filiam pascentem, & adaquantem greges inuenit. Ab ea edoctus domum auunculi subintrat: à quo exceptus, & coniugio filiarum Liæ & Rachelis copulatus pastorem multos annos egit. Demúmque soceri fraudes & iniurias pertæsus, cũ vxoribus, & vndecim filiis, plurimóque grege, ac diuite supellectili ad parentes inscio Labano aufugit. Fugientem socer iratus persequitur, tandémque assequitur: sed Deo minante ac monente, positis iris blandè comitérque generum affatur; percussóque sanctè vtrinque fœdere socer in Mesopotamiam redit, gener verò inceptum tenuit iter. Hæc summa rerum est, quæ à capite decimoquinto, vsque ad trigesimum primum scripta memorantur.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

A 1. HIs itaque transactis, factus est sermo Domini ad Abram per visionẽ dicens: Noli timere Abram, ego protector tuus sum: & merces tua magna nimis.

2. Dixitque Abram: Domine Deus, quid dabis mihi? ego vadam absque liberis: & filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer.

3. Addiditque Abram. Mihi autem non dedisti semen: & ecce vernaculus meus, hæres meus erit.

B 4. Statimque sermo Domini factus est ad eum, dicens: Non erit hic hæres tuus: sed qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis hæredem.

5. Eduxitque eum foras, & ait illi: Suspice cœlum, & numera stellas, si potes. Et dixit ei: Sic erit semen tuum.

6. Credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.

7. Dixitque ad eum: Ego Dominus qui eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram istam, & possideres eam.

C 8. At ille ait: Domine Deus, vnde scire possum, quòd possessurus sim eam?

9. Et respondens Dominus: Sume, inquit, mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam.

10. Qui tollens vniuersa hæc, diuisit ea per mediũ, & vtrasque partes contra se altrinsecus posuit: aues autem non diuisit.

11. Descenderúntque volucres super cadauera, & abigebat eas Abram.

12. Cúmque sol occumberet, sopor irruit super Abram, & horror magnus & tenebrosus inuasit eum.

13. Dictúmque est ad eum: Scito prænoscens quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subiicient eos seruituti, & affligent quadringentis annis.

14. Veruntamen gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo: & post hæc egredientur cum magna substantia.

15. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona.

16. Generatione autem quarta reuertentur huc: necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque ad præsens tempus.

17. Cùm ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones illas.

18. In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram, dicens: Semini tuo dabo terram hanc à fluuio Ægypti vsque ad fluuium magnum Euphratem.

19. Cinæos, & Cenezæos, Cedmonæos,

20. Et Hethæos, & Pherezæos, Raphaim quoque.

21. Et Amorrhæos, & Chananæos, & Gergesæos, & Iebusæos.

SECTIO PRIMA.

His itaque transactis, factus est sermo Domini ad Abram per visionem dicens.

1. NIHIL à Deo temere, casúque fit. Sed omnia Conditor summo consilio operatur; mirásque ac nobis inscrutabiles, cum res humanas agit, occasionum rationes, ac momenta iusto & ineffabili expendit moderamine, captátque ad operandum. Est enim *adiutor in opportunitatib.* Ps. 9. *In manibus illius nostra sunt tẽpora, sortésque rerum atque euentuũ*, Ps. 30. Quod quidem hoc loco euidẽter cernitur; vbi sic Moyses exorditur: *His itaque transactis.* Hebraicè achar, haddebarim haelle. *Post verba hæc.* LXX. μετὰ δὲ τὰ ῥήματα ταῦτα: *Post autẽ verba hæc.* Chaldæus non discrepat ab Hebræo. Est autem notissimus Hebraismus, in quo verba pro rebus ponuntur. Haud dubiè insinuatur occasio quædam peropportuna ad subsequẽtem Dei cum Abram admirabilem sermocinationem. Sed quę tandem illa occasio extiterit, non difficile dictu est. Cum enim præcedenti capite, de prælio, de virtute militari, de victoria, triumphóque memorabili Patriarchæ Abram actum fuerit: cui etiam post de-

Psalm. 9.
Psalm. 30.
Dei gubernatio.

D bellatos reges cum ingenti præda redeunti & Palæstinus Rex gratulabundus processerit: & denique triumphãtem sacro pane, vinóque libato, Melchisedech summus Dei sacerdos, & Rex Salem exceperit: quo rerum tam illustrium decursu multæ & clarissimæ virtutes Patriarchæ emicuerunt: appositè subsequitur exordium huiusce capitis: *His itaque transactis.* Nimirum post tam insignem illam rerum paulò ante gestarum, & narratarum historiam factum subinde est, &c. Non cessat Dominus optimè mereri de seruo suo Abram. Alia aliis, noua, & illustriora veteribus E beneficia succedunt. Est enim infatigabilis erga hominẽ Dei misericordia. *Pater meus* (ait Christus Dominus) *vsque modo operatur & ego operor.* Ioan. 5. vtique præter gubernationem orbis, cui Deus conditor inuigilat, locus intelligitur de continuis & innumeris, cùm ad animam, tum ad corpus exhibendis hominum generi beneficiis. Ex quibus optimè Christus diuinitatẽ suam eandem cum Patre suo demonstrat. Quod & ipsi aduersarij probè intelligentes: *Propterea ergo magis*

(adiungit

Eminent virtutes Abrã.
Dei misericordia perennis.
Ioan. 5.
Christi diuinitas operibus ostẽditur.

adiungit Euangelista) *quærebāt eum Iudæi interfice-re: quia non solum soluebat sabbathum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Faciens,* quidem ponitur non dicens tantum. Non enim

S. Chrysost.

(inquit) S. Chrys. *hom. 37. in Ioan.*) verbo tenus, sed frequentiùs operibus se Deo æqualem ostendebat. quid tandem? quia in solis verbis insolentiam accusare potuissent; operum autem veritate, & potentia perspecta nihil contradicere poterant.

Validum testimonium ab operibus.

Ita Chrysost. Irrefragabile solet esse ab operibus testimonium: quo Dominus ipse ad astruendam suam diuinitatem non semel vsus est, arguens Iudæos, vti videre est apud Ioannem, maximè verò cap. 10. quare optimè conclusit: *Operibus credite.*

S. Chrysost.

Vbi S. Chrysost. Ab operum, inquit, æqualitate, eandem ostēdit cum Patre potestatem: sed quorsum ab operibus testimonium quærit Dominus? quia (vt ibidem apponit Chrysostomus) stultum esset operibus ipsum prædicantibus, verborum quærere testimonium Quare cum operibus non credidissent: reprehendit Christus eorum malitiam: si operibus non creditis, quomodo verbis credetis? Ita Chrysost. Eundem Ioannis locum

S. Hilarius.

Opera Dei ad salutem hominis conducentia.

pertractans S. Hilarius 7. *de Trinit.* eleganter ita colligit: Quia sub sacramento assumpti corporis, & nati ex Maria, hominis, & Dei filius non intelligebatur; fides nobis intimatur ex gestis. At verò Deum opera demonstrantia illa sunt nobis illustriora, quibus Dei beneficentia, & misericordia euidentiùs commendatur: præsertim vbi agitur de sempiterna hominis salute, ad quem reliqua omnia in mundo comparata pro nihilo, & sunt, & haberi debent. Quocirca bene venerabi-

Beda.
Ioann. 5.

lis Beda sensum expendens priorem Domini apud Ioannem verborum: *Et ego operor*: Operatus (explicat) quia substantiam naturæ humanæ, quæ in primo homine condita est, reformat. Hoc est enim summum Dei opus, nostra iustificatio: Deóque ipsi, nihil æquè proprium, ac iucundum, quàm benefacere.

2. *His itaque transactis.*] Contulit nimirum Dominus tam multa illa, & præclara beneficia seruo suo Abraham; quæ quidem homini ad maio-

Dei beneficentia semper increscit.

rem fiduciam, Deo autem ad illustriorem subinde magnificentiam fiunt incitamentum lōgè maximum. Rem vtramque Dominus ipse nos edocuit inquiens: *Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: dilata os tuum & implebo illud.*

Psalm. 80.

Psal. 80. Expende diuinæ benignitatis admirabilē rationem. Quia sum Dominus Deus tuus, quia te in seruum meum elegi, quia non confundor vocari Deus tuus, quia te in meam hæreditatem, & peculium ex omnibus gentibus assumpsi: deinde, quia te liberaui à seruitute Ægyptiorum, atque innumeris, & inauditis pro te editis prodigiis, ad terrā melle & lacte fluentem adduxi: quia tam multa & tam insignia tibi contuli beneficia, moneo dilates os tuum, & implebo illud. Animo concipe, & ore postula multò adhuc maiora, & illustriora: illicò & votis satisfaciam, & postulata condonabo. Vsu enim ipso benefaciendi, vehementius accenditur Dei beneficentia: vnumque homini conferre bonum ad plura subinde & maiora conferenda solet esse Deo peropportuna occasio, & permouens ratio.

Caiet.

Caiet. ad præcepti diuini commendationem referri hoc arbitratur, eo quod præmiserat Dominus: *Audi popule meus, si audieris me, &c.* Colligit

Præceptum cum præmio.

ergo: Benignissimus Deus non dat præceptum sine præmio. Si me audieris, dilata os tuum ad petendum. Pete quidquid vis; & implebo illud, & donabo totum plenè. Sic ille. Vt si præcepti diffi-

Bern. Fernand. in Genes. tom. 2.

A cultas hominem deterreat, & examinet; propositi præmij dulcedo, atque magnitudo excitet obsequētem. Peracutè S. Hier. dictum intelligit à Domino ad eos, qui per verā pœnitentiam ab Ægypto vitiorum in terram promissionis, gratiæ videlicet aurā, & spem salutis æternæ traducti sunt in brachio Domini extento. Cæterùm vt est humana infirmitas, & prauorū habituum vitæ prioris tenacitas, instigante insuper dæmone, fieri aliquando poterit, vt ipsi turpi quodam desiderio

Desiderium priorum scelerum.
D. Hieron.

anhelantes dicant: Quàm bene (ait S. Hier.) nobis erat in Ægypto, cum manducabamus carnes in ollis, & allia & cucumeres! Ergo occurrit Dominus, vt amorem veterem nouo amore, quasi clauo excludat; & famem rusticarum ac turpium

B dapum, desiderio sapidioris, & opulentioris conuiuij restinguat; dilata os tuum, &c. Vis (declarat S. Hieron.) accipere Domini cibos? Vis comedere ipsum Dominum Deum tuum, & Saluatorem?

Sancta desideria inflammantur.

Audi quid dicat. Dilata, &c. Dilatate ora vestra, ipse est & Dominus, & panis. Ipse hortatur nos, vt comedamus, & ipse noster cibus est. Quātumcunque dilataueris, tantùm accipies. In tua est igitur potestate: si nolueris, accipe saltē partem. Sic Hier. Itaque promittit Dominus iam à vitiorum seruitute expeditis, & in statu gratiæ constitutis, ne ad nefandam dæmonum mensam iterum deuoluantur, dulcissimum, & magnificentissimum sui corporis & sanguinis conuiuium. Est

Eucharistia voluptates.
Psalm. 110.

enim sacrosancta Eucharistia (vt Propheta loqui-

C tur Psal. 110.) *exquisita in omnes voluptates*: quarum plus, aut minus percipi, gustarique solet, iuxta maiorem aut minorem communicantium pietatem. Vult igitur Dominus, vt animarum ora dilatemus, capacioremque cordis aulā efficiamus;

Dispositio ad Eucharistiā.

tantum enim cœlestis gratiæ in Eucharistia recipiemus, quantum mens nostra capere poterit. Denique, vt locum de beneficentia Dei concludamus; illud etiam Psalm. 16. apprimè conducit:

Psalm. 16.

Ego clamaui quoniam exaudisti me. Inclina aurem tuam & exaudi me. Vbi Propheta mouetur ad precandum, & clamandum eo quòd expertus fuerit sæpiùs exaudiri se à Deo. Ideò, inquit, clamaui, quia tu iam audieras, & vota mea expleueras. Et

Dei misericordia hominis vota & vocem excitat.

quia solitus iam es exaudire: idcirco nunc incli-

D na aurem tuam & exaudi me. Duo autem hic præmittit (inquit Caietan.) Alterum, propriæ fi-

Caietan.

duciæ in Deo: Ego clamaui, quia scio te responsurum desiderio meo intimo. Alterum, defectus proprij meriti: inclina aurem, &c. In quo profitetur vocem suam non tanti esse meriti, vt perueniat ad aures Dei, nisi Deus (velut supplendo defectum vocis) inclinet aurem suam. Sic ille.

3. Sed heus tu, est quid timeas? Vti enim beneficium vnum à Deo collatum via solet illi esse, & incitamentum ad aliud, atque aliud, & plura maioráque subinde tibi conferenda: sic vnum à ma-

Merita ad Dei beneficia.
Matth. 25.

nu Dei acceptum bonum ad plura deinde maioráque promerenda te debet excitare, alioqui deses, ignauus, ingratúsque damnaberis, quòd ta-

E lentum in sudario absconderis, quòd Domini tui pecuniam haud tradideris ad vsuram. Hinc illud optimè scripsit S. Hildeb. Cænom. Episc. *Epist.* 15.

S. Hildebert.
Damnatur deses ad salutem.

Munera Dei damno sunt possessoribus otiosis: quibus nolens negotiari ad lucrum probè, negotiatur ad supplicium. Sic ille. Rectè quidem intelligi potest locus Euangelicus talenti abscondiri de auaro, qui congerendis inhiat opibus, nec

Auari opes pereunt.

illas in pauperum alimoniam, qua emitur regnum cœlorum, dispensat. Misero tandem erunt cum ipso pariter suæ pecuniæ in perditionem. Sic enim legimus manna cibum illū cælitus demis-

sum in singulos tantùm colligi dies solitum, scatere autem vermibus, si forte am.plius asseruaretur. Eo quòd (inquit S Greg Nyss. *in vit. Moysis*) omne, quod vltra indigentiam mente auara conseruatur, in sequenti die, in futuro videlicet seculo, in vermes aduersus eos, qui conseruarunt, commutatur. Ita Gregor. Sed quid fiet à Rege, & à Iudice, cum posuerit rationem cum seruis suis: inuenerítque eorum aliquos, non quidem pecuniam in sudario reposuisse, sed eam luxuriose dissipasse? Ita quotidie fit, vt scelerati homines misericordia Dei abutantur, fretique diuina benignitate, tanquam certo, ac stabili commeatu, securi tandem de sempiterna salute, in omnem interim peccandi licentiam effundantur. Sed inuenient miseri, cùm ad reddendam rationem vocabuntur, seuerum Iudicem ad exigendum, iudicādum, & damnandum, quem misericordem Patrem ad ignoscendum, & complectendū reperire se posse sperabant; non eos Patris amplexus sed virga Iudicis manet. Pulchra in hanc sententiam scribit S. Hildeb. loco indicato ad hunc modum. Plures Dei misericordiam sibi infructuosè aucupantur: qui licet abiurato benè agendi studio, Deum tamen, quem merentur Iudicem sperant misericordem: quasi eum inuenire propitium, merces sit iniquitatis, quod credimus esse religionis. Verum non ita est. Neque enim misericordiam Dei lucrantur mali, quam sibi etiam timidè pollicentur boni: in ea sperare saluberrimum est consilium. Sed de ea totum pendere periculosum est refugium. Hæc S. Hildeb. Fide subnixi de Christi Domini meritis, & benignitate nobis multa & magna pollicemur. Et quidem meritò. Nam (vt optimè adnotauit S. Greg Nyss. *de vita Moysis*) lapis iuxta Apostolum Christus est, siccus, & durus nimium infidelibus; illis verò, qui virgam fidei adducunt, potus fit sitientibus, intro in ipsos fluens atque manens. Ita Greg At hæc fides, cui tantùm tribuitur, non vacua, sed plena operibus, non mortua, & sepulta inter sordes criminum lethalium, sed viua cum charitate & gratia cœlesti est intelligenda. Proximus enim (inquit S. Paulin. *Epist. 19.*) infideli est, qui mortuam sine operibus fidem, vacuam Christiani nomine gerit.

Exod. 16. — S. Greg. Nyss. — *Vana peccantium spes & fiducia.* (B) — S. Hildebert. — *Deus index seuerus.* — *Quando periculosa spes in misericordia Dei.* (C) — S. Greg. Nyss. — *Fides sine operibus mortua.* — S. Paulin.

4. *His itaque transactis.*] Seu, post hæc autem verba. S. Chrys. *hom. 36. in Genes.* pressè, ac propriè verba ipsa, & non pro rebus iuxta Hebraismum, accipit: quod & L X X. vt vidimus, intelligunt vertentes: τὰ ῥήματα. Putat autem sanctissimus Pater referri ad ea verba quæ Abram, cum Rege Sodomorum fuerat loquutus. Sic ergo S. Chrys. Post hæc autem verba: Num indicat verba quæ cum Sodomorum Rege collocutus? post contemptum illum, postquam ea, quæ ab illo oblata sunt repulit, post doctrinam illam quam selectis donis pronuntiauit, vt pietate, & agnitione Dei omnium conditoris Regē initiaret, &c. Ita Chrys. Cæterùm etsi negare non possim verba ista referri etiam ad illa extrema cap. præced. quibus suam pietatem, fidem, modestiam, & parcimoniam demonstrauit Abraham: proculdubiò tam dicta, quàm facta eiusdem insinuari persuasum mihi habeo. Hæc enim duo in Patriarchis, in Apostolis, in Prælatis, in Prædicatoribus inueniri debent, vt diuinæ fiant remunerationes: iuxta illud Matth. 5. *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Vbi sic D. Hieron. Possumus intelligere, quòd magistri eruditio, etiamsi paruo peccato obnoxius sit, deducat eum de gradu maximo: nec prosit docere iustitiam, quam minima culpa destruit. Et beatitudo perfecta sit, quæ sermone docueris, opere cōplere Hæc Hier. Quod si næuo minimæ culpæ ita decoloratur eruditio magistri, quid si homini fuerint sordes, ac cænum lethalium peccatorum? Vnus planè inter illos infelices erit, quibus Christum prædicātibus, sed non piè viuentibus, dicet Dominus: *Discedite a me operarij iniquitatis, nescio vos.* Matth. 7. quæ verba erudite sic expendit. S. Petr. Damian. *lib. grat. c. 10.* Qui nimirum dum se & prophetiæ Spiritum habuisse testantur, & tamen repulsionis sententiam subeunt, patenter ostendunt, quòd in quibusdam neque propter prauitatem vitæ Spiritus sanctus excluditur, neque propter Spiritum sanctum, quo irreuerenter abusi sunt, vita damnabilis excusatur. Hæc Dam. Quæ doctrina diligenter memoranda est, vt vim ac potestatem Ecclesiastici ministerij, etiam in indigno veneremur, & admiremur, atque nihilominus vitæ improbæ indignitatem detestemur: cum minister vita indignus validè quidem administret, sed vti malam vitam transigens damnetur. Etenim, vt ad hunc eundem locum Matth *homil. 15.* colligit S Chrys. ostendit Dominus, quoniam, neque fides neque mirabilia quicquam valeant, si non assistat vita. Dæmonia quidam in Christi nomine eiiciebat, non tamen eum sequebatur. Nam hic, quanquam esset malus, gratiæ tamen munus acceperat: videlicet, in ipsis quoque indignis ad aliorum vtilitatem gratia frequēter operabatur. Quin etiam Balaam à fide ac probitate vitæ erat prorsus alienus, sed tamen operata est in illo Dei gratia in ædificationem proculdubio cęterorum. Veruntamen indigni nihil propter dona gratiæ, quæ acceperant lucrati sunt, sed magis etiam punientur. Ita Chrys. Quamobrem, vt Dominus ipse contestatur, *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno Cœlorum.* Vbi quidem facere ac docere iunguntur; nec alterum sine altero habens vocari potest magnus in regno cœlorum. Qui titulus & honoris magnitudo ex vtroque necessariò efflorescit. Nam qui docuerit & non fecerit, Audiet (inquit Chrysost.) Medice cura te ipsum: atque in risioni est exposita plurimorum. Si verò fecerit, nec deinde alios docuerit, magnus nequaquam vocabitur Non enim (ait S. Chrys) sibi ipsi tantùm vnusquisque vtilis esse debet, sed etiam cęteris. Nam facere quidem, nec tamen aliis facienda suggerere, multum de illa mercede decerpit. Oportet igitur in vtroque esse perfectum. Ita Chrysost.

S. Chrysost. — (D) — *Doctrina cum exemplo vita.* — (E) — Matth. 5. — D. Hieron. — (A) — *Doctor mali vnicus.* — Matth. 7. — S. Petr. Dam. — (B) — *Indignus in Ecclesia minister.* — *Potestas & vita in indigno ministro.* — D. Chrysost. — (C) — Matth. 5. — *Magnus, qui facit & docet.* — S. Chrysost. — (D) — *Zelus boni communis.*

5. Factus est sermo Domini ad Abram per visionem. Hebr. במחזה *bammachazeh*, in visione LXX. ἐν ὁράματι. Chaldaicè, in prophetia Et quidem diuina reuelatio in sacris literis dicitur verbum, quia Deus reuelās homini cum eodem colloqui videtur. Visio, quia Prophetæ reuelationem accipientis diuino lumine mens illustratur, tam certè atque infallibiliter reuelatarum rerum cognitionem percipiens, ac si oculis easdem cerneret; vnde Prophetæ dicuntur videntes ob claritatē, & certitudinem diuinæ reuelationis quippe cum inter corporis sensus clarissimè, & certissimè oculus obiectarum rerum suam hauriat cognitionem. Hinc illud exordium Ezechielis c. 1. *Aperti sunt cœli, & vidi visiones Dei.* Vbi D. Hier. Apertos (inquit) cœlos non diuisione firmamenti, sed fide credentis intellige, eo quòd cœlestia sint illi reserata mysteria. Grande priuilegium fidei, quæ cœlos ipsos penetrat, & creatæ intelligentiæ inscrutabilia mysteria sic patenter ac distinctè complectitur, vt ea oculis inconniuentibus, aquilæ ritu, dicatur contueri. Enimuerò propheta vidisse

Reuelatio diuina quibus nominibus vocatur. — *Certè atque infallibiliter.* — (E) — Ezechiel. 1. — D. Hieron. — *Visio, & collocutio prophetica.*

disse se dicit visiones Dei;quia(expouit S.Gregor. A
S.Gregor. *homil.2.in Ezechiel.*)sicut nos corporalia,sic Pro-
phetæ sensu spiritualia aspiciunt; eisque & illa
sunt præsentia, quæ nostræ ignorantiæ absentia
videntur. Hanc certitudinem præ se ferunt ama-
toriæ illæ visiones,& collocutiones sponsæ cum
Cant. 1. Deo suo sponso:vti est illa Cant.1.*Ecce tu pulcher*
S.Bernard. *es,dilecte mi.*S.Bern.*hom.45.in Cant.*dulciter atque
eleganter multa in eum locum dissetens,inter a-
Fiducia Deum amantis. lia hoc apponit:Vides quàm in excelso stat, & in
sublime mentis verticem extulit, quæ Vniuersi-
tatis Dominum, quadam sibi proprietate vendi-
cet in dilectum ! Magna visio prorsùs de qua ista
in id fiduciæ,& authoritatis excreuit,vt omnium
Dominum,Dominum nesciat;sed dilectum. Ta-
lem ore pronunciat, qualem & mente conspica- B
tur,visione planè sublimi & suaui.Sic ille.Hæ ve-
rò Dei visiones,& collocutiones cum Prophetis
peculiari quadam ratione fieri creduntur ab Spi-
D. Gregor. Naziànz. ritu sancto. Nam (vt sapientissimè loquitur S.
Greg.Nazianz *orat.de Pentecost.*)Prophetæ etiam
res futuras præsciuerunt, impressam nimirum
per Spiritum sanctum principalem animi par-
tem habentes,& cum futuris tanquam cum præ-
Mens prophetæ illustratur. sentibus versantes. Huiusmodi quippe Spiritus
vis ac potentia est. Hæc Theologus, quæ Nice-
Nicetas. tæ commentatio,quod sic habet,fiunt illustriora.
Prophetæ , futura quoque ante cognita habue-
runt,impressam instar ceræ mentem à sancto Spi-
ritu habentes:ac futura quasi præsentia cernen-
tes atque audientes. Quocirca prophetiam quo- C
que visionem appellabant , atque ipsi videntes
nominabantur;huiusmodi quippe spiritus vis est:
illuminatrix scilicet ad summi boni cognitionem
omnia collustrans.Etenim omnibus,quæ ratione
& intelligentia prædita sunt,ad veritatis inuen-
tionem spiritualis lux est,iisque velut perspicui-
tatem quandam per se affert Hæc Nicetas.
Propheta videntes. 6. Frequens porrò est apud Prophetas isthæc
locutio videndi:vti apud Amos c.1 *Verba Amos,*
D. Hieron. *quæ vidit super Israel.* Vbi sic D. Hier. Quæ vidit
non carnis oculis, sed mentis intuitu , quia Pro-
phetæ vocabantur videntes.alioqui secundum li-
teram sermones non videntur,sed audiuntur.Vn-
Exod. 20. de & populus videbat vocem Dei, Exod. 20 Et
Moyses tacens loquebatur ad Dominum , quan- D
Exod. 14. do dicebat ei : *Quid clamas ad me?* Exod. 14. Ne-
Prophetæ sibi rerum signa & theatra. que tantùm videre ipsi dicuntur Prophetæ,verùm
etiam sunt ipsamet signa,& rerum quædam qua-
si theatra,& spectacula,in quibus homines diui-
na contuentur mysteria. Quod Angelus ad Ie-
sum sacerdotem prophetis amicum & familia-
Zachar. 3. rem significauit his verbis apud Zachariã 3.*Au-*
di Iesu Sacerdos magne tu,& amici tui,quia viri por-
tendentes sunt. Explicat verò S.Hier. Viri porten-
dentes prophetæ sunt:Prophetæ enim in signum
sunt positi futurorũ. Emphasim habet illud An-
geli ad Iesum prophetam , & prophetarum stu-
diosum:*Audi.*Etenim(vt ait Clem. 1.*Strom.*)Pro-
Clem. Alex. *Prophetæ discipuli Spiritus.* phetæ sunt Spiritus discipuli. Scilicet Spiritus
Domini,vel per se immediatè(quod est frequen- E
tius) vel interdum per Angelos instruit Prophe-
tas.Cæterùm quod ad visionem attinet, signa di-
cimus ac theatra rerum abditarum ipsosmet pro-
Forer. phetas ex S.Hier. cuius sententiam Forer. imita-
tus ad illa verba Isaiæ c.1.*Visio Isaiæ, &c.* ad hunc
Prophetæ aliorum oculi. modũ disserit.Prophetiam vocat visionem , quia
& Prophetæ vidẽtes dicebantur,non solùm quòd
ea viderent,quæ aliis essent occulta:verùm etiam
quia erant veluti aliorum oculi,quorum munus
erat, quæ præuiderant , prædicare aliis , vt time-
rent, & cauerent ab imminente gladio. Hæc ille.

Maximè verò portendentes, & oculi, & signa di-
cebantur Prophetæ , quia ad vnum scopum & fi- *Prophetiæ finis Christus.*
nem omnis prophetiæ & respiciebãt ipsi,& alios
subinde dirigebant.finis autem legis Christus In
hoc sensu perelegans est illa sententia Hier. 6. Hierem 6.
Hæc dicit Dominus: State super vias,& videte,& in-
terrogate de semitis antiquis,quæ sit via bona, & am-
bulate in ea: & inuenietis refrigerium animabus ve-
stris. c 6. Itaque,vt vides,viæ quædam sunt,quæ
ducunt ad viam,illæ vti semitæ ingrediẽdæ sunt,
ac prætereundæ , quò possit deprehendi via tan-
dem regia,ad quam illæ dirigũtur.Quod myste-
rium ita suo commentario euoluit Theod.Multę Theodor.
viæ sunt sancti Prophetę:via autem verè bona est *Propheta via ad Christum.*
Dominus Iesus.*Ego sum via.*Ioan.14.Ad hanc ta- Ioan.14.
men viam ducit vnaquæque viarum propheti-
carum.Quemadmodũ enim vna est via,quæ du-
cit ad maximam vrbem quam regiam appellare
solemus:ad hanc porrò semitę quædam à pagis & *Christus via regia.*
agris defluentes diriguntur:sic vna est via quæ du-
cit ad Patrem,scilicet, Vnigenitus Filius Dei : at
Prophetæ,veluti semitæ quædam, ducũt ad hanc
eos,quibus per has ire libuerit.Sic Theodor.O si
Iudæi has semitas interrogarent , si per eas ince-
derent,quàm facili,& recto , & suaui tramite ad
Iesum Christum Dominum verum Messiam,ac
Deum hominem ducti peruenirent ! sed *errraue-* *Iudæi cæci aberrant.*
runt ab vtero:locuti sunt falsa. Ps.57. Cæci sunt, & Psalm. 57.
duces cæcorum, viam Domini non inuenerunt.
S.Hieron. locũ Hieremiæ interpretatur de Chri- D. Hieron.
sto, eiúsque Euangelio hisce verbis. Euangelica
parabola huius loci præbebit intelligentiam , in
qua bonus negotiator omnes vendere dicitur
margaritas , vt de pretio earum vnam emat pre- *Christus margarita.*
tiosissimam margaritã; quod scilicet per Patriar-
chas & Prophetas veniamus ad eũ,qui dicit, *Ego*
sum via. Standum est igitur in prophetis , & dili-
gentissimè contemplandum , & interrogandum
de semitis antiquis,siue sempiternis,quæ multo-
rum Sanctorũ sunt tritæ vestigiis, quæ sit via bo-
na in Euangelio,& ambulandum in ea.Quæ via,
cùm inuenta fuerit,præbet refrigerium,siue pur-
gationem animabus credentium.Propriè hoc di-
cit propheta de perfidia Iudæorum,qui respõde-
runt:Non ambulauimus per viã Euangelij. Hæc
Hier. Additur nonnunquam : In manu scilicet a- *Quid vult manus Prophetæ.*
licuius,vti exorditur Malach. *Onus verbi Domini*
*ad Israëlem in manu Malachiæ.*c.1.Vertunt LXX. Malach. 1.
Assumptio verbi Domini,&c. Nimirũ ipsa prophe-
tia dicitur assumptio , quia Propheta manu sua
quodammodo prophetiam , siue rerum occulta-
rum cognitionem à Deo ipso dante,assumere vi-
detur.O quàm puræ,sanctęque vt esse debẽt,pro-
phetarum manus erãt,in quas Deus omnipotens
sua mysteria exponebat! idcirco apud Iudæos *Iudæorum manus impuræ.*
nullus iam est propheta , quia nullæ sanctæ ma-
nus ad excipiendum verbum Domini,sed omnes
Christi sanguine , cædéque pollutæ ante oculos
Dei apparent. Iam nullus est in Israel , qui dicat:
Factum est verbum Domini in manu Aggæi. 1. Agg Aggæi 1.
*In manu Malachiæ,*seu vt LXX vertunt, *In manu*
Angeli eius. Prophetia enim Domini puritatem
Angelicam in manu Prophetæ requirit. Ideò per
Isaiam c.1.Dominus comminatur. *Si extenderitis* Isaiæ 1.
manus vestras , auertam oculos meos à vobis. Manus
enim vestræ sanguine plena sunt. Quæ verba expen-
dens S.Hier.ad locũ Agg.1 optimè colligit : Non D. Hieron.
fit in manibus eorum verbum Domini,quia im-
mundæ sunt.Non venit ad eos sermo Dei,quia in
se occidere sermonem Dei.Sic Hier. At cum Do- *Oratio familiaris prophetis.*
minus ait:*Extenderitis:*fortè insinuat extensionem
manuum in preces , quod Prophetæ sacere con-

ſueſcerent; cediſque in laudem non vulgarem orationis, quæ ſolita eſſet Prophetis via, & manuductio ad prophetiam; atque orantes manibus in cœlum extenſis Dominus Spiritu ſuo illuminaret, & prophetiæ dono repleret.

7. Ac dubium quidem eſt, quonam pacto huiuſmodi viſio Dei facta fuerit Abrahamo.

Viſio per Angelum Abrahæ.

Gloſſ. interlin. per occultam dicit inſpirationẽ. Et frequens eſt prophetis iſta ratio viſionis. Cæterùm duo hic coniunguntur, verbum ſcilicet, & viſio: quæ ſimul poſita non interiùs tantummodo, ſed exteriùs perfici videntur; cum deinde tota conſequens hiſtoria externa procuidubio ſit, & viſibilis, in qua fuerunt mutua inter Deum, & Abraham colloquium, & pactum: Dei promiſſa, & Abrahami vota, & poſtulata, quę illuſtriorẽ (vtpote ſenſibilem) quàm ſit interna, tacitáque inſpiratio, & expreſſiorẽ inſinuant viſionem. Quare probabilius mihi eſt, quod Abulenſ. Oleaſt. Perer. & alij arbitrantur, Angelum, vt ſæpe aliàs fiebat, apparuiſſe ſpecie quidem, & figura humana, qui tamen autoritate loquendi Deum ipſum, cuius perſonã agebat, repręſẽtabat.

Caietan.

Caiet. etſi de Angelo neque affirmet quicquam, neque neget; in vigilia factam fuiſſe viſionem, ita contendit.

Viſio Abrahæ in vigilia.

Duo coniecturam pariunt, quòd viſio iſta fuerit, non in ſomniis ſed vigilando. Alterum, quod inſeritur actus credẽdi imputatus ad iuſtitiam; dormientes enim, nec iuſti, nec iniuſti efficimur. Alterum, quod tam accuratè deſcribitur à Moyſe: nam non ſolùm narrat viſionem, ſed ſermonem in viſione. Nec hoc ſuffecit: ſed adiungit actionem loquendi ad differentiam ſermonis ſcripti, monſtrati in viſione. ſic ille. Porrò autem interdiúne, an noctu hæc hiſtoria (vt ponimus) ſenſibilis acta fuerit, reſtat inquirendum. L X X habent in viſione noctis; quod quidem ex ſuo addunt, cum in fonte Hebræo non legatur vocabulum, noctis.

Viſio Abrahæ nocturna.

Valde tamẽ congruit tempus nocturnum, cum deſcripta hiſtoria, in qua etiã narratur foras eductum Abraham, vt ſuſpiceret cælum, ſtelláſque in eo lucẽtes, eáſque numeraret; quod quidem noctu fieri ſolet. Aptius quoque nocturnũ tempus ex eo habetur, quod S. Chryſ. apponit ſequens verſionem L X X.

D. Chryſoſt.

Quare, inquit, auctum eſt verbum Domini in viſione noctis? vt in ſilentio & quiete meliùs, quæ dicuntur, accipiat.

Nox apta orationi.

Verſari, agere, loqui cum Deo, totum requirit hominem, nec plenè ſatis eſt totus homo quantus ille ſit, vt tantum diuinæ contemplationis munus expleat. Quo circa procul abigendæ ſunt terreſtrium, & inutilium curarum occupationes, ſeu veriùs perturbationes, vt mens in portu, & ſtatione ſancti otij conſtituta diuinitatis æternæ in ſacroſanctos receſſus, adytáque ſubintret. Ne igitur ſuam illam dilectam animam cœleſtis ſponſus curarum & negotiorum fluctibus cõcuti pateretur; nocturnum illi longum & ſuauem ſomnũ, vt ipſamet experiuerat, libens indulſit.

Oratio dulcis animæ ſomnus.

Dixerat illa: *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Cant. 2.

Cant. 2.

Quod planè in votis habebat, & ab ſponſo poſtulabat; vti ſcilicet in ipſius brachiis, inter læuam & ſiniſtrã dormiens requieſceret; eſt autem ſomnus contemplantis animæ, & cum Deo dulciter agentis. Iam illa in ſinu Domini recubuerat, ſed erant importunæ, aut etiam fortè inuidæ puellæ, quæ dormientem inturbabant: idcircò ſponſus occurrit: *Adiuro vos filia Hieruſalem, ne ſuſcitetis dilectam, quoadvſque ipſa velit.* Ergo ſpõſa cùm in æterna bona (vt ibi cõmentatur S. Greg.) aliquantulum intrat deſiderio, officiis cæleſtibus

S. Gregor.

Orationis requies non præcidenda.

A ſe occupans, delectabiliter quieſcit: cuius quietis dilectione mundanos tumultus omninò faſtidit. Sic quieſcentem vtique ſponſus ampliùs diligit, & ab eius excitatione improbos quoſque repellit, dicẽs: *Adiuro vos, &c.* Hæc Pontifex. Sed vt dilucidiùs nobis conſtet, quæ ſit iſta tam dulcis requies, & quibus præciſa impediatur, vlteriùs ita commentando progreditur ſanctiſſimus Papa: Sancta anima ſponſa Chriſti, à cunctis mundi perturbationibus quieſcere appetit, in ſinu ſponſi ſopitis terrenis cupiditatibus dormire

S. Gregor.

Quies à curis in oratione.

ſancto otio concupiſcit: ita vt etiã neceſſaria colloquia aliquãdo faſtidiat, ſolũtque ſponſi collocutione quantò quietiùs, tantò ſereniùs hilareſcat. Sed hanc dormientem carnales, qui ſunt

B in Eccleſia, nonnunquã importunè excitant, negotiis mundi eam implicare deſiderãt: quia eius vitam inutilem exiſtimant, dum ab eorum curis eam ſe abſtinentem conſiderant. ſic ille.

8. Dilecta Deo anima eſt, quam ille ad tranquillitatem contemplationis, à turba, æſtúque negotiorum ſæpiùs adducit, vt in ſequentibus ampliùs oſtendemus. Cõtrà verò iratus animam ſinit aliquando variis hinc inde mundi ſolicitudinibus agitari. Vtrumque apprimè depingit Iſa. 47. Ac primò quidem de hac infelici ſic loquitur eandem compellans: *Deſcende, ſede in puluere, filia Babylonis; ſede in terra, non eſt ſolium filiæ Chaldæorum.* Cuius loci in ſenſu myſtico elegantiſſima eſt interpretatio S. Petr. Dam. *apolog. de contemptu*

Iſaiæ 47.

C *ſeculi. cap.* 23. ad hunc modum. Menti reprobæ, negotiiſque ſecularibus inhianti ſub Babylonis ſpecie dicitur: *Deſcende:* in alto enim humanus animus ſtat, quando ſupernis retributionibus inhiat; ſed ab hoc ſtatu deſcendit, cũ turpiter victus ſeſe defluentibus mũdi deſideriis ſubiicit: *Sede in puluere,* quia cœleſtia deſerens, terrenis cogitationibus aſperſus in infimis vileſcit. *Sede in terra:* exprobrans dicit; quia cœleſti conuerſatione noluiſti te regere, ſub temetipſo proſtratus in terrenis actibus humiliare. *Non eſt ſolium filia Chaldæorum,* ſeu filiæ ferocium. Ferocia ſunt terrena deſideria, quæ durãm, atque inſenſibilẽ mentem reddunt; non habet ſoliũ; quia in eo, quòd ſe terrenis concupiſcentiis ſubiicit, ſedẽ iudicij amit-

Infelix qui terrena deſiderat & curat.

S. Petr. Dam.

D tit, nulliſque apud ſe ſolio præſidet, quia examine diſcretionis caret: & per exterioris deſiderij concupiſcentiam vagatur. ſic ille de infelicitate animæ ad viliſſimarum rerum huius mundi ſtudiũ, faſtidita dulcedine ſpiritualis ſomni, abiecta optimè commẽtatus eſt. Sequitur apud prophetam: *Quia vltrà non vocaberis mollis & tenera, tolle molam & mole farinam.* Igitur Petr. Dam. Conſtat, inquit, quod teneræ ſuæ filiæ parentes parcunt, nec duris, nec ſeruilibus hãc operibus affligunt. Omnipotens ergo Deus quaſi tenerã filiam vocat, quando dilectam vniuſcuiuſque animam à laborioſis huius mundi ſeruitiis reuocat; ne dum exterioribus actibus afficitur, ab internis deſideriis induretur. ſic Damian. De felicitate animæ

S. Petr. Dam.

Dilecta Deo anima contemplatrix.

E cũ Deo ſuauiſſimè ac pacatiſſimè agẽtis. Obiter animaduerte animam externis prauiſque actibus deditam indurari, ne cœleſtiũ, ac diuinarum dulcedinum rore perfundatur, & in ſuauiſſimas ex amore, ac deſiderio Dei ſui lachrymas liquefiat. Sed quid de mola & farina? Filia (exponit Petr. Dam.) Chaldæorum mẽs prauis deſideriis dedita huius ſeculi laboribus relinquitur, vt foris mũdo velut ancilla ſeruiat, quæ intus Deum vt filia nequaquam amat. Molam tollere iubetur. Mundi enim actio mola eſt, quæ dum multas curas congerit, humanas mentes quaſi per gyrum vertit,

Dura mens externis occupatur.

S. Petr. Dam.

Anima ſeruit, & molit in terrenis.

Turpes cogitationes ex occupatione terrena.

vestit, atque ex se quasi farinam proiicit, quia seductio cordi semper immũdissimas cogitationes gignit. hæc ille. In hanc infelicitatem compingere nituntur filiæ Hierusalem illã Deo dilectam, & deditam, & obdormientem animã, cum illam suscitãt. Sed quodnam hoc genus hominum? Hi

D. Gregor.

tales (respondet S. Greg.) satis congruè non filij, sed filiæ nominãtur: quia dum effæminatos mores nutriunt, virili dignitate amissa, quales interiùs habentur, exteriùs nomine fœmineo designantur. Hi dilectam suscitare sub adiurationis põdere prohibentur, ne videlicet mentem, quæ ad vacãdum Deo se accingit, & solis spiritalibus

Religiosi à secularibus vexati.

studiis inhærere cõcupiscit, importunis solicitationibus inquietent, & tenebris curarum terrenarum oculum cordis eius obnubilent. Ita Greg. Sæpè, & multum seculares homines de religiosis & Ecclesiasticis viris audias obtrectantes, quòd diuino ministerio mãcipati ad secularia negotia deuoluantur in litibus, & controuersiis de prædiis, de rebus terrenis passim occupati. Sed quid agent miseri, si (quod etiam suo tempore deplo-

S.P.Damian.

rabat S. Petr. Damian. *Epistol. ad Firminum*) Ecclesias violenti homines insolenter opprimunt, ac prædia, vel quælibet bona sacri iuris inuadũt? sic ille. Igitur volunt isti Christi Domini depeculari patrimoniũ, spoliare bonis ad vitam necessariis viros religiosos, seruos Dei latrociniis ita infestare, vt à sancto otio ad vitæ curas necessitate compulsi descendãt; atque interim si afflicti plorent, si Dei, principũ ac magistratuum implorent opem, indignantur errones, vagos, cupidos & indignos religione, sacerdotióque appellant. Planè malignitas hostis hæc est. Mundus enim (inquit *ibidem* Petr. Dam.) tantas nobis ex

S.Petr.Dam. *Diabolus lites intentat religiosis.*

quibuscunque raptoribus molestias ingerit; vt terrenis nos potiùs inseruire negotiis, quã obsequiis vacare diuinis, vel ad potitatis aspirare mũditiam plerumque compellat. Ita Petr Damian. Lites ergo, controuersiæ, multáque his similia, quę à sæcularibus intentantur ad perturbandam pietatem religiosorum, strataggemata dæmonis Deo, & seruis Dei perpetuum & irrecõciliabile bellum commouẽtis, haud dubiè censenda sunt.

9. Porrò autem licet iste Sanctorum somnus, & ista vitæ contemplantis requies adeò sit votis omnibus expetenda: nihilo tamen minùs ex obedientia maiorum, aut ex pia iustáque necessitate propter bonum proximi, cum vitæ actiuæ vigiliis, curis, & solicitudine commutari debet, quod ita S. Gregor. elicit ex loco præmisso Can-

Cantic. 2. *Vita actiua coniungi debet cum contemplante.* D. Gregor.

tic. *Quoadusque ipsa velit*: vbi significatur fore, vt aliquando sponsa suscitetur & euigilet è somno illo inter brachia Domini tam suaui, ac cœlesti. Et tamen (inquit S. Greg.) non ei omnis cura proximi interdicitur, sed quando suscitari debeat, eius voluntati relinquitur; quia profectò omni perfectæ animæ discernẽdum est, & quando cœlesti contemplationi studeat, & quãdo proximorum vtilitatibus inseruiat. Hanc vocandi licentiam libentissimè sponsa suscipit, statimque verbũ sponsi amplectitur & dicit. *Vox dilecti mei: Ecce iste venit, &c.* Hæc Pontifex. Dormiebat quidem sponsa, sed dormientem vox Dei sui excita-

Dei iussu descendendum ad vitam actiuam.

uit. Solo enim Dei iussu religiosa mens ad exteriora curandi studia sese debet demittere. Atque vt libentiùs Deo vocãti pareat, somnúmque pro vigilia excutiat, perquàm appositè adhortatur S.

S.Hildebert.

Hildebertus Turonens. Episcop. *Epistol. 37.* hisce verbis: Tantò teneriùs contemplationis requiem

Vita actiua ad glorias materia.

suspiras, quantò in agenda illorum cura minus inuenis securitatis, plus laboris. Sed si solicitè

A considetas, actiua vita materia est ad glorias non descensus ad ruinam. sic ille. Quod tum maximè debet intelligi, cum Dominus ipse excitat ad vigiliam, vocat ad curam præstandam in ipsius obsequium, & proximorum salutem Non enim putandus est benignus Deus suos ad ruinam pertrahere. Vtramque verò coniunxit vitam, vt cæteris

S.Hildebert. *Christus vtramque vitam docuit.*

esset exemplo, Christus Dominus, vt idem Hildebert. subiicit, ita inquiens: Christus nũc docens in campestribus, nunc in montibus orans, suis eos figurabat studiis, in quibus sic inuicem præscriptæ consonant professiones, vt nec actio contemplationem, nec contemplatio strangulet actionem. sic ille. Post Christum Dominum nulli mortalium æquè licuit vtramque huiusmodi

B vitam simul & sanctè coniungere, atque Virgini Deiparę. Vide dormientẽ. *Ego dormio & cor meum vigilat.* Cant. 5. Ad quem locum ita concinnè, ac

Cantic. 5.

suauiter disserit Rupert. Quid hoc est, ò beatissi-

Rupertus. *B. Maria contemplantium princeps.*

ma Maria, nisi illud: In omnibus requiem quæsiui? Et quid hæc sunt; dormio, & requiem quæsiui, nisi optimam partem elegi, relictis cunctis solicitudinibus, vel seculi curis? Et quidem multæ filiæ, siue multæ animæ, taliter dormierunt, vel dormire cupierunt: sed tu dormitionis huius totũ obtines magisterium, & vigiliarũ cordis totum tenes principatũ. sic ille *lib. 5. in Cant.* Nec mirum hoc dictu est: cum Dei Mater iam ab ipso suæ immaculatæ conceptionis momento vitam contemplatiuam, ac mirabiliter ęcstaticam agens in

C ipso diuinitatis sinu dormierit, ac totos postea triginta tres annos cum Deo filio suo vixerit, prætetquam quòd per nouem menses conceptum in Virgineo vtero gestauerit Quis autẽ poterit intelligendo comprehẽdere quàm sublimis, quàm supercœlestis contemplatio Virginis fuerit toto illo tempore? Certè ò beatissima Virgo (ait hîc Rupertus) hoc in te latet, & supra nos est. Sed

B. Maria contemplatio, & actio. Rupertus.

quid iam de actione Virginis? *Surrexi* (inquit paulò pòst) *vt aperirem dilecto meo; manus mea distillauerunt myrrham, & digiti mei myrrham probatissimam. Pessulum ostij mei aperui dilecto meo.* Quo

Cantic. 5.

loco pulchra est paraphrasis eiusdẽ Abbatis. Sic habet. *Surrexi*: hoc est, operam dedi, vt dictis & factis proficerem currenti Euãgelio. *Manus mea,*

D *&c.* Oportebat, vt viduis manifestũ darem exem-

B. Maria exemplum viduis, & Virginibus.

plum omnis mortificationis vitiorũ, normámq; in propatulo sacrarem mox venturis nouũ, & catenus inauditum exemplũ eo suscepturis sanctæ Virginitatis propositum. *Pessulum ostij mei*, id est, clausuram oris mei ac silentium pro Christo dilecto meo aperui, vt audientes ædificentur. Et

Rupertus. *Exemplum cum doctrina.*

quàm pulcher (adiungit idem) quàm rationabilis & disciplinatus ordo loquendi! priùs myrrha distillat de manibus, & digiti myrrha probatissima pleni monstrantur; ac deinde pessulus ostij dilecto aperitur, id est, prius vita laudabilis in exemplum præparatur, & deinde doctrina fidem quærens audientium palàm profertur. Hæc ille. Vbi iure optimo intelligit virgineum pudorem, per

E myrrham, non qualemcunque, sed probatissi-

B. Maria imploratur auxilium.

mam significari. Ergo ò Mater Dei, Domina mundi, Virgo beatissima, pessulum ostij tui aperi, silentium rumpe, fluat vt ros eloquium tuum, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis. pande mihi adyta, & penitiores mysteriorum recessus, instrue, doce Magistra hominum & Angelorum, vt inoffenso pede percurram diuinæ, quam iterum aggredior, scripturæ commentationem in Filij tui Dei mei, atque in tuam, ò Augustissima Virgo, laudem & gloriam.

SECTIO II.

Noli timere Abram. Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.

1. NOli timere Abram.] Consternatus magno aliquo timore tunc erat Abram, cùm Dominus ad eum confirmandum, & roborãdum, apparuit in visione; sed quænam istius metus causa fuerit, non indicat diuinus auctor. Caiet. & alij

Vndè timor Abrahæ.

arbitrantur timuisse vehementer Abraham; ne (vt fieri solet) redintegratis viribus, auctisque denuò copiis Assyrij, quos prælio victos spoliis omnibus priuarat, in Palæstinam redirent, & Abrahamum acceptæ cladis vltores conflato agmine

Caiet.

impeterent. Rationem (inquit Caietan.) timendi habebat Abram, quia contra reges Assyrios insurrexerat, qui erant potentes ad redeundum in Pentapolim, & opprimendum Hebron, & omnem terram Chanaan, vt testantur priùs gesta ab eisdem. Sic ille. Sciebat enim vir humanarum rerum peritissimus, quàm varij sint exitus bellorum, quam inconstans illa, (vt vocant homines) fortuna, nunc hos, nunc illos, aut deprimat, aut

Varij bellorum exitus.

extollat: nunc istis, nunc illis, aut victoriam & triumphos, aut extremam calamitatem seruitutis, atque internecionis pro sua libidine adducat. Proh quàm multi non tã gloriosè victores triumpharunt, quàm infeliciter victi perierũt? Innumera extiterunt huiusmodi fortunæ ludibria (vt loquuntur ethnici) inter Romanos, quorũ in vtroque euentu celeberrimum exemplum Pompeius

Velleius.

extitit: in tantum (scribit Vell. Patere. *lib. 2.*) in illo viro à se discordante fortuna, vt cui modò ad victoriam terra defuerat, deesset ad sepulturam. Satis nobile teritur apud poëtam elogium patris

Pompeij varia fortuna.

Pompeij, & duorum filiorum: & quidem pater de tribus orbis partibus triumpharat, vti conte-

Tullius.

statur Tullius *pro lege Manil.* Igitur versa fortunæ facie filiorũ alter in Asia, alter in Europa, pater in Libya ceciderunt; etenim, vt ille concludit,

Martial.

———Iacere

Vno non poterat tanta ruina loco.

Victis indolendum.

Quamobrem deuictis ac prostratis non insultandum quidem, sed indolendum est, vti etiam apud Romanos vsurpatum historiæ ferè omnes prodiderunt. Licuitque proinde Marco Tullio in exemplum adducere pro edocendis Rhetoricæ suæ figuris, quod de hac prudentia illius reipu-

Tullius.

blicæ factitatum ita scribit, 4. *ad Heren.* Bene maiores nostri hoc comparauerunt, vt neminem regem, quem armis cepissent, vita priuarent. Quià quam nobis facultatẽ fortuna dedisset, iniquum erat in eorum supplicio consumere; quos eadem fortuna paulò antè in amplissimo statu colloca-

Quomodo moderanda victoria.

rat. Et viri fortis est, qui de victoria contendant, eos hostes putare: qui victi sunt, eos homines iudicare: vt possit bellum fortitudo minuere, pacem humanitas dare. Hæc ille.

Timendum victoribus & potentibus à ruina.

2. Timebat Abraham sibi victor à victis; timebat ne in amplissimo illo triumphorum fastigio constitutus, inde (Deo sic disponente) in alicuius calamitatis ruinam præcipitaretur. Caueant sibi potentes, & gloriosi in hoc seculo, quos alicubi

S. August.

vocauit S. Aug. propugnacula vanitatis. Et turres de cœlo tactæ corruunt, feriúntque summos fulmina montes: non ad pauperiorum, & humiliorum perniciem sua potestate abutãtur. Extat hac

Nerbod.

de re prudens, atque diserta Epistola Nerbodi ad potentem persequutorem, *in appen. biblioth. tom. 5.* vbi sic inter alia profatur. Noli cogitare quid pos-

A sis: sed quid debeas meditare: ne fortunæ vires attendas, sed communis iustitiæ considera rationem. Quantum enim in me tibi licuit, tantum & aliis in te licet: & neminem eò fortuna prouexit, vt non tantundem illi minetur, quantum permisit. Excelsis multò faciliùs casus nocet. Sic ille. Ac prudentia quidem, & constantia Patriarchę in vtroque fortunæ statu mirificè demonstrata est: cùm & in aduersis, calamitate scilicet nepotis vehementer afflictus, & belli expositus periculis

Abraha semper eadem constantia.

alacritatem & fortitudinem præstitit admirabilem, & post victoriam seculis inauditam, regum gratulationes ac triumphos, non modò superbos animos non extulit, sed magnopere demisit, timens videlicet, & humanę sortis inconstantiam,

B & suam ipsius infirmitatem. Quod quidem est (vt

S. Hildebert.

benè loquitur S. Hildebert. *Epistol. 56.*) biformes euentus vniformi constãtia superare. Scribit autem ad Principem, qui fortunæ vtrumque statum expertus æquabili tamen animo sustinuit, mirandum quidem in modum sapiens. Enimuerò (vti

Sapiens vtraque fortuna superior.

adiungit) sapiens contra fortunam (quam dicitis) nunquam imparatus, nec inermis inuenitur; secum habet, quo præcaueat insidias, quo iacula frustretur inimici: extra se nullum pugnæ quærit apparatum: in omni casu se ipso tutus est: pectus eius pharetra fertilis, & armamentarium copiosum, quibus ille munitus, fortunæ missilia contemnit, obsequente pariter, & persequente superior. Dum ea blanditur, ingratus est; dum into-

C nat, aspernatur; nullis rerum mouetur euentibus, exultans vniuersis. Quippe nihil est vnde non triumphet animi triumphator. Hæc Hildebert.

Orationis armatura.

Neque verò nescio quantum in vtroque euentu valeat orationis munimentum. Semper enim legimus Abraham siue in aduersis, siue in prosperis cum Deo agentem illius opem per sacrificia, precésque implorare. Quo armorum etiam genere munitus ille princeps fortunæ vtriusque excepit

S. Hildebert.

impetus: meritóque exclamauit S. Hildebert. O benè munitum precibus quo se fortuna minorem erubescit! Sic ille.

3. Maximè verò timor iste Abrahami iustus, debitus, ac sanctus est, cum se videt homo tentationis alicuius vitiosæ, qua impugnabatur, trium-

Victor tentationis timeat.

D phatorem. Dei opus est, cum vincimus: nostra est imbecillitas, cum vincimur; ac proinde nũquam magis timendum, quàm cùm hostem animæ ex

Diabolus ad tentandum pertinax.

dono Dei vincimus. Infatigabilis est noster aduersarius, & victus licet sæpiùs, nunquam tamen auctis viribus, ac dolis nõ recurrit: perseuerando demum infirmos, atque ignauos vincit: cui resistamus fortes in fide. Passi grauem ac periculosam in pelago tempestatem nautæ (disserenauit illa tandem) nũquid subinde illi dormiunt securi ac certi nunquam ampliùs sæuituram? Adhuc

S. Petr. Dam.

In vita nemo securus.

(rectè monet S. Petr. Dam. *Apolog. de cont. sec. c. 5.*) in salo versaris, nec dum portus statione perfrueris. Procinctus enim iste castrorum, non quietis est municipium; via est, non patria. Ambulamus

E & non habitamus. Militia est vita hominis super

Fortitudo in tentationibus.

terram. Sic ille. Ac fortes quidem & ad prælian-dum alacres nos vult Dominus, & Dux noster.

Num. 33.

Idcirco enim Num. 33. bellatores recenseri iussit exceptis pueris ac mulieribus. Et ratio illa opti-

S. Ambros.

ma redditur à S. Amb. *enarrat. in Num.* his verbis: Nam dum puerilis, & lubricus sensus, vel fœminea, & resoluta segnities nobis inest, sancto Dei calculò enumerari non meremur; ad prçliandum idoneos, viros perfectos intellexit. Sic Ambros. Et verè quidem timet diabolus perfectum, fortem, & repugnãtem virum, & aliquando euenit,

vt

vt consummata tentatione victus & confusus recedat hostis, vt tentanti Christum diabolo contigit; atque adeò (quod bene ad 4. Luc adnotauit Ambros.) instare formidat, quia frequentiùs refugit triumphari. Cæterùm misericordia Domini non sumus consumpti. *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Psalm. 123. Nos quidem euasimus, sed laqueos Deus ipse contriuit. Deus est (inquit ibi S. Hier.) qui disrumpit laqueos: erepti sumus per eum, cui ob hoc gratiæ referendæ sunt; numerositas est vitiorum à quibus ne capiamur, gratia Dei eruimur. Quin etiam misericors Dominus non finit nos tentari supra id, quod possumus, 1. *Corinth.* 10. quem locum sic explicat D. August. *in Psalm.* 94. Nec sæuire fluctus possunt nisi vsque ad littus, vbi Deus terminum posuit. Nulla ergo tentatio, nisi acceperit mensuram à Domino. Sint ergo tentationes, sint tribulationes, consummeris eia, non consumaris, non permittet illas sæuire vltra, quam nouit ille, mensuram, ex qua proficias. sic August. Fit etiam interdum, vt quis ab omni tentatione immunis tranquilla pace fruatur, atque in officiis pietatis abundãti dulcedinum cœlestium rore perfundatur, sed ne proinde se se efferat: humilietur amplius sub potente manu Dei. Suam reputet imbecillitatem ac Dei gratiam. Plerumque ita diuino lacte nutritur, quia paruulus est, vt cum adolescet, arma sumat, & viriliter cum hostibus congrediatur. Pulchrè in hanc sententiam ita disserit S. Petr. Dam. *apolog. de cont. secul. c. 5. Cum emisisset Pharao populum, non eos deduxit Dominus per viam Philisthijm, quæ vicina est, reputans ne fortè pœniteret eos, si vidissent aduersum se bella consurgere, & reuerterentur in Ægyptum.* Exod. 13. Ex Ægypto itaque recedentibus è vicino pugna subtrahitur: quia detelinquentibus seculum quædam pacis securitas datur, ne in ipsa suæ teneritudinis nouitate turbati, atque contriti, ad ea, quæ contempserant, reuertantur. Priùs ergo securitatis suauitate mulcentur, priùs pacis quiete nutriuntur. Post cognitam verò dulcedinem, tantò iam tolerabiliùs tentationum certamina sustinẽt, quantò in Deo altiùs cognouere, quod amant. sic Petrus Damian. Timet Abraham post victorias & triumphos; timet sibi à sua felicitate, in qua solet omnia humana virtus naufragium facere. Scitum est enim illud M. Tull. 4. *ad Her.* Difficile est primum virtutem reuereri, qui semper secunda fortuna sit vsus.

D. Ambros. — *Victus diabolus refugit triumphari.* — *Psalm. 123.* — *D. Hieron.* — *1. Cor. 10.* — *S. August.* — *Dei gratia vincimus.* — *Tentatio iustum consummat, non consumit.* — *Pace fruens humilietur, ac timeat.* — *Præparat Dei gratia ad tentationem.* — *S. P. Damian.* — *Exod. 13.* — *Insipientibus tentatio, & bellum subtrahitur.* — *Felicitas infida virtuti.* — *M. Tull.*

4. Burgens. timorem istum Abrahami diligenter expendens, duas assignat causas illius, quarum prima iam superius pertractata est. Infit igitur ad hunc modum: Abram ex victoria illa timebat duo. Primum, ne fortè illi reges irruerent de nouo super eum. Secundum, ne fortè excessisset in persecutione & debellatione illorum; non enim legitur id fecisse ex iussu Dei. Sic ille. Tametsi contrarium statuerimus ad c. 14. in priori tom. videlicet diuino impulsu, atque imperio quo semper se, ac sua omnia dirigebat, bellum illud à Patriarcha susceptum fuisse. Ac timor quidem iste in viro sancto, & sacerdote solito victimas Deo libare, multum laudabilis est: quippe cum serui Dei, ac sacerdotes maximè tractare arma non soleant, nec debeant, vti alienum prorsus munus. Hinc optimè inuectus in sacerdotem crudelitatis iniustum dedecore scribit S. Hildebertus *Epist.* 30. Non carnifex es, sed sacrifex; pro reis quidem, sed non reos immolare constitutus. Stet igitur Moyses in monte supplicans; in campo Iosue congrediatur cum hostibus. Exod. 17. Quem locum pertractans S. P. Damian. *Apolog. de cont.* A *cap.* 27. ita effatur: Orantis manus, prælantium manus roborabant: & quia illæ imbelles ad cœlum patebant, idcirco istæ dimicantes victoriam cæsis hostibus obtinebant. Istarum quippe fuerit pugna, sed illarum non ambigitur fuisse victoria; quia vt istis daretur vincere, illæ meruerunt diuinitus impetrare. Si ille manus ad corripienda arma deponeret, victoriam hostibus præbuisset. At contra Balaam, qui ad prælium cum Madianitis egreditur, gladio trucidatur: & iure qui proprio non est contentus officio, discrimini redditur obnoxius alieno. Hæc Damian. Ex quibus colliges non esse religiosi, ac sacerdotis militare, sed orare. Oret Moyses, pugnet Iosue, victoriáque succedet. Si contra Moyses relicto munere orandi arma B sumat, vincetur haud dubiè: quod Balaam contigit, qui vaticinio relicto se ascripsit militiæ. Nam posteà cum Hebræi pugnarent aduersus Madianitas proditur cap. 31. Num. *Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio.* At (inquies) punitur zelo iustitiæ reus à principe, vel à magistratu: quid ergo timendum hic amplius est? Nimirum (vt subnotauit Burg.) ne fortè excessisset in ipsa iusta vltione. Quare in suppliciis delinquentium illud Christiano principi, ac domino sanctè obseruandũ est, quod hisce verbis scripsit S. Hildebert. *Epistol.* 25. Quisquis nihil reatus impunitum relinquit, delinquit. culpa est totam persequi culpam. Immisericordem se confitetur, cui quicquid licet, lubet. Virtus est ad vindictam necessi- C tate trahi, non voluntate venire. Magnum quid, & diuinum sapit offensus clemens: bonus princeps ita crimen insequitur, vt quem punit, hominem remorderi fatur. Sic ille. Celebre admodum est S. Bernardi consilium *ad Eugenium Papam:* Multa dissimules, pauca corrigas. Idem multo antiquior, Ferrand. diaconus ad Rheginum Comitem, *regula* 6. præscripsit in hunc modum: *Noli esse multum iustus.* Eccl. 7. O quanta dissimulanda sunt, quanta toleranda, quanta leuiter attingenda, quanta sacerdotum quoque intercessionibus concedenda! Sic ille. Eò vel maximè vigilandum est in hac parte, quod in alienis erratis seueriores iusto sumus censores ac iudices; & vltra debitam mensuram supplicia inferimus non zelo iustitiæ, sed in- D natæ prauitatis libidine, humanum sanguinem sitientes. Audias igitur eundem Diaconum ita monentem *reg.* 7. Sic punias reum, dux Christiane, vt misericorditer sæuiens, non hominem, sed vitium perdere cupias; & publicam disciplinam, ne pereat, reo pereunte conseruare festines. Sic Diaconus.

Burg. — *Sacerdotem non decet bellum, & sæuitia.* — *Oratio, & arma vincit.* — *S. Hildebert.* — *Moyses & Iosue in bello.* — *Exod. 17.* — *S. Petr. Dam.* — *Ecclesiasticus orat, non militat.* — *Balaam de Vate miles cæsus.* — *Num. 31.* — *S. Hildebert.* — *Supplicium moderatum, & rarum.* — *Clementia principis.* — *S. Bernard.* — *Ferr. diac.* — *Eccles. 7.* — *Norma regendi.* — *Nimia seueritas.* — *Ferr. diac.* — *Quid seruandum in supplicio.*

5. Illa etiam timoris huiusce origo, quam adinuenit Lyranus, locum habet non postremum. ait igitur: Abram ex victoria tam solenni, quam Dominus dederat ei, timuit, ne in hoc accepisset totam mercedem iustitiæ suæ à Domino, & ideo Dominus eum assecurauit de contrario dicens: Noli timere de eo, quod cogitasti. Ego merces tua, &c. id est victoria, quã dedi tibi, non est mer- E ces tua, sed maiorem satis ego reseruo tibi. Sic Lyran. Et quidem felicitas huius seculi non solet esse via ad regnum cœlorum: athletæ, qui illud assequuntur, certando priùs colluctantur in fame & siti, in egestate, in pressuris, facti omnium peripsemata. In Ægypto reprobi opibus, & gloria humana potiuntur, & in seruos Dei tyrannicè dominantur. Nimirum sunt illi de hoc mundo, & mundus quod suum est agnoscit, & honorat. At populus à Deo electus opprimitur lutulentis ac duris infandæ seruitutis operibus. Sed felix eorum infelicitas, qua præclaram sunt mercati felicitatem.

Lyranus. — *Felicitas mundi non ducit ad cœlum.* — *Tribulatio ad cœlum impellit.*

citatem. Loculenter de hoc argumento sic disse- A
S.Petr.Dam. rit S.Petr. Dam. *Epist. ad Blancam Comitiss. cap. 2.* Pharao duris operibus opprimebat populũ Dei: vt dom plebs in seruitio turpiter figitur, vel malis impulsa,& prouocata mouetetur.Ita si vocati ad terram promissionis exire negligimus.pressuris saltem sæuientibus impellamur. Atque hæc Ægyptus,vita videlicet præsens;quæ nos opprессit blandiens,adiuuet premẽs,quatenus,quæ dum foueret iugo nos seruitutis arctiuetat, libertatis viam,dum affligit,ostendat. Hæc itaque causa est, quòd ab iniustis,iusti sinuntur affligi; vt ad faciliorem exitum, dum amor prouocat futurorum bonorum cruciatus præsens impellat. Sic Petrus Dam. Meritò igitur timebat Abrabam, eo quòd se videtat opulentom,gloriosum,victorem;inter B
Felicitas mũdi periculosa animæ. opes enim, & triumphos seculi periclitatur virtus, atque in Deum fides. Hinc illud S. Ambros.
D.Ambros. *de interp. Iob cap. 5.* Magna illecebra delinquendi est rerum affluentia secularium. In superbiam enim extollit, obliuionem auctoris infundit. Hæc Ambr. sic planè res habet. *Impinguatus, dilatatus, recalcitrauit,& oblitus est Dei Creatoris sui.* Deuter.
Deuter. 32. D. August. 32. Optimè D. August subnotauit *in Psal.* 85. Putatis fratres infelicitatem sæculi metuendam esse,& felicitatem non esse metuendam? Imo verò nulla infelicitas frangit,quem felicitas nulla corrumpit. sic August. Sed quàm rata virtus felicitate non corrumpi! Reprobis interdũ in præmium
Rara virtus felicitate non corrumpi. alicuius boni(quod agunt) moralis affluentia ista rerum humanarum donatur Sed miseri audient C in morte: Recepistis mercedem vestram. Timet Abraham;quia vit est religiosus,cui portio Deus
S.Petr.Dam. est. Sapienter S. Petr. Damian. *lib. apolog. de contr. sell. cap.* 4. admonet. O monache,quatò in egenis mundi lucris copiosior fueris,tantũ à veris diuitiis ærumnosiùs inanescis. Cæterum Dionysius
Chartus. Chartus. non adducitur vt credat hancfuisse causam timoris in Abrahamo. Sed non apparet, inquit, quod vix tantæ illuminationis putauerit, temporalem & exteriorem illum triumphum esse condignum, & sufficiens præmium actuum meritoriorum,& verè virtuosorum Abram aotem ex multis reuelationibus sciuit se esse in statu salutis. Hæc ille. S. Chrysostomus arbitratur ti-
D.Chrysost. mere potuisse Abrahamum futuram aliquam egestatem cui facilè occurreret, si de spoliis potiorem partẽ,quæ sibi iure belli obuenerat,afsumpsisset. Sic enim ait. Quare dixit,ne timeas? Atten-
Non perdit contemptor opum. de immensam Dei curam. Quia ille tantas opes contempserat, non curatis his, quæ Rex dabat, dicit Dominus, Ne timeas: hoc est: ne timueris, quòd despexisti,tanta dona;neque anxius sis,quasi imminutiores sint tuæ facultates. Ego,&c. hæc Chrysost. Renunciauimus mundo, & opibus illius, viri Ecclesiastici, maximè verò religiosi, & diximus: Portio nostra tu es Domine Quid igitur?num egestate, ac fame prorsus enecti contabuimus? An non Christi Ecclesia nobis in hæreditatem cessit? At quàm illa dines? Certum & quotidiana experientia contestatum illud est, E
S. Petr.Dam. quod scribit S.Petr. Damian. *apolog. cap.* 3. Vbique
Largum Ecclesiæ patrimonium. terrarum, tam largissima Ecclesiarum patrimonia cernimus,vt quotidie,dum mundus imminuta possessione contrahitur, Ecclesia copiosissimè dilatetur. Sic ille.

6. *Ego protector tuus sum.*] אנכי מגן *Anochi maguen.* Lat. Ego scutũ tibi. radix גנן *ganan.* protege-
Magnates scuta reip. re. Vnde nomen,*maguen,* clypeus, scutum quod fetentem protegit. Quo etiam nomine dicuntur Magnates, Iudices, Magistratus,qui populũ proteg unt; his enim veluti scutis Respub. se tuetur.

Igitur Dominus, vt Abraham omni timore liberet, ac fortem reddat, ait: Ego ero tibi veluti clypeus te protegens. Non est quòd timeas hominem, qui Deum habes protectorem Ego tibi contra omnes hostes clypeus ero; sagittas, missilia, lapides, tela omnia, & iniurias inimicorum excipiam, ac propellam. In hoc sensu aiebat regius Vates: *Domine, vt scuto bona voluntatis tua coronasti nos.* Psalm. 5. Quo loco egregia est paraphasis D. Psalm. 5.
Hier. Ad hunc modum. Apud sæculum aliud est D. Hieron.
scutum, aliud corona: apud Deum verò ipse est *Deus homini, scutum & victoria.*
scutum, ipse est & corona. quasi scutum protegit, quasi Deus coronat. Dicit igitur: Protexisti nos Domine scuto tuo, & protectio tua corona fuit: hoc est corona nostra scutum tuum fuit, id est nostra victoria. sic Hiet. Hæc est ergo Dei benignitas, vt imbelles, ac trepidantes robotet, cõfirmétque, ac demum victores reddat, & pro victoria coronet: hæc nostra imbecillitas, vt nec resi- *Sine Deo*
stere, nec vincere possimus sine abundanti diuinæ *nulla homini vis.*
gratiæ præsidio Nostra igitur victoria est ipsa Dei protectio: si vicimus, scuto vicimus; non tam egimus, quàm restitimus; at restitimus quia scutum nos protexit; quia Deus pro nobis pugnans, & ictus excepit, ac propulsauit, & hostem perculit, ac prostrauit. S. August. primò bonam istam Dei S. August.
voluntatem, deinde scutum, ac denique coronam ordine ipso textus agnoscit, sic explicans. Quia vocatio non meritorum nostrorum, sed beneuolentiæ, & misericordiæ Dei est, subiicit: *Domine, vt scuto, &c.* Bona enim voluntas Dei præcedit bo- *Gratia Dei*
nam voluntatem nostram, vt peccatores vocet in *Præueniens.*
pœnitentiam. Et ipsa sunt arma, quibus expugnatur inimicus. sic August. Prob quàm validum, impenetrabile, atque inuictum, nobis est scutum *Pœnitentia*
ipsa, quam ritè agimus de nostris sceletibus, pœ- *homini scutum.*
nitentia! hoc scuto muniti, & in extrema vitæ periodo animã efflantes, & in vniuersali demum iudicio hostis tela propulsabimus: accusabit ille, sed frustrà, vbi se offeret nostra pœnitentia. Contra hostem (inquit adhuc S. August.) dicitur: Quis S. August.
accusabit aduersus electos Dei? ad Rom. 8 *Et si* Rom. 8.
Deus pro nobis, quis contra nos? qui vnico filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Si enim adhuc cum inimici essemus, Chri- *Fiducia in*
stus pro nobis mortuus est, moltò magis reconci- *Deum.* D
liati, salui erimus ab ira per ipsum. Hoc est inuictissimum scutum quo repellitur inimicus desperationem salutis suggerens. Hæc August.

7. Caiet. Non victoriam, aut gloriæ diadema Caietan.
in corona intelligit, sed tantummodò Dei præsidium vndique modo coronæ ambientis, totum hominem victum circumcingens sic enim explicat. Sumitur hic coronare, pro circundare, vt similitudo scuti testatur. Et intendit quòd Deus sola voluntare sua, circundabit Dauidẽ; tanquam circundatet eum scuto defensiuo. Significatur enim scutum longum, quod circundat ferè totum hominem. sic ille. Cæterùm S. Chryſ. dupli- D. Chrysost.
cem coronam in verbis Prophetæ agnoscit, pro duplici sensu, quem eruit, bonæ voluntatis, quæ aut Dei est, aut hominis. Igitur si bona voluntas Dei esse intelligatur, qua homo coronetur, hic redditur sensus. Optimo (inquit) auxilio instum munis; & neque eius pulchritudo priuata est se- *Dona Dei*
curitate, neque securitas gloria deficitur. Quid *pulchra & secura.*
enim fortius, quid prorsus formosius eo viro, qui a superna dextra munitur? Hæc corona ex misericordia contexitur. iuxta illud Psal. 102. *Qui coronat te in misericordia & miserationibus.* Hoc est Psalm. 102.
ergo quod dicit securitate & gloria eos coronasti. Hæc Chrysost. de priore acceptione bonæ voluntatis:

Pulchritudo & securitas iustificat odantur.

luntatis: vbi vides bona Dei, & pulchra esse, & secura: pœnitenti gratiam suam misericorditer elargitur; atque adeò tam admirabilem decorem, & honorem iustificatus homo accipit, vt diuinæ sit consors naturæ. Simul etiam securitatem Deus illi concedit, non quòd subinde fiat homo impeccabilis, sed quòd ex parte Dei, si homo ipse cooperetur, nunquam illa gratia sit interitura: nec enim Deus sua dona pœnitens iterum aufert, nisi ab indigno, nec vlla creatura poterit gratiam Dei ab anima iusti expungere; nisi iste sibi inimicus eam à se ipso expungat. Hæc autem duo, nimirum securitas & pulchritudo, siue gloria in bonis huius vitæ à mundo, & mundi principibus donata non simul inueniuntur. Quod ita idem Chrysost. ostendit. Dei dona valida sunt, & decore plena, tales sunt coronæ. At in hominibus non ita est; sed qui est quidem in gloria, non est omninò securus. Qui est autem in securitate, non est omnino in gloria, neque hæc facilè conueniunt; aut si conuenerint, celeriter auferuntur. Videlicet, qui sunt potentes, & summos gerunt magistratus; sunt quidem splendidi, & illustres, sed non sunt securi; imò vel eo maximè nomine in lubrico & periculoso loco versantur, propter gloriæ magnitudinem. Qui autem sunt abiecti & viles, sunt quidem securi, eo quòd non cognoscantur, sed eo ipso sunt, vel maximè inglorij, quòd sint in securitate. In Deo autem non ita est: sed vtraque insigniter concurrunt. Ita Chrys. de priore acceptatione bonæ voluntatis & coronæ. Sed quid de posteriore? Est etiam, (inquit) corona gratiæ, vt dicitur Eccles. 32. *Corona autem gratiarum defendet te.* Considerantes itaque bonorum magnitudinem vt quod ante omnia sit bonum Deo esse gratum, quod est & arma & gloria, & securitas, ad certamen nobis propositum curramus. Maximè verò cum pugnæ tempus est, quando tribulationes obsident: tunc maximè nos muniri oportet, tegi lorica, clypeo, galea, & cæteris armis, & perpetuò gratias Deo agere. Hæc sunt grauissima, quæ in diabolum torquentur tela; hic est ictus in dæmonem certissimus, tunc sunt coronæ splendidissimæ. Hactenus S. Chrysostomus. Vide quam vtile sit Apostoli consilium, *in omnibus gratias agentes?* protegimur, armamur, vincimus, cum bona, & grata in Deum voluntate gratias illi referimus: coniuncta semper est corona cum gratiarum actione.

Dei gratia ex se perpetua.

S. Chrysost.

In mundo gloria & securitas simul non sunt.

S. Chrysost.

Eccles. 32.

Gratus munitur, & coronatur.

8. *Ego protector tuus sum.*) Quod non de præsenti tantùm, sed de quolibet etiam tempore intelligendum est. Idcircò enim in fonte non additur verbum, vt nullo termino temporis, ac nullis rerum occasionibus definiatur Domini protectio: quippe cum habeat: Ego scutum tibi. Quare S. Chrysostom. *homil. 36. in Genes.* ad hæc eadem verba sic edisserit: Multam emphasim habet hoc verbum. Egó, qui à Chaldæis te euocaui; ego, qui te huc adduxi; ego, qui te à periculis Ægypti liberaui; ego, qui semel atque iterum promisi tibi, atque semini tuo daturum me terram hanc, ego te protegam. Ego, qui in dies magis, ac magis omnibus te clarum ostendo, ego protego te: hoc est, ego scuti vice tibi ero, ego pro te certo, ego propugnator fio, ego curam gero, ego omnia difficilia facilia tibi reddo, ego protego te. Hæc Chrys. Appositè Dauid scutum Dei vocauit misericordiam vt vidimus paulo ante ex Psalmo 102. Nec enim aliud securius, ac validius scutum ad excipiendos cuiuscunque tentationis ictus nobis præstò esse debet, quàm ipsa Dei misericordia, quam si debitè expendamus, facilè inimicum prosternemus. Hinc piè, disertéque monet S. Paulin. *Epistol. 13.*

Dei protectio illimitata.

S. Chrysost.

Dei misericordia scutum.

S. Paulin.

A Deum (inquiens) magis diligas & timeas; quò melior est, & indulgentior. Magnam tibi talis formido mercedem pariet, vt hinc solicitior sis, vnde potes esse securior: id est vt tantò magis Deum metuas offendere, quantò promptiùs dignatur ignoscere; quia maiore impietate læditur, qui nescit offendere; & grauiùs vindicatur, qui non expetit vindicari. sic ille. Deinde verò misericordia Dei nobis scutum est, sine quo cum tam deploranda sit nostra imbecillitas, & ad peccandum procliuitas, inter infinitas hostium impugnantium insidias, quis euadet, nisi eum *scuto circumdabit veritas Domini?* vt habetur Psalm. 90. Multæ sunt nostræ miseriæ, atque vt scribit S. Paulinus *Epistol.* 10. nostræ diuitiæ nunc in peccatis tantùm B manent. O infames diuitiæ! ô ipsa prorsus egestas! sed Domini multò plures sunt miserationes: diues est Deus in misericordia, cui acceptum referimus, si à peccatis liberi, si ad Deum conuersi, si quid virtutis & diuinæ gratiæ habemus. Digna mihi visa est commentatio Episcopi Lyppom. ad hunc locum, quæ hic inseratur. sic habet: Protector est Deus omnium sperantium in se ac diligentium eum, qui licet interdum vincantur, & cadant, non est ex diuinæ protectionis defectu, sed ex protectorum infirmitate & negligentia; sunt autem protectionis diuinæ diuersi gradus: quosdam à lethali, alios insuper à veniali (per malitiam scilicet admissa) culpa protexit, reddiditque immunes: non paucos etiam à carnis stimulis, aut C certè à consensu lapsúque in prauam delectationem defendit. At amplioris & sublimioris protectionis gradu Deus omnipotens beatissimam Dei Genitricem non solùm ab omni mortali, & veniali, sed etiam ab originali protexit, vt D. Thom. *in 1. sentent. q. 44. artic. 3. ad 3.* dicit. Potest aliquod creatum inueniri, quo nihil purius in rebus creatis inueniri potest, si nulla contagione peccati inquinatum sit, & talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit. Sanctificatos autem in vtero, & confirmatos in gratia protexit Deus deinceps ab omni mortali, ne laberentur in illud. sic ille. *Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi.* Verba sunt Virginis Deiparæ Cant. 2. vbi notandum ex communi Patrum D & Doctorum explicatione obumbrare, & protegere, vmbram, & protectionem in eodem esse significato. Vnde illud S. Gregor. Papæ ad hunc eundem locum: Vmbra Christi protectio est Spiritus sancti; quippe Spiritus sanctus mentem, quam replet, obumbrat, quia omnem tentationum feruorem temperat. Rubertus Abbas *in Cant.* pressiùs adhuc locum de Virgine Dei Matre interpretans, sic loquitur pro Virgine: Non steti ad horam sub vmbra: sed continuò sedi, quia semper pacem habui: iugiter sub vmbra illius quieui: sic Abbas. Igitur Virginem beatissimam Spiritus sancti vmbra protexit ab originali culpa, & ab omni deinceps actuali; atque adeò fomitem illi prorsùs extinxit peccati. Maximè omnium creaturarum E illi conuenit à Deo suo Filio dictum: *Ego scutum tibi.* Lippomanus denique adiicit: Indiguit Abram protectione diuina, præcipuè quoniam in medio idololatrarum, ac pessimorum tunc morabatur, ne cum peruersis illis peruerteretur. sic Lipp. Inter inimicos, & quidem irreconciliabili odio prosequentes incedit vnusquisque nostrum: quid ergo misero fiet, nisi Dominus protector, & scutum nostrum sit? Enimuerò ab hisce animæ nostræ hostibus (vt benè scripsit S. Hildebertus. *Epistol.* 59.) nemo vnquam nocendi inducias extorsit, cum his quotidianus, & anceps congressus: ex his innumerum

Deus quo melior, eo magis timendus.

Psalm. 90.

Diues homo miseriarum.

S. Paulin.

Diues Deus misericordiarum.

Lyppom.

Non Deus, sed nos causa ruinarum nobis.

B. Maria puritas ab omni reatu.

D. Thom.

Cant. 2.

S. Gregor.

Rupert.

B. Mariæ Deus fuit scutum.

Lyppom.

Difficile bellum cum diabolo.

S. Hildeb.

rum vulnus, nec ea facili cicatricem promittens. Sub his casus frequens, & respiratio difficilis. De his rara & nunquam secura victoria. sic ille. Nihilominus clamat propheta: *Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos.* Psalm. 117.

Psalm. 117.

9. *Et merces tua magna nimis.*] Hebr. שְׂכָרְךָ הַרְבֵּה מְאֹד. *Secarecha harbeh meod.* Merces tua multa valdè. Radix *sacar*, mercari mercede conducere. Hinc numen, *sacar*, merces. Burgens. vt n. 4. præmissum est, duas causas timoris in Abraham apposuit; & adiecit: Deus assecurauit eum de vtroque. Quantum ad primum: *ego protector tuus.* Quantum ad secundum (quia timebat Abram ne fortè deliquisset in debellandis Assyriis) *merces tua.* Hoc est, non solùm non deliquisti, sed meruisti in hoc mercedem magnam. sic ille. Ac tantus quidem vir extitit Abraham, vt bellum illud tam periculosum credendus nō sit suscepisse temerè, atque Deo inconsulto, aut ex prauo aliquo affectu quo ad furorem bellicum eacitaretur. Profectò bonus princeps ille est (scribit Ferrand. Diac. *ad regin. Com. reg. 2.*) si cognoscatur, nihil citò, sine consilio facere, nihil agere violenter, nihil fraudulenter, nihil sine modo, nihil propter voluptatem, nihil propter auaritiam. Sanctè bellum suscepit, administrauit & confecit Abraham; quare Dei gratiā ex illo opere promeruit. At homines occidit, & spoliauit: nunquid ex humana calamitate & sanguine cōparatur Dei gratia? Ita planè fit aliquando. Offendere enim hominem (ait S. Hildeb. *Epist. 75.*) propter Deum, lucrari est gratiam Dei. Haud dubiè respicit Dominus ad illam admirabilem frugalitatē Abrahami, qua cōtempsit spolia Chaldæorū: noluítque accipere quicquā à Rege Palæstino. Idcirco Dominus nostrorum operū fidelis remunerator occurrit, vti elegāter considerat S. Chrys. ad hunc modum. Merces tua erit multa valdè. Noluisti mercedem accipere pro laboribus, quos sustinuisti, tantis periculis te obiiciendo; sed contempsisti & regem, & munera eius. Ego tibi mercedem dabo, non tantam, quantam accepturus eras, sed multam, & valdè multam. sic Chrys. Nemo vereatur pro Dei obsequio, vel renunciando seculo, ac paupertatem Christi amplectendo, vel saltē pauperibus pro amore Dei sua elargiēdo, inopiam sibi eainde ac damnum aliquod euēturum. pauca reliquit Abraham, multa & magna Deus pollicetur. Et velut (ait S. Ambr. *lib. 1. de Abrah. cap. 3.*) vsuraria largitate compensat, vt vberiora restituat ei, qui captus nō fuerit oblatione præsentium. Mundus, etsi remunerari velit, adeò tamen miser & pauper est, vt paucula & leuicula soleat pro multis & magnis officiis, ac meritis condonare. Meritò Abraham, meritò viri iusti ac prudentes, à Deo, non à mundo, præmium expectant: est enim (vt à D. Paulino *Epist. 40.* sapienter appellatur) sancta superbia, & humilitas iniqua. Nimirum, nec ipse totus mundus viro iusto, & sancto dignus est. Merces etiam isthæc Domini ad laborem præliandi, velut stipendium militare Abrahami spectare creditur ea sententia S. Ambros. cuius hęc sunt verba *lib. 2. de Abraham, c. 8.* Dei quoque in eo prædicatur iustitia, qui remunerationem piis mētibus non ex necessitate promissi, sed ex æquitatis suæ contemplatione largitur, iudicans dignum fore, quòd hi, qui militāt sine aliqua mercedis humanæ remuneratione, repositū habeant præmium in eius bonitate, cui deuouendas animas suas æstimauerint. Hæc Ambros. Quod maximè solari debet Christianæ militæ bellatores, qui pro Christi fide cōtra hæreticos, infideles, ac

Burg.

Ferrand.

Bonus princeps in quo dignoscitur.

Mali suppliciumm meretur Dei gratiam.

S. Hildebert.

S. Chrysost.

Lucratur qui pro Deo quicquam relinquit.

S. Ambros.

Non à mundo premium expectādum.

D. Paulin.

Totus mundus iusto dignus non est.

S. Ambros.

Milites Christiani à solo Deo bene donantur.

A Mahometanos præliantur, & vitam bellis exhaustam male donati à regibus trahunt in summis inopiæ & opprobrij calamitatibus.

10. Nouit autem Dominus figmentū nostrum, & quanta sit præmio vis ad excitādos hominum animos. *Ego* (inquit) *merces tua magna nimis*: quod ita expendit S. Chrys. Vidisti liberalitatem Domini? vidisti verborum pondus? vidisti quomodò excitat pietatis athletam? vidisti quomodo animam eius confirmauit? ipse enim qui arcana cordium nouit, sciebat illi opus esse huiusmodi verborum consolatione. hæc Chrysost. S. Ambros. agnoscit etiam in verbis Domini celeritatem in remunerando, quæ diuinæ bonitati perquàm familiaris est. Sic enim ait *lib. 1 de Abraham, c. 3.*

B Non est serus ad remunerandum Dominus: & citò promittit, & multa largitur: ne infirmos animos per dilationem aliquam subeat pœnitentia contempsisse præsentia. Sic Ambros. Duo autem hic mihi indubitata videntur. Nimirum, præter externos illos præliandi labores, quibus est perfunctus Abram, præcipuè illius virtutes internas, & quæ foris etiam sese prodiderunt, à Deo fuisse hisce præmiorum pollicitationibus donatas, ac subinde mercedem istam Domini, quæ promittitur, ad animæ potius munera, & æternam beatitudinem pertinere. Circa primum ita differit S. Ambr. *lib. 2. de Abrah. cap. 8.* Ad oteis bellicis ex vsu ipsius victoriæ, aut hominum gratia paratum est præmium: pietatis autem & parsimoniæ, puritatis, cæterarúmque velut priuatarū virtutum

C à Deo soluitur: quæ manifesta sunt hominibus, ipsi remunerantur. Alia sunt occulta cordis, quorum spectator, & scrutator Deus est. Non ergo magnam mercedem promisisset Abrahæ, nisi puram animam ab omni contagione delictorum iudicasset. Hæc S. Ambros. Animaduertit optimè S. Pater, magnam quidem à Deo mercedem promitti; scilicet, *Ego merces tua magna nimis*; (quid enim maius, quam Deus ipse est?) quæ non potest donari, nisi ob opera virtutis, & animæ purioris merita: & his etiam non sunt condigna præmia, mundi omnia bona, sed solus Deus. Ac de secundo nemo est qui ambigat: à Deo quippe dicitur: *Merces magna nimis*: solus autem Deus in cœlesti

D gloria visus, & possessus est merces optima & superefflluens. *Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* Psalm 72. Sermo est iustorum, qui mundo renuntiantes (ait S. Petr. Dam. *apolog. cap. 4.*) proprietatem suam Deum esse constituerunt, & ipsimet consequenter Dei proprietas effecti sunt, vt ille esset portio iustorū, & iusti peculiariter portio illius. Reposita est hæc spes nostra in sinu nostro: propter hanc militamus Christo aduersus carnem, & sanguinem & potestates tenebrarū. Hæc spes suauissima quadam dulcedine amaritudines nostræ vitæ perfundit. Est enim (docet S. Greg. Nyss. *in vita Moysis*) vita Christiani spe futurorum iucundissimè condita. Erigatur igitur (scribit S. Pet. Damian. *ad Blanc. Com. c. 13.*)

E spiritus ad ea quæ promittuntur in patria; & exiliens parui pendat, quidquid asperitatis horret in via. At quàm magna erit merces, si Deus ipse magnā nimis appellat? Talis est, & dicitur, quia omnem magnitudinē meritorum, quibus comparatur; & laborum, qui pro illa suscipiuntur excedit, vt passim leges apud Apostolum. Superat etiam omnem hominis opinionem, & sensum, vt idem testatur. Et quod mihi magis exprimit inenarrabilem huius mercedis ampliationē; Deus ipse merces erit, *qui replet in bonis desiderium tuū.* Psalm. 102. *Et animam esurientem satiabit bonis.*

Præmium excitat athletam.

S. Chrysost.

S. Ambros.

Deus citò & large donat.

S. Ambros.

Præmium pro virtutibus.

Psalm. 72.

S. Petr. Dam.

Beatitudo præmium hominis.

S. Greg. Nyss.

S. P. Damian.

Beatitudo superat omnia.

Psal. 102.

Psalm.

Psalm. 106.
Beatitudo satiat sine fastidio
S. Petr. Dam.

Psalm. 106. Est animæ nostræ insatiabilis cupiditas bonorum; igitur magna nimis ea merces erit, quæ cupiditatem illam explebit, & satiabit; nec tamen fastidium afferet. Illic, addit S. Petr. Dam. vitæ fontem, & sitientes hauriunt, & haurientes sitiunt, quia non potest, vel auiditas passionem gignere, vel satietas fastidire. Pulchrè D. August. verba Prophetæ expendens de vtilitate bonorum huius mundi loquitur sic. Satiabor, modò non satior. Ad quodcumque me conuertero vilescit mihi adeptum, quamuis accenderit desideratū. Cum omnia, quæ non habeo, amo; cum habuero contemno, quod bonum me satiabit? Non impletur anima mea, non perficitur. Quando satiabitur desiderium meum in bonis? cohæres Christi quid gaudes, quia socius es pecori? Erige spem tuam ad bonum bonorum omnium. Ergo illud bonum tuum Deus est. sic August. Meritò inuehitur in hominem, quia gaudet de iis bonis, quæ brutis etiam pecudibus communia sunt. At dices: Et carnem ego habeo. benè: sed cui promittitur resurrectio, & immortalitas: & carni tuæ merces magna nimis erit Deus ille, *qui redimit de interitu vitam tuam.* Psalm. 102. Exclamat ergo S August. Redempta est vita tua de corruptione, iam securus esto. Redemptor egit hic commercium; iam pretium soluit, sanguinem fudit. O anima erige te! tanti vales, redimet de corruptione vitam tuam. Ostendit exemplo, quod promisit in præmio. Hæc August.

D. August.

Bona mundi non satiant.

Carni etiam beatitudo promittitur.
Psal. 102.
S. August.

SECTIO III.

Dixitq; Abram: Domine Deus, quid dabis mihi? ego vadam absque liberis: & filius procuratoris domus meæ iste Damascus ElieZer. Addiditq; Abram: Mihi autem non dedisti semen: & ecce vernaculus meus, hæres meus erit. Statimq; sermo Domini factus est ad eum, dicens: Non erit hic hæres tuus: sed qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis hæredem.

Dei amor dulcissimus.

1. DOmine. Hebr. אדני יהוה *Adonahi gebouih* Domine Deus. Mirum est cur hoc loco istud ineffabile immutetur, cum scribatur communiter יהוה *Iehouah*, non *Iehouih*? Et quidem in hoc nomine sic prolato teneritudinem quamdam & dulcedinem pij amoris, ex magna quadam & intima familiaritate oborti erga Deum in Abrahamo agnoscit Caietan. quod iam in priori tomo latiùs tradidimus. Quid si Abraham tactus in præsentia fuerit recordatione futuræ incarnationis Verbi Diuini, quam iam inde à Patre omnium Adamo Patriarchæ omnes crediderunt; & in cuius spe tandem defuncti, non acceptis tamen promissionibus, de longè felicia nostra tempora salutarunt? Vera quidem & congrua illa est interpretatio S. Eusebij Emiss. *homil. in Domin. palm.* ad illa verba Matth. 21. *Plurima turba strauerunt vestimenta sua in via.* Sic ergo habet. Omnis Patriarcharum, & Prophetarum multitudo vestimenta sua strauerunt in via, viam Domino parauerunt, & fidem suam alios docuerunt. sic ille. Quia verò repræsentato hoc mysterio Abraham suæ mentis oculo videre visus est Deum factum hominem, assimilatum per omnia fratribus, quinimò, & puerum, aut in cunis vagietem, aut ad vbera matris lactentem; idcircò tam nouo, tam minutulo, tam dulci nomine Deum compellauit.

Caietan.

Patrum fides de incarnatione Dei.

S. Euseb. Emiss.

A Magnus quidem in se Dominus est, sed paruulus datus est nobis: *Filius datus est nobis.* Isaiæ. 9. Vt illum (inquit Eusebius Emiss. *homil. 1. de Natiuit.*) fide suscipiamus, confessione & spe nutriamus, charitate portemus. Magnus ille in cælo Dominus, & laudabilis nimis est: at natus in terra; paruulus Dominus, & amabilis nimis; ait S. Bern. Qui erat (addit Euseb.) datus est; qui non erat, natus est. Illic dominatur, hic humiliatur. Sibi regnat, & mihi militat. Tenellum, & infantulum, velut inter sua brachia dulciter astringens Deum Abrahamus pater alloquitur *Adonai Iehouih.* O Domine mi, Deus paruule, infantule. Deule (liceat formare vocabulum) mi; quem spero ex Matre Virgine, quæ serpentis caput conterat, puerulum

Natiuitas Domini IESV.
Isaiæ 9.
Euseb. Emiss.

S. Bernard.
S. Euseb

B in terra nasciturum. Iam inde post peccatum primorum parentum genus humanum peregrinantis more cœpit iter carpere per inuia, & inaquosa, & aspera huius vitæ deserta, vsque ad terram promissionis, Christum videlicet, cum quo simul stillabunt montes dulcedinem, & plenitudo gratiarum vniuersum orbem repleuit. quid ergo mirum est, si Abraham ad huius mysterij fidem, ac spem tam dulce, ac mellitum nomen Deo infantulo imponat? Sed quod veram promissionis terram, lacte, & melle manantem non incongruè dici Christum Dominum arbitreris, audi S. Petr. Damian. *Epist. ad Blanc. cap. 3.* Lac (inquit) fructus est carnis; mel labitur de supernis. Et quia Redemptor noster de cælo veniens carnem suscepit ex Virgine,

Genus humanum ad Messiam peregrinatur.

Christus terra promissionis.
S. P. Dam.

B. Maria terra viuentiū.

C hæc est illa terra viuentium, ad quam debemus intentis semper amoris gressibus festinare Sic ille.

2. *Quid dabis mihi? Ego vadam absque liberis.*] In magnam fiduciam & spem excitatus Abraham Domini promissis explicat ante illum animi sui sensa, & doloris antiqui rationes. Quasi dicat: Credo Domine multa mihi bona te largiturum, vt pollicitus es: at in ista mercede, quid quæso in singulari continetur? Larga illa promissio; sed num etiam illa optatissimæ mihi prolis generationem complectitur? an potiùs mercede ista tua donabor, etiam liberis caritutus ad mortem vsque, in quam senex præcipitor? Hunc sensum video placere Caiet. Perer. Delrio, & aliis. Cæterùm in eo mihi facessit negotium sæpiùs Dei promis-

D sio de semine Abrahæ repetita, vt legimus 12. & 13. *cap.* Quî ergo nunc fiet, vt quasi dubius quærat à Domino: *Quid dabis mihi?* quæ merces ista tua homini, cui prolem denegas? Deinde si Abraham inter promissa Dei (vt sup. sect. ostendimus) mercedem æternæ beatitudinis intellexit contineri, quænam isthæc modò est dubitantis interrogatio? dicam, quod sentio. Hebr. habetur, *mah.* vox quidem interrogans, quid, quomodo?, ac fortasse in præsenti loco est, quomodo; vt & Genes. 2. *mah icraa lo.* quomodo vocaret illud & 17. *mah micbanta.* quomodo festinasti. Latinè posuit interpres: *Quid?* Sed & istud accipi interdùm

Abraham examinat promissionem Dei.

E aduerbialiter, vti quomodo, nemo nescit. Fit igitur planus hinc sensus: Dicis ô Domine daturum te mihi mercedem multam nimis; imò te ipsum promittis in mercedem: quomodò igitur mihi dabis hanc mercedem, si liberos negas? Nam si maiora, vel etiam, vt ais, maxima polliceris, cur minora, quæ desidero, & postulo, non concedis? Prætereà si te ipsum in præmiū mihi dabis, (quod generi humano promissum, & prædictum à te iam pridē scio) vt carnē aliquādo assumas, Deus homo fias in redemptionem nostram, & hoc quidem ex meo semine, quomodo id fiet, si moriar absque liberis? Credo illud: *In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ:* in Christo scilicet, qui semen Abrahæ

dicetur: at quomodò talem habebo filium si sterilis mortem obibo? An hæc omnia complebuntur in filio aliquo meo non naturali, sed adoptiuo? Et quidem cum hac nostra, qualis qualis ipsa videbitur, Eocherij congruit explicatio hisce omninò verbis.

Eucherius.

Semini Abrahæ iam facta erat promissio, & innumerabilis multitudinis abundantia; nondum tamen patefactum erat, quomodo illius seminis esset futura promissio, vtrum ex carne Abrahæ, si ipse generaret, an ex voluntate, si aliquem fortè adoptaret. Itaque Abraham cum videret non nasci filios, & tamen semini factam promissionem cerneret, primò de adoptione cogitabat. Hoc enim indicat, quòd cum Deo loquens paulò inferiùs addidit de vernaculo suo: B *Hic erit hæres meus*, quasi diceret, de memetipso mihi semen non dedisti, in isto comple, quod semini meo promisisti. Hæc ille. Dices Abrahamum, cum Deus illi promisit; *In semine tuo benedicentur omnes gentes: semen tuum erit sicut stellæ cæli:* de filio, ac filiis naturalibus intellexisse Dei promissionem: malè igitur nunc recurri ad filios adoptiuos. Obiecta eludit optimè idem Eucher. adiiciens:

Eucherius. *Quomodo fideles semen Abrahæ.*

Si enim semen cuiusque non appellaretur, nisi quod de eius carne nasceretur; profectò non nos appellaret Apostolus semen Abrahæ, qui certè originem carnis de illo non ducimus; sed imitatione fidei semen eius facti sumus credentes in Christo, cuius caro ex illius carne propagata est. Sic Eucher.

3. Similis ferè est explicatus ad honc locum Ruperti hoc pacto.

Rupertus.

Nec verò quod ait: *Domine Deus, quid dabis mihi?* &c. diffidentis animi est, sed contriti & humiliati cordis, & cum nimia humilitate Dominum consulentis; videlicet, vt flebili conquestione pulsatus Deus certius quid respondeat de superiori promissione sperandi seminis.

Abraham à Deo filium poscit.

Nam dictum quidem illi fuerat superiùs: *Faciam te*, &c. Verùm hoc nequaquam satis erat, cum adoptiui filij possent filij, vel hæredes seminis æquiuocatione significari. Itaque quasi proprij seminis definitionem efflagitans cum dixisset: *Ego vadam absque liberis, & filius procuratoris domus meæ erit hæres meus:* addidit adhuc pulsando; *Mihi quoque non dedisti semen, & ecce vernaculus meus hæres meus erit.* Hæc Abbas. Itaque Abraham certus de Dei promissione filium diuinis replendum benedictionibus sperans, erat tamen dubius, num naturalis, num adoptiuus ille sibi futurus esset filius. Atque Dei sui bonitatem iam pridem expertus iterum, atque iterùm precando, pulsando, querendo, ac dolendo (vt vult Rupertus) benedictionem Domini ad prolem naturalem exposcit.

Instanter orandum. Rupertus.

Hæc est illa violentia, qua Dei beneficia tandem comparantur; imò & *regnum cælorum diripitur*, vt legitur Matth. 11. Qood ita intellexit S. Eosebius Emiss. *homil. in 3. Dominic. aduentus.* vbi etiam pertractans importunas preces illius, qui noctu amici pulsabat fores petens tres panes, cui demum propter improbitatem, vti Dominus loquitur, surgens amicus panes donauit. Luc. 11. ita concludit: *Vis intrare in regnum cælorum? esto violentus & improbus.* Nimirum orationi instando, vt sæpiùs monet Apostolus. Vides (ait S. Ambros. in 11. Luc.) quòd iste, qui media nocte petrexit, panes ab amico suo postulans, & in ipsa petendi intentione persistens, non defraudetur orans. Perseuerauit etiam Paulus ostium pulsans opportunè importunè: nec erubuit aliquid sæpiùs postulare; ne vel diffidere de Domini misericordia videretur, vel arroganter dolere, quod non prima prece aliquid impetrauerit. *Propter hoc* (inquit 2. Corinth. 12.) A *ter Dominum rogaui.* Et ostendit, quòd frequenter, ideò Deus non concedat oratus, quod inutilia iudicet quæ nos profutura eredamus. Hæc Ambros.

Matth. 11. Euseb. Emiss. Lucæ 11. S. Ambros. 2. Cor. 12.

Deus inutilia nobis denegat.

Monet igitur optimè D. Petr. Damian. *tractat. ad Dominicum cap. 6.* Ad semper victricia arma orationis pro studio recurre.

S. Petr. Dam.

Expende, quàm verè dicantur arma orationis, qoibus contra omnia tela hostium, & ærumnarum huius vitæ impetus muniti præliamur; & arma victricia; nemo enim non orando si persistat victor euadet; etiam regnum cælorum violenter diripiet.

Oratio munimus, & armat.

Sed qualisnam hæc violentia hominum, vt cælum expognent, & diripiant? Grandis quidem est (inquit S. Hieronym. *in Matth. 11.*) violentia in terra nos B esse generatos, & cælorum sedem quærere; possidere per virtutem, quod non tenuimus per naturam. sic ille.

D. Hieron.

Omnia quidem vincit humilis, & pia oratio. Quid plura? Præsens locus docet egregiè, quàm sint victricia orationis arma.

Victrix oratio.

Filium naturalem desiderabat Abraham, à Deo petierat, Deus promiserat: cæterùm, vt talis tandem nascatur, oportuit iterum Abraham precibus, votis, ac doloris significatione Deum compellare: quo filius Abrahæ non tam naturæ, quàm orationis partus haberetur.

Isaac filius orationis.

De hoc argumento plura eloquitur S. Hildebert. *Episto. 60.* vbi hæc adiungit.

S. Hildebert.

Cùm Dominus Abrahæ filium prædestinasset, ad suscipiendum tamen repromissum sibi filium, non nisi precibus & meritis Patriarcha per- C uenit Quod enim prædestinatur electis precibus & meritis obtinetur. sic ille. Quod autem cum precibus Abrahami dolorem illius coniungamus ex ipsiusmet verbis colligit S. Chrysost. Sic enim ait! Postquam merces tibi valde copiosa promissa est, exponit animæ suæ dolorem & tristitiam, propter prolis inopiam, quæ interim toto illo tempore in pectore eius fuit. sic Chrysost.

Oratio cum dolore ac lacrymis. D. Chrysost.

Mira vis est in dolore, ac lacrymis erga Deum, ad quælibet iusta tamen & vtilia postulata impetrandum; maximè verò ad veniam scelerum, qua nobis nihil salubrius, vtilius, & gloriosius condonatur. Lacrymarum etiam (inquit S. Gregor. Nazian. *Oration. in sancta lumina*) baptismus est; quo quidem ille tingitur, cui ipsæ quoque vitij cicatrices fætent. sic ille.

D. Gregor.

D Hoc se die, ac nocte baptismo proluebat pænitens ille, ac magister pænitentiæ, qui dicebat: *Laboraui In gemitu meo.* Psalm. 6. Vbi S. Gregor. *Laboraui*, id est studiosè egi, vt essem in gemitu, scilicet, vt quousque viuerem, gemendum mihi putarem. *in gemitu meo*: id est, modo mihi proprio. Nemini enim, sicut mihi ingemiscendum æstimo, quia præ omnibus me peccasse perpendo. Hæc ille.

Pænitentia Dauidis. Psalm. 6.

Ingemit, doletque peccator, vt Dei vindictam auertat: scit enim iratum, quem placare contendit. *Turbatus est* (inquit) *à furore oculus meus, &c.* quasi dicat: O Deus, (exponit S. Hieronym.) per quem supplicia mihi timeo præparata: turbata est mens mea & totum E cordis mei principale contremuit. Hæc S. Hieron.

D. Hieron.

Peccauit Dauid: at sese à conspectu Dei non auertit, vt plerique secundum Prophetam, qui dant scapulam recedentes. Adhuc oculos attollit in cælum, Dei faciem, quam peccando contempsit, atque irrisit, intuetur. Illius aspectu erubescit, contremiscit, perturbatur.

Zachar. 7. *Quidam à Deo recedunt omninò peccando.*

Hinc ad pænitentiam, & lacrymas se abiicit, atque ex timore Domini concepto spiritum salutis, & gratiæ parturiuit. Sequitur, *lacrymis meis stratum meum rigabo.* vbi S. Gregor. Rigat ergo (ait) lacrymis stratum suum, quia continuo luctu, & dolore carnis maculas diluit, & cordis duritiam imbre compunctionis emollit: vt sicut hortus recepta suaui plu-

Vis lacrymarum.

uia

uia euidenter germinat, ita caro lacrymarum fluentis rigata bonorum operum, & iustitiæ germen emittat. Ita Greg. Sultat igitur se peccator ante Dominum, & dicat animo contrito, & oculis in lacrymas resolutis, quod ibidem Gregor. apponit: Saluum me fac: tempus est, vt facias: nam ego laboraui in gemitu meo. Adest miser, adsit & misericordia, &c.

S. Gregor.

4. *Ego vadam absque liberis.*] Hebr. ואנכי הולך עדירי *Veanochi holec ghariri.* Ego vadens vel ambulans: & quia participio hoc præsenti vtuntur Hebræi pro indicatiuo, optimè reddi potest: *Ego vado, ego dimittor.* radix ילך *ialac*, vel הלך *Halac, ambulare, ire, vadere.* Quod aliquando idem est, atque mori, vita decedere: Sic Dominus ipse dicebat Luc. 22. *Filius quidem hominis vadit*; hoc est moriatur. Luc. 2. *Nunc dimittis seruum tuum in pace*; iubes nimirum vita decedere, siue mori. Quare ego vado sine liberis, & apud L X X. *Ego dimittor sine liberis*, idem omnino est, atque ego ingrauescente in dies ætate, & coniuge sterili ad mortē propius accedo, sine vlla spe prolis futuræ. Hebr. ghariri, à radice gharar. *Vnicus, sterilis*, hoc est absque liberis. S. Chrys. iuxta L X X. versionem egregiè vim verbi (*dimittor*) expendit ad hunc modum. Vide quomodo priscis illis seculis iustus ille philosophatur; dimissionem, siue absolutionem vocans ex hoc mundo discessum. Nam qui vitā honestè, & in virtutibus egerunt, quando ex hac vita emigrant, verè liberantur, & quasi soluuntur à certaminibus, & à vinculis relaxantur. Est enim mors his, qui benè viuunt, translatio quædam ad meliora: à momentanea vita ad perpetuam, & immortalem, finémque non habentem. Ita Chrysost. Hanc emphasim inuenit etiam S. Ambros. *ad 2. Luc.* in illis verbis Simeonis: *Nunc dimittis seruum tuum.* Vide (inquiens) iustum velut corporeæ carcere molis inclusum velle dissolui, vt incipiat esse cum Christo. Eleganter etiam ad eadem verba Simeonis, ita Beda: Vides iustos spe futuræ vitæ desiderium habuisse dissolui à corpore, imò pacis viam deputasse sarcinam deponere terrestrem. Et Psaltes, *Notum* (inquit) *mihi fac Domine finem meū, & numerum dierum meorū, quis est, vt sciam, quid desit mihi. Ecce veteres posuisti dies meos.* Psal. 38. Quibus absque dubio verbis aperit quàm maximum se præsentium calamitatum nacturum speret in fine solatium, quem tantisper aduenire desiderat. sic ille. Ac vitæ quidem humanæ breuior in dies cursus fit, & mors obuenit festinantior, ob eam fortasse rationem, quam S. Petr. Damian. *apolog. c. 33.* apponit his verbis. Ecce, qui de longinquo vocauerat, manum iam appropinquantibus porrigit: & quasi teneros filios vacillantibus nutantes poplitibus firmat, blandéque, ac leniter in gremium suæ claritatis inuitat. sic Damian. Ne quis existimet vitæ humanæ breuitatem, his præsertim seculis, prouenire ex supplicio Dei irati; cùm potiùs amantis, ac beneuoli patris signum sit euidentissimum. Non sinit enim bonus Pater, & nostri valdè amans, vti graui calamitatum pondere pressi diutiùs in vita laboremus. Quare properantiùs accurrit, sarcinam tollit ex humeris suorum, ac filios sibi charissimos in morte suscipit ad æternam quietem. Cura tamen est Abrahamo prolis, hanc expostulat non sine laude, vt voluit S. Ambros. sic edisserens *lib. 1. de Abrah. cap. 3.* Non diuitias, vt auarus, exposcit, non longæuitatem vitæ istius, vt meticulosus mortis, non potentiam; sed dignum quærit sui hæredem laboris. Discant ergo homines coniugia non spernere, nec sibi sociare impares; ne huiusmodi suscipiant liberos, quos hæredes habere non possint; vt vel transfundendæ hæreditatis contemplatione, si nullo contuitu pudoris mouentur, digno studeant matrimonio. Hæc Ambros. Et quidem peracutè præstringitur imprudentia pariter, atque impudentia eorum, qui abiectis sociantur coniugibus, vel, quod est summe detestabile, illegitimos ex pellicatu suscipiunt liberos, qui non parentum patrimonia, & virtutes hæreditario iure (quo prohibentur) accipiant & conseruent: sed illorum ignominiam & infamem recordationem apud posteros perpetuò cōtestatam tueantur. Idem Ambros. *lib. 2. cap. 8.* in mystico sensu prolem istam non carnis, sed animæ, non in filiis, sed in virtutibus agnoscit, ita inquiens: Sanctæ, & propheticæ menti cura maior posteritatis perpetuæ est; partus enim sapientiæ & fidei hæreditatem desiderat. Ecclesiæ sobolem desiderabat, eam successionem petebat, quæ non esset seruilis, sed libera; non secundùm carnem, sed secundùm gratiam. sic Ambros. Pater vtique fidelium Abraham, numerosissimam in fide, atque in sanctitate filiorum multitudinem exoptabat. Ideoque (adiungit Ambros.) huiusmodi responsum diuinum audiuit: *Respice in cælum, & numera stellas si potes, sic erit semen tuum, &c.* Itaque soboles ista non terrestris, sed cælestis erat. At iure quidem optimo dolet Abraham: Ego vado absque liberis, ego in mortem propero absque bonis, & sanctis operibus. *Orate* (ait Dominus) *ne fiat fuga vestra hyeme, vel sabbatho.* Matth. 24. Quem locum de morte cuiusque explicat S. Paulin. *Epistol. 21.* quæ est 2. *ad Amandum.* sic enim ait: Hoc est otio spiritualium negotiorum, & bonorum operum sterilitate. Sabbathum enim otiosum est, & hyems nuda nascentium. Non rigore pedes, non contractis auaritiæ gelu manibus; sed spiritu feruentes, & apertis refrigerio misericordiæ manibus furtiuus ille nos horæ nouissimæ superuenturus inueniat. sic ille. Et quidem sic infæcundum, sic ignauum præoccupari morte, extrema est infelicitas.

Luc. 22.
Luc. 2.
S. Chrysost.
Mors iustorum qualis sit.
S. Ambros. Luc. 2.
Beda.
Psal. 38.
Vita in dies breuior.
Petr. Dam.
Ex Dei clementia venit breuitas vitæ.
S. Ambros.
Damnatur spuria proles.
S. Ambros.
Successio & proles gratiæ.
S. Ambros.
Mors in bonis operibus.
Matth. 24.
S. Paulin.

5. *Et filius procuratoris, &c.*] Hebr. ובן משק ביתי *Vben mèxeq beibi.* Est autem hic locus ob vocem Hebræam subobscurus. Sunt qui dicant nomen esse proprium cuiusdā ancillæ Damascenæ Abrahami, sed multò satius & communiùs asserunt interpretes esse nomen appellatiuum. Quid verò significet, in quæstione versatur. Et quidem Hebr. משק *maxaq* non omnino certæ significationis est. Nam quibusdam est exire, vnde משק *mexeq* exitus: aliis est relinquere, vnde *mexeq* relictitium, aut ipsa derelictio. Quia verò illud מ *m* sæpiùs est seruile & adiectitiū apud Hebræos, potest non incongruè radix esse שקק *xaqnaq*, incedere pedetentim ire. His positis, optimè noster interpres vertit, *Procurator.* Erat enim Abrahamo seruus quidam, cui totius domus cura relicta erat; qui scilicet erat familiæ gubernator, procurator, œconomus, & (vt Latini appellant) atriensis: qui denique ibat, & redibat, & discurrebat per omnia officia, & negotia familiæ Abrahami; vertunt enim aliqui discursationem, aut egressionem. Deinde ambigitur, an ille sit filius procuratoris, an ipsemet procurator. Nam iuxta frequentissimum Hebraismum filius hominis, homo ipse dicitur; filius mendacij mendax ipse est: sic filius procurationis aut procuratoris est ipsemet procurator; cui sensui fauet Chal. legit enim, *Et filius gubernator iste, qui in domo mea est, ipse est Damascenus Eliezer.* Sed quid hæc vltima verba significent etiam in dubio est. Putant nonnulli hominem istum vocari Eliezer, & quia natus est matre Damascena ancilla

Abrahami; aut quia primus condidit Damascum vrbem: aut quia tunc Abraham in Damasco habitabat, appellari Damascenum. Ita Diodor. Gennad. & alij. Cæterùm Abul. Honcal. Delrio existimant nomen proprium istius famuli esse Damascum, filium scilicet Eliezeri, quod nomen ponitur in genitiuo casu. At re Damasco vrbe multiplex est controuersia.

S. Hieron.

S. Hieron. tradit ab isto Damasco famulo Abrahami conditam & nominatam vrbem. sic apud illum leges in *quæstion. Hebr. in Genes.* Quod alij tamen haud admittunt.

Dolet Abraham carere liberis.

Sensus igitur est: Careo quidem prole, atque ideò cogar Damascum istum famulum meum filium Eliezer adoptare in filium mihi, atque hæredem.

S. Chrysost.

S. Chrys. versionem LXX. secutus (vt Græci patres de more habent) ad hunc locum sic edisserit. *Filius Meseg vernaculæ meæ. &c.* Ingẽtem dolorem animæ eius declarant hæc verba, quasi diceret Deo: Neq; ea sum assecutus, quæ ancilla mea vernacula. Sed ego quidem abibo sine prole. Hic autem vernaculus meus hæreditatem accipiet, quæ à te mihi data est; idque cum à te sæpius promissionem acceperim. Ita Chrys. Dolet itaque Abraham, & plena doloris verba fatur. Quorsum verò?

S. Chrysost.

Vti nimirũ (ait S. Chrys.) misericordem Dominum sibi conciliaret. Enimuerò apposite dicitur

Psalm. 76.

Psalm 76. *Nunquid obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas?*

D. Hieron.

Vbi S. Hier. non potuit pulchriùs dicere. Quamuis se teneat, vt non misereatur, tamen vincit illum misericordia sua. sic ille.

Misericordia Deum vincit.

Vult enim Dominus aliquando nostris offensus sceleribus, dum miseri laboramus, dum opem diuinam imploramus sese continere, ne scilicet accurrat, opémque ferat; sed vrget tamen misericordia, & (liceat ita loqui) quasi cunctabundum, & repugnantem accorrere, ac misereri compellit.

S. August.

Inuenit (animaduertit ibidem S. August.) magnum consolatorem. In te, à te in alterum nulla est misericordia, nisi eam tibi Deus donet. *Nunquid obliuiscetur, &c.* Riuus currit, fons ipse siccabitur? Faciliùs ille iram, quàm misericordiam continebit. sic Aug. Igitur si aliquando in hominibus inuenitur misericordia, quæ ab ipso Deo tanquam à fonte deriuatur: quî fiet, vt Deus eam non exhibeat contritis corde, atque ore complorantibus? *Continebit*, legunt alij *claudet*, alij *obturabit*, nec enim vallis, & aggeribus etiam iræ, furoris iustæque vindictæ, sponte ac vehementer erumpens diuinæ misericordiæ fons concludetur. Vertitur etiam: *Num saltabit in ira super misericordias suas?* Sic enim in sublime assurgunt editæ moles ac montes misericordiæ Dei, vt eos transilire ad iudicandum præ iustitiæ zelo, quodammodo ipsi Deo arduum ac difficile esse videatur.

Deus ad misericordiam propensior.

Vel etiam: *Num subsiliit propter iram, quam habet contra me super misericordias suas, vt mecum non habeat commercium vti consueuerat?* Et quidem radix Heb. קפץ *quaphats*, est obturare, claudere, prohibere, saltare, & præterea non incongruè significat etiam præcidere, excidere. Quare qui misericordias Dei prohibebit, manus Dei præcidere dicetur.

Recreat afflictum recordatio diuinæ misericordiæ.

Ac diuinæ quidem misericordiæ recordatio mirandum in modum solet afflictos recreare, vti legimus de

Ion. 2.

Iona, qui haustus Balenæ faucibus intra cauernosos ventris recessus ita aiebat: *Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum.* cap. 2. hoc est

S. Hieron.

(exponit S. Hier.) cùm nullum aliud sperarem auxilium, recordatio Domini mihi saluti fuit.

Psalm. 76.

Memor fui Dei, & delectatus sum. Psalm. 76. Quidquid impossibile videbatur, Domini recordatione superatum est.

Ionas in ventre ceti.

Videbam me clausum in vtero ceti, & tota spes mea Dominus erat. sic Hier. Hæc scilicet est vnica spes miserorum, hoc solatium, scire ac meminisse Deum sibi esse propitium ac misericordem, qui non patietur nos afflictari, supra id quod possumus.

Spes afflictorum in Deo.

6. Commendat etiam S. Chrys. hoc loco modestiam, & patientiam Abrahami.

S. Chrysost.

Abrahæ dolentis modestia.

Doluit quidem ac Domino suum vulnus aperuit, non tamen impatienter, ac muliebriter de Deo conquestus est. Considera (inquit) iusti virtutem, quòd cogitationes in animo versans nunquam indignatus est, neque aliquid durum loquutus: sed & nunc instigatus verbis, quæ loquutus est ei Dominus, magna fiducia Dominum alloquitur, manifestámque facit internam cogitationem, ostendens animæ suæ vlcus. Ita Chrys. Profectò tam grauiter dolens ne verbum quidem vllum fecisset, nisi Domini voce ad loquendum prouocaretur. Patiuntur viri iusti, & quia carnei sunt, non sine graui sensu doloris affliguntur: sed eò mirabiliùs illorum commendatur patientia, quò constantiùs inter dolores, nec animo cadunt, nec virtutis locum deserunt.

Iustorum patientia in tribulationibus.

S. Hildebert.

Quin etiam (vt rem ipsam expertus dicebat S. Hildeb.) vnicum illis superest solatium, vsus ipse patiendi, &c. *Epistol.* 19. Et quidem nostra patientia in aduersis, etsi magnopere sit laudabilis; nihilominus quia (vt fert humana conditio) velimus, nolimus, multa nobis, dum viuimus, contraria sunt subeunda, aliquid de sua nobilitate idcirco amittit. At Christi Domini patientia summam obtinet palmam, eo quòd passus est Dominus, quia ipse voluit: atque, vt eleganter loquitur

S. Petr. Dam.

S. Petr. Damian. *tract. ad Dominicum cap* 6. Christus Dominus cuncta mundi furentis obstacula, non per districti examinis vltionem, sed per inuictam superauit inconcussæ patientiæ maiestatem.

Exemplum patientiæ in Christo.

Ita docuit, mundi rabiem potiùs æquanimiter ferre, quàm lædenti læsionibus respondere. sic ille. Ac diuinas quidem legenti & seriò expendenti scripturas apertum fiet non tam multa, neque tam illustria (in quolibet alio genere) virtutum exempla describi, atq; hominibus proponi, quàm istius in aduersis inuictæ patientiæ. Hinc meritò

S. Petr. Dam.

idem Petr. Damian. eodem *tract. cap.* 1. scripserat: Regina (inquiens) virtutum patientia cui nimirum cuncta deseruiunt volumina scripturarum: per eas enim ad exempla patientiæ planè prouocamur, vt

Consolatio ex sacra Scriptura.

Rom. 15.

dicitur ad Roman. 15. *Vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus, &c.* Ad quẽ locum Apostoli sic edisserit S. Hier. *Pax multa diligentibus legem tuam; & non est illis scandalũ,* dicitur

Psalm. 118.

Psal. 118. hoc est, qui consolatione legis vtuntur, moueri vlla tentatione non possunt, vt per exempla patientiæ, & consolationis eorum quæ scripta sunt, speremus consolationem etiam in præsentibus tentationibus. Magna enim causa solatij est, si quæ nos patiamur Dominum nostrum Iesum Christum, & Sanctos eius sciamus esse perpessos. Hæc Hier.

Patientia virtutum Regina.

Caiet.

Subtilis est hoc loco Caiet. obseruatio, quæ sic habet: In hac responsione Abrahæ ad Deum considera, quod in præteritis visionibus semper Abraham fuit auditor tantùm; in hac autem, & audit, & respondet, quod signum est profectus Abrahæ in vita spirituali. sic ille.

S. Chrysost.

Abraha in virtute progressus.

Nec id latuit S. Chrys. qui modestiam, & patientiam Abrahami considerans, vt paulò antè subiecimus, adiungit: Vnde & acceleratum accepit medicamentum, &c. nimirum diuinæ consolationis, qualem hactenus non habuerat. eò scilicet ascendit per scalam patientiæ, vt sanctior multò, & ditior meritis cum Domino tam familiare colloquium instituerit, & in ipso beneficium (quod summè desiderabat) prolis acceperit. Solet enim per patientiam

tiam in animis iustorum vehementius accendit charitas in Deum, pro quo patiuntur; atque adeò in ipsos inimicos, quorum iniuriis ac telis impetuntur. quo in argumento ita scribit S. Paulinus *Epistol.* 6. Memento granum sinapis, de quo semine sumus, si conteratur, accendi magis, & tunc demum in vim suam excitari. Quamobrem debemus quasi naturæ nostræ in hoc respondere, vt aduersis contriti inardescamus ad fidem; & eos ipsos, qui nos vt minimos hominum scilicet quasi granum sinapis (quod minimum est seminum) frangere conantur, vramus. Hæc ille. Qui autem sic in mediis tribulationibus per patientiam depuratur, ac splendescit; & charitate erga Deum & persecutores ipsos inardescit; profectò tam amicus, tam propinquus, tam similis Deo efficitur, vt ab eo nihil, quod expetat, non assequatur.

S. Paulinus.

Dilectio erga inimicos.

7. *Statimque sermo Domini factus est, &c.*] En qualem habemus Deum, quàm verè Patrem. Statim accurrit, nec sustinet diu suos in anxietate detineri. Vide (inquit S. Chrysost.) quomodò signanter scriptura loquitur. Statim ait: Non permisit iustum ad paruulum tempus ægrè habere; sed festinatam ei consolationem affert, & grauitatem mœroris emendat verbis, quæ nunc ei loquitur. sic ille. Dolentem se, cordéque attritum Deo suo præsentauit Abraham; at bonus Dominus adiutor est in opportunitatibus, quæ scilicet ad subueniendum optimæ sunt ipsæmet, quibus oppressi ingemiscimus, tribulationes. His quidem perpurgatur anima, vt purior euadens ex incude tribulationis purissima (vti sunt) Dei dona in se recipiat, maximè salutem animæ sempiternam. Hac de re sic perbellè scripsit S. Petr. Damian. *tractat. de Omnipotentia cap.* 17. Ille, quem Deus visitat in suis tribulationibus, gaudeat, & tentationis impactæ malleo, animæ suæ purgari rubiginem fiducialiter credat. Non enim est, vt ipse diabolus fingit terrendo, futuræ damnationis indicium, sed æternæ salutis potiùs argumentum. Ita Petr. Damian. At cur non statim mihi (dices) subuenit Dominus, quem iam pridem precibus, ac gemitibus fatigo? cur clamantem non exaudit? fortè (quod in primo tomo latiùs ostendimus) differt sua dona, vt diutiùs desiderata maiorem afferant, cum concesserit, voluptatem. Porrò etiam illa prorsus denegat. Id quidem in vtilitatem tuam, in Dei honorem, in proximi bonum. aliter ait Dominus: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ioan. 16. Roges quid sit petere in nomine Christi? mitto alia, hoc vnum ex Eusebio Emiss. *homil. super Missus est:* hoc loco satis erit. In nomine (inquit) Iesu non petit ille, qui contra Dei dispositionem, & contra suam vel aliorum salutem petit: imò qui taliter petit, contra hoc nomen petere non dubium est. sic ille. Atque vt eos, qui petunt, & non accipiunt consolemur; contra verò illos quibus & postulata, & gratuita Dei bona conceduntur admoneamus: statuendum est, quæcunque à Deo accipimus, non ad perniciem, sed ad salutem nostram donari, tametsi malè vtentes illa in malum conuertamus. In hac doctrina pulcherrimè sic philosophatur S. Hildebertus. Officiosissima est hominibus gratia Dei; & velut in eorum iurata obsequium, quibus hoc solum tribuit, ex quo boni sint, seu per quod boni fieri possint. quippe quicquid eis tribuit, aut virtus est aut instrumentum ad virtutem. sic ille *Epistol.* 31. Nihil scilicet nobis à Deo in perniciem nostram datur. Ea quidem fuerit fraus, ac maleuolentia Saulis, qui filiam Michol tradens Dauidi, quem oderat, aiebat: *Dabo eam illi, vt fiat ei in scandalum, & sit super eum manus Philisthinorum.* 1. Reg. cap. 18. Talia sunt inimicorum dona: Deus Pater humanissimus, quicquid largitur, ad nostram salutem disponit; at nos Dei donis, ac beneficiis contra Deum, & contra nos ipsos abutimur.

Citò Deus accurrit afflictis.

D. Chrysost.

Tribulatio fructuosa.

S. Petr. Dam.

Tribulatio indicium salutis æternæ.

Deus dona cur differt & denegat.

Ioan. 16.

Euseb. Emiss.

In bonum dat Deus.

S. Hildebert.

1. Reg. 18.

Abutimur Dei donis.

8. *Non erit hic hæres tuus, &c.*] Quasi dicat: Hoccine (ait S. Chrysost.) timuisti? Hoccine mentem tuam turbauit? Scias igitur, quod non erit hic hæres tuus, sed qui egredietur ex te. Ne tuam senectam, & Saræ sterilitatem cogites: sed eius, qui tibi promisit, potentiæ bene fide, & tristitiam ponens, consolationem, quæ tibi sufficiat, accipe; persuadéque tibi, quod hæredem habiturus sis, qui ex te nascatur. sic Chrysost. Itaque sensus est: Non erit hæres tuus, quem tu adoptare cogitas; sed quem gignes. S. Ambros. *lib. 1. de Abraham cap.* 3. emphasim quandam agnoscit in his verbis, vt legitima soboles commendetur. Ait enim: *Non erit hæres tuus hic, sed alter qui exierit de te.* Quem dicit alterum? Peperit enim & Agar filiũ Ismael: sed non ipsum dicit, sed dicit sanctum Isaac: & ideò addidit: *qui exierit de te.* Ille enim verè exiuit ex Abraham, qui legitimo coniugio procreatus est. Hæc Ambros. Apertè docens Ismaelem non fuisse legitimum filium Abrahæ; contrarium tamen inter doctores est certum, vt suo loco videbitur. Cæterùm ex mente S. Ambrosij intelliges filios adulterinos, quodammodo esse alienos, & non ex hoc, vel illo patre exiisse; fœtus enim sunt peccati ad quod patrandum non ratio humana, non virtus; sed effrænis concupiscentia, & diaboli malitia instigauit. Iccircò apud Hebræos spurij, nothíque dicuntur filij alieni; alieni verò in genitiuo casu, hoc est filij viri, qui non est maritus, verúsque pater. Quem enim meretrix, aut adultera, quæ se pluribus venditat, aut thori fidem non seruat, suæ prolis verum patrem certò assignabit? Ita Iudæi à veritate, fidéque Dei sui degenerantes filij dicuntur alieni Psalm. 17. Isaiæ 1. *adultera generatio.* Matth. 12. Vel etiam colliges (fuit enim Agar vera, & legitima, dispar tamen coniux Abrahæ) filium ex abiecto, ac vili coniugio susceptum quodammodo non videri natum ex patre illo longè nobiliore. Dedecet autem hominem primarium cum ignobili vxore copulari. Sequitur: *Sed qui egredietur de vtero tuo, &c.* Hebr. ממעיך *mimmeghecha, de vtero tuo.* מעי *meghi.* Interanea membra, vti sunt, cor. hepar, pulmo, renes, lumbi, vterus. Itaque verti optimè posset, *de visceribus tuis.* Atque vterus huiusmodi tam de viro, quàm de fœmina dicitur: vti Psalm. 109. de Patre in diuinis: *Ex vtero ante luciferum genui te.* Psalm. 131. de Dauide: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Quo sensu filij dicuntur fructus ventris Luc. 1. *Benedictus fructus ventris tui.* De mulieris vtero sermo est. Admirabili tamen ratione supra omnem naturam Christus Dominus dicitur fructus ventris B. Mariæ, hoc est, vt verbum ipsum Hebraicum sonat, intimæ substantiæ, ac viscerum illius. Eo quòd non aliundè aduecto semine, sed virtute Spiritus sancti intra ipsamet viscera illibata semper Virginis purissimæ conceptus est Dominus IESVS. Fuit quidem hoc miraculum in orbe vnicum; nec enim aut tota naturæ facultas tale quid potest efficere, aut simile aliud diuina omnipotentia, vel anteà operata est, vel in omnem æternitatem operabitur. Non omittam referre, quod scribit S. Petr. Damian *lib. de Omnip. cap.* 12. hisce verbis: Intra Romana mœnia celebris fama vulgatur: quòd Romulus, qui conditor vrbis asseritur, cuius parietinæ licet semirutæ, ex magna adhuc parte cernuntur in hanc vocem,

D. Chrysost.

D. Ambros.

Filij illegitimi.

Iudæi dicuntur illegitimi.

Psalm. 17.

Isaiæ 1.

Matth. 12.

Vxor ignobilis dedecet nobilem.

Vterus etiam de viro dicitur.

Psalm. 109.

Psal. 131.

Lucæ 1.

Christus Virginei ventris fructus.

S. Petr. Dam.

Romuli vaticinium de partu Virginis.

quasi de firmamento operis eruperit. *Certum est & immobiliter fixum, quia nisi Virgo pepererit, domus ista non corruet.* Sic ex gentilis hominis lingua, sicut rei, probauit euentus, egressa est prophetia. Nam nocte qua saluator ex Virginali aluo processit, sicut dicitur, palatium corruit. Hæc ille.

Euseb. Emiss. B. Maria post partū purior Virgo. Meritò igitur à S. Eusebio, Emiss. *homil. super Mis. sus est*, vocatur B. Maria, castitatis & munditiæ Mater. Etenim licet antea Virgo fuerit admirabili pudicitiæ integritate immaculata; post conceptum tamen, & natum Filium, cum Mater extitit, longè purior & sanctior effecta est. Hinc

Euseb. Emiss. illud piè, & verè à S. Eusebio Emiss. adiungitur ad illa verba Angeli, *Aue gratia plena:* Aliis ad mensuram gratiæ dantur: hæc autem gratia plena dicitur, quæ sola Mater Dei fieri meruit. Magna & ineffabilis gratia est, vt vna ex tantis millibus eligatur: quæ cum gratia plena sit, priùs quàm & concipiat, & pariat, post conceptionem & partum quanta Dei abundauit gratia quis cogitare possit? sic Eusebius. Denique vt cum Abrahamo commentarium concludamus: animaduertendum est promissionem prolis à Deo factam Abrahæ, gradatim processisse. Primò enim semen illi Deus

Genes. 13. promisit & quidem innumerabile. Genes. 13. Sed an esset futurum semen Abrahæ naturale, an adoptiuum, in dubio relictum est. Deinde hoc loco Dominus hanc dubitationem sustulit, promittens filium de vtero, & substantia intima Abrahæ. Verum adhuc restabat sciendum, num filium illum naturalem ex Sara sua charissima coniuge, an ex alia suscepturus esset; quam perplexitatem cap. 17. infrà diluet in tertia promissione, vt ibi vi-

Probatur virtus Abrahæ. debimus. Itaque quod Dominus Abrahæ daturus tandem erat, paulatim multis, & variis promissionibus pollicebatur; vt nimirum hac ratione serui sui fidem, spem ac longanimitatem exerceret, & illustriorem redderet; atque adeò habiliorem vti à Deo susciperet filium non tam Isaac, quàm in ipso Christum Iesum. Nam (vt hic ob-

S. Ambros. seruat S. Ambros. *cap. 3. lib. 1.*) per Isaac legitimum filium, illum verum legitimum possumus intelligere Dominum Iesum Christum, quem in principio Euangelij secundum Matthæum Abrahæ filium legimus, qui verum se Abrahæ gessit hæredem, auctoris illuminans successionem. Hæc Ambros. Igitur ad accipiendam talis filij promissionem oportebat vti Abraham ingentibus virtutum augesceret incrementis.

SECTIO IV.

Eduxit eum foras, & ait illi: Suspice cælum & numera stellas, si potes. Sic erit semen tuum.

1. **E**Duxit eum foras.] Apparuerat Dominus Abrahamo in suo tentorio. Ibi naturalem sobolem promiserat; cuius erat ille valde cupidus & solicitus. Qua de re præced. sect. disseruimus. Alteram deinde prolem multò sublimiorem, atque illustriorem, quæ non sub tecto, intrà angustos tentorij limites esset occultanda, & circumscribenda, promissurus hominem foras in apertum cælum, & campum educit; ac sponte sequentem hominem Deus ipse præit. Deus enim est, qui vocat hominem, & à seculo abducit, à domo, à patria, à cognatione, à seculi viris. Hoc

Rupertus. ipsum significari putat Rupert. in his verbis; vbi Deus Abraham è domo foras educit ad contuendum cælum. Profectò (inquit Abbas) pro eo, quòd

A educenti foras & dicenti: *Egredere de terra, & de cognatione tua,* ille obediuit; cælum pro mercede magna nimis parabat illi, & omnibus, quicunque exemplo eius sequuntur educentem foras, & dicentem singulis: *Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* Erunt enim omnes sicut stellæ cæli. sic ille. Magna profectò virtus, mirandúmque opus ab homine præstatur in obsequium Dei, cum pro illius amore res humanas valere iubet; ac spretis mundi blanditiis totum se tradit seuerioris vitæ studio, vt pauper pauperem Christum sequatur. Præiuit Dominus extra castra pergens, ac suam baiulans crucem, religiosis inclamans: *Venite post me; relinquite mundum, & suspicite cælum, quod vobis paratum est.* Nulla enim (ait S.

Obedientia merces.

Psalm. 44.

Religiosorum virtus, & laus.

B Hildebert. *Epist. 1.*) hinc ad superos via compendiosior. eò facilè peruenies, si tamen exoneratus incedes. Porrò animus ipse sibi sarcina est, donec & sperare desinat, & timere. sic Hildebert. Enimverò, qui mundo nuncium remittens ad Christi crucem aduolauit, non habet amplius quid vel speret, vel timeat à mundo, quibus sperandi, ac timendi secularia, & bona, & mala solicitudinibus miseri homines, mundi mancipia, discruciantur, & contabescunt. At est hoc opus arduum carni. Est planè. Sed spiritui, cuius est potior habenda ratio, facile, ac suaue. Monet igitur ibidem Hildebertus amicum religiosæ vitæ addictum: Intra fines (inquiens) virtutis totum te collige: quod & vitam tuam cum natura non deliberes,

S. Hildebert.

Spes & timor mundi cruciat.

S. Hildebert. Spiritus habenda ratio non carnis.

C minus attendens, quid caro possit, quàm quid spiritus velit. Hæc ille. Quia verò per tentorium, ac domum Abrahæ seculum modò intelligimus cum Ruperto, ex quo nos Dominus foras educit, vt cum illo nihil habeamus commercij; meminerit religiosus vir affectu pariter & corpore sese à secularium familiaritate abducere, inter quos non lucra fiunt, sed dispendia virtutum. Optimè in hanc sententiam ita scribit S. Petr. Damian. *apolog. de cont secul. cap. 33.* Indignum censeamus visitationis nostræ frequentia, qui de nostra glistit triumphare ruina. Inimicitias mentis ipsa quoque testetur absentia corporis: nec crebrò mereatur ille discursus, quorum fœdare consueuit obtutus. Hæc Damian. Ah quàm certum id est, & quoti-

Religioso fugiendum à secularibus.

Petr. Dam.

D diana experientia comprobatum: quā intra claustra religionis pietatem animi obseruamus, & synceritatem cordis ac sensuum retinemus; si fortè ad seculum prodimus, & incauti versamur, omnem penitùs exuimus. Mundus enim in maligno positus est, & luto, sordibúsque totus scatet: videntibus multa cùm vana, tum turpia obiecta, quibus animi etsi alioqui puri, ac religiosi, aut omnino, aut saltem aliquantulùm polluuntur. Non habet religiosa mens in seculo, quibus alatur. Ergo (adiungit Petr. Damian.) relinquatur fames seculi fastidientibus conuiuium Dei. Nos autem illas didicimus epulas, quæ & famelicis satietatem cum incunditate tribuunt, & tamen satietatis nesciunt fastidium generare. Ita Damian.

Perniciosum religioso seculum.

S. Petr. Dam.

Fastidiū Dei.

E Contrà verò etiam ad locum præsentem docetur vir pius, ac religiosus, vt aliquando tabernaculum suum relinquat, vbi cum Deo familiariter ac dulciter solus cum solo agit; foras exeat in obsequium Dei, & proximorum salutem. Oportet enim ex præscripto Dei à contemplatione ad actionem prodire: quod est sequi Deum præeuntem, qui suos amicos educit foras interdum, sed ad cælum contuendum, hoc est, ad maiores in Dei famulatu quæstus faciendos. Id quidem videtur contigisse Moysi, quando in spelunca reclusus vidit posteriora Domini transeuntis. Exod. 33. Exod. 33.

Contemplatio & actio.

Quid

S.Greg.Nyss. Quid hoc enim est aliud (explicat S.Greg. *Nyss. de vita Moys.*) quam: Veni, sequere me? Qui autem sequitur non faciem, sed tergum aspicit. Docetur igitur Moyses desiderans Deum videre, quomodo potest Deus videri. Sequi enim Deum corde atque animo semper quocumque ducat, id ipsum est Deum videre. *Quid sequi Deum?* Etenim transitus ille Dei ducem esse Deum sequentis significat. Dux igitur præeundo sequenti viam monstrat; qui autem sequitur, tunc à recta via non aberrat, cum semper ducis tergum respiciat. sic Nyss. Nec timendum viro iusto est à malorum hominum consortio, si Dei præcepto foras exeat è suo tabernaculo, si Deum sequatur præeuntem: non enim semper bonorum mentes à malorum consuetudine inquinantur: vti habet illa egregia sententia S.Paulini *Epist.* 12. his verbis: *S.Paulin. Bonus inter malos lucet.* Non vt in liquoribus vno calice confusis, ita in hominibus eodem loco mixtis, si discrepent meritis, boni suauitas amaritudine mali venenatur. Contráque euenit, vt peccator iusto compositus magis sordeat, & peccatore conlato magis iustus eluceat sic Paulin. Itaque sæpè vir iustus inter improbos, vt nocte sydera, illustriùs emicat, & improbus inter bonos, turpior ac deformior demonstratur.

Cælum stellatum suspicitur. 2. *Suspice cælum, & numera stellas, si potes.*] Nox erat, sudum ac serenum cælum: stellæ, si vnquam aliàs, tunc maximè renidebant. Iubet ergo Dominus Abrahæ, vt oculos in altum eleuet, atque in cæli micantia lumina defigat obtutus; deinde contemplatus seriò ac sedulò picturatum stellis orbem adnumeret, si possit, omnia illa, quæ noctu conniuent, astra inerrantia octauæ nimirùm sphæræ affixa. Vult igitur Dominus ostendere, quàm sit innumerabilis astrorum multitudo, quippe quæ non ab homine comprehendi potest. qua similitudine infinitæ cuiusdam numerositatis, quæ à solo Deo supputari possit, sæpius vtitur diuina Scriptura. sic Dauid Psalm. 146. de Deo loquens *Psalm. 146.* adiungit: *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Sic Moyses ad Hebræum populum, Deut. cap. 10. *Deuter. 10.* *Multiplicauit te Dominus Deus tuus sicut astra cæli.* Sic Hierem. 33. *Hier. 33.* *Stellarum multitudo.* *Sicut enumerari non possunt stellæ cæli, & metiri arena maris; sic multiplicabo semen Dauid serui mei.* Neque verò solùm diuini scriptores, sed etiam Philosophi ethnici innumerabilem astrorum multitudinem agnoscunt. *Aristotel.* Etenim Aristotel. *libr. de mundo ad Alexandrum*, & 1. *de cælo text.* 6. docet astrorum numerum à mortalibus iniri non posse. Quod similiter scripserat Plato in Timæo: & *Plato. Seneca.* Seneca *lib. 6. natur. quæst.* stellarum numerum inueniri posse negat. E nostris verò doctoribus plerique diuinam scripturam, ita vt sonat, de hac innumerabili multitudine sydérum intelligunt. Inter quos est S.Basil. *homil. 6. super Genes.* Euseb. *de præpar. Euang. lib. 7. cap. 5.* maximè verò S.August. *S Basil. Eusebius. S.August.* ita scribit *lib. 16. de Ciuit. cap. 23.* Stellæ dinumerari non possunt, quia nec omnes eas videri credendum est. Nam quantò quisque acutiùs intuetur, tantò plures videt. Vnde & acerrimè cernentibus, aliquas occultas esse meritò existimatur: exceptis iis syderibus, quæ in aliqua parte orbis à nobis remotissima oriri & occidere perhibentur. Postremò quicunque vniuersum stellarum numerum comprehendisse, & conscripsisse iactantur, sicut Aratus, vel Eudoxus, vel si qui alij sunt, eos libri huius contemnit auctoritas. Hæc Aug. Cæterùm Astrologorum sententia percelebris est, *Qualis stellarum numerus.* non plures esse stellas in cœlo, quàm mille viginti duas; quod & suis experimentis contestatum esse affirmant. At quid respondeant diuinæ veritati: Sunt qui dicant sacram Scripturam loqui iuxta morem, & opinionem vulgi, cui apparet numerus infinitus astrorum, qui tamen post tam artificiosam ac diligentem obseruationem Astrologis notus est, ac præfinitus. Præterea dici posset stellarum quasdam esse visu insignes, & notabiles, quarum numerus traditur ab Astrologis, alias verò esse minùs aspectabiles, quæ humani visus aciem prorsus effugiunt, easque esse innumerabiles. Vide si placet hoc loco Bened. Per. & *tom. 1. lib. 2. 9. 8. in Genes.*

3. Sciendum est autem bis factam Abrahæ à Deo promissionem de semine illius, ac sobole futura: & quidem cap. 13. *Faciam semen tuum sicut puluerem terræ*, hoc autem loco comparari stellis cæli, *Abraha duplex semen promittitur.* quin etiam hic promitti semen naturale illis verbis: *Qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis hæredem:* deinde futurum simile stellis. Haud dubiè intelligitur vna soboles, vnumque semen naturale in quo tamen summa erit disparitas, qualis inter puluerem terræ, & stellas cæli intercedit. Sic enim explicat Rupert. Hic duo (inquiens) Deus *Rupert. Natura & gratia disparitas.* repromittit, naturam videlicet, & gratiam, vnius eiusdémque seminis: dicendo enim: *sed qui egredietur de vtero tuo, &c.* semen definit, quod habiturus sit, scilicet non per adoptionem, sed per naturæ proprietatem: subiungendo: *Suspice cælum, &c.* cælestem præsignat gratiam & gloriam, qua clarificandum est idipsum semen. Dixit superius: *Faciam semen tuum sicut puluerem terræ*, quia videlicet non omnes, qui terram illam possessuri erant, stellis comparandi erant, neque numerandi sicut stellæ cæli apud illum, de quo veraciter dicitur: *Praedestinati stellis significantur.* *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Psal. 146. sed multiplicandi erant super *Psalm. 146.* numerū pulueris, terramque amaturi potiùs, quam cælum. sic Abbas. Itaque vtrobique promittitur Abrahæ posteritas; sed illic prænotantur, qui in ea terrestres, &, vt vocat Apostolus, animales, atque instar pulueris à Dei gratia & gloria dispellentur in ignes sempiternos: *Reprobi puluere significantur.* hic autem per stellas cæli, quibus similes perhibentur, iusti, sancti, atque adeò in cælo regnaturi ex semine Abrahæ significantur, quales Apostoli, Prophetæ, aliique propè innumerabiles: inter quos duo lumina clariora, Sol nimirùm, & Luna, collucent, Deus homo Christus Iesus, & Dei hominis Mater semper *Iesus Sol. Maria Luna.* Virgo Maria. Pulchrè S.Euseb. Emiss. *homil. super Missus est*, de nomine suauissimo Virginis ita lo- *S.Euseb. Emiss.* quitur: Maria stella maris dicitur, huius vtique de quo scripserat: *Hoc mare magnum, & spatiosum, &c.* *S.Maria stella maris.* Plures stellas habet cælum, mare vnam quæ illis omnibus clarior, & melior est, quæ hunc talem ac tantum Solem peperit mundo. sic ille. O felix, cui hæc nostri maris stella affulget & arridet! Hoc eodem sensu ita S.Ambros. *lib. 1. de Abraham cap. 3.* *S.Ambros.* Per Iesum Christum, qui filium se, & *Christiani stellis significantur.* verum Abrahæ gessit hæredem, Abraham respexit in cœlum, & splendorem posteritatis suæ agnouit non minùs illustrem, quàm stellarum cælestium fulget claritas; quomodo autem Abrahæ propago diffusa est, nisi per hæreditatem fidei, per quam cælo comparamur, conferimur Angelis, æquamur stellis? Hæc Ambros. At sunt, qui non vnum duobus in locis semen Abrahæ promissum intelligunt; sed illic populum Iudæorum, carnale semen; hic autem adoptiuum, & fidele Christianorum. In quam sententiam ita disserit Rabbanus: *Rabbanus.* Duplex figura promissi seminis Abrahæ: Vna in similitudinem arenæ maris, seu terræ pulueris; altera in similitudinem stellarum cæli ostensa est. Hic ergo educens Deus Abraham foras ostendit illi

illi stellas cæli, dicens: *Sic faciam semen tuum*: id A est Christianam gentem, cuius tu pater in fide subsistes, sic faciam resurrectionis gloria coruscare.

Iudæi puluere, & arena significantur.

Supra cap. 13. demonstrauit illi arenam maris, seu terræ puluerem, & dixit: *Sic erit semen tuum*. Hoc est, erit qoidem copiosa gens Iudæorum, sed sterilis & infœcunda sicut arena maris. sic ille.

Procop.

Luculenter Procopius in hoc eodem significatu, vtrumque locum scripturæ sic ioterpretatur. Hic semen fortassis describitur secundi testamenti, quod comparatur astris cæli: quia illi, qui admissuri sunt testamentum secundum, acturi siot vitam piam, eorúmque ciuitas futura sit cælum ipsum. Supra veteris testamenti semen demonstrauit, ídque contulit arenæ, quia sequantur terrenum legis cultum. Ita Procop. Itaque omnes B vtriusque legis fideles dicuntur filij Abrahæ. Cæterùm prior lex ac testamentum significatur per terram, illiúsque sectatores pulueris symbolo insinuantur: at posterior lex gratiæ, nouum Christi testamentum vocatur cælum, & in Euangelio sæpiùs regnum cælorum: Christiani autem, qui legem gratiæ obseruamus, sicut stellæ in cælo ita in Ecclesia recensemur.

S. Ambros.

Hoc est enim (ait S. Ambros. *lib. 2. de Abraham cap.* 8.) quod credidit Abraham, non solùm multitudinem populorum in Christum credentium, sed etiam cælestis gratiæ splendorem, & resurrectionem vitæ immortalis soboli Ecclesiæ deferendam. Hæc Ambros.

Christiani fide non vita.

Proh quantum Iudæo præstat Christianus: legi Moysis, gratia Christi! sed quanta impietas, quanta barbaries, quàm turpis dementia hominem Christiana fide cœlum effectum, vitiorum turpitudine, terram, lutum, stercus fieri.

4. Hæc terræ, ac cæli tam magna inæqualitas spectari etiam potest ob dispares in vtraque lege promissiones:

Terra bona Iudæorum.

Tertullian.

In prima quidem bona terræ: in secunda verò regnum cælorum in præmium proponitur. Hinc illud Tertulliani *lib. 3. aduersus Marcionem, cap.* 24. In multitudinem arenæ promittitur, ad instar quoque stellarum destinatur. Nonne & terrenæ, & cælestis dispositionis auspicia sunt? Idem *lib. 4. cap.* 34. de hac posteriore promissione sic ait:

Cæli bona Christianorum.

Promisit Deus semen Abrahæ velut stellas cæli futurum, vtique ob cælestem promissionem. sic ille.

S. August.

Hoc etiam argumentum disertissimè pertractat D. Aug. *lib. 4. contra Faustum, cap.* 2. vbi sic infit: Temporalium quidem rerum promissiones veteri testamento cótineri nemo ambigit: & quod æternæ vitæ promissio, regnúmque cælorum ad nouum pertinet testamentum: sed in illis temporalibus figuras fuisse futurorum, quæ implerentur à nobis, dicit Paulus 1. Corinth. 10.

1. Cor. 10.

Hæc omnia in figura contingebant illis. Non itaque spes nostra in temporalium rerum promissione defixa est, quandoquidem, nec ipsos illius temporis sanctos Viros, Patriarchas, & Prophetas, hisce rebus terrenis fuisse deditos, credimus.

Patrum lingua & vita prophetica.

Intelligebant enim reuelante sibi Spiritu Dei quid tempori illi congrueret, & quibus modis Deus per illas res omnes gestas, & dictas, futura figuranda & pronuncianda decerneret: magísque desiderium eorum de nouo testamento erat: sed præsens functio corporalis, ad significanda bona ventura pollicitationibus veteribus præbebatur. Ita illorum hominum non tantum lingua, sed & vita prophetica fuit. Carnalis autem populus promissis vitæ præsentis inhærebat. Hæc Aug. Itaque bonorum temporalium promissiones fiebant à Deo in veteri testamento, sed tamen per figuras, & symbola bonorum spiritualium, ac cælestium, quæ in lege gratiæ fidelibus promittuntur. At dices: An non etiam A Christianus populus opibus, & honoribus mundi potitur? Planè in vtrisque nulla gens in terra gloriosior.

Christianorum opes, & gloria.

Cæterùm nobis commendatur a Domino: *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis*. Matth. 6.

Matth. 6.

Profectò maiores nostri, quorum gloria nunc illustres habemur, affectu isto suo Christiano, & opes, & honores a Deo promeritos nobis reliquerunt: vtinam & auitam fidem ac pietatem simul acciperemus. Hanc prudentiam in cupiendo, & eligendo Salomon habeit admirabilem, vnde regum felicissimus haberi meruit.

S. Paulin.

Salomonis petitio.

Quod ita S. Paulin. *epistol.* 10 disertissime ostendit: Salomoni, quia sapientiam petere elegisset, etiam cæteras opes, quas non poposcerat, hoc ipso quòd non desiderauerat, contulit Dominus, B remuneratus bonum intellectum, quo infimis ille summa prætulerat, minora maioribus sopposuit. Ita Salomon meruit possessor omnium opum fieri, qui esse summarum petitor elegerat: quo quidem omnes exemplo admonemur sapere, cum docemur eligere. Minora enim maioribus, & summis infima bona id est terrena cælestibus anteponentes in pœnam stultæ cupiditatis, omni carebimus summo simul, atque infimo bono: & illa iustè non accepturi, quæ non desiderauerimus, & istis meritò defraudandi, quorum amore noxio potiora neglexerimus. Hæc S. Paulin.

Terrena dantur cupienti cælestia. Negantur terrena cælum negligentibus.

Fortasse cóplures iuxta hanc doctrinam miseri, atque inopes vitam trahunt infelicem in pœnam suæ cupiditatis, terrenis quidem inhiant toto animi studio: ac C de regno cælesti nihil omninò curant.

Deo chari qui iusti sunt.

Et quidem Dominus Abrahæ significauit sobolem iustorum innumerabilem, quibus cælum, vti syderibus, distinguetur: sed & splendorem & gloriam illorum voluit prædicere: quid enim est apud Deum iustorum choris gloriosius? Id quidem ex interpretatione Ruperti, qui sic effatur:

Rupert.

Nec verò pro sola multitudine, vel numerositate, sed & pro differenti claritate dixit: *Sic erit semen tuum, &c.* erunt omnes *sicut stellæ cæli*, id est, multi quidem sed certa multitudine numerati: ideóque suis nominibus vocati, & noti, vt habetur Psalm. 146. sic ille.

Soli iusti numero censentur.

Vtique à Deo vocati & numerati: soli enim iusti ante Deum digni sunt, qni in numero computentur. At quî fieri potest, vt qui sumus filij iræ, & peccato- D res coram Deo (omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei) tam prodigiosa quadam metamorphosi ex puluere, luto, ac sordibus terræ, in stellas cæli commutemur? Præstat hoc miraculum Christus Dominus per pœnitentiam.

Pœnitentiæ metamorphosis.

Psal. 146.

D. Hieron.

sic enim Propheta cecinit Psal. 146. *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum*. Hoc dicitur (explicat S. Hieron.) de iis qui agunt pœnitentiam. Sequitur: *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat*. Sed quæ consequentia, *& alligat contritiones eorum*, & *numerat multitudinem stellarum*? scilicet quando sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum, illos, qui ante contriti fuerant, & postea sanati, vertit in stellas. Multi enim fuerant, qui peccauerunt, multi sunt, qui curati E sunt.

Pœnitentes versi in stellas.

Qui numerat multitudinem stellarum, non numerat vulneratos, sed eos numerat, qui iam in stellas versi sunt. Non numerat Deus, nisi qui numero eius digni sunt. Hæc Hier. Vide admirabilem virtutem pœnitentiæ, quæ homines reformat in stellas cæli, quam quia cælestes Angeli qoi peccarunt, agere non potuerunt, è cælo in barathrum præcipitati, de Angelis in dæmones sunt commutati.

Angelorum impœnitentia.

D. Hieron.

Addit igitur S. Hieron. Videte differentiam rerum. Angeli in terram corruunt, homines ad cælum vadunt.

5. *Suspice cælum, & numera stellas, si potes.*] Loquitur

tur Dominus ad Abraham. Profectò eadem verba facit vnicuique nostrum, *Suspice cælum.* Siquidem

S.Bernard. *Suspirandum nobis ad cælum.*

(ait S.Bernard. *sermon. de S. Martino*) respirandum est nobis, & nullatenus desperandum, donec in terra adhuc interim constituti, & suspicere cælum possimus; & suscipere data optima & dona perfecta desursum a Patre luminum, a Patre spirituum, à Patre misericordiarum. Nam & propterea ôs homini sublime dedit, vt attollens ad sydera vultus illicò suspiret. Vbi tam beatam & perennem conspicit mansionem. sic Bernard. Suspice, ô homo cælum, numera stellas, si potes, tot enim ora, & linguas habet, quibus enarrat gloriam Dei.

Stella Magorum. S.Ambros.

Vnam stellam Magi viderunt (inquit S.Ambros. *in 2. Luc.*) & non solùm in terra, sed etiam in cælo gratiam noui hominis requirebant. Deum hominem in terra natum, & homines in cælum vocantem stella cæli demonstrat. Stabat igitur (inquit S.Euseb. Emiss. *homil. de Epiphan.*) stella illa supra vbi erat Puer, vt Matth. 2. scribitur. Stabat stella, & clamabat. Habet enim linguam suam. Sic autem loquebatur Magis, sicut istæ stellæ loquuntur nobis. Significando igitur loquebatur. Sed quid significabat? quid dicebat? audi: Hic est Puer, hic est Mater Pueri; hîc eum quærite, hîc eum inuenictis; hic in paruo corpusculo latet, qui vbique est, & omnia replet. sic ille. Audierunt ergo stellam clamantem Reges, & stellæ obedientes angustum illud terræ foramen intrauerunt, ac procidentes adorauerunt Puerum in sinu Matris.

Euseb. Emiss. Matth. 2. *Stella significando loquuntur.*

Euseb. Emiss. *B. Mariæ gaudium in aduentu Magorum.*

C

Quanta tunc tibi (adiungit idem Euseb.) exultatio fuit ô Virgo beatissima Maria, quando eum, quem nuper genueras, iam quasi Deum adorari videbas? Suscipe munera Filij tui, suscipe tributa quæ ei soluuntur, & quæ aliis tributa soluere veneras, ipsa ab aliis tributa suscipias. Hæc Euseb. Vide quantum suis fidelibus etiam in hac vita Dominus præstare soleat. A Nazareth in Bethleem venit beatissima Dei Mater, vt Cæsari pauculum pecuniæ tributum penderet. Paruit Regina cæli tyrannico imperio hominis propter Deum: ergo eodem loco vbi vectigal paruulum soluit, à tribus regibus grandes auri, thuris, & myrrhæ thesauros vti Regina accepit. Nunquam scilicet pro Deo contemptus non est gloriosus; & quælibet iactura non est quæstuosa.

Iactura pro Deo quæstuosa.

D

Suspice cælum, iubet Dominus, vt laborandum, & sudandum meritò nobis sit pro tam pulchro cælo, quod oculis contuemur. Id enim (ait Apost 2. *Cor.* 4.) quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt. Hæc Paul.

2. Corint. 4.

Seruat quidem (vt vult S.Hieronym.) metaphoram stateræ. Nam si in vna bilance ponantur & bona & mala huius vitæ; nihil leuius; vt fumus omnia breui deficient: si in altera verò reponantur bona & mala vitæ alterius, profectò immensum habent pondus; vt quæ summa & æterna sint.

D.Hieron. *Bona huius, & alterius vitæ ponderanda.*

E

O si manibus quotidie hanc stateram tractaremus, quàm recto iudicio statum omnem nostræ vitæ ponderaremus! O si æterna illa fixis animorum oculis contemplaremur! Etenim (vt hîc benè obseruat S Hieronym.) de visibilibus, nec bonis, nec malis mouemur; quia vtraque finiuntur. S. August *in Psalm.* 93. hæc eadem verba Pauli expendens, multa digna suo ingenio, & pietate profert: pauca huiusmodi colligam. Noli esse piger laborare breuiter, & gaudere incessabiliter. Quanto labore digna est requies, quæ non habebit finem? Si ve-

D.Hieron. D.August.

A

rum vis comparare, & verum iudicare, æterna requies æterno labore rectè emitur. Verum hoc est; sed noli timere: Misericors est Deus. Si enim haberes æternum laborem, nunquam peruenires ad æternam requiem. Ergo, vt aliquando peruenias ad id quod emis, non in æternum laborandum est; non quia non valet tanti; sed vt possideatur quod emitur. Digna est quidem labore emi perpetuo: sed necesse est, vt labore temporali ematur. Hæc August.

Emendū laboribus cælū.

Tribulationum quidem nostrarum pretium & merces est regnum ipsum cælorum: quod per patientiam emitur, ac possidetur; quæ licèt leues, breues, ac ferè nihili sint, æternum tamen, & immensum gloriæ pondus, hoc est bonorum omnium fastigium, elucrantur.

B

Optimè igitur concludit August. Ecce (inquiens) quantum pretium damus, quodammodo vnam siliquam ad accipiendos thesauros sempiternos; siliquam laboris ad requiem incredibilem. sic August.

S. August.

Non minùs appositè colligit hinc etiam S.Prosper *in sent.* hanc doctrinam. Christiano causa rectè gaudendi non præsens seculum: sed futurum est, & ita est vtendum temporalibus, ne obsint æternis: & in via per quam peregrini ambulant hoc placeat, quod ducit ad patriam: Sic ille.

D.Prosper. *Christiani gaudium de futuro.*

6. *Sic erit semen tuum.*] Præcipuè adoptiuum, & Christianum, multitudine comparatum stellis; in quo scilicet omnes terræ nationes, ac gentes numerantur; de omnibus enim ac singulis vsque ad finem mundi ingredientur Christi Ecclesiam in-

C

numeri fideles. deinde magnitudine genus Christianum cum cælo atque illius syderibus confertur: *Nulla est enim gens tam grandis, quæ habeat Deū sic appropinquantem sibi.* Deute. 4. *Deus enim noster nobiscum manet vsque ad consummationem seculi.* Matth. 28.

Christiani generis encomia. Deuter. 4. Matth. 28.

Quid autem maius, aut sublimius homini potuit euenire, quàm vt corpore & sanguine Dei sui alatur, fiatque per diuinam istius epuli communionem particeps diuinitatis Christi? Nihil homini ad voluptatem dulcius, nihil homini ad terrorem dæmonum efficacius. Iure optimo in hanc sententiam scribit S.Petr.Damian. *ad Blanc. Comit. cap.* 3 Christi (inquiens) corpus & sanguinem in ore carnis crebrius suscipe; vt hanc eius vocem meritò possis audire: *Fauus distillans labia*

S. Petr.Dam.

D

tua sponsa; mel & lac sub lingua tua. Cantic. 4. Terretur enim aduersarius, cum Christiani labia videt Christi cruore rubentia. Agnoscit enim præsto suæ perditionis indicium: & diuinæ victoriæ, qua captiuus est & obtritus, non tolerat instrumentum. Sic Petr. Damian.

Cantic. 4. *Eucharistia terret dæmones.*

Quàm ergo vita sublimes, splendidi moribus, ac cælestes spiritu sint oportet sacerdotes Christi, qui corpus Domini, & sanguinem ore conficiunt, ac manducant, & manibus versant, populóque fidelium distribuunt! Magnitudinem istius muneris & sanctitatem illi debitam probè nouerat S.Paulin. eum ad sacerdotium euectus scripsit *Epist.* 6. *ad Seuer.* his verbis: Iam arcanis & penetralibus Dei summi receptum me video, & insertum, communicare cælestia; &

Sacerdotij dignitas. D.Paulin.

E

Deo propiùs admotum in spiritu Christi & corpore, & splendore versari; vix adhuc intellectum sacræ molis capio mentis angustiis, & onus muneris mei (conscius infirmitatis) horresco. Hæc Paul. bellè dicitur sacerdotium sacra moles; & qui (bone Deus!) sub illa non concidunt, humeri & genua labant! Non minùs pulchrum illud: In sacrosancta Eucharistia versari hominem, cum spiritu, corpore, & splendore Christi: atque ex Dominici corporis communione, nobis enasci spiritum, hoc est vitam spiritualem: & vere summum Christi splendorem, & Christianæ Ecclesiæ honorem.

Sacerdotij onus.

Eucharistiæ fructus.

norem esse diuinam Euchatistiam. Luceant igitur vt stellæ in cælo, sic in Ecclesia Christi sacerdotes. Dicitur etiam genus Christianum cælo, ac stellis persimile propter altitudinem; eius enim caput Christus præcelsus præ regibus terræ. Psalm. 88. Nullus quippe honor regibus maior accedit, quam ex eo, quòd seruiant Christo Regū Regi supremo; quod grauissimis verbis de præclarissimo Imperatore Theodosio S.Paul. *Epistol. 9.* ita contestatur: In Theodosio, non tam Imperatorem, quam Christi seruum; non dominandi superbia, sed humilitate famulandi potentem; nec regno, sed fide principem prædico. Hæc ille. Quinimò *Christus Dominus excelsior est cælis factus.* ad Hebr. 7. atque adeò (quod nobis summum beneficium confert) *consedere nos faciet in cælestibus.* ad Ephes. 2. Non modò inquam stellas nos faciet, sed stellas ipsas nostris calcandas pedibus cernet. Non enim possumus (inquit eo in loco S. Hieronym.) desperare, quod nostra iam possidet natura; quia vbi caput est, ibi erit & corpus, sicut ipse ait: *Volo vt vbi ego sum, & isti sint mecum.* Hæc ille. Denique non suam solam gloriam quærens, illius etiam nos efficier participes; sumet enim nos ad seipsum, vt vbi ipse est, & nos simus. Ioan. 14. Denique dicitur cæleste semen propter æternitatem gloriæ, & splendorem resurrectionis; quæ omnia Christiano populo Christus Dominus sæpenumero promisit. Planè in cælesti regno fulgebunt iusti sicut sol in conspectu Dei: atque ipsum regnum Christi, nouum scilicet cælum, sanctis velut stellis ac luminibus distinctum multò, quàm quod oculis intuemur, splendidius irradiabit in perpetuas (vt loquitur Daniel. cap. 12.) æternitates. Hanc legis gratiæ, aduentus Christi, & immortalitatis futuræ lucem admirabilem reuelauit & promisit Dominus Abrahæ, vt paulò ante nu. 3. retulimus ex D. Ambros. & ipsa canit Ecclesia in Missa defunctorum his verbis: *Signifer sanctus Michael repræsentet eas in lucem sanctam, quam olim promisisti Abrahæ & semini eius.* Et quidem Lyran. Abulens. Delrio, & alij arbitrantur hoc loco factum illud esse quod Dominus retulit dicens: *Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum, vidit & gauisus est.* Ioan. 8. Putant enim hunc diem fuisse tempus passionis, & resurrectionis Domini, quo humanæ redemptionis opus completum est, ac cæli claustra hominibus patuerunt. S August. *tracta. 43 in Ioannem* (quæ sententia communior est inter Doctores) diem Christi accipit, pro ipsius incarnatione, & natiuitate, quam Deus reuelauit Abrahamo: neque verò cælum & stellæ, quæ Abrahæ ostenduntur, ad incarnationis Dominicæ mysterium detegendum non appositè congruunt. Quod enim (ait S. Petr. Chrys. *serm. 144.*) concipit Virgo, non terrenum germen est, sed cæleste. Est quidem Christus verus homo, verè, ac propriè natus de muliere, sed dicitur cælestis, imò & cælum ipsum, tum propter diuinitatem, tum etiam, quia humana illius conceptio, & natiuitas omnem superat naturæ legem, ac modum. Addit ergo pulcherrimè idem Chrysolog. Virgo peperit: sed Deus suscepit Filium; ergo qui de hac natiuitate humano modo disputat, ad omnem tendit tanti Genitoris iniuriam. sic ille: Tam cælestis, & gloriosa est Christi humanitas de Virgine matre assumpta, vt ipsa Verbi diuini gloria nuncupetur à Ioanne: sic enim ex ipso colligit idem Chrysol. *serm. 145.* Ioannes dicit: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius.* ca. 1. Ioannes vidit gloriam, respicit infidelis iniuriam. *Gloriam eius*, cuius eius? Qui natus est de Spiritu sancto. Qui Verbum caro factum est. sic ille: *Vidimus gloriam eius.* Qualem gloriam? (inquit S. August.) qualis factus est Filius hominis, &c. S. Chrysostomus gloriam Christi intelligit passionem Domini. Sic enim differit ad verba Apostoli: Non enim miraculorum gratia Christum dumtaxat admiramur, sed & passionis. Siquidem in his ipsis, quæ probris & ignominia plena esse videbantur, ipsum rursus Verbum clarissimum apparuit; hoc Ioannes gloriam appellauit.

Psalm. 88.
Seruire Christo iam est regibus.
S. Paulinus.
ad Hebr. 7.
ad Ephes. 2.
D. Hieron.
Christiani semen caleste.
Ioan. 14.
Daniel. 12.
Abraham vidit diem Christi.
Ioan. 8.
S. August.
Natiuitas dies Christi.
S. Pet. Chrys.
Virginis partus calestis.
Humanitas Christi est gloria Verbi.
S. Pet. Chrys.
S. August.
S. Chrysost.
Passio Christi gloria.

SECTIO V.

Credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Dixítque ad eum: Ego Dominus qui eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram istam, & possideres eam. At ille ait: Domine Deus, vnde scire possum, quod possessurus sim eam?

1. CRedidit *Abram Deo.*] Hebr. והאמן ביהוה *Vehe'emin baihouah.* Verbum est in *hiphil*, *credidit: ipsum est in Deo.* Imò si coniugationis vim sequaris, vertes: *Fecit credere in Deo*, vt etiam legit Caietan. Sensus autem est (inquit) quod Abram fecit se ipsum credere in summo Deo, vt significetur, quòd voluntariè credidit Deo. Non dicit autem Moyses credidisse Abram Deo; sed in Deo: hoc enim plus est. Nam credere Deo est fidem habere verbis eius, vt veracibus: credere autem in Deo, addit insuper fiduciam in Deo. Itaque non solùm Abram credidit vera fore Dei promissa sibi data, sed etiam innixus est Deo, ac se totum proiecit in eum, certissimè sperans adimpleturum eum quæcunque promiserat. Hæc ille. Similiter Chald. habet: *Credidit in verbo Domini.* Cæterùm etsi Caiet. aliique Theologi *lib. 3 senten. d. 23.* post D. August. *tract. 29. in Ioann.* & sæpius alibi; differentiam credendi Deo, & credendi in Deum, vel in Deo agnoscant, & celebrent, nihilominus ex proprietate linguæ Hebr. & modo loquendi ipsius scripturæ, nullum in his modis credendi discrimen est. In quam sententiam eruditissimè scripserunt ex nostris Ribera *in cap. 1. Ioan. num. 29.* & Perer. ad hunc locum Genes. Quare quod Latini dicunt credere alicui, Hebræi prorsùs in eadem significatione proferunt credere in aliquo, & in aliquem, & in nomine, aut in verbo, siue in nomen, aut verbum alicuius. Bona tamen est, & ad vsum Theologicæ doctrinæ accommodata distinctio illa S. August. & Theologorum, licet ex Hebr. lingua, & ex modo loquendi scripturæ, nec ortum habeat nec fundamentum. Ac fides quidem Abrahæ credentis Deo eximia illa, & magnifica tot ac tantorum bonorum promissa non satis laudatur à Patribus. Etenim, (vt rectè obseruat S. Hilar. *lib. 10. de Trinit.*) de omnipotentia Dei fides religiosa non ambigens humanæ infirmitatis non est detenta impedimentis, sed diuinæ sponsionis fidem vltra modum corporeæ institutionis excepit; quia nequaquam Dei virtutem lex possit humana moderari: tantum in efficiendo potestatis Deo promerere, quantū in spondendo ostenderat voluntatis. Hæc & alia S. Hilar. Donum quidem Dei eximium est fides: iustè autem exigitur ab homine, & exhibita Deo magnam solet mercedem elucrari: captiuat enim homo intellectum in obsequium fidei; & humanam rationem prorsùs deponit, vbi fides contrarium edicit. Bonum est enim, (ait S. Ambros. *lib. 1. de Abraham cap.*

Caietan.
Credit in aliquo Hebraismus.
Caietan.
S. August.
Ribera.
Perer.
Fides commendatur.
D. Hilar.
Fides nō eget ratione.
D. Ambros.

cap. 3.) vt rationem præueniat fides, ne tanquam ab homine, ita à Domino Deo rationem videamur exigere. Etenim quam indignum, vt humanis testimoniis de alio credamus, Dei oraculis de se non credamus? Imitemur ergo Abraham: vt hæredes simus terræ per iustitiam fidei, per quam ille mundi hæres factus est Sic Ambros. Gloriatur

Vincit naturam fides.

Apostolus, sed io Domino tamen, quòd pugnauerit armis fidei contra mundi sapientes; & eorum arces, ac propugnacula, hoc est, humanas rationes, quibus se tuebantur aduersùs Christi fidem, tandem expugnauerit; solóque æquatis munitionibus captiuum duxerit humanum intellectum in Christi obsequium.

2. Corin. 10.

sic enim ait 2. Corinth. 10. *Arma militia nostra non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Hæc Apostol.

D. Anselm.

Captiuat autem (declarat S. Anselm.) intellectum, qui contradicentem ratione vincit, & ad fidem Christi humilem, ac mansuetum inducit. sic ille: Humana mens si naturam sequatur ad mysteria fidei cæcutiet; & quod peius est, arrogantiæ supercilio inflata Deo audebit resistere. Vocat Apostolus altitudinem extollentem se aduersus scientiam

D. Hieron.

Dei. Quid enim (occurrit S. Hieron.) tam superbum, quam diuinis contraire doctrinis? sic ille. Hæ igitur vanitatis, & superbiæ aduersus Dei veritatem elatæ munitiones, fide Christi depriC muntur, cum intellectus humanus in obsequium fidei captiuatur, more scilicet captiui, ad nutum Domini se totum effingens. Ac mihi quidem videtur hæc tam celebrata fides Abraham non de promissione bonorum temporalium, imò nec de semine carnali haberi, nam licet laudem mereretur, quòd ea omnia promittenti Deo crederet: non tamen illa promissio erat tanti momenti, aut in eius adimpletione tanta inerat difficultas, vt omnibus seculis prædicabilis hisce de rebus fides Abrahæ celebretur. Quid igitur credidit? Respon-

S. Ambros.

Abraha fides de incarnatione Verbi.

det S. Ambros. Christum sibi per susceptionem corporis hæredem futurum. Vt scias quia hoc credidit, Dominus ait: *Abraham diem meum vidit, & gauisus est. Ideò reputatum est illi ad iustitiam*, quia rationem non quæsiuit: sed promptissima fide credidit. Hæc Ambros. Itaque præclara & omni æuo spectabilis extitit fides Abrahæ, eo quod firmiter, & indubitanter credidit futuram Dei incarnationem, quod ex semine suo nasciturus esset Deus homo. Atque adeò accepta huiusmodi reuelatione exultauit, vt videret diem Christi: *Vidit & gauisus est*, Ioan. 8. Exultauit (dicitur) vt gaudium accipientis beneficio donantis quodammodò

Ioann. 8.

responderet. Est enim exultatio ingens quoddam hominis gaudium, quod præ magnitudine sua intra limites animi contineri non potest; sed foras erumpens festiuis corporis motibus, & sensuum, ac membrorum gesticulationibus exprimitur. Igitur Abraham sciens Deum ex suo corpore, & carE ne hominem nasciturum, quem animo vehementissimè diligebat, corporis etiam plausu, & lætitia gestiens celebrabat venturum, & videre iam factum hominem flagrantissimo desiderio cupiebat. Admiranda fuit Abrahæ fides de Incarnatione humana Verbi: sed multò sublimior, & mirabiliùs prædicanda fides Apostoli Ioannis de processione Diuini Verbi à Patre. Per illam meruit Abraham longè aspicere venturum in carne Deum: per hanc

Fides S. Ioannis de Trinitate.

S. Ambros.

Ioannes meruit suo in sinu præsentē ipsum Deum hominem dulciter sustinere, ac fouere. Persuasum enim mihi est, quod scribit S. Ambros. variis in

A locis (vt iam primo tom. adnotauimus) non modo Ioannem in sinu Domini, sed ipsum Dominum in sinu Ioannis sæpenumero recubuisse. Sic autem ait Ambros. *serm. 18. de Epiphan.* Ioannis Euange-

S. Ambros.

listæ sinum, vt in eo accumberet, libenter Dominus elegit. Sinus ergo, in quo Christus requiescit,

Christus requiescit in sinu.

cælestium virtutum operatione colligitur. Nam Christi sinus erat in Ioanne Euangelista fides; in Deo Patre diuinitas; in Maria matre virginitas. ibi sinus Christo est, vbi habitaculum est virtutum. Hæc Ambros.

2. *Reputatum est ei ad iustitiam.*] Verba hæc nonnihil habent difficultatis propter Hebræum fontem, qui sic habet hodie. ויחשבה לו צדקה *Vaiachxebeha lo thedaquah.* Et imputauit illud ei iuB stitiam, verbum est חשב *chaxab*, in tertia persona futuri actiui. Sed quia apud Hebræos non semel præteritum actiuum ponitur quasi deponens pro passiuo, vt noster Ribera colligit ad *cap. 13. Osea,*

Ribera.

nu 23. reputanis hoc loco, idem est, atque *reputatum est.* Quem Hebraismum sapienter & doctè interpretantes Apostolus *ad Rom. 4. & ad Galat. 3.* Itémque Iacobus *cap. 2.* & anteà LXX. ἐλογίσθη demúmque noster interpres vertunt: *Reputatum est.* Sed quæ nam persona verbi יחשב *iachsceb?* ambiguum redditur ob illam vocem *lo*, quæ significat tam illi, quam sibi; non est enim apud Hebræos vsus nominum reciprocorum; vti est apud Latinos, qui propterea distinguunt hæc duo, *reputatum est illi, & reputatum est sibi.* Quare dubium est,

C an Abraham reputauerit sibi, an Deus illi iustitiam. vtrumque enim verti potest. Quod si legas: *Abraham credidit Deo, & reputauit sibi iustitiam,* hic fiet sensus: Etsi, quod Deus Abrahæ promisit, esset iuxta rationem humanam incredibile, & iuxta naturam impossibile; nihilominùs reputauit Abraham se iustum & prudentem fore, si Deo

Fides summa iustitia.

promittenti fidem haberet; Deus enim mentiri non potest, nec impossibile est apud Deum omne verbum. Nihil igitur (inquit S. Hilar. 10. *de Trinit.*)

D. Hilar.

fide iustius est; nam cum æquitas & moderatio, in actibus humanis sit probabilis; nihil tamen homini iustius est, quàm omnipotentiam Dei, indefinitæ potestatis intelligentia credidisse. Hæc Hilar. Cæterùm quia ex versione Apostolica, &

D vulgata & LXX. atque adeò Chald. passiuè intelligendum est, vtique etiam in Hebræo חשב *chaxeb* ad Deum pertinet, sitque iste sensus: *Deus reputauit illi iustitiam*, & passiuè *reputatum est hoc illi iustitia*, siue *ad iustitiā* videlicet, quia Abraham supra omnem rationem humanam, & naturæ difficultatem credidit Deo summa quædam pollicenti; propterea Deus tam eximiam hominis fidem illi ad perfectæ iustitiæ laudem, & meritum imputauit. Iustitia enim hoc loco, vt etiam in multis aliis, non capitur pro illa ex virtutibus cardinalibus; quæ suum cuique tribuit: sed pro perfecta virtute, à qua iusti & boni nuncupamur. Et radix quidem Hebr. *cadàq*, iustificare, & sancti-

Iustitia pro sanctitate.

ficare significat. Sed quid? hæc fides primò iustifi-E cauit Abraham? Non ita quidem. Iustus enim iam erat, & valdè familiaris Deo, multáque & ingentia merita, ob suam obedientiam, pietatem, aliáque opera virtutum comparauerat: sed hoc tam feruentis fidei actu insuper meruit à Deo, vt ex iusto fieret iustior, ex bono melior; ex perfecto perfectior, iuxta illud: *Qui iustus est, iustificetur adhuc.* Apoc. 22. Proinde stulti sunt hæretici, qui suum

Apoc. 22.

Credulitas hæreticorum impugnatur.

illum errorem, sola fide primam iustificationem obtineri, ex hoc loco volunt confirmare. Ineptiunt miseri: non enim hîc de prima iustificatione Abraham agitur; quasi verò hucusque ille peccator, &

Deo

Deo inimicus ac vna sua fide in Deum iustus efficeretur. Talis esse solet hæreticorum doctrina: vana, & sine fundamento, & homini, vel leuiter docto plane ridicula. Nec minor impudentia hominum stultorum; qui ex hoc etiam loco colligunt simile aliud dogma, nos iustos esse per solam imputationem, qua de re nihil in præsentia, vt patet, stabilitur. Contra istos pseudoprophetas egregiè disputant ad hunc locum Perer. *disp.* 3. & 4. & Bellar. *lib.* 4. *de iustif. cap.* 18. & plures alij. Optimè hîc adnotauit Rupert. *Credidit* (inquiens) *Abram Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.* Et rectè fides iustitiæ meritum habet; nam è contra sine fide esse, iniustitia summa est. sic ille. Sunt ergo summè iniusti hæretici, qui nec Deo, nec eius Ecclesiæ credunt; quin etiam Deo, & eius Ecclesiæ omninò contradicunt. At nobis, quàm Abrahamo, (inquit hic S. Chrys.) multò maiora bona promissa sunt; ergo magna alacritate præparemus nos ad virtutis agones, vt & promissis bonis frui possimus, & ne præferamus saluti nostræ, & tantis bonis momentanea; neque cogitemus labores virtutis: sed retributiones in mente ponamus. Sufficit enim bonorum spes, vt etiam pericula contemptim aggrediamur: quantò magis vt virtutis labores fortiter feramus. Hæc ille. Ne verò quis eleuet dictis gloriam fidei Abrahæ, ostendit Philo Hebr. *lib. Quis rer. diu. her.* quàm sit difficile credere Deo. sic inquit. Difficile est soli Deo credere renitente sensu, natura, ipsaque etiam ratione prauis opinionibus occupata. Nimirum res mortales, quibus circumdati sumus, suadent nobis, vt credamus, & fidamus ipsis, & ne certa incertis, præsentia futuris commutemus, neque spem (vt aiunt) pretio emamus. Has persuasiones penitùs ex animo eluere, nulli creaturæ fidere, sed in solo Deo omnes suas spes, & opes habere collocatas: ex eóque totum mente, animóque pendere, res est animi magni, & cælestis. Et quamuis id iustissimum sit; insipienti tamen vulgò admirandum videtur. Hæc Philo. *Iacta igitur, ò quisquis fidelis cum Abraham Deo seruis, super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* Psal. 54. Deficit inter nos ista fides Abrahæ firma, & syncera in Deum; ac proinde tam cælestibus, quàm etiam terrenis caremus bonis. Quo in argumento luculenter versatus S. Petr. Dam. *Apolog. de c. ntemp. cap.* 8. hæc subiungit. Nos certè minimæ fidei, compellimus Christum esse tenacem. Nempe pusillanimorum diffidentia facit pauperem Christum, at plena fides diuitem illum, & largum in exhibendis muneribus experitur. Satage tantum in his te exercere, quæ iussit, & nulla prorsus ex his maneat dubietas eorum, quæ promisit. Sic ille. Bona quidem omnia desursum sunt a Patre luminum. Vult illa Dominus magnificè suis fidelibus, vt promisit, elargiri. Fidant illi, sperent, seruiant Domino, quia verax est in promisso, & in factis abundans. Si diffidant, si desperent, iniuriam Deo faciunt, illum aut mendacem arguunt, aut infirmum, & inopem contemnunt.

Peret.
Bellar.
Rupert.
Summa iniustitia hæreticorum.
S. Chrysost.
Virtutis præmium.
Philo.
Soli Deo fidendum.
Psal. 54.
Diffidentia priuat Dei beneficiis.
S. Petr. Dam.

3. *Ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorum, &c.*] Ad roborandum in fide, ac spe certa promissionum Deus homini ad memoriam reuocat, qualem hucusque illius gesserit curam. Ego (inquit) qui nunc tecum loquor, sum ille ipse Deus. qui te à patria euocaui, iussi Chaldæam, & Mesopotamiam relinquere, venirèque in terram Chananæorum, vt in ea te magnificum, illustrémque redderem, atque illam tuo semini possidendam, concederem. Esto igitur bono animo, ac te in spem erige; Deus sum, qui toties hac eadem repetita

A promissione te excitaui. Hunc sensum huius loci proprium elicit S. Chrys. his verbis: Vide quomodo fidem illius corroborare velit, & persuadere copiosis argumentis de his quæ nuntiata sunt: quasi diceret: Memor esto, quod ego te a domo tua euocaui. Itaque reminisci eum facit, quantam ab initio eius curam gesserit, declarans ei quod volens eum ad magna prouehere, tanta videlicet præmittendo, & implendo, tantum itineris transire fecerit. Num te (inquit) absque causa illinc euocaui? Num frustra & in vanum te illinc eduxi? propter hoc ego iussi, vt te in Palæstinam conferres, vt eam possideas. Cogitans igitur quantis fruaris nunc per meã prouidentiam ex quo Chaldæam reliquisti vsque in præsens, & quomodo

B clarus es factus; & per meum subsidium, & curam tui quotidie clarior euadis; confide & meis dictis. Ita Chrysost. Duo quidem colligo ex hisce verbis Domini: primum scilicet, quam sedulam, iugem, solicitam, ac paternam curam Deus hominis gerat. In hac cogitatione defixus aliquando Regius Vates exclamauit: *Domine, quid est homo: quia innotuisti ei: aut filius hominis, quia reputas eum?* Psal. 143. Vbi S. August. Quid est (explicat) homo, quoniam tanti eum pendis? Et quanti eum pendis, tanti eum æstimas, pretiosum quiddam esse ostendis. sic ille. Et Psalm. 8. dixerat: *Quid est homo, quia memor es eius: aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Quasi verò homo non sit putredo, & filius hominis vermis? Mira dignatio, & verè magna dilectio

C charitatis: ait S. Bern. ad hæc eadem verba *serm.* 12. *in Qui habitat.* S. Aug. egregiè vim verbi *visitat* expendit ad hunc modum. Visitat filium hominis, cui sub protectione alarum suarum posito prætendit misericordiam; & in lumine suo lumen præbet: & eum deliciis potat, & inebriat vbertate domus suæ ad obliuiscendas ærumnas, & errores præteritæ conuersationis. Sic Aug. qui per filium hominis intelligit hominem (ait) nouum, quem pœnitentia parturit cum dolore & gemitu. Mira plane Dei nostri prouidentia est. Deus enim (inquit S. Petr. Damian. *lib. de omnip. cap.* 2.) intendit singulis, tanquam vacet ab vniuersis; & intendit vniuersis, tanquam vacet à singulis. sic ille. Plenus hac in Deum suum fiducia dicebat idem Pro-

D pheta: *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi.* Psal. 39. Attendit nimirum (exponit S. Aug.) mihi, id est, consolando attendit, vt mihi prodesset. sic ille. Certus etiam de tam paterna, dulcique prouidentia Domini, pressus bello carnis (quo nullum periculosius) clamabat: *Intende in adiutorium meum, Domine Deus salutis meæ.* Psalm. 37. vbi optimè S. Hier. Dominum affatur: Ergo (inquiens) quia graues sunt pugnæ carnis, tu Domine intende in adiutorium nostrum, & esto nobis salus in tempore tribulationis, &c. Caiet. legit: *Festina auxilio meo.* interpretatus verò, Hæc petitio (ait) tendit ad accelerationem auxilij diuini; periculum enim est in mora. sic ille. Alterum, quod ex verbis Domini ad Abraham colligo, est: Deum se osten-

E dere Abrahæ memorem eorum, quæ promisit, & fidelem in cõpletione promissorum. Verax Deus, & fidelis est, imò ipsamet veritas; nulla in Deum nostri cadit obliuio, à quo & capilli capitis nostri omnes numerati sunt, qui suis in manibus descriptos nos habet: qui quicquid operatur, in nostram dirigit vtilitatem. Nihil est enim (ait S. Hildebert. *Epist.* 33.) qood vacet, quod homini sit inutile; nisi homo ipse. Nulla ei mentio de se, nulla cura pro se, nulla reuerentia in se; omnia in suum congregat iudicium omnium Deus. Copiosè puniri procurat, cui frustrà procurantur opifices

S. Chrysost.
Memoria beneficiorum Dei excitat hominem.
Deus de homine solicitus.
Psalm. 143.
S. August.
Psal. 8.
Quanti hominem Deus facit.
S. Bern.
S. August.
Nouus homo per pœnitentiam.
Mira Dei prouidentia.
Petr. Dam.
Psalm. 39.
S. Aug.
Psalm. 37.
S. Hieron.
Dei auxilium in tentatione carnis.
Caiet.
Dei prouidentia erga hominem.
S. Hildeb.
Homo sibi inutilis.

A fices ad virtutem. sic ille. Pulchrè, nihil inutile homini, quàm homo ipse; cætera enim omnia in illius salutem disposita sunt; solus ipse semetipsum despicit, in exitium volens, & videns voluntarium se præcipitat. Nullus autem est nostrum, cui Dominus sua beneficia non reuocet

Memoria beneficiorũ Dei.

sæpius in memoriam: creauit enim nos, redemit, conseruat, gubernat, & innumeris quotidie fouet miserationibus. Cur ergo non repetat homo: *Misericordias Domini in æternum cantabo?* Psalm. 88.

Psalm. 88.
Theod.

Rectè hoc loco Theod. animaduertit: Qui diuinam (inquiens) misericordiam efflagitant, misericordiam celebrant: & qui pollicitationum veritatem videre desiderant, eam omnes posteros docere promittunt. sic Teod. Multum enim Deum

Gratitudo erga Deum.

B obligat, qui misericordiam illius prædicat, qui veracem, ac fidelem illum contestatur, qui se beneficiis illius gratum & iugiter memorem exhibet. Hoius Psalmi titulus est: *Intellectus Ethan.* vbi

D. August.
Spes in Deo roborat.

sic D. August. Interpretatio nominis hoius robustum indicat. Et nemo in hoc seculo robustus est, nisi in spe promissionis Dei: quantum enim attinet ad merita nostra, infirmi sumus: quantum ad eius misericordiam, robusti sumus. Hæc August. Sed cauendum homini, ne Domini misericordias obliuiscatur, ne misericordias in iudicia, pœnásque conuertat, ne quò plura à Deo accipit beneficia, plura in se concitet arma, tædásque flammarum ad gehennæ incendium sempiternum.

Ingratus sibi nocet.

4. *Vnde scire possum? &c.*] Rursus Abraham verba illa dulciora, teneriorúq; repetens Deum suum

C familiarissimè alloquitur: אדני יהוה *Adonai, ichouib.* quæ superiùs expendimus. Heb. habet במה *Bammah*, in quo, nimirum in quo signo. Moris erat antiquis patribus petere à Deo signa, non quòd dubitarent de verbis Domini aliquid supra naturam promittentis; alioqui fides Abrahæ nec laudaretur, nec reputaretur ad iustitiam: sed ad maiorem rei promissæ firmitatem, ac subinde ad vberiorem sui consolationem. Atque in hac petitione Abraham prætulit modestiam, & humilitatem discipuli magnum quidpiam à Magistro audientis; quod tamen, quia propriam ruditatem confitetur, clariùs, atque expressiùs inculcari, edocerique precatur. Quem sensum ita colligit S. Chrys.

Abrahã doceri vult à Domino.
S. Chrysost.

D Non vt incredulus (ait) hoc interrogo, sed quia mihi terræ possessionem nominas, volebam & crassius, atque clarius signum accipere, quod possit infirmas meas cogitationes solidare. Ita Chrys. Neque verò displicuit Domino ista responsio Abrahæ: imò quia modesta, & humilis; actutum est beneficio donata. Vnde sic optimè adiungit idem Chrys. Quid igitur bonus Dominus? morem gerit suo famulo, & volens eius corroborare animam, quoniam vidit confitentem suam imbecillitatem, & credentem quidem promissioni, cupientem autem certiora quædam argumenta accipere; dicit ad eum, &c. Hæc Chrys. Ac tantus vir, tanto diuinarum rerum splendore illustratus, colloquiis familiarissimis cum Deo assuetus adhuc inscitiam suam fatetur; scilicet nouerat hac

S. Chrysost.
Deus roborat fidẽ Abrahæ.

E vna humilitatis via hominem ad Deum certò, ac tutò accedere, nec in cælum intromitti, atque exaudiri orationem, quæ secum non prætulerit humilitatem. In hoc argumento egregiè interpretatur S. Paulin. parabolam Pharisæi superbi, & Publicani humilis in templo orantium. Sic enim infit: *Camelus* (dicit Dominus Matth. 19.) *faciliùs per foramen acus transibit, quàm diues intrabit in regnum cælorum.* Itaque Publicanus ille (Luc. 18.) in corde detrito semetipsum accusans Deo, & pectus afflictum crebra manu tundens, & oculos

Oratio humilis auditur
S. Paulinus.
Matth. 19.
Lucæ 18.
Publicani & Pharisæi dispar oratio.

A concupiscentiæ pudore depressos in cælum leuare non audens, iniquitate illa vitiorum dorso cameli æmula ita se in humilitatem debitam strinxit, & resipiscenti animæ complanatione direxit, vt se foramini acus, hoc est, viæ verbi, vel crucis, quæ arcto tramite ducit ad vitam, diuinarum aurium penetrator insereret. *Oratio enim humiliantis se penetrat nubes.* Ecclesi. 35. quã contra ille iactantiæ suæ spiritu diues Pharisæus intrare non potuit; quia subfarcinatos arcta non capiunt. Nec poterit eò recipi lata iactantia, quò se humilitas angusta collegit: & angusta angustior contriti cordis exilitate penetrauit. sic Paulin. *Epistol.* 10. Vt colligas quàm necessaria sit humilitas orantis, vt oratio à Deo exaudiatur. Sola rerum diuina-

Ecclesi. 35.

B rum ignorantia, quæ homini cognata est, humilem, & modestum, & sui bene conscium reddidit Abraham; & nos vti publicanus ille, flagitiorum oneribus prægrauati non humiliamur sub potenti manu Dei, non vilitatem nostram ac sordes, & recordamur, & confitemur. Atque iccirco oratio nostra sine alis humilitatis in altum subuehi non potest. Præterea signum petit Abraham, non tam sibi, quàm suæ posteritati; præsciebat enim illam fore incredulam, nec facilè ac citò diuinis acquieturam promissis; iccirco vt illa notabili quodam signo persuadeatur, à Deo Patriarcha illud exposcit. Id quidem ex mente Caietan. cuius est hæc interpretatio: Consulens semini suo supplicat pro signo necessario; ad hoc, vt se-

Oratio sine humilitate non assurgit.
Caietan.

C men suum cognoscat, & confidat, quod hæreditabit terram Chanaam. Timebat Abram, quod semen suum non crederet sibi dicenti, quòd Deus apparuit mihi, & dixit, ac promisit, &c. & proptereà petit firmitatis signum, in quo sciret pro suo semine hæredem se institutum à Deo illius terræ. sic ille. Tam cognata Hebræis est incredulitas. Petebant antiqui signum; vno, vel altero diuinitùs edito firmiter subinde credebant: at illorum filij à patribus hæreditariam acceperunt incredulitatem; sed fidem deinde post signa respuerunt. Infinita Christi Domini vsurparunt oculis miracula, & nihilominùs effectorem miraculorum à se reiecerunt, & cruci demum affixerunt. Sed ipsimet se produnt, cum toto vagantur orbe

Hebræi petiũ signa vt credant.
Infidi Hebræi.

D à patriis sedibus extorres, & signo sanguinis Christi, quem effuderunt, notati: atque adeò *omnis sanguis iustus, qui effusus est veniet super generationem istam*, ait Dominus Matth. 23. Omnis (inquit) sanguis; nunquid martyrum omnium quotquot fuerunt, eruntque postmodum, sanguis, à Iudæis est effusus? Ita planè! Nemo enim (respondet S. Euseb. Emiss. *hom. de S. Stephano*) Christianorum vnquam occisus est, qui Iudæorum, vel manibus, vel affectu non sit occisus. Vnde & omnium rei esse dicuntur; omniúmque iustorum sanguinem super eos venire Dominus testatur. Hæc Eusebius. Vel etiam, vt explicat S. Chrys. omnia mala, quæ in singulis generationibus à constitutione mundi pati meruerunt omnes iniqui, & sanctorum in-

Iudæi per orbem vagi & notã.
Matth. 23.
Euseb. Emiss.
Iudæi omniũ homicidæ.
D. Chrysost.

E terfectores super nouissimos Iudæos venerunt, qui Christum repulerunt. ita Chrys. Vtique flagitium Iudæorum, qui Christum Dominum crucifixerunt, superat omnem multitudinem & grauitatem scelerum, quæ ab hominibus commissa sunt, aut committentur. Denique qui patrem, & caput occiderunt, meritò dicuntur omnes illius filios, & membra (quales sunt Christi fideles) occidisse.

Iudæorũ scelus incomparabile.

5. Aliam, & quidem egregiam subiicit Rupert. rationem, quare Patriarcha signum petierit. Sic edisserit: Tanquam pius pater futuris filiis pro-

Rupertus.

uidit, ne forte peccantibus illis pœniteret Deum huius suæ promissionis; & icciteo in promissione aliquod sibi dari optauit firmamentum fixæ, stabilisque veritatis, & quasi interpositionem iuramenti. sic ille. Quo quidem ostenditur Abrahæ charitas in suos, qui ab illo nimirum essent originem ducturi. Omnibus enim etiam absentibus iusti viri suam impendunt largitatem. Nam, vt egregie colligit S. Hildebertus. *Epistol.* 2. Charitas propter Deum omnes habet præsentes, quibus non potest obsequio, subuenit affectu. sic ille. Ac mihi quidem videtur Abraham, cum Domini promissionem iureiurando illius confirmari poposcit, hoc vnum a suis posteris exigere voluisse, vt scirent pactum inter ipsorum patrem ac Deum intercessisse, quod Deus inuiolabile semper esset habiturus, modò ipsi debitam pacti conditionem ritè obseruarent. Itaque vt posteros in Dei tenerent obsequio, pacto isto voluit eos obstringere, monitos insuper, si fortè à Deo recederent, spoliandos Dei præsidio, ac patria tellure priuandos in sempiternum exilium exterminandos fore. Maxime verò dici potest Dei pactum cum Abrahamo cúmque illius posteris firmum, ac ratum semper extitisse: quos enim acerrimè (vt merebantur) puniens, à terra promissionis expulit, non Abrahæ filij, sed alieni & adulterini sunt iudicati: quia etiam, ne homines quidem ab Isaia Propheta nuncupantur. *Dies enim Domini* (vt apud illud cap. 2. legimus) *veniet super cedros, quercus, montes, colles, turres, muros, naues; illius regionis.* Nimirum (vt subtiliter explicat S. Petr. Dam. *Epist. ad blanc. Comit. cap.* 7.) per figuras rerum ratione carentium stoliditas intelligitur hominum reproborum. sic ille. Cæterum etsi præhibitæ expositiones magnopere sint laudabiles, omnium tamen optima, in quam plures conueniunt, sic habet: Cupit Abraham tantummodò modum cognoscere implendæ promissionis, & rei, quam crediderat, similitudinem aliquam sibi ostendi. Hoc sensu Theodor. quæstionem huius loci sexagesimam quartam ita dissoluit Istud (*in quo cognoscam hoc*) non diffidentis est, sed modum possidendi scire desiderantis. Cum enim videret multa hominum millia Palæstinam incolentium, discere volebat, quo pacto dominium illius terræ accepturus esset: num iure belli, an sine armis, & an viuentibus, an expulsis, aut prorsus eiectis. Hæc Theod. Et quidem Dominus finito sacrificio harum rerum omnium certiorem fecit Abraham, vt idem obseruauit, & nos suo loco videbimus. S. August. eandem, quam Theodor. sententiam compendiosiùs pertractat: sed vberius etiam apposito subinde exemplo Sic illam explicat S. Ambrosf. *lib.* 2. *de Abraham cap.* 8. Qui quærit quomodo sciat, non dubitat manifestante Deo cognoscere se posse, sed formam vult acquirendæ cognitionis aduertere. Nam & in Euangelio Maria cum audisset ab Angelo quòd Virgo paritura esset Filium, respondit: *Quo modo fiet istud quoniam virum non cognosco?* & iure respondit. Hoc est cum id quod naturæ est, non suppetat, quia non solet parere Virgo, quæ viro non fuerit copulata, quæro quomodo præter instituta naturæ possim generare? Hæc Ambrosf. Qui, vt vides, arbitratur Virginem intellexisse ex antecedentibus verbis Angeli, sese Virginem pariturum: fortè cum Angelus dixit: *Ecce concipies & paries Filium, & vocabitur Altissimi Filius.* Nimirum illa es, de qua Isaias vaticinans hæc eadem verba protulit: Concipies quidem, & paries Filium, cuius patet non homo, sed ipse Deus altissimus erit. Admirata igitur Virgo beatissima

Abrahæ pro nudis posteris. — *S. Hildebert. Charitas in omnes, fanditur.* — *Pactum Dei cum Abram.* — *Peccatores nō vocantur homines.* — Isaiæ 2. — S. Petr. Dam. — *Abram modum promissionis à Deo quærit.* — Theodor. — S. August. — S. Ambrosf. — *B. Maria modum quærit virginei partus.* — *B. Maria intellexit se Virginem parituram.*

A quæsiuit ab Angelo modum, quo Virgo posset concipere, & parere. Modum Angelus explicauit, cum ad Spiritus sancti obumbrationem, & virtutem Dei omnipotentis recurrit. Vnde optimè S. Euseb. Emiss. *homil.* 1. *de Natiuitate Domini* exclamat: Quid nouitatem stupemus, vbi cernimus maiestatem? miramur Dominum nostrum absque vllius viri semine intra virginea viscera hominem consummasse, quem scimus cœli, terræque immensitatem ex nihilo condidisse? quæramus in conditione vniuersæ fabricæ, quo seminario vsus sit? *Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.* Itaque nulla obsequitur materia; substantia operis, sola fuit potentia Conditoris. sic ille. Optimè quidem ad omnipotentiam Dei
B tanquam ad primum, & verum huius mysterij fundamentum confugit Eusebius. Qui enim de nihilo per suam omnipotentiam potuit mundi machinam producere, cur idem, vt Virgo pariat, non posset efficere, vtrobique, sempérque omnipotens? bene Angelus: *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Lucæ 1. Colligit tandem Eusebius; Secundum hanc ergo potentiam credamus Dominum nostrum, absque vllo sexus initio ex sola fœmina virum creasse, quem scimus inter ipsa initia generis humani ex solo viro fœminam condidisse. Agnosce ô vere beata Maria gloriam tuam: Exulta Mater salutis humanæ, habitaculum immensæ maiestatis efficeris spem tertarum, decus seculorum, commune omnium gau-
C dium peculiari munere nouem mensibus sola possides: Initiator omnium terum abs te initiatur; & profundendum pro mundi vita sanguinem de corpore tuo accepit; ac de re sumpsit quod etiam pro te soluat. Hæc Eusebius.

Euseb. Emiss. — *Virginis partus ab omnipotentia Dei.* — Lucæ 1. — Euseb. Emiss. — *B. Maria laudatur.*

SECTIO VI.

Sume mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam. Qui tollens vniuersa hæc, diuisit ea per medium, & vtrasque partes contra se altrinsecus posuit: aues autem
D *non diuisit. Descenderúntque volucres super cadauera, & abigebat eas Abram.*

1. SVme mihi] Aiebat, vt vidimus, Patriarcha scire quo pacto complenda esset diuina promissio. Igitur Dominus illius precibus exoratus, & modum docet, & quæ posteris illius subinde euentura erant, manifestat. Præterea, quia ille confirmari cupiebat promissionem Dei aliquo iuramento, pactóque inuicem sancito; icirco Dominus iubet fieri apparatum animalium terrestrium, & altilium ad paciscendum fœdus, deinde ad explicandum per illud veluti ænigma rerum futurarum euentum: ac denique ad offerendum Deo sacrificium. Ac primò quidem scien-
E dum est veteres illos mortales in publico, ac solenni fœdere morem istum solitos obseruare, vt pecora in frusta conciderent; adiectis insuper diris, & imprecationibus, vti similiter diuiderentur, qui fœdus tam sanctè ictum perfringere auderent. Sic Romani cædendo porcam fœdus sanciebant in ea verba: *Si sciens fallo, ita me feriat Iupiter qui plus potest, polléque.* Vide quæ apud illud Virgil.

— et cæsa iungebant fœdera porca.

Æneid. 8. ... Quare Latini repræsentantes ... fœ-

Ritus varij fœdus sanciendi. — Virgilius.

dera dicunt percutere, & ferire fœdus: Hebræi verò diuidere, aut dissecare. Quem ritum Dominus adducit Ierem. 34. contra violatores Iudæos (Ierem. 34.) ad hunc modum. *Qui præuaricantur fœdus meum, & non obseruauerunt verba fœderis, quibus assensi sunt in conspectu meo; vitulum, quem conciderunt in duas partes, & transierunt inter diuisiones eius.* Similes, & atrociores diras cum diuisione in frusta membrorum Leuita ille vltor vxoris, Iud. 19. & Saul. 1. *Reg.* 11. exhibuerunt. (Iud. 19. 1. Reg. 11.) Itaque tria quadrupedia parauit, vaccam, capram, arieté: volatilia duo; turturem, & columbã. Illa iugulauit, iugulatáque dissecuit; videlicet, à capite vsque ad caudam, vnũquodque animal in duas partes, quas inter se oppositas ex aduerso collocauit, tanto inter eas interiecto spatio, vt illàc transiri posset. En tota cæremonia, ritúsque feriendi, & constituendi solenne pactum inter aliquos; vt hîc inter Deum, atque inter Abrahã eiúsque posteros. Aues etiam occidit, sed eas nequaquam diuisit: quippe cum faciendi fœdera in auibus non esset ritus apud priscos vsitatus, solùm ad significandos futurorum euentus cæsæ, atque integræ alites apparebant. Hic verò animantium apparatus extra tabernaculum Abrahæ, in propatulo factus est, quò quidem carniuoræ alites, cæsarum carnium auiditate captæ, aduolabant; quas Patriarcha, ne vel polluerent, vel abriperent, vel deuorarent fœderi ac sacrificio destinatas carnes diligenter abigebat. Hæc summa totius rei gestæ; nunc ad singulorum expositionem aggrediamur.

a. *Sume mihi vaccã triennẽ.*] Heb. עגלה *hheglah*, vitulam iuuencam, vt legit D. Aug. vaccam, vt noster interpres vertit; sed nullum vtrobique discrimen: deducitur à עגל *ghagal*, vnde nomen עגול quod est teres, aut rotundum; nam vitulæ pes talem habet figurã. Deinde Hebr. משלשת *mexullèxeth*, quod nomen adiungitur etiam capræ & arieti consequentibus: sunt qui vertant triplicatam id est, tres vitulas, tres capras, & tres arietes; sic habet Chald. & è Rabbinis nonnulli; alij vitulam triplicatam, hoc est magnam obesam, alij vitulam magnam filiam trium annorum; alij fortem, sicut vitulam trimam, aut vitulam principem, id est, magnam: & ex Hebræis etiam aliqui triennem, vt & L X X. & noster interpres vertunt. (*Significatio animantium in sacrificio.*) Sed meo quidem indicio, idem omnino sensus ex his versionibus efficitur; tunc enim solet esse vitulą fortis, obesa, & quasi triplicata; cum est trium annorum; quod similiter de capra & ariete dices. (D. Chrysost.) Quare sic optimè obseruat S. Chrysost. triennia accipere iussit; hoc est perfecta & absoluta. Porrò עז *ghez*, capra, ab *ghazaz* עזז roborare, fortificare, indurare. Est enim inter pecudes fortis & dura. איל *Ail* aries, quia fortis; nam איל *eial* fortitudo, אל *el*, fortis, Deus. Parantur igitur hæc tria animalia pro fœdere & sacrificio (vti admonuimus 1) aues autem pro sacrificio tantum. At omnia significant statum & conditionem futurum posterorum Abrahami. In primis enim iuuenca, seu vacca nouella in ætate illa fortiore ac lætiore, significat primam generationem Israeliticæ gentis, post ingressum Iacob in Ægyptum, seu primam ætatem, ac statum illius in Ægypto; tunc enim liberè ac delicatè Hebræi vitam in pinguiore solo illius regionis transegerunt. Solet quidem Deus sapientissimus suos fideles primò quidem vberioribus suarum voluptatum pascuis alere; ac deinde in aciem ad pugnam, & in agrum ad laborem educere. Sic Paulus scribit. *Tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi non escam.* (1. Cor. 3.) 1. Cor. 3. Sensus est de doctrinæ Christianæ my-

A steriis, aliis enim alia sunt clariora, aut sublimiora; vnde non sine graui discretionis iudicio sunt, illa rudioribus, ista perfectioribus, dispensanda. (*Tyronibus diuina consolatio datur.*) Sic prudentes magistri (vti monet S. August. *lib. de ver. relig.*) alimenta lactea largè auidis infirmioribus pluribus, atque instanter infundunt: validioribus autem cibis cum sapientibus paucis vescuntur. (D. August.) Sic August. Nihilominus aptari possunt Apostoli verba ad explicandum priorem statum, atque ætatem, siue religiosæ vitæ tyrocinium eorum, qui à suis sceleribus conuersi, Dei se manciparunt obsequio. Solet enim illis Dominus tunc vti filiis recens natis suarum consolationum vbera porrigere, iuxta illud: *Ad vbera portabimini.* Isaiæ 66. (Isaiæ 66.) Nam qui paruuli sunt (inquit ibidem S. Hier.) (D. Hieron.)

B consolationis indigent lacte. Lacte, vt infantes nutriti: nam infirmior ætas eget vbertate consolationum vt crescat. Quid autem est crescere? (ait S. Aug. *in 1. Ioan. 3.*) proficere. (*Crescere est proficere.* S. August.) Quid est decrescere? deficere. Quisquis nouit natum se esse, audiat quia puer est, & infans; auidè inhiet vberibus matris, & citò crescet. Est autem mater Ecclesia, lac nostrum Christus humilis est. (*Christus humilis est lac.*) Hæc August. Sic planè res habet inter primordia vitæ religiosæ miram percipiunt dulcedinem diuinarum voluptatum animæ incipientes ex meditatione mysteriorum Christi. Quid enim animæ proponi dulcius potest, quàm illud: *Inuenietis infantem positum in præsepio?* (*Infantia Christi dulcis.*) Luc. 2. (Luc. 2.) Optimè S. Euseb. Emiss. *hom. de Natal. Domini*, ita in hanc sententiam loquitur: Beati, (Euseb. Emiss.)

C qui præsepis cibis vtuntur, & de deliciis ibi positis reficiuntur. sic ille. Et quidem de mysteriis vitæ ac passionis Domini Iesu, quæ omnem stillant dulcedinem, verba Pauli S. Anselm. ita interpretátus effatur: (S. Anselm.) Dedi vobis potum lac, id est, facilem doctrinam, dulcem, & nutrientem. Lac per carnem Saluatoris est expressum paruulis. Quomodo enim mater cibum comedit, vt per carnem traiiciat ad infantem lac factum: sic cibus Angelorum Dominus Verbum caro factum est, & factus est lac. Lac quippe nostrum Christus humilis est. (*Christus lac in sacramentis.*) Qui paruolus est, sugat ab vberibus Ecclesiæ lac omnium sacramentorum. Hæc ille. Itaque Christi deliciæ in Sacramentis Ecclesiæ, tanquam in vberibus lac, ebibuntur: *Dominus regit me, & ni-*

D *hil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit*, Ps. 22. (Psalm. 22.) In Ecclesia Domini cælestibus abundante voluptatibus pascuntur nobilia, & pulchra animarum vitulamina; (*Deliciæ ac diuitiæ in Christi vulneribus.*) pascua sunt Christi Domini crucifixi vulnera, per quæ diuinitatis nobis effluunt deliciæ, ac diuitiæ: in iis reposita sunt omnium vulnerum, ac morborum nostrorum medicamenta. Et piè quidem, ac verè illud de iisdem adnotauit S. P. Damian. *tract. ad Blan. Com. cap.* 5. (S. Petr. Dam.) Vulnera Redemptoris non casu quinque sunt; (*Cur vulnera in Christo sint quinque.*) sed quia nos fueramus quinque sensuum vulneribus sauciati, per has quinque plagas saluti sumus perpetuò restituti. sic ille. At quis locus pascuæ post Christum, aut pinguior, aut ad delicias animæ pulchrior, ac iucundior, quàm suauissima Dei Mater?

E Abundat omnibus, nihil illi deerit, in loco pascuæ collocatus à Deo est qui Virginem Deiparam studiosa quadam, & filiali pietate meruit colere & obseruare. (*Felix pietas in B. Mariã.*) Nimirum (vt egregiè loquitur alio in sensu S. Hildebert. *Epist.* 58.) (S. Hildebert.) ad votorum plenitudinem accessisse confiteor, ô Virgo beatissima, cui gratiæ tuæ limen contigit aperiri. sic ille. Igitur ô Domina, *sonet vox tua in auribus nostris, vox tua dulcis.* Cant. 2. (Cant. 2.) Dic animæ meæ in vitiis emortuæ ac sepultæ ab ore tuo suauissimo, ac pulcherrimo salutem: exultabit vtique præ gaudio anima mea, (*Vox B. Mariæ salutaris.*) vt facta fuerit vox salutationis tuæ in auribus

meis: vti Ioanni adhuc in vtero matris incluso contigit: *Exultauit infans in vtero*. Matrem quippe Domini (inquit S. Euseb. Emiss. *ser. 6. hebd. 4. aduent.*) in voce cognouit; quam quia resalutare non potest, exultando agit, quod potest. Quam lætus ei occurreret, si iam natus eam videret, cuius voce audita exultando obuiam exire conatur? sic ille. Contra verò S. Ambros. *lib. 2. de Abraham, cap. 8.* per vitulam intelligit carnem nostram; quæ à lasciuia cupiditatum cohibenda est, & iugo diuinæ legis domanda, & culturæ virtutum, ac meritorum, vt animæ suæ, ac sibi fructum ferat immortalitatis subiicienda. Caro (inquit) nostra vitula est; laborat, vt ferat; laborat, vt colligat; laborat, vt pariat; innumeris fatigatur laboribus: vnde & Græci δαμάλην à verbo δαμᾶν quod est domare, dicunt, eo quòd dometur nimis. Masculorum boum aratro, & iugo fungitur, fœmineos partus repræsentat cum multo vbere. Caro quoque nostra vitæ istius subiugatur necessitatibus, crebris quatitur doloribus, & multarum ærumnarum quodam curuata partu senescit. Hæc Ambrosius.

Euseb. Emiss.

Ioannes ad salutationem B. Mariæ.

D. Ambros.

Caro instar vitulæ.

3. *Capram & arietem.*] Capra, quæ in vsus agricolæ non parum inseruit; fœtu enim, & lacte, dominum alit; significat secundam generationem, statumve, aut ætatem Hebræorum degentium in Ægypto; cum iam illis Ægyptij aliquid seruitutis imponebant, & sic ex illorum ministerio aliquem fructum percipiebat. Aries verò, quia totus, quantus, quantus est, in domini sui vtilitatem cedit, symbolum est tertiæ generationis, in qua Hebræi durissima seruitute oppressi Ægyptiorum operibus moliendis vitam miserrimam insumebant. Sic se habet infelicissima conditio peccatoris. Vbi primùm venundatus sub peccato, illius init seruitutem; in turpiorem subinde labitur in dies: semper enim in castris diaboli in peius proficitur: nec facile est, imò spectata hominis voluntate protsus impossibile ab illa seruitute in libertatem gratiæ vindicari; quod ita disertis verbis concludit S. Thom. 2. *sent. d. 42. q. 1. art. 5. ad 3.* Peccator in vno actu voluntatis adhæret peccato tali modo, vt ei in æternum adhæreret, si impunè posset. Sic Thom. Quare, vt eleganter & catholicè scribit. S. Paulin. *Epistol. 12.* innocentiæ fiducia destitutis, & nexu iniquitatis adstrictis sola captiuis potest redemptio subuenire. sic ille. Hoc est summum gratiæ beneficium: illius meritis, & præsidio stamus; & post casum resurgimus. Meritò dixit Paulus, qui ex Saulo surrexerat: *Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit; sed abundantius illis laboraui.* 1. Cor. 15. Vide quantū Apostolus tribuat gratiæ Dei, non enim ex se, sed ex gratia Dei erat Paulus qui fuerat Saulus. Sed accepta Dei gratia non fuit in Paulo sine fructu; dicit enim se laborasse. Nec gratiam (inquit ibi S. Hier.) sine se posuit, vt liberum seruaret arbitrium. Laborauit abundantius, quia ipsemet casus resurgenti stimulus fuit ad abundantius laborandum. Igitur (vt benè aduertit S. Hildeb. *Epistol. 9.*) Non cadit turpiter quisquis post casum fortiùs congreditur. At nihilominus ibidem Apostolus, & sæpè alibi, iam vas electionis, iam raptus ad tertium cœlum; iam præco Christi, & Doctor gentium prioris vitæ suæ crimina confitetur. Melius est enim (docet eo loco S. Hieron.) dimissa recordari peccata, quàm detenta obliuisci. Cauendum ergo nobis est, ne semel manus demus captiuas peccato, à capra ad arietem breui transitus fit, à minùs arcta seruitute ad arctissimam facilis patet aditus. Solet vnum admissum in anima flagitium

Infœlix seruitus peccatoru.

D. Thom.

Peccatum ex se est æternum.

S. Paulin.

Gratia Dei efficax in Paulo.

1. Corin. 15.

D. Hieron.

Virtus post ruinam fortior.

S. Hildebert.

Humilitas S. Pauli.

D. Hieron.

Peccata in dies crescunt.

A totos paulatim animi ad pietatem conatus infringere, & alueta virtutis studia extinguere, atque omnes demum honestiotis ingenij dotes depeculari. In quam sententiam luculente dixerit S. Petr. Dam. *apotog. de contempt. cap. 7.* hisce verbis: Si tenuissima veneni stilla pando oleris aheno diffunditur, nonne totum, esculentius licet, edulium prorsus abominabile iudicatur? ergo perexigua mala sæpiùs bona largissima corrumpunt. Nam iuxta Apostolum: *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* sic ille. Dicit malum perexiguum, non quia vel vnum tantummodo peccatum lethale non sit grauissimum, & pœna sempiterna (si pœnitentia absit) puniendum, sed quia hominum iudicio quandiu non repetitur, facilius
B habetur. Putarim hic per arietem (in hoc symbolo, quod prosequimur) significari peccatorem, qui publicitus peccat, & cæteris est scandalo; præit reliquos ad infernum, & in grege reproborum incedit Dux gregis inter oues. Ac mala quidem omnia, in quæ miseri prolabimur, à petulca, & lasciuiente pecude nascuntur, hoc est à sensibus carnis nostræ, quos Propheta vocauit mortis fenestras. Quod ex commentatione S. Ambr. *lib. 1. de Abraham, cap. 8.* fiet dilucidum. Sic ait: Sensus nostri caprarum modo, velut saltu quodam, alis exiliunt, & pascuntur præruptionibus, impetu suo ipsi commotiones excitantes animæ, & concutientes eam ad omnem occasionem, præsto sunt, vel occursu fœmineæ pulchritudinis, vel odore suauita-
C tis alicuius, auditu pariter, & tactu mouentur velociter, quibus etiam animæ inflectunt constantiam, & velut à natura sui alienant eam. Effætarum more animantium citò vacuantur, vbi partus suæ generationis, delectationisque effuderint, & iterum excitatis cupiditatibus nouos referunt impetus. Hæc Ambros. In quibus perelegan ter describit lasciuiam, temeritatem, impetumque effrænatum nostrorum sensuum dum ex rebus obiectis voluptates hauriunt, quæ mentem ab statu suo dimouent, rationis aurigam excutiunt; ac tandem ipsæ volant ociùs Euro, & animam hominis nunquam satiatam, semper inquietam, velut in Euripo contorquent, ac discruciant.

S. Petr. Dam.

Malo exiguo bona grandia pereunt.

Scandalo alios esse.

S. Ambros.

Sensus corporis significantur per capram.

Voluptas crescit, non satiat.

D 4. *Turturem quoque, & columbam.*] Hebræum תור *Thor*, à radice תור *Thur*, explorare, inuestigare, scrutari: &, vt quibusdam etiam placet, meditari. Turtur enim intus remurmurat instar meditantis. Quo etiam nomine dicuntur aut gemmæ, aut torques Noster vertit *murenulas*. Cantic. 1. תורי זהב *Thori zahab*, legunt alij *turtures*, hoc est figuras depictas instar turturis. Et *columbam*, Hebr. גוזל *gozal*, pullus columbæ, à radice גזל *gazal*, rapere: eo quòd pipio ab ote matris rapere cibum soleat; vel ad manum domi nutriatur. Quid verò hæ duæ alites hoc loco significent, ita discutiendum erit. Procopius horum omnium animalium significationem sic coniunctim euoluit: Per tria (inquiens) animalia, Deus ostendit tres gene-
E rationes, seu secula, quibus grauissimam seruituri Abrahæ sint seruitutem eius posteri maximis laboribus affligendi. Animalia enim illa nobis in seruitutem, & escam attributa sunt. Turtur significat annos, quibus in deserto victuri sint: & tandem reuersuri in terram promissam iuxta morem columbarum, quæ consueuerunt euolare, & reuolare in sua columbaria. Simul prædicitur, quibus damnis ab Ægyptiis sint afficiendi, & malis: nec non omnium aduersariorum in ipsos incursiones prænontrantur. Hæc Procop. Itaq; per animalia illa terrestria innuitur seruitus in Ægypto. Per volucres autem

Cantic. 1.

Procop.

Significatio animantium in sacrificio Abrahæ.

tem fuga, & volatus ab Ægypto in libertatem, ac profectio in terrã promissionis. Nuncupatim verò turtur querula mansionem Hebræorum in deserto: columba sociale animal significat tempus, quo iam ingressi terram promissionis, sua tandem ad habitandum fixere tentoria. Deinde dissectio quadrupedum graues, ac multiplices afflictiones, quibus Hebræi ab Ægyptiis vexabantur: aues integræ optatum denique finem omnium illarum significant calamitatum. Hæc omnia sic egregiè complectitur Theodor. 9. 61. Tria ex quadrupedibus significabant tres generationes, quæ in incolatu permansuræ erant. Turtur autem generationem illam denotabat, quæ ex Ægypto egressa, velut auolauit, & habitauit in deserto. Huiusmodi enim auis est amans deserti. Columba verò generationem aliam innuebat, quæ terram promissam accepit. Mansuetum enim est hoc animal & domesticum. quamobrem hæc quidem minimè diuisit, vt libertatem à seruitute significantia; quadrupedes autem partitus est, eo quòd indicarent, quàm male tractandi erant in Ægypto. Hæc Theod. His positis de significatu, ac symbolo animalium quæri potest in primis cur hæc potiùs Dominus ad ænigma rerum futurarum, & sacrificium, atque adeo solenne pactum elegerit? Phil. Hebr. *lib. de victimis*, hanc rationem subiicit: De auibus elegit columbam, & turturem. Columba enim inter natura mansuetas, & gregatim volitantes est mitissima: turtur verò inter solitarias cicuratu facillima. De terrestribus secreuit tria genera, boum, ouium, caprarum, vt mitiora, & mansuetiora: siquidem magna boum armenta, magnique greges ouium & caprarum, dum exeũt ad pascua, rursúsque ad septa reducuntur, ab vno quouis, non viro tantùm, sed etiam puero aguntur. Illud etiam mitis eorum ingenij argumentum est, quod nõn carnibus, sed herbis vescuntur; nec vnguibus aduncis armata sunt, nec continua serie dentium. Præterea maximè vitam humanam hæc iuuant animalia. sic Philo. Ex quibus colliges his tribus maximè virtutibus Dominum delectari, concordia, mansuetudine, & obedientia: quas præcipuè ab iis requirit, qui se Deo in sacrificium in religione deuouerunt. Idem Phil. *lib. Quis rer. diuin. heres*, allegoriam harum volucrum sic explicat. Sume turturem, & columbam, diuinam, & humanam sapientiam, ambas quidem volucres, & in altum tolli exercitatas. amat diuina sapientia solitudinem propter solum Deum, cuius ipsa est possessio, & turtur figuratè dicitur. Altera verò mansueta, cicur, & gregatim volitans ciuitates hominum libenter incolit, gaudens consuetudine mortalium, & ideò repræsentata per columbam. hæc ille. Vtramque sapientiam Deo dicandam ex illis verbis, *Sume mihi*, colligit egregiè idem Philo. O beatum illum, qui vtriusque sapientiæ diuinæ & humanæ studia Deo suo dedicat, qualis ille, qui canebat: *Eructauit cor meum verbum bonum, dico opera mea Regi*. Psalm. 44. Cæterùm D. Ambros. qui per arietem intelligit Christum Dominum, consequenter ipsius virtutes per aues significari contendit. Sic enim disserit *lib. 2. de Abraham, cap. 8.* Meritò ad sacrificium iubentur post arietem turtur, & columba sumi, vt verbo adhærere intelligas incorruptam castimoniam, & spiritalem gratiam; eo quòd in columba spiritalis sit, in turture incorruptæ generationis natura, vel immaculati corporis castimonia. sic Ambros. Itaque duæ prænotantur virtutes, quas inter cæteras Christus Dominus in se habuit, candidissima puritas, & gratia quædam spiritualis, siue zè-

Tres status Hebræorum.

Theodor.

Phil. Hebr.

Tria mitia eliguntur animalia ad sacrificium.

Tribus maximè virtutibus delectatur Deus.

Phil. Hebr.

Studium duplicis sapientiæ.

Phil. Hebr.

Psalm. 44.

S. Ambros.

Puritas, & zelus in Christo.

A lus spiritus, & desiderium profectus animarum: has easdem virtutes maximè à religiosis viris, & aliorum magistris, ac prælatis exigit. Diximus etiam per terrestria illa animantia, significari opera nostra, & actiones huius vitæ, dicatas tamen Deo in obsequium illius, & inceptas, & perfectas: ex quibus ita sacratis euolant in altum ingentia merita, quæ per aues figurantur. Etenim hoc ipso (addit S. Ambros.) quòd aues posuit, intelligere possumus cælestium meritorum volatus. Sunt enim volucres cœli, quæ veniunt & habitant in ramis eius arboris, quæ de grano sinapis surrexit, cui cœlorum regnum comparatur. Hæc Ambros.

5. Sed ad literalem significationem huius loci reuertamur. Diximus per aues figurari, Hebræos B à seruitute Ægyptiaca post innumeras exantlatas afflictiones tandem liberos in terram promissionis, velut in portum è salo post tempestates, euasuros esse. Euolabunt è seruitute in libertatem, atque in terram lacte, melléque manantem inducentur Hebræi, qui Deo seruiebant: at Ægyptij, qui seruos Dei omni tyrannide opprimebant, in mare primò, deinde in gehennam detrudentur. Sic enim solet euenire, vt tribulatio iustorum, quæ ab improbis infertur, illis prosit ad salutem animæ, istis noceat ad interitum sempiternum. Vtrumque eleganti quadam sententia definit S. Petr. Damian. *lib. ad Dominicum cap. 1.* hisce verbis. Medicus sanguisugas tumentibus membris apponit, vnúsque simul cum sanguine ab intimis vi- C sceribus sorbere permittit. Hirudo satiatur, & moritur; ægrotus autem dum perdit sanguinem, recuperat sanitatem. Sic omnipotens Deus disponit, vt ex alienis vulneribus nobis medicamenta conficiat, quatenus dum hostile vulnus infligatur, ex eo potissimum salutis antidotum proueniat. sic Damian. Hæc fuit erucis via ducit Dominus seruos suos, & amicos, vt secum introducat in regnum cœlorum. Discerpuntur, & concremantur eorum terrestria corpora, sed animæ, vti alites, in cœlum subuehuntur. Ac nouerint ideò se pati, quia non sunt de hoc mundo, quia sunt de ouibus Christi, quia cum ipso sunt regnaturi. Quare optimè adiungit idem Cardinalis indicato loco: Sit mens (inquiens) in prosperis timida, sit in aduersitate secura. Cúmque bona fa- D cit, & mala tolerat, tunc se proculdubio numerari inter membra Christi confidat. Quisquis enim rectè viuens flagellis atteritur, sicut Christi in vtroque nunc vestigia consequitur: ita postmodum eius consortio non priuatur. hæc ille. Alium, & quidem perpulchrum huiusce ænigmatis pecudum, & auium colligit significatum S. August. *lib. 16. de Ciuit. cap. 24* ad hunc modum. Per iuuencam significata est plebs posita sub iugo legis: per capram eadem plebs peccatrix futura; per arietem eadem plebs regnatura. Nec vllo modo dubitauerim spiritales viros in eo populo præfiguratos additamento turturis, & columbæ; ideoque dictum est: *Aues autem non diuisit*: quoniam E carnales inter se diuiduntur; spiritales autem nullo modo, siue à negotiosis conuersationibus hominum se remoueant, sicut turtur: siue inter illos degant, sicut columba. Vtraque tamen auis est simplex & innoxia, significans, & in illo populo futuros indiuiduos filios promissionis, & hæredes regni in æterna felicitate mansuros. hæc August. Itaque iuxta Doctrinam August. animalia illa terrestria symbolum præferebant status secularis, & carnalis illius populi, qui tandem aut mutuis inter se dissidiis, aut externis bellis attritus, & vindictæ denique diuinæ extremis suppliciis con-

S. Ambros.

Merita bonorum operum.

Tribulatio iustis prodest.

S. Petr. Dam.

S. Petr. Dam.

Patientia meritorum.

S. August.

Iudæorum populi symbola.

ſumptus eſt. Aues autem illæ innoxiæ ſtatum ſub- A
limiorem iuſtorum ex populo figurabant, quo-
rum aliqui, vt columbæ ſociales, ac mites, & can-
didæ in commum hominum conſortio degentes,
ſed legis tamen diuinæ præcepta ritè obſeruan-
tes, æternam ſunt ſalutem aſſecuti; alij verò in-
ſtar turturis, ab hominum commercio ſeparati
vitam viuebant religioſam Deo, & ſibi tantum-
modo vacantes, vt alij Prophetarum Nazaræi, &
plures ex Prophetis. Significant etiam haud du-
bie per animalia illa labori proprio, & alienæ vti-
Humilis exaltatur. litati nata, ſubindéque diſcerpta conditio humi-
lium, & humiliatorum; per aues autem eorun-
dem exaltatio: iuxta illud Apoſtoli: *Humiliamini
ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore viſi-*
1.Petr.5. *tationis.* 1.Petr.5. Et illud Domini, *Qui ſe humiliat,* B
Lucæ 14. *exaltabitur.* Luc.14. Sanè ille pater ſuperbiæ dia-
bolus, qui propter inanem elationem volens ſe-
dere in monte teſtamenti, & ſimilis eſſe Altiſſi-
mo, atque icciirco in barathrum gehennæ præci-
pitatus eſt, nihil æquè timet atque humilitatem:
exanimat enim aduerſarium, ac debilitat vel ipſe
S. Iobi humilitas. aſpectus ſeſe humiliantis; quod ita exemplo San-
cti Iobi luculentè comprobat S.Paulin. *Epiſt.* 10.
D.Paulinus. Iob (inquiens) poſtquam ſedit in ſtercore, tentari
deſtitit. Conſumpſerat enim tentatoris inuidiam
humilitate perfecta; quæ faciliùs ſurgere, quàm
deiici poteſt; quia in fimo ſedens, vnde cadat non
habet; & habet vnde conſurgat per eum, qui ſu-
ſcitat de terra inopem, & de ſtercore eleuat pau-
perem, & in ſtercora redigit ſuperbos. ſic ille. Plu- C
ra ex hoc loco moralia documenta colligit noſter
Perera, quem vide.

6. *Deſcenderunt volucres, &c.*] Noctu quidem
oraculum acceperat Abraham; orto die omnia
parauit, iugulando, ſcilicet, diuidendo, volucri-
bus abigendis. Quæ quidem interdiu contigiſſe
Procopius. bene probat Procopius, ex eo, quòd carniuoræ
aues more ſuo ad prædam cadauerum aduolarunt.
Illas (vt ſequitur) *abigebat Abraham* Hebr. וישב *ia-
ſcheb*, quod deduci poteſt vel à radice ישב *iaſchab.*
ſedit, vt L X X. vertunt; vel à נשב *naſchab*, amo-
uit, expulit. Quod noſtro interpreti placuit, &
eſt literæ ipſi congruentius; tametſi negari non
poteſt Abraham, ideò ſedere iuxta priorem radi-
cem vt abigeret alites magna parte diei vſque ad D
occaſum: quare optimè hanc lectionem ſequutus
D.Ambroſ. S.Ambroſ. obſeruat. Hæc ſpectabat (inquiens)
Abraham, hæc profundo, & ſpiritali conſidera-
bat intuitu: ideóque ſcriptum eſt, *Conſedit.* Non
quaſi aruſpicinæ, ſed quaſi cœleſtis reuelationis
interpres, ſigna diuinæ operationis explorans. ſic
Ambroſ. *lib.* 2. *de Abraham cap.* 8. Sed quid hoc
ænigmate ſignificatur? in primis aues illæ carniuo-
Gentes populum Dei perſequuntur. ræ præfigurant Ægyptios, & Amalechitas, qui
Iſraeliticum populum in ipſa egreſſione ab Ægy-
pto, atque in itinere, aut ſunt perſecuti, aut violen-
ter impedierunt: ac denique hoſtiles omnes gen-
tes, cum quibus iam in terra promiſſionis multa &
Theod. grauia Hebræi bella geſſerunt. Sic enim Theod. q.
65. Aues (inquit) illæ, quæ ſupra portiones diui- E
ſas volitabant, quas quidem Patriarcha à ſacrifi-
ciis abigebat, ſententiam Ægyptiorum ſignifica-
bant, qua omnes cædere decreuerant. Quam ta-
men irritam Dominus Deus reddidit, volens ea
firma ratáque eſſe, quæ Abrahæ promiſerat. Sicut
enim in figura aues illas prædatrices expellebat
Abraham: ſic Abrahæ honor repreſſit Ægyptios.
hæc Theod. Vide quanti valeat apud Deum vir
Iuſti gratia apud Deum. iuſtus, præſertim inſigni virtute præcellens; aut
etiam pater, aut dominus, aut rector, aut prin-
ceps, cuius ob gratiam tantum aduerſus iniurias

A molestias, & quamcunque vim externam diuini-
tùs paratur auxilium. In qua eadem ſententia ſic
optimè diſſerit Procop. Ne tamen prorſus inter- *Procopius.*
eant, vel deſperent, auxilium promittitur. Fore
enim vt ipſi curæ ſint: ſeque eos ex ergaſtulis om-
nibus educturum, & ex illa intoleranda ſeruitute,
in libertatem aſſerturum. Sicuti Abraham abige-
bat alites: ſic Deus arcebit hoſtes, ne vos fundi-
tus extirpent. hæc ille. Et quidem propter Abra-
ham iam vita functum poſt tot ſecula Deus illius
poſteros à ſeruitute Ægyptiaca liberabit; ne quis
putet cum viro iuſto demortuo pariter omnem *Iuſti poſt*
illius memoriam, & gratiam apud Deum emori, *mortem viuit*
ac ſepeliri. At eo tempore Abraham in ſinu ſuo *gratia apud*
agebat; nec dum in cœlo regnabat cum Deo. *Deum.*
B Quanto igitur certius atque excellentius præſi-
dium nunc in ſanctis iam cum Deo regnantibus
in cœlo nobis collocatum eſt? Nunquid noſtri,
qui in terris agimus, ipſi iam cælites, aut obliti,
aut inſcij viuunt? Etenim vt ex D.Greg. *in moral.*
percelebrat S.Hildeb *Epiſt.* 52. Sanctorum ſpiritus
interiùs, exteriúſque ſentiendo diſtenti ſunt; quia *S. Hildebert.*
ipſum fontem ſcientiæ contemplantur. Quid *Nobis ſancti*
enim de iis, quæ ſcienda ſunt, neſciunt, qui ſcien- *præſidio ſunt.*
tem omnia ſciunt? ſic ille. Magna ſit nobis ratio
fiduciæ in ſanctis, qui iam Deo fruuntur; noſtri
non obliuiſcuntur: ſed adhuc in ſalo fluctuantes
nos è portu ſecuri vident, & precibus ante Deum
effuſis iuuant, ac tuentur. Innumera ſunt benefi-
cia, quæ à ſanctis cælitibus perenniter accipimus; *Sancti dicuntur nubes.*
C atque icciirco dicuntur ab Apoſtolo nubes: Et nos
tantam habentes impoſitam nubem teſtium. ad
Hebr. 12. pulcherrimæ quidem nubes, ac fœcun- ad.Hebr.12.
diſſimæ, quæ à terra enatæ in altum ſubuehuntur;
atque inde in pluuias, quibus patriam irrigant
tellurem, reſolutæ diffunduntur. Sed non caret
myſterio, quòd aues deſcenderunt ſuper cadauera
quadrupedum cæſorum, non autem auium, vt
vult S.Ambroſ. (licet textus habeat abſolutè ca- D.Ambroſ.
dauera, ſine exceptione auium) Sic autem rem
omnem diſpungit. Qua ratione dixit, quòd aues
deſcenderunt ſuper diuiſa corpora, vitulæ, capræ,
atque arietis? Videntur aues iſtæ cibi cauſa deſcen-
diſſe ſuper corpora. Naturaliter autem violentio-
res, potioréſque viribus ſuper infirmiores ir- *Potentiores*
D ruunt, & quaſi mortuis corporibus incumbunt, *contra pauperes.*
ex improuiſo frequentiùs irruentes. ſic Ambroſ.
Plenus eſt totus hic mundus carniuoris iſtis aliti-
bus, quæ deuorant pauperum cadauera; miſeris *Pauperū miſeria.*
enim nihil viuum relinquitur. O quis Abraham
illas abigeret? Mens enim (addit Ambroſ.) ſapien D.Ambroſ.
tis viri, ac iuſti mederi ſtudet humanis caſibus, &
prohibere, ac reſecare animarum noſtrarum la-
bores. Alterum ſubinde arcanum detegit, quod
potius ducit, vel (quod veriùs puto) quia princeps *Mundo dediti à diabolo*
huius mundi & volucres cœli ſpiritualium nequi- *impugnātur.*
tiæ, eos, qui mundana ſolicitudine, curáque
diuiſi ſunt, graui motu inceſſunt, & velut cadaue-
ra mortuorum dilacerant dente aſpero. Super tur-
turem, & columbam non deſcenderunt, quia diui-
E ſæ iſtæ aues non erant. Non ſunt enim diuiſi iuſti;
quia adhærent Deo. hæc Ambroſ. Itaque diuiſio
curarum, & diuiſio animarum diabolum inuitat
ac paſcit. Secura eſt, & perbeata illorum vita, quo- *Religioſorum*
rum cor & anima vna; quorum eſt vnum ſtudium *vita ſincera.*
vt vnanimes Deo inſeruiant, Deo adhæreant,
fiántque vnus ſpiritus cum Deo.

7. Per has volucres in ſacrificium incurſantes,
quæ tamen non armorum grandi apparatu, ſed
vel ſolo crepitaculo, aut clamore, aut ſola etiam
brachiorum agitatione abigebantur; intelligi
etiam poſſunt illæ gentes, quas Dominus noluit
omninò

omninò delere, sed reliquit tamen, etsi fractas atque imbelles, in terra promissionis, vt molestæ essent Hebræorum populo, atque illum perpetuò exercerent, ne ocio, & pace nimia securi Deũ suum obliuiscerentur, & ad omnem impietatem ac lasciuiam, illarum gentium dilaberentur. Sic enim scribitur Iudic. 3. *Hæ sunt generationes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israelem.* Hoc idem contingit viris alioqui spectabili sanctitate præcellentibus, vti leuioribus quibusdam defectibus non plenè deuictis impugnentur ad perpetuum humilitatis documentum, quod ita explicat S. Pet. Damian. *serm. de spirit. certam.* Israël reseruatis gentibus eruditur, dum mens nostra in paruis sibi resistentibus deficit, quia nequaquam ex se maiora subiecit. Hinc est, quòd sæpè mens in se etiam fortia superat, & vnum, quod fortasse minimum est, quantumuis solerter inuigilet, non expugnat. Quod diuina dispensatione agitur, ne humana conditio vndique virtutibus splendescens, in eleuationem subleuetur, vt in eo, quòd se superasse fortia quæque considerat, dum paruum non potest diu conando subigere, non sibi, sed illi victoriam tribuat, cuius numine potuit, quæ subacta sunt superare. Sic Damian. Optimè quidem, si vincimus, Dei opus est; si vincimur, nostra est infirmitas, imò & nostra segnities. Deinde Abraham volucres à sacrificio abigit, ne sacram Deo victimam fœdo attactu contaminent: summa enim puritas in sacrificio requiritur. Quod si pecudum cæsarum hostia tantum puritatis exigebat; quid bone Deus, dicemus de immaculato Corpore, & Sanguine Domini, quam quotidie hostiam immolamus? Ea quidem in se non modò purissima est, sed etiam totius puritatis, & innocentiæ fons, atque origo. A nobis ergo, qui aut sacrificamus, aut comedimus Domini sacrosanctam Hostiam, admiranda consequenter puritas exigetur. In nobis enim solent inesse volucres fœdæ atque carniuoræ prauatum cupiditatũ, & vitiorum, quibus Domini mensa dehonestatur. Hinc animæ corporisque simul puritatem in sacerdote significabat illa vestis hyacinthina, quam sacerdos ex præscripto Domini operaturus sacra, induebat. Quod mysterium sic euoluit S. Gregor. Nyss. *de vita Moysis.* Hyacintho est talaris vestis tincta, qua aer significatur: hortatur autem, omnem qui Dei sacerdotium assumere studet, se ipsum, ac corpus suum Deo offerre hostiam: nec pingui quodam, & carnoso huius vitæ amictu, sed tenui, sicut tela araneæ, munda viuendi ratione confecto, vt viuendi tenuitate leue atque aëreo facto sursum posse ferri videatur. Qui ergo, (vt Psalmista dicit) quasi telam araneæ animam suam liquefecit is etiam illam vestem se ipsum induat, quæ a capite vsque ad pedes circumfunditur: nec enim mancam, aut truncam esse virtutem, sed integram atque omnibus numeris perfectam lex vult. Hæc Nyss. Totus igitur sacerdos, quantus, quantus est, à capite ad pedes vsque, & corpore, & anima defæcatus, purus, ac cœlestis esse debet, vt sacrosancta Dei hominis mysteria operetur. Abigit denique Abraham à sacrificio permolestas volucres, quarum symbolo egregiè describuntur variæ, importunæ, ac fœdæ nonnunquam cogitationes, quibus occursantibus anima cum Deo agens, sæpius interturbatur, & tantùm non polluitur. At quis nostrum, quæso, non istarum ab Orco emergentium volucrum incursus, ac sordes etiam in ipsis orandi & communicandi sacrationibus adytis, vel inuitus, ac dolens patitur cum Abraham? sed vtinam etiam cum Abraham aues istas abigeremus. Meritò S. Hildebert. *Epist.* 37. hanc in se infirmitatem expertus, & dolens aiebat. Descenderunt volucres super cadauera, & abigebat eas Abraham. Has ergo infelix, eum sacrificante Abraham sacrificans, & ipse perfero. Sed cum abigente nondum datum est abigere. sic ille. Hunc eundem locum S. Greg. in hoc ipso sensu explicat. *lib.* 16. *mor. cap.* 23. sic inquit. Sæpè etiam corda iustorum subortæ cogitationes polluunt, cum terrenarum rerum delectationibus tangunt: sed dum citiùs manu sanctæ discretionis abiguntur, festinè agitur, ne cordis faciem caligo operiat, quæ hanc ex illicita delectatione tangebat. Nam sæpè in ipso orationis sacrificio importunæ se cogitationes ingerunt, quæ hoc rapere, vel maculare valeant, quod in nobis Deo flentes immolamus. Abraham, cum ad occasum solis sacrificium offerret, insistentes aues pertulit, sed eas studiosè, ne oblatum sacrificium raperent, abegit. Sic nos cum in ara cordis sacrificium Deo offerimus, ab immundis hoc volucribus custodiamus; ne maligni Spiritus, & peruersæ cogitationes rapiant, quod mens nostra offerre se Deo vtiliter sperat. Hæc Greg. Hanc humanæ infirmitatis miseriam sola post Christum filium suum Beatissima Dei Mater non sensit: tota corpore, & animo, & cogitatu munda, & formosa, & immaculata. Virgo extitit, pede conterens caput serpentis, ne vel tantula cogitatio de vitioso obiecto, malàque suggestio ex illo pullularet.

Marginalia: Iudic. 3. — *Iusti inimici defectibus humiliantur.* — S. Petr. Dam. — *Victorum victoria a solo Deo est.* — *Puritas ad sacrificium.* — *Puritas in sacerdote.* — S. Greg. Niss. *Vita sacerdotis mundissima.* — *Turpium cogitationum incursus.* — S. Hildeb. — D. Gregor. — *Abigenda cogitationes fœda.* — B. *Maria nullam habuit prauam cogitationē.*

SECTIO VII.

Cúmque sol occumberet, sopor irruit super Abram, & horror magnus & tenebrosus inuasit eum.

1. Cumque sol occumberet.] Cum iam dies in occasum vergeret: Abraham adhoc perstiſtēs iuxta cæsarum pecudum apparatum labore abigendi permolestas volucres, non parum defessus, in grauem soporem incidit: deinde pauor vehemens horrori & anxietati mixtus vna cum extasi est consecutus, in qua rerum futurarum certam à Deo reuelationem accepit. Porrò grauis iste sopor, atque ecstaticus, cui cessit Abraham Hebr. dicitur תרדמה *Thardemah*, de qua dictione in priore tom cum de Adami sopore locus esset, disseruimus. Sequitur: *& horror magnus & tenebrosus inuasit eum.* Hebr. אימה חשכה גדלה *Emah chaxe ah, guedolah* terror, tenebræ magnæ. Planè mirabilis fuit hæc visio, & qua nihil Abrahæ hucusque augustius in vita successit. Vnde sic optimè ad hūc locum Procopius obseruat. Quantos in religione progressus fecerit Abraham hic locus insinuat. Præsentis cum vitæ, tum conditionis tempus ei præterit. Nouus eum manet progressus religionis, quem dabit præueniens cum benedictio. sic ille. Nouas iam ac longè præteritis maiores Dominus seruo suo amoris ac beneuolētiæ ostensiones exhibet, eò quòd illius noua, & in dies sublimiora merita contuetur: non cessat Dominus sua in Abraham conferre beneficia, quia non ille obsequi, & laborare desistit. Scilicet hæc est natura & ingenium virtutis, vt in augmenta quotidie vberiora se fundat. Sola enim (ait S Greg. Niss. *de vita Moysis*) virtutis actio nutrit laborem, viresque auget. Quapropter magnus ille Moyses, cum semel per scalā in qua Deus innixus erat ascendere cœpisset, nunquam stetit, nunquam terminom motus nouit, sed semper de gradu in gradum ascende

Marginalia: Procop. *Virtus Abrahæ crescit.* — S. Greg Niss. *Moysis virtus augescit.*

ascendebat. Nec enim deficere vnquam potest altior gradus. Ita Gregor. Quid miramur in Moyse augumentum in virtutibus, cum illa Virgo, quam Angelus inuenit & salutauit gratia plenam,

Lucæ 1.

deinde dicatur Luc. 1. *Exurgens Maria abijt in montana?* Quonam, quæso, potuit (loquimur in sensu mystico) Dei mater assurgere? scilicet (ait Euseb.

B. Maria crescit in virtutibus.
Euseb. Emiss.

Emiss. *ser. 6 hebdom. 4. aduent.*) Virgo Deo plena, ad montana conscendit, superiora petit, iam non in terris, sed in cælis mente habitat, & spiritu conuersatur. sic ille. Maius adhuc scribitur de Filio Virginis. *Et IESVS proficiebat sapientia & ætate & gratia apud Deum, & homines.* Luc. 2. Profecit nimirum

Lucæ 2.
Qualis Christi profectus.
Theoph.
Græc.

secundùm manifestationem: sic autem (inquit Theophil.) pro nobis profecit, vt nos in eo proficiamus. Et Græcus interpres: proficiebat (ait) sapientia per eos, qui ab eo diuina docebantur. Gratia verò, qua cum gaudio promouemur credentes. sic ille. Noster profectus illi, vt proprius, deputatur. Quia verò de statu Hebræorum in Ægypto Dominus multa erat præmonstraturus Abrahamo, eligit in primis tempus ferè occidentis

Procop.

solis. Quia (vt egregiè animaduerit Procop.) non statim, sed aliquanto temporis spatio interiecto id eueniet. Afflictionem Abrahami nepotibus inferri patitur, vt tandem tribulationum procellis erepti efficaciùs agnoscant Redemptorem: cognoscantur quoque & in vniuerso orbe propter signa, quorum interuentu ex Ægyptiaca seruitute dimisit Hebræos, semen Abrahæ. Sic Procopius. Itaque ex magnis tribulationibus, quas

Duplex lucrum ex tribulatione.

viri sancti pro Deo suo cum admirabili patientia sustinent, hæc duo elucrantur: nimirum in cœlo æternæ gloriæ palmam, & coronam, atque in terra apud homines famam nominis immortalem.

Euseb. Emiss.

Pulchrè enim dictum est ab Eusebio Emiss. *homil. de naui.* Matth. 8. Cœlum petunt Martyres cum

Martyrum honor.

honore: valet igitur patientia in aduersis ad merita gloriæ, & ad famam nominis, quod in sanctis Martyribus euidentissimè demonstratur. D.

D. August.

August. ad extrema mundi tempora prophetiam hanc existimat pertinere. Sic enim scribit *lib. 16. de ciuit. cap. 24.* Quod circa occasum solis pauor irruit in Abram, & timor tenebrosus magnus, significat circa huius seculi finem magnam perturbationem, ac tribulationem futuram fidelium, de qua Dominus in Euangelio dicit: *Erit enim tunc*

Matth. 24.

tribulatio magna, qualis non fuit ab initio. Matth. 24.

Tribulatio ad finē mundi.
Luc. 21.
Euseb. Emiss.

sic August. Et quidem perturbatio mundi, quæ hîc innuitur posteà dilucidiùs explicatur à Christo Domino Luc. 21. illis verbis: *Erunt signa in sole & luna, &c.* Etenim (vt appositè obseruat S. Euseb. Emiss. *homil. in 2. domin. aduent.*) sicut in Christi natiuitate pax, & exultatio fuit cantantibus Ange-

Antichristi tempora.

lis &c. ita & Antichristum perditionis filium, lites, contentiones, dissentiones, terræmotus, pestilentiæ, & fames, & alia his similia signa præcedent. sic Euseb. At verò deinde tribulatio à Domino prędicta significat prodigiosam illam, & nullis ante seculis visam, auditámque persecutionem, quam Ecclesiæ Dei Antichristus inferet; sed breui tempore durabit ea tẽpestas; sopor hîc dicitur: soporata enim in nocte Ecclesia Christi, manè subinde euigilabit in miram aureæ pacis tranquillitatem; ipsa enim dixit: *Post tenebras spero lu-*

Iob. 17.

cem. Iob. 17. quare vt Dominus statim apposuit: sed propter electos breuiabuntur dies illi. Nempe

Euseb. Emiss.
Antichristi duratio breuis.

(adiungit idem Eusebius) vt non tantùm viuat Antichristus, quantùm se viuere sperabit. Ah quàm nocet falsa, & vana spes vitæ longioris! si nosset Antichristus se citò cum sua illa pompa, & potentia moriturum, fortè sui compos viueret: obliuio igitur mortis, & spes vitæ parient Antichristum.

Duo mala parient Antichristum.

2. *Sopor irruit.*] Non qualiscunque, vt paulò antè subnotauimus, fuit hic sopor, sed omninò ecstaticus cum quadam alleuatione mentis à sensibus vt habiliùs & sacratiùs cum Deo colloqui, & rerum futurarum mysteria ab eodem accipere

Sopor Abrahæ ecstaticus.
Procopius.

posset. Quæ sententia est Procopij hoc pacto. Ecstasis illa non furor existimanda est; imò est admiratio quædam, & translatio à visibilibus ad inuisibilia. Sic ille. Peropportunè quidem ecstasis siue sopor iste cecidit ad solis occasum; quia lux humanæ cogitationis solet protsùs offundi ad rerum cœlestium fulgorem nostris animis exorientem. quod sic pereleganter euoluit Philo, *lib. de somniis*:

Philo.
Cognitio diuina nimis irradians.

Nonne vides solem aliud orientem, aliud occidentem efficere? Namque ortus eius illustrat, quæ in terris sunt omnia, at quæ in cœlis sunt astra occultat. Contra verò eius occasus cælestia sydera ostẽtat, terrestria autem corpora quasi velo quodam caliginis, & tenebrarum contegit. Ad eundem modum res nostræ se habent: quoties enim sensuum, & humanarum rationum fulgor in nobis

Scientia fulgor.

oritur, tunc scientia, & contemplatio rerum cælestium deficit: at in illorum occasu, fulgentissimæ virtutum, & diuinarum contemplationum stellæ apparent, quando etiam res ipsa, re nulla velante, fit sibi quasi aspectabilis, & conspicua. Hæc ille. At quod Philo de scientia egregiè obseruauit, hoc

Virtus in aduersis radiat.

idem de fulgore virtutum aptiùs, & veriùs dici potest. Solet enim occasus solis astra, quæ cœlo fixa latebant, detegere: hoc est, caligo afflictionum virtutes, si quæ insunt in animo, conspicuas mundo exhibet. Illustrissimos fecit Martyres tribula-

Vnde Martyres fiunt.

tionum obscurus horror, ac vitæ propriæ occasus. Ingruit nox, & nihil à mundo lucis, ac fauoris irradiat: quinimò iniuriæ, opprobria, vis, & furor irruit. *Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint,* ait Dominus Matth. 5. Quẽ

Matth. 5.
S. Paulin.

locum expendens S. Paulin. ita scribit *Epistol. 6.* Quorsum nobis gratia mundi, quæ est odium

Optanda persecutio mundi.

Christi? Displiceamus hominibus, & gloriemur iisdem nos displicere, quibus & Deus displicet. Non nostrum, sed Dei opus in nobis lacessunt: quem in suis actibus spernunt, in nostris operibus oderunt. vtinam digni habeamur, qui maledicamur, & notemur, & conteramur, atque etiam interficiamur in nomine IESV CHRISTI. Hæc Paulin. Atque vtinam etiam cum innumerabilis sit in Ecclesia Christi sanctissimorum Martyrum multitudo, qui mediis in persecutionum tenebris vti sydera reluxerunt, ad illorum exemplum aliquam patientiæ vmbram in nostris leuiculis

Imitanda patientia Martyrum.

probationibus præferamus. Mundi maledicta pro Christo nobis inflicta vti rosas legamus, vti margaritas æstimemus, vti Dei fauores, ac delicias,

D. Hieron.

amemus. Vbi enim (inquit S. Hieron. ad locum Matth.) Christus in causa est, ibi & optanda maledictio est. sic ille. Præterea fulgor ille virtutum, qui se prodit inter afflictionum tenebras, virúmque reddit in orbe conspicuum dici quodammodò potest præmium, quo etiam in terra sancti do-

Duplex premium tribulationis.
S. Hildebert.

nantur, præter illam in cœlis mercedem copiosam qua perfruuntur. Qua de re sic scribit S. Hildebert. *Epist. 72.* In hac vita quædam merces virtutis est conspicuum, & immortale testimonium. Hoc ipsa sibi comparat, hoc sibi ipsa custodit. Huius splendor non minuetur inuidia. Bonorum enim existimatio falsis delationibus auferri non potest.

Obtrectatio non obest virtuti.

Hæc ille. Potest etiam haud ineptè per occasum solis significari obitus Iosephi; qui veluti sol illuminabat, ac fouebat Hebræos in Ægypto: illo

enim

enim viuente prospera omnia, & felicia iisdem fuerunt: at post Iosephi obitum cœpta est Hebræorum seruitus, & oppressio. Scribitur enim: *Surrexit interea Rex nouus super Ægyptum, qui ignorabat Ioseph.* Exod. 1. Vbi adnotabis, quandiu aut vixit Ioseph, aut eius memoria perdurauit inter Ægyptios, tandiu Hebræos in pace vixisse, nec molestiæ quicquam ab Ægyptiis accepisse: Simulatque verò Iosephi memoria obliuioni tradita est, perfidiosos, crudeles, ingratos in populum Hebræorum Ægyptios se præbuisse. Quare sic optimè Lyranus: Quandiu vixit Ioseph, bene fuit filiis Israel in Ægypto, & post mortem eius quandiu fuit memoria de beneficiis eius. sic ille. Mihi hoc loco consideranti deprauatam hominum consuetudinem, admirari licet tam officiosum gratúmque ingenium Ægyptiorum, qui tot per secula viuam, atque integram memoriam beneficiorum, quæ à Ioseph acceperant, conseruarunt. Septem enim reges ab illo Pharaone qui Iosephum extulit, vsque ad istum nouum, qui ignorabat Ioseph, & opprimere cœpit Hebræos, numerantur ab Eusebio, & S Hieron. vt hinc appareat infamis & detestanda hominum barbaries; qui etiam noua, & recentia beneficia cum benefactoribus pariter velut abolita vetustate, penéque nulla obliuiscuntur. Ad hæc Solis iste occasus significabat extremam partem quadringentorum illorum annorum; in qua multo grauius & acerbiùs recrudescere visa est tyrannis Ægyptiorum in Hebræos: nam vbi nos legimus: *Oderant filios Israel Ægyptii,* Exod. 1. Procopius habet: Hebræus ponit *affligebant & excarnificabant filios Israel.* ad excruciandum hunc populum incitabantur cernentes eum subinde fœcunda augescere sobole. sic ille. Quid si denique occasus Solis significet obitum ipsius Abrahami, qui vti Sol mundo, dum viueret illucebat; quem Dominus noluit esse participem illius seruitutis; voluit autem vt multò ante illam valde longæuus, & fortunatus diem suum in pace obiret?

Exod. 1.

Gratitudo beneficiorum commendatur.

S. Eusebius. D. Hieron.

Exod. 1. Afflictio Hebræorum in Ægypto.

3. Diximus de occasu Solis; quo temporis momento sopor ille ecstaticus irruit in Abram. Nunc iam de sopore ipsó disserendum. Ac primò quidem sopor iste significat illum, quem sacræ literæ attribuunt Deo cum suorum fidelium calamitates non amouet; sed vlteriùs desæuire permittit: tunc enim quodammodo dormire alto sopore pressus videtur. Affligebātur Hebræi ab Ægyptiis; gemebant illi; at illi ferociter exultabant: cum tamen Deus interea subuenire illis, & punire istos non curare videretur. Hoc etiam pacto Propheta persecutiones, quibus Ecclesia Christi defuncta sæpiùs fuit, describens in Psalm. 43. demum exclamat: *Æstimati sumus, sicut oues occisionis. Exurge; quare obdormis Domine? Exurge, & ne repellas in finem. Quare faciem tuam auertis: obliuisceris tribulationis nostræ?* Vbi S. Hieron. Dixeras Domine quòd missurus nos esses tanquam oues in medio luporum. Nunc autem, quia ab his tentationibus elongatus es; & tanquam si in naui dormiens, non nós à tempestate defendis, excitamus te confessione supplici deprecantes: *Exurge: &c.* sic Hier. Pulchrè S. Doctor Psalmum cum Euangelio coniungit, vbi Matth. 8. scribitur: *Ascendente Iesu in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius; & ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipse verò dormiebat.* In quem locum egregia est homil. 5. Euseb. Emiss. de qua hoc referam. Non dormit (inquit) Dominus: sed prælium intuetur, & certaminis simul finem, & bellantium fidem expectat. Et quia non statim laborantibus subuenit, dormire putatur. Sed si consideremus eius certaminis qualitatem, eiúsque victoriæ modum; tunc victores existunt, quando ab iniquis victi esse creduntur. Tunc enim sancti indubitanter vincunt, quando humilitatem, & patientiam non admittunt. sic Euseb. Gloriosa est victoria iustorum; cum nec in prosperis efferuntur, nec in aduersis indignantur; sed illic humiles, hic patientes existunt. Duo hic ex D. Chrys. obiter adnotarim; & præmissis turbis solos cum Christo Domino discipulos nauem conscendisse; & nihilominus cum Domino nauigantes tempestatis periculum subiisse. Nam, vt palæstræ, (inquit) magister optimus, ad vtrumque eos exercebat; ne aut terrore vincerentur in periculis, aut honoribus efferrentur: ita ne magnum quid sibi arrogent, quoniam aliis omissis ipsos tantùm secum retinuit, vt in tempestatem incidant permittit: & simul in perferendis aduersis fecit meliores. hæc Chrys. Itaque Dominus in humilitate & patientia suos discipulos exercuit; de quibus virtutibus optimè illud obseruat S. Hildebert. *Epistol.* 62. Patientia & humilitas inter cæteras virtutes inueniuntur humanæ redemptionis obtinuisse principatum. tota Christi vita nihil aliud in terris, quam exempla, & doctrina eorum fuit. sic Hildebert. Quamobrem vt his duabus tam præclaris virtutibus viri iusti emineant, Dominus ita eos in tribulationibus deserere videtur, ac si dormiret, eósque omnino de memoria, atque amore deleret. Vult enim vt illi necessitate compulsi ad orationis asylum confugiant, Deum inclament, atque implorent, orando, gemendóque Dominum suscitent dormientem: haud dubiè nostris clamoribus excitatur, & imperat mari, ac ventis, & fit tranquillitas magna, vt hoc loco Matthæi legimus contigisse. *Et accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eum dicentes: Domine salua nos perimus. Tunc surgens imperauit vētis, & mari, & facta est tranquillitas magna.* Hinc perbellè colligit S. Euseb. Emiss. *citata homil.* Christi discipuli, non armis, sed clamore, & orationibus maris huius procellas deponere discant. Accedant ad Iesum, suscitent eum, dicentes: *Domine salua nos perimus.* Sic se defendant, hæc arma suscipiant, hoc auxilio se tueantur, & hoc clypeo muniantur. sic ille. At dices, te sæpè inter procellas ærumnarum huius vitæ inclamasse; nec tamen illas omnino quieuisse. bene sic aliquando fieri videmus; sed si perseueranter instabis orando, patientiam ad vberius tui meritum & coronam oratio ipsa consequetur. Verè namque ac luculentè adiungit idem Euseb. Nec ideò se non exaudiri existiment, quia persecutio non cessat; quoniam nihil minus exaudiuntur, si eis aduersa tolerandi patientia datur; quàm si omnis illa persecutio ab eis tollatur. hæc Euseb. Sed hoc in populo illo Hebræorum apertè visum est, vti legitur Exod. 2. his verbis: *Ingemiscentes filii Israel propter opera vociferati sunt, ascenditque clamor eorū ad Deum ab operibus. Et audiuit gemitum eorum ac recordatus est fœderis, quod pepigit cum Abraham, Isaac, & Iacob. Et respexit Dominus filios Israel, & cognouit eos.* Oratio enim cum humilitate, & lacrymis admirandum in modum excitat, inflectitque Dei pectus, vt quamprimùm oranti, ac lugenti ferat opem. Nam si Dominus, (inquit S. Chrys.) conspexerit nos amare precandi studiū, & continenter orare Deum, si viderit expectantes, omnia bona illinc defluent, &c. *lib. 1. de orando Deo.* Defluit quidem è cœlo diuina gratia per orationem ad nos, tanquam per aquæductum In his vberibus exsugunt animæ diuinarum voluptatum dulcedi

Dormire dicitur Deus in tribulationibus suorum.

Psal. 43.

S. Hieron.

Matth. 8. Christus in naui cum discipulis.

Euseb. Emiss.

Vincunt iusti in patientia & humilitate.

S. Chrysost.

Humilitate & patientia exercentur Apostoli.

S. Hildeb.

Euseb. Emiss. Potentia orationis.

Exaudit Dominus cum patientiā ingerit orantis.

Exod. 2.

D. Chrysost. Oratio ingemiscentis & humilis impetrat.

Isaiæ 66. dulcedinem vti promissum est Isaiæ 66. *Gaudete, qui lugetis, vt sugatis, & repleamini ab vbere consolationis eius vt mulgeatis, & deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius*, &c.

4. *Horror magnus, & tenebrosus inuasit eum.*] Iuxta Hebr. vt præmisimus: terror, obscuritas magna. Similiter per horrorem & caliginem præmonstrantur grauissimæ calamitates, quas Hebræi passuri erant in Ægypto, de quibus hucusque disseruimus. *Aduentum Dei horror, & tenebra præcedunt.* Sed quorsum tam multa, & insolita contingunt Deo aduentate ad colloquendum, & paciscendum cum Abram? Quia (respondet S. Chrysost.) S. Chrysost. modis omnibus attentiorem eum facere vult, ideò ecstasis, & horror magnus, & tenebrosus inuadit eum, vt per omnia, quæ fiunt, sentiat se videre Deum. Eum enim morem Deus vbique habet. Nam & postea eum Moysi in monte Sinai daturus erat legem, *Tenebræ* (inquit) *& caligo erat, & mons fumigans.* Exod. 19. Exod. 19. Propter hoc etiam dicitur: Psalm. 103. *Qui tangit montes, & fumigant.* Psalm. 103. Enimuerò, quia incorporeum videre per sensibiles hosce oculos, nō est possibile, ideò aliter suam nobis operationem significare vult. Ita Chrysost. Itaque totus iste rerum tam insolitarum apparatus Dei aduentum repræsentans hominem excitat, vt se totum Deo possidendum præbeat. Bene Lyppom. Lyppom. colligit, non in somnis tantum vidisse Patriarcham talia fieri, sed reuera facta hæc omnia. *Visio Dei in somnis* An ne Sole occidente Abraham in somnum incidit, dormientique obscurum, & horribile quiddam sese obtulit inter insomnia? Quem morem obseruatum à Deo sæpiùs legimus, præsertim cum & nox & somnus ipse ad rem præsentem significandam assumitur, vt hoc loco atque Matth. Math. 1. 1. potissimùm apparet, vbi scribitur: *Apparuit Angelus Domini in somnis Ioseph, dicens: Accipe Mariam cõiugem tuã, &c.* Enimuerò quid est, quod non in vigilia, sed in somno, quinetiam in somnis, hoc est, duplicato somno, alto sopore dormienti Ioseph Angelus Domini apparuit, vt eum de virginali conceptu beatissimæ Mariæ certum redderet? Et quid tantus ille somnus indicabat? Eusch. Emiss. Optimè occurrit S. Euseb. Emiss. *homil. in Vig. Nat.* *S. Ioseph ignarus de conceptu B. Virginis.* Bene (inquiens) in somnis. Si enim Ioseph non dormisset, si extra se non fuisset, si mentis oculos apertos habuisset, si Solem, qui iam in Maria oriebatur Spiritu sancto reuelante, cognouisset; procul dubio nihil tale cogitare potuisset. sic ille. Ignorantiam tanti miraculi in Virgine, quam Ioseph habebat, *Somnus ignorantiã significat.* somnus ille, in quo dormienti Angelus apparuit, demonstrabat, quemadmodum sopor Abrahæ tribulationes Hebræi populi in Ægypto. Cæterùm adueniens Angelus vicem Dei gerens, timorem sui aduentus præuium valde horribilem incutit Abrahamo; at Angelus apparens Ioseph ait: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Ille quidẽ timor ab homine debebatur Dei aduenientis maiestati; at iste admirabilem Virginis Matris pudorem prorsus dedecebat. Hinc illa S. Euseb. egregia paraphrasis eiusdem Eusebij sic habet. *Angelus S. Iosephum tranquillat.* Noli timere, noli dubitare, pelle suspicionem: non est vt cogitas. Nondum cognoscis hanc Virginem? nondum bene vidisti Mariam coniugem tuam; ipsa est templum Dei, ipsa est porta cœli; ipsa est Domina tua, quam putas esse sponsam tuam. Accipe igitur eam iam nunc quasi Dominam, sis ei obediens, non imperans, vt maritus. Hæc Euseb. Scilicet arbitratur, quod & alijs placuit, Ioseph post contracta sponsalia, cum vix de *B. Virgo in domo parentũ concepit.* facie agnoui: beatissimam Virginem, domũ suam rediisse; at Virginem in domo parentum remansisse; quo deinde tempore Virgo concepit de

A Spiritu Sancto. Quare in hac opinione pereleganter dicitur: Nondum bene vidisti Mariam. Enimuerò tanta erat maiestas illius Virginis, sic *Mira maiestas in B. Virgine.* vel in vultu virgineo plusquam cœlestia, imò planè diuina omnia affulgebant: vt eam intuentes nihil minùs, quàm sinistram huiusmodi suspicionem de ipsa colligere potuissent. Prætereà timor & horror ille Abrahæ horribilem ferocitatem Ægyptiorum, ac timorem laborantium instar mancipiorum Israelitarum figurabat. At quid sibi timet Abraham? quia Deus aduentat. An non fidelis seruus Domini? planè sic fidelis, vt qui maximè. Sed quis, licet Dei seruus, modò sapiat, *Iustus timor ante Deum.* Dominum suum aduenientem non timebit? maximè verò cum moneatur à Domino, vt dicat: Lucæ 17.

B *Feci quod facere debui, seruus inutilis sum.* Luc. 17. Heu me miserum, quid facienti, quæ non debui: aut saltem non facienti, quæ debui mihi fiet: si seruus, qui postquam fecit, quæ facere debuit, adhuc tamen inutilis est? Optimè hunc locum expendit S. Paulin. *Epistol.* 10. hisce verbis: Si po- S. Paulinus. tuerimus mandata Domini per ipsius opem facere, necesse habemus sic quoque inutilitatem nostam fateri; quia imputare non possumus debitam seruitutem, si tantùm præcepta faciamus. Inutilis enim, & nequam seruus est, qui nihil ad *Seruus vltra mãdata operari debet.* necessitatem debiti muneris voluntario addit affectu, non habiturus vnde præmium speret, si tantum conditionis officia dependerit. Quamobrem etiam mandata complentes timeamus semper di-

C centes Domino: *Ne intres in iudicium cum seruo tuo, Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Psal. 42. hæc Paulin. Sed quorsum Psalm. 42. caligo, & obscuritas ad Dei aduentum? Respondet Procop. Huic & illud (inquiens) affine est: *Posuit* Procopius. *tenebras latibulum suum.* Psalm. 17. Nam superna- Psal. 17. turalium, & verè illorum cœlestium dogmatum *Dei cognitio etiam doctis obscura.* speculatio, & comprehensio non nihil obscuritatis primò etiam doctis & magnis parit. Sic ille. Illa etiam caligo præuia diuino aduentui Verbi diuini admirabilem, incomprehensibilem, atque adeò humanis ingeniis obscuram significat incarnationem. Tunc enim verius dicitur: *Posuit tenebras latibulum suum.* Psalm. 17. Latibulum, Psalm. 17. D. Hieron. (explicat S. Hieron.) seipsum dixit in scripturis: *Deus in vtero Virginis.*

D *In circuitu eius tabernaculum eius.* Christus in Maria quasi sponsus in thalamo, & corpus Mariæ, quasi tabernaculum. Tenebras dicit, eo quòd nobis obscura est incarnatio, vel natiuitas eius. Hæc ille.

5. Hæc omnia ideò existimat S. Ambros. con- D. Ambros. tigisse Abrahæ, vt Propheta hinc esse demonstra- *Abrahã verè Propheta.* retur: quia simili rerum cœlestium commotione Prophetæ diuinitus concitabantur. Sic autem infit *lib. 2. de Abraham cap. 9.* Quàm hoc Abraham spiritali, & prophetico affectu fecerit, sequentia docent. Nam Solis occasu excessus cecidit super eum, & ecce timor magnus, & tenebrosus incubuit super eum. Excessus Prophetis fieri solet. *Ego dixi in excessu meo.* Psalm. 115. Excedit enim mens Psalm. 115. Prophetæ velut fines quosdam humanæ pruden- *Mentis excessus in Prophetis.*

E tiæ, quando repletur Deo. Et ante euacuat se cogitationibus, & disceptationibus sæculi huius, vt aduenienti gratiæ spiritali puram se, & exinanitam præbeat; superueniat in eam Spiritus sanctus magna se vi infundens, ita vt mens hominis *Aduẽtu Dei turbatur homo.* subitò turbetur. hæc Ambros. Quid mirum si ad ingressum Regis rusticanus homo turbetur, & aduentum diuinæ maiestatis humana fragilitas sentiat, & immenso rerum sublimiorum ponderi succumbat? Hoc ipsum legimus solitum euenire gentilium sacerdotibus, ad vanorum Deorum oracula sese expedientibus, quod egregiè finxit

Latinus

Latinus Poëta in sua illa Cumæa Sibylla, de qua ita cecinit:

Ventum erat ad limen, cum Virgo: Poscere fata
Tempus (ait) Deus ecce Deus. Cui talia fanti
Ante fores subito non vultus, non color vnus,
Non comptæ mansere comæ: sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, maiórque videri,
Nec mortale sonans, afflata est numine quando
Iam propiore Dei.

Virgil. 6. Æneid nimirum cur non timeret, consternatáque fureret mulier ad diaboli aduentum? Sed ne quis arbitretur, hæc tantùm fieri cum Deus seueriore habitu metuendus ad puniendum descendit, adiungit eruditè S. Ambros. Denique Angelus venit ad Mariam, & cum securitate, & gratia venit, & tamen Maria mota est in introitu eius. Vnde Angelus ait ad eam. *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum: & ecce concipies in vtero, & paries Filium.* Luc. 1. Cognoscimus ergo, quia quando venit gratia Dei super propheticam mentem, subitò irruit; & inde incubuisse, & cecidisse super Prophetas Spiritum sanctum legimus; quia excessum pariter & turbatur, & timet, & quibusdam ignorantiæ, & imprudentiæ tenebris offunditur. sic Ambros. Quare non est quòd quis Abrahamum aut nimiæ imbecillitatis arguat, aut pauculi meriti & gratiæ apud Deum, qui tantopere ad illius ingressum fuerit conturbatus. Nam, vt egregie apponit S. Ambros. & timorem Abrahæ, & tenebras mirari non debes, quasi præter virtutem aut meritum eius acciderint, cum Prophetarum consuetudini congruere aduertas, quando cognoscunt futura: meritò autem tenebrosus horror magnus factus est, quia magna oracula defetebantur cum de populo seculorum dabatur præceptum. sic ille. Hæc verò tam insolita rerum commotio, quæ Prophetis solet euenire, maximè fit a maiestate Dei aduentantis ad hominem, quod idem Ambros. sic in Saulo confirmat. Sicut & in actibus (inquiens) Apostolorum legimus; quia circa eum fulsit lux super Saulum de cælo, & cecidit, & horre te animi turbatus est, & audiuit vocem de cœlo dicentem: *Saule, Saule quid me persequeris?* desinit enim videre secularia, qui incipit videre diuina. Hactenus S. Ambros. Quanta verò esse oporteat ab omnibus huius vitæ curis, à seculi negotiis, & ab omni re, quæ Deus non est, separatio, & ad sola diuina mentis, sensuúmque intentio in eo, qui Dominum Deum suum non ad colloquium mutuum, sed ad pabulum animæ suæ iucundissimum expectat, excipit, & introrsum condit in viscera, cum diuinam sumit Eucharistiam? Euacuet igitur (vt verbis Ambros. paulò superius allatis vtar) se antè cogitationibus, & affectionibus seculi huius, vt aduenienti Deo purum se, & exinanitum præbeat. Sic enim homini ritè disposito superueniens Deus, & magna se vi infundens illum suarum gratiarum abundantia replebit. Ingrati planè sunt Deo suo, qui (vt benè arguit S. Petr. Dam. *serm. de vitio lingu.*) Deum, quem silentio & orationibus insistendo (adde & communicando) in se suscipere ante meruerant, nunc vacando fabulis, & sermonibus otiosis tantò periculosiùs, quantò viciniùs, persequi non formidant. sic ille. Denique intra velum caliginis, hoc est secretum à rebus visibilibus ad interiora scilicet, sancta Sanctorum inducitur anima, vt cum Deo familiariter agat; vbi dum vehementiùs diuino fulgore illustratur, magis ad humana inspicienda cæcutit. Etenim (vt benè obseruat Philo *lib. de legu. diuin. herede*, locum istum Genes. explicans) exoriente diuino lumine humanum occidit: contra occidente illo hoc exoritur, quod solet accidere prophetico generi.

S. Ambros.

Luc. 1.

Timor beatæ Mariæ in aduentu Angeli.

S. Ambros.

S. Ambros.

Sauli conturbatio ad vocem Christi.

Act. 9.

Vera dispositio ad Eucharistiam.

S. Petr. Dam.

Post Eucharistiam parce loquendum.

Philo. Hebr.

B

C

D

E

SECTIO VIII.

Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subiicent eos seruituti, & affligent quadringentis annis. Verumtamen gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo: & post hæc egredientur cum magna substantia. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. Generatione autem quarta reuertentur huc.

1. Hebr. ידע ידע iadagh, thedagh. sciens, scies; Hebraismus est valde vsitatus, de quo satis in priore tomo adnotauimus; importat omnimodam rei, de qua agitur, certitudinem. Sensus igitur est: Scito hæc certo certiùs euentura, quæ nunc tibi manifestabo. Nempe quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua. Semen tuum; vtique Isaac, & eius posteri. Non quidem Ismael, aut quiuis alius, sed solus Isaac vocatur semen Abrahæ iuxta illud Genes. 21. *In Isaac vocabitur tibi semen.* Atque hoc sit fundamentum valde firmum ad veritatẽ communioris sententiæ stabiliendam, de qua mox differemus. Peregrinum erit semen tuum in terra non sua, scilicet in Chanaan, Mesopotamia & Ægypto: Nam licet Isaac & Iacob nati fuerint in terra Chanaan, non illam tamen, vt suam, vt patriam habuerunt, cum nihil in ea possederint; imò vt peregrini & hospites in casulis habitauerint, vti dicitur ad Hebræos *cap. 11* rectè ibi vocat Apostolus Isaac & Iacob heredes promissionis; non enim ipsi (ait S. Chrys.) adepti sunt promissionem. Itaque illis obuenit promissio facta Abrahæ, tanquam hæreditas: non tamen terra ipsa promissa: quam denique illorum nepotes post Ægyptiacam seruitutem iure hæreditario propter promissionem à Deo patribus suis factam possederunt. Additur: *& subiicient eos seruituti; & affligent quadringentis annis.* Percelebet hic inter alios Genesis locus habetur, in quo multi multa eruditè dicunt. Vide inter cæteros Peter Delrio ad hæc eadem verba. Barrad. *lib. 5. concord. 10.* Martin. Hypot. *lib. 6.* Sed cur dicit, terram non suam: nec verò eam nominat? Fortè Dominus sapientissimè nomen illius terræ occultauit, ne Abraham, aut verius illius posteri, odio illam, & incolas eius haberent, à quibus essent grauissima seruitute opprimendi: non est homini securum illos agnoscere, à quibus aliquid aduersum, & iniuriosum patitur: periclitatur enim detecto inimico Christiana charitas, & patientia: è contrario ignescit odium, & vindictæ ardor mentem inflammat. Nemo igitur alteri alterius dictum, & factum contumeliosum deferat: fiet enim sator discordiarum inter fratres, atque adeò abominabilis coram Deo. Nec similiter quisquam aueat scire à quonam probris, & maledictis impetitur, quem suæ famæ, aut pecuniæ depeculatorem habet. Ignoremus, vnde nobis mala eueniunt: quod fortasse nos ipse Dominus IESVS voluit edocere, cum velata facie alapas accepit irridentibus aduersariis: *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit.* Luc. 22. Vbi optimè S. Chrys. Cœli, ait) & terræ Dominus Iesus sustinet, & patitur (impiorum ridicula, formam nobis patientiæ præbens. sic ille in Catena S. Thom. Sed quænam bis hæc est forma patientiæ? scilicet faciem exponere

Solus Isaac semen Abrahæ.

Genes. 21.

ad Hebr. 11.

D. Chrysost.

Periculum est si noueris inimicum.

Quis sator discordiarum.

Velatur & ceditur Christi faciès.

Luc. 22.

S. Chrysost.

Patientia in iniurys. nere alapis, & oculos tamen claudere: facies quidem accipiat plagas; oculi non videant percutientem. Sed miseri frustrà velauerūt faciem eius, qui *Beda.* omnia videt. Pulchrè animaduertit Beda: velaue- *Iudæi repulsi à Christo.* runt (inquiens) eum; non vt eorum ille scelera non videat, sed vt à se ipsi faciem eius abscondant. Hæc ille. Hæc enim est externa Iudæorum infelicitas. Non vident, quia à seipsis eam repulerunt, Christi Dei hominis faciem, fauorem, amorem, *Iniuriarum oblivio.* & gloriosam visionem. Præterea docemur, vt velum nobiscum habeamus, quo iniurias nobis illatas occultemus, nec viuant, vigeántque in nostris oculis, & cordibus, quæ nobis mala semel illata fuerunt; idque ad exemplum Domini velata faciei plagas, & ludibria excipientis, vt tollatur prorsus ab illius seruis praua hominum consuetudo; apud quos (vt bene loquitur S. Hildebert. *Epist.* 59.) diuturnior est iniuriarum memoria, quàm beneficiorum.

2. *Et subijcient eos seruituti, & affligent.*] Vbi nos vertimus *affligent*, Hebr. ענו *ghinnu* à radice ענה *ghanah*, respondere, humiliare. Hæ sunt præcipuæ illius significationes, ad has verò cæteræ reducuntur. Quare optimè verti potest, *humiliabunt*. Ac primò quidem sese offert admirari diuina iudicia; nimirum quid sit, cur semen Abrahæ tot per annos peregrinum, humiliatum, subiectum, afflictúmque fuerit? Non apparet delictum aliquod tam graue, quod tam acerbam persecutionum istarum pœnam promereretur. At fortasse non ita habet ad oculos Dei, quibus in illo populo pate- *Peccati castigatio à Deo.* re delicta potuissent, quæ tali egerent medicamento. Quo circa humiliati, & afflicti, si sapiunt, animo identidem versent, quid contra Deum suum peccarint, quod patris beneuolentiam in iudicis commutarit seueritatem. Nihil enim (ait S. *S. Chrysost.* Chrys. *hom.* 3. *Antioch.*) sic peccata in memoriam reuocare consueuit, vt pœna, & castigatio. sic ille. Quin potiùs cum Deus ita semen Abrahæ subiicit Chananæis, & Ægyptiis, atque ab impiis *Deus vt pater suos affligit.* pios affligi permittit, Pater vtique afflictorum est, Iudex autem affligentium, quibus vtitur, velut seruis, ac satellitibus ad filiorum paternam corre- *S. Remig.* ctionem. Hinc illa perelegans sententia S. Remig. *in Psalm* 73. Solet Deus facere, quod frequenter faciunt homines: qui colligunt qualecunque sarmentum, & corrigunt inde filios; quibus correctis *Per malos boni exercentur.* sarmentum mittunt in ignem, & filiis seruant hæreditatem. Ita Deus per impios probat pios, & frequenter per temporalem potentiam damnandorum exercet disciplinam saluandorum. sic ille. *Patientia probatur aduersis.* Præterea sic omnipotens, vt probet hominis patientiam, finit illum afflictari. Vera enim charitas in Deum apparet, cùm etiam peracerbè correptus, nec timorem, nec amorem filij erga patrem *S. August.* exuisti. Vnde illud optimè dictum est à D. Aug. *in Psal.* 32. *conc.* 1. Laudas Deum quando tibi bene est, blasphemas quando tibi male est. Eris insulsus *Deus etiam pater, dum verberat.* puer in domo Patris, amans Patrem si tibi blanditur, & odio habens, quando te flagellat: quasi non & blandiens, & flagellans hæreditatem paret. Ita D. Aug. Vult etiam Dominus admirabilem illam homini tribuere gloriæ palmam, quam solet comparare qui diligit inimicos, & dilectio- *Diligere inimicos summa est virtus.* nem pro odiis rependit: quod summum est Christianæ patiētiæ & charitatis fastigium. Aut saltem volebat Dominus, vt serui sui sic contumelias hostium æquanimiter sustinerent, nec redderent retribuentibus sibi mala: iuxta illud Dauidis Saulem truculentum & iniquum constanti animo *Psal.* 7. tolerantis. *Si reddidi retribuentibus mihi mala.* Psal. *S. August.* 7. Quæ verba sic peracutè expendit S. Aug. Non

A ait, si reddidi tribuentibus, sed retribuentibus. Qui enim retribuit, iam aliquid acceperat. Maioris autem patientiæ est, nec ei mala rependere, qui acceptis beneficiis reddit mala pro bonis, quā si nullo accepto beneficio nocere voluisset. sic August. Deinde in bonum seminis Abrahæ cedet huiusmodi afflictionum tam horrenda congeries. quod ita euoluit S. Chrys. *homil.* 4. *Antioch.* Non *D. Chrysost.* doleamus, sed gratias Deo habeamus; multum est enim ex tribulatione lucrum: nam qui, cum agri- *Lucrum ex tribulationibus.* cola semina multo cum labore collecta seminauerit, ignarus quidē omnia, quæ fiunt, cernens admirabitur, fortéque apud se ipsum dicet: Quid hic homo tandem facit? collecta dissipat, nec dissipat tantùm, sed & terræ cum multa cura commiscet,
B ne facilè colligi possint: nec commiscet tantùm terræ; sed & optat vehementem pluuiam, vt proiecta omnia marcescant, & lutum fiant; & turbabitur cernens fulmina, & coruscationes deferri. Agricola verò non ita, sed lætatur, & gaudet tem- *Hebræa gens in Ægypto sata ad gloriam.* pestatem cernens; non enim præsentia respicit, sed futura spectat; non respicit ad fulmina, sed manipulos computat; non marcescentia semina, sed vernantes spicas; non grauem imbrem, sed iucundissimam areæ ventilationem. Itidem & nos non præsentem spectemus tribulationem, aut dolorem: sed orientem ex ipsa vtilitatem, ex ipsa nascentem fructum. Hactenus Chrysost. sic planè seminatum est, cum peregrinabatur semen Abrahæ: sic inter sulcos terræ persossum, cum operibus
C luti premebatur: sic testatum imbribus fœcundatum cum persecutionibus attritum ingemiscebat. ac lucrum inde quàm incredibile collectum est, cum numerosissima Hebræorum multitudo direptæ Ægypti spoliis ditata opimis, per multa & inaudita diuinæ potentiæ miracula, aperto, & sicco mari, ac debellatis gentibus per stratas cælesti pane vias pergens, in terra demum melle & lacte manante conquieuit? Denique subiiciantur, affli- *Lucrum ex humiliatione.* ctentur, & humilientur oportet, quos tanta subinde manet felicitas. Hæc enim, ne fortè in superbiam desinat, aliquo est humiliationis pondere confirmanda. Nam & Apostolus de se ipso aiebat: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis.* 2. Corint.
D 4. cuius loci vera est expositio, quam sic apponit S. *2. Cor. 4.* Hieron. Thesaurum gratiæ spiritalis in fragili cor- *D. Hieron.* pore baiulamus, in quo etiam cum alios sanemus, ipsi aliquoties infirmamur, vt quod facimus non nostræ virtutis, sed Dei esse noscatur. sic Hieron. *Deo virtus non nobis adscribenda.* Denique tantò ante Dominus ventura hæc mala semini Abrahæ prædicit, vt se ad illa æquo animo perferenda præparet. Et sanè hoc beneficium diuinitus conceditur iustis, vt futura mala præuideant, vti Iob ait: *Quod verebar accidit*, cap. 6. Et *Iob 6.* quia sese ad patientiam malorum impendentium expediebat, patientissimè demum tolerando infelicitates omnes, & dolores, imò & gehennales afflictionum administros, superauit. Quo eodem pacto (vt S. Aug. animaduertit) contra Ecclesiam *D. August.* Christi impiarum gentium infidelitas fremit, euin-
E cit illa patiendo & inconcussam fidem inter obsistentium sæuitiam profitendo, *Epistol.* 2. *ad Volusianum.*

3. *Quadringentis annis.*] Est hic locus ob sui difficultatem valdè celeber, in cuius veritate illustranda grauissimorum hominum ingenia desudarunt, non paucos perlegi, ac sedulò expendi hac de re doctores, sed meo quidem iudicio nemo eruditiùs, atque vberiùs eam, quæ communior est, sententiam quam Benedict. Perer. constituit, & confirmauit. Ad hanc igitur lucem remitto lecto-

rem;

rem: mihi enim satis erit rem totam præciso (qualis in præsentia videtur) laciniosio disputationum ambitu in compendium propositionum digerere.

Prima propositio.

Prima igitur sit propositio. Hocce Domini oraculum non pertinet ad personam Abrahæ, sed ad semen, siue posteritatem eius. Est euidens ex ipsomet contextu. non enim dicitur: Tu peregrinus eris, & seruies, & affligeris; sed ea omnia tantùm de semine illius dicuntur.

Secunda propositio.

2. Horum annorum tempus ab ortu Isaac computari debet. Patet ex priore. Nam primum Abrahæ semen in scriptura non vocatur Ismael, sed Isaac, iuxta illud Genes. 21. *In Isaac vocabitur tibi semen, cum quo pacta, & promissa Dei stabilita sunt.*

Genes. 21.

Tertia propositio.

3. Tria illa, nimirum peregrinatio, seruitus, & afflictio seminis Abrahæ coniunctè sumenda sunt; hoc est, tempus ist comprehendens hæc tria, erit quadringentorum annorum. Veritas huius propositionis inde constat, quòd nulla istarum calamitatum excepta prima toto illo annorum spatio perdurauit. Sed ab ortu Isaac vsque ad egressionem Hebræorum ex Ægypto, seu vsque ad datam legem in monte Sinai, fuit semen Abrahæ peregrinum, hoc est, habitauit in terra non sua; deinde per aliquot annos fuit afflictum, at per complures seruiuit. Hæc omnia non difficile possunt erui ex diuina scriptura, & ex iis, quæ mox dicentur, euidentiùs constabunt.

Quarta propositio.

4. Terra illa non sua, de qua hic agitur, non Ægyptus modò, sed coniunctim Chanaan, Mesopotamia, & Ægyptus censentur. Nam in prioribus peregrinatum est tantummodo semen Abrahæ; in posteriore autem simul etiam seruitutem & afflictionem tulit. Tametsi negari non possit, & Iacob in Mesopotamia seruiisse Labano, & ipsum ac patrem Isaac in Chanaan multis fuisse laboribus perfunctos. Sed præstat audire D. Augustinum, cuius hæc est doctrina. sic enim ait: *q. 47. in Exod.* Quod dicitur de seruitute, & afflictione, non referendum est ad quadringentos annos: sed referri debet ad peregrinationem in terra non sua, id est siue in terra Chanaan, siue in Ægypto. Est itaque hyperbaton in his verbis, & sic ordināda est oratio. Scito, quia peregrinum erit semen tuum in terra nō sua quadringentis annis; & subiicient illos seruituri, & affligent eos: vt hoc quod interpositum fuerat de seruitute, & afflictione, non pertineat ad illos quadringentos annos, nisi quatenus id contigit in extrema parte illius temporis. post mortem nempe Ioseph dura illa seruitus Hebræorum cœpit in Ægypto. hæc ex August.

S. August.

Quinta propositio.

5. Licet hic tantum dicantur quadringenti anni; haud dubiè tamen fuerunt quadringenti quinque anni. Est expressa D. August. *q. 47. in Exod.* vbi hæc adiungit: Ex anno natiuitatis Isaac, vsque ad annum egressionis ex Ægypto computantur anni quadringenti quinque, quos appellari hic quadringentos tantùm non debet mirum videri. Etenim scriptura contenta solida annorum summa, solet ita nuncupare tempora, vt quod de summa perfectionis numeri paululum excrescit, aut infra est, non computetur. Hæc August.

S. August.

Sexta propositio.

6. Hebræi vixerunt in Ægypto, non ampliùs, quàm ducentos quindecim annos. Est D. August. S. Hieron. Euseb. Bed. Rupert. & communis. Ita verò demonstratur vt constat ex Apostolo *ad Galat.* 3. Lex Moysi data est post egressionem ex Ægypto tertio mense in monte Sinai, vt ait, post quadringentos triginta annos ab illa promissione quam Deus fecit Abrahæ, cum illum iussit ex Mesopotamia venire in Chanaan. At eo tempore Abraham erat septuaginta quinque annorum, vt legitur Genes. 21. *Hinc vsque ad ortum Iacob sexaginta.* Genes. 25. *Hinc vsque ad ingressum Iacob in Ægyptum effluxerunt anni centum triginta quinque.* Genes. 47. Ergo ab illa Dei promissione facta Abrahamo, & illius profectione in Chanaan vsque ad ingressum Iacob in Ægyptū elapsi fuerunt anni ducenti quindecim. Deinque cum ex computatione annorū ab Apostolo adhuc restent alij ducenti quindecim, profectò hi effluxerunt ab egressu Iacob in Ægyptum vsque ad egressionem Hebræorum ex Ægypto, seu vsque ad legem datam in monte Sinai. Vixerunt igitur Hebræi in Ægypto ducentis quindecim annis.

ad Galat. 3.

Septima propositio.

7. Seruitus Hebræorum in Ægypto breuior fuit centum triginta annis. Probatur ad hunc modum. Seruitus Hebræorum cœpta est post mortem Ioseph, & fratrum eius. Exod. 1. At Ioseph ad ingressum patris Iacob in Ægyptum erat triginta nouem annorum. Genes. 41. & 45. Vixit deinde vnum & septuaginta annos: nam mortuus est anno centesimo decimo ætatis suæ. Genes. 50. Atqui toto tempore Ioseph floruit in summa pace & felicitate, & quodammodo dominata est gens Hebræorum. Ergo ex ducentis quindecim annis, quibus Hebræi vixerunt in Ægypto detrahendi sunt vnus & septuaginta anni, quibus Ioseph vixit, remanéntque centum viginti nouem. Præterea Leui superuixit fratri suo Ioseph viginti duos annos: quippe vixit centum triginta septem annis. Exod. 6. erátque quadraginta quatuor annorum, cum est ingressus in Ægyptum, vt habetur in chronologia magna Hebræorum; constat verò ex 1. Exod. aliquot annis post omnes fratres Ioseph mortuos cœptam fuisse seruitutem. ergo illa seruitus, & afflictio non durauit plusquam centum viginti duos, atque adeò breuior fuit centum triginta annis.

Exod. 1.

Exod. 6.

Octaua propositio.

8. Asperior seruitus & afflictio Hebræorum grauior non durauit amplius octoginta septem annis. Est communis apud Hebræos, videtúrque colligi ex 2. Exod. cœpit enim ea tribulatio ingrauescere, quando nata est Maria soror Moysis, septem scilicet annis ante ortum Moysis; Moyses verò erat octoginta annorum, cum eduxit Hebræos ex Ægypto. Exod. 7. & soror illius octoginta septem, totidémque habebat grauissima illa oppressio & afflictio Hebræorum. Ob quam arbitrantur Hebræi appellatam esse Mariam, videlicet ab amaritudine tunc acerbiùs ingrauescentis seruitutis. Cæterùm contra hæc omnia, quæ vt veriora statuimus, stat locus ille Exod. 12. scilicet. Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum trigitita annorum. Enimverò S. August. Euseb Beda interpretantur istam Hebræorum habitationem tam de Ægypto, quàm de terra Chanaan. Hæc expositio comprobatur à LXX. qui præsentem locum sic reddunt. *In terra Ægypti, & in terra Chanaan.* Nominatur autem potiùs à Moyse Ægyptus, quia in eam primò est peregrinatus Abraham fame compulsus; ac ipsa denique fuit terminus & peregrinationis, & seruitutis. Præterea, quia maior pars temporis in Ægypto fuit transacta; & miserabilis illa seruitus, atque afflictio, ibidem peracta est. Quamobrem à potiore parte denominatio sumpta fuit.

Exod. 12.

4. *Veruntamen gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo.*] Iusto nimirum ac seuero iudicio puniā oppressores tui seminis. Vti legimus Ægyptios multis, & grauissimis plagis primò quidem à Deo castigatos, ac demum in mari rubro submersos. Sua est cuicunque præfinita dies Regum timendorum in proprios greges, reges in ipsos imperium est omnipotentis Dei, raróque antecedentem scelestum

Certum est supplicium iniquis.

Psalm. 93.

Tyrannis non diuturna.

S.Hildebert.

lestum deseruit pede pœna claudo. *Deus enim vltionum Dominus.* Psalm. 93. Et nihil violentum diuturnum; quinimò ipsa sibi breuitatem ominatur tyrannis, cum vehementius efferatur; quod & experientia quotidiana comprobat: & S. Hildebertus monet scribens ad principem truculentum hisce verbis. Non parcit populis regnū breue. Finem rapinis inopia posuit, non voluntas. sic *Epist.* 19. Quod tandem contigit Regi nouo, qui violenter oppressit gentem Hebræorum. Sic enim

Exod. 1.

Rex puer in perniciem regni.

legitur Exod. 1. *Surrexit interea Rex nouus super Ægyptum, &c.* Nouus, haud dubie vti ætate, sic ingenio, ac proinde, sine vlla rerū experientia clauum regni tenens nauem impegit in charibdim.

Nerbod.

Rectè Nerbod. inter Epistolas S.Hildebert. 80. ad

B

iuuenem principem sui malè compotem, ita scribit. Non per ætatem longam cepisti experientiam: nec adhuc mens tua casuum varietate decocta maturuit. sic ille. *Væ tibi terra, cuius Rex puer*

Eccles. 10.

Princeps contra seruos Dei.

est. Eccles. 10. Væ familiæ, domui, vrbi, reipubl. cuius rector immaturus adhuc est ætate atque scientia. Tum vel maximè homini est Dei certò vindicta futura, cum seruos Dei ille violenter atque iniuste affligit. Sapientissimè illud scriptum

S.Hildebert.

est à S. Hildebert. *Epistol.* 12. ad Principem adolescentem, & perfidiosum. Religiosos video stare contra te, cum quibus tanto periculosius est congredi, quanto eorum fama sincerior, causa iustior, dignitas maior. sic Hildebert. Proh quantam sibi hominum inuidiam, & sui nominis in-

C

famiam contrahit, quàm seuerum Dei iudicium sibi accersit, qui seruis Dei, maximéque religiosis non dubitat vim inferre! *Deus vltionum Dominus,*

Psalm. 93.

S. August.

Vltor Deus pro seruis suis.

Deus vltionum liberè egit. Psalm. 93. Nam ille veniet (exponit S. August.) & vindicabit perseuerantes in nequitia sua, ingratos prorogationi misericordiæ ipsius, ingratos patientiæ ipsius, *thesaurizantes sibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.* ad Rom. 2. Fidenter egit, (sic legit August.) id est, nulli pepercit in verbo: ideò non parcebat in verbo, vt essent postea, quibus parceret in iudicio; quia si nollent accipere verbi medicinam, incursuri erant vtique, & inuenturi iudicis sententiam. hæc S August. Ac fortasse iccirco Do-

D

minus minatur huiusmodi supplicium genti illi, quæ oppresserit posteros Abrahæ, vt omnium, ad quos fama huius oraculi perueniet, caueant, ne

Deus minatur antequā puniat.

mali quicquam inferant Hebræis: atque ita minas intentet iudex, ne postea cogatur pœnas repetere. Quem morem vsitatissimū Dei sacra vo-

Psalm 70.

lumina sæpius contestantur: vti Psalm. 70. dicitur: *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit, & in eo parauit vasa mortis,* &c. Quæ

Didymus.

verba sic exponit Didymus. Hinc ostenditur lenitas, & patientia Dei, qui non seuerè contra eos, quos erratorum non pœnitet, gladio vtitur: sed vibrauit illum, arcum tetendit & parauit sagittas supplicij accipiens, non iaciens ipsas. sic ille. Si-

Theodor.

E

militer Theod. Habet (inquit) Deus humanitatem, qua vt plurimum hominum delicta tolerat: at si quando nullam hinc illis sequi vtilitatem cernit, minis interim territat, vltionem tardans. sic ille.

D.Chrysost.

Sed elegantius ita Chrys. interpretatur: Magnæ clementiæ est per verba terrere, & pœnam amplificare ne re ipsa eam experiamur. Propterea enim intendit, parauit, sagittas imposuit, & parat se ad supplicium. hæc Chrysostom. Vniuersim autem monet peccatores fore, vt doleant inter acerbissimos cruciatus discerpti, si peccandi falsis illecebris decepti labantur in flagitia: addit enim: *Ecce parturit iniustitiam, concepit dolorem.* Sensus

S. August.

est, vt reddit S. August. Ipsa peccata sic ordinari,

A

Fructus peccati dolor & labor.

vt quæ fuerūt delectamenta homini peccanti, sint instrumenta Deo punienti. Labor est enim semen iniquitatis, peccatum conceptio laboris, &c. Sic August.

5. *Post hæc egredientur cum magna substantia.*] Consternatum forte Abrahamum tantarum calamitatum denunciatione, quibus esset ipsius semen affligendum, dominus abunde consolatur, præstituto fine peregrinationis, seruitutis & afflictionis. Qui (inquit) peregrini, serui, & afflicti erunt quadringentis annis; eo demum euoluto tempore ab illa peregrinatione, à seruitute, ab afflictionibus egredientur, ipsorum suorum hostium diuitiis opulenti. Hoc enim est *egredientur cum magna substantia.* Diximus in superioribus per volucres illas, quas sacrificio inuolantes abigebat Abraham, significari Ægyptios Hebrææ gentis oppressores: igitur Dominus plura, & abundantiora nunc promittens, quam significauerat, adiicit: *Post hæc egredientur cum magna substantia.*

Caietan.

Quod ita Caiet. subnotauit. Tu abegisti volucres infestas animalibus; ego plus faciam, quàm significatum fuerat. Gentem enim illam iudicabo decem plagarū iudiciis, & post has plagas egredientur cum magna substantia exspoliatis Ægyptiis.

Dispar exitus bonorum & malorum.

sic ille. Hic finis tandem succedit bonis ac malis; illi resurgunt in vitam æternam, intrant in gaudium Domini sui, supra multa constituti diuinarum opum thesauris perfruuntur; at isti iudicati, & condemnati à Deo vindice malefactorum sempiternis gehennæ incendiis deputantur. Et quidem proposito præmio Dominus Abrahæ semen peregrinum seruitute, atque afflictione oppressum solatur: nouit enim figmentum nostrum,

Spes præmij excitat.

quòd spe præmij vehementer ad quodcunque, vel arduum virtutis studium incitamur: vtique mercenarij sumus, mercede ad loborandum impellimur. Laboremus igitur, etsi vt mercenarij illius Patris familiâs, qui laborantibus distribuit de-

Deum non Dei præmia, aut supplicia respiciamus.

narium diurnum. Sed non ita habet perfectior iustorum virtus, quæ Deum ipsum, non Dei præmia contuetur; amicum Dei potiùs, quàm seruum constituit, qualis extitit Moyses, ad quem Domi-

Exod. 33.

nus: *Noui te.* Exod. 33. quo verbo significatur insignis Dei beneuolentia erga Moysem, & mira quædam amicitia familiaritásque Moysis cū Deo. Sed ea qualis esset, egregie ita describit S.Gregor.

S.Greg.Nyss.

Nyss. *lib. de vita Moysis.* ad eadem verba Domini. Humanæ perfectionis est apex, vt à Deo cognoscamur & amici Dei efficiamur; id enim est, vt non timore pœnarum sicuti mancipium à vitiis declines; nec virtutem spe præmiorum quasi mercator amplectaris; sed vnum terribile arbitreris, ab amicitia Dei repelli: vnum expetibile solum amicitiam Dei, qua sola vita hominis perficitur. hæc Nyss. Quemadmodum seruitutem; & afflictionem mystico sensu accipit S.Ambros. pro ea,

D. Ambros.

quam sub diaboli tyrannide & vitiosis passionibus miseri in hac mundi Ægypto patimur; ita egressionem ab Ægypto liberationem ab hoste, & à vitiis interpretatur. Sic enim ait *lib. 2. de Abraham cap. 9.* Diuersi domini in seruitute nos volunt te-

Vitiorum tyrannis.

nere: incessit diabolus, infestant angeli eius; passiones, motúsque corporis velut domestici atque intestini hostes inquietant: foris pugnæ, intus cupiditates: aliena est enim interni corporis substantia puritati cordis; & ideò impugnat, vel repugnat. Bellum ergo quotidianum est, & inter eadem graue prælium: donec Deus misericors diabolum atque ministros eius iudicet, passiones restinguat ac subiiciat menti sedulæ. Itaque exi-

Iusti nihil habent de terra.

bunt iusti, vt nihil de suo dimittant in hac terra,

ne

Impugnant iusti diabolum.

ne spoliis eorum resideant apud incolas & possessores istius terræ. hæc Ambros. Impugnat quidem diabolus iustos viros; sed non minùs acriter illum isti impugnant. quod exprimitur in illo, qui virtute Domini ab homine expulsus ambulabat, deinde quærens requiem, non inueniebat. Matth. 12. vbi optimè S. Euseb. Emiss. *homil. in idem Euang.* ita disserit. Tentare bonos diabolus potest, requiem autem in eis habere non potest: quoniam nunc eorum orationibus, nunc eorum fletibus, nunc eorum eleëmosynis, aliisque similibus solicitatur, mouetur & pellitur. hæc Euseb. Ac seruitus quidem & afflictio Hebræorum in Ægypto significat perpetuam, ac periculis plenam luctam, quam cum vitiis, & concupiscentiis exercent viri iusti in hac vita. De qua tandem beneficio Dei victores egredientur in terram illam viuentium pretiosissimis virtutum ac meritorum opibus opulenti. Quod subtiliter obseruauit S. Ambros. *lib. 2. de Abrah. cap. 9.* hisce verbis. Testificatur oraculum futuros adhuc in terra afflictionis Abrahæ filios, vt in agone multorum & grauium certaminum se probent: & ita cum multa supellectili aureorum & argenteorum vasorum spoliis opimis exeant, & reuertantur animæ, atque exeant pretiosa possidentes corpora, diuersarum virtutum & præcipuè castimoniæ possessionum thesauro repleta. hæc Ambros. Benè castimoniæ thesauros attribuit. Nulla enim virtus in homine pluribus, & grauioribus pugnis exercetur, quàm castitas; sed si victoria cedat ex nulla alia, plures & illustriores palmas & coronas, quàm ex castitate homo consequitur.

Matth. 12. Euseb. Emiss.

Lucta iustorum cum vitiis.

S. Ambros.

Opes iustorum.

Castitas periculis, & coronis plena.

6. *Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona.*] Declarat Dominus Abrahæ quanti ipsum curet: quod (vt notauit Theod. *q. 64.*) nulla illorũ malorum experientia accepta in pace è vita decessurus esset. sic ille. *Ibis in pace*, id est, morte placida & quieta, diem obibis, plenus dierum in senectute bona, scilicet, expletis centum septuaginta annis. Meritò expendi potest verbum illud, *ibis*, in quo significatur mors, veluti transitus ad patres, Sanctos videlicet qui erant in limbo (vt vocari solet) expectantes aduentum Redemptoris. Et quasi non satis foret Abrahæ peregrinari in vita, mors illius vocatur peregrinatio ad patres, seu transmigratio ad populum peregrinum, & spe futuræ patriæ in terræ visceribus æstuantem. Quare appositè occurrit S. Chrys. Non dixit, *morieris*, sed *ibis*, quasi peregrinaturo, & migraturo à patria in patriam, *ad patres tuos*, scilicet iustos Abel, Noe, Enoch. ita Chrys. & quidem locus ille patria Sanctorum quodammodo dicitur à S. Doctore, eo quòd iam in eo securi de sua æterna salute, in spe futuram quietem prægustabant, atque in pignore obtinebant; sed peregrinationis locus aptiori vocabulo nominatur, quia in eo positi peregrinabantur à Domino, expectãtes beatã spem, & aduentum gloriæ Saluatoris nostri Dei. Certò enim patres illi credebant fore, vt Deus homo factus post mortem crucis in eum esset carcerem descensurus, vnde captiuã ducens captiuitatem ad cælum remearet. Immensæ quidem humilitatis hoc opus in Christo Domino fuit, quod non quidem dubitando, sed planè admirando sciscitabatur Ioannes Baptista, cum è vinculis mittens duos discipulos ad Dominum aiebat: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Matth. 11. elegans enim est in hoc sensu paraphrasis D. Eusebij Emiss. *homil. in 3. Domin. aduent.* Ego quidem (ait) vado, ego ad Patriarchas, & Prophetas in infernum descendo. Sed ounquid tu quoque illuc venturus es? Debeo te illuc venturum illis annunciare; sicut te iam venisse mundo annunciaui? descendes illuc per te, an alium expectamus à te? timeo enim hoc credere de te, nisi hoc certum mihi fiat à te. Valde quidem te humiliasti, an fortasse plus te humiliabis? quid dicam illis? quid nunciabo? hæc ille. Forte arbitratur nondum hoc mysterium de Christo ad inferos descensuro reuelatũ fuisse Ioanni. mihi placet potiùs, vt per admirationem etiã iam certior factus de huiusmodi descensu loqui dicatur. Neque verò incongruum est huic explicationi Eusebij quod sequitur: *& respondens Iesus, ait illis: Cæci vident, &c.* Quid enim aliud (inquit idem Euseb.) Dominus in hac sua responsione significabat, nisi quia & hoc Prophetarum oraculum per se complere non abhorreret, sicuti hæc alia, quæ de eo Prophetæ prædixerant? *Ite*, inquit, *dicite Ioanni quæ audistis & vidistis.* ac si diceret: In mundum veni, & facio quæ me facturum esse Prophetæ nunciarunt. Qui igitur in aliis omnibus & Prophetarum testimonia confirmo, & compleo, absit, vt in hoc vno faciam eos esse mendaces. Non horreo ad inferna descendere. Cloaca mundi est infernus, lux tamen stercore non inquinatur. Mundus transeo per immundum, mundus totum compleo mundum. Descende igitur securè; præcursor mihi es. Vade, & præcurre, nuncia gaudium fidelibus meis: citò sequar, & liberabo eos. hæc omnia Euseb. Denique S. Ambros. *lib. 2. de Abrah. cap. 9.* sic Domini verba interpretatur. Patres asserimus, qui vitæ merito & ordine præcesserunt. Erant enim illic Abel, Noe, &c. ad quos promittitur Abraham transitus. Transit enim qui de hac vita recedens ad vitam demigrat alteram, quia viuit mens sapientis, & iusti viri, qui nutritus est in pace. sic Ambros. Legit autem vir sapientissimus, nutritus in senectute bona. Veluti si infantulum Dominus in senectute suarum voluptatum lacte nutrierit. Sed quid sibi vult in senectute bona? declarat egregiè S. Ambros. Non dixit (inquiens) longa, sed bona, qua iustus bene senescit; iniustorum autem nemo. Nam diu viuere commune sapientibus, atque insipientibus est; bene autem viuere speciale sapientis est, cuius senectus venerabilis, & ætas senectutis vita immaculata non diuturna, neque numero annorum computata, nec capillis canis in capite, sed sensibus. Ille ergo bene senescit, qui benè senserit. hæc Ambrosius.

Theod.

Abrahæ mors placida.

SS. Patres in limbo.

S. Chrysost.

Limbus Patrum peregrinatio.

Christi descensus ad limbum.

Matth. 11. Euseb. Emiss.

Baptista Christum annunciat in limbo.

Mira Christi humilitas in descensu ad inferos.

Euseb. Emiss.

Infernus mũdi cloaca.

Christus radians in inferis.

D. Ambros.

Mors ad vitam transitus.

Senectus optima.

7. *Generatione autem quarta reuertentur huc.*] Multis modis capitur generatio, vt Philosophi disserũt: sed in diuina Scriptura, (quod attinet ad præsentem locum) præcipuè sumitur pro spatio vitæ humanæ, quod apud veteres illos mortales definiri solebat numero centum annorum, vti Eccles. 18. & Isaiæ 38. Quare generatio & seculum sic inter se recurrunt: vnde quatuor generationes, quatuor secula, siue quadringentos annos intelligimus. Quocirca monet hic Procopius: Memineris, hoc loco generationem significare seculum, scilicet centum annorum spatium. sic ille. Denique sensus horum verborum est: quarto centenario tandem exacto Hebræi à seruitute Ægyptiaca liberati repetent Chananæorum regionem à Deo promissam semini Abrahæ. Quia verò generatio propriissimè dicitur procreatio vnius ex alio (vti Exod. 20. legitur: *Visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartã generationem.* vbi Hebr. est, *in tertium & quartum genitum:*) sic etiam commodissimè interpretabimur, *post quartum genitum*, seu *in ipso quarto genito.* Nam (vt de Iudæ tribu

Eccles. 18. Isaiæ 38.

Generatio & seculum idem est.

Procop.

Exod. 20.

Quando Hebræi sunt egressi ex Ægypto. Genes. 46. Num. 7. Exod. 12.

tribu solummodo numerum computemus) Iudas ingressus est Ægyptum secum deferens iam nepotem Esron genitum a Phares. Gen. 46. Igitur Hesron genuit in Ægypto Aram, Aram verò Aminadab, iste Naasson. Denique ab hoc natus est Salmon, qui terram promissionis ingressus est, aut saltem egressus est ex Ægypto, vt habetur Num. 7. Vbi vides in quarto genito huiusce regiæ tribus reuersos fuisse Hebræos in Chanaan. Quod si Exod. 12. LXX. vertunt *quintam generationem*, computant quidem à capite ipso Iuda seu ab illius filio Phares. Tametsi verum est, quod ex textu Hebræo colligitur (vbi non est דר *Dor*, hoc est *generatio*) additum esse à LXX. vocabulum illud *generationem*. חמשים *camuxim* autem Hebr. significat *armatos*, aut etiam *quinque*. Vide plura si velis apud Bened. Perer. Porrò S. Ambros. literalem sensum (quem iam statuimus) non valdè curans adiungit: Vnde mysticum aliquid magis requiramus. sic ille. Mihi verò aliud in mystico sensu, nec ad præsentem locum accommodatius, nec planè sacratius & augustius occurrit, quàm admirabilis supra omnem naturam quarta generatio Dei hominis ex Virgine Matre. Prima quidem generatio siue productio fuit viri ex Dei tantum opificio; secunda mulieris ex viro tantùm; tertia, quæ toti hominum generi communis est, ex viro, & fœmina simul. Restabat quarta, nimirum viri ex fœmina tantum. In qua generatione, hoc est, per virtutem quarti huius geniti Viri ex Virgine, captiuitas humani generis sublata est, patuitque via & ingressus in cælum ipsum, verè promissionis terram. Porrò quæ dicta sunt Abrahæ de quarta generatione, in qua denunciatur Ægyptiacæ captiuitatis, quæ captiuitatem animarum in limbo præfigurauit, finis, & expectata demum liberatio; non quidē in sensu mystico, sed literali vult intelligi Galat. de Christi Domini ex Virgine Matre, sine virili semine, Conceptione, ac Natiuitate. Generatione (inquit) quarta reuertentur huc; id est, adueniente Messiæ generatione, animæ ex captiuitate inferni liberabuntur, & ad patriam cælestem, à qua propter Adæ peccatum expulsæ fuerant, ipso Messia duce reuertentur. sic ille *lib.* 8. *cap.* 2. vbi egregiè arguit vtramque priorem expositionem. Nam si computantur anni à prolatione prophetiæ, inueniuntur plures anni, quàm quadringenti, & plures geniti, siue nepotes, quam quatuor. Si verò ex quo cœpit ipsa captiuitas, multò pauciores sunt anni, & geniti, quòd luculente admodum probat. quare magis in hanc, quam in priorem vtramque, inclinat animos expositionem. Sed hanc quartam generationem quis enarrabit? Quis in illa Genitum comprehendet? Quis Genitricem meritò prædicabit? Verbum Caro factum est; Deus verus homo ex Virgine nascitur. Obstupescit (ait S. Euseb. Emiss. *homil.* 2. *de Natiu. Domini.*) natura rerum, Virgo procreat sobolem, Creator ex creatura sua nascitur, & fructum ventris sui Mater innupta miratur, ac fœmina, Auctoris sui auctor efficitur. Quid primum mirer, quidue postremum? quòd sine conceptu est collata fœcunditas? an quòd per partum magis est glorificata virginitas? hæc ille. Sed quodnam bonum ab ista quarta generatione mundo est importatum? Ecce (clamat idem Eusebius) ô Virgo vno partu tuo vniuersorum nascitur vita seculorum. Adiutrix planè Dei Redemptoris Virgo Mater extitit: ab illa enim carnem, & sanguinem Christus sumpsit, vt vtrumque redderet in pretium nostræ Redemptionis. Nam sicut totus (ait idem Eusebius *homil.* 1. *de Natiuit.*) Deus ex Deo, ita totum hominis corpus ex homine. De carne Mariæ Virginis coagulatus, de eius formatus visceribus, de eius substantia consummatus, & sanguinem, quem etiam pro Matre obtulit, de sanguine Matris accepit. sic ille.

D. Ambros. 4. Generationes mundo. *Natiuitas Christi ex Virgine.* Galatin. *Natiuitas Christi admirabilis.* Euseb. Emiss. *Virginis partu mundo salus orta.* *B. Maria Christi vera Mater.* *B. Mariæ sanguis.*

SECTIO IX.

Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque ad præsens tempus. Cùm ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones illas. In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram. dicens: Semini tuo dabo terram hanc à fluuio Aegypti vsque ad fluuium magnum Euphratem, Cinæos, & Cenezæos, Cedmonæos, & Hethæos, & Pherezæos, Raphaim quoque, & Amorrhæos, & Chananæos, & Gergesæos, & Iebusæos.

1. Necdum *completa sunt iniquitates. &c.*] Dicit (ait hoc loco Theodor.) Abraham rationem dilationis, ne quis suspicaretur ob numerosam incolarum multitudinem Dominū Deum non potuisse illis tradere dominium illius terræ. sic Theod. Itaque non differt Dominus adimpletionem suæ promissionis vsque ad quadringentos annos, eo quòd gentes illæ Chananæorum ob suam aut numerositatem, aut bellicam virtutem, summa essent cum difficultate à populo Dei debellandæ, atque expellendæ: sed quia adhuc non erat tempus maturum, & opportunum huic extremo illarum gentium excidio. Adueniet (inquit Dominus) iustum pœnæ, ne accersito, tempus, adimplebitur priùs mensura flagitiorum, vt illi remittatur condigna suppliciorum mensura. Nondum (exponit Theod.) exitio digna perpetrarunt. Non decet autem ante peccatum, ex præscientia pœnam infligere. sic ille. Itaq; ex sententia Theodoreti quo tempore Deus hæc agebat cum Abraham etsi multa essent flagitia Chananæorum, non ad illum tamen numerum, aut etiam grauitatem processerant, vt postremam denique illius gentis promererentur vastitatem, maximè cum in illis regionibus non pauci tunc virtutis laude conspicui florerent. Quod autem (addit Theod.) illis temporibus essent viri pij, constat ex Melchisedech, & Abimelech, & his qui incolebant terram Hebron. Illi enim Patriarcham magnoperè venerati sunt. Audiuntur autem clamantes: *Rex es tu à Deo apud nos, &c.* Genes. 23. Hæc Theod. Itaque expectanda erat certa illa mensura flagitiorum, quæ ad omnimodam gentis illius destructionem congrua videbatur: quo etiam in sensu dixit Dominus Iudæis. *Et vos implete mensuram patrum vestrorum.* Matth. 23. Non longè (inquit S. Saluianus) à plenitudine peccatorum erant, quibus Dominus dicebat, vt peccata complerent. Ideò absque dubio, vt, quia iam digni salute non essent, implerent iniquitatum numerum, quo perirent. sic ille *lib. 4. de vero iudicio, & Dei prouidentia.* Itaque ad numerum delictorum refert hanc mensuram. At S. Hier. non de numero, sed de qualitate, & grauitate criminum locum interpretatus: Hoc est, (ait) quod illis defuit, vos adimplete. Illi interfecerunt seruos; vos Dominum crucifigite. Illi Prophetas, vos eum, qui à Prophetis prædicatus est. sic Hier. Mensura enim scelerum

Theodor. *Mensuram scelerum sequitur extrema vastitas.* Theodor. Genes. 23. Math. 23. S. Saluian. *Mensura scelerum ex numero & grauitate.* D. Hieron.

populi

populi Iudaici, qua adimpleta extremum illius A nationis excidium illatum est, fuit Christi Domini cædes illa in cruce ignominiis, & cruciatibus plena. Potuisset autem vere atque apposite dicere: *superimplete*, cum incomparabilis esset excessus mortis Domini ad mortem cuiusque serui; sed (*implete*) tantùm dixit, id est ex incredibili sua benignitate. quod ita pereleganter exposuit S. Chrys. ad eundem locum. Et quàm bene dixit: *implete*, & non *superimplete*! Quantum ad veritatem excellerunt mensuram patrum suorum. Illi enim homines occiderunt, isti Deum crucifixerunt. Illi, ministros; isti, Regem. Imputat autem illis mortem Apostolorum, cæterorúmque Sanctorum: ideò dicit: *implete*; & non *superimplete*. Nam benigni, & B iusti iudicis est, suas iniurias contemnere, & aliorum iniurias vindicare. Qui autem suas vindicat, quamuis iustè vindicet, nunquam tamen iudex iustus esse putatur. hæc Chrysost. Sed adhuc restat explicandum illud (*patrum vestrorum*) quod S. Euseb Emiss. *homil. de S. Stephano*, ita dispungit. Filij quidem sunt eorum, qui occiderunt Prophetas, non tam natura, quàm imitatione, & iniquitate. Sicut enim omnes boni dicuntur filij Abrahæ, quia imitantur Abraham; ita omnes iniqui iniquorum filij dicuntur: quia imitantur iniquos, sic ille. Vide quanta sit peccati malignitas, vt peccator tot habeat patres, quot imitatus est peccando: nec tam natura, quam imitatione filius censeatur. Procop. expositam à Theodoreto explica- C tionem affert, & alteram subinde potiorem ducit sic infit. Hæc (vt aiunt quidam) designant tempus, quod destinatum erat, donec Palæstinæ incolæ post multa & horrenda crimina capitali ferirentur sententia: vel (quod verius arbitror) id tempus erat quasi terminus quidam, & meta, intra quam diuina se vellet continere longanimitas: Nam si illud tempus esset propositum impiis illis popolis, vt in eo omnis malitia copiosè erumperet, qui deinceps maioribus vendicarentur cladibus: profectò iam tunc puniendi fuissent, vt qui fuerant in omne genus sceleris effusi. Verum tempus illud adiectum est cum conditione, Deo vsque captante impiorum pœnitentiam: & assignantur quadringenti anni, vt pateat grauiter læ- D di longanimitatem Dei. hæc Procop. Quare iuxta Procopij interpretationem, etsi mensura flagitiorum Chananææ gentis completa iam esset, & matura extremo supplicio, si numerum, & grauitatem scelerum spectes; adhuc tamen erat incompleta, & immatura, si diuina patientia consideretur: decreuerat enim Deus vsque ad illos quadringentos annos differre supplicium, tolerando interim peccatores, & ad pœnitentiam inuitando; quo spatio annorum euoluto, cum iam in immensum læsa Dei patientia & longanimitas videretur, supplicium erat inferendum, contestando euidenter omnibus (vt Procop adiungit) meritò auitis pelli sedibus illos populos, ob sua enormia E scelera. Denique S. Chrysost. hunc eundem sensum colligens hoc pacto effatur: *Necdum impleta sunt, &c.* Quasi dicat? Nondum in tanto numero peccata fuerunt, vt talem ferant pœnam; Deus enim cum misericors sit, non solum non indicit pœnas peccatis grauiores, sed & valde minores; atque propter hanc tantam ostendit longanimitatem: vt cum sibi ipsis pœnarum sint auctores, nullam posthac excusationem habeant. hæc Chrysost. Talem quidem habemus Deum ac Dominum, cui nihil propensius, quàm vt misericordiam præster hominibus; nihil alienius, quàm vt supplicia irroget delinquentibus.

Christus plus in vitas suis, quàm suas illatas vindicat. — S. Chrysost. — Euseb. Emiss. — *Malus malorum filius.* — *Exemplo creantur mali.* — Procopius. — *Tempus maturum supplicio.* — *Læsa Dei patientia infert supplicium.* — D. Chrysost — *Deus ad parcendū, quàm ad puniendum propensior.*

A 2. Satis notum est legentibus diuinam Scripturam, accipi iniquitatem sæpenumero pro supplicio, quod ipsa iniquitas, siue culpa meretur. Sic vsurpatur 2. Reg. 12. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris.* Thren. 5. *Patres nostri peccauerunt, & nos iniquitates eorum portauimus, &c.* Vide plura in hanc obseruationem apud nostrum Saa in phrasibus scripturæ, verbo *peccatum*, & *peccare*. Quamobrem hic sensus est horum verborū: Nondum completæ sunt iniquitates; videlicet, nondū completum est tempus punitionis: seu, nondum completum est tempus, in quod statui pœnam peccatis ipsorum debitam differre, quasi dicat: Decreui punire Amorrhæos, sed non ante B quadringentos annos; illis expletis opportunum, ac maturum inferam istius gentis excidium. Sed hæc maturitas, & opportunitas videnam expectabatur? nimirum ex multiplicatione gentis Abrahæ, quæ tandem excrescens in numerosos exercitus poterit profligare omnes accolas Palæstinæ. Sic enim Procop. exponit: Amorrhæis prolixius tempus determinauit Dominus, vt interea Abrahami multiplicaretur mirificis incrementis soboles: signáque, quæ Deus instituerat, interea quoque ederentur. sic ille. Ac cur Dominus cum Noe agens de futuro diluuio longè minus, quàm hoc loco tempus determinauit, scilicet centum viginti annos? Quia nefanda mundi illius scelera, non tam longam supplicij dilationem ferebant. Quod C idem Procop. hic subiūgit: Illis (inquiens) qui diluuio necandi erant, præcisius statutum est tempus, vt citò ipsorum peccatis obuiam iretur, ne augerentur; illáque in multas, quasi contagio quodam, serperent generationes. sic ille. Sed quidnam est hoc complementum, quo posito subsequitur Dei vindicta? In primis dici potest, quamdiu plures, aut etiam pauciores, sed illi tamen viri principes, ac rectores in populo, rectè, & ex virtute viuunt, licèt populus communiter flagitiis sit coopertus, non haberi adhuc tempus maturum, destinatúmque vniuersali exitio, quo totus ille populus deleatur. Quæ mensura tandem extitit inter Amorrhæos, cùm à populo Hebræorum pulsi sunt è patriis sedibus, atque omnino profligati. D Etenim Procop. non modò paucos eo tempore iustos, sed nullum planè talem extitisse arbitratur: & sic mensuram huiusmodi explicat. Nondum (inquit) mensura peccatorum impleta érat. Non enim dubitamus quin aliquot iusti tum temporis morati sint in Palæstina, inter quos emitiebat Melchisedech sacerdos Dei. Erant fortasse & alij complures. Nam nisi fuissent, quos regeret, inepte nomen Regis & sacerdotis scriptura sacra illi imposuisset. Cum igitur legitur: *Nondum impleta, &c.* tu intellige: nondum eò malitiæ deuenerunt, nec adeò deploratæ sunt ipsorum res, vt ne vnus quidem inter illos extitisset pius, & iustus. Nam (vt traditur) decem iusti ciuitatem totam E ab impendente vltione diuina liberant. hæc Procop. Censet igitur nondum maturum esse tempus vniuersali illi Amorrhæorum exterminationi, quia vt adiungit, ea tempestate haud pauci viri sancti intra Palæstinæ limites degebant. Iis autem sublatis, cum nullus (de adultis loquor) esset iustus, imò ad vnum omnes essent profligatissimis moribus, quales narrantur Leuit. 18. & Deuter 9. atque 12. opportunum fuit tempus extremę vastitati. Neque verò solùm pauci, aut propè nulli de Amorrhæorum gente iusti erant, quando illis superuenit communis interitus: sed etiam vaga quædam, & effusa peccandi licentia, inuerecundia, & gloriatio in sceleribus, & exultatio in rebus

Culpa sumitur pro pœna. — 2. Reg. 12. — Thren. 5. — Procopius. — Procopius. — *Dilatio pœnarum non semper eadem.* — *Stat Respubl. quādiu Prælati, & Principes boni sunt.* — Procopius. — *Vbi omnes improbi sunt, extrema sequitur vastitas.* — *Impudēs gloriatio in peccatis.*

A pessimis in Palæstina videbatur, quod ex locis scripturæ paulò ante appositis, & ex aliis manifestum est. Hoc tandem signum mundus habebit suæ conflagrationis in die iudicij, cum Rex impudens facie, filius perditionis, homo peccati, abominatio desolationis, stans in loco sancto ad omnem impuritatem suis clientibus laxabit habenas. Nam post Antichristi tribulationem statim extremi iudicij tempus prædicitur à Domino Matth. 25. Qua de re grauissimè ad eundem locum ita scribit S. Hilarius *Canon. 26. in Matth. verba, Ab arbore fici discite parabolā, &c.* Cognoscendi (inquit) temporis signum, in similitudine ficus arboris posuit: cuius cum ramus tener fuerit, atque fronduerit, tum prope esse æstas intelligetur; sed longè alia natura & æstatis, & arboris est. In veris initio intumescit; & non exiguum tempus est medium, inter id, quo æstas ingruit, & arboris ramus tenerescit in frondes. Ex quo non de arbore hoc dictum esse noscendum est. Sic ille non ficum arborem significari à Domino arbitratur, sed ficum metaphoricè, vt statim apponit, hoc pacto. Ramus igitur ficus Antichristus esse intelligitur, Zabuli filius, peccati portio, legis assertor; qui cum tenerescere cœperit, atque frondescere, tunc proximè esse æstas, id est dies iudicij sentietur. Frondescere autem quadam peccatorum exultantium viriditate noscitur. Erit enim tunc flos criminosorum, & honor facinorosorum, & gratia profanorum: quibus tamen æstus, id est calor æterni ignis in proximo est. hæc Hilar. Cæterùm, vt vana Hebræorum præsumptio reprimatur, dictum est à Domino differri promissionem terræ possidendæ, non propter ipsorum merita, quæ interim compararentur ad tantum Dei beneficium accipiendum, sed propter demerita gentium illarum, quibus ad maiorem mensuram assurgentibus essent illæ à patriis sedibus expellendæ. Quod sic Procop. subnotauit. Eleganter additum est: Nondum peccata illorum impleta sunt. Nam in Deuter. ait: Non propter iustitiam tuam, aut propter rectitudinem cordis tui, tu pergis, vt possideas terram illorum, sed propter impietatem gentium istarum Dominus Deus tuus deturbat eas à conspectu tuo, &c. sic Procop.

Matth. 25. S. Hilarius.

Antichristus ramus diaboli.

Antichristi impudentia.

Procopius. *Non meritis suis, sed demeritis gentium Hebræi illas vastarunt.*

3. Expectauit omnipotens Deus ad vindictam sumendam de Chananæis tempus illud, in quo plena esset mensura scelerum ac subinde suppliciorum. Distulit etiam summum gratiæ suæ bonum (vt vocat D. August.) Incarnationem Diuini Verbi post Adami peccatum ad multa vsque annorum millia, nimirum expectans plenam aliam mensuram. *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere.* ad Galat 4. Sed quæ mensura ista completa, quæ plenitudo, in qua vbi posita est, Deus factus est homo? Ab Apostolo dicitur *plenitudo temporis.* hoc est, temporis quædam magna longitudo, quam ad sui aduentum in terras Deus sapientissimè præstituit. Nam, vt eleganter explicat hunc eundem locum venerabilis Beda, per multam seriem temporum & annorum prædicendus fuit; non enim aliquid paruum venturum fuit; diu fuerat prædicendus, semper tenendus. Quantò maior index veniebat, tantò præconum longior series præcedebat. sic Beda. Et quidem appositè ad maiestatem Dei hominis venturi, cui omnes Patriarchæ, & Prophetæ suis figuris & oracolis planam sternere viam: quin etiam omnium sacrificiorum legis Mosaicæ adumbratilia veluti prælodia significando Christi in cruce sacrificio parabantur. Christus enim (inquit S. Eusebius Emiss. *homil. Dominic. 1. post Epiphan.*) ipse iugulabatur in agnis, immolabatur in vitulis, & in omnibus sacrificiis offerebatur; sed non agnoscebatur, quia duplici velamine tegebatur: inde velamine literæ, hinc carnis pariete. sic ille. Sensus literæ haud dubie hic est: Postquam impletum est tempus à Deo præfinitum; seu vt habet Glossa: Postquam completum est totum spatium temporis, quo lex durare debuit, &c. Theophylactus ad extremam necessitatem humani generis literam deducit, ita inquiens. Simul atque aduenit præstitutum tempus Christi Incarnationis, cum omne scelerum genus pergressa humana natura opus haberet curatione. sic ille. Nimirum vbi abundauit delictum, peropportuna occasio fuit, vti superabundaret & gratia. Rectè

S. August. *Mensura temporis ad incarnationem Verbi.* ad Galat. 4.

Beda. *Cur tandiu dilata incarnatio Verbi.*

Christus sub velamine legis. Euseb. Emiss.

Theophyl.

Incarnatio Verbi cum esset mensura scelerum.

B habent hæc omnia. sed etiam haud incongruè dici potest *plenitudo temporis* propter plenitudinem gratiarū, & donorū Spiritus sancti, vt habet Interlin. Vnde meritò exclamat Guarricus Abbas *serm. 1. de annunc.* O felicitas temporum istorum, in quibus tanta plenitudo gratiæ, & bonorum, &c. At dices hanc plenitudinem gratiarum subsecutam potiùs fuisse, quàm præsuppositam ad aduentum Christi, cum tamen ex serie verborum Apostoli, prior sit *plenitudo temporis,* quàm Christi aduentus. *Cum enim venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum,* &c. An hæc *plenitudo temporis,* seu tempus plenum, & completum illud est, in quo tandem, quæ à seculis omnibus desiderata expectabatur, in mundo extitit benedicta illa

Guarricus.

C Virgo inter omnes mulieres, quam Angelus à Deo missus salutauit: *Aue gratia plena?* Luc. 1. &c. Hanc enim talem Virginem, tam plenam gratia, vt vidit Deus Pater, misit Filium suum, vt ex illa carnem assumens Deus homo fieret. Nec enim Verbi plenitudo diuinitatis nisi plenitudinem gratiæ, & sanctitatis in Matre requirebat. Tam plena fuit Virgo Mater, vt & tempus plenum, & *plenitudo temporis* dicatur, in quo illa, & nata est, & Deum mundo peperit. At quænam isthæc fuit plenitudo gratiæ in Virgine? Respondet optimè S. Euseb. Emiss. *homil. in Vigil. Natiuit.* Quæritis, qualis Mater? quærite priùs, qualis Filius. Non habet Filius in hominibus parem; non habet Mater in mulieribus similem. Fecit ille Matrem suā,

Plenitudo gratiæ in B. Maria. Lucæ 1.

Euseb. Emiss. *B. Maria incomparabilis.*

D quod nemo alius fecit: peperit illa Filium, & Virgo permansit; quod nulla alia fecit. sic ille. Cum ergo Deus omnipotens sibi ipse Matrem suam crearit, & ornarit; quàm obsecro plena cœlestibus gratiis Virgo existat, quis dignè, aut homo, aut Angelus explicabit? Verè & pie D. Petr. Chrys. *serm. 143.* Mariæ (inquit) simul se totā dedit gratiæ plenitudo. sic ille. At quæ plenitudo ista? hoc solū nomine illam idem Chrysost. explicat *serm. 144.* Quod erat (inquiens) in principio apud Deum, Verbum Deus, intra se Virgo peperit, & factum est magnum Deitatis templum. sic ille. O felices, qui frequentant hoc templum, cuius antistes est Pater, altare Filius, ianitor & custos Spiritus sanctus! Profectò dilectæ à Deo animæ, quas

S. Pet. Chrys.

B. Maria templum Dei.

E ille cœlestibus pascit deliciis, tunc feliciores habentur, cum ab sponso suo afferuntur in lætitia, & exultatione, adducuntur in hoc templum Regis, ad Matrem videlicet ipsius Virginem in quam vera, & sancta hominis pietas magnum iam nunc est sempiternæ gloriæ pignus.

Psalm. 44. *Pietas in B. Mariam signū prædestinationis.*

4. *Cum ergo occubuisset sol, &c.*] Supplentur hìc quæ in illo apparatu visionum cœlestium omissa fuerant in superiori narratione. Igitur post solis occasum, iam nocte obscura & illuni horribilis quædam incubuit caligo, ad significandam tristitiam & dolorem, ac perturbationem Hebræorum

in

A in seruitute sua, tamquam in vmbra mortis degentium. Sed quis, cum talem ac tam pium habeat Dominum, si in eius obsequio & amore insistat, etiam in Ægyptiaca caligine positus, non cum Iobo sanctissimo *post tenebras speret lucem?* Iob 17. Quo loco egregia S.Gregor. explicatio sic habet. Lux post tenebras speratur: quia vel per noctem vitæ præsentis æternum lumen percipitur, vel ita hic aduersitas atque prosperitas alternant, vt sibi succedere vicissim non desinant. Vnde fit, vt in loce nox in suspicione sit; & in nocte lux in præsumptione, sicut scriptum est: *In die bonorum non immemor sis malorum; & in die malorum non immemor sis bonorum.* Ecclesi. 11. Hęc ille. Quare optimè sibi consulit, qui inter spem metúmque incedit, vt in prosperis aduersa timeat, ne illis in superbiam eleuetur: & in aduersis prospera speret, ne illis frangatur, ac desperet. Cæterùm de hoc loco multa sæpius disseruimus. Illud non omiserim ex Psal. 103. *Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ. Catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant a Deo escam sibi. Ortus est sol, & congregati sunt: & in cubilibus suis collocabuntur. Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam.* En status huius vitæ. Nox est in qua peccatores exultant, rapiunt, mœchantur, & lætantur in rebus pessimis; fauet enim belluis nox. At iusti laborant in nocte, strata sua lacrymis rigant, contumeliis, rapinis, atque omni tyrannide afflictantur. Nox iustis nocet, tenebræ opprimunt iustos. At cum nocte pariter bestię pertransibunt; orietur sol, & mira fiet rerum commutatio. Bestiæ in profundas gehennæ specus, sempiternis vorandæ incendiis detrudentur; hæc bestias sua tandem manent cubilia. At homo iustus, nimirum dignitate hominis, & ratione conspicuus è latebris, è carcere, è nocte exibit ad suum opus; nimirum ad possidendam Dei sui visionem, quæ omnium bonorum est summa, & consummatio.

Iob. 17.
D.Gregor.
Prospera & aduersa alternis veniunt.
Ecclesi. 11.
Securitas inter spem, metúmque.
Psalm. 103.
Malorum & bonorum dispar, vita & mors.

5. *Apparuit clibanus fumans & lampas ignis transiens inter diuisiones illas, &c.*] Fornax subinde sese obtulit Abrahæ flammarum vna cum fumosa nube incendia eructans; qua seruitus Ægyptiaca significaretur. Nam Deut. 4. vocatur fornax ferrea, cum Moyses ait ad Hebræos. *Vos tulit Dominus & eduxit de fornace ferrea Ægypti.* Dicitur *ferrea* propter duritiem & tyrannidem, qua miseri Hebræi opprimebantur; *fornax*, quia & animos & corpora miserorum discruciabat, & consumebat; tum etiam quia Hebræi coquendis laterculis ad fabricam murorũ damnati fuerant. Vnde Rupert. ad locum præsentem Genes. Clibanus (inquit) fumans imago fuit fornacis Ægyptiæ, qua seruituri erant in luto & latere coctili. In fornacem illam ferream & flammis ardentem immisit Dominus Hebræos vt vetustate omni malorum morum per ignes consumpta, crebráque, & repetita tunsione plagarum nouos quosdam homines effingeret, qui mererentur Dei populus haberi: additur enim à Moyse: *Vt haberet populum hereditarium*, id est, (declarat Lyranus) immobiliter sibi adhærentem, sicut hæreditas est possessio immobilis. Planè sic res habet. Cum Dominus amicos suos affligi, atque opprimi sinit, illos in fornacem ignitam, & ferream immittit, incudique committit tundendos, exurendos, atque in nouitatem spiritus, vt purissimo Deo suo adhæreant, efformandos. Ab illa deinde fornace prorupit facula flammea, & in medio illius Angelus vicem Dei gerens per medium spatium cæsorum, & stratorum hinc inde animalium, iuxta morem illis obseruatum sæculis; solebant enim qui pangebant fœdus, inter victimas pertransire. Hinc illud Procopij. Cùm perambularet lampas diuisiones, pactum confirmabatur Dei dicentis: *Semini tuo, &c.* Sed cur Deus in igne apparuit? Respondet Tertul. *lib. de Trinit.* vt peccatori populo metus incutiatur, dum Iudex ostenditur. sic ille. Procopius. Cum in igne sit vis comburendi, & lux illuminans, duo hic mysteria sic euoluit: Cum Deus in medio ignis proponat piis præmia & transgressoribus statuat pœnas, meritò accessit ignis, vt portenderet impiis conflagrationem, piis autem illuminationem præberet. sic ille. Simile quid legimus apud Nicetam *orat. 44. Nazia.* Nempe Deus apparet in igne: quia vi sua consumit, atque abolet, ac mira vehementia agit: Deus enim vt iustis lux est, ita peccatoribus ignis. sic ille. Sed in eãdem sententiam vberiùs S.Ambros. *lib. 4. Hexaemer. c. 3.* ita eloquitur. Quomodo Deus ignis est? non solet consumere nisi sola peccata. In retributionibus quoque meritorum colligimus diuidi ignis naturam, vt alios illuminet, alios exurat: illuminet iustos, impios exurat. Non eosdem, quos illuminat, exurit, & quos exurit, illuminat. Sed illuminatio eius inextinguibilis est ad perfectionem bonorum; exustio vehemens ad supplicia peccatorum. Hæc Ambros. O felicissimos, quorum mentes Deus illuminat lumine vultus sui! sed ô infelicissimos, quos diuina iustitia exuret inextinguibili flammarum incendio! Altera vnumquemque nostrum sors manet, & quænam illa sit futura, nescimus miseri: nec tamen de futura sorte soliciti, certam bonis operibus nostram facimus salutem! Pulchra etiam illa de igne isto S. Aug. obseruatio. Sic enim *lib. 1. contra Adim. c. 13. tom. 6.* Ipse ignis est edax; consumit enim veterem vitam diuinus amor, & innouat hominem, vt ex eo quod Deus ignis est edax, faciat, vt eum nos amemus. Nolite ergo timere ignem, qui est ipse Deus, sed timete ignem quem parauit hæreticis Deus. Sic Aug. Præterea tum hoc loco, tum in aliis in quibus Deus se ostentat in igne, hominem sanè instruit, vt optimè suas actiones dirigat, ac tandem perficiat. Nimirum sciat opus sibi esse, vt à Deo illustretur, ne aberret; ipse verò se contineat Dei timore, ne diffluat in vanitates, & insanias falsas, ne in lasciuiam soluatur, ne in superbiam eleuetur, ne relicto Deo suo videns furem, currat cum eo in barathrum. Vnde sic Procopius subnotauit. Illi, qui facienda; quæ sunt, certo iudicio elegit, opus est illuminatione Dei, & timore diuino; quæ duo in hoc exemplo manifestantur, vt scilicet omnia peragantur rectè. sic ille.

Deuter. 4.
Seruitus Hebræorum in Ægypto.
Rupert.
Lyran.
Afflictio vtilis Dei seruis.
Procopius.
Cur Deus in igne apparuit.
Tertullian.
Procop.
Nicetas.
S. Ambros.
Ignis symbola.
D.August.
Lux & timor Dei.
Procopius.

6. Non minùs appositè clibani, atque ignis ænigma exposuit Theod. *quæst. 65.* in hunc modum. Quod dicitur visum esse circa solis occasum clibanum fumantem, & lampades ignis, significabat suscepta esse sacrificia: & præterea Deũ omnium fore conspicuum circa finem prædicti temporis. Nam in igne visus est Moysi legislatori; deinde vniuerso populo. Hæc Theod. Quare postea Moyses in rubo, & Hebræi subinde in monte Sinai, Deum inter flammas, fumúmque venerantes, huius sacrificij patris omnium Abrahæ, & symbolici clibani memores pactum Dei istud re ipsa iam ab ipso confirmatum agnouerunt. Pulchrè dixit Deum fore conspicuum, contestando nimirum Hebræis se illum ipsum esse, qui antea cùm patre Abraham in igne fœdus percusserat. Ac demum cùm horribilis incubuisset caligo, Deus vt à seruo suo Abraham videretur; conspi-

Theod.
Cur ignis in pacto Dei cũ Abraham?

cuum se reddidit in facula ignita, & relucente. Quod quidem non latuit Procopium. Sic enim appofuit. Lampas ignis transiuit inter diuisiones vt conspicaretur Abrahamus ea, quæ gerebantur. Lampades quoque significabant maiora quædam, quæ Patriarcham scrutari oportebat. sic ille. At quænam ista maiora, quam facies, habitus, transitusque Dei, seu potius Angeli Deum repræsentantis? scilicet hæc duo præstabit Deus omnipotens amicis suis in cælesti beatitudine. Illorum enim mentes, siue intelligentias lumine gloriæ collustrabit, ad videndam Deitatem, & voluntates inflammabit, vt ardentissime ament, quod vident. Magnus quidem honor ab isto igne Hebræis est. Deus cum illis per ignem fœdus constituit: at pertransiens tamen non inter illos stetit, vbi vulpes foueas habuerunt, & volucres cæli nidos: Filius autem Dei, ac Virginis non inuenit vbi caput suum reclinaret; atque iccirco ad gentes transiit, à quibus adoratur, & amatur; cum quibus est vsque ad consummationem seculi. In hoc sensu transitum istum ignis ita accepit Rupert. Et illa quidem lampas transiens inter diuisiones illas, id est, inter seditiones Iudaicas clarissima fuit: sed ipso transitu suo sese aliò migraturam esse declarauit. Nam ecce translata est ab illis gloria, & ad gentes transiuit. sic Rupertus. S. Ambros. allegorice vitam humanam in hac fornace depictam arbitratur. Sic enim ait *lib. 2. de Abrah. cap. 9.* Denique visa est fornax fumigabunda. Cuius similitudine exprimi videtur vita humana; quæ implicata iniquitatibus seculi istius, atque inuoluta, non habens veri fulgoris claritudinem, & splendorem sinceri luminis, intus quasi fornax æstuat diuersis cupiditatibus, & quibusdam desideriorum anhelat ignibus: foris velut fumo quodam obtexitur, ne videat veritatis faciem. Obumbratur itaque, & obducitur quadam caligine oculus animæ, vt confundatur globo quodam fumigantis nebulæ mentis aspectus, ne puta sit aspectari negotia, donec cælestes lampades dirigat Dominus Iesus, hoc est fulgorem gloriæ suæ. Hæc Ambros. Ardet etiam, & fumat clibanus nostri corporis cum libidinosis pertentatur assultibus. Igitur clamandum est, vt appareat Dominus Iesus inter putidas carnes, flammas, ac fumum atque extinguat in nobis desideria carnis, & accendat ignem sui amoris.

Procopius. | *Sanctorum beatitudo.* | *A Iudais ad gentiles Christus transiit.* | *Rupert.* | *D. Ambros.* | *Vita humana significatur in fornace.* | *Ardet libido in corpore.*

7. *Pepigit fœdus, &c.*] Discurrens flamma tandem consumpsit omnia illa animalia in signum accepti sacrificij: quibus ritè peractis confirmauit Deus cum Abraham illud idem pactum, quod anteà *cap. 15.* promiserat, verbo scilicet tunc promissum, nunc facto, & rituali cæremonia ratum, ac firmum esse constituit. Ergo pollicetur Dominus daturum se in possessionem Abrahæ semini, siue posteris illius terram illam à tam multis, & bellacissimis, tunc habitatam gentibus; cuius duo circumscribuntur termini, scilicet ab Austro riuus quidam Ægypti à Nilo decurrens inter Pelusium. & Rhinocururam, qui solet in scriptura vocari torrens deserti, & torrens Ægypti, de quo lege si placet Riber. nostrum, *cap. 6. Amos, n. 45. & 9. Zachar. n. 44.* & Masium in *cap. 13. Iosue.* Rhinocurura vrbs est in Ægypti, Arabiæque finibus, non procul a mari sita, iuxta quam hic fluuius decurrit. Vnde nomen vrbis ob vicinitatem ab interpretibus tributum est fluuio, vt indè magis innotesceret. De vtroque si plura cupias scire, lege Perer. ad hunc locum. Alter terminus ab Aquilone est Euphrates magnitudine sua, & ortu memorabilis. Tota verò regio inter hos duos limites habitabatur à posteris Chanaan; etsi autem omnes essent Chananæi, varijs tamen subinde nominibus vocari cœpti sunt, quod diuersos sui generis nobiliores, & illustriores habuerint autores. Cæteris verò præstabant Amorrhæi amplitudine gentis, & proceritate corporis ac robore; ac celebriores erant in tota Palæstina, ob incredulitatem, & omnium flagitiorum immanitatem: vt iam in prouerbium abierit, *improbitas Amorrhæorum*. quo nomine appellabatur improbissimus quisque, vti apud Ezech. 16. Ad Iudaici populi impietatem significandam, dicitur: *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.* Atque ob has causas, nonnunquam Amorrhæi accipiuntur pro vniuersa Chananæorum gente, vt paulò ante visum est. Sed quid est, cur hoc loco numerantur decem gentes, at in aliis scripturæ locis pauciores: vtpote sex tantum, Exod. 3. & 33. Septem verò Deut. 7. Iosue 3. & Actor. 13. Ad hanc difficultatem diluendam multa dici possent. In primis fuisse hoc eodem tempore Abrahæ decem illas gentes, quæ nominantur; at postea pauciores extitisse aliis, vel bello, pesteque, ac fame (vt aliquando euenit) extinctis, vel sub aliarum potestatem, dominatumque redactis. Deinde licet decem gentes habitarent in ea regione, pauciores interdum commemorari, quæ robore, potentia, opibusque essent clariores. Aut denique ex D. Aug. *q. 21. in Iosue*, quando numerantur decem aut vndecim nationes, intelligi regionem illam vniuersam, in quam latissimè se extendit regnum Hebræorum tempore Dauid, & Salomonis, subiugatis tunc demum decem, aut vndecim illis gentibus. Quando verò septem recensentur, intelligi de terra, quam Hebræi primò occuparunt, ex Ægypto liberati. Gergezæos autem, cum sex tantum nominantur, sub aliis comprehendi, tanquam ignobiliores. Nisi velis cum D. Hieron *in Epistol. ad Dardanum*, 129. quam in 1. tom. retulimus, dicere (quod etiam viris aliis doctissimis placet) longè ampliorem terram à Deo Abrahæ promissam fuisse, quàm ab eius posteris fuerit possessa; nimirum quia promissio illa terræ in tanta amplitudine fuit conditionalis, modo (inquam) Hebræi fœdus à patre Abraham cum Deo percussum obseruarent, Deo, vt debebant, piè, sanctèque seruientes. Quod autem aliter contigit. Delapsi enim in cænum idololatriæ, ac Deum patrum suorum deserentes, omninò se indignos reddiderunt, qui tam amplam regionem possiderent; de qua tandem ob detestanda facinora expolsi, ventilatique sunt Vide Perer. *disp. 10 in 15. Genes.* Non omittam hic animaduertere ad finem huius sectionis, quod ad commemorandum, ac semper ante oculos habendum vitæ nostræ finem conducet. Pacta nimirum, & fœdera Dei cum hominibus interuentu mortis animalium sanciuntur; idque fit appositissimè. Nihil enim ita componit, nihil ita hominem cum Deo conciliat, nihil ita stabile firmumque reddit diuinæ legis ab homine seruandæ statutum, mentémque sanctioris status ita ratam, constantémque facit, atque mortis recordatio. Hae enim ritè omnia ordinantur. Ad cadauera cæsorum animantium nostræ cùm vitæ, tum mortis monemur, ne similiter, vt illa & viuamus, ac tandem moriamur. At reprobi, (vt S. Saluianus aduertit) vti iumenta similiter pereunt, sed non similiter puniuntur Iumentorum mors sempiterna sine sensu est: Istorum omnium cum dolore *lib. 3. ad Eccles. Catholic.*

Termini terra promissionis. | *Chananaa gentes.* | *Amorrhaeorum potentia & infamia.* | *Ezech. 16.* | *D. Hieron.* | *Terra promissionis minor est possessa.* | *Vtilissima mortis recordatio.* | *S. Saluian.*

CAPVT

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

1. IGitur Sarai, vxor Abram, non genuerat liberos: sed habens ancillam Ægyptiam nomine Agar,

2. Dixit marito suo: Ecce, conclusit me Dominus, ne parerem: ingredere ad ancillam meam, si fortè saltem ex illa suscipiã filios. Cúmq; ille acquiesceret deprecãti,

3. Tulit Agar Ægyptiam ancillam suam, post annos decem quàm habitare cœperant in terra Chanaan: & dedit eam viro suo vxorem.

4. Qui ingressus est ad eam. At illa concepisse se vidẽs, despexit dominam suam.

5. Dixitque Sarai ad Abram: Iniquè agis contra me: ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ videns quòd conceperit, despectui me habet. iudicet Dominus inter me & te.

6. Cui respondens Abram: Ecce, ait, ancilla tua, in manu tua est, vtere ea vt libet. Affligente igitur eam Sarai, fugã iniit.

7. Cúmque inuenisset eam Angelus Domini iuxta fontem aquæ in solitudine, quæ est in via Sur in deserto,

8. Dixit ad illam: Agar ancilla Sarai, vnde venis? & quò vadis? quę respondit: A facie Sarai dominæ meæ ego fugio.

9. Dixitque ei Angelus Domini: Reuertere ad dominam tuam; & humiliare sub manu illius.

10. Et rursum: Multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudine.

11. Ac deinceps: Ecce, ait, concepisti, & paries filium: vocabisque nomen eius Ismael, eò quòd audierit Dominus afflictionem tuam.

12. Hic erit ferus homo, manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum: & è regione vniuersorum fratrum suorum figet tabernacula.

13. Vocauit autem nomen Domini qui loquebatur ad eam: Tu Deus qui vidisti me. Dixit enim: Profectò hic vidi posteriora videntis me.

14. Propterea appellauit puteum illum, Puteum viuentis & videntis me. Ipse est inter Cades & Barad.

15. Peperitque Agar Abræ filium: qui vocauit nomen eius Ismael.

16. Octoginta & sex annorum erat Abram quando peperit ei Agar Ismaelem.

SECTIO PRIMA.

Igitur Sarai, vxor Abram, non genuerat liberos: sed habens ancillam Aegyptiam nomine Agar dixit marito suo: Ecce, conclusit me Dominus, ne parerem: ingredere ad ancillam meam, si fortè saltem ex ancilla suscipiam filios. Cumque ille acquiesceret deprecanti, tulit Agar Aegyptiam ancillam suam, post annos decem quam habitare cœperant in terra Chanaan: & dedit eam viro suo vxorem. Qui ingressus est ad eam.

1. TOTAM præcedentis capitis historiam, aut ipsa quoque presens cum marito spectauit Sarai; & oraculum diuinum de promissione futuri seminis Abrahæ accepit; aut certè à viro de his omnibus mulier edocta; fuit subinde per aliquot annos in spe habendi ex marito suo prolem illam, cui tam mira Dei benedictio fuerat promissa. Verùm ingrauescente iam sua & viri senectute, sterilitatem suam probè agnoscens statuit secum illud semen Abrahæ, cui tanta rerum felicitas erat obuentura, non ex se ipsa, sed ex alia muliere fore nasciturum. Quare tota in studium viri sui intenta curauit, vt alteram pro se maritus haberet vxorem, de qua tam beatam illam, ac cælitus promissam sobolem susciperet. Decennium iam agebant, ex quo à Mesopotamia in Chanaan venerant; ille octoginta quinque annorum, illa septuaginta quinque. Constat enim ex 17. cap. Saram decennio posteriorem natu fuisse, quàm Abraham. Atque ideircò à diuino scriptore, annus, quo nouum istud coniugium celebratum est, apponitur, vt ætas (inquit Caiet.) Saræ innotesceret, in qua desperata iam esset proles. Deinde, vt demonstraretur Abrahæ concordia, & amor erga vxorem, quam tandiu expertus sterilem, nec læsit, nec fastidiuit, nec dimisit: præterea continentia Abrahæ, qui tot per annos, ne desiderio quidem prolis habendæ, nedum libidinis æstu succensus alium quàm Saræ torum quæsiuit. Denique, vt longanimitas viri, & fiducia, spésque in Deum tandiu exercita, probatáque patesceret, cum Dei promissis non diffideret, imo semper expectarit prolem illam, quæ quantò magis videbatur impossibilis, tantò postea magis prodiret admirabilis, tantò dulcior & charior parentibus. Hæc omnia in consequentibus explicatiùs diducentur. Attulerat Sara ex Ægypto ancillam, vt Hebræi & S. Chrysost. asserunt, à Pharaone rege donatam, egregiæ quidem indolis, quam optimis moribus instituerat, nomine Agar; dignámque censuit, quæ sibi in torum succederet, essétque vera, & legitima (etsi secundaria, minúsque præcipua) vxor Abrahami, quæ illi perbeatum illud semen pareret; atque adeò hac ratione Abraham diuini fieret compos promissi. Habet ergo litera: *Igitur Sarai, vxor Abram, non genuerat liberos, &c.* Quàm incóprehensibilia sunt iudicia Dei, & inuestigabiles viæ eius! Quis nouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?

Abraha virtutes.

Caietan.

Dona Dei differuntur.

Agar bene instituta.

Soboles Saræ per miraculum.

fuit? Ipsamet Sara, & nulla alia mulier promissam illam diuinitus sobolem erat paritura: & sterilitas illa necessaria fuerat ex diuino consilio ad huiusmodi prolem; quod tamen mortalibus, spectatis naturæ obstaculis, incredibile videbatur. Pulchrè ad hunc locum Procop. sic effatur. Sara, quæ erat generis illius scaturigo, seu origo inducitur sterilis, vt instar miraculi appareat copiosa illa soboles; & vt cognoscatur, non tam ex concubitu, quam ex beneuolentia, & prouidentia Numinis illam prolem prouenisse. hæc Procop. Per miraculum quidem suscipienda erat illa soboles Abrahæ; atque ad miraculum multa erant naturæ præsupponenda impedimenta, quæ interim viri iusti longanimitatem, & fidem exercerent. Quod S.Chrysost. in illa priore voce (*igitur*) siue vt LXX. vertunt (*autem*) Hebr. *Ve*, significari arbitratus ita eloquitur. *Sara autem*, hoc est, post pacta cum Abraham inita, post pollicitationem innumeræ multitudinis ex eo procreandæ, Sara tamen vxor eius non peperit ei, vt discas, quod nihil illi accessit post tantas promissiones. Verùm Patriarcha non spectabat impedimenta naturæ, sed omnipotentiam Domini cognoscens, sicut gratus seruus non quærit curiosè modum eorum quæ fiunt: sed relinquit incomprehensibili Domini prouidentiæ, & credidit dictis. hæc Chrysost. Vides admirabilem virtutem Abrahæ, ac fortasse non minorem subinde in Sara admiraberis, scilicet, vt ex iustis, sanctisque parentibus Deo dilecta soboles nasceretur. Magna enim laus est filiorum, à sanctis enasci parentibus, quod & à S. Luca de Ioanne Baptista commendatur; *ambo enim illius parentes iusti processerant ante Deum, in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela*, cap. 1. Quamquam illud optimè dictum est à S Eusebio Emiss. *hom. 2. de Ioan. Bapt.* hisce verbis. Beatus Ioannes à Spiritu sancto etiam in maiorum suorum titulis prædicatur, non tam de veteribus consecuturus laudem, quàm vt magis in exemplum cresceret, dum nouis virtutibus antiquorum superat dignitatem. Felix parentum meritis, felicior suis. hæc Eusebius. Multum commendat hominem parentum illius commendatio: sed si miser ab eorum virtute degeneret, multò exinde fit ignobilior. vera enim & solida hominis laus à propria virtute procedit, quæ tantam vim habet, vt etiam parentum vitio non decoloretur. Neminem sanè (inquit S.Petrus Damian. *lib. grat. cap. 19.*) caligo alienæ peruersitatis obnubilat, quem fulgor propriæ religionis, & honestatis illustrat. sic ille. Nec mirum est de patre sene Abraham, de matre sterili Sara progenerari filium, qui typus erat, & figura illius futuri filij Abraham, ad cuius natiuitatem omnia iam inde ab initio mundi, & præstruebantur, & parabantur. Quamobrem quod de Ioanne dixit eleganter S. Euseb. Emiss. *homil. 1. de Isaac*, appositissimè dici potest. Nimirum Ioannes nascitur de patre sene; Christus ex Matre, in mundi senescentis ætate, ætate (inquam) illa, quæ erat fide, & operibus infœcunda. Ioannes venit desperata generatione per sterilem, & Christus natura obstupescente per Virginem. hæc ille. Partus quidem sterilis præludium quoddam erat, & velut manuductio ad partum Virginis; quod & Angelus Virgini non obscurè insinuauit illis verbis: *Ecce Elisabeth concepit in senectute sua, &c.* Dixi præludium: quia nulla est inter vtrumque partum æqualitas. Enimuerò vt rectè obseruat S. Ambros. *in 1. Luc.* quid tam inauditum, quàm Virgo prægnans, contra legem, contra consuetudinem, contra pudorem, cuius charior cura est Virgini? Virginem parere diuini est signum mysterij, non humani. Ex viro autem & fœmina solemnis est partus, nec incredibile debet videri, vbi natura concordat, &c. sic Ambros.

Procopius.

S.Chrysost.

Fides Abrahæ.

Laus à virtute parentũ.

Lucæ 1.

Euseb. Emiss.

S. Ioan. Bapt. suum genus illustrauit.

Laus solida à virtute propria.

S.Petr. Dam.

Euseb. Emiss.

Incōparabilis Natiuitas Christi ex Virgine.

Luc. 1.

D. Ambros.

2. Etsi autem coniugium ob fœcunditatem commendetur; at virginitas licet altiùs supra omnem naturam assurgat, censebitur fortasse ideò minus laudabilis: quia sterilis, & infœcunda esse videatur. Sed non ita est. Vt enim vere atque eleganter scriptum fuit à S. Hildebert. *Epist. 36.* Perennis est ex virginitate progenies, &c. An non Beatissimæ Mariæ virginitas cælum repleuit & terram; illud beatis mentibus, istam fidelibus? Fructus enim ventris Virginei (vt loquitur S. Euseb. Emiss. *homil. 1. de Natiuit.*) per omnes gentes, ac fœcundus Sanctorum, dilatatur. sic ille. Pater enim Christus est omnium filiorum Dei, Virgo Maria Mater est omnium: quæ & Patrem omnium peperit, & materno fauore nutrit, ac tuetur omnes, qui Christum eius Filium agnoscunt, & venerantur Deum. Quod si ad merita respicias, multò fœcundiorem virginitatem inuenies, quàm coniugium. Quòd SS. Patres ex parabola seminis Matth. 13. colligunt; vbi fructus, qui exuberat, aut centesimus, aut sexagesimus, aut trigesimus est. Et quidem (vt explicat S. Euseb. Emiss. *homil. in septuag.*) trigesimum fructum dant boni coniugati; sexagesimum continentes reddunt, qui tantò coniugatis meliores sunt, quantò hic numerus illum excedit, cùm totus ille in isto duplex inueniatur. Valde enim meliores sunt, qui corporis & animæ continentiam & castitatem custodiunt, quàm illi, qui solius animæ castitatem obseruant. sic Euseb. Sed quid de fructu centesimo, & omnium abundantissimo dicendum? Idem Euseb. de eodem hæc adiungit: Centenarius numerus perfectus est. Illi igitur, qui in Ecclesia perfecti sunt, centenarium fructum congrue satis reddere intelliguntur. Et de talibus Dominus ait: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.* Tales illi erant, qui dicebant: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Soli igitur perfecti centesimum fructum reddunt, inter quos nec ipsi virgines poni debent, nisi & ipsi propter diuinitatem hanc habeant perfectionem. Hactenus Euseb. Ex quibus videas admirabilem cùm dignitatem, tum vtilitatem vitæ religiosæ, in qua numerosissimæ recensentur virorum, ac fœminarum cohortes, vtroque numero simul coniuncto, felicissimæ: videlicet sexagesimum fructum reddunt continentiæ, quam tota vita inuiolatam seruant; & subinde in centesimum exuberant, cum omnia mundi bona facto & affectu abiicientes Euangelicæ perfectionis paupertatem amplectuntur. Cæterùm S. Hieronym. *in Matth. 13.* aliter de numero centesimo sententiam hoc pacto definit. Centesimum fructum virginibus, sexagesimum viduis, & continentibus; trigesimum casto matrimonio deputamus. Honorabiles enim nuptiæ, & cubile immaculatum. Quidam nostrum centesimum fructum ad martyres referunt. Quod si ita est, sancta consortia nuptiarũ excluduntur à fructu bono. hæc Hieron. In hac verò postrema explicatione addendum erit consequenter statum coniugalem comparatiuè esse infœcundum: nam etsi in illo virtutum merita plura videantur, si tamen cum continentium vita comparentur, ne fructus quidem nomen sortiuntur. S. Chrysost. latiùs extendit hunc fructum, vt omnes iustos in triplicem redactos ordinem comprehendat, nimirum, martyres, religiosos, & cæteros deinde legem Dei obseruantes. Præterea centesimum attribuit patien-

tiæ,

Virginitas fœcunda.

S. Hildebert.

Fructus Virginis Mariæ.

Euseb. Emiss.

Matth. 13.

Laus continentiæ supra coniugium.

Euseb. Emiss.

Matth. 19.

Laus status vitæ religiosæ.

D. Hieron.

Coniugium non est comparabile cum continentia.

D. Chrysost.

Patientiæ laus in S. Iob. tiæ, cum inter dolores corporis æquanimiter sustinens exultat. Quod ita in Iob ostendit: Et Iob ante tentationem trigesimum habuit in facultatibus suis iuste viuendo: post damna substantiæ, & filiorum sexagesimum: vt qui omnia bona sua contemnunt, & accedunt ad seruiendum Deo. Post plagam autem corporis centesimum fecit. Qui enim, si infirmitas corporis eis contigerit, fideliter sustinuerint, habent centesimum; & terra optima est. hæc ex Chrys. Denique Sara sterilis, ac deinde fœcunda Ecclesiam gentium significat. *Synagoga sterilitas.* Euseb. Emiss. Nam dum sterili nascitur filius (inquit S. Euseb. Emiss. *homil. 2. de Ioan. Baptist.*) de Ecclesia, quæ ante sterilis erat, gentium populus intelligitur procreandus Vnde Propheta loquitur: *Lætare sterilis, quæ non paris: quia plures filij desertæ magis, quam eius quæ habet virum.* Isaiæ 54. Synagoga enim legis vinculis, quasi viri iugo subdita per sensum malè fœcunda carnalem, in Domini passione filios suos perdidit: Ecclesia totum mundum fructu sacræ generationis impleuit. hæc Euseb. Quod verò Sara Ecclesiam gentium, Agar synagogam adumbrarit, expressè traditur ab Apost. ad Galat. 4. & hoc eodem testimonio Isaiæ comprobatur. *Fœcunditas Ecclesiæ Christianæ.*

3. *Ecce conclusit me Dominus, ne parerem.*] Hebraismus valdè frequens, valet idem, atque sterilem fecit, concipiendi vi priuauit, bonum fœcunditatis denegauit. Hebr. עצרני ghatsarani à radice עצר ghatsar, prohibere, retardare, claudere. Videtur enim Creator habere in manu clauem, vt vel aperiat, vel claudat vires, & potentiam naturæ, vt operetur aut non operetur; siue vt aperiat aut claudat thesaurum suæ benedictionis, quæ in sacris literis vocari solet fœcunditas prolis; siue vt facultatem prolificam humani generis instar fluuij inoffenso cursu decurrentem virtute sua prohibeat, ac remoretur, aut verò solitum finat cursum tenere. Hæc omnia in verbo *conclusit ghatsarani*, significantur. Contrà verò dicitur Deus aperire vuluam, cum tribuit fœcunditatem. Licet autem multæ causæ naturales interuenire soleant ad impediendam generationem sobolis; nihilominùs interdum huiusmodi infœcunditas, vel in pœnam coniugum, vel in bonum illorum ex singulari quodam Dei consilio, & voluntate contingit. *Deus sobolem dat, & denegat.* Sara igitur causam suæ sterilitatis ad Deum referens præclarum suæ patientiæ, ac modestiæ specimen prætulit, vt S. Chrys. hoc modo exponit. *Sara patientia.* S. Chrysost. Vide prudentem animam. Nihil asperum loquitur, nec suam deplorat sterilitatem; sed solùm hoc nobis declarare vult, quòd naturæ Domino & opifici suam adscribens sterilitatem, fortiter, & leniter eam ferat; malens, quod Deo placebat, quàm quod ipsa concupiscebat; vnum illud præcipuè spectans, & satagens, vt virum suum quoquo modo consolaretur. Ita Chrys. Non sese affligant vehementiùs coniuges, non indignentur, non suam inclament, ac lamententur infelicitatem, si quando filiorum fœcunditate priuantur, sed diuino id consilio, & voluntate factum existiment; velut ita illos liberos faciat, atque immunes ab innumeris & grauissimis molestiis, quas filij afferre solent; vel saltem per aliquod tempus hanc suam benedictionem differt, vt parentes futuri precibus ad Deum emittendis, & piis aliis operibus intenti sanctius suum coniugium efficiant, sanctioremque sobolem procreent; quod ad Isaac conceptum, deinde ad Ioseph, Samuelis, Ioannis Baptistæ, maximè verò ad beatissimæ Virginis Mariæ ex infœcundis, & grandæuis parentibus ortum legimus accidisse. *Deus aut negat aut differt sobolem.* *Matri proles similis.* Ac præsertim mulier suæ vel intemperantiæ, vel honestatis nota sobolem non semel iniustam parit; & quidem de honestis fœminis, ac filiis paulò ante indicata exempla sufficiant; de vitio autem matrum, ac filiorum satis mihi erit illa comminatio Domini ad synagogam: *Filiorum illius non miserebor, quoniam filij fornicationum sunt, quia fornicata est mater eorum, confusa est, quæ concepit eos.* Oseæ 2. Itaque Dominus a se reiicit vel genus execrandum, filios matris fornicariæ, qui vtique sunt filij fornicationum; *Oseæ 2. Filij matris fornicariæ.* hoc est iuxta Hebraismum vsitatum, sunt ipsi fornicarij turpitudinum maculis inquinati; tales enim peperit mater filios, qualis ipsa erat. Confusa est quæ peperit. LXX legunt, *pudore, vel probro affecit quæ peperit ipsos*: id est, in filios suos dedecus illud suum transmisit, reddens suo exemplo imitatores suarum fornicationum. hæc ex Ribera. Non aliter Theod. explicat. Ipsi (inquiens) similia, atque mater eorum commiserunt, fecerunt. sic ille. Luculentiùs (vt solet) S. Hieron. ita interpretatur. Riber. Theod. D. Hieron. Fornicariæ matris liberi peribunt cum matre meretrice: quoniam filij fornicationis sunt, & mali ex malis geniti. hæc ille. Considerent hæc ipsa Patres, nec sibi, ac filiis ineluibilem inducant ignominiam, vt suæ prolis matrem faciant meretricem, pudeatque nobilissimas gentium familias spurio, & fornicario semine deturpari. *Ignominia sobolis fornicariæ.*

4. Ex his verbis Saræ colligit Procop. admirabilem fœminæ honestatem ad hunc modum. Procopius. *Sara honestas.* Vides hoc loco Sanctos è matrimonij copula non voluptatem sed liberos esse venatos? Nam Sara mulier sapientia, & vitæ sanctimonia pollens, cum exploratam haberet suam sterilitatem consultò vitabat concubitum Abrahami mariti. hæc ille. Simile quid dicendum erit de viro qui se videns carere liberis, iam pridem à coniugali commercio abstinebat. Ac voluptatem quidem huiusmodi natura elargita est, vt animantia procreandæ soboli studium impenderent; & propter hanc principalem causam iustè illa suscipienda erit: *Voluptas venerea ob sobolem.* alioqui enim extra coniugium venerea voluptas, quàm sit homini perniciosa, & quotidie genus hominum experitur, ac dolet; & verè sapienterque appositis nominibus ita malum hoc depingitur a S. Greg. Nyss. *de vita Moysis.* Animarum victrix voluptas: ad mortem vsque homines morbus detrudens: venenosus serpentis morsus: pestifer cupiditatis morbus. S. Greg. Nyss. *Voluptas carnis pestilens.* sic ille. Et paulò antea dixerat: Crudelis domina, ac rabiosa luxuria est: libidine, quasi stimulis seruilem mentem exagitans, &c. Sed quodnam huic lethali veneno medicamentum occurret? Nimirum (adiungit idem Greg.) antidotum libidinis est Crux, & timor Dei: vnde Propheta: *Confige timore tuo carnes meas.* Psal. 118. Clauus, qui carnem hanc retinet, continentia est. *Antidotum contra libidinem.* Psal. 118. Huic mundo crucifixos nos præbeamus; fixos in virtute, immobiles in peccando. hæc ille. Scilicet lubrica (vt ibidem appellat) voluptas furioso quodam, ac gehennali impetu insiliens hominem ab omni statu virtutis, atque adeò rationis sede pellere nititur, vt pecudis instar turpissimas sectetur illecebras. Igitur hominem timoris clauus confixum teneat, atque immotum, & crucifixo Domino suo adhærentem. Quem enim, si Dominum Iesum in Cruce virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi leprosum conueatur, non pudeat carnis voluptatibus detineri, iuxta vulgatum illud ac celebre dictum S. Bernard. in formula honestæ vitæ: Dominus meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo? *Iesus crucifixus ianua à libidine.* S. Bernard. Magna etiam laus mulieris, quæ tam studiosa fuit viri sui, vt sterilitatem suam eo maximè indoluerit, quòd tantus vir priuandus esset filio; nec Abrahæ familia, substantia, *Sara viri sui studiosa.*

A stantia, noménque deinceps apud homines per successionem posterorum permansurum foret. Angebat igitur piam & sanctam mulierem potius mariti, quam suus dolor. quippe mariti causam sibi potiorem semper habuerat. Iccircò statuit viro ancillam suam tradere in coniugium, vt ex ea proles marito, quam sibi vt propriam ipsa duceret, enasceretur. Hinc optimè Procop. adnotauit.

Procop.

Cùm verò certum esset, sobolem datum iri Abrahamo, vt id aliquo modo fieret, marito ancillam tradidit existimans filium, qui ex eo concubitu nasceretur, sibi vnà cum marito communem fore: vt quæ ipsius foret coniux. Obseruandus est mulieris in maritum animus propensus, & nullius iniuriæ liuore obfuscatus. hæc ille. Exemplar esse potest Sara fœminis, in fide, amore, stu- B dióque erga viros. En vbi rixæ, vbi querimoniæ mulierum, conuitia, dicteria exprobrantium; vbi flammeus ille fumus zelotypiæ, quo miseræ fœminæ de pellicatu aliarum, etiam interdum famularum, dies ac noctes exeduntur, & contabescunt: quo malo nonnunquam amplæ alioqui, opulentæ, atque illustres familiæ labefactatæ corruunt?

Mulierum de pellicatu dolor.

At Sara inquit, *conclusit me Dominus, ingredere ad ancillam meam, &c.* breuis quidem oratio, sed eam longiore stilo eleganter ita diduxit Phil. *libr. de Abrah.* Sara cum prole careret, verita ne tam chara Deo domus ob id deserta deficeret, sic maritum allocuta est: Iam dudum vnà viuimus in charitate mutua: sed quæ præcipua coniugij causa est, propter quam vtique natura virum iunxit C mulieri, desunt nobis liberi: imò propter meam vergentem iam ætatem, ne in posterum quidem spes vlla prolis reliqua est. Non est autem æquum, vt te quoque tangant meæ sterilitatis incommoda licet tibi, salua nostra charitate, patrem fieri: absit enim à me zelotypia, quando a te abest bruta concupiscentia, necessitati naturæ satisfactum. Quamobrem non differam nouam adornare nuptam, quæ quod mihi deest, suppleat. Quòd si res ex voto successerit, tui natiui liberi, mei erunt adoptiui: meam duc famulam corpore seruam, sed ingenio liberali, ac generoso fœminam; genere quidem Ægyptiam, sed Hebræam religione, &c. hæc ex Philone. Ah quam perstringit hæc Saræ constantia, & in virum suum amor irrecon- D ciliabile odium nouercarum contra misellam orbitatem priuignorum!

Philo.

Amor Saræ in virum.

Nouercæ odiū in priuignos.

5. *Ingredere ad ancillam meam.*] Duc illam vxorem. *Hebr.* בא *bo*, radix בא *bo, ingredi, venire*, quo verbo honestiore carnalem copulam significant. Mira sanè continentia Abrahami. Abstinuerat iam pridem, vt de Sara etiam paulò ante subnotauimus à commercio coniugali, expertus vxoris suæ Saræ infœcunditatem: nec tamen iccircò ab vxore abstinens ad ancillam, quæ forma, & ingenio liberali esset, oculos, animúmque adiecit. Non more (obseruat Procop.) intemperantium, qui negligentia & odio suarum vxorum, ancillas luxuriosiùs contrectant, in ancillæ concubitum ruit. sic ille. Vehementer in hanc pestem familiarum E inuehitur sæpiùs D Chrysost. cuius illud est *homil. 4. ad Roman.* Quemadmodum sæpè fieri videmus vt qui ciborum appetitionem amiserint, terram ac lapillos comedant: quique impotenti siti correpti fuerint, ij & cœnum quoque nonnunquam ad bibendum appetant; ita & illi ad illegitimum amorem efferbuerunt. Ita Chrysost. Insania hæc multorum est; in magnis & illustribus familiis: videas dominos ancillarum, & interdum Æthiopissarum fœdis amoribus detineri, cum summa totius domus infamia; nec se miseri, vt abiectè, ac

Abraha continentia.

Procop.

S.Chrysost.

Domini ancillarum amatores.

A turpiter viuunt conuertur: quin potiùs exultant in rebus pessimis. Eò tandem procedit libidinis furor & amentia. Dic quæso, si videas nobilem iuuenem veste lacera, detritáque, incompto capite, facie lutulenta vagari per vrbem; & nihilominus in tanta deformitate ac cæno ridere, gestire & triumphare: num hominis insanientis non deplorabis? Hac similitudine vsus deinde S. Chrys. ad libidinosi dementiam demonstrandam, adiungit: Huic sane de eo facto non gratulabor, quin eum potiùs deplorabo, quod ne se quidem indecorè agere persentiscat. sic ille. Sed Iudex omnium supremus, atque integerrimus omnia inconniuenti oculo percipit, ac iustissimo examine pensitat, atque vt scelesto homini talionem re- B pendat; æquissimè permittit, vt adulter adulteram habeat vxorem; ille vxorem, ista maritum excercetur. Quid inde fiet? planè, quod aduertit S Chrys. Hoc ipsum (inquiens) est extremæ perditionis indicium: cum scilicet vtrumque genus corruptum est: eúmque tum qui mulieri præceptor ordinatus est, tum quæ viro auxiliatrix iussa est esse, hostium inter se officiis funguntur. Ita Chrys. Sed qualis tandem erit tota familia, quales ex talibus parentibus filij? audi hoc potiùs ex Propheta, imò ex ipso Deo ad Prophetam loquente: *Vides quid isti faciunt in ciuitatibus Iuda, & in plateis Hierusalem? filij colligunt ligna, & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, vt faciant placentas Reginæ cæli, & libent dijs alienis, & me ad iracundiam pro-* C *uocent.* Hierem. 7. Adnotauit subtiliter S Hieron. Ideò diuersa officia filiorum, patrum, & matrum posuit, vel vxorum; vt nulla ætas sit, quæ ab impietate dissenserit, &c. Hunc eundem locum expendens S. Chrys. *homil. 8. in 1. Corinth.* concludit egregiè. Vereor ne de nobis hoc dictum sit. Videbis omnes ad carnalia festinantes. hæc ille. Sed ad Saram reuertamur, quam ex hoc facto laudat S. Aug. *lib. 21. contra Faustum.* vbi hæc inter alia scribit. Prolem, quam de se habere Sara non poterat, de ancilla habere voluit, ex eo tamen semine ex quo & de se, si posset, habere desiderabat. Nunquam hoc faceret mulier, si in corpore viri carnali concupiscentia teneretur: zelaret enim potiùs pellicem, non faceret matrem. Nunc verò propterea D sic propagandi voluntas pia fuit: quia concumbendi voluntas libidinosa non fuit. hæc Aug. qui addit *lib. 10.* post Iosephum, Abram credidisse Saram nutu Dei suasisse illud coniugium. Porrò, quod legimus, *suscipiam liberos*, Hebr. habetur *ibaneh*, ædificer, generatio quippe filiorum apud Hebræos est ædificatio; stat enim domus ac familia, vbi adsunt liberi, ruit autem illis deficientibus. sed de hoc Hebraismo satis dictum est in priore tomo. Abrahæ filios, etiamsi de ancilla, tantopere desiderat Sara. Sed vnde tam officiosa in virum? Audi S. Chrys. Iustus ille sciens, quod à naturæ conditore fiant vniuersa, vxori non imputabat, quod carebant filiis: sed congruum honorem semper ei tribuebat. Atque hanc ob cau- E sam ipsa gratitudinis studiosa, volénsque declarare quanto amore erga virum afficiatur, non quod sui ipsius erat, spectabat: sed quomodo illi consolationem quandam sterilitatis excogitaret, quasi manibus suis acceptam puellam in lectum induxit. hæc S. Chrys. Fuit Sara tam officiosa erga maritum, sic illius honorem, solatium, famámque posteritatis cum semine futum curauit; vt tanto viri sui amori, atque officiosissimo studio erga ipsam quoquo modo debitum rependeret. O verè Christiana, ô sancta familia, in qua coniuges piis officiis, & mutui amoris exhibendis testi

Infamia libidinosi hominis.

S.Chrysost.

Adulter adultera maritus.

S.Chrysost.

Coniuges inuicem hostes.

Familia omnino turpis.

Hierem. 7.

S.Hieron.

D. Chrysost.

Laudatur Sara.

S.August.

Generatio est ædificatio.

S. Chrysost.

Abraha amor in Saram.

Coniuges pij & amantes.

testimonijs inter sese contendunt?

6. *Cumque ille acquiesceret deprecanti, &c.*] Duo hic habes; & Saram non consuluisse modò nouum coniugium, sed petiisse, & (quod sanè videtur) precibus identidem fusis, tandem a marito impetrasse. Vxor igitur deprecata est; vir abnuebat: vicit illa deprecando, accessitque Dei oraculum; ac demum ille castitatis amator ægrè inductus ad polygamiam duxit Ægyptiacam vxorem. Bene hic Procop.

Procop.

Non est (inquit) Abraham sua laude fraudandus, quòd non sua authoritate aggressus est ancillam, sed expectauit iussum, & imperium vxoris, cui obsecutus est, non flagrans malæ libidinis ardore, sed agitatus cupidine prolis. sic ille.

Matrimonij fructus filij.

Hic enim fuit naturæ scopus, cum sexuum varietatem effinxit, propensionémque mutuam, B & corporum delectationem inseuit, vt nimirum ita laborioso isto procreandi opificio genus humanum propagaretur. Recta igitur, & sancta intentio hæc proponatur in humano coniugio: & non fiat homo sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Viri, ac mulieris laudem in hoc vno facto egregiè prædicat sanctus Augustinus *lib. 16. de Ciuitate, cap. 25.* his verbis.

D. August.

Vsus est Abraham ancilla Agar ad generandam prolem, non ad explendam libidinem, nec insultans, sed potius obediens coniugi, quæ suæ sterilitati credidit esse solatium, si fœcundum ancillæ vterum, quoniam natura non poterat, voluntate faceret suum: nulla est hic cupido lasciuiæ, nulla nequitiæ turpitudo. Ab vxore causa prolis C ancilla marito traditur, à marito causa prolis accipitur, ab vtroque non culpæ luxus, sed naturæ fructus exquiritur. O virum viriliter vtentem fœminis, coniuge temperanter, ancilla obtemperanter, nulla intemperanter! hæc August.

Castè & sanctè bigamus Abraham.

Audiuit igitur, seu obediuit potiùs Abraham vxori suæ. Hebr. *ixmah*, atque adeò accepit Agar in vxorem, secundam videlicet, sed veram ac legitimam. quod autem illis ætatibus licita fuerit pluralitas vxorum in populo Dei, ex diuina tamen dispensatione, nunc autem omnino illicita, ostendimus in priore tomo: & noster Peter. eruditè disputans ad hunc locum egregiis rationibus confirmat. De hac tamen polygamia satis sit hoc vnum dicere ex August. sic enim scribit *lib. 3. de* D *doctrina Christ. c. 22.*

D. August.

Semper illicita pluralitas maritorum

Suscipiendæ prolis causa erat vxorum plurium simul vni viro habendarum inculpabilis consuetudo, & ideò vnam fœminam maritos habere plurimos honestum non erat. Non enim mulier eò est fœcundior sed meretricia potiùs turpitudo est, vel quæstum, vel liberos vulgo quærere. In huiuscemodi moribus, quicquid illorum temporum Sancti non libidinosè faciebant, quamuis ea facerent, quæ hoc tempore nisi per libidinem fieri non possunt, non culpat scriptura. hæc August.

S. Ambros.

Cæterum S. Ambros. *lib. 1. de Abraham, cap. 4.* primò quidem re ipsa adulterium vocat, permissumque à Deo sic labi tantum, támque iustum virum arbitratur; vt cognoscas (inquit) quoniam non superioris cuiusdam natu- E ræ, ac substantiæ fuit Abraham, sed vnus è numero & fragilitate vniuersorum hominum. Denique & de regione Chaldæorum vocatus est, quos superstitioni vanæ intentos esse magis, quàm cæteros accepimus; & ideò maiorem inuenit gratiam apud Deum, quia prioribus renunciauit, ad posteriora se extendit, vt sequeretur Deum. Propositus est enim ad imitandum tibi, vt & tu aduertas, quòd si peccatis renuncies, possis emereri Domini misericordiam. hæc Ambros. Sed ex sententia aliorum, non sua adulterium adscribit A Abrahamo. Suam enim sententiam deinde sic statuit.

Abrahā alienus à vaga libidine.

Quod non ardore aliquo vagæ succensus libidinis, non petulantis formæ captus decore, ancillæ contubernio coniugalem posthabuit torum, sed studio quærendæ posteritatis, & propagandæ sobolis. Adhuc post diluuium raritas erat generis humani: erat etiam religioni, ne quis non reddidisse debitum videretur naturæ. Nec otiosum est, quòd vxor autor sic facti inducitur, vt excusetur maritus, ne vago raptus errore credatur. Simul vt discant mulieres diligere viros, nec agitari vana suspicione pellicatus, aut inuidere priuignis, si ipsæ liberos non susceperint.

Vxor in viros & priuignos studiosa.

Vxori bonæ cordi erat excusare apud virum sterilitatem suam; & ne causa esset viro, quòd liberos non haberet, B suasit, vt intraret ad ancillam. Hactenus S. Ambros. O admirabiles & sancti coniuges! vir sterilitatem vxori non exprobat, sed sterilem illam impensissimè diligit. Mulier suam reputat sterilitatem; maritum infœcunditatis vitio immunem prorsus esse verbo & facto nititur palàm demonstrare. quàm alieni essent à probris, & conuitiis, quibus integræ familiæ interdum dilacerantur! Magnopere curant sancti patres, & doctores iustum Abrahamum liberum, & immunem ab omni suspicione adulterij ostendere; ne quis intemperantiam suam exemplo tanti Patriarchæ studeat excusare. Nouerint igitur (quod statim apponit idem Ambros.) non licere viro, quod mulieri non licet.

D. Ambros.

Eadem à viro, quæ ab vxore, debetur casti- C monia. Ita S. Ambros. accommodatè ad legem Dei; iuxta quam, æqualis habetur contractus inter vtrumque coniugem, & consequenter æquale peccatum, vbi adulterium admittitur; tametsi apud mortales mundi potiùs, quàm Dei legem respicientes, multò grauius in fœmina, quàm in viro erratum iudicetur.

Adulterium in vtroque coniuge æquale.

7. A iusto Abraham viri; à pia & sancta Sara mulieres addiscant. Vult, (vt vidisti) S. Ambros. quale debeant seruare coniugium.

D. Ambros.

Discamus nos, qui religiosam profitemur vitam, qui sacrorum mysteriorum puritati assistimus, qui castitatem, & voto, & habitu præferimus; discamus (inquam) ab sponso Virginum Iesu, à Virgine, & Matre Virginum Maria, corporis, & animæ munditiam non D obseruare modò illibatã, sed eam omnibus mundi thesauris anteferre. Nec immeritò, cum throno eburneo Salomonis nihil simile in terris visum esse accipiamus.

S. Maria thronus Salomonis.

At quis ille thronus fuerit, ita Guarric. *serm. 1. de annunt.* exponit.

Guarric.

Maria præ omnibus electis Angelorum & hominum, tantam inuenit gratiam apud Deum, vt Dei conciperet, & pareret Filium, atque ex ebore corporis eius thronum sibi virtus Altissimi, sine manibus excideret gloriosum. Gloriosus prorsus ille thronus, ac admirabilis, de quo scriptura perhibet, *quia non est factum tale opus in vniuersis regnis.* 3. Reg. 10.

B. Maria venter eburneus

3. Reg. 10.

Quod facile testimoniis probaretur Angelorum, qui semper & insatiabiliter in gloriam, & decorem Dominici corporis prospicere concupiscunt. Quia E enim in vniuersis regnis non est tale opus factum, quicquid factum est, flectat ei genu in omnibus regnis, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Quàm beatus igitur ille venter eburneus, vnde caro eburnea sumpta est Redemptoris, pretium animarum, miraculum Angelorum, solium summæ maiestatis, thronúsque potestatis, cibus vitæ immortalis, medicina peccati, restitutio sanitatis! hæc ille.

B. Maria virginitas supra omnem laudem.

Ex quibus colliges, cum summa omnia, & illustrissima sint in Virgine Matre, & in Virginis Filio, præcipuè tamen commendari admirabilem Virginitatis candorem. Beatus igitur (excla-

Guarric.

mat idem Abbas) venter, qui te Domine Iesu portauit: felix castitas vteri Virginalis, quæ huic

Puritas à B. Mar. expetenda.

operi materiam ministrauit. Felix prorsùs nitor illius eboris, id est, candor castitatis; cui nullam alicuius excellentiæ gratiæ gemmam nostri præfert electio Salomonis. hæc Abbas. Dona igitur ô Virgo Virginis Fili, bone Iesu iis, quos à nuptiarum carnis solicitudine, ad purissimum spiritus coniugium traduxisti, donum huius gratiæ, qua tuam ipsius Matrem Virginem repleuisti; vt purum, ac tuæ puritati congruum, in nostris corporibus, & animis tuum corpus & sanguis in sacro-

Puritas sacerdoti & religioso necessaria.

sancta Eucharistia, quam tractamus, atque adeo tuus amor, cuius obsequio nos deuouimus, inueniat hospitium, siue (vt ipse vocas) perpetuam mansionem.

SECTIO II.

At illa concepisse se videns, despexit dominam suam. Dixitque Sarai ad Abram: Iniquè agis contra me: ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ videns quòd conceperit, despectui me habet. iudicet Dominus inter me & te. Cui respondens Abram: Ecce, ait, ancilla tua in manu tua est, vtere ea vt libet. Affligente igitur eam Sarai, fugam iniit.

1. SImul vt ex domino concepit ancilla spernit dominam suam, tanquam ditior partu,

D. Ambros.
Origen.
Rarum est in prosperis non superbire.

ait S. Ambros. 1. *de Abraham, cap.* 4. Non enim (vt subnotauit Origen. *in catena Græca,*) cuiusuis est meliorem bene ferre fortunam; aut ex humili euecti non superbire. sic ille. Ecce ancilla in thalami consortium subuecta dominam suam, cuius ope tantùm ascenderat, contemnit, velut indignam reputans promisso diuinitus semine Abraham Heb. תקל *Thequal*, contemptibilis fuit domina eius in oculis suis. Radix קלל *qualal*, contemnere, vilescere, &c. LXX. vertunt: *Inhonorata fuit domina coram ipsa.* Noster interpres omisit, *In oculis eius.* & Hebræum passiuum actiuè reddidit. *Thequal* enim in *Niphal* à pluribus ponitur; quamquam optime secundùm aliquos ex Hebræis in *cal* esse potest, nimirum in tertia persona fœminea futuri; *& despexit,* quod noster sequi maluit. Hæc

Ancilla dominæ insultat.

despectio, & contemptus apparebat in oculis ancillæ; vt ex fonte ipso colligitur; videlicet retortis, & illusoribus, ac superbis oculis dominam suam vti vilem, & abiectam, vtpote infœcundam & indignam prole intuebatur. Qua in re multa ostenduntur; atque in primis ancillæ ingratitudo superbæ de munere Dei proditur. Concepisse se videns despexit dominam suam. Quanto prudentius, & sanctius diceretur: Concepisse se videns laudauit Dominum, gratias Deo habuit immortales, cui tantum suæ fœcunditatis beneficium acceptum referebat; ac deinde officiosissimæ gratitudinis documenta plura exhibuit erga Saram dominam suam, cuius beneuolentia tantum coniugij honorem est consecuta. Hæc omnia iura, & sui ipsius conditionem seruilem oblita est Agar. superbit honore & benedictione, quæ humilior tunc esse debuisset. Quàm multis hoc idem est seruile ingenium, non ferunt fortunæ suæ sortem, nisi seruiliter; quippe ab aura honoris in arrogantiam subuecti. non blandientem, vt sapientes

S. Hildebert.
Timendus honor cū onere.

agunt, fortunam premunt. Prudenter monuit S. Hildebert. quendam hac vanitate superbientem *Epist.* 12. Timendum est, vt hac temporali promotione ab æternitate decidas cum illis, de quibus dicitur Psalm. 72. *Deiecisti eos, dum alleuarentur.*

Psalm. 72.
S. Bernard.

Rectè S. Bernard. *lib.* 3. *ad Eugen.* Qui eleuauit, & deiicere potest. Sera querela: *quoniam eleuans allisisti me.* Psalm. 101. Non est, quod blandiatur cel-

Psalm. 101.

situdo, vbi solicitudo maior. sic ille. Eò deiecta est Agar, quòd suis in oculis alleuata dominam despexit. Nam quæ virtutis specimen, ac modestum præbuerat ingenium, nunc superbiens omnem se exuisse modestiam ac virtutem expuisse

Summa pernicies ex superbia.
S. Hildebert.

profitetur. Nulla enim cum superbia virtus stare potest. Atque vt bene S. Hildeb. obseruat *Epist.* 31. Superbia totum virtutis corpus inficitur; vitale columen marcescit, formosa quæque deformantur. sic ille. Contra verò pulcherrimis virtutibus efflorescit, & exuberat anima, quam humi-

Luc. 13.
S. Paulin.

litas circuncingit: quod in ficu illa stercorata Lucæ 13. adnotauit S. Paulin. *Epist.* 10. his verbis. In quo mihi videtur æterna piæ humilitatis vtilitas indicari, quæ sterilem fœcundat animam, ne per vacuam arrogantiæ speciem sibi iuxta illum Pha-

Lucæ 18.
Humilitas virtutū fœcunda.

risæum (Luc. 18.) placens velut arbor infelix frugibus, inutili fronde luxuriet. Bonum autem & vtile ad culturam salutis huiusmodi stercus est, &c. sic Paulin. Planè sic res habet: mira pullulat virtutum ac bonorum omnium seges, vbi suæ vilitatis fimo anima humilis se ipsam oblimat, ac fœcundat. Deiecta etiam fuit, vbi se eleuauit Agar, quod inde multis est afflictata molestiis, nimirum vanæ confidentiæ, ac superbientium oculorum vltricibus. Deus enim superbis resistit: Deponit superbos mente cordis sui. Dathan, &

Superborum supplicia.

Abiron alienum affectantes honorem, & superba de se præsumptione inflatos vsque adeò deiecit, vt dehiscente tellure hausti ad gehennam descen-

Num. 16.
S. Greg. Nys.

derint. Num. 16. Quod factum sapienter expendens S. Gregor. Nyss. *de vita Moys.* ita concludit: Non est contemnenda definitio, cum dicimus casum ad infima esse superbiam. hæc ille. Superbit ancilla, & tantò se ignobiliorem reddit, quantò inaniùs sese extulit. E contrario humilitas cum

Humilitas cū nobilitate.
S. Paulin.
Melaniæ rarum exemplum.

nobilitate coniuncta miram etiam apud homines habet commendationem. quod S. Paulin. Epistola indicata sic ostendit. Sancta Melania nobilibus auis nobilis, nobiliorem se contemptu corporeæ nobilitatis dedit. Mulier celsiore gradu ad humilitatis cultum ob amorem Christi deiecta sublimiter, vt viros desides in infirmo sexu fortis argueret; arrogantes in sexu vtroque personas paupertata diues & nobilis humiliata confunderet. hæc S. Paulin.

2. Ægyptia erat Agar, non diu exercita in studiis pietatis, nec diuinorum dogmatum perita. Vnde non mirum est si quolibet honoris ventulo efferatur. At Sanctorum disciplina tota, quanta

Humilior, quo sanctior.

est, in humilitate consistit. quare quò sublimior sanctitas, eò profundior in illis apparet humilitas. Rex erat Dauid, & inter celebriores mundi Imperatores bellica laude gloriosissimus; sed numquam modestiorem, & humiliorem gessit ani-

Humilitas Dauid.

mum, quàm in ipso regni, & triumphorum fastigio In eo quippe positus aiebat: *Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Psalm. 83. Vtique mendicum se Dei

Psalm. 83.
D. Hieron.
Psalm. 26.

ad illius limen sedentem, & clamantem appellat. Mauult enim (ait hîc S. Hieron.) minimos esse in cœlo, quàm in mundo primus. Sed in Psalm. 26. (Ne quis suspicaretur Dauidem ad regale culmen propria virtute ascendisse) vilitatem suam, & putam Domini gratiam ita confitetur. *Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me.* Videlicet (declarat Genebrard.)

Genebrard.

se

se exposito & pupillo comparat. *Hebr.* Collegit, sustulit me, veluti de platea, vt me aleret. sic ille. Proh eximiam in Rege humilitatem! quid enim abiectius est fœtu exposito? aut quæ illius industria, quæ virtus, si fortè à principe illac eunte conspectus humi tollatur inde, & in regiam deducatur, ac regali diademate coronetur? Sola principis gratia est, nullum pueri meritum, etsi magna felicitas. Potest (inquit hoc loco S. Hieron.) de Dauid simpliciter accipi, quòd minimus inter fratres, à parentibus contemptus, à Deo electus est per Samuelem. In commune verò, parentum in filios amor morte finitur; Dei amor crescit in tempore. sic Hieron. Crescebat vtique Dei amor erga Dauidem, quem maioribus in dies terræ, ac cœli donis locupletabat; quò magis humilem, ac suæ vilitatis memorem agnoscebat. O grande, ac fidele pignus magnorum Dei beneficiorum vera in homine iusto humilitas! Profectò D. Bern. pro expresso diuinæ prædestinationis argumento accipiendum putat vitæ humilioris institutum. Sic enim *serm. 2. de ascens.* fratribus loquitur: Vocationis, & iustificationis vestræ aliqua mihi signa videor intueri in conuersatione tantæ humilitatis. Propterea perseuerate in disciplina, quam suscepistis, vt per humilitatem ad sublimitatem ascendatis; quia hæc est via, & non est alia preter ipsam. hæc Bern. Sed clariùs ex ipso Domino hanc eandem veritatem accipiamus. *Super quem requiescam, nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos?* Isaiæ 66. Vtique in hac vita per gratiam, in altera per gloriosam visionem, ac fruitionem. Piè Guarric. ad hæc verba exclamat, *serm. 3. de Assump. Virg.* O humilitas angusta tibi, ampla diuinitati; pauper & insufficiens tibi, sufficiens ei quem non capit orbis: copiosè, ac deliciosè reficiens illum, qui & Angelos pascit. Super quem (inquit) requiescam nisi super humilem? in omnibus requiem quæsiui: sed apud humilem ancillam inueni. Non est inuenta similis illi in gratia humilitatis, ideo in plenitudine humilitatis requieuit etiam corporaliter omnis plenitudo diuinitatis. hæc ille. Agar ancilla concepisse se videns dominam suam contempsit: at Virgo beatissima, vt Mater Dei fieret, ancillam se dixit, & exhibuit, & videns se Dei Matrem, non se ancillam oblita, sed humilior deinde in oculis suis ancillæ suæ Elizabeth officiosissimũ præstitit famulatum. Non despicit Regina & Domina mũdi seruos etsi improbos. Creuit quidem gloria, & maiestate; sed nihil ab illa ingenita mansuetudine, & bonitate fuit mutata. Nihil ad illam illud superbiæ secularis elogium: Honores mutant mores. Sublimior est, sed non superbior; gloriosior, sed non dedignantior. Non fastidiet mater filios licet tanta matre indignos. hæc ex Guarrico *serm. 2. de Assumpt.* quæ tametsi de Filio dicta sint, in Matrem egregiè conueniunt. Agar videns se concepisse, felicitatem suam arroganter ostentabat, oculis, gestúque dominam præ se ipsa nihili habendo. Non potuit capere angusta illa mens tantulum illud bonum. At Virgo Dei Mater, ac si vna de reliquis esset, legi purificationis obsequitur, inter angustas, & abditas præsepis latebras commoratur, in Ægyptũ fugit, in Nazareth ciuitate humillima cum opifice sponso habitat; amans planè nesciri conseruabat in corde suo immensos gloriæ thesauros. Matrem Virginem imitati iustorum maximi amant nesciri, & despici. Cæterum quò quisque magis pro Dei obsequio in obliuione hominum est, eò magis viget in Dei memoria: & hoc ipsum, quod ab oculis mortalium despicitur, multò ei ampliorem

Diuina gratia totum debemus.
D. Hieron.
Humilitas beneficiorum Dei pignus.
S. Bernard.
Vita humilis signum prædestinationis.
Isaiæ 66.
Guarric.
Deo grata humilitas.
B. Maria humilitas.
B. Mariæ pietas in homines.
Iustos humilitas commendat.

A gratiam apud Deum, Deíque Angelos conciliat. Quod vtrumque complexus videtur sanctus Iob, cum ait: *Deridetur iusti simplicitas, lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus statutum.* Iob. cap. 12. Quem locum S. Gregor. interpretans: Bene (inquit) iusti simplicitas, & lampas esse dicitur, & cõtempta. Lampas, quia interius lucet: & contempta, quia exteriùs non lucet. Intus ardet flamma charitatis, foris nulla gloria splendet decoris. lucet ergo, & despicitur, qui flagrans virtutibus, abiectus æstimatur. hæc S. Gregor. Magnum igitur signum est prædestinationis humilitas status & animi præsertim.

3. *Dixitque Sarai, &c.*] Non tulit domina tam inuerecundam atque illiberalem ancillæ suæ inso- B lentiam: accurrit ad virum; expostulat, atque conqueritur de contumeliis famulæ: *Iniquè* (ait) *agis contra me.* Hebr. חמסי עליך *chamasi ghalecha*, iniuria mea super te חמס *Chamas*, iniquitas, iniustitia, iniuria, oppressio. LXX. legunt *ἀδικοῦμαι ἐκ σοῦ, offendor, siue iniurias patior abs te.* Nimirum, hæc oppressio, hæc iniquitas, quam patior à contumeliosa ancilla, in tuum recidit caput, tibi tota adscribitur: quippe procacem non contines, nec insolentem, atque illudentem seuerè (vt debes) castigas. Ego illam tibi vxorem tradidi; illa tu potitus vides, & dissimulas, quas patior iniurias; iudicet Deus, num æquum sit, hanc meam afflictionem à te oscitanter præteriri: Deus iudex omnium est, qui oculo inconniuenti videt malefa- C cta viuentium, districtóque iudicio examinat, sontes punit, innocentes liberat. Sic domina (ait S. Ambros. *lib. 1. de Abraham cap. 4.*) se despici dolet, maritum autorem suarum iniuriarum arguit. Eleganter S. Chrys. de iniquitate ancillæ, ac de querimoniis dominæ hoc loco disserit: ac de illa quidem in hunc modum. Ille fermè seruorum mos est, vt cum parum prosperitatis eis aspirauerit, nequeant intra suos limites manere, sed statim sui ordinis obliuiscantur, & in ingratitudinem propensi sint. id quod & huic ancillæ accidit. Nam vt vidit vteri sarcinam neque dominæ admirabilem honestatem, neque suæ conditionis vilitatem cogitauit; sed inflata, & superbiens contempsit dominam, quæ illam tam commendatam ha- D bebat, vt & in viri thalamum admitteret. Ita Chrys. Quare appositè dicitur *iniquitas*: erat enim contra omnem æquitatem, vt ingrata & insolens ancilla dominam optimè de se meritam, & vita honestissimam despectui haberet. Cæterùm vide (addit Chrys.) & ancillæ ingratitudinem, & muliebris sexus infirmitatem; vt discas etiam hoc loco Patriarchæ miram lenitatem. ita Chrys. Hæc sanè tria spectantur in præsenti narratione. Agar enim ancilla ingratam se atque arrogantem exhibet erga dominam: quo vitio plerumque laborant serui, & famuli, qui cum dominorum substantiam exedant, & consumant, hostes nihilominùs domesticos sese illis præbent, ingrati, & nonnunquam inuerecundi famam, & vitam illorum quo- E rum aluntur opibus, proscindunt contumeliis, aut in vulgus obtrectationibus infamant. At subinde quid fragilius muliere? Nec Agar sui conceptus qualem qualem fauorem constanti, & prudenti animo capit, sed in superbiam sui impotens euanescit: & Sara vultum contumeliosum ancillæ non sustinens mariti negligentiam queritur, & supremum Iudicem implorat. Denique Abrahæ mascula virtus, constantia, & prudentia clarius emicat. Nam (vt ait Procop.) quoad fidem maritalem constantior erga vxorem fuit eo tempore, quo se in amplexus ancillæ coniiciebat. Præterea

Iob. 12.
D. Gregor.
D. Ambros.
D. Chrysost.
Ancilla illiberale ingenium.
Serui dominos decipiunt, & infamant.
Infirma mulier & querula.
Procopius.
Abrahæ fides & amor in Saram.

ipsius fidem, cum ancillam subagitaret Sara, experta est firmiorem. sic ille. *Iniquitas super te est.* Quænam isthæc iniustitia fuit in Abraham? Num quia ancillam pro vxore duxit? Non planè: persuasus enim & obtemperans mandato vxoris ad habendam prolem, ingressus est ad ancillam. Quate igitur (inquit S.Chrys.) ô mulier viro iniustitiam improperas? Quia nimirum videns ille ancillæ temeritatem debebat cohibere. hæc mulieris verba sunt, & infirmi illius sexus, ac si diceret: Ego quidem volebam tuum mœrorem solari; quem habes ex prolis inopia: tam officiosam ea in re me gessi, vt & ancillam meam meis manibus traderem, & ad congressum hortarer: tu autem videns hanc inde fieri temerariam propter vteri sarcinam, & magno fastu inflari, debebas reprimere & vlcisci eius in me iniurias: attamen quasi omnium priorum oblitus, me despicis etiam tu me, quæ tibi tot annis cohabitaui, & ab Ægyptia ancilla mea contemnor. Tu verò nihil omnium quæ a me tibi facta sunt, in mentem accipiens, permittis ancillæ, vt contra meam insurgat lenitatem: nec audacem reprimis, neque ingratam castigas. Dolentis animæ verba. Et nisi tantis virtutibus præditus fuisset Patriarcha, & in tanta reuerentia Saram habuisset, ægrè tulisset hæc verba. Hactenus S.Chrys. Impatiens fœmina & iracunda; si quando cum marito rixatur, primum omnium sua in illum officia, & obsequia inculcat, illius ingratitudinem vellicat; quidquid habet virij maritus, in faciem expuit; infelicem se clamat, quòd tam malè sua collocarit, quòd à parentibus tali viro nupta fuerit. Deinde Iudicem Deum implorat, ad illius tribunal maritum vocat. Denique vt malè sana, & compos mulier est, complet omnia questibus, conuiciis, & virulentis imprecationibus Rectè scribitur Eccles. 26. *Dolor cordis, & luctus, mulier zelotypa, in muliere zelotypa flagellum, lingua, &c.* Quam multi hoc flagello dies noctésque verberantur, verberatique dolent, ac lugent! Audiant istæ, quibus os maledicentia, & furiarum imprecatio in promptu est, quid S.Chrys. *homil.* 5. *in* 2. *Corinth.* de ipsis censeat. Nihil (inquit) detestabilius animo alium deuouente, neque quicquam impurius lingua talia exhalante. Vt putas diabolum ridere, cum talia audit vota? Quomodo putas Deum irritari, & auerti cum talia postulas? sic ille. Festum quidem diabolo exhibet istud molierculárum genus, quæ diabolum perenniter gestant in ore, diabolo quicquid offendunt, filios etiam, & maritos, & se ipsas præ impatientia, & mentis leuitate addicunt. Longè tamen ab hoc vitio Sara semper extitit. Rem enim totam, & causam suam Deo Iudici potiùs committit, quàm Dei seueritatem, ac vindictam marito suo imprecatur.

S.Chrysost. — *Sara dolet & queritur de marito.*
Mulier rixosa, & querula de marito.
Eccles. 26. — *Zelotypia mulierum.*
Imprecationes, ac diræ mulierum. — *S.Chrysost.*
Misera, quæ diabolum gestant in ore.

4. *Cui respondens Abram ait, &c.*] Pulchrè hoc loco S.Chry. occurrit: Eximius (inquiès) Patriarcha ad sexus fragilitatem spectat: non solùm non ægrè tulit ea, quæ Sara dixerat, sed & valde mansuetè respondit. Sanè adamas ille, fortisque athleta vndequaque coronas sibi plectebat, monstrans in hoc suam virtutem. Ingens enim iusto virtutis studium mira æquanimitatis excellentia. hæc ex Chrys. Discant igitur viri, virilem tenere constantiam & patientiam inter querimonias vxorum, prudenter, & peramanter illarum imbecillitatem sustinere, & animos exulceratos molli responsione mitigare. Optimè hic S. Ambr. *lib.* 1. *de Abrah. cap.* 4. expendit. Quantus dolor, quàm grauis querela sit fœminarum, lectione exponitur. Da improuidum, & leuem maritum, qui morigerari nesciat, & diuortij causas exhibet. Sed Abraham vir moderatus & prudens: *Ecce* (inquit) *ancilla tua in manibus tuis, vtere ea quomodo tibi placuerit.* Maluit enim vxorem tenere, quam famulam. Nec hoc tamen plenum remedium, &c. sic Ambros. Itaque in familia, nihil vir charius, & potius habere debet, quam vxorem; huic morem gerat, cum ratio postulabit; cum hac pacificè sanctéque viuat: nihil æquè fastidiat ac detestetur, sicuti rixas, & quascunque scintillas odiorum. Vxor obediat, vir præsit, sed illi (vt S.Bernard. loquitur de prælatis Ecclesiæ) dominatio interdicitur, administratio indicitur. Pulchra illa S.Prosper. sententia, *lib. sent.* de familia rectè sanctéque composita. sic habet. Pax domestica est ordinata cohabitantium, imperandi, obediendique concordia. Imperant enim qui consulunt, sicut vir vxori, parentes filiis, domini seruis: obediunt autem quibus consulitur, sicut mulieres maritis, filij parentibus, serui dominis. Sed in domo iusti viuentis ex fide, & adhuc ab illa ciuitate peregrinantis, etiam qui imperant seruiunt eis, quibus videntur imperare; quia non dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi; nec principandi superbia, sed prouidendi beneficentia. hæc ille. Expende quæso singula verba Patriarchæ, & admiraberis Abrahæ prudentiam & animum coniugis suæ perquàm studiosum. *Ecce* (inquit) *ancilla tua.* Non eam (ait Procop.) vocare sustinet, vel mulierem, vel nuptam, vel seruili nomine eam nuncupet, quam grauidam fecerat. sic ille. Quasi dicat: En (ô chara coniux) ista, quam incusas, etiamsi mihi data à te fuerit in vxorem, etiamsi concepisse de me gloriabunda superbiat, adhuc ancilla est: mihi quidem nupta, vxor mea est; sed tamen semper ancilla tua est, tu domina illius, tibi seruiat illa, illi tu imperes: *In manibus tuis.* quæ oculos in te extulit, tuis coerceatur manibus; nec enim extra tuas manus, & immunis à virga tua est, licet de nostro thalamo glorietur. Et quia ingrata fuit tuis manibus, quæ illam adornarunt in sponsam, & sustulerunt in torum coniugalem, iisdem nunc correpta suæ temeritatis luat pœnas, & ad priorem ancillæ modestiam, & obsequium reuocetur. *Vtere ea vt libet.* Corripe illam, vti iudicabis expedire. Non quidem permittit in ancillam deseuire, sed iusto modo illam compescere. *Heb.* Fac illi quod bonum est in oculis tuis. Moderationem in supplicio, & correptione præscribit, quia iustus, prudénsque paterfamilias, & quia castigandam tradit mulieri, mulier enim contempta & irata, si potestatem habeat vlciscendi, difficulter modum tenebit. Est autem (vt sapienter scribit Nebrod. *Epistol.* 80. apud S.Hildebert.) infirmi, ac muliebris animi quærere vltionem. Vnde Satyricus ait,

Vindicta quod nemo magis quam fœmina gaudet.

Iuuen. *Satyr.* 13. sic ille. Quanta laus sapientiæ prædicaretur in Sara, si mulier stultam & insolentem ancillam æquo & virili animo sustineret? Quippe (vt obseruat S.Hildeb. *Epist.* 21.) familiare est sapienti tolerare nescientem. Atque in vniuersum tam fœminis, quàm viris, quos potentia ad vindicandas iniurias inflammat, illud commendandum est, quod idem monet *Epist.* 51. scribens ad Præsulem iniuriis malè appetitum: Potestati cedit ad gloriam, iniurias vlcisci nolle, cum possit: sibi Deo sacrificat offensus & clemens Præsul. sic ille. Vide quantum Agari posuerit humilitas, & modestia, quibus meruit, vt in thalamum Abrahæ assurgeret; quantum verò nocuerit insolentia, ob quam tradita est iratæ dominæ, vt

S. Chrysost.
Prudens vir cum vxore rixosa.
S. Ambros.
Marito amor & pax cum vxore.
S.Bernard.
S.Prosper.
Pax & concordia in familia.
Seruiunt qui benè imperant.
Procopius.
Abraham vxori ancillam tradit.
Modus in supplicio.
Nebr.
Vindicta mulierum.
Iuuen.
S.Hildebert.
Magna laus non vlcisci.
Prodest modestia, nocet insolentia.

vt suæ temeritatis pœnas lueret.

5. *Affligente igitur eam Sarai, fugam iniit.*] Hebr. ותענה *vatteghanneha*, & afflixit siue humiliauit illam. radix ענה *ghánah*, affligere, humiliare, & multa alia significat. Videturque hæc afflictio fuisse tumoris ancillæ aliqua notabilis humiliatio.

D. Ambrof.

Carpit S. Ambrof. Saram veluti iusto iracundiorem, ratus illam vlciscendi libidine, modum in castiganda ancilla excessisse. Sic enim tradit

Excessus in supplicio.

lib. 1. de Abraham, cap. 4. Accepit à viro potestatem irata vxor, & immoderatiùs vltione permissa vtitur. Quod si Sara moderationem non tenuit, quæ tenebit? ideoque scriptum est: *Et afflixit eam Sarai, & fugit à facie eius.* Duo sunt quæ comprehendit scriptura, vt & dominæ grauem indignationem exprimeret, & ancillæ tumorem ac superbiam. Quòd afflixit eam Sara, ad affligentis iracundiam refertur; quòd Agar fugit, contumeliam seruili patientia non ferebat, quæ sibi herilis contubernij vindicabat fastigium: indignata est iniuriam, quæ induerat insolentiam. hæc S. Ambrof. Et quidem de sexu tam infirmo, aut minùs compote vtrumque dici potest egregiè; nec dominam videlicet sui contemptum tolerare, sed in contemptricem vltionis cupidine deseuire; nec ancillam dominæ castigatione resipiscere, sed præ innata superbia indignantem ab illius conspectu domóque profugere.

Supplicio non emendari.

Corn. Tacit. *Ambitio fœminarum.*

Nam vt optime definit Cornel. Tacit. fœminarum sexus est ambitiusus; potestatisque auidus. O maritum infelicem, cui mulier dominatur! quæ sanè fuit extrema Iudæorum calamitas: *Mulieres dominatæ sunt eis.* Isaiæ 3.

Isaiæ 3.

Ad quæ verba S. Hieron. prudenter admonet, ne iuxta impium Porphyrium matronæ & mulieres sint noster senatus. Quæ dominantur in Ecclesiis: & de sacerdotali gradu fauor iudicat fœminarum. hæc ille.

Mulierũ dominatus.

Miram quippe habet efficaciam illarum conatus, quo sese per appetitum inclinant. Ita planè videmus quotidie multa fieri & committi à viris inconsideratè, ac perditè, eo quòd vxoribus male consulentibus, & turpiter dominantibus coguntur obedire. Nullus enim

S. Chrysost.

(ait S. Chrysost. *in 1. Corint.* 7.) magister sic persuadet, vt vxor marito. Hanc vim vxoris erga virum toties comprobatam agnoscens diabolus, cum cætera quæ instruxerat ad subruendum Iobum tentamenta non succederent, ad promptissimum, & velut ineuitabile stratagema vxoris tandem confugit.

Mulier tentatrix S. Iob.

D. Gregor.

Occupauit (inquit S. Gregor. 3. *moral.* 5.) mentem vxoris, scalam mariti. Nihilo tamen minus frustrà tam excelso, tam egregiè munito, tam inexpugnabili propugnaculo scalam diabolus admouit. Scala enim cum hoste simul deiecta est. Mirari soleo, cum ad hunc locum Genes. accedo, quid sit, quòd in tam ampla, & illustri familia Patriarchæ, vbi numerati sunt trecenti vernaculi, nullæ rixæ, nulla iurgia, discordiæque inter illos memorentur. Contra verò duarum solummodò fœminarum nomina recenseantur; quæ quidem multis inter se discordiis agitatæ, demum eum in vna domo habitare pariter nequirent, seiunctæ inuicem fuerunt.

In familia Abraha non viri, sed fœmina rixantur.

Hæc profectò est impotentia, imbecillitas, inconsideratio, atque stultitia mulierum, quæ neque seipsas inuicem norunt tolerare; nec alienum in amore, aut in honore consortium tenere vnquam sustinent!

Mulierũ inter se discordia.

Non placebit fortasse alicui, quod S. Chrysost. hoc lo-

S. Chrysost.

A co ita obseruat. Patriarcha indignationem matrisfamilias sua placauit lenitate, & data ei contra ancillam potestate domum pace repleuit. hæc Chrysost. Nam quæ pax ista est, vbi domina affligit ancillam, & impatiens corripi ancilla fugam capessit? Verè tamen Chrysost. statuit plenam esse (quicquid sit de seruis) pacem familiæ, quæ firma, rataque inter ipsos coniuges seruatur.

S. Chrysost.

Non ignorat (inquit) Abraham familiarium ingratitudinem. Nulla ei eius rei cura, vel ratio; vnum tantum est, cui studet, vt vxor mœrore careat, & turbatione, ac in omni sit honore, hoc est verum contubernium, hoc mariti officium, quando non magna diligentia ad mulieris spectat verba, sed imbecillitati sexus veniæ nonnihil concedit, B hoc vnum satagens, vt è medio tollatur tristitia; & pax, atque concordia constringantur arctiùs.

Vna viro cura pacis cum vxore.

Audiant viri, & imitentur iusti lenitatem, & tantum honorem, ac reuerentiam mulieribus tribuant; & tanquam imbecilli vasculo parcant, vt concordiæ vinculum crescat. Hæ sunt maximæ diuitiæ, si vir cum muliere non discordet, sed coniuncti sint in corpus vnum. hæc Chrysost.

Honoranda vxor viro.

Itaque ante omnia pax sit, concordia, & amor inter coniuges: & quicquid huic bono tanto in familia obsistet, procul amoueatur.

Opes familia Pax coniugũ.

Veruntamen, vt ad Ambrosij censuram redeamus, videtur aliis Sara non modum excessisse, sed insolentem ancillam, & iugum herile non ferentem crudelitati adscribere, quod æquum bonúmque erat. C Igitur domina (inquit S. Chrysost.) vt ancillæ puniuit insolentiam, fugam iniit ancilla. Talis scilicet seruorum mos est, quando non permittitur eis more suo agere, sed impediuntur eorum conatus, statim dominorum ruptis frænis fugam capessunt. sic ille.

D. Chrysost

Rarò inuenias hominem, qui licet plurium sit errorum sibi conscius, probè agnoscat, & ingenuè fateatur, cum fuerit iuste correptus: *Bonum mihi quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.* Psalm. 118. Vbi S. Hieronym. vt discam iustificationes tuas, quæ non in superbia, sed in humilitate discuntur, &c.

Correptio male accipitur.

Psalm. 118.
D. Hieron.

Moderatam ergo & iustam saræ castigationem affirmat S. Augustinus cum scribit *Epist.* 48. ad hunc modum: Contumacem ancillam data sibi potestate, D Sara potiùs affligebat. Et vtique non eam, quam anteà beneficio suo matrem fecerat, crudeliter oderat; sed in ea superbiam salubriter edomabat, &c. Item *Epistol.* 50. Agar passa est persecutionem à Sara; & hæc tamen sancta erat quæ faciebat, illa verò iniqua quæ patiebatur, &c.

D. August.

Sara moderatio in supplicio.

Quin etiam exemplo Saræ iure optimo cohibentis ancillam demonstrat Ecclesiam ritè, sanctéque animaduertere in flagitiosos, maximéque hæreticos. Sic enim adiungit priore loco. Quicquid facit vera, & legitima mater, etiamsi asperum, amarúmque sentiatur, non malum pro malo reddit, sed bonum disciplinæ, expellendo malo iniquitatis apponit, non odio nocendi, sed dilectione sanandi. hæc August.

Ecclesia supplicium in impios.

Profectò, si mode- E rata, & iusta non fuisset illa castigatio, non iuberet Angelus Agar vti reuerteretur domum, & Saræ dominæ suæ subiecta, obediénsque esset, quod statim videbitur.

SECTIO III.

Cumque inuenisset eam Angelus Domini iuxta fontem aquæ in solitudine, quæ est in via Sur in deserto, dixit ad illã: Agar ancilla Sarai, vnde venis? & quò vadis? quæ respondit: A facie Sarai domina mea ego fugio. Dixitque ei Angelus Domini: Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius. Et rursum: Multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudine. Ac deinceps: Ecce, ait, concepisti, & paries filium: vocabísque nomen eius Ismael, eò quòd audierit Dominus afflictionem tuã. Hic erit ferus homo, manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum: & è regione vniuersorum fratrum suorum figet tabernacula. Vocauit autem nomen Domini qui loquebatur ad eam: Tu Deus qui vidisti me. Dixit enim: Profectò hîc vidi posteriora videntis me. Propterea appellauit puteum illum, Puteum viuentis & videntis me. Ipse est inter Cades & Barad. Peperitque Agar Abræ filium: qui vocauit nomen eius Ismael. Octoginta & sex annorum erat Abram quando peperit ei Agar Ismaelem.

D. Hieron.

1. FVga demum se proripiens ancilla, vt erat Ægyptia (ait S. Hieron. de quæst. Hebr.) in via Sur, quæ per eremum ducit ad Ægyptum, ire festinabat. Scilicet in patriam remeare nitebatur.

Procop.

Procop. tropologicè per Saram intelligit virtutem; per Agar eos, qui à virtutis commercio sese remouent, aut odio; quod tamen rarum est (Virtus enim adeò est amabilis, vt etiam qui eam non sectantur, nec in se ipsis habere volunt, in aliis tamen po[s]itam suspiciant, & prædicent;) aut denique pudore, quod quidem multis euenit. Sic enim ait. Quidam fugiunt virtutem non odio, vel maleuolentia quadam moti, sed pudore repressi se indignos iudicantes consortio dominæ id est virtutis. sic ille. En quale se habet dissidium inter virtutem, & vitium. Illa domina viget, affligit, humiliat; istud effertur, dominari ambit: quod si priuatur principatu, abscedit, euanescit.

Virtus etiam mal[is] ne[c] amabilis.

Inter virtutẽ & vitiũ pugna.

D. Chrysost.

Virium enim (inquit S. Chrysost. *in Psalm* 7.) etsi habeat secum vniuersum orbem, tamen omnium maxime imbecillum est. Virtus autem etsi sola sit, est omnium potentissima: habet enim Deum secum stantem. Ita Chrysost. Nam vitium, vti Agar pugnam diu cum Sara, hoc est virtute, non sustinens, fugam capessit; sic etiam ad opera iustitiæ mira solet videri fragilitas in iis, qui virtutis carent præsidio. Et quidem ratio illa D. Chrysost. mihi oppidò placet. Sic enim ait *in Psalm.* 93 Virtus est panis animæ; hunc ergo panem nisi comedat, animo linquitur, & eneruatur, &c. Impatiens disciplinæ Agar, vsqueadeò obnixa non cedit, sed obstinato animo in superbia, humilitatis omne medicamentum respuit; ac tandem ab illa sanctorum domo, vbi omnia pietatem redolebant, in auias solitudines se proripit, malens cum bestiis in summo vitæ discrimine, quàm cum domina in sancta custodia & modestia tutò commorari. Nullis vt plurimum remediis obstinatæ mentis contumacia sanatur, & à concepto flagitio cohibetur, quod S. Ambros. ad cap. 23. Lucæ in Pilato animaduertit hoc pacto. Monebat vxor, lucebat in nocte gratia, diuinitas eminebat, nec sic a sacrilega sententia Pilatus temperauit. sic Ambros.

D. Chrysost.

Obstinatus in malo animus.

D. Ambros.

Pilati obstinatio.

Procop.

Ad hæc Procop. alium, qui ex Paulo habetur, sensum eruens mysticum: Agar (inquit) est lex, quæ quasi ancilla peperit Ismaelem: Sara, hoc est Euangelium, peperit spiritum liberalem. sic ille.

Sara, & Agar symbola.

Fugit Agar ab domo Abraham, fugit populus Iudaicus à domo Dei, cum dixit: Nolumus hunc regnare super nos; dedit Domino scapulam recedentem, abdidit se in tabernacula sua Israel: auertit oculos à veritate, *& respexit in vanitates, & insanias falsas.* Psalm. 39. Sed longè tamen infelicior fuga Iudæorum, quam Agar; fugit hæc a facie, & pariter à verbere dominæ suæ: miseri autem Iudæi, etsi fugerint, aut veriùs expulsi fuerint à fauore Dei, quocunque ferantur, in seruitutem, & in verbera incidunt. quod ita S. Bernard *lib. 1. de considerat. ad Eugen.* considerat. Nulla superior seruitus, grauiorque, quam seruitus Iudæorum, quam quocunque ierint, post se trahunt, & vbique dominos offendunt suos. hæc Bernard. scilicet canit Propheta: *Vendidisti populum tuum sine pretio.* Psal. 43. Venditus est (declarat S. Ambros.) populus Iudæorum, emptus est populus Christianus: ille peccatis venditus, hic emptus sanguine. 1. *Corinth.* 7. 1. *Petr.* 1. sic Ambros.

Psalm. 39

D. Bernard.

Exilium & seruitus Iudæorum.

Psalm. 43.

D. Ambros.

Locum similiter de Iudæis ita exponit S. Hieron. De Iudæorum populo dicitur; quibus dictum est, In peccatis vestris venditi estis. Et ideò sine pretio, quia non est effusus Agni sanguis pro eis. sic ille. Progreditur Psaltes. *Dispersisti nos inter gentes*, seu, vt alij legunt, *Ventilasti nos tanquam paleam,* videlicet grano exutam, sine fructu, sine vlla soliditate, prorsùs flaccidam & leuiculam. vltrix Dei iustitia, cuius ventilabrum in manu eius, vt Ecclesiam suam, velut purum, & cœleste granarium purgaret, in omnes orbis plagas populum Iudaicum ventilauit. Sequitur, *Posuisti nos opprobrium.* Alia lectio habet: *Spretionem & pompam posuisti nos iis, qui in circuitu nostro sunt.* Hoc ipsum in Ecclesia Christiana spectaculum exhibetur, cum damnati ob Iudaismum, summo cum opprobrio, per vrbium nostrarum plateas miserabili pompa pertrahuntur ad publicum iudicium sanctæ Inquisitionis, & inde nonnulli ad incendium. Sequitur, *Posuisti nos opprobrium, posuisti nos in similitudinem, &c.* seu *in parabolam.* Quænam alia inter gentes vsitatior, quã Iudæi nomen, pro infami, turpique metu, & imbecillitate? Denique, *subsannationem & derisum.* Habemur (inquit) velut famuli extrema fæx, in grandi hac mundi naue, cuius vectoribus, nimirum cunctis gentibus simus ludibrio, irrisionibus, & cachinnis. Pro merito sanè luunt supplicium omnium opprobriorum, quæ ab illis identidem exprobrantibus ceciderunt super Deum nostrum Christum Iesum.

Iudæorum infelicitas.

D. Hieron.

Iudæi sũt opprobrio gentibus, ob Christi opprobria.

2. *Cumque inuenisset eam Angelus Domini, &c.*] Sur quidem desertum est inter Cades, & Barad; extenditur autem vsque ad mare rubrum Ægypto conterminum, vt tradit S. Hieron. *de locis Hebr.* Sunt, qui dicant hoc desertum Etham, Syri vocant Agaram ab Agar ipsa. Vnde quidam arbitrantur dictos Agarenos, qui & Saraceni dicuntur, non quidem à Sara vxore Abraham, sed à Saraca vrbe Arabiæ, vt vult Stephanus, vel ab vrbe Sarra, vt Euthymius Sigabenus; quod nomen Saracenorum etiam Plinio compertum est. Per Sur est iter in Ægyptum, quod Agar probè sciens, illac fugiens patriam repetebat. In ea solitudine fons est, ad quem mulier ex itinere defessa, & æstu sitiens accessit, atque (vt credere par est) paulisper consedit. Agaræ leuitatem imitantur non modò,

D. Hieron.

Saraceni vnde dicti.

qui

qui religioso habitu & cœnobio relicto, à domo Dei ad desertum mundi, viam Ægypti, & diaboli castra transfugiunt: sed illi etiam qui cum perosum habeant religionis septum, omnem quærunt, captántque occasionem foràs exeundi, assiduéque per vrbem discurrunt. Fit hoc (scribit S. Petr. Dam. *lib de contemptu seculi cap.* 9.) antiqui hostis astutia: quos enim adhuc sessor nequissimus equitat, icircò importunis vagandi calcaribus vrget: vt & ipsi ad seculi vanitatem redeuntes pereant, & alios ab arripiendo tramite veræ salutis auertant. sic ille. Atque vtinam experientia ipsa quotidie hanc veritatem non comprobaret! Quantis enim (adiungit *cap.* 10.) sit occasio pereundi in seculo peruagatio monachorum quis enumerare sufficiat? &c. At fuerit ille multis, & præclaris virtutibus ornatus: profectò si sæpiùs Abrahæ sancti domo egressus seculum repetat, breui fructibus illa bonorum operum arbor exuberans seculi vanitatum velut æstu ingruente, aut tempestate oborta conuelletur, & fructu, foliisque nudabitur. Quemadmodum enim (inquit idem *cap.* 11.) grossi ficulneæ ventis expositi stare nequeunt; sic in illo diuersis mundi tentationibus hinc inde perflantibus, bonorum operum fructus permanere non possunt. sic Petrus Damianus. Illud etiam sedulò expendendum est; quanta in pace, & securitate, & concordia vixerit Agar domi Abrahæ quandiu Virgo fuit, & quantis subinde molestiarum tempestatibus agitata fuerit, simul atque nuptias ingressa, & mater effecta est, vt intelligas in portu viuere continentes, in salo fluctuare coniugatos, etiam cum prolem educunt. Præclarè in hanc sententiam scribens S. Hildeb. ad Virginem Deo sacram *Epistol.* 6 inter alia sic adiungit. Ex nuptiis nulla speratur impunè felicitas. Magni soboles emitur. cuius partus infestatio est vitæ. sic ille. Admiratur, & quidem meritò S. Chrysost. Dei bonitatem. Quomodo (inquiens) nullum despicit! sed etiamsi seruus sit, vel ancilla, suam erga eum declarat prouidentiam, non ad dignitatum respiciens eminenitam, sed ad animæ affectionem. hæc Chrys. Affligit ancillam domina, vsque adeò, vt misera compellatur aufugere: at illam ipsam sic exosam, & afflictam Angelus inuisit, in solitudine deerrantem: nec tamen dominam domi suæ imperantem suo conspectu, & colloquio honorare dignatur. Ah quàm multi serui, & ancillæ longe gratiores ante Deum, quàm domini sui ac dominæ iudicantur! Nobilitas quidem si cum virtute coniuncta non sit, nihili à Deo fit; tunc verò clariùs eminet, cum pro Deo ad ancillarem humilitatem descendit. Solétque Dominus plerisque seruis suis mundi quoque nobilitatem præstare, vt illorum pietas, & humilitas illustrior appareat; ac mundi gloria gloriosiùs deprimatur. Quod de S. Melania nobili, & humili matrona sic memoriæ prodit S. Paulin. *Epist.* 10. Nobilitatem quoque ad operis sui gloriam Dominus illi contulit, quò magis confunderetur iste mundus, qui talibus titulis gloriatur: vt quo vanitas hominum ad contemptum Dei vtitur, ista potiùs ad contemptum mundi vteretur: simul vt maior salutaris exempli proderetur autoritas humiliandis superborum oculis hæc S. Paulinus.

Religiosi exire, & vagari nocet.
S. Petr. Dam.
Continentes in portu, coniugati in salo sunt.
S. Hildeb.
S. Chrysost.
Deus animã non nobilitatem respicit.
Seruus Deo gratior, quã dominus.
D. Paul.
Nobilitas cũ humilitate gloriosior.

3. Alteram subinde causam apponit S. Chrys. cur Angelus ancillam profugam visat, & alloquatur. nimirùm in gratiam Abrahæ: tanti enim seruos suos Deus æstimat. vt etiam ea, quæ ad eos quoquo modo pertinent, in oculis gerat, curet, ac tueatur. Vult enim omnibus palam facere, quam sint apud illum honorati sui amici, quantum roboris habeat & momenti principatus, ac dignitas iustorum. Vide & hoc (inquit) quomodo ancillæ superna prouidentia non deest, quò iustus in maiori sit honore. Nam quia iusti semen intra se gerebat, ideò Angeli aspectum videre meruit. Quare non propter ancillæ meritum Angelus assistit, sed ob honorem iusti: nam digna erat, quæ non negligeretur, ob dignitatem seminis iusti, quod in ea conceptum est. hæc S. Chrysost. Nec mirum est, tanta solicitudine, támque singulari prouidentia curari à Deo res iustorum: sunt enim domestici Dei vt vocat Apostolus *ad Ephes.* 2. Idem verò sic inculcat vnicuique domino, aut patrifamiliâs curam suorum domesticorum, vt huiusce muneris negligentem infideli dicat deteriorem. sic enim scribit 1. Tim. 5. *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* At quis magis domesticus Dei, quàm iustus Abraham? Optimè S. Euseb. Emiss. *homil. in Matth.* 12. definit: Ille Christo propinquior est, qui melior. Ac diligenter quidem in hoc loco quæri, & discuti potest, quid sit, cur Angelus post Deum inter creaturas pusissimus non refugiat mulierem, quæ diabolo fuit ad perditionem hominis, & proditionum omnium aduersus Deum in paradiso instrumentum. Multa dici possent: hoc vnum in præsentia magis arridet ex S. Hildeb. *Epist.* 37. nempe non abhorruit mulierem Angelus, qui mulierem super se confitetur exaltatam. sic ille. Pulchrè dictum. Credebat Angelus memorabili oraculo: *Inimicitias ponam inter te, & inter mulierem; ipsa conteret caput tuum.* Genes. 3. Nouerátque certissimè venturam mulierem, ex qua Deus homo nasceretur, quæ Regina esset Angelorum, & vnica mundi Domina, cuius ventris virginei fructus terram iustis, cælum beatis mentibus esset repleturus. hanc igitur tam incomparabilem mulieris dignitatem, iam tunc in illa, etsi ancilla propter sexum muliebrem reueritus Angelus ad inuisendam & consolandam Agar lætus, officiosúsque accurrit. At quid hoc est? Agar vidit Angelum, nec illius tamen aspectu, nec affatu turbata est. Quod quidem de beatissima Virgine Dei Matre legimus. Luc. 1. Scio turbationem Virginis à D. Ambros. referri ad summam illius pudicitiam, quæ Angelum in specie adolescentis apparentem non ferebat. Cæterum communior Patrum & Doctorum sententia est; Virginem vtique assuetam Angelorum aspectibus, & colloquiis, non specie virili delusam, aut commotam, sed insolita, & summi honoris plena salutatione turbatam fuisse, quod euidenter ostendit Euangelista illis verbis: *Turbata est in sermone eius.* Hinc illa interpretatio S. Eusebij Emiss. *homil. super Missus est.* quæ sic habet. *Turbata est,* non in vultu, sed (dicitur) *in sermone eius*; non enim Angelum, sed verbum Angeli attendit: & quid illa tam officiosa salutatio sibi prætenderet, cogitabat. hæc Euseb. Inuisebant sæpiùs Angeli beatissimam Virginem illius admirabilem integritatem, modestiam virginalem, atque omnium virtutum pulcherrima ornamenta contemplaturi; nihil enim post Deum augustius, & sanctius agnoscebant: erátque Virginis domuncula beatorum spirituum aula, quam illa fecerat (vt loquitur S. Ambros.) gymnasium pudoris. Ex quo nimirum Virgines discant se inter penetralia domos continere; non ex leuitate, & fuga Ægyptiæ ancillæ, ac fœtæ publicitus discurrere, ac vagari. *Et ingressus* (scribit S. Lucas 1.) *Angelus ad eam dixit.* Non enim (exponit idem Euseb.) Virgo in plateis erat, non in publico morabatur; intus erat

S. Chrysost.
Quanti Deus faciat iustos.
Hero suorum cura sit.
1. Timot. 5.
Euseb. Emiss.
Cur Angelus mulierem affatur.
S. Hildebert.
Genes. 3.
B. Mariam reueretur Angelus.
Luc. 1.
B. Maria turbatio non in aspectu, sed in verbo Angeli.
Euseb. Emiss.
B. Maria solita inuisi ab Angelis.
S. Ambros.
Lucæ 1.
Eusebius.

in penetralibus; sola sedebat, nec tamen sola tanto virtutum exercitu circunscripta. sic ille. Non salutat Angelus Ægyptiam, nec vllam aliam fœminam legitur salutasse, quippe maledictionibus primæ omnium matris addictam: at ingressus dixit ad Virginem: *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Luc. 1. vbi eleganter S. Eusebius. Non fuit (inquit) sufficiens, *Aue* dixisse; addidit *Dominus tecum*, & deinde eam benedixit: quasi tribus vicibus sub vna voce eam salutans. Qua in re diligens obsequium, charitatis affectus, & reuerentia declarantur. hæc ille. Hinc natum arbitror, vt Angelum imitati fideles Christi non cessent beatissimam Virginem Dei Matrem multiplicatis, & identidem repetitis salutationibus venerari, quas omnes Regina cœli & in numerato habet, & pulcherrimis suarum gratiarum donis rependit.

B. Maria salutatur ab Angelo.

Lucæ 1.

Euseb. Emiss.

Crebrò salutanda B. Maria.

4. *Agar ancilla Sarai.*] Compellat Angelus mulierem nomine in primis proprio, vt ostendat sibi illam esse quam notissimam; deinde ancillam nominat, conditionis infimæ admonens; vt conceptum superbiæ tumorem deprimat; vt seruam se recognoscens humilietur; simulque patientiam, quam dominæ haud præstitit disciplinæ impatiẽs, nunc abiectæ conditionis titulo perculsa æquanimiter exerceat. Quæ duæ virtutes, humilitas, & patientia, difficiliores sunt sexui muliebri: ob ingenitam enim leuitatem in superbiam mulieres facilè efferuntur, & qualibet, vel leui occasione impatienter indignantur. Exhibeat igitur Agar & patientiam, & humilitatem, vt Dei beneficium ab Angelo enunciandum meritò, ac sanctè recipiat. Simile quid legimus de Chananæa muliere Matth. 15. sanitatem filiæ à Domino importunis precibus exposcente. Nam primò quidem, vt scribitur, *non respondit ei verbum.* scilicet, vt mulier instantiùs vrgeret, patienter Domini silentium sustineret, nec præ impatientia muliebri clamando, & obsecrando desisteret, simul etiam humilitatem exhiberet, cum eam Dominus non audiret, & velut indignam sua responsione duceret. Deinde seuerius quiddam Dominus reddidit: *Non est bonũ sumere panem filiorum, & mittere canibus* nimirum quasi vt catellam à se abiecit. Quorsum ita Domine, cum afflicta muliere agis? Respondit egregiè S. Euseb Emiss. *homil. de Chananæa.* Probat eam Dominus, an patientiam habeat, & an humilitatẽ teneat. Misera misericordiam sequitur, repulsa nõ erubescit, Saluatorem adorat, canem se esse fatetur, & tandem audire meretur: *Vade, quia sanata est filia tua.* Docet nos mulier ista qualiter orare debemus. hæc Euseb. Profectò, quia nec patientiam, nec humilitatem Domino offerimus, illius nos beneficiis indignos facimus. Ferè in eodem sensu S. Hieron. commentatus ait: Mira sub persona mulieris Chananitidis Ecclesiæ fides, patientia, & humilitas prædicatur. Fides, qua credidit sanari posse filiam suam. Patientia, qua toties contempta in precibus perseuerat. Humilitas, qua se non canibus, sed catulis comparat, vt per humilitatem micarum ad panis integri veniat magnitudinem. hæc Hieron. Hæ scilicet potissimæ in Ecclesia Christi virtutes semper emicuerunt: fides patientia, humilitas. Quibus destituti Iudæi, de filiis Dei in canes sunt commutati; quarum præsidio exculti Christiani homines de canibus in filios Dei transierunt. Canes quidem erant gentiles ante conuersionem; videlicet (vt obseruat S. Hieron.) propter idololatriam, qui esui sanguinis dediti, & cadaueribus mortuorum feruntur in rabiem. hæc ille. Canes quidem erant gen-

Mulier impatiens & superba.

Chananæa oratio, & patientia, & humilitas.

Matth. 15.

Euseb. Emiss.

Qualis esse debeat oratio.

S. Hieron.

Virtutes præcipuæ in Christianis.

Duplex metamorphosis.

D. Hieron.

Iudæi conuersi in canes.

A B C D E

tiles, sed per fidem facti sunt filij Dei. O mira (concludit S. Hieron.) rerum conuersio! Israel quondam filius, nos canes. Pro diuersitate fidei, ordo nominum commutatur. De illis posteà dicitur: *Circumdederunt me canes multi.* Psal. 21. hæc ille. *At nobis data est potestas filios Dei fieri, qui credimus in nomine eius.* Ioan. 1. Itaque Angelus (vt obseruat S. Chrysost.) vocat ancillam Saræ; quo recordari eam faciat dominæ suæ, vt sciat. quod licet particeps fuerit herilis lecti, attamen dominam agnoscat Saram. sic Chrys. Progreditur Angelus: *Vnde venis? & quo vadis?* Planè insinuat malè sibi mulierem consuluisse, quæ sola, & omni præsidio destituta deerret in auia solitudine, in quã non soleat esse viatorum accessus, & ex qua non facilis, & trita pandatur via. Quo maximè Angelus mulieri authoritatem suam commendat, vti promissionibus mox consentendis fidem habeat. Hoc perquam subtiliter adnotauit S. Chrys. his verbis. Atque ob hoc in hac solitudine apparet Angelus vt ne putet aliquem ex vulgaribus viatoribus eum esse, qui interrogat. Solitudo enim erat, & nullus alius aderat: & icirco, vt sciat non esse vulgarem aliquem, qui sibi colloquitur; eapropter, vt in eremo apparuit rogauit ex ea: *Vnde venis? &c.* ita Chrysost. quippe in solitudine inuia, qui appatet, qui proprio nomine illam, & illius dominam compellat, plusquam homo, certè Angelus esse agnoscatur. Tantum scilicet est fœminæ, atque à fœmina periculum; vt non nisi ab Angelo videri, & cum Angelo colloqui securè debeat. Ac postmodum quidem ab Angelis sunt frequentatæ, & habitatæ solitudines, in quibus innumerabilis Sanctorum multitudo Angelicam puritatem, & contemplationem assecuta est, & exæquauit. Quem enim in Angelis non est Ioannes Baptista in eremo supergressus? Proh quantum prodest cum pio, & sancto colloqui, illiusque excipere admonitionem! Respondit illa: *A facie Sarai dominæ meæ ego fugio.* Serua licet, & Ægyptia, & profuga, & malè accepta, supplicio veritatem omnem patefacit, suam conditionem ingenue fatetur; atque illam, cuius vultum ferre non potuit honorato nominat encomio. Meritò igitur in Agar laudem ita edisserit Procopius: Agar non vulgaris mulier habenda est, cum videamus Angelum illam suo dignari colloquio. Illius iustitia, & æquitas hinc quoque elucet; quod nihil criminatur Saram: sed ait, *a facie dominæ.* Laudanda est propter morum simplicitatem: confitetur autem ingenuè quid passa sit mali. hæc Procop. *A facie dominæ.* Hebraismus. *A persona dominæ:* facies nimirum sumitur pro persona. Sunt qui explicent, *propter Sarai*, vt causam suæ fugæ videatur adscribere ingenio moroso, & intractabili suæ dominæ. Satius tamen est credere ancillam alioqui benè moratam, & in familia iustorum optimè institutam, nihil de domina loqui asperius, sed totam potius fugæ causam suæ impatientiæ referre, quòd dominæ disciplinam ea, qua debebat, mansuetudine non sustineret. Qui in sensu ante Procopium ita commentatus est Chrysost. Vides, quomodò non negat dominam, sed confitetur verè omnia? Non est (ait) homo qui interrogat, vt possim decipere. Primùm dixit nomen meum, & dominæ meę meminit: congruum est, vt & ego vera dicam. *A facie Sarai, &c.* Vide quomodo citra odium meminit dominæ. Non dixit, Malè afflixit; aut, Gratia mihi fecit; aut, Non possum ferre molestiam eius & ideò fugam inij: nihil asperum loquuta est, sed solum seipsam vt fugitiuam accusauit. Vidisti eius ingratitudinem, &c. hæc S. Chrys. Bene gratitudinem

Psal. 21.

Ioan. 1.

D. Chrysost.

D. Chrysost.

Colloqui cum muliere non nisi Angelus debet.

Eremitæ velut Angeli.

Agar laudatio.

Procop.

D. Chrysost.

Agar benè morata.

titudinem commendat ancillæ, quæ tandem recordata omnium beneficiorum, quæ à domina sua acceperat, etiam post grauem suam afflictionem honorifico eam titulo dominam suam Sarai appellat Quo maxime damnatur abiecturo & illiberale ingenium quarundam ancillarum, quæ dominas suas audent ignominiosis ac virulentis dicteriis insectati, earúmque nomina opprobriis & risibus dehonestare.

Serua infamant dominas.

5. *Dixitque ei Angelus.*] Mandat Angelus mulieri, vt in domum herilem redeat, dominam reuereatur, illique debitam ancillæ modestiam, & humilitatem exhibeat. Hunc locum nemo congruentiùs, & elegantiùs commentatur, quàm S. Chrysostom, hoc modo: *Reuertere*, & ne sis ingrata erga dominaro tuam, quæ de te tam bene merita est. Deinde, quia ex fastu, & superbia mentis dominam suam in iram excitauerat, inquit: *Et humiliare sub manibus eius*, subiecta esto ei. Hoc enim tibi poderit, agnosce seruitutem, ne ignores dominium, nihil sublime sapito, ne plus de te quàm oportet senti, *humiliare sub manu eius*, magnam præ te fer obedientiam. hæc S. Chrysost. Verè quidem ac subtiliter obseruat S. Euseb. Emis. *homil. in 5. Matth.* discordias semper ex aliquo vitio enasci. sic enim ait: Scriptum est: *Odio habebis inimicum tuum:* Vitium intellige, quod est causa omnium inimicitiarum; nullæ enim inter homines inimicitiæ essent, si hoc solum de eis sublatum esset. sic ille. Enimuerò tumor superbiáque ancillæ despicientis dominam vnicum fuit tanti dissidij seminarium. Nullum inter coniuges vitium intercedat, haud dubiè iucundissima pace fruentur. Rixantur illi miseri, & mutuis ignescunt odiis; quid mirum, si illa impatiens, aut superba, aut maledica, aut procax, & inuerecunda; aut (quod pessimum est) Deo ac marito infida: si ille iracundus, furiosus, intractabilis, si ebrius, si alcator, si sicarius, si turpis adulter? Tollite igitur, ô coniuges, vitia, & pax aurea domui vestræ affulgebit. Maximè verò superbia ferri æquanimiter non solet; quis enim libenter, & quietè audiat, alloquatúrque hominem, qui se magnificè iactat, & ostentat? quis patienter ferat arrogantem, ac cæteros præ se vno despicientem? Superbus homo commune odium omnibus est. Vitam sibi molestam, & laboriosam comparat superbus, nusquam non inuisus, & execrandus, quod ex Domini verbis: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis*, Matth. 11. apertè colligit S. August. *in Psalm.* 54. hoc pacto: Qui laboratis, & onerati estis in superbia vestra, & requiescetis in humilitate mea. *Discite à me* (inquit Dominus) *quia mitis sum, & humilis corde; & inuenietis requiem animabus vestris:* vnde enim illi laborant, nisi quia non sunt mites, & humiles corde? Deus humilis factus est; erubescat homo esse superbus. hæc August. Quis verò labor, quod onus superbo homini aduenire grauius potest, quàm cum Deo perpetuum & irreconciliabile habere dissidium? Deus enim superbis resistit: Deus homo factus est, vt superbiam deprimeret. Dauid paruulus in oculis suis stupea funda gigantem armatum prostrauit. Scilicet (ait egregie S. Paulin. *Epistol. 5. ad Amandum*) Dauid manu Dei dimicans, & Christi imagine semper inuictus extitit; quia in alienis grandibus superba diaboli exaltatio deiiciebatur; & in pusillis nostris in humilitate præpotens salutaris Dei forma vincebat. hæc Paulin. O vos miseros, qui ob superbiam vestram, vti Scribæ, & Pharisæi. sic indignos vos exhibetis, vt neque aduentus Christi, neque pretium Redemptoris, neque Dei vocatio

D. Chrysost.
Serua modestia discant.
Euseb. Emis.
Discordia semper ex vitio nata.
Coniugiũ rixa ob aliquod vitium.
Superbus commune odium
Matth. 11.
S. August.
Superbia onus est.
Ad humilitatẽ Christi superbus erubescat.
S. Paulinus.
Dauid gigãtẽ prosternit.
Superbus Deo fideque eius indignus.

A ad vos pertinere quodammodo videatur. Sic enim S. August. *in Psalm.* 58. explicat Domini verba ad Scribas, & Pharisæos. *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Matth. 9. Cum enim (inquit) de se præsumunt, quod iusti sint, & tanquam sani videntur, medicinam recusarunt, & ipsum medicum necauerunt. hæc August. Commendauit Angelus ancillæ humilitatem, quæ pacis, sanctæ voluptatis, & omnium bonorum mater est. Atque vt pulchrè disserit S. Chrysost. satis eius animam demulserant Angeli dicta; satis eius spiritum cõpresserant; satis frænauerant eius furorem; multam in cogitationibus serenitatem fecerant. Cæterùm ne putaret temere & absque causa id curæ in eam impensum; sed discat, quòd propter B semen iusti tantam beneuolentiam assecuta sit: vide quomodo eam consolatur, & mentem eius erigit ad consolationem, quæ abundè sufficiat, cum ita subiungit: *Multiplicans multiplicabo semen tuum, &c.* Hactenus S. Chrysost. Prædicit itaque mulieri partum, filio iam nunc imponit nomen, ex ipsomet Dei nomine delibatum: Ismael enim idem quod exauditio Dei. Deinde amplissimam, & numerosissimam sobolem ex illo filio enascituram promittit; tam multa scilicet, & magna pollicetur Angelus mulieri, vt (inquit S. Chrysost.) præ se ferat omnem obedientiam. sic ille. Tanta quippe inest difficultas in obediendo, vt præclarissimis sit præmiorum pollicitationibus lenienda. Támque arduum est mulieris, vel ancillæ ingenio C subiici dominæ, atque in eius contubernio patienter, ac modestè viuere, vt non nisi cœlestium oraculorum amplissima mercede ad ferendum istud onus, ac laborem excitetur. Istud quidem est mulierem esse vasculum infirmum, & rimis hac illac perfluens.

6. *Eo quod audierit Dominus afflictionem tuam.*] Quam scilicet domi passa fuerat, maximè in fuga, sitim, calorem, famem, lassitudinem, solitudinem, & multas alias, quas in deserto patiebatur molestias mulier & sola, & prægnans. Mira Dei benignitas. *Audiuit afflictionem*, siue vt legunt alij, *humiliationem*; & vt Iosephus tradit, *deprecationem ancillæ.* Magna etiam vis ostenditur ad commutandos animos hominum, & Dei misericordiam D consequendam in tribulatione. Quod S. Chrysost. sic adnotauit. Hinc discamus, quantum sit in afflictionibus lucrum, quanta calamitatis vtilitas. Postquam enim fugit, & dolor auctus est, multisque circundata est afflictionum molestiis in solitudine, in vastitate, & angustiis versans, post tantam prosperitatem, & postquam in parem cum domina sua dignitatem euecta fuisset; ideo acceleratum nacta est subsidium. Hæc tibi (inquit) erunt, quæ promisi, quia probauit Dominus humilitatem tuam. hæc S. Chrysost. Deinde instruendis omnium animis egregiam colligit ex hoc loco sententiam his verbis: Ne igitur grauatim feramus, si molestiis prementibus humiliemur. Nihil enim ita nostræ naturæ conducit, vt mentem E subdere, & humiliare superbum spiritum, & inflationem mentis deprimere. Tunc enim nos magis audit Dominus, quando cum dolore animæ, & corde contrito ipsum inuocamus; maiorem in precibus sedulitatem adhibentes. quia audiuit Dominus humiliationem tuam. Ita S. Chrysost. Hæc inter alia ex tribulatione, & humiliatione prouenire solent emolumenta: nimirum pressi & humiliati superbos exuimus spiritus, & humilitatis spiritum induimus: deinde molestiis compulsi ad Deum confugimus; Dei nomen, & opem lacrymis, & assiduis precibus imploramus: quo sane

S. August.
Matth. 9.
Humilitas bonorum omnium mater.
D. Chrysost.
Mira virtus in verbis Angeli
D. Chrysost.
Obediendi magna difficultas.
Mulieri arduũ subyci.
Iosephus
D. Chrysost.
Humili datur auxiliũ.
Humilitas multũ m conducet.
Mirè vtilis tribulatio.

ne telo ad peruincendum Dei suauissimi pectus, A
nullum potentius inuenitur; quod expertus aiebat
ille pœnitentiæ magister: *Sacrificium Deo spiritus*
contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus nō
Psal. 50. D.Hieron. *despicies.* Psalm. 50. Vbi egregiè S. Hieron. ita dis-
serit. Meritò inter reliquas beatitudines Euange-
licas beatitudo hæc obtinet principatum. *Beati*
pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorū.
Matth. 5. *Humilitas spiraculum vitæ.* Matth. 5. Qui non in vanitatibus sæculi inflantur,
sed à Deo accipiunt spiraculum vitæ, atque con-
tritionem anxij cordis in eum refundunt, qui pro
nobis humilis factus est. sic Hieronym. Expende
quam pulchrè humilitatem, siue defectum spiri-
tuum, quibus inflantur superbi, vocet spiraculum
vitæ, scilicet spiritualis, & cœlestis, quam Deus
homo humilis sui similibus, hoc est, humilibus B
infundit. Ac prior quidem tribulatio spiritus;
deinde nascitur ex ea peccatorum contritio, &
Humilitas sacrificium. confessio: quod sacrificium vti est homini obla-
tu difficillimum, ita est Deo quàm gratissimum.
D. Gregor. Sic enim versum istum explicat S. Gregor. Electo-
rum etenim linguas tribulatio spiritus commo-
uet, vt reatum praui operis vox confessionis im-
pugnet. ita Gregor. Simpliciùs quidem sed valde
D. Chrysost. appositè exponit S. Chrysost. *Sacrificium Deo, &c.*
Victima (inquit) tibi Deo nostro grata, & iucunda
est humilitas. Quocirca pectore meo apprimè
humiliato, ac velut extenuato gratum tibi sacrifi-
cium offeram. Sacrificij loco animi submissio-
nem tibi immolabo. ita Chrysost. Sed concluda-
S. Bernard. mus hunc locum mellita quadam S. Bernard sen- C
tentia. Sic enim scribit *Epistol.* 52. Sola profectò,
quæ non solet gloriari, non nouit præsumere, con-
Humilitas Deo gratissima. tendere non consueuit, gratiam inuentura est in
oculis pietatis humilitas. *Deus namque superbis re-*
Iacob. 4. *sistit, humilibus autem dat gratiam.* Iacob. 4. non
contendit iudicio, nec prætendit iustitiam, qui
verè humilis est, sed dicit: *Non intres in iudicium*
Psalm. 142. *cum seruo tuo Domine.* Psal. 142. recusat iudicium,
& postulat misericordiam, faciliùs sibi veniam
impetrare posse, quàm iustitiam vendicare confi-
dens. Nouit naturam diuinam naturaliter piam
quæ nostram nequaquam humilitatem abhor-
reat. Ita Bernard. Infinita quidem Dei nostri
bonitas ac pietas mirandum in modum humilitate
hominis delectatur, quod egregie demonstrauit D
cum humilem suæ diuinitati aduniuit humanita-
S. Bernard tem, vt statim subiicit idem Bernard. ita progre-
diens. Non despicit illa maiestas cor contritum
& humiliatum in nostro genere, quæ corpus ex eo
humilitatis assumere non dedignata est. Nescio
quo pacto familiariùs semper humilitati propin-
Deus humilitaté induit & honorauit. quare solet diuinitas. Deoique illa se induit, vt
appareret hominibus. Substantiam, formam, ha-
bitúmque gestauit humilem, ipsius nobis com-
mendans virtutis excellentiam, quam speciali sui
voluit honorare præsentia. hæc omnia Bernard.
D Chrysost. 7. *Hic erit ferus homo.*] Prædicit ei (ait S. Chry-
sost.) quod virilis, & fortis erit, quod bellator,
quòd agriculturæ vacabit. Hebr. פרא *Pere*, asi-
nus syluester, onager dicitur; qua voce adagiali E
significat, futurum hominem moribus agrestem,
ingenio durum, & intractabilem, iugi impatien-
tem, ac loca solitudinum peramantem. Hoc est
D. Hieron *Saracenorum feritas.* (addit S. Hieron.) Saracenos semen Ismaelis, va-
gos, incertisque sedibus, qui vniuersas gentes,
quibus desertum ex latere iungitur, incursant, &
impugnantur ab omnibus. sic. Hieron. L X X. le-
gunt, *Agrestis* Chaldæ. *Onager in hominibus*, me-
ritóque eo nomine appellantur Ismaelitæ, mera
omnis barbariæ colluuies. Vide num etiam ona-
ger dicatur propter libidinem, cuius symbolum

A onager habetur in sacris literis, vti legimus Hie- Hierem. 2.
rem. 2. *Onager assuetus solitudini, attraxit ventum*
amoris sui. vbi S. Hieron. Sic Israel vno impetu ad D. Hieron.
desiderium libidinis ferebatur. Bene in pecude ex- *Bestiales impetus libidinis.*
primitur concupiscentia carnis; quia (vt loquitur
S. Gregor. Nyss. *de vita Moysis.*) terribilis bestia li- S. Greg. Nyss.
bido est. Nihil tantam in nos vim habet, quan-
tam spurcissima libido, quin etiam bestialis ad li- *Libido vertit in bestiam.*
bidinem impetus in pecudes vertit homines. De-
nique perniciosus hic morbus pestilentiæ more, si
semel principalia occupauerit membra, sola morte
te sedatur. hæc omnia S. Gregor. Syluestrem di-
xit hominem, qui onager, qui propensus in vene- *Onager dicitur libidinosus.*
rem à Propheta dicitur: quinetiam syluarum spi-
nis, Luc. 8. voluptates huius vitæ Dominus com- Lucæ 8.
B parauit. Quoniam (declarat S. Euseb. Emiss. *homil.* Euseb. Emiss.
in sexag.) etsi carni molles & suaues sunt, animas *Voluptates sunt spina.*
tamen vulnerant, & affligunt. sic ille. At hæc
omnia mirificè conueniunt in Saracenos, qui ma-
ledictam & infamem sectam Mahometis amplexi
sunt; in qua omnis omnino bestialium volupta- *Saracenorum turpitudo.*
tum turpitudo licita, sanctáque habetur. Sylua
planè onagrorum & pecudum turpissimarum est,
lex illa, & natio ab hoc Ismaele progenita. Habi-
tabit autem rusticus hic, & agrestis homo, infen-
sus omnibus, & ab omnibus offensus è regione,
siue ex aduerso fratrum suorum, hoc est in deser-
to Pharan directè contra habitationem Isaac, &
reliquorum filiorum Abrahæ, qui ex Cethura
orientur. Hoc loquendi modo significant Hebræi
C hominem impauidum; & vitium suarum secu-
rum. *Figet tabernacula.* Nam Arabes plerique ad-
huc hodie in papilionibus, siue tentoriis morantur.
Vnde tentoria Cedar celebrantur Cant. 1. Recrea-
ta igitur mulier ex suo mœrore, atque amplissimis
Angeli promissionibus excitata, vocauit, hoc est,
inuocauit nomen Domini, qui ipsam alloqueba-
tur, nimirum Angeli, qui personam Dei repræsen-
tabat. In quo apparet istius ancillæ pietas, quam
domi Abrahæ probè fuerat edocta. Nihil enim *Deo gratia habenda.*
illi prius, ac potius fuit, quàm vt gratias haberet
Deo, quòd eam magnificè sit consolatus. *Tu es* (in-
quit) *Deus, qui me vidisti*, qui mœrentem, affli-
ctam, & solitariam in hac eremo ancillam inuisi-
sti, & oculis tuæ benignitatis affulgentibus hila-
D rem, & magnorum bonorum spe erectam & ala-
crem reddidisti. Optimè Deum videre idem est,
atque Deum misereri: Deúsque ipse dicitur, qui
videt nos: quia (inquit Rabanus) gratuitus con- Raban.
sulit miseris, & humiles consolatur in tribulatio- *Deus videt, cum miseretur.*
ne eorum, iuxta illud Psalm. 9. *Tu laborem, & dolo-*
rem consideras, & tibi derelictus est pauper. sic ille. Psalm. 9.
Grande autem mysterium hic innui videtur, vt re-
ctè idem adnotauit Raban. Qui enim (ait) priùs
erat Angelus, & in forma hominis loquebatur an-
cillæ, postmodum etiam Deus dictus est. Quis
autem alius, nisi Verbum quod caro factum est, &
diuina nobis annunciauit? hæc Raban. En quan- Raban
tum profuit Ægyptiæ ancillæ, humiliari, mœrere,
afflictam, & omni humana destitutam ope deer-
E rare in solitudine; orat, Deum inuocat, Deo gra-
tias agit. Vnde S. Chrysost. Vidisti (inquit) ancil- D. Chrysost
lam crescentibus afflictionibus aliquanto castiga-
tioribus moribus fieri, & magnam gratitudinem
declarare. hæc ille. Cum humilitate pariter nasci- *Prodest tribulatio ad pietatem*
tur, & crescit pietas ex afflictionibus, quas iccir-
co nobis tam fructuosas benignus Dominus non
permittit modò, sed immittit interdum. Progre-
ditur vlterius Agar: *Profectò hic vidi posteriora vi-*
dentis me. Emphasim habet illud (*hic*) quasi dicat
Si Deum propitium in domo Abrahæ domini
mei, quam veluti sacrarium ac templum Dei re-
puto,

puto, haberem, haud tantùm mirarer: at obstupesco, cum illum viderim, & allocuta sim, cum ille mihi propitius occurrerit in hac tam horribili solitudine, vt mœrentem ac desolatam solaretur.

8. Sed quid illud? *Vidi posteriora videntis me.* Locus est obscurus, vbi aliqui contra vulgatam editionem seueriùs, quàm par est, insurgunt negatiue legentes, *si vidi*, hoc est, *non vidi*; quod tamen & receptæ in Ecclesia lectioni repugnat, & L X X. & Chaldaicæ versioni refragatur. Sensus igitur est: Vidi eum qui me vidit, aspexi meis oculis eum, qui mei misertus est, qui propitius occurrit ad consolandam mœrore confectam; sed non concessum mihi est illius faciem videre. Obuersus enim mecum loquebatur, dorsum illius, non vultum; licuit intueri. Noluit autem Angelus Deum repræsentans faciem suam ostendere ancillæ quæ impatiens erat, quæ obedientiam fugerat, atque vt etiam significaret imperfectam cognitionem Dei, quam illa adhuc habebat, quæ quidem in sacris literis per posteriora Dei significari solet. Quid si etiam ad modestiam, & puritatem edocendam Angelus ita obuerso vultu loquebatur, solus cum sola muliere, in eremo? Remotis arbitris, vbi solitudo, & secretum est, si opus erit virum cum fœmina colloqui; caueant sibi: cum legant hoc loco etiam Angelum, & Agar obuersis vultibus inter se loquutos. Fortè etiam sic poterit explicari: Profectò hìc, vel in hoc loco, vel hoc temporis momento, cum loquentem Angelum audirem, & viderem, subitò ille disparuit obuersa nimirum facie, ita vt in extremo visionis puncto solùm mihi licuerit terga euanescentis contueri. Lusitanè, *Vuon me as costas, e desapareceo.* Ad perpetuam tanti beneficij memoriam nomen puteo imposuit. Indéque domum reuersa veniam à dominis impetrauit, iam facta humilis, modesta, & obediens, suæ nimirum con-

Imperfecta cognitio Dei in hominibus.

Virum cum fœmina colloqui periculum est.

A ditionis memor. Deniquè ibidē dulci pace fruens, peperit Ismaelem cum esset Abraham octoginta & sex annorum. Ex hac narratione iurgiorum inter fœminas egregium elicit documentū S. Chrys. quod viris apprimè necessarium est. Sic enim effatur. Maxime mulierum curam agite; vt siue iustè, siue iniustè vos arguant, ne ita ad viuum, & accuratè excutiatis causas: sed vnius rei vobis cura sit, vt tristitiæ causa è medio tollatur; crescatque, ac roboretur pax domestica: vt & illa ad virum suum habeat conuersionem, & vir ab externis, ac forensibus negotiis, & tribulationibus ad eam quasi ad portum confugiat, & omnigenam
B inueniat consolationem. hæc ille perquam sapienter. Prima quidem omnium in familia, & pax & amor, & coniugium debet esse constans, atque inuiolabilis; & pro conseruando tanto hoc bono, nulla est cura & industria non ponenda. Igitur alter alterius onera portet, defectus toleret; multa dissimulet, pauca notet, ac præstringat. Nam & qui nescit dissimulare, nescit regnare. Vnum illud curet maritus; vt beneuolam, amicam, hilarémque habeat vxorem, hanc sibi stationem fidissimam, & portum tranquillum reputet. Quippe quæ (vt apponit S. Chrysost.) in adiutorium data est, vt vir contentus eius consolatione aduersus
C ingruentia resistere valeat alacriùs. Nam si fuerit ornata virtutibus, & mansueta, non solùm viro suo communicationis præbebit consolationem: sed & in aliis omnibus multùm fiet vtilis. omnia illi leuia & facilia reddit, & percipere non sinit illas externas malitias, neque difficultates, quæ quotidiè domi nascuntur; sed quasi gubernator optimus omnem animi tempestatem in serenitatem sua sapientia conuertit, intelligentiáque sua magnam confert consolationem. hæc omnia S. Chrys. Nihil viro feliciùs aduenire potest, quàm vt piam, mitem, & cordatam habeat vxorem. sic ea familia cursum tenebit felicissimum.

D. Chrysost.

Pax & amor inter coniuges.

Munus boni mariti.

D. Chrysost.

Bona vxor marito vtilissima.

Qua familia felicissima.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

1. POstquam verò nonaginta & nouem annorum esse cœperat, apparuit ei Dominus: dixitque ad eum: Ego Deus omnipotens: ambula coram me, & esto perfectus.

2. Ponámque fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis.

3. Cecidit Abram pronus in faciem.

4. Dixitque ei Deus: Ego sum, & pactum meum tecum, erísque pater multarum gentium.

5. Nec vltrà vocabitur nomen tuum Abram: sed appellaberis Abraham: quia patrem multarum gentium constitui te.

6. Faciámque te crescere vehementissimè, & ponam te in gentibus, regésque ex te egredientur.

7. Et statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis, fœdere sempiterno: vt sim Deus tuus, & seminis tui post te.

8. Dabóque tibi & semini tuo terrā peregrinationis tuæ, omnē terram Chanaā

D. in possessionem æternā, eróq; Deus eorū.

9. Dixit iterùm Deus ad Abraham: Et tu ergo custodies pactum meum, & semen tuum post te in generationibus suis.

10. Hoc est pactum meum quod obseruabitis inter me & vos, & semen tuum post te: Circumcidetur ex vobis omne masculinum.

11. Et circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me & vos.

12. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris: tam vernaculus, quàm emE ptitius circumcidetur, & quicunque non fuerit de stirpe vestra.

13. Eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum.

14. Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: quia pactum meum irritum fecit.

15. Dixit quoque Deus ad Abraham: Sarai

Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, A sed Saram.

16. Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium cui benedicturus sum, eritque in nationes, & reges populorum orientur ex eo.

17. Cecidit Abraham in faciem suam, & risit, dicens in corde suo: Putásne centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet?

18. Dixítque ad Deum: vtinam Ismael viuat coram te.

19. Et ait Deus ad Abraham: Sara vxor B tua pariet tibi filium, vocabísque nomen eius Isaac, & constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum, & semini eius post eum.

20. Super Ismael quoque exaudiui te. ecce, benedicã ei, & augebo & multiplicabo eum valdè: duodecim duces generabit, & faciam illum in gentem magnã.

21. Pactum verò meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero.

22. Cúmq; finitus esset sermo loquentis cum eo, ascendit Deus ad Abraham.

23. Tulit autem Abraham Ismael filium suum, & omnes vernaculos domus suæ: vniuersósque quos emerat, cunctos mares, ex omnibus viris domus suæ: & circumcidit carnem præputij eorum statim in ipsa die, sicut præceperat ei Deus.

24. Abraham nonaginta & nouem erat annorum quando circumcidit carnem præputij sui.

25. Et Ismael filius tredecim annos impleuerat tempore circumcisionis suæ.

26. Eadem die circumcisus est Abraham & Ismael filius eius.

27. Et omnes viri domus illius, tam vernaculi, quàm emptitij & alienigenæ, pariter circumcisi sunt.

SECTIO PRIMA.

Postquam verò nonaginta & nouem annorum esse cœperat, apparuit ei Dominus: dixítque ad eum: Ego Deus omnipotens: ambula coram me, & esto perfectus. Ponámque fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis. Cecidit Abraham pronus in faciem.

1. FOEDVS, quod cum Abraham percusserat Dominus cap. 15. nũc renouat; & promissionem futuri seminis, & omnium in eo benedictionum explicatiùs repetit; demúmque in signum pacti circuncisionem imperat, & nominum mutationem instituit. Quæ omnia præstitit Dominus Deus per Angelum in specie visibili, atque humana, vices Dei gerentem: hic igitur apparuit Abrahæ iam grandæuo, centum prope annorum. Dixítque ad eum: *Ego Deus omnipotens*, Hebr. אל שדי *el xaddai*, fortis, omnipotens, vel monificus, vel victor. Peritiores putant *xaddai* proprie significare sibi sufficientem, sibi abundantem, nullius indigentem, & consequenter omnipotentem. Nam qui per se, & à se potest omnia necessariò sibi sufficiens, & nullius indigens est. Vnde noster interpres rectè ad sensum D respiciens vertit, *Omnipotens*. Suam verò omnipotentiam ita Dominus, exorsus cum Abraham colloqui, statim commendat, vt illius spem confirmet, & fiduciam roboret; ac si dicat: Ego sum Deus, qui possum, & volo te abundanter cumulare bonis, iis maximè, quæ tantopere concupisti. Ego fortis victor, qui omnia naturæ obstacula euincam; cui nihil aut potentiam, aut magnificentiam remorari possit, & cassam reddere. Benè autem vim nominis *xaddai* exprimens S. Hier *Epist.* 136. *ad Marcellam* sic ait: Nomen *xaddai*, nos robustum, & sufficientem ad omnia perpetranda accipere possumus. sic ille. Vberiùs hæc eadem ita Caiet. explicat. Aptè dixit Deus de se: *Ego fortis* E *victor*, ad differentiam scilicet cuiuscunque fortitudinis creatæ. Angeli enim, & homines fortes, non ita fortes sunt, vt omnia possint efficere; imo multa offendunt obstantia sibi, quæ vincere ipsi

Nomen Dei multa significans.

S. Hieron.

Caietan.

C non possint. Deus autem ita fortis est, vt habeat potentiam vincentem omnia, nulláque indispositio receptiuorum, nulla vis agentium, aut mediorum, efficientiæ eius obstare vllo modo potest. hæc ille. Rectè autem, vt iam præmonuimus, vertitur *Omnipotens*, qui & sufficiens; omnia enim necessariò habet, ac potest, qui est ipsa sufficientia nostra, & qui sibi sufficit, quique solus nullius indiget; sufficit autem, creaturæ rationali, sine quo summa est indigentia. Quam Dei naturam probè contemplatus aiebat Regius Vates: *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Psal. 15. Ex eo igitur cognoscit, ac vocat Deum suum, quòd illum adeò in se ipso diuitem, sibíque sufficientem nouerit, vt nullius omninò extra se indigeat. Quocirca nostra sacrificia, quicquid in eius obsequium præstamus, atque efficimus, nihil illi confert, audaugétque honoris & commodi: quòd si ea requirit, si præcipit, iccirco facit (declarat Euthym.) vt prætextum & occasionem habeat retributionis maiorum bonorum. sic ille. Hanc infinitam bonorum omnium sufficientiam pariter, ac circunfluentiam Dei rectè intelligens Moyses, cum Dei visionibus, & colloquiis quotidianis perfrueretur, nihilominùs tamen illios faciem videre insatiabiliter anhelans dicebat: *Domine, ostende mihi faciem tuam.* Exod. 33. Quem locum egregio commentatio illustrauit ad hunc modum S. Greg. Nyss. Moyses, tot, ac tantis sublimationibus elatus adhuc ardet desiderio, adhuc tanquam famescens, ac sitiens, tanquam eo carens, quo semper fruebatur, orat, vt videat, non vt ipse capere potest, sed vt se habet, qui desideratur. Vnde arbitror immenso desiderio, atque ardore erga Deum ita fuisse affectum; quòd visionibus sibi enituit, vt ferre non posset, quin ab iis, quæ

Deo forti nihil obstat.

Deus ipsa sufficientia

Psal. 15.

Deus nullius eget.

Euthym.

Dei facies desiderabilis. Exod. 33.

S. Greg. Nyss.

quæ comprehendit, ad occultiora compelleret. Quocirca supremæ pulchritudinis amator, quod iam viderat tanquam imaginem eius, quod non viderat, credens, ipso frui primitiuo desiderabat. ita Gregor. *de vita Moysis.* Hæc ipsa Domini verba putet sibi dicta religiosus quisque, vti de cura corporis minimè sollicitus in Deum suum totus animo sit intentus, quærat primùm regnum Dei, & illa omnia illi à Domino, cui seruit, adiicientur. Est illi quidem Deus fortis, victor, omnipotens, ipsa sufficientia, & abundantia. In hoc argumento latiùs & elegantiùs expatiatur S. Petr. Damian. *apolog. de cont. secul. cap.* 8. Ex quo tantũ hæc referam. Nihil. (inquit) de eius fida promissione diffidas, qua pollicetur; *Quærite primùm regnum Dei,* Matth. 6. &c. Qui enim sitientibus Israeliticæ plebis agminibus ex illo aridæ metallo rupis, vberes aquarum riuos iussit effluere; qui esurientibus cœleste manna, per annosa temporum potuit spatia ministrare; qui innumeram cothurnicum multitudinem præcepit in murmurantium castra descendere, vni homuncioni suis iugiter obsequiis insistenti non poterit necessaria prouidere? & qui per quadraginta circiter annorum curricula infinitæ illius turbæ vestimenta seruauit illæsa; difficile habet attritis veteribus nouas tibi exuuias reparare? hæc ille. Quis ergo diffidat, si Domino seruit, qui Deus omnipotens est, victor, fortis, sufficiens; cui summa est voluntas ad benefaciendum, & infinita potentia, atque affluentia, vt præstare possit, quæ volet, & habeat, quæ impendat? Meritò igitur concludit Petrus Damian. Sit securus exactor, vbi ad reddendum promptus est debitor; sine causa diffiditur, vbi ille promissor est, qui numquam mentitur; securus creditor graditur, cum simplex veritas promissione tenetur. ita Damian. Certa igitur in Deo nobis figitur spes, secura ponitur fiducia. Potens est ille, vt præstet quicquid volet: fidelis, vt reddat debitum: amans Pater filiorum, vt illis bona sua libenter ac magnificè dispenset. Vtinam tanto Domino, tam pio Patre digni, & serui, & filij essemus! nihil nobis in vita deesset, si nobis in Deo spes, fiduciáque adesset.

Religiosus in Deũ intetus. — S. Petr. Dam. — Matth. 6. — *Dei prouidẽtia erga Hebræos.* — *Deus suis seruis prouidet.* — *Fiducia in Deum.* — S. Petr. Dam. — *Omnis & vera ratio fiduciæ in Deum.*

2. *Ambula coram me, & esto perfectus.*] Octoginta & sex annorum erat Abram, vt ad finem cap. 16. dictum est, quando illi natus est Ismael. Nunc autem cum Dei visione, quæ hoc cap. 17. narratur, perfruitus est, nonaginta & nouem annorum esse cœperat. Igitur tredecim anni elapsi sunt ab illa ad hanc historiam, mirúmque est in tam longo spatio annorum nihil, aut Abraham gessisse memoria dignum, aut Moysem si quid egregiè gestum est, silentio præteriisse: quamquam de Moyse minus credendum hoc existimo, quàm illud de Abrahamo. Ac fortasse ob humanam incuriam, & in virtutis studio languorem non se quantum debuit ad rerum maximarum edenda facinora excitauit: quam socordiam Dominus hisce verbis carpit subtiliter, ac si quiescentem, & otiantem excitet ad percurrendum virtutis stadium: *Ambula coram me, & esto perfectus.* Quocirca, vel reprehenditur, quòd circa leuia deliquerit, vel saltem quòd summa virtutis opera tanto illo tempore non ediderit. quæ duo sic Procop. subnotauit: Aut apparuit nondum irreprehensibili, aut vt tali, cui necesse esset operari semper id, quod est Inculpabile, qui semper foret irreprehensibilis. ita Procop. Nihil Deus in suis seruis æquè incusat, atque torpidam quandam quietem, & à magnis operibus cessationem; quippe cum Deus ipse semper operetur, vt à Christo Domino dictum est. Ioan. 5. At obiicies Deum vt scribitur Genes. 2. quieuisse benè quidem; sed qualis illa fuerit quies, satis eo in loco explicauimus: & prætereà Clem. Alex. *stromat.* 6. sic dispungit. Non ergo, sicut quidam Dei quietem existimant, cessauit Deus facere. Nam cum sit bonus, si cessarit vnquam benefacere, Deus quoque esse cessabit. Quieuisse igitur est fecisse, vt vnaquæque creatura cessaret à veteri confusione. sic ille. Quod si adeo proprium est Deo benefacere, vt si desisteret à benefaciendo, desineret esse Deus: videat qui seruum se Dei esse profitetur, quid sui muneris habeat. Sic enim proprium est seruo Dei operari, seruire, ambulare, obsequi, currere per viam mandatorum Domini, vt quo puncto cessabit, eodem prorsùs desinat esse atque haberi seruus Dei. Huic dicitur à Domino: *Ambula coram me.* de quo Hebraismo satis multa diximus priore tomo. Ita verò hæc ambulatio præscribitur seruis Dei, vt etiam post maxima virtutum opera, & abundantissima lucra meritorum dum in huius vitæ curriculo incedunt, ambulare coram Deo, quasi nunquam anteà ambulauerint, quasi nunc incipiant viam carpere, iubeantur. quod Moyses à Domino didicit, cum audiuit: *Posteriora mea videbis.* Exod. 33. Quem in locum sic eleganter disserit S. Gregor. Nyss. *de vita Moysis.* Moyses post illos ascensus mirabiles, post gloriosas visiones, post inaudita miracula vix iuxta finem vitæ hanc consequutus est gratiam, vt disceret Deum sequi. sic Nyss. Tantæ molis est, tantique honoris sequi Deum, ambulare coram Deo. Quod autem Hebr. est *hithallec*, moue te, fac te ambulare, LXX. rectè verterunt: *Complace.* Chald. *Seruias.* In quo in primis insinuatur obedientia iusti ad nutum Domini viuentis, & illi studiosè obsequentis. Id ipsum in Moyse posteriora Dei vidente expressum fuit ex sententia S. Gregor. Nyss. qui loco indicato adiunxit: Tergum obediens respiciebat, &c. Quis verò seruus Domino suo magis placet, atque ad illius nutum in omnibus vitæ actionibus se componit, quàm qui perfectam illi defert obedientiam, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertásque custodit? vt loquitur S. Gregor. Pap.

Excitatur Abraham ad perfectionem. — Procopius. — *Non cessandũ à bonis operibus.* — Clem. Alex. — *Deus esse desineret si cessaret bene facere.* — Exod. 33. — S. Greg. Nyss. — *Summa virtus est sequi Deum.* — *Obedientia commendatur.* — S. Greg. Pap.

3. Pulchrè Caietan. instrui Abrahamum arbitratur in studio perfectionis; quòd mirabiles quotidie facit progressus, si homo iugem Dei sui memoriam conseruet, si semper ante Deum stare, coram Deo ambulare se consideret, si in omnibus, vel quæ cogitet, vel quæ dicat, oculos Dei obseruet. Est sensus: Profice (inquit) in studio, & actionibus tuis, tanquam ambulans ante oculos meos. Nullum enim maius frænum, nulla efficacior ratio componendi gestus, motus, verba, actionesque hominis apparet, quàm ambulare ante faciem principis. Et fructus huiusmodi profectus apte subditur. *Et esto perfectus.* Huiusmodi enim ambulatio hominem ducit ad perfectionem: vnde scriptum est: *Beatus vir, qui in sensu cogitabit circumspectionem Dei.* hæc ille. Actitabat hoc idem regius Vates, & ideò in turbulentissimis regni, negotiorum, honorum, opum, ac deliciarum fluctibus, ne suæ mentis, ac pietatis faceret naufragium, hac diuinæ præsentiæ veluti sacra anchora suffultus tutò cursum in salo huius mundi tenebat, inquiens: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear.* Psalm. 15. Vbi sic egregiè commentatur S. August. Veniens in ea, quæ transeunt, non abstuli oculum ab eo, qui semper manet: hæc prouidens, vt in eum post temporalia peracta recurrerem. Quoniam fauet mihi, vt stabiliter in eo permaneam.

Caietan. — *Consideratio diuinæ præsentiæ saluberrima.* — Psalm. 15. — D. August. — *Oculi in Deũ sẽper intenti.*

Præsentia Christi in Eucharistia componit nos. hæc S. August. Iccircò voluit Dominus cum in cœlum regnaturus abisset, inter nos tamen corporaliter permanere in Sacramento altaris, vt nos sua præsentia contineret in officio, sanctèque, ac purè viueremus in terra, in qua ille præsens nobiscum habitat vsque ad consummationem seculi. Rex enim, (vt scribitur *Prouerb.* 20.) qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo. *Prouer. 20.*

Beda. Beda interpretatur de diuina gratia, quæ iustos à latentibus purificat defectibus. Sic enim ait: Potest hic versus & de electis accipi, qui habent aliquando latentia in mente mala, quæ ab aliis videri non possunt hominibus, quæ tamen ipse Dominus cernit, quando ea occulto respectu gratiæ destruit; testante illo, qui ait: *Conuersus Dominus respexit Petrum, & recordatus est Petrus verbi Domini, &c.* hæc ille. Quod si (vt reuertamur ad verba Sapientis) Rex sedens in solio iudicii sic mores hominum componit, sic vitia dispellit: quid si sedeat in solio amoris? plus enim amore, quàm terrore profuit. *Lætitia vitia Deus aspectu suo pellit.*

Amor Christi, non terror vicit homines. Factus homo regnum cælorum prædicat, homines ad virtutem amplissimis cœlestis gloriæ præmiis inuitat; innumeris illos beneficiis cumulat pertransiens benefaciendo: cum tamen inter peccatores triginta & tres annos conuersatus, & à peccatoribus tandem spretus, flagellatus, occisus, neminem supplicio vllo affecerit.

D. Ambros. Nam (vt optime S. Ambros. animaduertit *lib. 1. de Abraham, cap. 4.*) quod præmij est pollicetur, quod pœnæ non exigit. Mauult enim mitibus prouocare, quàm seuerioribus terrere. sic Ambros. Mira in hanc sententiam dici possent, quæ oculis spectauimus per hosce dies Olisipone, hoc est, in ipso totius, quà paret, orbis emporio celeberrimo, cum sacrosanctum Domini corpus in Sacramento Eucharistiæ per quadraginta horarum spatium in publico, & apparatissimo theatro ponitur adorandum in nostræ Societatis templo D. Rochi. at quonam tempore? illo scilicet, vt vocant, carnium tollendarum; quo per omnes retro actas ætates ingluuies, lasciuia, Bacchicus pariter & Martius furor laxis habenis impunè vagabantur. Confluit tota ciuitas, nec vllus ordo, aut sexus, aut ætas se domi, & curis domesticis tenerі, atque impediri patitur, quin infinita gentium multitudo ad venerandum Domini corpus accurrat; atque in templo tres integros dies matutinis, & vespertinis concionibus, atque suauissimis concentibus piissimas Christiano ritu præbeat aures. Tota denique celebritas tertio die ad vesperam definit in pompam augustissimam, in qua vectatur diuina Eucharistia inter ordinatissimos choros comitante omni multitudine virorum principum. At quisnam quæso per hosce dies tam vastæ, frequentisque vrbis status? Planè dixeris vnum religiosorum conuentum, aut potiùs etiam templum Dei. Grande profectò miraculum corporis Christi Domini, cuius præsentia vrbem istam, imò istum orbem, ab omni tam insolita intemperantia, & lasciuia ad miram modestiam, & pietatem, sopito Baccho, extincto Marte, tranquillata bellacissimæ gentis ferocia, traduxit! Quodnam aliud miraculum ô hæretici, qui Olisiponem commercij causa frequentatis, ad confirmationem Catholicæ fidei Christi Domini corpus in Eucharistia realiter ac verè præsens profitentis, & venerantis, exigere potestis, quàm istam tam miram & inopinatam rerum omnium mutationem? Insistit erigi, vt legimus, Iosue transmisso siccis vadis Iordane duodecim lapides in sempiternam tanti miraculi monimentum Iosue 4. Sed qui fieri hoc potuit cum periculo idololatriæ, cui gens illa as-

Olisiponis mira pietas in Eucharistiâ.
Eucharistia publicè exposita 40. horis.
Componitur mirè ciuitas ad Eucharistiam.
Ostenditur fides Eucharistiæ.
Iosue 4.

A sueta erectos lapides diuino ritu facilè posset venerari? Respondet optimè Abulens. Præsente Iosue non erat talis præsumptio de omnibus, &c. *Abulens.* Plane sic res habet: Præsente Domino Iesu cessat omnis intemperantia, nullum iam subest animarum periculum, cum Rex ipse gloriæ in solio amoris residens dissipet omne malum intuitu suo. Indéque diuini amoris flammas emittit, quibus ignescunt corda, vitiis exustis purgantur, & in Christianam pietatem, purissimúmq; erga Deum suum amorem inflammantur. Hoc enim mysterio subcinericius ille panis, quem Angelus Eliæ comedendum attulit in præclarum sacro sanctæ Eucharistiæ typum Hebr. dicitur עגת רצפים

B *ghugath recaphim*, libum prunatum. prunas quidem diuini amoris spargit ex illo sacro altari diuina Eucharistia corporis Domini, quibus fidelium pectora inardescunt, ac per oculos æstuantibus animis veluti liquefacta suauissimis lacrymis ad præsentiam Domini Iesu corda piorum effunduntur. *3. Reg. 19.*

Eucharistia solij amoris.
Subcinericius panis Eliæ datur.
Ab Eucharistia mittuntur flammæ.

4. Legit S. Ambros. *lib. 1. de Abraham cap. 4. Emerere coram me.* Et quia credidit Abrahæ cũ ancilla non fuisse verum ac legitimum matrimonium, sed illicitam copulam, ob quam subinde pœnitentiam egerit; consequenter arbitratus Domino placuisse pœnitentiam Abrahæ, & pœnitentem in gratiam cum Deo rediisse ita edisserit. Ergo Abraham & vnus de populo erat genti- *D. Ambros.*

C li, & causa posteritatis introierat ad ancillam, quia vxor eius sterilitatem suam obumbrare cupiens, autor eius facti fuerat viro: & tamen non otiosum est, quod post hoc Deus statuit, quia alia eius opera probaret, pro huius facti pœnitentia dixit illi: Ego sum Deus tuus, emerere in conspectu meo, & esto sine querela. hæc Ambros. Itaque iuxta hanc interpretationem Dominus erratum Abrahæ condonans, illiúsque pœnitentiam acceptans, hominem deinde ad virtutis opera excitat, vt acquirendis animæ lucris ardentius insidet; ac si nihil hactenus cœlestium opum comparasset. Quasi adhuc (adiungit S. Ambros.) plene non emeruisset, qui desperaret sterilis partum vxoris, & de ancilla posteritatem quæreret. hæc ille. Quis ergo, vel ætati exactæ in studio virtutis, & in obse-

D. Ambros.
Abraham senex militiam Dei aggreditur.

D quio Dei, vel grandibus meritorum thesauris, quos acquisiisset, & in cælo apud Dominum fidelem custodem, & redditorem reposuisset, confidat, & glorietur cum tantus vir post exactam in Dei militia vitam præclaris virtutum maximarum donis opulentus, adhuc tamen incipiat emereri stipendia, & militis nomen, ac munus gestare? Ipse qui raptus in cælum fuerat, cuius cor orbe latius amplissimos meritorum cumulos aggregarat, priora quidem retrò obliuiscens, ad ea, quæ ante erant, se extendebat. Ad Philip. 3. quasi dicat (vt explicat S. Hieron.) hoc solum scio, quia quoridie proficio, & præteritum laborem non computans ad priora festino. hæc ille. Et nihilominus quiescet piger de præteritæ vitæ lucellis inaniter sibi blandiens, & de vlteriore cursu, & profectu non curabit? Ac Moysi quidem (vt scribit S. Gregor. Nyssen *de vita Moys.*) ad anteriora pergendi semper ingens desiderium est; nec vllo huius cursus labore defatigatur, nec terminum assequendi huius boni constituit, sed semper inhiat ad maiora. sic Gregor. Cæterùm hoccetam feruidum, & infatigabile virtutis studium, non nisi coniunctum esse solet cum vera sapientia. Quis enim, si sapiat, non excitabitur ad comparanda, dum viuit, meritorum lucra, quibus ea gloria in cælis emitur, quæ sensibus, & cordi humano incompre

In dies proficiendum in virtutibus.
ad Philip. 3.
D. Hieron.
E
S. Greg. Nys.
Profectus ardor in Moyse.

S.Ambros.
Sapiens iugiter studet cælestibus.

comprehensibilis iudicatur? Oportet igitur (inquit S.Ambros. *ad hunc locum Genes lib.de Abrah. a cap.10.*) viri sapientis animam die, noctúque in exercitio iugi specula prætendere nunquam somno indulgentem, perpetuis vigiliis intentam Deo, ad comprehensionem rerum earum, quæ sunt, & singularum causarum cognitionem. sed etiam futurorum interpres sapientia est, scit præterita, & de futuris æstimat. hæc Ambros. O quàm sapiens est, qui ad futura intendit animum, vitámque suam ita componit, vt futura mala euadat, bona consequatur! Est & ille sensus literalis, quem subtiliter ita Caiet. colligit: *Ambula ante me*, id est, antecede me venturum in carne, antequam (inquam) circuncisus discretus ab aliis: sequar enim te circuncisum, sumendo ex tuo semine circunciso carnem: & sis perfectus in termino ambulationis ante me; & hæc sit perfectio tua, sis tunc perfectus; in aduentu siquidem Messiæ implentur omnia tam Patriarcharum, quàm Prophetarum desideria. hæc ille. Erat quidem Dominus legem circuncisionis, qua difficilior nulla fuit, iniuncturus Abrahæ; atque, vt tam arduum præceptum ille facili posset negotio adimplere, exemplo aliquo præeunte opus esse videbatur. Poterat igitur Patriarcha occurrere cum tale mandatum acciperet. O Domine iubes circuncisionem, cultrum indicis, & sanguinem; nec tamen expertus es, quid humanæ carnis fragilitas sentiat, & doleat. Sequerer ergo alacriùs, si tu homo factus præires. Mirandum enim in modum præeuntis exemplum (quo nihil efficacius) excitat secututos. Huic tacitæ obiectioni Dominus satisfacit, dicens: *Ambula coram me.* Necesse omninò est, ô Abraham, vt præcedas, antè circuncidaris; nondum venit plenitudo temporis, vt mittar à Patre; & natus homo de Virgine circuncidar: alioqui ego præirem, tu sequereris. Dux esto nunc, & reliquis, & mihi ad circuncisionem, nec infructuosus tibi labor erit. Nam *& esto perfectus*, hoc est, omnem tibi, tum corporis, tum animæ bonorum consummationem in præmium huius tanti facinoris polliceor. Nouit quidem Dominus quantam vim habeat ad permouendos animos subditorum egregia domini, & rectoris virtus, viam ad præclara opera muniens. quod ita Greg. *ad Anthem. cap.24.* eleganter explicat. Illa vox libentiùs auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat: quia quod loquendo præcipit, ostendendo adiuuat, vt fiat. vnde Propheta. *Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas Sion.* Isaiæ 40. Hinc & Aaron in esu quoque pectusculū cum armo tribuebatur (Exod. 29.) vt quod de sacrificio præciperetur sumere, de semetipso disceret Cōditori immolare: pectusculum Deo, sed armum operis mundo, &c. hæc ille. Spectat maximè ad prædicatorem, qui euangelizat, & ad Prælatum qui regit, hoc munus, onúsque, vt per opera sublimium virtutum ille ascendat, iste bonis operibus exhibendis adhibeat studium, humerósque supponat, ad exemplum auditoribus, & subditis.

Caietan.
Reuelatur Abraha incarnatio Verbi.
Dominus exemplo suo circuncisionem indicat.
Efficax exemplum in rectore.
D. Gregor.
Exemplum cum doctrina & regimine.
Isaiæ 40.
Exod. 29.

5. *Et esto perfectus*, siue vt alij transferunt, *inculpabilis, irreprehēsibilis, sine querela.* Probatæ, quippe ac perfectę virtutis ille videbitur, quem in omnibus vitæ suæ actionibus modestum, & rectum, nemo iure reprehendat; iure inquam, quia maledicis, inuidis, obtrectatoribus, atque impiis nihil est tam sanctum, & diuinum, quod non displiceat, ac risui habeatur, *Posuerunt in cælum os suum, & lingua eorum transiuit in terra.* Psal.72. Nimirùm (vt exponit Caiet.) nemini parcunt, omnibus obloquuntur, detrahendo discurrunt per omnes: &

Nulli parcit lingua impy.
Psalm. 72.
Caietan.

A sic lingua eorum ambulat in terra. sic ille. Itaque impij, vt malum omne amplectuntur, ita omne bonum respuunt, & aspernantur; at vir perfectus, vt egregie scribit S. Hildeb. *Epist.76.* nihil habet odio, quod amare sit melius: nihil amat, quod pudeat confiteri. hæc ille. Ac perfectio quidem huiusmodi, quæ in vita inculpabili consistit, non ab humano oculo, qui parum videt, nec ab humano iudicio, quod decipi solet; sed à diuino oculo & iudicio æstimāda est. Nam placere, probatum esse, irreprehensibilem, inculpabilem, & sine querela, est, vt exponit S. Chrys. *homil.23. in Genes.* diuino calculo, suffragio, & testimonio commendari; & placere oculo diuino, qui omnia videt, nec falli
B potest. sic S.Chrys. At homo quidem, & intuetur, & laudat exteriora opera; quod interiùs latet, solis Dei oculis patescit. Rectè in hanc sententiam ita disserit S.Petr.Damian. *Apolog. de cont. secu. c.22.* Non hostiarum pelles in sacrificio Deus sibi mandat offerri, sed interiora potiùs viscerum, cum ipsis quoque medullis præcipit exhiberi. Subtracta pelle (inquit) hostiæ artus in frusta concidant. Pellem namque hostiæ subtrahimus, cum à mentis nostræ oculis superficiem virtutis amouemus: cuius artus in frusta concidimus, cum contendimus, vt quæ foris syncera videntur, & solida, intus non habeantur latebrosæ vanitatis vitio cauernosa. Vnde dicitur: *Holocausta medullata offeram tibi, &c.* Psal.65. hæc Damian. Quod interna,
C vera, & solida intelligat Psaltes, ita explicat S. Hieron. Offeram fidem animæ, vel corporis affectum, vel Corpus Christi; ossa inferiora carni, & medulla inferior ossibus. *Medullata*, hoc est viscerata, cum corpore & anima. hæc ille. En quam pulchrum, pingue, gratúmque sacrificium ac munus offert Deo regius Vates! At ille rusticus, atque impudens, qui peccato, ac diabolo medullam offert, Deo autem ossa, & pellem! Itáne verò vt Deo externa signa pietatis, Crucem in fronte, Christum in lingua offeras: at animam, cordis affectum, desideria, curam, & studium diabolo ad
D peccandum sacrifices? legit S.Chrys. *Ego sum Deus tuus, esto probatus coram me, & esto irreprehensibilis, &c.* Deinde multa egregiè dicit expendens illud, *Deus tuus.* Vide (inquit) miram bonitatem quomodo amorem suum erga iustum declarauit. Nam qui totius mundi est Deus, & opifex, dicit: *Ego sum Deus tuus*: ingens profectò honor, qui iusto tribuitur. Sic & Prophetæ dicere consueuerunt *Deus Deus meus*; non concludentes eius dominium, sed amorem immensum declarantes. hæc Chrys. Cæterùm, nec in fonte, nec in vulgata versione est *tuus*, Hebr. enim *ani el xaddai*, Ego fortis omnipotens. Illud magis appositè ab eodem traditur, verba scilicet illa, *esto perfectus*, aut *irreprehensibilis*, referri ad promissionem fœderis, & multo-
E rum deinde bonorum, quæ statim subditur. *Ponam fœdus meum, &c.*

In quo vir perfectus ostenditur.
S.Hildeb.
D.Chrysost.
Perfectus quem, Deus commendat.
S.Petr.Dam.
Gratus Deo, quod est interius animæ.
Psalm. 65.
D. Hieron.
Medullata sacrificia Deus exigit.
Rusticus externa Deo tantùm offert.
S. Chrysost.
Immensus Dei amor erga iustos.

6. Excepit Abraham Dei tam magnificam promissionem, animo, & corpore ad summam humilitatem composito: sequitur enim. *Cecidit Abram pronus in faciem.* scilicet adorans, & gratias agens. vbi sic D.Chrys. At gratus, & religiosus famulus, videns tantam Dei erga se misericordiam, & obsequium, atque curam, obstupefactus, animóque versans, & naturam suam, & bonitatem, immensámque misericordiam Dei, cecidit in faciem suam; qua figura suam indicauit gratitudinem. Non solùm enim tunc non fuit factus arrogantior propter fauorem Dei, sed & multò magis se humiliauit. Ita gratæ animæ quantò maiori fruuntur fiducia, tantò maiorem Deo reuerentiam

Humilitas, & gratitudo Abrahæ.
S. Chrysost.

exhibent. Hactenus Chryſ. Cæterùm vti nulla in A creaturis à Deo ſublimioribus cumulata & exaltata eſt muneribus, & honoribus, quàm beatiſſimâ Virgo Maria; ſic illa omnes Angelos, & homines, & gratitudine ergà Deum, & humiliatione ſui incomparabili ſuperauit. Vtrumque mirabatur Angeli, cum aiebant; *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus?* Cant. 3. Per virgulam intelligitur humilitas; cum enim tam magna eſſet Mater Dei, tantùm ſe in oculis ſuis, & in externo habitu, atque actione humiliauit, vt in tenuiſſimam virgulam fumi, vaporem ſcilicet ſubtiliſſimum redacta videretur. Per virgulam fumi intelligitur pietas & charitas animæ gratæ, & ſtudioſæ, quæ tota in amorem Dei ſui tam benefici exæſtuat, & veluti conſumpta B ſuauiſſimum religionis odorem exhalat. Quæ quidem explicatio breui compendio ſic definitur à S. Hieron. *ſerm. 1. de Aſſumpt.* Benè quaſi virgula, quia diuinis extenuata diſciplinis, & concremata intus in holocauſtum incendio pij amoris. hæc ille. *Ingreſſus Angelus ſalutauit Virginem. Aue gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.* Virginalem illi conceptum, & partum Dei filij annunciat. Quid tam nouum, tam ſublime, támque omnem dignitatem ſupereminens, promitti, donaríque à Deo poterat? At Virgo non tantis exaltata honoribus eſt, quin tunc longè humilior, quàm anteà vnquam exiſtens ait: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Luc. 1. Pulchrè Abbas Guarr. *ſerm. 2. de Annunciat.* Dic tu ô C Virgo (inquit) beata tã humilis, quàm fidelis, dic: Dominus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico, retrorſum non abij: *Ecce ancilla Domini,* præſtò ſum eius voluntati; quinimò iuuabo votis, ſi poſſum. *Fiat mihi ſecundum verbum tuum.* hæc ille. Quid maius, quid excellentius de humilitate Virginis prædicari poteſt, quàm quòd ad illam Virgo beatiſſima Deum in vtero ſuo conceperit? ſic enim perfectè completa ſunt ea verba: *Dominus tecum*: conceptus videlicet in vtero Filius. De huiuſmodi verborum veneratione referam nobilem ac piam hiſtoriam. Serua quædam pia B. Virginis vehementer optabat ſcire, quodnam in ſalutatione Angelica verbum eidem Virgini gratius, ac dulcius eſſet. Apparens aliquando depre- D canti ſeruæ Regina mundi reſpondit, gratiſſima omnium, ac ſuauiſſima verba ſibi eſſe iſta, *Dominus tecum.* Commendauit inſuper inquiens, O chariſſima famula, mando tibi, vt quotieſcunque recitabis *Aue Maria*, cum perueneris ad illa verba, *Dominus tecum*, planè, & morosè ipſa verba proferas; & ibi cordis, & corporis genua, ac ceruicem flectere ſtudeas, ſciens, quod tantum gaudium meo cordi ſic facies pro tua deuotione accumulans per verba præmiſſa. quòd quaſi iteratò conciperem filium meum Ieſum. Refertur *in pomar. B. Virg. part. 4. art. 3. cap. 4. §.* miraculum.

Humilitas B. Mariæ incomparabilis. — Cant. 3. — *Gratitudo, & pietas B. Mariæ.* — D. Hieron. — Lucæ 1. — Guarr. — *Ad humilitatem B. Mariæ fit Incarnatio verbi.* — *Docet B. Maria ſeruam & piam fæminam.* — *Quæ ſanctiora verba in ſalutatione B. Mariæ.* — Pomær. p. 4.

SECTIO II.

Dixítque ei Deus: Ego ſum, & pactum meum tecum, eríſque pater multarum gentium. Nec vltrà vocabitur nomen tuũ Abram: ſed appellaberis Abraham: quia patrem multarum gentium conſtitui te. Faciámque te creſcere vehementiſſimè, & ponam te in gentibus, regéſque ex te egredientur. Et ſtatuam pactum meum inter me & te, & inter ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis, fœdere E *ſempiterno: vt ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te. Dabóque tibi & ſemini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in poſſeſſionem æternam, eróque Deus eorum. Dixit iterum Deus ad Abraham: Et tu ergo cuſtodies pactum meum, & ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis. Hoc eſt pactum meum quod obſeruabitis inter me & vos, & ſemen tuum poſt te: Circumcidetur ex vobis omne maſculinum: & circumcidetis carnem præputij veſtri, vt ſit in ſignum fœderis inter me & vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne maſculinum in generationibus veſtris, tam vernaculus, quàm emptitius circumcidetur, & quicumque non fuerit de ſtirpe veſtra: eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum. Maſculus, cuius præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo: quia pactum meum irritum fecit.*

1. MAgni Deus humilitatem facit; alta à longe, ſed humilia prope, ac beneuolè reſpicit; cum humilibus ſermocinatur, in humilibus habitat, humilibus ſua non ceſſat abundanter dona elargiri. quò enim in ſe ipſa quæque anima profundiùs humiliatur, eò capacior efficitur ad C recipiendam diuinorum munerum affluentiam. Cecidit (inquit S. Chryſ.) in faciem ſuam, & quia poſt tantam fiduciam iuſtus ſeipſum, & naturæ ſuæ imbecillitatem conſiderans, neque oculos attollere auſus fuit, ſed in faciem ſuam pronus multam declarauit reuerentiam, vide iterum boni Dei ineffabilem liberalitatem. ita Chryſoſt. Quod etiam Procop. his verbis ſubnotauit. *Ponam*, ait Dominus, *pactum meum, &c.* Quod quidem continuò facit, quaſi plurimum amaret Abrahamum, quòd venerabundus in terram procidiſſet: ſeu eo opere gratiam diuinam ſibi conciliaſſet, & eſſet irreprehenſibilis. ſic ille. Tam miræ humilitatis oſtenſionem Dominus in Abrahamo expectauit, vt humilem ſtatim ampliſſimis donis coronaret. D Non enim Deus, aut illius dona requieſcunt, niſi ſuper humilem, quod euidentius oſtenditur in myſterio Incarnationis: hæc enim effecta non eſt niſi vbi ſumma humilitas apparuit in Virgine, cũ ſummiſſo vultu, & brachiis ad pectus virgineum compoſitis venerabunda ait: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Luc. 1. Simul atq; tam admirabilis actus humilitatis eſt editus, Deus ipſe tamen ſibi de Virginis vtero induit. Mira eſt inter Deum & humilitatem connexio; contra verò ſuperbia (vt optimè diſſerit S. Hildeb. *Epiſt. 36.*) fieri non poteſt, vt cum Deo in gratiam reuertatur. Diuerſum eſt vtrique hoſpitium; nec in eo- E dem habitant animo, quibus cohabitare non licuit in cælo. ſic ille. Cum quo igitur habitare poteſt amicè, & pacificè ſuperbus in terra, quando neque in cælo cum Deo, qui eſt ipſamet pax, concordia, & amor, ſuperbus Angelus ſtare potuerit? communis eſt hoſtis rerum omnium ſuperbia. Cæterùm humilitatis ipſe Deus homo doctor eſſe voluit hominibus, qui eam doceret, & exemplar quod illi imitarentur. *Diſcite* (inquit Matth. 11.) *à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Ad quæ verba ſic eleganter D. Aug. *lib. de virginit. cap. 35.* eloquitur. Noluit docere, quod ipſe non eſſet, noluit iubere, quod ipſe non faceret. Quid, vt diſcamus à te, venimus ad te; *quia mitis ſum, & humilis corde.*

Grata Deo humilitas. — D. Chryſoſt. — *Reuerentia erga Deum.* — Procopius. — *Humilis à Deo beneficijs cumulatur.* — *Incarnatio Verbi facta in actu humilitatis.* — Lucæ 1. — S. Hildebert. — *Superbia Dei, & rerum omnium hoſtis.* — *Chriſtus humilitatis doctor & exemplar.* — Matth. 11. — D. Auguſt.

Huccine

Huccine redacti sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi in te, vt hoc pro magno discamus a te, quoniam mitis es, & humilis corde? Ità(?) magnum est esse paruum, vt nisi a te qui tam magnus es, fieret, dici omnino non posset? Ita piane hæc August. Expende quam sit magnum fieri paruum; quanta sit in humilitate sublimitas. Nullum habet humilitas improperium, sed huius tantum inanem vmbram in illa superborum cæci oculi contuentur. Tempus enim erit, cum apertis oculis, serò tamen, miseri videbunt, quod illos tandem dicturos legimus. *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij.* Sapient. 5. En veritatis plana confessio in opprobris, nimirum humilitatem, contumelias, & opprobria iustorum in hac vita non verum esse improperium, sed tantum improperij similitudinem: at è contrario verum esse honorem, verámque & summam laudem, & gloriam humilitatis. Quatuor enim gloriosissima Deus nunc promittit Abrahæ, vt illius humilitatem, quam prona in terram facie demonstrauit, debitis honorum titulis illustraret. Sed hæc præstat audire ex Procopio, qui subtilissimè hunc locum explicauit. Primò igitur ait Dominus: *Pactum meum, &c.* Iam enim placebat (inquit Procop.) Deo, vt bonus, & inculpatæ vitæ filius; nunc igitur quasi hæredem compellans ait. *Ponam pactum meum, &c.* sic ille. Humilitas ergo inculpatæ vitæ filiũ & hæredem Dei reddit hominem. Secundò pollicetur Dominus. *Eris pater multarum gentium.* Cum prolapso (inquit Procop.) humi, quasi cum amanti filio fœdus pangit, dicens ipsum patrem fore gentium in spiritu Deum colentium, quas nunquam à se, à cura, & prouidentia segregauerit: etiã quoad carnem multarum gentium pater fuit. sic ille. Reddit humilitas hominem Deo charum, ac dignum efficit, qui pater sit, & multarum, & sanctarum gentium. O admirabilem fœcunditatem humilitatis! ô diuitias humilitatis, cui hæreditas ipse Deus est! Tertiò, nomen Abram in melius, & excellentius commutat: *Non vltra vocabitur, &c.* Nomen quoque (addit Procop.) proficienti mutatur: quod quidem non temere fit, sed vt sit indicium ad meliora progressus, quem ipse cœperat confirmando eius incrementa virtutis. Non autem immeritò ad tanta incrementa virtutis promouetur. Nam fundamenta iacienti virtutis Deus cætera adiungit, opúsque mirabili augmento ad finem perducit. sic ille. Miros in virtute facit progressus, qui humilitatem exercet: est enim humilitas fundamentum, quo posito statim Deus mirabile in anima opus molitur vsque ad perfectionis fastigium. Quartò, ait Dominus. *Ego Deus tuus.* Deinde, *vt sim Deus tuus & seminis tui.* Magna vi amoris (concludit Procop.) dicit hæc Dominus: Omnium quidem Deus est, quatenus omnium Creator est: præcipuè tamen piorum Deus est, & eorum amplectitur cultum. Quod verò Deus se nobis adeo humiliter & benignè attemperat, & accõmodat, nulla alia causa est, quam incarnatio Christi, per quem Deus instituit humanum restaurare genus. hæc ille. Denique humilitas peculiare ius habet in Deum, qui maximè piorum humi iacentium, atque humilium Deus est. Ipsius etiam futura incarnatio iusto Abrahæ post illam egregiam humilitatem promittitur, nec enim Deus in carne humilis, nisi de humili erat nasciturus. Hanc porrò humilitatem, quam postea Verbum caro factum habitans in nobis, & semper obseruauit & docuit, vt iam tunc quodammodo præferret, posita maiestate cum hominibus,

Sublimitas in humilitate. — *Sapient. 5.* — *Vmbra dedecoris in humilitate.* — *Procopius.* — *Humilis Dei hæres, & filius.* — *Procopius.* — *Procopius.* — *Proficit Abraham in virtutibus.* — *Humilis proficit in virtutibus.* — *Procopius.* — *Amor Dei per incarnationem Verbi.* — *Humilitas habet ius in Deum.* — *Verbi humilitas ante incarnationem.*

iisque humilibus benignè, atq; humiliter agebat.

2. *Ego sum.*] Hebr. הנה אני *ani hinneo*, Ego ecce. quia verò particula (*Ecce*) quodammodo demonstratiua est rei præsentis, apposite noster interpres per illam agnouit indicari Dei præsentiam incommutabilem, atque æternitatis semper vnum atque idem esse, quod per verbum præsentis temporis (*Sum*) significari appritme consueuit. *Ego sum*, ait Dominus, solus enim vult haberi, credi, coli, & amari Deus; vt qui solus verè, & propriè, sit, à seipso habens, proprium, & non aliunde communicatum esse, nec etiam labile, & commutabile. Fons est essendi, vt philosophicè loquamur, & fons quidem perennis, atque sempiternus. Sed cum talis, ac tantus sis, ô Domine, quid tibi cum homine fragili, caduco, ac prorsus nihili, vt cum eo pactum constituas; illius obsequium, & amorem expostules? Planè Dei bonitas, non indigentia hic cernitur; vti perdocte ac pie S. Hilar. *in Psalm.* 2 ita philosophatur. Hominem, non quòd officio eius in aliquo eguerit, instituit, sed qui bonus est, participem beatitudinis suæ condidit, & rationale animal in vsum largiendæ suæ æternitatis, vita, sensúque perfecit. Nullum à nobis nisi innocentiæ, & religionis, & fidei obsequium Deus postulat. Amari se à nobis exigit non vtique amoris in se nostri fructum aliquem sui causa ipse percipiens, sed amore ipso nobis potiùs, qui eum amabimus, profuturo. hæc ille. Tantus quippe Deus est, vt creaturis, quas ipse condidit, non egeat; nec enim illi totus mundus ad beatitudinem quicquam confert. Quicquid autem homini iubet, præstat, ab eo exigit, in bonum ipsius hominis cedat necesse est, non in augmentum vllius boni in Deo. Nam amari se (apponit S. Hilar.) sibique nos obsequi, iccircò à nobis expetit, vt digni beatitudinis suæ, ac bonitatis munere, per meritum amoris sui, & obsequij iudicemur. Bonitatis autem vsus, vt splendor solis, vt lumen ignis, vt odor succi; non præbenti proficit, sed vtenti. Quod ergo sumus, profectus noster est potiùs, quàm eius, qui nos in id, quod sumus, instituit; quia Deus bonorum eorum, quæ in se sunt æterna, non inuidens, in sensum nos, atque vsum beatæ suæ bonitatis assumit. hæc Hilar. Ac nihilominus tamen adeo abiecti sumus, sensúque hebetes, vt à Deo conditi ad æternæ beatitudinis participationem in sordibus, ac stercore turpissimarum rerum in hac vita defixi adhæreamus, immemores cœli atque Dei. Felix ille, qui labi, & fluere cum amore labentium, ac fluentium rerum nolens, ad æterni boni studium, & amorem totus intenditur, atque omnia mundi bona pro vno sempiterno libens commutat. Hic enim (vt loquitur Guarricus Abbas *serm.* 1.) pleniore fiducia, quia tutiore conscientia Dominum expectare potest, cui dicere datum est: Substantia possessiunculæ meæ, ô Domine apud te est, quia omnia mea ad pedes tuos deposui. sic ille. Tales sunt, qui valete iubent res humanas, abiecti esse cupiunt in domo Domini magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum, in labore, & ærumna, & carnis afflictatione vitam vtcunque trahentes, sola de spe viuunt æternorum bonorum. Felix anima (addit Guarric.) quæ remunerationis expectatione suspensa à terrenis tam feliciter, quàm ardenter inhiat æternis. At (dices) *spes quæ differtur, affligit animam.* Prouerb. 13. Sed licet lassa sit ex desiderij dilatione, secura tamen est ex promissione. ita Guarric. Hæc vna & sacra anchora nauem suam in salo huius mundi, ne fluctuet, ne concussetur, religiosus vir tenet constrictam & securam. Aliter

Æternitas & essentia Dei. — *Deus bonitate non egestate agit cum homine.* — *S. Hilarius.* — *Nostra virtus non vsui Deo prodest.* — *D. Hilarius.* — *Deus nobis non eget, nobis sua confert.* — *Pro æternis terrena despiciantur.* — *Guarric.* — *Religiosorum fiducia & conscientia plenior.* — *Guarric.* — *Prouerb. 13.* — *Spes religiosi anchora.*

qui posset homo, carnem gestans, & vanitati subiectus mundum ipsum totum, cum voluptatibus, & vanitatibus suis proculcare, nisi bonorum æternorum spe, ac fiducia excitaretur? Candidatus est æternitatis vir religiosus.

Religiosus eals candidatus.

3. *Eris pater multarum gentium.*] Hebr. היית לאב המון גוים *haitha leab hamon goim.* eris in patrem multitudinis gentium, Iudæorum scilicet natura, gentilium autem fide, & horum præcipuè. Nam hic locus maximè respicit ad semen Abrahę cœleste, nempe Christum, & ex eo, ac per eum fideles omnes, qui in cælo Ecclesiæ instar stellarum irradiabunt; quod supra cap. 15. explicatum est. Arguit hoc testimonium vehementer imperitiam iuxtà, atque impietatem Iudæorum; quo demonstratur Abraham fore patrem gentilium fide ac pietate Deum Abrahæ colentium: Etenim ipsimet Hebræi *goim* nominant omnes præter se, vt egregie animaduertit Lyppomanus. Hæc autem paternitas multitudinis gentium (vt subtiliter adnotauit Caietan.) ex dono Dei est, non ex natura, vnde dicit: Dedi te patrem multitudinis gentium: vt sciatur, quòd non ex natura erit in patrem, sed ex Dei dono datus est pater, &c. sic ille. Hæc promissio, & illius adimpletio significatur in mutatione nominis. Sequitur enim. *Non vltrà vocabitur nomen tuum Abram.* Itaque *Abram* compositum nomen est ex אב *ab*, qui & pater, & רם *Ram*, quod est excelsum; vnde Abram, pater excelsus. Additur autem his duobus *Ab, Ram*, aliud nomen המון *Hamon*, quod est multitudo, fitque *Ab Ram hamon*, pater excelsæ multitudinis, seu excelsarum multitudinum, seu pater excelsus multitudinis.

Iudæorum impia imperitia.

Lyppom.

Caietan.

Verùm, vt compositio totius nominis mollior esset, ac suauior, sine vlla cacophonia, ex nomine *hamon* tollitur vltima syllaba *mon*, & similiter expungitur *m* finale nominis Abram vt reponatur *Ham* ex nomine *Amon*, ne insuauiter diceretur *Abramham.* Denique in nomine nouo Abrahã, & multitudo inseritur, & vna ex duabus præcipuis literis sacrosancti nominis יהוה *Iehouah*: similiter vna litera ex eodem nomine ineffabili pro alia, quæ detrahitur שרה *Sarah*, adiungitur nomini שרי *Sarai*, & fit *Sarah.* quod quidem indicat maximam quandam prærogatiuam vtrique datam generandi Deum aliquando de semine suo nasciturum, Christum scilicet de Virgine Maria Dei Genitrice beatissima, quæ vera fuit filia Abrahæ & Saræ. Itaque illud, ה *He*, quod ex nomine Dei communicatur Abrahamo, & Saræ, satis est indicio eum, cui nomen יהוה *Iehouah* cum Patre commune est, ex Abrahamo quidem, sed non nisi ex Sara promitti oriundum. Pater igitur est Abraham excelsorum multorum, Christi nimirum, Virginis Deiparæ, Patriarcharũ, Prophetarum, Apostolorum, atque adeò omnium fidelium, qui ex vtroque populo præsertim gentili sunt credituri in Christum; quod etiam illis verbis innuitur; *Faciam te crescere vehementissime*; seu vt alij legunt, *Multiplicabo te*, quæ multiplicatio non tã ad multitudinem populorum, quàm ad multiplicationem iustorum fidem, ac pietatem Abrahæ imitantium referri debet: quasi dicat. Efficiam, vt plurimi Abrahami, scilicet tibi similes vitæ sanctitate progenerentur, quod sanè miraculum est non vulgare. Plures enim hodie (scribit S. Hildebert. *Epistol.* 59.) iniquitatum hæredes quàm virtutum. sic ille. Tanti verò facit Deus Abrahamum, vt non eum modò semper ante oculos habeat, sed etiam illum multiplicet vt plures Abrahamos (quasi non vnius speciei contentus) in omni ætate viuere, ac florere apud se velit. Hunc tam subtilem ex his Domini verbis sensum ita colligit Procop. Multiplicans multos facit homines, quod minimè mirandum est. Nam & aliæ gentes præter Iudæos extiterunt populosæ. Verùm Abrahamus sic multiplicatur, quasi plurimi futuri sint Abrahami. Nam ex eo prodituri sunt sancti liberi, qui imitabuntur fidem & opera patris. Quia verò ipsum multiplicandum prædixit ad maximam claritatem eum prouehit. hæc Procop. Rectè Gloss. interlin. circa nominum immutationem obseruat. mutato affectu, mutatur nomen, &c. Videtur enim credere cum Abraham in virtutis perfectione summum habuerit augmentum, vt ex hoc capite iam ostendimus, dignum fuisse cui nouum nomen, gloriosiórque titulus ex ipso Dei nomine libatus accresceret: soli enim virtuti honor debetur, & nominis fama gloriosa. Sed quid est, quod Abrahæ, Saræ, Iacob, Petro filiis Zebedæi, ac Paulo nomina fuerint diuinitus immutata? Profectò cum eos omnes nobili aliquo, & inusitato beneficio affecerit, & ad præclarum aliquod munus euexerit; iccirco, & nouis deinceps voluit nominibus appellari, vt quotiescunque nouo ac diuinitus imposito vnusquisque nomine se viderit nuncupari: toties Dei beneficia recordetur & debitas illi gratias rependat, ac meminerit cum nomine pariter, vitam, moresque in melius mutare, maximè id commendatur rectori animarum, quales prædicti Apostoli fuerunt officio, Patriarchæ verò illi figura & typo. Enimuerò, vt luculentè S. Gregor. edisserit *ad Authem. subd. cap.* 24. omni cura vigilandum est, vt rector cogitatione sit mundus, operatione præcipuus, discretus in silentio, vtilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus. hæc Gregor. Hos igitur nouos induat mores, qui cum nomine simul nouum regendi munus suscipit. Ac de Abrahamo nuncupatim subnotauit S. Chrysost. In nomine (inquiens) per elementi additionem quasi in columna quadam indelebili promissionem ei inscripsit. sic ille. Vt nimirum innotescat hominibus cum viderint Abrahamum Iudæorum sanguine, Christianorum fide, Christi, & Virginis Deiparæ sanguine, fidéque parentem dignissimum existere, quàm sit verax, & fidelis Deus, qui suo seruo summa illa dona promisit, & ex integro largitus est.

Abraha. & Sara nomina componuntur à Deo.

Christus & Virgo ex Abraham oriundi.

Abraha filij qui sint.

S. Hildebert. Filij parentum vita exprimuntur.

Procopius. Deus multos facit Abrahamos.

Cum virtute accrescit titulus honoris.

Quorsum Deus nomina quibusdam indidit.

D. Gregor.

Qualis esse debet Prælatus?

D. Chrysost.

Fidelis Deus circa Abraham.

4. *Reges ex te egredientur, &c.*] Non satis Domino fuit, vt posteritatem Abrahæ numerosissimam promitteret, sed eam adiungit fore gloriosam, vt in qua plurimi sint Reges futuri, nimirum ex Israële, & Iuda. Vide quanti Deus faciat Reges, vt illorum progenitoribus tanquam præclarum beneficium concedat, Regum vt patres existant. Meminerint etiam Reges, non naturæ, sed Dei donum se haberi, quos ille ad pacem stabiliendam, & iustitiam administrandam inter homines sui quodammodo proreges, ac Deos terræ constituit. Sed verè tamen dicam, etsi beneficium Dei fuerit Abrahæ concessum, vt Reges haberet nepotes, ob illorum tamen impietatem cecidisse, vt hæc regum amplitudo, & multitudo tanto, támque sancto auo extiterit indecora; pauculi enim Reges pij, dignique tanto patre fuerunt: plures omni tyrannide, atque impietate infames extiterunt. Quare quod de Iob egregiè dictum est à S. August. de Abrahamo dici potiùs poterit: Filiorum numerositas, non vnde felicitas oriretur, extitit, sed vnde calamitas augeretur, *lib. de patient. cap.* 11. Felicissimus tamen regia illa prole Virgine

Reges à Deo donati, & æstimati.

Ex Abrahã plures reges mali quàm boni.

Iob calamitas in filijs.

S. August.

ne scilicet, cui dictum est: *Concipies & paries Altissimi Filium; dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Luc. 1. Quæ Regina vnquam floruit gloriosior, quàm quæ Deum hominem cæli ac terræ Dominum, & Regem Regum suo ex vtero immaculato peperit? At quomodo sedem Dauid accepit Dominus? Vt nimirum (declarat Beda) gentem, cui Dauid quondam, & filij eius temporalis regni gubernacula præbuerunt, ipse perpetuum vocaret ad regnum, quod eis paratum est ab origine mundi. sic ille. At quæ regia Christi potestas, & maiestas se prodidit, cum ille ab hostibus suis circumuentus & occisus fuerit? Profectò hæc fuit sedes, & potestas regia Dauid, potuisse quidem vindicari, sed noluisse. De Dauid enim dixit optimè S. August. *lib. de patien. cap. 2.* potestatem regiam magis ac magis adhibuit prohibendo, quàm exercendo vindictam. sic ille. At quis vnquam patientior, quàm Dominus IESVS? Regium ille amorem, & splendorem vt in patiendo pro subditis aduersa exhibuit, sic iisdem beneficia largiter condonando. Etenim (vt prudenter scribit S. Hildebert. *Epist. 3.*) regiam manum melius donandi splendor, quàm sceptrum illustrat. hæc ille. Vtique sedem Dauidicam regnaturus Dominus accepit magnificentiæ, patientiæ, mansuetudinis, & misericordiæ regnum; nec vllum aliud illo fingi potest gloriosius. Nam (vt tradit S. Hildeb. *Epistol. 23.*) misericordia speciosum est humanæ naturæ ornamentum, cuius expers male C degenerat, & hominem diffitetur. Vnde & nescire misereri cum feris est habere commercium. Totus hominem redole, asperitatem legis virtute mollire. sic ille. Et bene regnatricem Domini misericordiam in regno, sedéque Dauidis significari dicimus: vna enim illa Dominus velut armatus orbem subiugauit, ligno triumphans, non ferro; patiendo, non bellando, sanguinem fundens, non iacula distringens, aut fulmina mittens, mortalium corda molliuit, euicit, commutauit. Hanc misericordiam Dominus Iesus; non modò vti Deus est, & vti homo ex vnione hypostatica naturalem sibi, & congenitam habet: verum etiam natiuam à matre Virgine mansuetissima, & suauissima accepit. Quod ita prodidit D. Hier. *serm.* D *1. de Assumpt.* De Matre Virgine miserationem induens, & misericordiam, spontanea voluntate descendit. hæc ille. Pulchrè humanitas Christi vocatur ipsamet miseratio, & misericordia, quam sibi Dei Verbum ex mitissimis, ac dulcissimis Virginis matris visceribus purissime delibatam aduniuit. Deinde agit Dominus de pacto suo statuendo cum Abrahamo; & post illius obitum cum semine illius, vocat fœdus sempiternum, hoc est valde diuturnum cum semine carnali Abrahæ: sed plane in omnem æternitatem cum semine spirituali. Promittit terræ habitationem, de qua sæpius actum erat; atque adeò se Abrahami, & filiorum illius Deum futurum; hoc est (inquit S. Chrys.) multam se eorum curam habere ostendet, E & suum subsidium illis præstabit. ita Chrys. Vel sensu latiore: Pactum meum (ait Dominus) confirmabo tecum, & cum filiis tuis, vt nec tu, nec filij tui vllum alium præter me Deum adoretis: sed à me solo toti pendeatis, & ego vicissim vos quasi ex cunctis gentibus electum mihi peculium habeam: vt pupillam oculi amem, ac peculiari fauore, vmbráque protegam, & benedicam. Vide hîc Dei gratiam hominibus promissam, & magnificè concessam, sed expeti tamen bona illorum opera, sine quibus nec promissiones Dei, atque præsidia,

Luc. 1.
S. Maria vere Regina.
Christus in regia Dauid sede.
Beda.
Patientia Christi Regem indicat.
S. August.
Patientia regia Dauid.
S. Hildeb.
Regis manus donando splendet.
S. Hildeb.
Misericordia hominis ornamentum.
Non misereri ferarum est.
Christus de mundo triumphat.
Misericordia naturalis Christo.
D. Hieron.
Virginis mitis Filius misericors.
Humanitas Christi est ipsa misericordia.
Pactum Dei cum Abraham.
D. Chrysost.
Bona opera exiguntur.

A & beneficia; nec etiam tam mira benedictio in patrem Abrahamum, cuiúsque semen diuinitus effusa quicquam proderunt: sed cassa, & inania redderentur. Cæterùm, quàm sint necessaria propria cuiusque opera, ne desit gratiæ Dei, mirum in modum sese explicat in Ioanne Baptista. De illo enim ab Angelo prædictum legimus: *Hic erit magnus coram Domino, spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* Luc. 1. Hæc quidem omnia ex pura, solâque Dei gratia. Sequitur: *Vinum & siceram non bibet, &c.* quæ omnia pœnitentiam admirabilem; & propria virtutum maximarum opera significant. Sed cur Ioannes Spiritu sancto adhuc ex vtero matris repletus, abstinentiæ tam studiosam nauat operam, ac si vel peccatorum sordes elueret, vel saltem ne in eas laberetur, pertimesceret? B Respondet luculentissimè S. Euseb. Emiss. *homil. 2. de Ioanne Baptyst.* his omninò verbis: Abstinentiæ merita, ac virtutum, & iter arduum militiæ spiritualis humano generi insinuare curauit. Sciuit, quòd non sufficeret eligentis gratia: nisi euigilaret collaborantis industria. Sanctificatus est, & nondum tamen de sola Dei electione securus; sed nihilominùs agonibus ieiuniorum, & laboribus abstinentiæ, atque iustitiæ diuina in se vota seruare contendit. hæc Euseb. Quod si hæc in ligno viridi fiunt, in aridis quid fiet? si iustificatus pœnitentiæ opera tam studiose exercuit, nos omnibus inquinati vitiis, quid otio, & languori indulgentes pœnitentiam refugimus, & mortificationem Domi- C ni Iesu in corporibus nostris nolumus circumferre? Et non pudet hæreticos nostri temporis sacrilegum indicere bellum pœnitentiæ Christianæ, bonisque operibus, ac soli fidei mortuæ confidere? En sanctificatus in matris vtero Ioannes, vbi natus potuit membra explicare ad operandum, admiranda exercuit pœnitentiæ (vt ita loquar) prodigia; nec suæ sanctificationi confisus ab operando abstinuit: at isti tam imperiti, quàm impij, & imprudentes commeatum suæ nescio cuius fidei prætendunt: vt impunè deinceps in ganeis, in lustris, in volutabris, in omni peccandi licentia, & carnis fœditate suam faciant certam vocationem ac salutem. O impudentia! ô insania! ô sensus! ô dicta, ô vita belluarum?

D 5. *Circumcidetur ex vobis.*] Pactum inter Deum & Abraham est, vt ipse & semen eius illum haberent in Deum: Dominus autem daret illi, & semini eius terram promissionis in possessionem æternam. Hoc verò pactum in memoria hominum perdurare debuit, signoque aliquo externo prodi, per quod & homines recordarentur se fœdere cum Deo esse obligatos, atque ad illud rite obseruandum perenniter excitarentur. Distinguerentur etiam a cæteris gentium tali signo carentium populis: sciréntque se peculium, & hæreditatem esse Domini: ac denique illos huiusmodi nota insignitos Dominus vti suos agnosceret, tueretur, ac benedictionibus suæ gratiæ cumularet. Hoc igitur pacti signum fuit circuncisio: vt eam Paulus vocat ad Rom. 4. *signum accepit circuncisio-* E *nis, signaculum fidei, &c.* Et hîc similiter subdidit Dominus. *vt sit signum inter me & vos, &c.* Igitur circuncisionis lex à Deo hîc imposita, non Abraham modò: sed & filios, & posteros, ad quos scilicet promissa Dei pertinebant, & qui vnum in Dei populum congregandi & coaptandi erant, atque adeò seruos omnes Abrahæ obligabat. Erat enim veluti nota & signum demonstratiuum fidelitatis, ac pietatis illius populi erga Deum; sed consequenter etiam separatiuum à reliquis gentibus. Voluit enim (scribit Ioseph. *lib. 1. antiq.*) Deus cor-

Lucæ 1.
In Ioanne Baptista opera exiguntur.
Euseb. Emiss.
Hæreticorum bellum contra bona opera.
Hæretici sola fide mor[tua] freti liberè peccant.
Hæretici bellui[s] similes.
Circumcisio pactum [Dei] testatur.
Circumcisionis officia.
ad Rom. 4.
Quosnam obligat circumcisio.
Ioseph.

A poralı hac nota insigniri gentem nostram, quo scilicet manifesto secerneretur à cæteris gentibus, ne videlicet cum illis permixta, & confusa, flagitiosos eorum mores, fœda instituta, iniquas leges. impias superstitiones, praua æmulatione sequi vellet sic ille. Idem a Chrysostomo in hunc modum explicatur.

D. Chrysost.

Cum Deus sciret prauas Hebræorum mentes futuras, signum circuncisionis, quasi frænum quoddam eis imposuit. ne cum gentibus commiscerentur. Deditque eis terminos, & regulas, vltra quas transire eis non liceret; sed sua gente contenti essent, & ita Patriarchæ semen inconfusum, atque incontaminatum maneret, vt sic in eo Dei promissa compleri possent. hæc Chrys. *homil. 39. in Genes.*

Circuncisio frænum Hebræis.

B Adde, & veniens in mundum Messias redempturus humanum genus manifestò agnosceretur per illum populum ita segregatum à cæteris, de quo nasceretur, & per ipsammet circuncisionem, qua vt vnus ex illo populo foret notandus.

Circuncisio signum Messiæ.

Theod.

Similiter Theodoret. illam eandem rationem hoc modo exponit *q. 67.* Pietati conseruandæ, velut custodiam quandam præmolitus est Deus circuncisionem: ne possent Abrahæ impiis hominibus permixti macularent paternam nobilitatem; sed in signum circuncisionis intuentes, indelebilem eius memoriam, qui tale signum eis dederat, conseruarent. In deserto autem à cæteris gentibus segregati, superfluam circuncisionem existimarunt, &c. hæc Theodoret.

Circuncisio custodia Hebræorum.

C Instituta est etiam circuncisio in sacramentum omnium rituum legis Mosaicæ futuræ præstantissimum, quò abolebatur peccatum originale; & si qua essent cum eo coniuncta peccata actualia: donabatúrque ritè, ac digne circunciso gratia, qua iustus esset, Deóque gratus. At fœminæ alio remedio ab originali purgabantur, videlicet fide parentum, & oblatione hostiarum; quemadmodum ante circuncisionem viri mundabantur. vnde Actor. 15. legitur: *Fide purificans corda eorum.* Consule D. Thom. 3. *p. q. 70. art. 2. ad 4.*

Circuncisio sacramentum in lege Moysis.

Actor. 15.
D. Thom.

Nec non circuncisio sancita est ad refrænandam voluptatis libidinosæ intemperantiam, vt Philo. *lib. de circuncis.* ita disserit. Etenim eius membri circuncisio excisionem significat voluptatum quæ mentem fascinant. Et quia inter voluptatum illecebras

Philo.
Circuncisio voluptatum excisio.

D principatum tenent, quæ illam corporis partem titillãt, & afficiunt: iccircò legislator eam partem mutilari iussit, significando resecandas esse voluptates superfluas, non vnius tantùm huius generis, sed alias omnes per vnam hanc subindicando hæc ille. Multa hoc loco congerit Abul. quæ referri nõ est necesse; dicit tamen circuncisionem etiam institutam esse, vt per eam debilitaretur carnis concupiscentia, & retunderetur sensus voluptatis vigens, & flagrans in ea parte corporis. Præputiatis enim delectabiliorem esse venerem, quam circuncisis. hæc Abulensis opinio à nobili medico Ludouico Lobeira confirmatur.

Abul.

Quare optimè S. Ambros. De omni impuritate damnanda loquens: Nonne (inquit) euidenter circuncisio carnis præ-

S. Ambros.
Circuncisio minuitur sensus libidinis.

E ceptum est castimoniæ, vt aliquis resecet libidinem carnis, & indomitas luxu, ac lasciuia refrænet cupiditates? Etenim circuncisionis vocabulo id præscribitur, vt omnis impuritatis fœtor abstergatur, & incentiuum libidinis auferatur. sic Ambros. *lib. 1. de Abrah. cap. 4.* Debellata siquidem ac destructa metropoli vitiorum voluptate venerea, facilis, ac certa spectanir de reliquo vitiosæ cohortis apparam victoria.

Voluptas venerea metropolis vitiorũ.

Quæ sane extensior, ac verior circuncisio Christianorum propria est: videlicet, (vt docet S. Bern. *serm. 1. de circuncis.*) circuncidi, non vno membro, sed toto corpore simul.

Maior circuncisio Christianorum.
S. Bernard.

A Licèt enim magis in ea parte, in qua mandata est Iudæis circuncisio, regnet additamentum Leuiathan, quod a malo est, & amputari debet, vniuersam tamen occupat carnem, a planta pedis vsque ad verticem non est in nobis sanitas, nec est aliqua pars, quæ non tabida sit hoc veneno. hæc Bern.

Libido totum occupat hominem.

Tam latè igitur ac fusè peruadenti malo totum hominem occupanti, & perimenti adhibendum est medicameorum vniuersale mortificationis, quam in corpore nostro ex sententia Pauli circunferendam accepimus Christi fideles.

Mortificatio Christiana.

6. Igitur communis hæc est patrum, doctorum, & Catholicæ Ecclesiæ sententia, corporalem illam circuncisionem significatiuam esse perfectioris cuiusdam circuncisionis, quæ in lege gra-

Quid operatur circuncisio Christiana.

B tiæ a Christo Domino præscribitur, & à Paulo vocatur mortificatio Domini Iesu, quam nos circunferre iubemur, vt quicquid in nobis vitiosum erit, circuncidatur, & veterem hominem cum vitiis suis exuentes, nouúmque induti ambulemus in nouitate spiritus, renouetúrque nostrá senectus aquilarum more in virtutis iuuentutem. Quid enim aliud (scribit S. Aug. *16. de ciuit. cap. 16.*) circuncisio significat, quàm vetustate exuta naturam renouatam? Parentum mutantur & nomina, omnia resonant nouitatem, & in testamento veteri obumbratur nouum. Quid est enim quod dicitur testamentum vetus, nisi occultatio noui? Et quid est aliud quod dicitur nouum, nisi veteris reuelatio? hæc August.

D. August.
Renouatio Christiana.

C Igitur vt eleganter exponit S. Ambros. *lib. 1. de Abraham. cap. 4.* Circuncisio corporalis signum circuncisionis est spiritualis. Ergo signum mansit, donec veniret veritas. Aduenit Dominus Iesus, qui non partem exiguam corporis in signo, sed totum circuncidit hominem in veritate: signum destruxit, veritatem induxit, & ideò cessauit circuncisio partis, vbi refulsit circuncisio vniuersitatis. Scriptum est enim: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Hæc est perfectio circuncisionis. hæc Ambros.

S. Ambros.
Christus circuncisionem abolevit.

Sed quæri potest, cur hæc vera & perfecta hominis circuncisio, non statim Abrahæ, illiúsque filiis, ac populo deinde Israelitico commendata potiùs fuit, quàm illa partis vnius imperfecta circuncisio imperata? Et quidem

D in causa fuit inæqualitas temporum, ac disparitas populorum: circuncisio enim ab inualido, & quasi tyrone tantùm exigitur: at integra mortificatio validiorum militum opus & labor est.

Circuncisio tyronum est.

Quod S. idem Ambros. vltrà ostendit his verbis: Cum populus ille partem non potuerit sustinere, quomodo perfectionem seruare potuisset? vt si puerulum litteris imbuas à singulis litterarum elementis inchoandum est tibi, vt à singulis apicibus ad syllabas, à syllabis cum per ordinem ad nomina orationémq; deducas. Nec potest mare quisquam nauigare intrepidus, nisi qui ante in fluminibus nauigauerit. Denique si quis aut conficiendi itineris aut leuandi oneris puero velit, prouectiorique mandare, numquid æquanda onera sunt, aut

S. Ambros.
Mortificatio perfectorum est.

E conferendus labor? hæc S. Ambros. Erat quidem illa priorum patrum ætas, velut infantia, seu pueritia mundi: at infantibus, & pueris leuia sunt onera imponenda: sed grauiora Christianæ genti portanda sunt, vbi iam ætas matura est virorum cum Christi gratia robustorum; hi sunt enim violenti qui rapiunt regnum cælorum, ad illud præsidio crucis subeuntes.

Hebræi pueri, Christiani viri.

Ita igitur (adiungit S. Ambros.) noueris his perfectionem circuncisionis esse seruatam, qui à Christo institutis validioribus idonei viderentur, vt & fideles probarentur, quorum multitudo innumera crucem suam tolleret,

S. Ambros.

leret, quæ pro Christo animam deuoueret, & increduli non possent resistere, qui in totius corporis immolatione quæri salutem putarent, qui exiguum circumcisionis suæ sanguinem salutarem arbitrarentur. sic Ambros. Porrò autem lex circumcisionis Abrahæ imposita obligabat omnes cuiusque ætatis homines, qui tunc aderant in ea familia; etsi grandævi essent, vt iam tunc erat Abrahamus; ac deinceps pueros omnes ab octauo die natiuitatis, de qua lege, vt omnem ætatem constringit, luculente admodum S. idem Ambros. philosophatur *lib. 2. de Abraham. cap. 11.* cuius hæc sunt verba. Egregiè infantiæ in primis vagitibus circumcidi mares lex iubet, etiam vernaculos: quia sicut ab infantia circumcisio, ita & morbus. Nullum tempus vacuum debet esse tutelæ, quia nullum est culpæ vacuum. Et infans reuocandus à peccato est, ne idololatriæ polluatur contagio, & ne adorare assuescat idolum, & exosculari simulachrum, parentis violare nidum, pietatem lædere. ita S. Ambr. Etiam puer circumcisus eo sui corporis signo cultum vnius Dei veri addiscebat, quo à nefandis gentium ritibus separari se videbat. Simul (addit Ambr.) ne quisquã insfetur. quod sibi iustus videatur, ætatis maturioris processu Abrahã circumcidi iubetur. Nec senex ergo proselytus, nec infans vernaculus excipitur; quia omnis ætas peccato obnoxia; & ideò omnis ætas sacramento idonea. hæc omnia S Ambros. Nullus quidem in obsequio Dei, vel per ætatem, vel per meritorum excellentiam exemptus viuit, atque immunis: quandio enim peccare potest, tandiu timere debet, tandiu colluctari aduersus carnis desideria, quæ militant aduersus animam, cuius salus in illorum compressione, victoriáque consistit. Ac de paruulis quidem circumcisionis legi diuinitus addictis eleganter disserens S. Cyprian. *serm. de circumcis.* ita loquitur. Tenera infantia hujusmodi erat imbuenda doctrina; & ante concupiscibiles motus, quos peccatum meruerat, miserabili pœnæ, & ineuitabili vindictæ, etiam in paruulis adhibenda erat seueritas: & antequam ebulliret sartago libidinum, prouisum est ventilabrum, quo refrigerari posset, & extingui depopulatricis flammæ vagus ardor, & vniuersa perlustrans incendium. hæc Cyprian. Erat quidem sanguine sanguis, dolore dolor detarentia voluptatis, & illo veluti sale pruritus æstuantis in carne libidinis comprimendus. Vnus tantùm dolor de voluptate, amoréque impuro triumphat. adiungit denique. Ideoque dolor voluptati, & sanguini delectationis sanguis tormenti opponebatur; vt in primis elementis discerent paruuli semper propriæ memores sectionis, contraria curare contrariis, & ad cohibendos refrænandósque turpitudinum appetitus, necessarium esse sale corrosiuo carnis perfricare pruritus, & semper recrudescentes desiccare putredines. Ita S. Cyprian. Quibus mirificè describitur naturæ humanæ morbus tam graui & acerbo medicamento curandus. Præstantiùs tamen, & efficaciùs successit in lege gratiæ, in qua per baptismum non quidem circumcidimur in vna parte corporis, sed toti consepelimur in mortem Christi Domini, & inde regenerati vetere homine extincto in nouum hominem resurgimus. Denique illa etiam ratio magnum habet momentum ad instituendam circumcisionem. Voluit enim Deus (addit S Cyprian.) vt paulatim assuescerent homines passioni, & morti necessariæ, voluntariæ mortis opponerent libamentum & pœnam in medelam, & supplicium in remedium commutarent. hæc Cyprian. Sed iam nunc abolita circumcisione maior sit ad mortem subeundam instructio postquam Christus Dominus est crucifixus? Qui (apponit S. Cyprian.) et io morte sua Patris voluntatem impleuit, nec iam truncationem præputij imperauit, sed circumcisionem cordis, & omnem tam membrorum, quàm affectionum petulantiam gladio spiritus resecari immutabili decreto mandauit. hæc ille. Vita igitur Christianorũ abscondita est cum Christo in Deo; mortui sunt enim, & cum Christo consepulti. In eadem omnino sententia præclarè scribit multa S. Ambros. suo digna ingenio, *Epist. 77.* vbi hoc inter alia. Quid absurdum, si propter pietatem aliquid doloris, vel laboris inferri videbatur, quò plus deuotio per hæc certamina probaretur? Pulchrum etiam, vt ab ipsis vitæ incunabulis insigne religionis adolesceret, & puderet vnumquemque ætatis prouectioris, vel labori, vel dolori cedere, quorum vtrumque tenera infantia vicisset. Sed iam leui circumcisionis dolore non opus est Christiano popolo, qui mortem Domini circumferens, per momenta singula fronti propriæ mortis contemptum inscribit. Vtpote qui sciat sine cruce Domini salutem se habere non posse. Quis enim acu vtatur ad præliandum, cùm telis instructus sit validioribus. hæc Ambros. Itaque ab his Christianæ vitæ primordiis addiscimus propter Deum, nec labori, nec dolori succumbere, sed crucem Domini portare, ac mortem crucis appetere, quin mori quotidiè propter Christum, qui suos ab infantia validissimis in baptismate armis ad certamen cum vitiis, cum morte ac doloribus, & opprobriis, cum inferno deinique toto subeundum muniuit. Hæc porrò lex circumcisionis obligabat Hebræos primùm; deinde seruos eorum tam vernos, quàm emptitios (de bello captis non agitur:) quòd si non circumciderentur, statuitur in illos pœna capitalis; nempe vt à iudice mortis pœna damnarentur ob præuaricationem fœderis, adulus statim, infantes, cum adoleuerint. Plura videas apud nostrum Pererium, qui per sex integras disputationes omnem de circumcisione tractationem disertissimè absoluit.

Christianorũ instituta validiora. — *S. Ambros.* — *Nulla ætas eximitur à circũcisione.* — *Puer ad pietatem informatur.* — *S. Ambros. Nemo se iustum præsumat.* — *Omnis ætas peccato obnoxia circumciditur.* — *Nemo in obsequio Dei exemptus & immunis.* — *S. Cyprian.* — *Medicina libidinis circũcisio.* — *S. Cyprian. Humanæ naturæ morbus liado.* — *Baptismus perfectior circumcisione.* — *S. Cyprian. Pat est instruad mortem.* — *S. Cyprian. Circumcisio perfecta in Christo.* — *S. Ambros. Pro pietate labor & dolor suscipiatur.* — *A pueritia assuescendum labori & dolori.* — *In baptismo armamur ad certandum.* — *Qui serui obligati ad circumcisionem.*

SECTIO III.

Dixit quoque Deus ad Abraham: Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram. Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium cui benedicturus sum, eritque in nationes, & reges populorum orientur ex eo. &c. Vsque ad finem.

1. Accedit iam Dominus ad manifestandum prolis beneficium ex prima, & chara vxore Abrahæ. Ac primò quidem nomen mulieris immutat, vt sciat qua deinceps nouitate morum debeat præcellere; quantique æstimare necesse sit virum suum, ex cuius coniunctione, ac merito, in tam nouos, ac mirabiles honorum titulos accrescat. Videte ô fœminæ, quæ sanctì matrimonij statum ambitis, quanto studio enitendum sit vobis, vt viris iustis & sanctis copulemini. proh quantum lucrum ex virtute, non autem ex forma, aut diuitiis, aut honore virorum comparabitis! Cæterùm in primis occurrit salebra, cui plerique adhærent. LXX. enim verterant *Sarra* per duplex *r*, quod Iosephus, Philo, & alij fecitarunt. Certè D. Ambros. *lib. 2. de Abraham. cap. 11.* ait, similiter additam nunc fuisse Saræ vnam literam *r*, scribique

Nomen Sarai mutatur. — *Felix, quæ nubit viro iusto.* — *D. Ambros.*

scribique per duplicem, *Sarra*; cuius literæ adiectionis mysterium deinde euoluit. Verùm subnotarunt docti viri hoc non esse genuinum Ambrosij; sed aliquem impostorem suas huic loco assuisse nugas. Idem enim *lib. 1. c. 4.* nihil de adiectione literæ *r* loquutus; videtur solum intelligere literam *h* quæ per *a* profertur, adiectam fuisse, cuius mysterium sic eruit. Sara quoque ante circuncisionem viri in vnius literæ adiectione non mediocri remuneratione benedicitur, vt principatum virtutis, & gratiæ haberet, de qua nationes, & reges gentium spondet futuros, vt in ipsa typus non synagogæ, sed Ecclesiæ constitueretur. hæc Ambros.

Sara typus Ecclesiæ.

D. Ambros.

Nihilominus cum S. Ambros. Hebrææ linguæ peritiam non habuerit, vt ex ipsius scriptis euidenter constat, ac LXX. versionem semper sequatur, forte, (quod & legimus apud Chrysost.) de duplicatione *r*, mutatum hoc nomen intellexit. Credendum igitur est nostræ versioni, atque ipsimet Hebræo fonti, in quibus nunquam duplicatur litera *r*, qua de re grauis est censura D. Hieronym. *in quæst. Hebr.* sic habet. Errant qui putant primum Sara per vnum *r* scriptum fuisse, & postea ei alterum *r* additum. Et quia *r* apud Græcos centenarius numerus est, multas super nomine eius ineptias suspicantur, cum vtique, vtcunque volunt ei vocabulum commutatum, non Græcam, sed Hebræam debeant dare rationem, cum ipsum nomen Hebraicum sit, nemo autem in altera lingua quempiam vocans, etymologiam vocabuli sumit ex altera. hæc ille.

D. Chrysost.

Sara nomen per simplex r, scribitur.

D. Hieron.

Etymologia nominis non ab aliena lingua sumitur.

Deinde mysterium omne antiqui & veteris nominum egregiè ita dispungit. Sarai igitur primum vocata est, per ש *scin.* ר *resc.* י *iod.* sublato ergo *iod*, id est, *i*, elemento addita est, ה *he* litera, quæ per *a* legitur, & vocata est שרה *Sara.* Causa autem ita nominis immutati, hæc est, quod antea dicebatur princeps mea, vnius tantùm domus mater familiâs, postea verò dicitur absolutè princeps, id est, ἄρχουσα. Sequitur enim: *Dabo tibi ex ea filium, & benedicam ei, & erit in gentes, & reges populorum erunt ex eo.* Signanterque non vt in Græco legimus: *Dixit Dominus ad Abraham: Sarai vxor tua non vocabitur nomen eius Sarai.* In Hebræo habetur: *Non vocabis nomen eius Sarai*, id est, non dices ei; Princeps mea es, omnium quippe gentium futura iam princeps est.

D. Hieron.

Errores circa nomen Sarai

Quidam pessime suspicantur antè eam *lepram* fuisse vocitatam, & postea *principem*, cum lepra צרעת *tsaraath* dicatur, quæ in nostra quidem lingua videtur aliquam habere similitudinem: in Hebræo autem penitus est diuersa. Scribitur enim per צ *tsade*, & ר *resc*, & ע *ghain*, & ת *thau*. quod multū à superioribus tribus literis, idest, ש *sin*, ר *resc*, & ה *he*, quibus Sara scribitur, discrepare manifestum est. Hæc omnia S. Hieron. qui omnes Ecclesiæ doctores ob insignem linguarum peritiam longe superat. Quare, quod aliquis interpretatur Sarai, principes mei, non consonat cum Hieronymi interpretatione, nec illa etiam, quam S. August. *16. de Ciuit. cap. 28.* refert ex aliis: *Sara*. hoc est *virtus* tantum habet authoritatis, vt anteponatur doctrinæ S. Hieronymi. שר *Sar* enim Hebr. *princeps*, Sarai, *princeps mei*, siue *mea*. Sara principissa, vt vulgò loquuntur; nomen scilicet generale, quòd ipsa mater constitueretur & princeps multitudinis gentium. Quasi dicat Dominus Abrahæ Eandem literam ה diuinam vxoris tuæ nomini inserendam volo, sicut & tuo: de illa quippe redemptor Messias generabitur sicut & de te. Tu hactenus Sarai nominasti dominam tuam: posthac Sara generalis fidelium mater nominabitur, & habebitur. Itaque Sarai *princeps mea*, vel *domina*

Mysterium nominis Sara.

E

A

mea dicebatur, aut quia princeps, ac domina erat in familia, cuius Rex & caput erat Abraham; aut quia sic Hebræis, vti Latinis, & Græcis mos erat, vt vxor virum dominum: & vir vxorem dominam vocarent; quod etiam hodie in bene constitutis illustrium virorum familiis obseruari videmus.

2. Felix prole sua extitit Sara, quippe vnius filij partu, in tam miram sublimitatem euecta est, vt quæ antea in vna tantum familia vocaretur domina, deinde ob vnicum filium a se natum sine vllo aut locorum aut gentium termino principatum assequeretur: quem tamen haud vnquam filius, aut mater gesserunt. Profectò hunc tam præclarum honorem Saræ obuenisse credimus ex eo, quòd peperit filium Isaac. de cuius tandem semine nasciturus erat Deus homo primogenitus omnis creaturæ, Rex Regum, & Dominus dominantium.

Sara per filium honorata.

B

Quòd si tam longe distans à Sara Christus, tamen propter eam, qualis qualis fuit, cognationem princeps ac domina meritò dicitur; quæ mens obsecro concipere, aut lingua explicare poterit, quantus sit ille principatus, illa maiestas Virginis, quæ ipsum met Deum hominem peperit; quæ non a Christo longius distat, quam vt à Filio mater? at quæ maior esse, aut fingi potest duorum inter se corporum, & animorum coniunctio? Hanc igitur expendens S. Thom. *3. p. quæst. 27. art. 5. ad 1.* sic eloquitur: Beata Virgo Maria tantam gratiæ obtinuit plenitudinem, vt esset propinquissima Autori gratiæ, ita quod Deum, qui est plenus omni gratia, in se reciperet. sic ille.

A Sara oriundus Messias

S. Maria Christo coniunctissima.

D. Thom.

C

Similis est sententia Dionysij *de præcon. Virg. lib. 1. artic. 8.* hisce verbis Palam est Christum sine mensura omnis gratiæ plenitudinem obtinuisse; huic plenitudini, gratiæque infinitæ, Maria vehementer appropinquat. sic ille. Nec verò ista gratiæ plenitudo, quæ a Christi gratia, proximè Virgini Matri à Deo infusa est, in ea omnino stagnanti similis quiescit otiosa. Nam vt verè, ac piè dictum est à S. Hieron. *serm. 1. de assumpt.* gratia plena est, ex qua multi deducti riui, omnem irrigant terram deliciarum, & infundunt hortum voluptatis. hæc ille. O Domina mundi, ô Mater gratiæ, irriga quæso ex fonte isto tuo arentem, & infœcundam animam meam, vt in pulcherrimos, ac suauissimos veræ in te ac Filium tuum pietatis, obsequij, & amoris, cum virtutum omnium prouentu exuberet.

Dionys.

S. Maria gratia plena exundat, & irrigat.

D. Hieron.

D

Verissime Princeps, & Domina Virgo est, quæ concepit, & peperit Altissimi Filium, cuius regni non erit finis; Regina vtique Mater Regis omnium creaturarum, tam grandis & augusta Domina, vt etiam Rex ipse ac Deus mundi Christus Dominus Dominam suam verè sæpiùs (vt Filius Matrem) nominarit; quin & de iustitia illi debitam obedientiam exhibuerit, illi deseruierit, ab illa maternis imperiis dirigi consueuerit. Quin etiam nomen ipsum Mariæ dominatum istum in sua etymologia præfert; quod ita euoluit S. Petr. Chrysolog. *serm. 142.* Maria Hebræo sermone, Latinè Domina nuncupatur. Vocat ergo Angelus

Maria Domina dicitur,

Petr. Chrys.

E

Dominam, vt Dominatoris Genitricem trepidatio deserat seruitutis, quam nasci, & vocari Dominam ipsa sui germinis fecit & impertiuit authoritas. hæc Chrysolog. Pulchè tam admirabilem virtutem agnouit Angelus in nomine Mariæ, vt vel ipsius tantùm prolatione, ac significatione turbatam in Angelico sermone Virginem humillimam atque honestissimam confirmari posse crediderit. *Ne timeas* (inquiens) *Maria.* Quasi dicat pellatur omnis trepidatio, quiescat turbatio, vbi sacrosanctum & immensæ virtutis nomen Mariæ geritur, & auditur. Te Mariam, te Dominam sine vllo

Maria nomen tranquillat & confirmat.

vllo termino augustam timeant omnia, tu nihil timeas, sed in omnia regalem exerceas potestatem. Forte Angelus, qui apparuit Ioseph, ex virtute ipsius nominis Mariæ turbatum, ac trepidantem tranquillare voluit, & roborare. *Noli* (inquiens) *timere accipere Mariã coniugem tuam.* Matt. 1. Proh, quantum confirmat fidelem iam moribundum Iesu, & Mariæ dulcissima identidem inuocatio! Felix etiam prole fuit Sara, quæ per vnicum filium, quem peperit, ab eo consequentium mater extitit populorum: felicior longè Virgo Dei Mater, quæ per vnicum suum Filium Patrem futuri seculi, & primogenitum omnis creaturæ, infinitos numero, & gloriæ sanctitate præcellentes filios habet. Meritóque proinde Guarric. exclamat, *serm. 2. de Natiui.* O Mater incorrupta, Virgo fœcunda; Filius qui datus est tibi, filios tibi dedit: est enim Filius Altissimi, cui Pater istos adoptauit; vt sint omnes conformes imaginis eius, & sit ipse primogenitus in multis fratribus. Dilata itaque locum tentorij tui ab ortu ad occasum, & à mari ad mare, quia ad dexteram & læuam penetrabis, & semen tuum gentes hæreditabit. sic ille. Et quidem sit vna licet innumerabilium filiorum mater, incorrupta Virgo; omnibus tamen illa sat est; quippe cum sit gratia plena, quæ (vt loquitur S. Epiphan. *de laud. Virgin.*) sitientes perennis fontis dulcedine satiat, &c.

Matth. 1.
Moribundum recreat inuocatio Iesv & Mariæ.
Guarric.
S. Maria fidelium mater.
S. Maria fons perennis.
S. Epiphan.

3. Cecidit Abraham in faciem suam & risit.] Hucusque Dei promissiones putarat Abraham implendas fore in Ismaele filio ancillæ Agar: nunc autem certò, & euidenter accepit habiturum se filium ex charissima, & sanctissima vxore Sara: Nam illud *benedicam ei*, fœmininum in Hebręo est אתה *ocbah*, nimirùm *fœcundam illam reddam*, itémque: *cui benedicturus sum*, Saræ videlicet: legitur enim in fonte, וברכתיה *vberacthihâ*, benedicam illam: *Eritque in nationes, &c.* Sara, videlicet, vti est in Hebræo והיתה *vehaietah*, & erit ipsa in persona fœminea, quæ omnia consequetur Sara per filium. Subtilis est hoc loco Procopij obseruatio, quæ sic habet. Primam sanè mulierem legimus benedictam; vtamur igitur ea quasi exemplo ad cohortandas mulieres, vt illam imitentur. Vt autem Isaac fit sanctior, vnà cum patre & matre benedictionem consequitur. Vt igitur legitimè & sanctus nascatur, nascitur ex vtroque parente benedicto. hæc Procop. Ad omnem cum honoris, tum virtutis laudem multum refert, vt quis ab honestis & iustis parentibus nascatur, à quibus simul cum corpore mores, ac probitatem veluti congenitam accipiat. Videant etiam fœminæ, quanta sit in virtute vis ad maledictionem Euæ abolendam: nunc maximè postquam Virgo Dei mater benedicta in mulieribus, non aboleuit modò erratum omne sexus fœminei, sed hunc puritatis, ac pietatis amantem reddidit, & studiosum. Obstupefactus ergo Abraham tam admirabili & sibi iucunda promissione pronus in humum procumbit, Deum tam magnificum reuerenter adorat, gratias illi habet immortales. Simul etiam humi prostratus miram exhibet humilitatem, certò agnoscens, & palàm confitens se nihil aliud esse, quàm terræ puluerem, atque adeò indignum, cui tam largam & munificam sese infundat diuina gratia, cui soli, non autem propriis meritis, tantum beneficium acceptum refert. Hæc duo maximè debentur benefactori Deo; vti profundissima humilitate illius beneficia excipientes, ritè sanctéque Deum autorem bonorum omnium adoremus, gratiásque illi, & corde, & voce repententes identidem repetamus. *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Psal. 88. Vbi pulchrè ita commentatur S. Aug. Obsequantur (inquit) membra mea, Domino meo loquor, sed tua loquor: Annunciabo veritatem tuam in ore meo, si non obsequor, seruus non sum; si à me loquor, mendax sum, hæc ille. Quicquid habemus, à Deo est: igitur totum in Dei obsequium, & laudes refundatur necessò est: *Orationi instantes, vigilantes in ea, in gratiarum actione*, monet Aposto. *Roman.* 12. Solus meminit gratitudinis, quæ digna censetur, cui perenniter affluat diuina misericordia. Vt enim eleganter ac piè loquitur S. Bern. *serm. 3. de Epiphan.* gratiarum cessat discursus, vbi recursus non fuerit, nec modò nihil augetur ingrato, sed & quod accipit, vertitur ei in perniciem: fidelis autem in modico, censetur dignus munere ampliore, &c. Idem *serm. contra vit. ingrat.* latiùs in eodem versatur argumento. vbi hæc, inter alia, concludit. Forte hoc etiam clementiæ esse videtur ingratis negare, quod postulant, ne contingat nobis vt tantò grauius de ingratitudine iudicemur, quantò magis accumulatis beneficiis ingrati probabimur extitisse. hæc Bern. Heu me! iam nunc teneo, cur sæpè Deum precor, nec tamen exaudior, nec postulata recipio. In causa ergo est mea ingratitudo: ne videlicet donentur ingrato, quæ in maiorem cedant condemnationem. Pulchrè Seneca *lib. de benefic.* Homines gratos dixit similes esse fœcundæ terræ, quæ cultori suo vberiores fructus, hoc est plura grana reddit, quàm accepit.

Procopius.
Magna laus nasci ex sanctis parentibus.
S. Maria mulierum sexum illustrauit.
Humiles & grati ad beneficia Dei.
Psalm. 88.
S. August.
Debita & vtilis grati tudo erga Deum.
Rom. 12.
S. Bernard.
Ingratis interdum negantur bona.
Seneca.
Gratus sibi fœcundus.

A B C D E

4. At quisnam iste risus Abrahæ? diffidentisne, an exultantis? si diffidentis, profectò increparetur à Domino, vti inferiùs ob risum Sara est objurgata. Risit igitur Abraham præ admiratione, & ingenti gaudio, & risit, יצחק *izchaq*, Chald. וחדי *& gausus est*. Risus enim mentis, est gaudium cordis. Præ stupore igitur tantæ gratiæ Dei, & pro insperato beneficio in faciem procidit Abraham, & risu celebrauit felicitatis suæ admirationem. Hæc est sanior, & communior huius risus interpretatio. sic enim D. Aug. 16. *de ciuit. cap.* 26. Risus Abrahæ exultatio est gratulantis; non irrisio diffidentis. Itémque: verba hæc non sunt dubitantis, sed admirantis. hæc S. Aug. Consonat S. Ambros. cuius hæc sunt verba *lib. 1. de Abrah. cap.* 4. Quod promisso ex Sara filio risit Abraham, non incredulitatis, sed exultationis indicium fuit, &c. Idem subtilius adhuc, & vberiùs repetit *libr. 2. cap.* 11. Quid est: *Cecidit Abraham in faciem, & risit?* & hic reuerentia significatur, quòd timuit Deum velut libero risu lædere: quamuis risus lætitiam declararet viri iusti, qui tantis gratulabatur promissis. Non enim dubitantis hic risus, sed credentis fuit, hæc Ambros. Vbi etiam illud ingeniosè dictum expendetam seriò, tam reuerenter, támque humiliter cum Deo agendum, ante Deum, & in oculis eius standum, ac versandum, ac denique in oratione cum Deo loquendum; vt ne leuis quidem errati vmbra compareat. Quid leuiùs, quid minùs carpendum, quàm risus ex lætitia, & ingenti cordis tripudio propter admirandũ Dei beneficium? Et hic tamen risus, iusto illi viro tam ineptus in conspectu Dei visus est, vt illius veniam deprecans, & verecundiam confitens, ac pœnitentiam exhibens in humum se abiecerit. Quem igitur non pudeat, quis non timeat in conspectu Dei purissimi assidere, præsentari ante tribunal Iudicis seuerissimi, quem non leui risu, sed innumeris iisque fœdissimis sceleribus offenderit? Eandem quam prædicti Doctores, causam risus assignat S. Chrys. sic enim ait. Videns excellentem promissionem

Qualis risus Abrahæ.
D. August.
S. Ambros.
Debita omnis erga Deũ reuerentia.
Quantumque leuitas ante Deum damnatur.
D. Chrysost.

sionem & magnitudinem eius, qui promiserat cogitans, *cecidit in faciem suam, & risit*, hoc est voluptate perfusus est. ita Chrys. Similiter interlin. Gloss. Applaudendo, non disceptando verba illa protulit.

Rupertus.

Denique Rupertus in eodem sensu loquitur ad hunc modum. Dixit: non dubitando, sed suam ipse felicitatem ineffabiliter admirando. sic ille.

S.Ambros.

Sed & illud mysterium, quod ex hac humiliatione in terram Abrahæ colligit S.Ambros. proximè citato loco non est contemnendum. sic habet.

Ante Deum cadunt omnia.

Simúlque cadunt ante Deum omnia & mutantur, & transeunt: sola illa immutabilis stat semper substantia. hæc Ambros. Videlicet Dei promissa sanctissimè reueritus, procumbit in terram, adorátque Deum veracem, ac fidelem quasi dicat: O Domine, vt ipse tu stas immobilis, sic tua

Deus immutabilis.

B sunt vera, & infallibilia verba, quibus mihi tam præclarum, ac supra omnes vires naturæ beneficium polliceris; at nos homunciones, terræ vermiculi, & nihilum ante te cadimus, mutamur non solùm re ipsa cum morimur, ac sepelimur, sed etiam in verbis ac promissis, & fallimus, & fallimur.

Homo fallit, & fallitur.

Omnis enim homo mendax; Tu sola ipsa veritas, & immutabilis æternitas. An etiam procidit Abraham agnoscens, & prophetans Deum hominem in terram venturum, atque in ea, & moriturum, & sepeliendum ac resurrecturum; per quæ ipsa mysteria Dominus esset Abrahæ, & semini eius admirabilem istam benedictionem abũdantiore plenitudine collaturus? ita enim adiungit S Ambros.

Abraha reuelatur aduentus Dei hominis.

S.Ambros.

C Aut fortasse, & in hoc mysterio prophetauit Abraham Dominum Iesum, quod per susceptionem Dominici corporis & resurrectionem tanti complenda oraculi gratia foret. sic Ambros. Lætúsque tam insigni beneficio Dominicæ incarnationis, & redemptionis immensum cordis gaudium risu externo significauit.

Abraha gaudium de incarnatione Verbi.

5. *Putasne centenario, &c.*] Seipsum alloquitur, nimirum; O Abraham. ô senex decrepite, cui mors in ianua iam fores pulsat: itáne retrò ageris in florem iuuentutis. vt fructus de te iam arenti stipite, ac de vxore tua senio effœta, semper sterili nascatur? Fateor equidem: non ausus fui, sed nec potui tantum sperare gaudium. At ô bone Deus; vicisti serui tui spes, & vota: munificentior nunc mihi es, quàm aut meruerim, aut sperarim. Hoc vno

D satis ego contentus eram, vt mihi viueret Ismael, quem etiam sibi filium adoptarat mea coniux Sara. Sed audi S.Chrys. in hac sententia interpretationem.

D.Chrysost.

Quasi diceret (inquit) Domine satis me consolatus es, & dolorem, quem ex prolis inopia gerebam, dato Ismaele in lætitiam vertisti. Nato enim illo, nec in mentem postea accepi, vel cogitaui aliquando, quòd è Sara sit mihi filius futurus, sed nec ipsa hoc expectauit, eo quòd Agar mihi tradidit, omnem sibi spem denegans. Satis consolationum accepimus nato filio Ismaele. Hic igitur, qui à te datus est, viuat coram te, & abundè satis recreati erimus, & senectutem nostram illius vita solabitur. hæc Chrys.

S.Ambros.

Rectè S. Ambros. *lib. 1. de Abrah. cap.* 4. cum Chrysostomo sentiens,

E ita eloquitur.

Spes & fiducia in Dei misericordia.

Non est incredulus in promissis; nec auarus in votis. Hoc est, non dubito quod facias, vt & centum annorum seni dones filium, & naturæ autor naturæ metas relaxes. Beatus, cui ista donantur; sed tamen etiam hic Ismael, quem habeo de vernacula viuat in conspectu tuo, abundat mihi gratia. sic Ambros. Etsi autem spectata Dei opulentia, quæ nunquam exhauritur donando, & misericordia quæ non lassatur benefaciendo, spes, votáque hominis nunquam immoderata iudicantur: si tamen merita sua quisque (quod &

A hic cernitur in Abraham.) emetiatur, nec multa, nec magna audebit, vel sperare, vel postulare. Soli misericordiæ, ac bonitati Dei nostri confidentes ab illo quæcunque maxima beneficia, & speremus, & petamus. Alienum planè iudicat Abraham à canis, à senectute, à vetulo morti proximo, carnis commercio etiam ad prolem inseruire.

Dedecet senem libido.

De morte agendum senibus, non voluptati carnis indulgendum. O fatuum senem, qui adhuc in sordibus hæres! Nam, vt egregiè scripsit Clem. Alexand. *stromat.* 3. omninò fieri non potest, vt quis simul sit, & scientia præditus, & blandiri corpori non erubescat. sic ille.

Clem.Alex.

Sapiens erubescit indulgere carni.

Nec modò senum istorum inuerecundia damnatur, cum sese immergunt in cœnum libidinis, sed etiam nuptias si illa in æta-

B te (quod aliquando mundus videt & ridet) ambiant prorsus sui non compotes, infamia laborant miseri inter homines, præsertim cum certum illud sit Tertul. Quantum obstrepant sanctitati nuptiæ secundæ, præscriptio Apostoli declarat, cum bigamos non sinit præsidere. sic ille.

Tertul.

Indecentes nuptiæ in senectute.

Licitæ quidem sunt nuptię secundę: sed si (vt sæpiùs fiunt) in grandæua ætate; maximè verò post susceptos liberos contrahantur, non carent calumnia. Hæ quidem non modò sanctitati obstrepunt, sed & pudori, atque honori. Est quidem illa ætas grauibus, & sanctis occupanda studiis; senex si sapiat, non de filiis generandis, sed de purificanda anima, parandóque ad æternitatem viatico curet.

Senex de morte curet.

Porrò autem excitatus Abraham tam noua, támque excellenti promissione, solicitus etiam de Ismaële, dignam tam iusto patre pro illo postula-

C tionem Domino hanc offert: viuat coram te Ismael. Quod non solùm de vita corporis, sed etiam & multò satiùs de spirituali est intelligendum. Sic enim S. Ambros. *lib. 2. de Abraham. cap.* 11. Ismael hic viuat in conspectu tuo: Iusti est enim pro peccatoribus interuenire.

S.Ambros.

Iustus pro iniusto interuenit.

Est autem viuere in conspectu Dei, digna Dei verbo negotia gerere. *Oculi Domini super iustos.* Psalm. 33. *De Ismaele* (ait Dominus) *etiam exaudiui te.* Etiam, cum dicit, confirmat promissa. hæc Ambros.

Psal. 33.

Pulchrè dicitur viuere, qui viuit in conspectu Dei, cuius in oculis verum & rectum inest iudicium rerum, quæ videntur: quare illa sola censenda vita est, quam Dei

D oculi & vident, & iudicant vitam; quicquid sit de oculis hominum, quibus verè mortui censentur, sed falsò viuere: qualis illa vidua, de qua sic Apostolus: *Vidua, quæ in deliciis est, viuens mortua est.* 1 Timoth. 5.

Vita vera in oculis Dei.

Vidua deliciosa verè mortua.

1.Tim. 5.

En ista, quæ incedit compta, carnem enutrit, ac fouet, amoribus turpem dat operam, vitam putatur viuere deliciosam, ac perbeatam; at oculis Dei rem, vti est, æstimantibus, verè mortua est. Quis autem fœtor infamiæ ab huiusmodi viduæ deliciis exhalatur, nisi quem tabes, & sanies purulenta cadaueris eructat? Contra verò redolentissima est castitas, vt loquitur S. Petr. Damian. *lib. de omnip. cap.* 5. Quippe cũ sit odor vitæ, gratiæque cœlestis.

Castitas miri odoris.

S.Petr.Dam.

Casta mulier ab ipsa honestate verum habet decorem, & odorem: nec fucato,

E atque aliunde emendicato, vt benè oleat, vt pulchra videatur, indiget.

Mulier casta non eget fuco, & vnguento.

O quam suauis in ore, atque in memoria hominum viuet, ac vigebit illa, ad quam S. Hildeb. scribit *Epist.* 26. Tota (inquiens) supra fœminam & exemplum es virtutis, & instrumentum. Viuunt in te boni seculi reliquiæ, per quam & sexus respirat ad gloriam, & genus elabentem retinet dignitatem. sic ille.

S.Hildeb.

Commendatur mulier casta.

Nihil quidem ad honorem illustrius, ad famam commendatius fœminæ potest, ac solet aduenire, quàm vt casta, & pura sit, & videatur, Deliciosæ viduæ dicit Apostolus: *Melius est nubere, quàm vri.* Non sic

hæretici

1.Timot.4. *Damnat nuptias inimicus castitatis.* D. Hieron.

hæretici quidem, quos idem redarguit. 1. Timoth. 4. prohibentes nubere. Quem ad locum sapientissimè S.Hieron. ita edisserit. Omnis, qui nuptias damnat non amator, sed inimicus est castitatis; dum & continentibus laudem tollit, & incontinentibus sublato nuptiarum remedio fornicationis facit inire discrimen. hæc Hieron. Nubat ergo, quæ se non vult aut non potest continere; reducat ad portum coniugij suam illa nauem, quam in salo fluctuantem, aut in scopulos allidendam, nec tenere potest, nec regere nouit.

Coniugium portus.

6 *Et ait Deus.*] Tandem aliquando diuina bonitas, quæ patientiam Abrahæ, & Saræ tandiu probauerat, beneficia, quæ vtrique concedere decreuerat, suis omnibus absoluta numeris explicat, vt quanti sit meriti apud Deum hominis patientia constet, quámque illud verum habeatur, quod hic adnotauit S.Chrysost. hoc pacto. Iustus iste paulatim multam præ se ferens patientiam in fastigium virtutis progressus ita illustris, & spectabilis factus est, vt ex eo nati multitudine astris cœli adæquentur. ita Chrysost. Certum est enim, & copiosum præmium patientiæ: ad quam proinde toties in sacris literis inuitamur. Itaque promittit dominus Abrahæ filium ex Sara coniuge, cui iam nunc imponit nomen Isaac, à risu videlicet patris, qui tam miram Dei promissionem, vt paulò ante vidimus, præ admiratione, gaudióque incredibili ridens excepit; in quo vno filio cuncta Dei fœdera, & promissiones crebrò ad Abraham repetitæ complerentur. Præterea, quicquid petierat pro Ismaele, & longè ampliùs quàm cupierat, illi Deus beneficentissimus pollicetur. Denique ne ambos tanti beneficij expectatione suspensos teneat, ac solicitos, Saræ partum prædicit non vltra annum. Sed qualis obsecro extitit Abraham? Nimirum qualem depingit S.Chrysost. Quoniam (inquiens) mentem iusti Dominus erexit, per ea, quæ promisit, ferè iuuenem ex sene fecit, & eum, qui mortuus erat, vt ita dicam, verbis fœcundauit, beneficiis eum largissimis prosequens. sic Chrysost. Tanta est vis magni alicuius gaudij, vt aliquando, & morbos diuturnos curet, & vitam proroget. Præsertim si huiusmodi voluptas honesta est, & à Deo infusa homini; quamuis nemo sapiens etiam à Deo concessæ lætitiæ in hac vita debeat fidere; vbi potiùs lacrymandi est tempus. quàm ridendi: quin etiam breuis quæcunque lætitia in tristitiam desinit. Quod ita S. Bernard. *serm. de fallac. vita* describit. Accenditur cereus, non purum lumen est, sed lucerna: siquidem ignis ipse propria fomenta consumit, nec nisi ipsa consumptione fouetur: porrò deficiente materia, etiam ipse deficiet: & vbi illam videris prorsus exustam, hunc quoque nihilominus extinctum esse reperies. Sicut ergo flammæ illius nouissima fumus occupat, & caligo, sic lætitia lætæ rei in tristitiam commutatur. hæc Bernard. Itaque lætitia huius seculi, quæcunque illa sit, lumen est accensum in cera, quod dum emicat, paulatim etiam deficiente, quæ cosumitur cera, in sui festinat interitum. An non etiam hunc risum Abrahæ, nempe Isaac filium, incredibilis Abrahæ dolor excepit, cum illum iussus est immolare? Contra verò hic ostenditur, vt latiùs disserit S.Chrysost. quantò sint, & maiora, & iucundiora, quæ tandem post tribulationes viri iusti assequũtur, quàm aduersa illa, quibus eorum virtus, & patientia probata fuit. Optimè S.Bernard. loco proximè indicato, in hanc sententiam ita eloquitur. Guttatim pœna bibitur, aliquando sumitur, per minutias transit: in remuneratione torrens est voluptatis,

D.Chrysost. *Abrahā perfectus ob patientiam.* *Dei promissione repuerascit Abrahā.* S.Chrysost. *Magno gaudio vita prorogatur.* *Lætitia in tristitiā desinit.* S.Bernard. S.Chrysost. *Voluptas post aduersitatem maior.* S.Bernard.

& fluminis impetus, &c. sic ille. Breuis quidem probatio sempiternam parit remunerationem. Tenuem laborum riuulum pertransiens anima in immensum gaudiorum Oceanum sese totam immergit. Perelegans est hoc loco in hanc eandem sententiam S.Chrysost. declamatio. paucula ex illa seligam. Munificus (inquit) Dominus noster pro paruis laboribus magna reddit præmia, etiam in hac vita nostram infirmitatem consolans, quandoquidem semper aduersis temperantur prospera. Deus enim curam nostri gerens, in aduersis nos non relinquit, vt non opprimatur nostra infirmitas; sed celeriter & ipse opitulatur, firmans nostram alacritatem, & mentem excitans. Neque nos semper in prosperitate relinquit, ne fiamus negligentiores, & in vitiorum partes transfugiamus. hæc S.Chrysost. Sic inter aduersa, & prospera, suos ad vitam sempiternam deducit Dominus, ne illis frangantur, & ne istis intumescant: vtrorumque mixtura optimum est animæ medicamentum, cui tamen prospera magis, quàm aduersa nocent. Subiicit enim S.Chrysost. Nam humana natura, quando multùm prosperè ei succedit, suæ obliuiscitur nobilitatis, neque intra suos limites subsistit. Idcirco quasi clementissimus pater aliquando nobis indulget, aliquando castigat: vt variis viis nostræ animæ salutem curet. hæc Chrysost. Bene Rupertus prophetiam hoc loco agnoscit de Christo Domino. Christi (ait) felix natiuitas significatur, qui vniuersitati sanctorum sempiterni risus, & interminabilis gaudij causa est. Quod gaudium, vel quem risum omnium perpulchre vnus illorum prægustauit clausus adhuc in vtero dicente matre eius ad B.Mariam: *Ecce vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit gaudio infans in vtero meo.* Christum igitur Isaac & nomine signat, & munere; quia & senibus parentibus datus, & à risu nomen sortitus est. hæc ille. Origen. *homil. 7. in Genes.* per Isaac intelligit significari eos, qui a Doctore Christiano conuertuntur ad fidem. sic enim ait. Isaac risus, vel gaudium interpretatur. Quis ergo est, qui talem filium generet? Ille nimirum qui dicebat de his, quos per Euangelium genuerat: *Vos estis gaudium meum, & corona gloriæ Dei.* 1 ad Thessalon. 2. sic ille. Quid enim maius, quid gloriosius, quid dulcius homini esse potest, quam vt operanti Deo cooperetur in salutem animarum, Deique filios ex lapidibus, ex filiis iræ, ex diaboli seruis faciat?

Vberes fructus patientiæ. S.Chrysost. *Parui laboris magna præmia.* *Iustus inter aduersa & prospera.* *Prospera magis, quàm aduersa nocent.* S.Chrysost. Rupertus. *Christus mūdi risus, & gaudium.* Lucæ 1. Origen. 1.Thessal. 2. *Commendatur zelus animarum.*

7. *Ascendit Deus. &c.*] Finito colloquio Angelus Deum repræsentans desiit ab Abraham videri, nimirum in cœlum ascendit ab eo loco, in quo familiariter, aut sedens, aut stans cum Abraham agebat. Hebr. *iaghal meghal.* ascendit desuper Abraham. sic vertunt L X X. & Chald. alij *ab Abraham.* Idem sensus vbique. Vltimam lectionem sequutus Procop. ita commentatur. Si Deus ab Abraham ascendit, certè colligitur eum non fuisse in sublimi cum sermonem haberet cum Abrahamo; nam Deus accommodans se captui Abrahami, descendit, & humi existens quasi eum nominat, & circuncisionis legem præscribit. ita Procop. Grauem igitur circuncisionis legem Dominus indicit non ex throno aliquo edito, aut sublimi aliò loco: terreret enim sic potius: at erat opus vti tam graue iugum si non exemplo ipsius legislatoris seipsum circuncidentis, saltem ostensione humilitatis Dei, videlicet in humo cum homine perhumaniter colloquentis, imponeretur. Omnia siquidem vicit Dei hominis inter homines in terra conuersantis humilitas, & affabilitas. *Etenim ipse portabit gloriam: & sedebit, & dominabitur super*

Procopius. *Deus exhibet humilitatis exemplum.*

Zachar. 6. Crux gloria Christi.

solio suo, prophetat Zach. 6. Quæ ista gloria, quam Dominus portauit, nisi crux, quam exinanitus vsque ad mortem, portans improperium, & factus maledictum pro nobis baiulauit ad Caluariæ locum, vbi & crucifixus est? Sed & ista profundissima crucis humilitas, altissima subinde gloria Christi est. Hinc enim omnia traxit ad seipsum, & regale iuxta, atque iudiciarium tribunal ascendit, vt sit Rex Regum, & Iudex viuorum atque mortuorum. Proh inanita Diuinitas, vt loquitur S. Gregor. Nazianz. *Apolog. 1.* sed & post istam exinanitionem cognita, adorata, & exaltata, ab hominibus! Atque ô humilitas tam potens, tam debellatrix hominum, tam grata & chara Deo! *De angustia, & iudicio sublatus est*, ait Isaiæ 53. Vertunt L X X. quos sequitur Luc. Act. 8. *In humilitate iudicium eius sublatum est*. Nimirum Dominus accusatus ante Pilatum causa cecidit, damnatúsque est eo quod siluit, nec suam defendit innocentiam. Maluit enim humilitatem damnatus præferre, quàm absolutus iustitiam obtinere. Ipsa etiam humilitas Domini ansam præbuit, & accusatoribus, & iudicibus, vt omni postposita æquitate innocentem, quia humilem vexarent, opprimerent, atque morti addicerent. Quare peracutè S. Cyril. Alex ad eundem locum hæc obseruat. Verum est: *In humilitate iudicium eius sublatum est*, quia enim illis visus est contemptibilis quispiam, & valde demissus facillimum calculum, seu iudicium in eum proferunt. Quod quidem faciunt iudices nonnulli, qui exactæ sententiæ, & veritatis parum admodum pensi habent, & qui ex persona potiùs, quàm ex factis iudicant. Si enim qui in iudicium vocatur, sit aliquis in mundo illustris, exacti, & acres inquisitores esse comperiuntur, & tunc etiam fortassis veritati repugnantes. vndecunque subsidij genera, & auxilij conantur excogitare. Sed ignobili quodam adducto, tunc præcipites, audaces, & sine cunctatione omni in extremis angustiis contra eum ferunt sententiam. hæc Cyrill. En qualiter se mundus habet in iudicio; nulla maior, & certior ad damnationem culpa in eo, qui sistitur, sese offert iniquo iudici; quàm illius miseri quantumuis innocentis, pauperies, humilitas, & ignobilitas. *At substantia diuitis, vrbs fortitudinis eius.* Prouerb. 10. Clausum, circumseptum, egregiè communitum, denique fortem & inuictum, imò & victorem se tenet diues intra suas opes, vel aduersus ipsam legum, & iudicum iustitiam, & potestatem. Enimuerò inexpugnabilis solet esse pecuniosi, aut illustris viri causa, licet execrandis nobilitata flagitiis. Quid plura? Tam verè, quàm eleganter scripsit S. Cyprian. *Epist. ad Donatum*: Nullus de legibus metus est: de quæsitore, de iudice pauor nullus: quod potest redimi, non timetur. Esse iam inter nocentes innoxium (adde tu & pauperem, & ignobilem) crimen est. sic ille. Quem videris absolui, time ne diues sit; quem damnari videris, pauperculum scias. Iste hodie mundus est.

D. Gregor. Nazianz. — Christi humilitas triumphat. — Isaiæ 53. — Christo humilitas, quæ vita, charior — S. Cyr. Alex. — Humiles damnantur, nobiles absoluuntur. — Peruersi iudices. — Nocet innocenti paupertas. — Prouerb. 10. — Diues inuictus in iudicio. — S. Cyprian. — Crimen est in iudicio esse pauperi.

8. *Tulit autem Abraham Ismael, &c.*] Mira semper extitit Abrahæ obedientia. Noctu visio contigerat; manè iussa Dei Patriarcha executus est: aut fortè verius, manè iussio facta est, diéque eodem adimpleta. Iustus seipsum, etiamsi grandæuum, ac pene decrepitum circuncidit; filium subinde, ac cæteram masculorum familiam. Hic ordo videtur in circuncisione seruatus, nec scriptura repugnat: licèt enim ab Ismaele exordiatur; planè intelligendum est circunciso Abrahamo inter cæteros primum fuisse Ismaelem. Sic autem decebat, vt alacriore studio, ac pietate, herum, ac patremfamiliàs reliqui sequerentur. Quod S. Chrysost. ita significauit. Hic autem senex, & decrepitus (centum enim annorum erat) cruciatum leniter tulit, simul & præceptum Dei implere volens, & filium & vernaculos omnes promptiores reddens, vt ne cunctarentur, sed magna alacritate Dei præceptum implerent. Vidisti quanta res sit vir præstans virtute, quomodo ministros omnes docet, vt sua vestigia sequantur? hæc Chrysostom. A se ipso & mortificationem vitæ deterioris, & sanctioris initium inauguretur necesse est, qui suis subditis vtramque indicet. Vti princeps ille, cui S. Hildebert. *Epistol. 55.* ita scribit. Cum bene multis imperes, nulli melius imperas, quàm tibi. maiore siquidem laude potestas exemplum promit, quàm gladium. Illud autem doctrina lenis est, & iniquitatem flagello reprimit incruento: hic autem sæpiùs odio educitur, quàm iudicio, furore, quàm lege. sic ille. Itaque principes meliùs exemplo, quam sceptro regunt, & gladio coercent. Rectè in eandem sententiam Ferrandus Diaconus ad Reginum comitem scribens addit, *regul. 2.* Dux sapiens illuc debet ire, quò cupit ducere subditos. Ideò enim dicitur Dux, quia ducit; & seipsum vtique seducit, si per viam regiam putat posse ambulare; quos ad foueam malæ vitæ malum exemplum præbendo perducit. Tu ergo esto signifer doctrinæ sanctissimæ: tu erige trophæum virtutis intuendum iugiter cæteris; tu imitandus appare. hæc ille. Proh quàm efficax, & potens verbo doctor apparuit Abraham, cum facto prior extitit, & ferro contra suam carnem armatus, ac tandem perculsus, & sanguine madens filium, ac seruos, ad similem cruciatum alacriter perferendum inuitauit? Circuncidit iam circuncisus & reliquam familiam. Necesse est enim ait S. Gregor. *ad Anthem. subdic. cap.* 24. vt munda esse studeat manus, quæ diluere sordes curat, ne tacta deteriùs inquinet. Hinc scriptum est. *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Isaiæ 52. sic Pontifex. Timendum sacerdoti est, ne dum accedit ad expiandas peccatorum animas, illorum sordibus polluat suam. Illud etiam optimè subnotauit S. Chrysostom. circa Ismaelis pueri adhuc circuncisionem: Propterea à Deo præceptum fuit, vt immatura ætate circuncisionem ferrent pueri, quò absque sensu incisionem carnis ferrent. sic ille. Et rectè quidem. Sensus enim in infante octo dierum adhuc sunt humore nimio obtusi, atque hebetes; & consequenter dolorem non tam acutè, & grauiter sentiunt: sed & illud quoque præstabatur, vti primorem illam ætatem parentes bene, sanctéque instituerent, præsertimque carnis concupiscentiam in ea ebullientem ferro, ac disciplina seueriore compescerent. Quod & in lege purificationis matrum, siue præsentatione primogenitorum ante Dominum significari videbatur; vbi duos pullos columbarum, aut par turturum offerebat puerpera. Quorsum enim sacerdos oblatam vnam auem obtorto in guttur capite præsentabat Domino: nisi vt (respondet S. Euseb. Emiss. *homil. in purific.*) non iam erecta ceruice, sed humiliato capite puer discat incedere? sic ille. Quid deinde mysterij, quòd auiculæ ascellas perfringeret? Pueris (respondet idem Eusebius) quibus omnem & agendi licentiam interdicimus, eis vtique ascellas frangimus, vt & nobiscum maneant, & ad inutilia volare desistant. hæc ille. Premendum igitur pueris caput est, ne eleuentur, & insurgant aduersus parentes, ac magistros, & omnem modestiam debitámque verecundiam præferant. Perfringendæ sunt etiam alæ, ne vt leuiter exultat

Abrahæ obedientia. — Exemplo præeant maiores. — D. Chrysost. — Exempli efficacitas. — S. Hildebert. — Princeps exemplo, quàm sceptro melius regit. — Ferrandus. — Exemplo maiorum ducuntur subditi. — D. Gregor. — Isaiæ 52. — Sacerdos purus purificat alios. — D. Chrysost. — Circuncisio cur infantibus indicta. — Præsentatio Puerpera in templo. — Euseb. Emiss. — Premendum puer & colibendus.

exultat ætas, impunè passim vagentur, sed tenean tur domi, & cum leuiculis, atque inuerecundis versari cohibeantur, ac denique ferro; & cau- A terio (vbi opus erit) altiùs adacto fœda iam incipiens carnis titillatio ad dolorem vsque & sanguinem circuncidatur.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

1. Apparuit autem ei Dominus in conualle Mābre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei.

2. Cumque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum: quos cùm vidisset, cucurrit in occursū eorum de ostio tabernaculi, & adorauit in terrā.

3. Et dixit: Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum:

4. Sed afferā pauxillum aquæ & lauate pedes vestros, & requiescite sub arbore.

5. Ponámque buccellam panis, & confortate cor vestrum, postcā transibitis: idcirco enim declinastis ad seruum vestrum. Qui dixerunt: Fac vt locutus es.

C 6. Festinauit Abrahā in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: Accelera, tria sata similę cōmisce, & fac subcinericios panes.

7. Ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum, deditque puero: qui festinauit & coxit illum.

8. Tulit quoque butyrum & lac, & vitulum quem coxerat, & posuit coram eis: ipse verò stabat iuxta eos sub arbore.

9. Cumque comedissent, dixerunt ad eum: Vbi est Sara vxor tua? ille respondit: Ecce in tabernaculo est.

D 10. Cui dixit: Reuertens veniam ad te tempore isto, vita comite, & habebit filium Sara vxor tua. Quo audito, Sara risit post ostium tabernaculi.

11. Erant autē ambo senes, prouectíq; ætatis, & desierant Saræ fieri muliebria.

12. Quæ risit occultè, dicens: Postquam consenui, & dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?

13. Dixit autem Dominus ad Abraham: Quare risit Sara, dicens: Num verè paritura sum anus?

E 14. Numquid Deo quidquam est difficile? iuxta condictum reuertar ad te hoc eodem tempore, vita comite, & habebit Sara filium.

15. Negauit Sara dicens, Non risi: timore perterrita. Dominus autem: Non est, inquit, ita: sed risisti.

16. Cùm ergo surrexissent inde viri, direxerunt oculos cōtra Sodomā: & Abraham simul gradiebatur, deducens eos.

17. Dixitque Dominus: Num celare potero Abraham quæ gesturus sum.

18. Cùm futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam, & BENEDICENDÆ sint in illo omnes nationes terrę?

Ben. Ferrand. in Genes. 2.

B 19. Scio enim quòd præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiāt viam Domini, vt faciant iudicium & iustitiam: vt adducat Dominus propter Abraham omnia quę locutus est ad eum.

20. Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomorū & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum corū aggrauatum est nimis.

21. Descendam & videbo, vtrùm clamorem qui venit ad me, opere complerint: an non est ita, vt sciam.

22. Conuerteruntque se inde, & abierunt Sodomam: Abraham verò adhuc stabat coram Domino.

23. Et appropinquans ait: Nunquid perdes iustum cum impio?

24. Si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate peribunt simul? & non parces loco illi propter quinquaginta iustos, si fuerint in eo?

25. Absit à te, vt rem hanc facias, & occidas iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius, non est hoc tuum: qui iudicas omnem terram, nequaquam facies iudicium hoc.

26. Dixitq; Dominus ad eū: Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatis, dimittā omni loco propter eos.

27. Respondénsque Abraham, ait: Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis.

28. Quid si minùs quinquaginta iustis quinque fuerint: delebis, propter quadraginta quinque, vniuersam vrbem? Et ait: Non delebo, si inuenero ibi quadraginta quinque.

29. Rursúmque locutus est ad eum: Sin autem quadraginta ibi inuenti fuerint, quid facies? Ait: Non percutiam propter quadraginta.

30. Ne quæso, inquit, indigneris Domine, si loquar. Quid si ibi inuenti fuerint triginta? Respondit: Non faciam, si inuenero ibi triginta.

31. Quia semel, ait, cœpi, loquar ad Dominū meum: Quid si ibi inuenti fuerint viginti? Ait: Non interficiam propter viginti.

32. Obsecro, inquit, ne irascaris Domine, si loquar adhuc semel: Quid si inuenti fuerint ibi decem? Et dixit: Non delebo propter decem.

33. Abiitque Dominus, postquam cessauit loqui ad Abraham: & ille reuersus est in locum suum.

SECTIO PRIMA.

Apparuit autem ei Dominus in conualle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei, &c. vsque ad *risisti*.

1. ÆC est omnium quæ Abrahamo facta sunt, visionum celeberrima; in qua narratur de tribus Angelis ab ipso Abraham receptis hospitio: de promissione filij Isaac ex Sara nascituri: ac de prædictione excidij Sodomorum. Nec verò dubium, quin hæc visio externa, & corporalis extiterit, in qua tot ac tanta referuntur, quæ per internas solùm conceptiones exerceri, atque impleri nequaquam possent. Itaque in suo illo luco, ac nemerosa valle, de qua satis multa diximus in priori tomo, vbi tandiu moratus est, sedebat aliquando æstiuo tempore, ad ostium tabernaculi ad captandam auram in meridie, & præcipuè ad speculandum, oum fortè illac transirent peregrini, quos exciperet hospitio: ad meridiem enim maximè viatores lassitudine, fame, sitique confecti diuertere, ac recipere se ad hospitia consueuerunt. Et quidem in ipso feruore diei, locus alius, vel ad quietem captandam vel ad æstum vitandum nullus esset aptior, quàm ostium tabernaculi. Sed iustum nulla cœli retardat intemperies; cum tamen pigri, & socordes qualibet aeris inclementia constememor, atque ab operibus pietatis, & charitatis desistamus. O præclarum virum & hospitalitatis egregium magistrum! suo quidem exemplo docuit qualis debeat esse hospitalitas: nimirum, vt præstò sit (ait S. Ambros. *lib. 1. de Abraham, cap. 5.*) aduenientibus, & occurrat obuiam, & itinera exploret, & adsit non quærentibus, & rapiat prætergredientes. Ante ostium sedebat Abraham, sedebat meridie: quando alij requiescebant, iste hospitum explorabat aduentus. hæc Ambros. Explorat Abraham peregrinos, & indigos, vel procul transeuntes: & nos pauperculis occurrentibus faciem auertimus, & qualemcunque stipem postulantes contumeliosè, aut certè perquam molestè repellimus. Expende studium Patriarchæ, cum plurimos haberet seruos, quibus eam curam explorandi hospites demandare poterat; nulli tamen eam commisit, sed tanquam pretiosum thesaurum, ant etiam honorem amplissimum sibi ipse reseruauit. Cæterum hac de re audi eleganter differentem S. Chrysost. Tantoperè (inquit) curabat hospitalitatem, vt nollet hospitum venationem cuipiam familiarium committere: sed trecentos decem & octo habens vernaculos, homo iam centenarius apud ianuam sedebat, & quidem meridie. hoc valde auget hospitalitatem, & virtutem iusti; meridie. & meritò. Quoniam sciebat, quod quibus esset itioeris necessitas eo tempore, maximè indigent cura: proinde tempus hoc, vt idoneum elegit, & sedens eos, qui præteribant, venabatur, pro sua quiete ducens ministrare viatoribus, & eos, qui calore æstuabant, sub tectum hospitalitatis introducere studebat. sic ille. Laudat etiam hospitalitatem Abrahæ à generali hospitum, & pauperum amore. Nec enim apud eum vlla erat personarum acceptio, modò essent hospites, peregrini, & pauperes. hæc Abrahæ cura, hoc studium, hæc præda. Non ergo curiosè (apponit S.Chrysost.) explorabat eos, qui præteribant non requirens ao noti, vel ignoti essent. Neque enim hospitalitatis fuerit, diligenter singula perscrutari, sed omnibus simpliciter suam

Abrahā hospitalitatis magister. / D. Ambros. / *Honor est fouere pauperes.* / D.Chrysost. / *Mirus amor Abrahæ in pauperes.* / S.Chrysost. *Circa pauperes ne sis curiosus.*

A communicare benignitatem. hæc S. Chrysost. Multa considerari oportet in hac hospitalitate Abrahæ, & commentatione Chrysostomi: hæc præsertim. Tempus meridianum, & æstuum, quo alij, vel comedunt, vel decumbunt, vel secretiora, & frigidiora ad temperandum æstum suarum ædium penetralia petunt; Abraham vigilat, sedet ad ostium, est in specula, prætereuntes explorat, paratus vt accurrat, cogat, excipiat, accumbentibúsque ministret. Id verò etiam agit, cum viatores maximè indigent, imitatus Deum, *qui adiutor est in opportunitatibus, in tribulatione.* Psalm. 9. Ipsa enim tribulatio, ipsa hominum indigentia Deo beneficentissimo millies congestæ sunt occa-B siones ad ferendam opem tribulato, & indigo Sed quare (inquit Procop.) istum laborem subibat? quia grauem iacturam facere se putabat, si se inscio, & oscitante præteriisset viator aliquis. hæc ille. Pulchrè venationi comparata est Abrahæ hospitalitas, in qua studium, cura, & alacritas iusti ad opera misericordiæ demonstratur. Viri quidem perillustres magnopere delectantur venatione, sed in qua multum insidant, & magno labore vix pauculum fructum, & emolumentum colligunt, videlicet vnam vel alteram pecudem, aut confossam telis, aut canibus interceptam, aut laqueis irretitam. At ille tantus vir (& quis Abrahamo illustrior?) hanc vnam sibi venationem delegit; vti C perquirendis, & captandis ad hospitium viatoribus in Dei sui obsequium senex decrepitus infatigabilem nauaret operam. Dei autem solo habitu, respectu quoscunque inuitabat, ac fouebat, vt in quibus (qualis qualis eorum sit conditio) ipse Deus repræsentari certissimè videatur. Proh quam impiger Abraham ad studia pietatis, & ad congerenda vnde vnde animæ opera! Non calori parcit vlli nec labori, vt pauperem captet, cui seruiat, quem foueat: vt pietatis operibus animæ thesauros accumulet. Non enim (ait S.Ambros.) mediocris ista gratia; corporalia seminas, & recipis spiritualia, *lib. 1. de offic. cap. 11.* Grande scilicet ex paupere lucrum fit. Bene S.Paulin. de huiusmodi pia D industria scribens *Epist. 5. ad Amand.* sic ait. Exultat impiger ad currendam viam, ne illi segne otium conterenti pedissequa pigrorum inopia, tanquam bonus cursor, occurrat. sic ille. Peregregiè vocat pigrorum pedissequam inopiam. Vbi enim piger, ibi inops simul inuenitur.

2. *Apparuit ei Dominus.*] En fructus hospitalitatis; vt vocat S Ambros. Meritò (inquiens) illi Deus apparuit, quia fructum hospitalitatis studiosissimè requirebat. sic ille. Pulchrè S. Petr. Chrysolog. hunc eundem fructum hospitalitatis considerans, adiungit: Abrahæ humanitas sic sancta sanctis est manibus præparata, vt invitaret apud illum ipsum Deum, & compelleret hospita-E ri. Ille ad Abraham, ille ad requiem pauperum, ille ad hospitum receptaculum venit, qui se in hospite, & paupere receptum fatebitur in futurum, Matth. 25. hæc Petr. Chrysolog. *serm.* 121. Sanctificatur vtique domus, quæ pauperem, atque in illo Deum suscipit. En lucrum, & præda illius piæ venationis, niminum Deus ipse in tribus Angelis. Nam quia (loquitur S.Chrys.) hospitalitatis sagenam expandebat, meruit & vniuersitatis Dominum

Tribulatio Deo occasio subueniendi Psalm. 9. / Procop. / *Abraham venator pauperum.* / *Venatio pauperum fructuosa.* / S.Ambros. / *Grande lucrum ex pauperibus.* / S. Paulinus. / *Inopia comes pigritiæ.* / S.Ambros. / S.P.Chrysol. / *Abraham requirit pauperum.* / Matth. 25. / S.Chrysost.

Deus in paupere suscipitur, & fouetur.
Matth. 25.

num cum Angelis suis suscipere, atque ob hoc Christus dicebat: *Qui susceperis vnum ex his minimis in nomine meo, me suscipit.* Matth. 25. hæc Chrysost. Eodem capite, satis commendauit Dominus opera misericordiæ, eò vel maximè, quòd in vniuersali iudicio suis electis dicturus est: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c.* Itaque omnia illa humanæ pietatis in proximos edita opera, tanquam sibi ipsi exhibita, & acceptabit, & debitis præmiis regni cælestis condonabit. Sed quanto (ait *ibidem* S. Chrysost.) gaudio putas extollentur Sancti, quando in conspectu omnium Angelorum, quod fecerunt hominibus, ipse Dominus fatetur se accepisse? Iam tale videtur opus eorum, non quale datum est, sed qualis persona illius, qui accepit. Respondebunt iusti, *Domine, quando te vidimus hospitem, & collegimus te? &c.* O humilitas, quorum nec post mortem deficiet! Sancti & debitam sibi laudem tunc repellunt. hæc ille. Valde familiaris, & amica virtus iustorum, est humilitas: hanc illi comitem indiuiduam, & viui semper exercent, & mortui secum in anima inhærentem gerunt in æternitatem. Sed longè tamen Domini ipsius modestia, & benignitas, atque (liceat ita loqui) humilitas maior; qui etiam cælesti regno potitus, adora ab Angelis, in tribunali consid ens iudicaturus omnes filios Adam; pauperculos tamen peregrinos, fame, sitique enectos, in ergastulis vinctos, nudos, ac mendicos appellabit fratres: *Quandiu* (inquiens) *fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Matth. 25. O bonitas (prosequitur S. Chrysost.) ô bonitas Christi! Esto, quandiu in corpore contemptibilis erat in mundo, fuerat verisimilis ratio, vt propter similitudinem visionis fratres suos homines appellaret: quid autem dicamus, quòd in illa gloria constitutus, adhuc contentus est eos dicere fratres, quibus sufficeret ad laudem, si bonos seruos illos vocaret? Detrahet sibi, quod habet, vt illis præstet, quod non habent. Ecce homo, si ex humili generatur, & Deo præstante, ad aliquam ascenderit dignitatem, erubescit generationem suam audire. Et Christus adhuc gloriabitur fratres suos dicendo, sedens in maiestate; & meritò, quia veniens in iudicio gloriæ, non mutauit voluntatem priorem. hæc S. Chrysost. Vnus Deus homo, cum in honore sit constitutus, adhuc intelligit, hoc est, non se hominem negat, non mutat cum honore mores; non amittit humilitatem, cum supremam admittit dignitatem. Et homuncio quidem terræ vermiculus, si tantulum dignitatis accipiat seipsum obliuiscitur, & immemor sui, & Dei, reliquos vti fæcem despicit, & vti lutum proculcat? Porrò autem Christo Domino in humilitate, sicuti & in cæteris virtutibus, nihil tam simile, quàm Virgo beatissima, tanquam Filio suo Mater sua. Ipsa quidem humilitas & Deum in vterum Virgineum attraxit, & Virginem in Matrem Dei euexit. Sic enim Pater ad illam. *Vulnerasti cor meum.* Cant. 4. siue, vt legunt alij: *Excordasti me.* LXX. *Abstulisti cor meum.* nimirum Filium meum, Filium cordis mei, cor, & amorem meum, in quo mihi bene complacui, quem de meo pectore, cordéque generaui. Hunc eundem ô Virgo tulisti in tuum vterum, peperisti, & nutristi Filium tuum. Sed quo artificio, quáve potentia hoc effecisti? *In vno* (sequitur) *crine colli tui.* hoc est, in tua humilitate, quæ tuum collum in mei famulatum inflexit, & ornauit. Sic enim Rupertus ad illum locum explicat. Quid vno crine gracilius, & quid humilitate subtiliùs? quid crine flexibilius, & quid humilitate contractius? crinis vnus vix compatet, humilitas vix consentit, quod computari possit inter homines. sic ille. Vbi enim Virgo protulit: *Ecce ancilla Domini, &c.* Verbi diuini in illius vtero facta est incarnatio. Denique vti Filius etiam in solio residens, regnans & iudicans, humilitatem semper exhibuit: Ita Virgo & Mater Dei, atque hominum Regina humilitatem suam illam perpetuò conseruauit: & nunc etiam in cœlo à Deo suo Filio Mater identidem sanctissimè nominata, nihilominus ancillam se Dei profitetur. Sic enim pius ille Abbas *serm. 3. de Natiuit.* O Domine (inquit) tu Matrem me dicis; ego ancillam profiteor. ancilla Christi sum, & quidem Matrem amore & solicitudine me præstabo quantum potero; sed conditionis meæ semper memor ero. ita Guarricus. Hanc Dei visionem putat etiam S. Chrysost. factam esse in præmium obedientiæ Abrahæ, qui alacriter circuncisionis præceptum opere compleuit. sic ergo Chrysost. Specta Domini misericordiam, & considera famuli gratitudinem. Circuncisus est ille, & cæteros circuncidit miram declarans obedientiam. Igitur ei Dominus iterum apparet. Talis est Dominus noster, vt si quando viderit nos in prioribus gratos, accumulet beneficia, & nunquam à sua beneficentia desistat, remunerans obedientium gratitudinem. Propter hoc quia obediuit, iterùm apparuit ei. hæc Chrysost. Gratus in Deum, & obediens Deo perennibus, & amplissimis Dei beneficiis cumulatur. Sed ad hospitalitatem Abrahæ reuertamur, qui suas opes, suam domum, séque totum in obsequium peregrinorum, & pauperum dedicarat, atque (vt eleganter loquitur S. Petr. Chrysolog.) non sibi, sed pauperi diues fuit, & opes non habere, sed propagare gestiuit magis, magísque in pauperis sinum, quam in horreis recondere suas studuit facultates; nam peregrinus ipse iugiter laborauit. hæc ille. *serm.* 121. Ex iis quidem, quæ peregrinando passus fuerat, didicit misericordiam in sui similes exercere, sicque (adiungit Chrysost.) ne peregrinis peregrinus sese sentiret, sub tentorio manens ipse sine tecto aduenam manere non passus est, & hospitem hospes semper ipse suscepit, extorris patria, domicilij nescius: ipse & domus omnium fuit, & patria. ita Chrysost. O diuitem in mundo planè prodigiosum, qui non sibi, sed pauperi diues erat, qui non modò excipiebat hospites, sed apud illum nullus, nec pauper nec hospes, nec peregrinus censebatur! Ipse vtique patria, domus, mensa, cibus, vitáque erat egenorum.

Eleemosyna in die iudicij celebrata.

Sanctorū humilitas comes indiuidua.

Matth. 25.
S. Chrysost.
Mira Christi humilitas in die iudicij.

Honor in superbiā effert.

S. Maria humilitas.

Cant. 4.

Humilitate sua, concepit Deum.

Rupertus.

Lucæ 1.

S. Maria Dei Mater & ancilla.
Guarric.

S. Chrysost.

Certū grato & obedienti præmium.

Petr. Chrys.
Abraham pauperum amator.

3. *Apparuerunt ei tres viri stantes, &c.*] Sedebat Abraham in conualle, via verò regia quæ ducebat ad vrbem, altior erat; in ea tres Angeli forma visibili humana sed phantastica, viatorum habitu extiterunt. præpositio Hebræa על *ghal*, *prope*, vel *super eum*, vt LXX. vertunt. Vtrumque fuit. Et viri illi ex loco editiore conspicui super Abraham in humiliore valle sedentem, ac inde non multum dissiti videbantur. Tres viri veniunt ad Abraham, duo tamen paulò post ad Loth diuertunt, quod non caret mysterio, vt illud S. August. euoluit *serm. 70. de tempore*, ad hunc modum. Ad Abraham tres veniunt, & stant super eum: ad Loth duo veniunt, & sedent in platea. Videte si non dispensatione sancti Spiritus pro meritis res geruntur. Etenim Loth longè inferior erat Abraham. Nisi enim inferior fuisset, à beato Abraham separari non meruisset, nec ei Sodomorum habitatio placuisset. Veniunt ergo ad Abraham tres viri in meridie; venerunt ad Loth duo, & vespere veniunt.

S. August.
Discrimē inter perfectum virum, & imperfectum.

A niunt; non enim sustinebat meridianæ lucis magnitudinem Loth. Abraham verò poterat plenum fulgorem lucis excipere. sic August. Itaque moribus adhuc imperfectus in pœnam seiungitur à consortio perfectiorum, quorum studia nec assequitur, nec assequi contendit: ac Dei fauoris, & beneuolentiæ, qua suos familiariter visitat (vti minus est idoneus, ac dispositus) ita minus solet

Dei gratia vltrò se communicat.

accipere. Diuinæ gratiæ fons perenniter effluit; quò igitur capaciùs inuenerit vas, eò largiùs sese infundet. Quinetiam clamat Dominus: *Aperi mihi soror mea.* Cant. 5. ac si exoriens iubar solis, vt omnia illustret, ac foueat, occlusas domorum fores indignetur, quod amicum lumen nolint suscipere. Sed vt ostendatur, quanta sit dignitas, & pretium beneficentiæ erga homines, adiungitur:

Cantic. 5.

B *quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Videlicet hoc donum afferebat sponsus, quo accepto sponsa dignior in dies efficeretur, cui se diuina gratia iugiter communicaret: est autem huiusmodi donum, in proximos beneficentia: vt subtiliter ita commentatur Psellus apud Theodoret. Si aperueris mihi, dabo tibi munus magnum, rorem capitis mei, & cicinnorum guttas: hoc est largiar tibi curandorum hominum facultatem: ros enim meus est hominum medicina. sic ille. Irrorat siquidem, & lætificat Dei sui caput, qui præstat egentibus misericordiam.

Misericordia in pauperes donū Dei est.

Psellus.

Et quorsum quæso diuitem Deus facit hominem, nisi vt dona Dei fideliter, ac largiter pauperculis dispenset?

Diues propter pauperes.

C Ita profectò Abraham sciens (vt loquitur S. Petr. Chrysolog.) se non incubatorem, sed dispensatorem diuinæ positum largitatis, vt vindicaret oppressos, absolueret captiuos, eriperet iamiam morituros, apud quem pietas in alterum vita sua charior fuit. sic ille *serm.* 121.

Petr. Chrys. *Abraha charior pauper, quàm vita.*

Sciat ergo diues se diuitem esse, vt pauperem foueat, non vt helluones, & nebulones alat, non vt vanitati suæ, ac libidini fomenta subministret. In cassum planè viuit, qui nulli prodest: frustrà, seu (vt loquitur Psaltes) *in vanum accepit animam*, qui eam se habere per opera misericordiæ salientis in vitam æternam non palàm demonstrat.

Vana opes, quibus pauper non fruetur.

Nam (vt scribit Clemen. Alexan. 3. *pædagog. cap.* 6. animæ fructus est, communicatio. Et communicatio, non possessio

Clem. Alex.

D beatum reddit. *cap.* 7. Vbi etiam hanc eandem virtutem commendans adiungit. Oportet vi in cœlos conscendere, & pulchrum baculum, beneficentiam scilicet circumferre; & iis, qui affliguntur elargientem veram quietem percipere. ita Clem. Hæc omnia consequitur vir misericors: graditur in cœlum via facili: baculo, ne deficiat, aut lassetur, interim subnititur; quietè atque in pace ad cœlum accedit: & ad maiorem gloriæ laudem violēter cœlum expugnat: nam misericordes, vt ex doctrina Clementis colligitur, sunt ij violenti, *qui regnum cœlorum diripiunt.* Matth. 11.

Cōmendatur eleemosyna.

Misericordes violenter rapiunt cœlum.

Matth. 11.

Quocirca vt Abraham dignior in meritis redderetur, & capacior fieret ad maiora subinde cœlestis gratiæ dona capienda, occasionem Deus ipse obtulit, in qua suam beneficentiam exprometeret.

E Quod ita obseruat Lyranus: Cum Deus videret affectum Abrahæ ad hospitalitatem, & non venirent homines, fecit tres Angelos apparere in specie virorum, vt eis exhiberet hospitalitatis beneficium. sic Lyran.

Lyran. *Eleemosyna occasio ad beneficia Dei.*

Vt enim peccatori diabolus nusquam non occasiones præbet peccandi, hinc iras, & odia succendens, inde acuens linguam ad obtrectationes, ad iuramenta, ad scurrilitates: ac passim denique impura spectra, & libidinum fomenta subministrans: Ita Deus viro iusto, ac salutem animæ solicitè curanti complures offert exercen-

Diabolus omnes obiicit peccandi occasiones.

Deus occasiones merendi offert.

A darum virtutum, & comparandorum meritorum occasiones, vt thesauros in cœlum congreget. Dixi occasionem solummodo oblatam Abrahæ, non autem, aut præceptum impositum, aut consilium datum, ad huiusmodi beneficentiam præstandam. affectus enim Abrahæ solam, vt se proderet, occasionem requirebat. Quod S. Bernard. agnouit in illis verbis Virginis Deiparæ: *Vinum non habent.* Ioan. 2. Quare (inquiens) non precatur, non imperat; sed tantum defectum vini nuntiat? quia cum beneficis, & ad liberalitatem propensis non gratia violenter exprimenda, sed solum est occasio proponenda. hæc Bernard. *serm.* 46. *in Cant.*

Benefico sola sat est occasio.

D. Bernard.

Ioann. 2.

Sedebat igitur Abraham in ostio tabernaculi, sed non ad otiandum. Audi S. Ambr. 1. *de Abraham, cap.* 4.

B Non otiosus (inquit) sedet, qui longè aspicit: nec aspexisse contentus, cucurrit obuiam, festinauit occurrere; quia non satis est rectè facere, nisi etiam matures quod facias: vberiores enim fructus habet celerata deuotio. hæc S. Ambros. & quidem appositè contra eos, qui gratiam aliquando præstant, sed adeò seram, & intempestiuam, vt gratia non habeatur, nec digna sit, pro qua gratiæ rependantur. At quàm bene, quia sat citò Abraham hospitibus gratiam exhibeat, sequitur,

S. Ambros. *Bis dat qui citò dat.*

4. *Cucurrit in occursum eorum, &c.*] Optimè hîc S. Chrysost. commentatur hoc modo. Currit, & volat senex. Vidit enim prædam, quam venabatur, & nulla infirmitatis suæ ratione habita ad venationem cucurrit, & non vocauit famulos; quasi

D. Chrysost. *Ad virtutis opera currendum.*

C diceret, Magnus thesaurus est, magna negotiatio: per memetipsum hanc mercem inferre debeo, ne elabatur tantum lucrum. Accurrit senex centenarius cursu promptitudinem declarans, ne subterfugeret eum spirituale lucrum. hæc S. Chrysost. Pudeat, pudeat ad hoc exemplum senis ad inuitandos hospites alacriter accurrentis, nos ita desides, ac pigros elanguere ad omnia pietatis studia, & pauperum conspectum, & preces veluti rem molestissimam atque adeo pestem refugere.

Dedecus est in virtutum opera elanguere.

Magna laus pietatis in promptitudine, atque alacritate per cursum significata commendari assueuit; vt ille discipulus, quem diligebat Iesus, *Præcucurrit citius Petro.* Ioan. 20. Cuius celeritatem, seu amorem potiùs pedibus addentem alas, & ignem

Ioann. 20.

D pectori, sic describit S. Paulin. *Epistol.* 5 *ad Amandum.* Beata velocitas illa, quæ Petrum affectu currendi parem, sed maioris æui pondere tardiorem ad sepulchrum Domini præcurrit; vt resurrectionem corporis prior inspiceret, qui solus in pectore recumbebat. Vnde geminos in alueum cordis sui traxerat fontes, quos in orbem idem postea reuelationis, & Euangelij præco diffudit, vt illam carnalem alacritatem pedum postea speciosis verbi pedibus toto per populos orbe discurrens spiritali velocitate compleret. hæc Paulin.

S. Paulin. *Ioannes affectu velox.*

Ioannes Propheta & Euangelista

Accedit igitur Abraham, & pronus in terram rogat, inuitat, vim precando facit, vti paulisper sub arbore quiescant, lotis pedibus accumbant mensæ, vlrésque sumant ad inceptum iter. Paucula, & facilè

E breuique parabilia promittit, pauxillum aquæ abluendis pedibus; & buccellam panis, vt comedant: hac tam frugali mensa contentos fore putabat, vti eorum modestia præferebat. At nimia semper in viro iusto charitas non vulgarem parat hospitibus mensam, sed solenne instruit conuiuium. Et mos hic iustorum, ac prudentium est plura exhibere, quàm promittant.

Promissio moderatior, vberior effectus.

Acquieuerunt illi tandem precanti; ergo senex quasi thesauro inuento exultans coniugi, filio, ac seruis rem denunciat; cibaria, vtensilia, mensam apparari iubet. Bene S. Chrysost. Quia magna (inquit) alacri-

D. Chrysost.

tate

A tate processit, & contentione allequutus est venationem,& prædam intra retia conclusit. *Festinauit, &c.*

In sene iuuenilis ardor ad virtutem.

Senis excitatus est iuuenilis vigor. In manibus(ait)habeo thesaurum, diuitias hinc sumam, senectutis obliuiscar. Festinat, exultat in opere, & quasi præ gaudio saltat. sic Chrysost. O egregium, ô viuidum, ô iuuenilem in sene decrepito ardorem pietatis! Plures habet in suo obsequio Abramos Christus Dominus, de quibus Psaltes: *Multiplicabuntur in senecta vberi*. Psalm. 91. Hebraicè, *viridabuntur.*

Psal. 91.

Quibus scilicet senectus abundat meritis, pietas floret, vernat affectus, iuuentus ad operandum viget: virtus nunquam senescit.

Virtus nō senescit.

S. Hildebert.

Considera (inquit S. Hildebert. *Epist.* 60.) Abraham patrem familiâs. In domino deuotionem inuenies, in familia disciplinam.

Pia & feruens Abrahæ familia.

B Quippe in domo Patriarchæ nemo repertus est sacris indeuotus obsequiis. Vrget apparatum puer, tota domus festinat, tota feruet obsequio. Nihil negligenter fit in domo iusti. sic ille. Tantam vim habet vnius patris, domini, rectoris exemplum, ad illud tota componitur familia, ciuitas, regnum.

Exemplum maiorum.

Non inuidet Abraham, non est auarus; non sibi soli thesaurum pietatis custodit, sed cum sua coniuge cœleste illud lucrum communicat. *Accelera*, inquit, *tria sata similæ commisce.* Hoc est, tres mensuras; satum enim prioribus illis seculis apud Hebræos vnum & dimidium modium capiebat, vti scribit S. Isidor.

S. Isidor.

Qua de re multa inuenies erudita apud nostros Delrio & Perer. hoc loco,& Maldonat. 13. Matth. Ioan. Maria. *lib. de ponder. & mens. c.* 20.

C Quid autem sit simila, controuertitur. Cæterùm quidquid alij dicant cum Plinio de secundario flore farinæ, placet potiùs, vti pro polline ponatur.

Simila farinæ flos.

Itaque Abraham vxori mandat, vt quam celerrimè breui opera, absque fermentatione, pro vt hospitum necessitas exigebat, panes non in clibano, sed in cineribus, ex purissimo ac delicatissimo flore farinæ in morem placentarum, atque vt vocant tortarum, conficeret.

Maritus vxori pietatem communicat.

D. Ambros.

Optimè igitur S. Ambr. *lib.* 1. *de Abraham. cap.* 5. obseruat illud idem, quod cœpimus dicere. Bonus (inquiens) maritus exortem religiosi muneris esse non patitur vxorem, nec auarè sibi totum munus vsurpat; rectè igitur, & pietatis, & verecundiæ causa seruatur.

Mulieris pudor, & officium domesticum.

D Quod pietatis est, vult esse commune; quod pudoris est, integrum manet Saræ. Ante tabernaculum vir hospitum explorat aduentum: intra tabernaculum Sara tuetur fœminæ verecundiam & opera muliebria tuto exercet pudore.

Comes vxor viri ad pietatem.

Foris maritus inuitat, intus Sara conuiuium adornat, nec solùm ipse festinat, sed etiam festinandum dicit vxori, sociam deuotionis ostendens, nec fide disparem. hæc S. Ambros.

S. Chrysost.

Accelera (vocat S. Chrysost.) ô coniux, magnam negotiationem assecuti sumus, ne perdamus thesaurum. sic ille.

Procop.

Et quidem mulier pari semper pietate, marito exiliens cum promptè (ait Procop.) iossa mariti capessit, eam tem non iniquo ferens animo, quasi à viro serua, vel ancillula reputetur. Siquidem erat vxor, & in communem societatem rerum omnium assumpta. sic ille.

S. Chrysost.

Mollities mulierum ad virtutē præstringitur.

E Meritò S. Chrys. contra mulierum socordiam ita effatur: Sara libenter laborem suscipit,& famularum opera perficit. Nunc autem multa est mulierum mollities, & omne studium in ornatu corporis, animæ verò nulla est cura. sic ille.

Nimium exornandi studiū in fœminis.

Sara laborat, non se comit. Deinde senex ipse festinatò pergit ad armentum, indéque deligit tenerrimum vitulum; neque enim huius delectum alij, quàm sibi credidit. Coquendam (in Hebræo est *facere*) optimam vituli partem tradidit puero: non displicet quod hîc obseruat Lyranus:

Lyran.

Erat iste (inquiens) puer Ismaël secundùm Hebræos, cui tradidit cibum parandum, vt eum assuefaceret hospitalitatis operibus. sic ille. Discant parentes filiorum institutioni ad opera pietatis diligenter incumbere.

Filij ad pietatem instruantur.

Nihil hic de seruis agitur: sed par est credere, quòd & illi heros suos imitati ad obsequium hospitum pariter feruerent.

Philo.

Nemo enim, (vt scribit Philo Hebr. *lib. de Abraham.*) in illa sapientis viri familia ad humanitatis officia iners aut segnis est: mulieres iuxtà, virique, serui, atque ingenui promptè, & alacriter hospitalia munia ministrant. sic Philo.

Abrahæ familia tota feruet ad pietatem.

Rectè quidem omnes à Patriarcha edocti nouerant, quantum soleat lucrum ex operibus misericordiæ comparari, quod ipse paterfamiliâs significarat, cum pronus humi precabatur: *Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum.*

S. Chrysol.

B Quæ verba expendens S. Chrys. adiungit: Dicere, *Si inueni gratiam in oculis tuis*, hoc est, admirabile beneficium (inquit) das, non accipis.

Accipit qui pauperi dat.

Verè enim huiusmodi res hospitalitas est, qua magis accipit, quàm dat, qui illam promptè, & alacriter exercet. ita Chrys. Vniuersim in pauperes beneficentia dicitur gratia, non solùm quia gratis illam egenti confers, sed etiam, ac veriùs, quia humanam præstando homini gratiam, diuinam largissimè recipis. Callebat hanc diuinam philosophiam Abraham, & ideò (vt describit S. Petr. Chrysol.) venientibus longè semper occurrit, prætereuntes etiam prece reuocat, nolentes magna cum supplicatione suam compellit ad mensam. sic ille *serm.* 121.

S. P. Chrysol.

C Tam imperitus verò, quàm impius fuit ille diues, qui (vt ait idem Chrysolog.) seruus opum tantùm pompæ immobile sepulchrum, in quo pietatis totus visus defecerat, & auditus non iam pauperem, sed ipsam misericordiã despicit ad ianuam suam Lazaro sic iacente. Epulis blandis ferrea viscera crudelis anima nutriebat. sic ille.

Diues erga Lazarū crudelis.

Lucæ 16.

Ah quàm multi hodie, vt ille, splendidè diuites epulantur, nec pauperi vel micas tribuunt vlceroso & mendicanti, tam in seipsos blandi, & deliciosi, quàm in pauperes truculenti & exitiosi! nec mirum: quippe blandis epulis ferrea viscera nutriunt, & deliciis corporum animas reddunt feris, ac serpentibus crudeliores. Illum videbis erga pauperes inhumaniorem, qui deliciosiùs viuit, & saginandæ

D suæ carni & oblectandæ impensiùs indulget. Illud etiam vel maxime commendat pium Abrahæ animum, quod non vilia obtulerit hospitibus, panem mucidum ac pene terreum; sed delicatum ac recentem; non carnes tabidas, ac fœtidas depecude morbida, aut certè macras, & penè sexeas: sed vitulum de armento tenerrimum & optimum.

S. P. Chrysol.

Bene S. Petr. Chrysol. Prima (adnotauit) & saginata de gregibus hospitibus semper apponit suis, & coniugis suæ manibus factos, calentes semper offert panes, quos frigidos, & hesternos esse vtique iugis humanitas non sinebat. sic ille *serm.* 121. Ac fortasse sibi, & coniugi suæ panes nec delicatos, nec recentes, nec teneras carnes ad mensam habebat, vtique seruum se ac peregrinum reputabat.

Pauperi dandum quod electius.

E Sic planè ratio postulat, vt pauperibus electiora, & meliora tribuamus, quippe cum Deo in paupere eleemosynam tribui ex ipsomet Euangelio Christi nouerimus. At quis nisi barbarus,& impius Deo suo viliora deferre audeat? Quis nunc Virgini Matri, aut Deo filio panem petenti, mucidum illum, aut furfureum abiiceret? At certum hoc est: *Christo datur, quod pauperi dimittitur: manducat in paupere Christus Dei & Virginis Filius.*

Christo datur quod pauperi dimittitur.

5. Dum paratur mensa, pedes hospitum lauantur, vt ex verbis Abrahæ: *Lauate pedes vestros*, hoc est, *finite lauari*: & ex ipso gentium orienta-

lium more, colligi potest. Sed quis hospitum pedes lauit? Abraham quidem de aqua ad lotionem dixit: *Afferam pauxillum aquæ.* Vnde certum est aquam ab ipso allatam fuisse; at de ablutione intulit; *Et lauate pedes*, seu vt alij legunt, *& lauentur pedes vestri*; profectò insinuans id ministerio seruorum factum iri, quod & Origen. intellexit. Et non promittit (inquiens) se pedes eorum lauare.

Origen.

Cæterum larga satis extitit Abrahæ pietas erga Deum. Nam vt eleganter loquitur S. Petr. Chrysolog. *serm.* 121. Abraham suscepto hospiti astitit, non assedit. Et fuit iste non conuiua hospitis, sed minister. Abraham viso peregrino dominum se esse nesciuit; ipse allator prandij, ad coquinam satis delicatam solicitus addixit vxorem; & qui se, suáque omnia famulis suis credit, ac committit, committere vix audet hospitem coniugi quàm probatæ. ita Chrys. Itaq; nihil pretiosius, carius, & gloriosius erat Abrahæ, quàm administrare hospitibus, hoc sibi tantùm reseruabat; atque vbi domum Abrahæ peregrinus, aut pauper accedebat, illico vnus accrescebat famulus reliquæ turbæ seruorum, ipse videlicet Abraham, qui erga peregrinum non se dominum familiæ, sed famulum peregrini exhibebat. Tantáque erat modestia, & humilitas Abrahæ, vt non auderet cum hospitibus ad mensam pariter accumbere; sed satis sibi gloriosum iudicabat, si hospitibus ipse ministraret, si ad nutum, sicuti famulus, accumbentibus assisteret.

S. Pet. Chrys. *Gloriosum est à vaina seruire hospitibus.*

Abrahā seruus pauperum.

Hoc eodem functum munere Abrahamum insinuat S. August. cum *serm.* 70. *de tempore* hospitalitatem ita commendat. Discite fratres à beato Abraham hospites libenter excipere, pedes eorum cum humilitate, & pietate lauare. Lauate, inquam, sanctorum peregrinantium pedes, ne forte in illis remaneat puluis quem ad iudicium vestrum possint de pedibus suis excutere. sic enim in Euangelio dixit Dominus. *Qui non susceperit vos, exeuntes excutite puluerem de pedibus vestris. Amen dico vobis: Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quam illi ciuitati.* Hoc ergo præuidebat in spiritu Abraham, & ideò volebat præuenire, & lauare pedes, ne quid forte pulueris resideret, quod ad testimonium crudelitatis excussum posset in die iudicij reseruari. hæc Aug.

D. August. *Hospitalitas commendatur.*

Matth. 10.

Ah quàm multa nostræ inhumanitatis testimonia secum deferunt ad supremum iudicem peregrini, & mendici, quos lassitudines faméque confectos, & nudos abire compellimus? at ne quid pulueris in signum nostræ impietatis deferretur, pedes illorum essent perhumaniter, ac diligenter abluendi. Quare optimè apponit Aug. Audite, qui hospitem velut hostem excipitis. Nolite negligere peregrinos, ne fortè quem non excepistis, ipse sit Christus. Ecce Abraham dum homines feruenter exciperet, ipsum Deum suscipere promeruit. sic Aug.

Pauperes deferunt testimonia nostræ crudelitatis.

S. August.

Et quidem sæpiùs in mundo visum est, erogari stipem mendicanti pauperi qui tamen deprehensus est Christus Dominus illo paupertatis, & mendicitatis amictus velamine. Dicat igitur quisque apud se cum mendicum videt, auditque petentem. En paupereulus habitu, ac forsasse illo indutus est Deus, ac Dominus Iesus! Quæ igitur maior felicitas, quàm vt ego pascam pane meo ipsum Dominum, ac Deum meum? Audite ô diuites huius seculi: Abraham diues in cælo nunc est; at in inferno cruciatur auarus ille diues, qui Lazarum mendicum, & vlcerosum ne micis quidem pascere voluit.

Christus habitu pauperis mendicatur.

Luc. 16.

Bene S. Petr. Chrysol. Erat (inquit) Abraham diues valde, & quem habuit in bonis præsentibus parem, nunc reprobat, & patitur esse penalem. Abraham innocentem habuere diuitiæ, hunc fecere diuitiæ criminosum; illum promouere ad omnium requiem beatorum, hunc in omnium malorum barathrum deputarunt. sic ille *serm.* 121. Grandis quidem disparitas in diuitibus, non tamen à diuitiis, sed a dispari vtentium ingenio, ac voluntate.

S. Petr. Chrys.

Diuitum vitia in malo vsu diuitiarum.

6. Cæterùm admirabilius longè est, quod Deus ipse factus homo in cœna recumbentibus discipulis omnia ministrandi ablutionem officia per se ipsum executus est. *Surgit* enim *a cœna* (scribit Ioann. 13.) *& ponit vestimenta sua; & cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.* O stupendam Dei humilitatē! ad pedes hominum prouoluta Dei maiestas vilissimi serui exhibet ministerium. Sed ita Redemptoris munus exigebat. Quia nimirùm (ait S. Greg. Nazianz. *orat. de Natiuit.*) propter humi inclinatam animam se deiicit, vt ob peccatum deorsum vergentem secum erigat. sic ille.

Ioan. 13. *Christus lauat pedes discipulorum.*

S. Greg. Naz.

Et quid mirum (inquit S. Aug. *tract.* 55. *in Ioann.*) si misit aquam in peluim, vnde lauaret pedes discipulorum, qui in terram sanguinem fudit, quo immunditiam dilueret peccatorum? Ita S. Aug. Sed heu me! quanta est grauitas peccati lethalis, quali medicina indiget, vt curetur, quali ablutione, vt abstergatur: si Deus homo suis manibus pedes abluit discipulorum; hoc est culpas ipsas leuiores, atque, vt vocamus, veniales, tā mira humilitate abiectus emendat? Quo in sensu multa dicit egregiè S. Bern. *serm. in Cœna Domini.* vbi demum hæc sapienter colligit. Nemo perniciosa securitate dormitet, quoniam (vt audiuit Petrus ab ipso) nisi lauerit ea peccata Christus, non habebimus partem cum eo. Nec ideò tamen pro eis necesse est nimis esse solicitos; ignoscet facile, imò & libenter, si tantummodò nos agnoscamus. In huiusmodi namque quasi ineuitabilibus, & negligentia culpabilis est, & timor immoderatus. Hinc est, quod in oratione, quam ipse constituit quotidiè pro peccatis illis voluit nos orare. sic Bern.

S. August.

Mira grauitas peccati lethalis.

Qualiter habenda cura in peccatis venialibus.

Sed cum in multis offendamus omnes (vt ait Apostolus Iacob. 3.) & hæc errata collectim sumpta sint ineuitabilia, ratio aliqua subesse debet, cur ita diuinitus constitutum sit. Ea planè mihi perplacet, quam statim idem Bernardus subiicit, inquiens: Et de minoribus istis peccatis pro dispensatione nobiscum agitur, vt non penitus auferantur, sed in illis nos erudiat Deus: vt cum minima cauere non possumus, certi simus, quod nō nostris viribus maiora superemus, sempérque timorati, & omnino soliciti simus, quomodo eius gratiam non amittamus, quam nobis tam multipliciter necessariam esse sentimus. hæc Bern. Itaque, vt cautiores, & magis humiles simus in venialia errata incidimos.

Iacob. 3.

S. Bernard. *Erudimur in peccatis venialibus.*

Deinde Christus Dominus abluendo pedes discipulorum Abrahæ patri suum istud pietatis obsequium magno cum fœnore voluit exoluere; vti perquàm pulchrè subindicauit Tertul. cuius illa sunt verba. Abrahami filiorum pedes, ad probationem, quòd ipse esset, abluit; reddens in filiis ius hospitalitatis, quod aliquando illi fœnerauerat pater. sic ille. Bene fœnerauerat. Cum Deo quidem semper vsuram facimus; paucula illi tribuimus, immenso ille nobis fœnore multa & magna retribuit. Abraham pedes lauit Angelis Deum repræsentantibus, Deus Abrahæ filiorum pedes suis ipse manibus lauat, & linteo abstergit.

Christus abluens pedes obsequium Abrahæ soluit.

Tertul.

Cum Deo semper vsuram facimus.

7. *Posuit coram eis; ipse verò stabat. &c.*) Non famuli epulas mensæ intulerunt sed ipsemet Abraham hoc ministerio fungi voluit. Disertè igitur Procop. obseruat: Ministerium inseruiendi mensæ non

Ministrandi pauperibus munus assumit Abrahā.

Procopius.

non mandat seruo, seruilem veritus socordiam, & ignauiam: vbi verò negotia nuptiarum, & aliarum rerum ingruunt, quæ ad victus rationem spectant, cum serui opera vtitur. sic Procop. Scilicet Abraham nihil domi suæ potius, & charius habebat, quam hospites excipere, peregrinis inseruire: inquo munere tam magnam exigebat diligentiam, vt illud seruis sæpè oscitantibus committere non pateretur. At iisdem verò totius familiæ cuncta negotia demandabat; si quid ob negligentiam eorum damni contraheret, non pensi habebat. Deinde hoc ministerium inseruiendi accumbentibus, vti augustum, & sacrum sibi tanquam vero sacerdoti assumpsit. Quod etiam Procop. ita considerat. Mensæ ministerium occupat ipse, quamuis possideret trecentos decem & octo vernaculos, compluresque alios suo ære comparatos. Solicito illo ministerio declarat, se illos existimare non homines, sed humana conditione augustiores. Seruis non est animus concredere sacerdotale ministerium. sic ille. Profectò stipem erogare mendiculis, famescentibus porrigere cibum, nudos amictu operire, ac cætera exequi officia pietatis, augustum & sacrum, & sacerdotale ministerium est; dignitas est, non abiectio. Hunc tantum honorem sibi Episcopi, atque etiam viri principes, vt illustriores fiant, referuent. Illud etiam admiratione, atque imitatione dignum, quod sequitur: *Ipse verò stabat.* Vbi S. Chrysost. sic: Per semetipsum omnia facit, & apponit. Et neque dignum semetipsum censuit, qui consideret eis, sed illis comedentibus adstabat ipse. O magnitudinem hospitalitatis! ô humilitatis excellentiam! ô mentem oppidò piam! ita Chrysost. Videlicet indignum se iudicabat Abraham, qui simul accumberet vti conuiua cum illis, quos humana specie augustiores reputabat, vt considerat in hunc modum Procop. Quia illos maiores, & augustiores hominibus iudicabat, factum est, vt non vnà cum illis accumberet, & cibum caperet, sed staret ad mensam diligenter illis inseruiendo. Communem mensam attingere veretur, cibum illis offerens, quasi victimas cæderet, & holocausta daret, quæ soli numini competunt. sic Procop. Sacrificium vtique Deo litatum est eleemosyna pauperi erogata. Apparuerat Dominus Abrahæ, sedenti in ostio tabernaculi; sedebat quidem ille antequam peregrinos videret, vbi autem eos conspexit, illico accurrit, festinauit, hac illac cursitans: sedent deinde peregrini, accumbunt mensæ, comedunt denique: at Abraham stat. Vnde igitur seni decrepito tantus nunc vigor, tantæque vires, & iuuenilis ardor? nihil non præstat, ac molitur, quam vel in arduis captamus, voluptas: hæc autem maximâ solet oriri ex præclaro aliquo honore (huius enim summa nobis inest cupiditas) quem assequi contendimus. Quod quidem in Abraham ita expendit S. Chrysost. Adstabat centenarius comedentibus illis. Mihi videtur tunc præ gaudio alacritat-que multa factus superior sua imbecillitate, & robur quoddam accepisse. Sæpe enim consueuit alacritas animæ, si quando roborata fuerit, vincere corporis imbecillitatem. Adstitit igitur Patriarcha, quasi famulus, summum honorem suum existimans, quòd præsentibus ministraret. sic S. Chrysost. Quid non arduum, ac difficile incredibili quadam suscipiunt alacritate homines pro voluptate corporis potiunda, pro fugacibus mundi honoribus comparandis? O si talem ad vera, & summa, & æterna animæ bona consequenda exhiberent alacritatem! Denique ea humilitas Abrahæ (inquit S. Ambros. *lib. 1. de*

Procop.

Seruire pauperibus sacerdotale ministerium.

Pauperi stipem dare dignitas est.

D. Chrysost.

Abraha humilitas.

Procop.

Eleemosyna sacrificium est.

Voluptas molitur omnia.

D. Chrysost.

Nihil nõ molitur homo pro bonis temporalibus.

S. Ambros.

Abraham cap. 5.) inuenit gratiam, vt promitteretur ei filius. Fuit itaque Isaac donum gratiæ Dei, & meritum ac fructus humilitatis Abrahæ, qui stabat, & accumbentibus inseruiebat. Iure optimo diues ille inhumanus, qui Lazaro mendico, & vlceroso etiam suæ mensæ micas denegabat, *cum esset postmodò in tormentis, vidit Abrahã de longè*, Luc. 16. Ad quæ verba eleganter, & acutè vt solet S. Petr. Chrysolog. sic edisserit. Longè illi erat Abraham, cui non fuerat proximus pauper. Vidit Abraham diuitiarum consortem sed inhumanitatis exortem. Et Abraham diues, sed plus humanitate, quàm censu: tu diues, inhumanitate tua maior tuis diuitiis extitisti. Abraham sibi peregrinus, ciuis hospitum fuit; tu palatia possidens, tectum pauperi non dedisti. Abraham dum seruos suscipit, Dominum sic recepit, & cunctis hominibus ponens panes, ipsum Dominum suam suscepit ad mensam; tu dum singulari pauperi negas micas, stillam refrigerij perdidisti. sic Chrysol. *serm. 66.*

8. *Cumq; comedissent, dixerunt, &c.*) Angeli cum sint incorporei, & expertes potentiæ nutritiuæ, non propriè comedebant; nec enim alimentum in substantiam suam conuertebant, neque illud per os in stomachum verè demittebant, iis siquidem membris carebant, sed apparenti corpore, & ore videbantur comedere, alimentúmque vi nobis ignota in tenuissimum aerem resoluebant. Igitur finito epulo, benéque (vt apparebat) pasti Angeli hospitalitatem Abrahæ ingenti quodam beneficio persoluunt. Nihil enim, aut citiùs, aut vberiùs fructificat, quàm opus misericordiæ indigentibus exhibitum: quod hic. S. Ambros. ita ostendit. Iacob oues adaquauit Rachel, & gratiam reperit, vxorem acquisiuit. Vnius horæ hospitio vidua illa, quæ suscepit Heliam, & exiguo cibo, perpetuum toto tempore famis inuenit alimentum, & mercedem accepit mirabilem, vt nunquam de hydria farina deficeret. Elisæus quoque defuncti pignoris resuscitatione donata resoluit hospitij pensionem. hæc Ambros. Quare (vt subnotauit S. Chrysost.) postquam largiter, & magna hilaritate seminauit iustus hospitalitatem, statim & manipulos vberrimos messuit, &c. Simili sêsô dixit S. August. *serm. 68. de tempore.* Quia apud Deum infructuosa hospitalitas esse non potuit, statim pretium mercedis accepit. Datur filius seni; datur posteritas desperanti; accepit senectus, quod minime potuit habere iuuentus. sic August. Angentur & mœrent, ac vitam trahunt (vt putant) infelicem plurimi coniugati, eo quòd matrimonij fructu careant. Fortè si opera misericordiæ exercerent, Isaacum filium pietatis fructum, ac mercedem susciperent, quod sæpiùs visum in mundo est. Stabat adhuc tam pios, quàm humilis Abraham ante mensam suorum hospitum: quorum vnus dignitate reliquis antecellens vt humilem honoraret, illum est affatus (vt rectè animaduertit S. Chrysost. Vbi (inquiens) vidit eum stantem, & stando magnum honorem & ministerium afferre, dixit ei: *Vbi est Sara vxor tua?* sic ille. Diligenter quidem expendi debet, quorsum tota hæc historia, & acta & narrata sit. Nimirum, vt merita Abrahæ, & Saræ demonstrarentur, quibus tanti miraculi filius donandus esset: atque illorum commendaretur ortus Isaac, qui de tam sanctis parentibus esset nasciturus. Nam in illa hospitalitate, (vt ait S. Chrysost.) declarata fuit virtus iusti, simúlque ostensum est, quantorum, & qualium bonorum causa fuerit iusto hospitalitas. ta Chrysost. At quænam extitit virtus Saræ, & in

Isaac fructus humilitatis Abraha.

Luc. 16.

P. Chrysost.

Discrimen inter Abraham, & diuitem auarum.

Angeli non verè comedunt.

Citò & abunde fructificat eleemosyna.

D. Ambros.

D. Chrysost.

D. August.

Eleemosyna prolem impetrat.

D. Chrysost.

Merita Abrahe & Sare proditur.

D. Chrysost.

S. Ambros.

Mira Saræ verecundia.

Mulier vitet oculos virorum.

in quo se maximè prodidit? Planè ex his verbis Domini colligitur in hunc modum à S. Ambrosio loco sæpius indicato. Nunquid ignorabat Dominus vbi Sara esset? sed docere nos voluit quantus pudor esse debeat fœminarum, ne procaci occursu hospitum in se oculos inflectant, salua verecundia ministerium suum exerceant. Prouectior ætate iam Sara iuuenilem custodit verecundiam: ideò Dominus spopondit ei filium. sic Ambros. At mihi quidem semper mirabilis extitit, & pudicitia, & prudentia Saræ. Mulier ingenio, vt reliquæ, videndi, audiendi, ac sciendi res nouas auidissimo, in tantorum hospitum aduentu, & conuiuio, cui parando tota ipsius insudauit familia, tam sui tamen compos fuit, ita se potuit continere in pudore muliebri, quasi puella esset virorum B obiecta conspectibus, vt saltem in ostio sui tabernaculi considens Angelorum faciem habitum, mensam non spectaret. O mulier sexu, sed plusquam mulier virtute! hanc obsecro fœminæ natura vobis similem, fœminei pudoris magistram imitamini. Et quidem ad laudem huius pudicissimæ mulieris, multum accrescit quod S. Crysost. ex verbis Angeli rimatur ad hunc modum. *Vbi est* (dicit) *Sara vxor tua?* statim autem per interrogationem indicauit ei, quòd non esset ex vulgaribus aliquis, quandoquidem & mulieris illius nomen sciuit. Ille autem inquit: *Ecce in tabernaculo.* Et quia statim tanquam Deus polliciturus erat ei quæ supra naturam, propter hoc & dicendo nomen Saræ, significauit, quòd supra hominem esset, qui in tabernaculum eius diuerterat. hæc S. Chrysost. quibus nihil in hoc genere subtilius.

Sara fœminei pudoris magistra.

D. Chrysost.

Testimonium veri Angeli scire nomen Saræ.

Tanta quippe erat pudicitia Saræ; sic illa fugiebat virorum obtutus, sic amans secretum, sic abscondita in lateribus domus suæ latebat, sic nulli aut visa de facie, aut de nomine cognita: vt præter virum suum, & familiæ domesticos, nullus nisi Deus Saræ nomen scire posset. Quare qui miraculum tam nouum, ac rarum enunciaturus erat Abrahæ, non euidentiore signo se Deum esse, aut certe Angelum Dei vices gerentem demonstrauit, quam rem illam tantopere abditam, & incognitam reuelando, videlicet nomen Saræ coniugis Abrahami. *Respondit Abraham; Ecce in tabernaculo est.* Quod etiam ad commendandum pudorem D Saræ conducit; quasi dicat. Ecce vxor est, vbi esse debet, scilicet in tabernaculo. Hinc illud optimè colligit S. Ambros. Abraham quoque auribus tuis ingerit in tabernaculo Saram degere, vt discas quid ab vxore exigas, &c. Insipiens vtique censebitur, qui vxorem, aut vagari foras, & cursitare per domos alienas patietur; aut ipse fœminam ad externa ministeria extra domum dimittet; aut eam saltem suo in tabernaculo temerè virorum aspectibus, & colloquiis exponet. Vxoris tuæ faciem videant, noménque nouerint solus Deus, solique Angeli præter tuam familiam, téque ipsum.

S. Ambros.

Vxorem vir domi custoditam teneat.

9. *Reuertens veniam, &c.*] Vt seriem huius historiæ consideranti patebit, etsi tres Angeli apparuerint, vnus tamen cæteris dignior, & illustrior E existebat, cum quo maximè loquebatur Abraham, quíque ad Patriarcham, & coniugem illius solus, & verba, & promissa dirigebat. Percelebre dictum teritur: *Tres vidit, & vnum adorauit.* Certè mysterium sanctissimæ Trinitatis intellectum, & declaratum hoc loco à Patriarcha communis est Patrum, ac doctorum sententia Hinc S. August. *serm. 70. de tempore,* Tribus (inquit) occurrit Abraham, & vnum adorat. In eo autem, quod tres vidit, Trinitatis mysterium intellexit: quòd autem quasi vnum adorauit, in tribus personis vnum Deum

S. August.

A esse cognouit, ad vnum loquitur, &c. hæc August. Similiter S. Ambros. *lib. 1. de Abraham cap. 5.* Vide (inquit) fidei mysterium. Deus illi apparuit, & tres aspexit. Cui Deus refulsit in Trinitate, non sine Filio Patrem suscipit, nec sine Spiritu sancto Filium confitetur. hæc Ambros. Nihilominus colligitur inter illos tres vnum apparuisse digniorem. Vide S. Chrysost. Ne mireris, quòd cum tres exceperit, ad vnum se conuerterit iustus, dicens: *Domine.* Fortassis enim vnus gloriosior cæteris apparebat, ad quem exhortationem suam conuertit. ita Chrysostom. De his Lyranus ad hunc modum scribit. Isti tres Angeli erant secundum Hebræos, Gabriel, Raphael, Michael: Michael venerat ad significandum conceptum Saræ: Nam de Isaac B erat nasciturus Messias. Gabriel, ad subuertendam Sodomam, & ad saluandum Loth de Sodomis: Raphael ad curandum Abraham; facta est enim apparitio tertio die post circuncisionem. Michael autem erat tanquam principalis in medio. Hæc ille, quæ tamen redolent nescio quid Rabbinicum, hoc est, fictioni, quàm veritati similius. Illud longè sanius, ac solidius inter Catholicos habetur, quòd è tribus illis Angelis vnus vultu, & habitu augustiore venerandus Dei vicem gereret; ac fortasse Verbi diuini personam repræsentaret. Hic igitur post exactam mensam, vt Abrahami, & Saræ pietatem singulari aliquo beneficio condonaret, ait: *Reuertens, reuertar,* Hebraismus: est videlicet certissimè anno sequente, hoc ipso die, hac C ipsa hora viui eritis, & incolumes: ac subinde Sara ex te sene coniuge Abraham filium enixa suis lactabit vberibus. Sara igitur (prope iam ostium, aut in ipsomet ostio Angeli aderant cum Abraham) audiens partum, filium, vbera lactentia, modestè quidem, sed non parum risit, secum loquens, aut animo intus agitans: Nihil quidem minus. Hactenus concipere non potui, & iamiam anus effœta, & extra omnem muliebrem consuetudinem (sic menstrua significant Hebræi) concipiam, & pariam? & quæ iam pridem à coniugali commercio abstineo, nunc immemor ætatis vetula sanè decrepita iuuenile opus exercebo? cum præsertim dominus meus, id est, maritus (sic honestiores fœminæ maritos vocant dominos suos) D deuexa iam sit ætate, ac senio confectus. Risus itaque, non ausa palam dicto, Angeli promissionem refellit. Duo hic rectè colligit Lyranus: ex verbis quidem illis Angeli: *Reuertens reuertar, &c.* Hoc nimirum. In quo (inquit) ostenditur, quod Angeli sunt soliciti de visitatione hominum, &c. Alterum ex verbis Saræ, videlicet: Ex quo (ait) videtur, quòd Sara continuit ab actu coniugali, ex quo transiit tempus suum concipiendi secundum naturam. hæc ille. Idem sentit S. Zeno Veronensis, qui partum deinde Saræ considerans hæc apponit: Matris suscepit officia, quæ vxoria munera nesciebat. *serm. 2. de Abraham.* Et quidem de visitatione Angelorum satis alibi dictum à nobis. Vtinam visitantes Angelos libenter & castè E exciperemus, & monentes, ac suadentes, quæ ad salutem nostram pertinent, debita reuerentia audiremus, auditísque facto ipso obsequeremur! At Sara deinde coniugatis exemplo esse debet, vt solius habendæ prolis desiderio commercium virile patiantur; & non sicut brutæ pecudes ad ventris spurcitiam abiectæ in turpem libidinum voluptatem cæco, ac fœdo impetu rapiantur. Videtur enim Saræ coniugatæ indecorum & inane sine spe fructus, maritali officio defungi coniuges ipsos; atque omnino intolerandum, & execrandum senes, & vetulas in carnis adhuc luto sordescere,

S. Ambros.

S. Trinitatis mysterium figuratur.

D. Chrysost.

Lyran.

Promittitur Abrahæ ex Sara filius.

Lyran.

Sara castitas in coniugio.

S. Zeno.

Visitatio Angelorum sanctè suscipienda.

Mulieri honestas induatur.

Fœda in senibus libido.

descere, quibus vna tantùm cura esse debet mundandi, & parandi animas ad æternam vitam.

10. Porrò Angelus, aut Dominus per eum volens se ostendere plusquam hominem, vt ita illi coniuges promissionis de filio generando fidem indubitanter haberent, reuelauit risum occultum Saræ, & totam ipsius latentem in animo ea de re dubitationem, aut etiam diffidentiam. Sensa enim animorum soli Deo sunt manifesta. Quod ita S. Chrys. edisserit. Dum Sara intra tabernaculum ita cogitat; is qui scit arcana mentis demonstrare volens, & virtutis suæ excellentiam, & quod nullum occoltum se lateat, dixit Abrahæ: *Cur risit Sara? Num verè paritura sum anus? &c.* Et quidem spectatis naturæ viribus impossibile id videtur: nam adiungitur. *Erāt ambo senes, prouectaque ætatis, & desierant Saræ fieri muliebria.* Iam scilicet præ senio menstrua non effluebant ad conceptionem necessaria; naturalis hic est fluxus sexui fœmineo, vnde consuetudo, via, regulàque mulierum solet appellari: à qua proculdubio fuit immunis semper Virgo purissima Dei Mater, vt egregiè probat Galat. *lib. 7. cap. 10.* Sunt enim menstrua sordes, fœtor, & ægritudo corporis fœminei, proueniúntque ex superfluitate materiæ secundùm medicos: at in Virgine Deipara omnia mundissima & Sole ipso, ac syderibus longè puriora. Deinde corpus Virginis, vti purissimum, sic etiam erat perfectissimum, & sanctissimum; vt nihil in ea superfluum, nihil corruptum, maléque affectum inueniri posset. Quare Dei Mater nec menstruis vnquam polluta fuit; nec morbo, ægritudine, doloréque vllo corporali per totam vitam laborauit. *Desierant itaque Saræ fieri muliebria* hoc est, declarat S. Chrysost. arefactus erat fons, excæcatus oculus, officina erat inutilis facta. sic S. Chrys. Nihilominùs Deo naturæ authori *nihil est*, vt Angelus subdidit, *difficile*. Hebr. פלא *pale*, idem quod *separatum*. Sensus est; nihil adeo remotum est à Deo, vt illuc ipsius omnipotentia quicquid volet factura non facilè pertingat. L X X. *Non erit impossibile.* Chald. *Nunquid occultabitur à facie Domini verbū.* Quod quidem poterit eò referri, vt occultum illud quod secum cogitabat Sara, Deo manifestum esse dicatur. Deprehensa mulier in risu illo suo tam occulto negauit se risisse, verecundia scilicet, ac timore consternata. Neque enim in tanta perturbatione quid diceret attendit; tantóque magis excusabile bonæ mulieris apparet mendacium. Certè (vt benè obseruat S. Chrysost.) propterea scriptura tribuens hoc infirmitati eius totum; adiicit: *Timore perterrita.* ita Chrys. Cognatum mulieribus mendacium, & ferè a prima Eua illis innatum est. Sed heu me! quid nobis fiet in tremendo iudicio, si de risu, & occulto, & non inhonesto mulier sancta rogatur, & arguitur? horrendum est incidere in manos Dei omnia videntis, & nihil non exactissima seueritate diiudicantis. Nihilominùs S. Ambros. excusat Saræ risum à culpa in hunc modum. *Risit Sara*, quod indicium futuri magis, quàm incredulitatis arbitror. Risit enim, licet adhuc nesciens quid rideret, quod publicam esset in Isaac paritura lætitiam. Ideò negauit se risisse, quia ignorauit; ideò risit, quia prophetauit. hæc S. Ambros. *lib. 1. de Abrah. cap. 5.* Sed quid est, quòd ridentem ex dubitatione Saram Angelus non statim increpauit; sed primò à viro illius est sciscitatus, Cur risit Sara? Nimirum insinuat virum caput esse mulieris, atque ad virum ex munere ipso suo pertinere, vt vxorem instruat, dirigat, doceat, bonísque moribus informet; quod si hoc minimè præstet, culpæ viro tribui, quòd vxor à recto studio aberret; atque adeo vitium mulieris, vel leuior etiam risus in mariti caput redundet.

S. Chrysost. — *In Virgine Maria nec menstrua, nec morbi fuerunt.* — Galat. — S. Chrysost. — *Mendacium cognatum mulieri.* — S. Chrysost. — *Seuerum Dei iudicium.* — D. Ambros. — *Cur Sara risit.* — *Viro tribuitur vitium & virtus vxoris.*

SECTIO II.

Cùm ergo surrexissent inde viri, direxerunt oculos contra Sodomam: & Abraham simul gradiebatur deducens eos. Dixítque Dominus: Num celare potero Abraham quæ gesturus sum. &c. vsque ad finem.

1. EXacta mensa, & oraculo de filij procreatione in diem, atque horam illam eandem sequentis anni ab Angelis explicato, à tabernaculo Abrahæ proficiscūtur tres ipsi viri, hoc est, Angeli sub specie virili. Abraham verò simul cum illis graditur. Nam (vt benè obseruat Procop.) ægrè ab his diuellitur Abraham, imò his adhærere, & vnà iter facere auet. sic ille. Et quis obsecro à consuetudine, & conuictu cum Angelis non ægrè ferret separari? Quid mirum igitur si non semel in Euangelio scriptum sit; *Cum Deus ipse factus homo in terris ageret; secuta sunt eum turba multa: totus mundus post eum ibat, &c.* Sequebantur eum turbæ (inquit S. Euseb. Emiss. *in Matth. 8.*) eius sermone delectatæ, eius virtute sanatæ, eius amore colligatæ. sic Euseb. Simile quid apud S. Chrys. leges: videlicet: Per totum Euangelium cernes hos Domino affixos sequentes, & mirātes. Sequebantur (vt alibi iam ex S. Bernard. retulimus) Dominum aspectu eius & afflatu pariter delectati. Talis ille, qui aiebat: *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Psal. 72. Hebr. *quirbath.* קרבת, *appropinquatio Dei bonum est.* Quòd enim Deo appropinquemus, illi adhæreamus, non nostra virtute fit, sed illius misericordia: descendit ille, ac suam quodammodo maiestatem ponit, vt ad nostra se demittat, nobiscum agat, nos sibi aduniat. Quorsum enim à cœlo in terras descendit & cum hominibus conuersatus est, nisi vt homines iam cognatione eiusdem carnis sibi coniunctos, amoréque subinde colligatos à terrenarum rerum cupiditate, studióque abductos secum in sublimia cælestis patriæ bona corripiat? Quod per Oseam significans dicebat: *Pendebit populus meus ad reditum meum.* cap. 11. Quæ verba sic eleganter ac piè discutit Abbas Guarric. *serm. 1.* Pulchrè omninò, & propriè pendebit, tanquam inter cœlum & terram: vt licet adhuc apprehendere cælestia non valear, non velit tamen tangere terrena. Et si aliquando tangit, non nisi summis articulis, id est extremis partibus animæ; propter necessitatem scilicet corruptionis nostræ, cui cogimur seruire, quandiu creatura vanitati subiecta est non volens. sic ille. Hanc à terrenis suspensionem, & in cælestia transuolationem nostrarum animarum, cum tota vita inter nos agens, & diuina semper operatus; tum verò maximè in crucem sublatus Dominus Iesus enixè à nobis contendit, vti Guarric. idem adiicit. O Domine (inquiens) suspendium eligit anima tua, vt exaltatus à terra nos quoque ad te traheres, & à terrenis suspenderes. sic Guarric. *Gradiebatur igitur Abraham cum Angelis in Sodomam euntibus, deducens eos.* Hebr. *lexallecham*, לשלחם, *vt dimitteret eos, ad dimittendum eos.* L X X. *comitans eos.* Chald. *vt comitaretur eos.* radix est *xalach*, שלח *mittere, dimittere*; sed sensus in his versionibus, vnus idémque est, videlicet Abrahā hospites suos deducebat, comitabatur, & iter illis indicabat, simul gradiens ab eorum consuetudine, colloquio, & aspectu diuelli nec poterat, nec sciebat.

Procop. — *Dulcis cum Angelis consuetudo.* — *Dulcissima Christi præsentia.* — Euseb. Emiss. — S. Chrysost. — D. Bernard. — Psal. 72. — *Christus homines quærit, & eleuat.* — Oseæ 11. — Guarric. — *Terra iusto vix tangenda.* — *Suspensio à terrenis commendatur à Christo.* — Guarric.

Christus apparet euntibus in Emmaus. fciebat. Venit hic in mentem *peregrinus ille, qui euntibus discipulis in Emmaus, appropinquans ibat cũ illis & loquebatur in via, & aperiebat scripturas.* Luc. 24. Nesciebant illi quis peregrinus esset, & tameo *cor nostrum* (aiunt) *ardens erat in nobis dum loqueretur.* Magna quidẽ vis in comitatu isto, quòd homines simul cum Deo (licet eum nescirent) gradērentur: sed totum cordium suorum ardorem ad sermonem Domini referunt. Mira enim potentia est verbi Dei, dum attentè synceréque auditur. Etenim (vt ad eum locum Beda obseruat) exaudito sermone inardescit animus, torporis frigus recedit, fit mens in superno desiderio anxia, à concupiscentiis terrenis aliena. Amor verus, qui hanc repleuerit, in fletibus cruciat. Sed dum tali ardore cruciatur, ipsis suis cruciatibus pascitur; audire ei libet præcepta cælestia, & quot mandatis instruitur, quasi tot facibus inflammatur. hæc Beda. Ergo ardenti desiderio dicamus: *Mane nobiscum Domine*, scilicet, vt à nobis suum non auertat aspectum: quòd si abierit, cum clamore valido, & lacrymis reuocemus abeuntem. Reuertere Domine, & visita seruum tuum. Nam fortè (ait S. Bern. *serm. 74. in Cant.*) ideò subtraxit se, quò auidiùs reuocaretur, teneretur fortiùs, &c. Optimè hic subnotauit Procop. quanti à Deo fiat peregrinos & hospites ex charitate comitari, ac deducere. Quanta (inquit) commoda ferat comitari homines, & peregrinos, satis vel inde confirmatur, quòd Abrahamo hic quædam occulta & abstrusa committuntur miracula, dum in comitatu agit. sic ille. Proh quàm iucunda, & fructuosa animæ consuetudo est cum Angelis, ac multò magis cum Deo ipso, in quem desiderant Angeli prospicere!

Luc. 24.
Vis in sermone Dei.
Beda
Amor cruciat, & cruciatibus pascit.
Deus desiderari, & vocari vult.
S. Bernard.
Procop. Vtile peregrinos excipere.

a. *Num celare potero, &c.*] Hebr. המכסה *hamacaseh, nunquid celo* noster, *celare potero*, hoc est, nunquid par est, vt velim celare. *posse*, pro *velle*, Hebraismus frequens est. Quasi dicat: non mecum statuam, vt arcana mea seruo meo tam fideli Abraham non reuelem. Amicorum est enim hæc tam familiaris, & intima communicatio, vt alterius alteri occultissima quæque detegantur, quod amoris sui argumentum Deus erga suos Prophetas præstitit, quibus secretissima reuelauit mysteria. Cæterùm, cum nulla, aut maior, aut æqualis & amicitia, & vnde hæc nascitur, amoris mutui connexio inter duos vnquam exuiterit, aut esse potuerit, quàm inter Dominum IESVM, & dignissimam illius matrem Virginem Mariam (vt enim vna caro erant, sic vna tantum anima præ amore videbantur:) sic mihi persuasum habeo Virgini Matri hoc admirabile priuilegium concessum esse, vt mentis suæ oculis inspiceret animam Filij sui, atque in hac omnes cogitationes, & sensa animi secretissima miro quodam modo complecteretur. Profectò id in nuptiis Cana deprehensum esse, sic demonstrat S. Eusèb. Emiss. *homil. in Domin. 2. post Epiphan.* Plena Spiritu sancto Virgo Maria, iam tunc illud miraculum præuidebat, quod Filius eius facturus erat. Quod ergo IESVS facere cogitabat, hoc illa, vt faceret, admonebat. *Quodcunque* (inquit) *dixerit vobis, facite.* Inter se loquebantur Mater, & Filius. ipsi se intelligebant, ipsi sua secreta nouerant ipsi, quid tunc fieri oportebat, & quid postea futurum erat sciebant. hæc ille. Quod etiam *homil. in Domin. 1. post Natiuit.* clariùs iam expresserat. Ipsas (inquiens) Filij sui cogitationes cognouisse beatã Mariam ex eo intelligere possumus. quòd ad nuptias vocata, hoc quod ille facere disponebat, ipsa vt faceret admonebat, dicens: *Vinum non habent.* Et deinde, *Quodcunque dixerit vobis, facite.* sic Eusèb. Optimè in hanc mutuam

Arcanorum communicatio mutui amoris.
Summus amor inter IESum, & B. Mariã.
B. Maria Filij arcana sciebat.
Eusèb. Emiss.
Ioan. 2.
B. Maria nouerat cogitationes Filij.
Eusèb. Emiss.

A bonorum inter amicos communicationem illud scribitur à S. Hildebert. *Epist. 28.* Hæc est inter amicos animorum concordia, vt nihil ab altero sit alienum, nihil alteri singulare. Omnia facit eis, vnam rempubl. voluntas vna. sic ille. Hinc etiam perelaganter scripsit S. Paul. *Epist. 13. ad Seuerum sibi amicissimum*: Dignissimum me iudicarem, qui à tua charitate vacuarer, si vllum bonum mihi, quàm tibi, mallem. ita Paul. Quod si hæc vera ratio amicitiæ in hominibus inuenitur, quid non amoris, atque intimæ communicationis intercessisse credendum est inter Virginem Matrem ac Filium eius suauissimum? Etsi autem in Hebræo tantùm legatur: *Num celo, aut, celabo Abraham.* LXX. tamen addiderunt, τῷ παιδί μου,

S. Hildebert. Amicorum voluntas vna.
S. Paulinus.

B *seruo meo*, aut vt legit S. Ambrof. *puero meo*: qui & egregiam rationem subdit, quare Dominus hoc loco puerum vocet illum senem centenarium. sic enim scribit *lib. 1. de Abraham. cap. 6.* Non celo (inquit) Abrahæ puero meo quæ ego facio. Senilis vtique ætatis Abraham superiùs Scriptura significauit, quia nonaginta & nouem processisset annos: quomodo nunc puerum dicit? Sed cùm immemorem senectutis, exploratorem indefessum, cursu impigrum, standi patientissimum, deducendi studiosissimum expresserit, nonne conuenire nomen pueri videtur? Officiis meritò puer, qui senile nesciebat fastidium, pueritiæ innocentiam, & obsequium deferebat. hæc S. Ambrof. Proh. quàm multa & præclara virtutum documenta peti pos-

D. Ambrof.
Senex Abraham pietate impiger.

C sunt ex isto seruorum Dei & magistro, & typo! ante Deum suum astabat, & videbat, quod postea Dauid imitatus est, hoc est considerabat intentis oculis, quid sibi à Domino iuberetur; vti puer officio, & obsequio, ad parendum, & ministrandum, qui ætate grandæuus ad corporis, & vitæ negotia vix rectò habitu sedere iam poterat; non meminerat senem se ac decrepitum esse; non fastidiebat senex iuuenilis officij laborem, ac molestiam. Amor illi Dei sui nihil non dulce, ac suaue reddebat. Verè Dei seruus in summa senectute Abraham extitit, vti postea fuit Moyses, etiam cum extremum egit spiritum; imò (quod amplius est) cum iam mortuus in sepulchro teneretur. sic enim traditur Deut. 34. *Mortuus est Moyses seruus Domini,*

Psalm. 5.
Alacritas Abrahæ ad parendum.
Deuter. 34.

D *nec sepulchrum eius nouit vllus, nec oculi eius caligauerũt nec facies eius corrupta est.* Quæ verba sic expendit S. Gregor Nyss. *de vita Moysis.* Hinc discere licet, quot, quantisque virtutibus hoc sacro nomine dignus humo efficitur, vt Dei seruus appelletur. hoc autem ipsi studiosæ vitæ huius seculi affert finem verbo Dei consummatum. Docemur ex hac historia ad vnum esse finem nobis in hac vita respiciendum, vt serui Dei nomen assequamur. hæc Nyss. An-ne vt etiam mortuus, ac sepultus Domino suo deseruiret, homines, vel ritu barbaros, religione infideles, viuendi licentia execrandos ad pietatem Dei viri traduceret. prope turpissimum idoli fanum in terra Moab conditus est sepulchro traditur enim: *Sepeliuit eum in valle ter-*

S. Greg. Nyss.
Seruum esse Dei magna gloria.
Moyses etiam sepultus Deo seruiit.

E *ra Moab contra Phogor.* Deut. 34. Nimirùm (authore Procop.) vt Israëlis accolæ legislatorē inspiciendo ad pietatē instruerentur. sic. Docent nos Angeli cum obsequiis, & officiis Abrahæ tam se gratos & remuneratores exhibent, quasi nos animo beneficia, & accipere, & compensare debemus. Cæterùm ea nostræ ætatis, io qua vix vllæ taræ apparent priscæ virtutis scintillæ, infelicitas est; vt nec in dando, nec in accipiendo beneficio rectè, & ex virtute nos geramus. Etenim (vt sapienter loquitur S. Hildebert. *Epist. 35.*) his temporibus fortunæ gratia opus est, vt vel benè promeriti

Deuter. 34.
Procop.
Moyses sepultus ad pietatem instruit.
S. Hildebert.

Ingratitudo late grassatur.

meriti præmia conſequantur. Plerique mortales ingrati ſunt obſequiis, & ne cultores ſuos remunerent offenſos conqueruntur. Beneficium non acquirit offenſio. ſic Hildebert. Abraham obſequitur, miniſtrat, puerum ſe, ac ſeruum impigrum oſtendit: at Dominus fidelis remunerator noua inſuper promiſſis adiicit beneficia, vt ſerui ſui condonet obſequia: & quidem vbi primum

S. Hildebert.

Beneficij citò conferendū.

ſublata menſa paratur diſceſſus Hac quippe celeritate (monet idem Hildebert. *Epiſtol.* 27.) præſtāda ſunt beneficia, vt ea potiùs accipiat improuidus, quàm importunus extorqueat.

3. *Cum futurus ſit.*] Magnus planè honor, quem Dominus Abrahæ præſtitit, cum puerum ac ſeruum ſuum vocauit, & illi reuelare ſenſa animi ſui decreuit: ſed ne aliquis dixerit, hoc ex ſola Dei gratia prouenire, nec vlla in Abrahamo ineſſe merita, quibus talem Domini gratiam promereatur ea Dominus ſubinde manifeſtat. Quod

S. Chryſoſt.

Abrahæ merita cum Dei gratia.

S. Chryſoſt peracutè expendit hoc modo Mirum in modum Deus obſequitur iuſto, & plurimo eū honore dignatur: monſtrans nobis quanto honore dignos ducit virtute præditos, quaſi hominis homo loquitur Quātæ porrò dignitatis eſt, quod dicit Abraham puerum ſuum? quātæ affectionis? quanti amoris? ſed vt ne putes honorem tantum iuſto conceſſum ſolius diuinæ eſſe bonitatis, vide quomodo Scriptura docet nos, quòd ipſe ſibi ipſi honoris fuerit auctor obediēdo mandatis diuinis magna ſedulitate. Quare, vt diſcamus, quod non abſque cauſa, nec temerè, Deus tantū erga illum declaret ſtudium; ait: *Futurus eſt in gentem, &c.* hæc Chryſoſt. Etiam obedientia quæ in

Obedientia futura condonatur præmio.

futurum exhibenda eſt, antequam exhibeatur, iam digna Deo iudicatur, ob quam ſecretiſſima quædam arcana Abrahæ Dei mandatis pariturο reuelentur. Tanti Deus facit obedientiam. Vide

S. Chryſoſt.

(adiungit S. Chryſoſt.) Domini bonitatem; non ſolùm pro præterita virtute, ſed & pro futura remunerat. *Scio enim quòd precepturus ſit, &c.* hæc Chryſoſt Hinc etiam colligas fieri poſſe vt (citra

Præmium ob meritum futurum.

omnem repugnantiam) præmium detur propter meritum futurum. Cum tantus hic honor, & reuelatio diuinorum arcanorū tribuatur Abrahæ, eo quòd præcepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viam Domini, &c. Et quidem hoc fieri in diuerſis perſonis eſt quàm certiſ-

Merita Christi iuſtis profuerunt ab origine mundi.

ſimum, quippe cum propter merita futura Chriſti venturi data ſit iuſtis omnibus, qui ab origine mundi Verbi incarnationē præceſſerunt, gratia, iuſtificatio, & cætera dona ſupernaturalia. Circa vnam eandémque perſonam grauis eſt quæſtio. Probabilis tamen opinio eſt, quæ affirmat nō repugnare præmium vni eidémque perſonæ dari

Potuit Christus mereri unionem hypoſtaticam.

Soar.

propter meritum præuiſum futurum: atque adeo potuiſſe fieri, vti vnio hypoſtatica daretur Chriſto Domino propter futura illius merita. ſed de his conſule noſtrum Soar. priori tom. *in 3. p.* Apparet hoc etiam ex loco (quod in multis aliis paſſim edocetur) quàm ſit Deus ad benefaciendum propenſus, præmióque ocyſſimè exhibito futura ſuorum ſeruorū merita præoccupet. Itaque videtur Dominus quaſi argumento vti à maiori: Cur

Dei beneficia præueniunt merita hominum.

non conferam hoc beneficium longè minus, ſecreta mea reuelādo Abrahæ, quem tantis muneribus honorare ſtatuo, vt illum efficiam parentem, & auctorem gentis multitudine ipſa innumerabilis, & fortitudine robuſtioris, quàm homines carnei ſunt? Nam Hebr. *ghacum*, fontem alij vertunt *oſſeam*, quaſi nihil carnis, & mollitudinis, & infirmitatis habentem. *ghecem*, fortitudo, os oſſis, corpus. At robur illud intellige cum *Ben. Fernand. in Geneſ. tom.* 2.

A Caietano diuinum quo gens Hebræa protecta, circumſepta, & armata ſpoliauit Ægyptum, mare ipſum pede inoffenſo tranſiuit, atque adeo vſque ad terram promiſſionis vadens, obuias quaſque gentes, ſtrauit, debellauit, ſubiugauit. At hoc diuino præſidio, ac robore priuati Iudæi, eo quòd

Iudæi infirmi, & infames.

Dei Filium negauerūt, atque occiderunt, in tam deplorandam imbecillitatem, ac timiditatem redacti ſunt, vt vbique gentium Iudæi nomen pro inſigni timiditatis, & imbecillitatis opprobrio circumferatur. Sed & illud, quod adiungitur, donum eſt incomparabile: quòd ſcilicet *Benedicendæ ſint in illo omnes nationes terræ.* Hoc iam bodie factum videmus per Chriſtum ſemen Abrahæ.

Rupertus.

Rupertus vtroque etiam loco Chriſtianam gen-

B tem indicari putat, ſic inquiens: Futurus eſt magis ſecundum fidem, quàm ſecundùm carnem in

Christianorū fortitudo

gentem magnam, ac robuſtiſſimam, cuius mirando fortitudinem rectè dicam, quia regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. hæc ille. Et quidem præuenit Dominus honorare ſeruum ſuum, quem præſcit bonum, & iuſtum patremfamilias futurum, qui filios ſuos, ac poſteros inſtruet ad pietatem & cultum veri Dei, *vt faciant iudicium & iuſtitiam.* Hebraiſmo, *iuſtè, & ſanctè viuant.* Ad hoc enim ſe parentem, & principem magnæ illius, & robuſtæ gentis conſtitutum noſſet. O ſi Abrahamum imitarentur prin-

Abrahā exemplar prælatorum.

cipes ac prælati, ac ſeſe in bonum ſubditorum emiuere ſcirent in honore. Sed ô ingemiſcēdum

C nefas meritò exclamat Ferrandus Diaconus *reg. 3.* Dum quæritur præeſſe, non cogitatur prodeſſe! Ideo præſis, vt proſis. Tunc re publica bene gubernatur, ſi dux eius tantùm eam diligat, quantum ſeipſum. ſic ille. Porro non qualiscunque præceptio intelligenda eſt, cum dicitur: *Scio quod precepturus ſit filijs ſuis, &c.* ſed qualis patrē, ac prælatum decet, vt ſerio, grauiter, diligenter, iugiter, & vbi erit opus, cum ſeueritate ac ſupplicio inſtruat filios, & ſubditos, compellátque cuſtodire viam Domini, & facere iudicium, & iuſtitiam. Quod quia frigide, ac ignauiter Heli, erga filios publicè peccantes præſtitit, cum filiis pariter pœnam diuinitus ſubiit. Sed hac de re audi S. Hildebert. *Epiſtol.* 74. in hunc modum. S. Gregor.

Ferrandus.

Qualem eſſe decet, qui regit alios.

Forma regēdi alios.

S. Hildebert.

D Nazianz. *in lib. de Epiphanijs*, ſic loquitur. Heli ſacerdos pro filiorum iniquitate damnatur, quòd

Heli cū filijs perijt.

1. Reg. 2. & 4.

eos diuina ſacrificia temerantes minùs ſeuera animaduerſione plectebat, & quidem corripuit, ſed lenitate & manſuetudine patris, non ſeueritate, & authoritate Pontificis. ſic Hildebert. Denique vult Dominus excitare parentes, ac prælatos, vti ſedulò ſtudeant filiorum, ac ſubditorum inſtitutioni Non enim (inquit S. Chryſoſt.) tan-

D. Chryſoſt.

Lucrū ex zelo animarū.

tam mercedem accipit Abraham, quia ipſe bene agit: ſed & quia præcipit natis ſuis, largas retributiones accipit, idque meritò. ita Chryſoſt. Summa illi conſtituta ſunt premia, qui & ſanctè agit, & alios ad ſanctitatem inſtruit.

4. *Clamor Sodomorum, &c.*] Incipit iam nunc

E Dominus familiariter agēs cum ſeruo ſuo Abraham, illi manifeſtare, quæ ſecreta apud ſe habebat, quæ ſcilicet contra nefandam illam quinque ciuitatum gentem extrema ſupplicia inferre decreuerat. Sodoma tantùm, & Gomorrham nominat: hæ quippe duæ ciuitates reliquas, vti opum affluentia, & virium potentia, ſic immanitate flagitiorum longè ſuperabant Et rationem ſupremi excidij ſubiicit: *Clamor Sodomorum & Gomorrhe multiplicatus eſt.* Benè hic exclamat S. Chryſoſt.

D. Chryſoſt.

Terribilia verba: *Clamor Sodomorum, &c.* Non dixit, vox Sodómorum; ſed clamor, qui ſcilicet

magnam habet contentionem, imò prodigiosá, A cum à terra cælum pertingat, & ibidem audia tur. sic ille. Profectò, vt communis est interpretatio doctorum, clamor in scriptura poni solet pro tanta impudentia, tamque effusa libertate

S. August. *Quis clamor iniquitatis.* iniquitatis, vt nec verecundia, nec timore vllo tegatur. Quod S. August. *l. lib. locutionum*, ita definit. Clamorem scriptura solet ponere, pro râta impudentia & libertate iniquitatis, vt nec verecundia, nec timore abscondatur. sic ille. Sed vberius idem August. *Enchirid. cap.* 80. de peccatorũ ista impudentia, ita scribit: Peccata quamuis ma-

Consuetudo peccandi. gna, & horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parua, aut nulla esse creduntur: vsque adeò, vt non solùm nó occultanda, verum etiam iam prædicanda, ac diffamanda videantur: *quando laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & qui*

Psalm. 9. *iniqua gerit, benedicitur.* Psal. 9. Talis in diuinis libris iniquitas, clamor vocatur. Sicut habes apud Isaiam de vi ea mala. *Expectaui, vt faceret iudicium, feci autem iniquitatem, & non iustitiã, sed cla-*

Isaiæ 5. *morem.* Isaiæ 5. Vnde est illud in Genes. *Clamor Sodomorũ & Gomorrhæorum multiplicatus est.* Quia

Peccata publica velut ex lege. non solum iam apud eos non puniebantur illa flagitia, verùm etiam publicè velut lege frequentabantur. hæc S. August. Quod sane malorũ omnium in Ecclesia extremum: vt pleraque fiát sine verecundia & timore delicta, nec Prælati laicum excõmunicare, nec clericum degradare (vt

ad Galat. 4. ibidem loquitur) iam audeant. Et ad Galat. 4. & hoc eodem loco vehementer deplorat idem S.

Peccata vsitata malè tolerantur. August. Exclamare compulsus inquit: Væ peccatis hominum, quæ sola inusitata exhorrescimus, vsitata verò, pro quibus abluendis Filii Dei sanguis effusus est, quamuis tam magna sint, vt omnia claudi contra sese faciant regnum Dei, sæpe videndo omnia tolerare, sæpe tolerando non nulla etiam facere cogimur! sic August. Similiter

S. Gregor. S Gregor. li 5. *moral cap.* 8. Omnis (inquit) iniquitas apud secreta Dei iudicia habet voces suas. Vnde scriptum est: *Clamor Sodomorum, &c.* Idem Pontifex in eodem argumento versatus *Pastoral.* 3. *part. admonit.* 33. multa egregiè colligit: inter alia

Erubescendũ de peccatis. hoc referam. Admonendi sunt, vt si esse mali no metuunt, erubescant saltem videri quòd sunt. Plerunque enim culpa, dum absconditur, effugatur: quia dum mens erubescit videri, quod ta-

Inuerecũdia in peccando. men esse non metuit, erubescit quandoque esse quod fugit videri. Cum verò prauus quisque impud nter innotescit, quò liberius omne facinus perpetrat, eò etiam licitum putat: & quod licitum su picatur, in hoc proculdubio multiplicius mergitur sic ille. Frænum est homini verecũdia: illo tandem conuulso effrænis bestia cæco ruit impetu in flagitia, lætatúrque, & exultat in rebus pessimis Confirmat deinde Pontifex assumptum ex hoc loco inquiens: vnde scriptum est: *Peccatum suũ sicut Sodoma prædicauerunt, nec abscõderũt,*

Isaiæ 3. Isaiæ 3. Peccatum enim suum abscondere Sodoma, si adhuc sub timore peccaret. Sed funditus fræna timoris amiserat, quæ ad culpam nec tenebras requirebat. Vnde rursum scriptum est: *Clamor Sodomorum, &c.* Genes. 18. Peccatũ quip-

Libertas peccandi clamor est. pe cum voce est culpa cum actione; peccatum verò cum clamore est culpa cum libertate. hæc S.

Gloss. Gregor. Eandem sententiam breui compendio ita Gloss. interlin. comprehendit. Clamor Sodomo-

Consuetudo peccati lapis est superpositus. rũ multiplicatus est, euidentia scilicet publicati flagitij, quæ accusatione non eget. Et peccatum eorum aggrauatum est nimis, scilicet, consuetudine, quasi superposito lapide. sic Gloss.

5. Extremum sanè malorum ipsa est inueterata consuetudo peccati, hoc enim velut superposito lapide obtegitur peccatum, in quo multos iam per annos iacet peccator, Dei atque sui prorsus immemor. Quod iam ergo remedium, quæ spes, vbi in fundo iacet, & iacet miser, obiect ad os puteri superimposito? qui extrahi poterit? Curandum diligenter admodum est, ne in consuetudinem desinat peccandi licẽtia. Quã de re sic egre-

S. Saluian. gie monet S. Saluian. Illi, quos grauium delicto-

Sepulchra ipsa vsus peccati. rum error exagitat, & in quibus infelicior conscientia peccatorum pœnalium recordatione suspirat, primum, vt lapsi sint, non commoueantur in lapsum, nec in volutabris suis fordentium suum more verlentur. Non male blandis lapsibus acquiescant, aut in barathrum libidinum commo-

B rantes in ipsis se sepeliant ruinis suis. hæc ille. *lib. 1. ad Eccles. Cathol.* En miserandus illorũ statur, quem inueterata iam tenet in peccatis consuetudo: ipsimet se ruinis suis, sibi congesto cæno defosso volutabro, atque ad ostium tartari, &

Luxuria mutat in bestiã. gehennalis incendij flatum sepelierunt. Quid non mali est in libidinoso, cum misce ab homine in bestiam degenerarit? De prodigo illo luxurioso dixit S. Petr. Chrysolog. A se migrat, & ab ho-

S. P. Chrysol. mine totus transit in bestiam, *serm.* 2. totus, nimirum anima, & corpore nil nisi pecus est. Atque ipsum etiam corpus, cui delectando indulget, valde offendit, ac dehonestat, iuxta illud Apostoli: *Qui fornicatur, in corpus suum peccat.* 1. Corinth. 6.

1. Corint. 6 *Caret anima luxuriosus.* Sed quid non peccat fornicarius in animam C suam? Dici potest in primis in misero nihil iam esse aliud, quàm corpus, idque putulentum ac cœnosum, cui tota infelix anima sic in mersa est inseruiendo corporis voluptatibus, vt ferè iam caro, & cœnum esse videatur. In tantum quippe (ait S. Ambros.) agglutinatur anima corpori, vt in

S. Ambros. ipso momẽto nihil aliud cogitare homini liceat. sic ille ad locum Apostoli. Tota mentis ratio (ex-

Rationẽ absorbet luxuria. perti dicunt) absorbetur in actu venereo; nec enim opus illud est tam rationalis animæ, quàm pecudis ad pastum, ventrémque abiectæ. Conti-

Concubitus corpori contumeliosus. meliosus corpori suo est qui fornicatur, vt ex Apostolo audiuimus. Quod probè intelligebant prisci mortales, qui post concubitum illico abluendo corpori sedulum studium adhibebant, vti

Theod. ad locum Pauli subnotauit Theod. in hunc mo- D dum. Ipsum corpus abhorrent, & auersantur, & ideò lauacris etiam vtentes corpus purgant, ea ratione se probrum eiicere existimantes. hęc ille. Vel ipsa eorum conscientia propriam cõtestatur

S. Chrysost. immunditiam, vti S. Chrysost. eo loco adnotauit. Ita (inquiens) turpiorem quandam existimationem ex hoc peccato habet conscientia. sic ille. Vtinam hãc suatum sordium existimationem libidinosi haberent, vt saltem præ illius verecundia illecebrosam appetitionem cohiberent. En

Luxuria porcos reddit. compti, ornati, pulchrique, ad fouendam libidinem incedunt isti, qui verè tamen cum porcis versantur, aut verius porci sunt Quò enim tandem abiit prodigus, nisi ad porcos sui similes?

Tria peccata clamant. E Tria porro sunt peccata, quæ in scriptura clamare dicuntur. Primum, innocentis occisio, vt Ge-

Genes. 4. nes. 4. visum est. Secundum, peccatum abominãdæ libidinis contra naturam, de quo hic sermo est. Tertium, defraudatio mercedis pauperum la-

Iacob. 5. borantium Iacobi 5. ac fortasse in hoc tertio peccati genere omnem publici latrocinij iniquitatem complecti voluit Apostolus: de quo scilicet

Apocal. 21. intelligi potest illud Apocal. 21. *Neque clamor erit vltra*: nimirum in cælo, vbi nihil mali videbitur, nullus clamor audietur. Sed quisnam iste

Richa. Vict. clamor? Respõdet Richard. Victor *lib.* 7. *in Apoc.*

Non

Non erit clamor, quia nulla iniuriæ illatio, quæ in terra datur, cum merces operariorum fraudata est à diuitibus. Iacob. 5. & latrocinantium rapinæ ex diuersis locis ad ipsos comprehendendos, & suspendendos vociferātur. sic ille. Hinc videas, quare latronum publicè deprædantium flagitia non diu perdurent, sed breui cohibeantur, cum prædones comprehenduntur, & publico supplicio puniuntur: nimirùm, quia istorum violētiæ, rapinæ, homicidia, clamores sint à terra in cælum sublati, quibus diuina iustitia, & irritatur, & excitatur ad maturandam vindictam.

Latrones diu non durant.

6. Peccata huiusmodi tam prodigiosæ, atque execrandæ impuritatis Sodomorum, quæ diuinam inclamant vindictam, ac subinde celerem, manifestam, horribilem, atque omnia in secula memorabilem illorum punitionē Dominus seruo & amico suo Abrahæ detegit, quasi cum amicu consilia familiariter agitet, vt ab illo audiat, si quid consulēdum erit. Quòd si Deus amicum, & iustum hominē more humano consulit, quis audeat in summis negotiis suo tantùm iudicio fidere, suæ mentis lumine duci, suo brachio niti; nec amicos iustos, & prudentes viros consulat: vbi præsertim agitur de vindicanda iniuria, de supplicio inferendo? Qua in re certū est periculum errandi, dum homo sæpiùs iracundia percitus iustitiæ transilit limitea, & vindictæ debitam mensuram excedit. Ah quoties priuatæ iniuriæ vindicantur sub zelo iustitiæ! Quòd si Deus ipse infinitis, & grauissimis Sodomitarum flagitiis offensus, cum agat de iusta inferenda vindicta, nihilominus consulit hominē: quidni principes viri bonorum, & prudētium ad sua gerenda negotia consilium exposcant? Cæterùm ita nonnullos occæcauit superbia, vt maiestatem suam dedecere iudicent si aliorum consilio ducantur. Quod S. Petr. Damian. satis compertū habens, monachos arguit, qui vt Regibus consilio sint, extra sua cœnobia miseri vagentur, sapienter scribit Apolog. *de cont. cap.* 30. Quid monacho cum Regibus terræ? Imperatoriæ maiestati sæpè, quæ suggerenda videbātur, expressimus. Sed qui hoc tempore ista prosequitur, tanquam si semina credere arenosis littoribus videatur. sic ille. Ostenditur etiam in his verbis Domini suauissimum illius ingenium: cum hominum perpetuis irritatus sceleribus non statim ad vindictam procedat, sed delictorum clamoribus veluti coactus ad vltionem descendat. Hoc ipsum ita colligit S. Ambros. *lib. 1. de Abrah. cap.* 6. Magna Domini patientia: vt non statim peccatorē puniat, sed diu differat expectans correctionem: nec cōmouetur ad vlciscendum, nisi peccator mensuram excedat. hæc S. Ambros. qui clamorē istum peccatorum putat esse non quidem ipsam mensurā condignam extremo supplicio, sed mēsuræ ipsius excessum. Atque ô immensam Dei benignitatē, qui ad vlciscendum non mouetur mensura, sed excessu mensuræ. Duo itaque in his clamoribus insinuantur: & grauitate peccatorum, diuinam irritari vindictam, & Dei misericordiam grauissimorum scelerum quasi vocibus, aut feriri, aut opprimi, & impediri. Vtrumque accipe ex S. Saluiano Massiliensi; qui hunc eundem locum expendens ita scribit. Pulchrè clamorem dixit in se habere peccata. Grandis absque dubio peccantium clamor est, qui à terra ascendit in cœlum. Quare autem peccata hominum quasi clamare testatur? scilicet, quia cædi aures suas Deus dicit clamoribus peccatorum, vt non differatur pœna peccantium. hæc ille. De grauitate scelerum clamantiū, ... *Ben. Fernand. in Genes. tom.* 2.

Cōsilium petendum in rebus arduis.

Reges dedignātur aliorum consilia. S. Petr. Dam.

Deus ad puniendum tardus.

D. Ambros.

Quādo Deus cogatur punire.

S. Saluian.

A & aures Dei ferientiū: de misericordia clamoribus scelerum oppressa statim subiicit: Et verè (inquiens) clamor, & grandis clamor est, quādo pietas Dei peccatorum clamoribus vincitur, vt peccantes punire cogatur. Ostendit ergo Dominus, quàm inuitus puniat, etiam grauissimos peccatores, dicens, quòd clamor Sodomorum ad se ascēderit: hoc est dicere: Misericordia quidē mea mihi suadet, vt parcam; sed tamen peccantium clamor cogit, vt puniam. hæc S. Saluian. *lib. de prouid.*

S. Saluian.

7. Sed vndenam orta est, aut quo pacto aucta tantùm increuit isthæc flagitiorum, ac turpitudinum immanitas tam detestāda? *Superbia, & saturitas panis, & otium fuit iniquitas Sodomæ.* scribitur Ezechiel. 16. Et quidem *superbia* Deo sic est inuisa, B vt Diuina iustitia vindicāte præcipitari soleat in barathrum fœdissimarum libidinum. Et qui in cœlum imponebant nidum suum, deorsum ruētes stercora amplectantur, & in porcorum cæno volutentur: quo de argumento sæpiùs disseruimus. Sequitur, *saturitas panis*, quā solent enutriri vitia, & libidinum incendia foueri. Quare de Sodomitis scribit ad hunc modū Philo *li. de Abrah.* Immodicus ciuium luxus è superflua rerum copia habuit originem. Est enim plerumque ingēs malorum occasio, & materies nimia bonorum copia, quorum satietatem quidam non ferentes tanquam iumenta lasciuiunt, excussis à ceruice naturæ legibus, versi ad meras potationes, opiparos cibos, & nefarios concubitus. hæc ille. Porrò C ab ingluuie ardor libidinum succenditur, & impurus amor, furórque in fœminas fouetur, & irritatur. Et quod detestabilius est, Sodomitica oritur abominatio. Addit enim Philo. Atque ita paulatim assuēfacti homines illi muliebria pati effœminatum morbum sibi conciliauerunt insanabilem. Muliebri namque mollitie in corpus recepta, animos quoq; reddidere ignauissimos, quantúmque in ipsis fuit, vniuersum corrupêre genus humanum. hæc Philo. Rectè dicit morbum insanabilem, corruptionémque, & infamiam generis humani peccatum Sodomæ. Sētina profectò vitiorum omnium, atque abominationum carnis, maximè fuit semper ingluuies: contra verò ieiunium, aut certè parcimonia omnium est virtutum D mater & nutrix. Quantum enim (inquit S. Basil. *orat. 2. de ieiun.*) subtraxeris carni, tantò reddes animam habitudine spirituali nitidiorē &c. hoc ipse probarat *homil. de ieiun.* his verbis Ne Daniel quidē ille sapiens visiones videre meruisset, nisi ieiunio reddidisset animam limpidiorem. Siquidem è copiosiore pastu, ceu fumosi quidam vapores exhalantur, qui lucem sancti Spiritus in hominis mētem irradiantem, quasi densa nubes interueniens, intercipiunt. hæc Basil. Optimè vno verbo necessitatem ac potētiam ieiunij complectitur S. Chrys. *homi. 8. in Genes.* cum ait. Abstinētia à cibis propter hoc recepta est, vt vigorem carnis refrænet, & equum moderanti facilè parere faciat. ita Chrys. Quid plura in hanc sentenE tiam? Non Æthnæi ignes (inquit S. Hieron. *Epist. ad Furiam viduam*) nō Vulcania tellus, non Veseuus, & Olympus tantis ardoribus æstuant; vt iuueniles medullæ vino plenæ & dapibus inflammantur. sic ille.

Ezech. 16.

Superbia in luxuriā corruit.

Abundantia fomentur vitia.

Philo.

Quam detestanda sit libido Sodomitica.

Philo.

S. Basil.

Commendatur ieiunium.

D. Chrysost.

D. Hieron.

Saturi exardescunt citius.

8. *Descendam & videbo, &c.*) Mirari soleo quid sit, cur Dominus tam exactè, atque dilucidè peccata Sodomitarum, & excidium mox illis inferendum Abrahæ seruo suo denunciauerit; atque Abraham nihil omninò contra illos Domino detulerit; nec saltem peccata illius gentis Domino detegenti assenserit confirmādo suo testimonio,

A quippe qui vicinus Sodomis,& Gomorrhæ habitarit. stupor quidem est multiplicatum esse,& aggrauatum peccatum Sodomitarum: atque adeò clamorem detestandarum turpitudinum gentis illius ad cælum vsque sublatum esse; & tamen Abraham fere ad muros,& portas illatum ciuitatum habitantem,quotidie omnia oculis spectando,nec videre,nec scire quantum libidinum, & flagitiorũ omnium illic incendia æstuarent. Cæterum mirari desino,cum Abrahã iustum & sanctum considero.Nam,vt egregiè obseruat Procopius,iustus cùm foret Abraham,& cæteros mortales iustos esse credebat. Quisque enim ex suo ingenio etiam alios iudicat. sic ille.Ita verò diuinis rebus intẽtum gerebat animum iustus ille,vt nec quid ageretur in Sodomis, tam vicinus vrbi B perciperet,nec si quid huiusmodi audisset, ausus esset,vel vt certum vulgare,vel seueriore iudicio arguere. Pudeat igitur istos inuidos, ac maledicos proximorum vitia,lynceis perscrutari oculis, & virulentis linguis proscissa publicitus enunciare. Audi,ô quisquis talis es, & time. Pharisæus (inquit S.Chrys. *homil.45.ad populũ Antiochen.*)in templo vera locutus est,& omnibus dixit manifesta,non latentia reuelauit, extremam tamen dedit pœnam.Si verò de manifestis arguere non licet;multo magis de dubiis.Habet enim iudicem qui peccauit. Ne rapias itaque dignitatem Vnigeniti, illi iudicij sedes seruata est. hæc S. Chrys. Sed hæc vna causa est,ob quam proximorum vitia indagamus,& deprehensa in vulgus læti efferimus C Quia scilicet ex alienis miseriis volumus aut velamentum aut saltem aliquod leuamentũ nostris vulneribus adhibere. At infelicissimum (inquit S.Saluian.)consolationis genus est,de miseriis aliorum capere solatium. Vti qui diceret: Ideò ego sum innocens, quia alius magis est nocens.hæc ille.*lib.2.ad Eccles.cathol* Quisquis ergo curiose inquirit,& alacriter aliena vitia euulgat, iisdem ipse,aut turpioribus,constrictum ac pollutum se sentit, ac fatetur Ait igitur Dominus: *Descendam, & videbo vtrum clamorem,qui venit ad me,opere compleuerint,an non est ita, vt sciam.* More humano loquitur.quasi dicat;Accedam propiùs, & experiar ipse,atque oculis perscrutabor num vera sint,quæ audio,vt si talia deprehendam, se- D uerè puniam; videlicet, si tam nefanda sunt flagitia,in quæ turpes isti mortales se immerserint, illos penitus deleam:sin autẽ minùs atrocia clamore sint crimina,mitioribus pœnis corripiam. Atq; in primis illud rectè S. Ambros.subnotauit. Non ignorabat(inquiens)Deus peccata Sodomorum,sed propter te instruendum verba huiusmodi loquebatur, vt tu propiùs scruteris eorum cõmissa,in quos vindicãdum arbitraris. *Descendam* (inquit)*vt videam.* hoc est, etiam tu descende.cura,descende indaginis studio,ne quid sit quod fallat,aut lateat absentem, vt oculis facinus deprehendas.Eminus positi multa nescire possunt.hæc Ambros.Discant ex hoc loco parentes sedulò inuigilare suæ familiæ perscrutandæ, & componẽ- E dæ.Proh quàm multa, & prodigiosa monstra latent in familia, quæ patris ipsius oculos, & curam effugiunt. Descendat ergo ille, & scrutetur suam familiam in lucernis, ne cum Heli, cuius caligauerant oculi,nec poterat videre lucernam Dei, & consequenter filiorum vitia toto Israëli nota & inuisa.nec perfectè agnouit, nec seuerè corripuit, diuino iudicio addictus horribiliter condemnetur.Planè in mundo extitit parentum bonorum exemplar sanctissimus ille Iob,qui tanta solicitudine filiorum moribus rectè instituen-

Abrahã nesciebat peccata Sodomorum.

Procopius.

Iustus aliorum errata non videt.

Non agẽdum de aliorum defectibus.

D. Chrysost.

S.Saluian.

Malus malos iudicat alios.

D.Ambros.

Inquisitio diligens ad iudicium.

Vigilantia parentum in familia.

Iob exemplar parentum erga filios.

A dis,& erratis, vbi deliquissent, castigandis inuigilabat.Scribitur enim cap.1. *Mittebat ad eos Iob & sanctificabat illos,consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis:dicebat enim,ne fortè peccauerint filij mei,&c.*Optime ex sacrificiis & paternas correptiones colligit S.Chrys.*homil.45. ad populũ Antiochenum:*Qui pro incertis (inquit) sacrificia offerebat, multo magis certorum pœnas exigebat.S.Gregor.verbi,*mittebat*,emphasim ita exprimit *lib.1.cap.5.*Cum dicitur,*mittebat,& sanctificabat illos*,apertè demonstratur quid districtionis erga illos præsens ageret,quibus absens solicitudine non deerat.sic Pontif.Sed ô summa multorũ parentum infelicitas,qui nec de sua, nec de filiorum æterna salute curantes,incredibilem tamen B solicitudinem gerunt,vti ipsi honoribus & diuitiis abundẽt,& filiis huiusmodi terrenam ac cœnosam non verò cœlestem hæreditatẽ relinquãt! Sæpè(inquit idem B.Gregor.*in 1.Iob.*)ad auaritiã corda parentum trahit fœcunditas prolis: nam tantò plus ad congregandas diuitias inflammantur,quò pluribus hæredibus fœcundantur.hæc S. Gregor. Vtinam æquè soliciti essent ad comparandam sibi,& filiis gloriam sempiternam! illius stultitiæ quidam parens subnotatur à S. Paulin. *Epist.18.* ad hunc modum. Posthabenda præposuit, & præponenda posthabuit. Quem oportuit & ista pro se curare, & illa temporalia pro filiis nõ prætermittere.sic ille Vigilabat S.Iob.& de filiorum moribus ingem,atque diligentem proui- C dentiam exhibebat;qui tamẽ (vt scribit S.Greg.) tanta fuerant bonæ institutionis disciplina accincti, vt neque per facta in conuiuiis, neque per verba delinquerent.Perfectos quippe eos esse in opere, & sermone docuerat.sic ille. Quid non prouidus ac pius pater moliretur, si filios prauo ingenio,malisque moribus præditos haberet? Locus etiam iste,non instruit modò,sed etiam quodammodo cogit Prælatos,& Principes,vt descẽdant,& videant ad subditorum mores,& Reipublicæ statum contemplandum.Nam vt prudẽter scribit Ferrandus Diaconus ad Comitẽ Reginum *regul.3.*Non potest esse Ducis optimi bona fama, quando fuerint ministeria mala. Nec potest sapiens Dux excusari de ignorantia,quoties forsitã D dixerit: Ego nescio, non audiui, nullius ad me querela peruenit.Per ipsum namque quid agatur à suis, oportet inquiri, quia nemo eos audet publicis interpellationibus accusare, quorum violentias alij timent,alij patiuntur. hæc ille. Quæ notari debent pro ministris Principũ, atque Episcoporum;illorum enim violẽtias, & flagitia miseri isti nesciunt,& sæpenumero,aut scire nolũt, aut scientes castigare dissimulant. Docetur etiam delatoribus non statim credendum, sed ad certã ac diligentem vitiorum perscrutationem descẽdendum.Vt enim(inquit S.Gregor *in registr.lib.6. cap.178.*) Dominus nostræ ignorantiæ exemplũ discretionis daret, quatenus deberemus mala grauia audita non credere, Ipse se dicit ad co- E gnoscẽdum descendere, de quo omnibus liquet, quia,& non descendens omnia sciret.hæc ille.Similiter Procop.nos pulchrè informare vult, ne continuò,vbi crimina audierimus, statim fidem habere velimus;sed monet,vt oculis quoque omnia exactè perlustremus. sic ille. Vt plurimum enim in aliorum diiudicandis moribus, & fallimus,& fallimur.Benè Rupertus colligit: Temerarium hoc loco hominum prohibetur iudicium, ne facilè audita credant, vel inexperta iudicent. sic Rupert. Quod vno verbo ita complectitur Gloss. interlin. Vt à iudicij præcipitatione compesceret,

Iob.1.

S.Chrysost.

Filij increpãdi.

S.Gregor.

Curandum de filiorum bonis cælestibus plusquàm terrenis.

S.Gregor.

S.Paulinus.

Bona cælestia terrenis preferenda.

Filij Iob benè instituti.

S.Gregor.

Principes & Prælati inuigilent.

Ferrand.

Ministrorum principis vitia inquirantur & puniantur.

Non leuiter credendum delatoribus.

S.Gregor.

Matura inquisitio ante iudicium.

Procopius.

Circa aliorum errata & fallimus, & fallimur.

Rupert.

Gloss.

pesceret, mala Sodomæ priùs voluit probare, quàm iudicare. Cæterùm de hoc argumento satis in priori tomo dissecuimus. Denique aduertendum est, vbi noster vertit, *opere compleuerint*, Hebraicè haberi, *ghasu calah*, fecerint consummationem, seu consommatio, aut finis, sed tuoe *ghasu* ad elamorem pertinet, scilicet, videbo, vtrum clamorem fecerint, & permanseriot in sua pertinacia;tunc enim consummatio erit,siue faciam consummationem, extremum inferam excidium,funditus eos delebo.Quo sensu Chald. vertit: *apparebo & iudicabo*, vtrum sicut clamor qui venit coram me,fecerint, consummabo eos, si noo egerint pœnitentiam; sin autem egerint pœnitentiam, non vlciscar. Nimirùm obstinata in peccatis continuatio & inuerecunda peccantium longo tempore impœnitentia extremum animæ, & nonnunquam etiam corporis in hac vita supplicium accersit.

Extremũ in peccatis malum.

7. *Nunquid perdes, &c.*] Planiòr hæc est facti series;Angelorum,qoi cum Abraham loquebantur,duo quidem relicto à tergo Abraham pergere cœperunt in Sodoma tertius remansit, qui dignior cæteris vicem Dei gerebat.Ad hunc igitur accessit propiùs Abraham,stans,videlicet, gestu, & habitu supplicis,ae deprecantis.Vbi enim Latinus vertit; *Stabat coram Domino, & appropinquans*.Chald.habet,*Stabat in oratione coram Domino*.Meritò exclamat S.Chrys.O quanta iusti fiducia,imo ô quanta animi compassio!quodammodo compassionis ebrietate grauatus nescit, quid dicat.Et monstrans scriptura,quòd magno timore,& tremore preces faciat: appropinquauit Abraham,dixit,&c.Demonstratur clatiùs hæc iusti fiducia cum Deo ex eo, qood Caiet. subtiliter ex his verbis, *stabat, & appropinquans*,colligit hoc modo:Significatur,quòd quamuis viri illi verterent se versus Sodomam eundo, attamen Abraham tanquam occupando viam,posuit se adhuc aute facies eorum.Et quoniam vnum præcipuum venerabatur,ad illum appropinquauit,& direxit sermonem.sic ille.Hęc verò tam mira fiducia iustorum,vt etiam audeant euntem Dominum retinere, & illius conatibus obsistere, priuilegium est orationis,quæ quodammodo est omoipotens. Igitur Abraham, vti Domini vindictam auerteret à Sodomis, ad orationis præsidium confugit, pro iustis precatur, vt iustorum obtentu etiam indiguis veniã impetret. O Domioe cum infinitè iustus, atque integer sis,deinde iustos, & sanctos viros ames,foueas,in oculis habeas,qui fieri poterit, vt Sodomitas pessimos punias, ae pariter cum illis iustos, qui imbi morantur, deleas? Felix ille quidem est, qoi seruos & amicos Dei sibi fecit amicos; certum enim habet præsidium in amicorum Dei amicitia. Nouerat hoc ipsum Daoid,atque iccirco suam deflebat vicem,quòd amicos Dei à se alienos post peccatum videbat. Quamobrem iam peccati pœnitens, & in gratiam Dei sui reuocatus,in amicitiam pariter Dei seruorum postulat reuocari. *Conuertantur mihi timentes te, & qui nouerunt testimonia tua*. Psal. 118. *num*.79. Hoc autem sensu ita explicat Theodot. Cúmque. illi omnes Iusensi essent ei; non secos atque ipse Deus,precatur rursus, vt cum illis in gratiam redeat, & familiaritatem reuocet. hæc ille. Appetit in gratiam redire cum iustis,vt etiam consortio iustorũ adiutus ad meliora promoueatur.Sic enim declarat S. Ambros. Conuertantur mihi iam non peccanti;conuertantur,vt consortio iostorum Propheta ad vbetius prouehatur.sic ille *serm*. 11. *in Psalm*.118. Insignem planè ignominiam reputabat Dauid iustorum amicitia carere:supplicat igitur. *Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, vt non confundar*. Psal.118. *num*.80.qoasi dicat. O Domine Deus, purũ, sanctúmqoe ab omni labe deinceps, vitióque me redde, vt non confundar,ne quia impurus & peccator in tãtum dedecus incurram,vt seroi,amicique tui,à me oculos, animósque auertant. Post tuam quippe amicorũ tuorum gratia summo in pretio atque in amore mihi est. Pulchrè Procop. obseruat:Deus(inquiens)sermocinatur de impiis: Abrahamus de iustis sermonem instituit. Cognati enim nobis quodãmodo iusti sunt. Cum vnum patitur membrum,reliqua membra omnia compatiuntur.ita Procop. Sunt autẽ iusti in vno spiritu inuicem colligati cum Christo,tanquam vnius corporis membra cum suo capite; atque iccirco indiuisus est illis dolor,cum doiendi subest occasio.Sed quid est hoc ô sancte vir? De Loth nepote charissimo tuo ne verbum quidem facis! cur illum eripi ab incendio non contendis? Precatur qnidem hoc ipsum,cũ pro iustis supplicat:iustum quippe nouerat Lothum, & quia potior apud Abraham ratio est virtutis,quàm carnis,& sanguinis,non curat liberari nepotem sed iustum.Bene S.Chrys.animaduertit.Quia manifestè(inquiens) propter fratris filium dicere non audebat, communes pro omnibus facit preces, volens eum aliis & hũc seruare,& cum hoc etiam alios eripere.sic S.Chrys.Palam scilicet ostendit Patriarcha efficaciorem esse virtutem iusti Loth.vt illum,& alios,vel improbos simul cum illo eripiat, quàm suam ipsius Abrahæ cum Lotho cognationem, ob quam iste à communi supplicio eriperetor.

Abraham orat pro Sodomitis.
S.Chrysost.
Caiet.
Audax erga Deum oratio.
Grande præsidium in Dei amicis.
Psalm. 118.
Theodot.
Appetenda Dei amicorum gratia.
D. Ambros.
A
Psalm. 118.
Procopius.
Sancti nobis cognati.
B
Vnde mutua inter iustos compassio.
Habenda ratio virtutis, non sanguinis.
S.Chrysost.
Quanti valeat virtus
C

8. Sed quænam ista Patriarchæ interrogatio est? *Nũquid perdes iustum cum impio?* Quid de supplicio,quid de exitio agis,ô bone senex? *Descendam* (dixit Dominus) *& videbo*;non verò puniam aot perdam Descensurus est Dominus,vt videat: quid tu Sodomitas perditurum suspicatis, ae times? Profectò vir sapientissimus audiens Dominum descensurũ, vt videat,intellexit simul etiam peccata hominum,quæ videret,iustè puniturum. Cum enim Dominus descendit,vt videat mortalium scelera, in ipsis quidem oculis iustitiã suam gerit:idémq; omnino est videre, ae punire:quòd aotem non punierit, haud dubiè illud est, quòd non viderit;alioqui suam ipsios perspicacitatem offenderet, iuxta illud Tertolliani:Dissimulator, & præuaricator perspicaciæ suæ non est. sic ille *lib. de pœnit. cap*.3. Hanc doctrinam apprimè intelligens Dauid precabatur Dominum: *Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele*.Psalm.50.Vbi sic D.August. Vult auerti faciem Dei à peccatis suis.Peccatum enim,vnde se Deus oon auertit,aduertit;si aduertit,animaduertit;auertendo faciem peccata delet,adoertendo scribit. Tu ergo peccatum tuum ante faciem tuam conuerte,vt Deus auertat faciem à peccato tuo hæc August. Eundem sensum sic breuiter eruit S Hieroo.Ne ea sic aspicias, vt reuertantur in commemorationem tuam. Auerte faciem à peccatis,hoc est,ne videas,ne recorderis illa.hæc ille. Verum cur ad quinquaginta tantùm iustos descendit? propter tam paucos parcendum iudicat infinitis propemodum iniustis. Quæ tanta vis ista est in viris iustis? Hanc dubitationem sic proponit, ac dissoluit Procop. Sed quamobrem cupit iniustos quoque, nec solos iostos, seruari? scilicet in hunc sensum loquitur:Paucæ salis micæ multam conseruant à putredine carnem;pauca, & parua vincula continent magna ædificia.

Peccata irritant Deum ipsa videntem.
D
Tertull.
Psalm. 50.
S. August
E
D. Hieron.
Iusti mundo salutares.
Procopius.

Si in lignis & tegulis vis quædam, vt patet, inest, & sal habet vires haud pœnitendas ad conseruationem carnis; negabimus iustos posse conseruare iniustos? hæc ille. Profectò si hoc sale iustorum condita non esset massa generis humani, iam tota propter corruptionem ac purulétam saniem impiorum, à facie terræ in flammas gehennæ proiecta fuisset. Si tanta hęc mundi domus his tegulis iustorum obtecta non esset, iam tempestas diuinæ iustitiæ domum ipsam ruinę addiceret sempiternæ. Absit ergo (ait) à te Domine, vt iustum cum iniusto simul disperdas: non est te dignũ hoc iudicium, quippe cũ iudex sis totius orbis. Num verò (sic habetur in Hebr.) iudex totius terræ nõ faciet iudicium: scilicet discernẽdo inter iustum & impium? Ex hoc igitur absurdissimo & iniquissimo iudicio, quod Deum omnino dedecet, obtinere nititur, vt propter quinquaginta iustos venia detur reliquæ multitudini impiorum. Annuit Dominus petitioni: Si inuenero in medio ciuitatis quinquaginta iustos, dimittam omni loco propter eos. Ex quibus verbis per quàm eruditè

Caietan.

Caietan. colligit admirabilem Dei benignitatem demonstrari. Quippe (vt ait) pollicetur Deus duas actiones, inquirere si in ciuitate Sodon sint quinquaginta iusti, & veniam dare propter eos vniuersæ regioni. sic ille. O penè incredibilem virtutem & gratiam iustorum apud Deum! si in vna ex illis quinque ciuitatibus, quinquaginta solummodo iusti reperirentur, tota illa regio Pentapolitana, etiam infinitis scatens peccatoribus incolumis permaneret.

Propter iustum iniusto parcitur.

Procopius.

9. *Respondens Abraham ait, &c.*] Rectè Procop. Satis intellexit Abraham ex verbis Domini, non tantum ibi esse numerum iustorum. Cum verò numerum minuere desideraret, trepido pectore, vt bonus seruus, fatur. Sed Deus loquendi dat libertatem. Seruus contremiscit; & humilis causam pro iustis apud iustum Deum agit. sic Procop. *Quia* (inquit) *semel cœpi, loquar, &c.* Hebr. *ioalthi*, à verbo *iaal*, velle, incipere, complacere. Ecce complacuit mihi, ecce gestiui, volui, incepi loqui; desiderium suum & conatum exprimit: non enim satiatur loqui cum Deo: auet adhuc vlteriùs cum Deo agere. Et quis, si semel *gustabit, quàm suauis est Dominus*, ab illius colloquio desistet? Psalm. 33. Et hac quidem dulcedinem (inquit S. August. 21. *de Ciuit. cap.* 24.) in hac peregrinatione gustantes, non ad satietatem sumentes, esurimus eam potiùs, ac sitimus, vt ea postea saturemur, cum videbimus eũ sicuti est, & implebimur. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Psalm 16. hæc August. Hæc enim suauitas, quam percipimus ex feruẽti oratione, ac familiari colloquio cum Deo in hac vita, iam quidam ros est, ac veluti stillatio ex illo torrente voluptatis, quo terra viuentium irrigatur. Gustemus igitur, & videamus, quoniam suauis est Dominus. Quasi dicat (declarat S. Gregor. *homil.* 36. *in Euang.*) Suauitatem eius non cognoscitis, si hanc minimè gustatis. Sed cibum vitæ, ex palato cordis tangite, vt probantes eius dulcedinem amare valeatis. Has autem homo delicias tunc amisit, cum in paradiso peccauit: extrà exiit, cum os à cibo æternæ dulcedinis clausit. Vnde nos quoq; nati in huius peregrinationis ærumna, huc fastidiosi iam venimus, nescimus quid desiderare debeamus. Tantoque se ampliùs fastidij nostri morbus exaggerat, quantò se magis ab esu illius dulcedinis animus elongat. hæc ille. Itaque per peccatum miseri palatum animæ diuinis antè assuetum dapibus prauæ huius mundi suauitatis absynthio infecimus. Vnde factum est, vt iam diuinorum bonorum dulcedinem aut non sentiamus, aut (quod peius est) nauseabundi fastidiamus. Et eò (adiungit S. Gregor.) iam internas delicias non appetit, quò eas comedere diu, longéque desueuit. Fastidio ergo nostro tabescimus, & longæ inediæ peste fatigamur. Et quia gustare intus nolumus paratam dulcedinem, amamus foris miseri famem nostram. hæc S. Gregor. Eleganter ac verè appellat famem scilicet animæ, hanc mũdi, & illius bonorum, ac deliciarum dulcedinem. Falsa enim dulcedo est, inanis, mendáxque satietas; quippe quæ ad palatum animæ non introrsum permeat: sed vera fames, & crux animæ est; hæc enim tabescit, dum corpus illis deliciis turpiter oblectatur. O si gustasses quàm suauis est Dominus! gustarunt illi duo, qui relicto Ioanne *Dominũ sequentes venerunt, & viderunt vbi maneret, & apud eum manserunt die illo.* Ioan. 1. Optimè ad eum locum S. August. occurrit: Quàm beatam diem duxerunt! quàm beatam noctem! ædificemus ergo & nos ipsi in corde nostro, & faciamus domum; quò veniat ille, & doceat nos. sic August. Vt cœpit igitur Abraham, sic progreditur loqui ad Dominum, *cum sim* (adiungit) *puluis, & cinis?* Quasi diceret (vt explicat Procop.) Non debebam in conspectu tuo etiam iusta confidenter proponere, *cum sim puluis, & cinis.* sic ille. Cum Deo quippe suppliciter, purè, cautéque loquendum est. Quia nimirum pro Sodomitis iterum, atque iterum deprecaturus Dominũ est, memor propriæ vilitatis, atque indignum confitẽs, quòd tam abiectus homũcio, ipsemet puluis, ac lutum, ex quo effectus est, atque ipsemet cinis, in quem tandem redigendus est, Domino tamen audeat molestus esse, atque importunus. Supplicando veniam quodammodo extorquet, atque facultatem, vt amplius loquatur. Ne potes (commentatur S. Chrysostom.) ô Domine me ignorare me ipsum, & transgredi mensuram, tantáque vti fiducia. Scio enim, quòd terra sum & cinis: sed sicut hoc scio, & manifestè scio; ita neque illud ignoro, quòd copiosa est tuæ misericordiæ magnitudo, & quòd diues es in bonitate, & quòd vis omnes homines saluos facere. Nam quos ex nihilo creasti, quomodo factos perderes, nisi tanta esset peccatorum nostrorum grauitas? ita S. Chrysostom.

Mira dulcedo loquendi cum Deo.

Psalm. 33.

S. August.

Psalm. 16.

Dulcedo orationis è cœlo defluit.

D. Gregor.

Fastidium Dei per peccatum originale

D. Gregor.

Dulcedo mũdi fames animæ.

Ioan. 1.

D. August.

Mira dulcedo ex aspectu & colloquio Christi.

Procopius.

Humilitas Abraha agẽtis cum Deo.

D. Chrysost.

Dei misericordia erga homines.

10. Egregius sanè magister Abraham iustorum, & amicorum Dei, quos suo exemplo edocet, vti accedentes ad Dominum, orationi ac meditationi dent operam, vti cum Deo familiariter colloquantur, cum timore, & tremore filiali tamen se sistant ante Dominum, vilitatem suæ cõditionis, atque adeo turpitudinem suorum dedecorum ingenuè fateantur. Humilis enim oratio, & fidelem seruum decet, & Dominum valde oblectat, & postulata suauiter, ac plenè consequitur. Quòd si vir sanctissimus, ac Deo gratissimus, etiam inter summos apud Deum honores non obliuiscitur conditionis suæ, sed ibidem profundiùs se humiliat; quàm ille inuerecundus erit, qui plurimis coopertus vitiis de nescio qua specie virtutis inaniter gloriatur? Hoc ipsum perstringit S. August. 3. *moral.* 23. ad hunc modum. Apertè cernimus in quo se apud se loco posuerit Abraham, qui puluerem se, ac cinerem, etiam dum cum Deo loqueretur, æstimabat. Si igitur ita se despicit, qui vsque ad honorem diuinæ colloquutionis ascendit, solicita intentione pensandum est, qua pœna illi feriendi sunt, qui ad summum non proficiunt, & tamẽ de minimis extollũtur. hæc S. Gregor. Et quidem mirabitur aliquis

Humilis debet esse oratio.

Inuerecundè de minimis extollimur.

S. Gregor.

A quis cur Abraham nunc primò se puluerem, & cinerem reputet, atq; appellet? eo quòd (inquam) iustior nunc est, & sanctior: atq; ad cognitionem rerum diuinarum, Deique ipsius familiare colloquium sublimiùs euectus est. Oculis enim mẽtis fulgorem diuini solis clariùs irradiantem accipiens, manifestè inspicit rerum omnium, ac sui præsertim pulueris, & cineris vilitatem, quæ lippis oculis atque ægritudine superbiæ laborantibus, ac penè cęcis grandius quiddam, & illustrius esse videtur. Sed in hanc sententiam audi Gregorium eundem 18. *Moral* 23. Sancti omnes quando in Dei visione proficiunt, quantò magis diuinitatis interna conspiciunt, tantò magis se nihil esse cognoscunt. Nusquam quippe legitur, quod

Quo quis sanctior eo humilior.

S. Gregor.

Crescit humilitas cum cognitione Dei.

B Abraham cinerem, & puluerem se esse professus est, nisi cum habere Dei meruit collocutionem. Vbi enim ad Immutabilẽ contemplandum super se raptus est, impletus tantæ contemplationis potentia, dum videret illum, nihil se esse nisi puluerem vidit. hæc ille. Heu nos miseros, qui de nobis magnificè sentimus, & iudicamus, magnũ quiddam vnicuique nostrum ipse suis apparet oculis, quia nimirùm longè distamus à Deo, in tenebris consepulti diuino fulgore, quo cuncta, vt verè sunt, dispiciuntur, non illustramur! Et quidẽ nouerat Abraham humilitate hominis erga Deum nihil esse potentius: humilibus quippe suam dat gratiam, humilia respicit, super humilem quiescit. Quin etiam ipsemet Dominus maiestatis non nisi per humilitatem hominum sibi

Humilitate nil potentius.

C animos subiugauit, vti Dauid illius aduentum in humilitate præcabatur. *Et exurge, Domine Deus in præcepto quod mandasti; & synagoga populorum circundabit te.* Psal. 7. id est (declarat S. Aug.) quia humilitatem præcepisti, humilis appare. Et tu prior imple quod præcepisti, vt exemplo tuo vincentes superbiam, non possideantur à diabolo, & cõgregatio populorum tam persequentium, quàm credentium circundabit te, quod eadem Domini nostri humilitate factum est. sic ille. Commendat etiam suo exemplo vir iste sanctissimus mortis iugem recordationem, qua vnusquisque humiliatus superbiæ compescit tumorem, Deóque contemplando aptior efficitur. Sic Abraham

Psalm. 7.
S. August.
Humilitate Christus orbem subiecit.

Vtilis recordatio mortis.

D (obseruat idem Gregor. 24. *Moral cap.* 27) in cinerem reuersus fuerat dicens, *Loquar, &c.* Et si viuentem carnem necdum in terra mors soluerat, hoc tamen apud se erat, quod se futurum absque dubitatione præuidebat. sic Pontifex.

S. Gregor.

21. *Quod si minus quinquaginta, &c.*] Quia iustus (inquit S. Chrys.) paratum Dominum ad misericordiam inuenit, paulatim diminuit, & quinque iustos detrahit, denique decem, & sic affert patrocinium. Propter hoc autem Dominus ostẽdit tibi malitiæ nimietatem, & quod in tãta multitudine tanta raritas fuit virtutis, vt alio quodam diluuio indigeret. ita Chrys. Ventum igitur in hac diminutione iustorũ, vsque ad decem; qui tamen in tota illa regione minimè reperti sunt:

D. Chrysost.

Iustorum vis, & gratia.

E tandem hic substitit Abraham, non vltra Dei clementiam fatigans: sed eam planè admirans cõticuit, & verecundia quadam filiali reueritus, noluit ampliùs progredi petẽdo. Simúlque intellexit expedire, vt tam sceleratum genus mortaliũ toti naturæ dedecorosum, atque infame funditus deleretur. non ad quinque deuenit; de Loth verò nihil meminit, quem iustũ cum familia sua nouerat esse ab incendiis liberandũ. Discamus hinc, (ait Procop.) excellentem iustorum vim, & potẽtiam. Si decem soli fuissent reperti iusti, excidiũ nec regionem, nec vrbes traxisset, adeò præualet

Procopius.
Virtutis potentia.

A virtus virtus sic ille. In eadem sentẽtia sic pereleganter loquitur S. Ambros. Vnde discimus quantus murus sit patriæ vir iustus, quemadmodum non debeamus inuidere Sãctis, nec temerè derogare. Illorum etenim nos fides seruat, illorum iustitia ab exitio defendit. Sodoma quoque si habuisset viros decem iustos, potuit non perire. hæc Ambros. O quàm vtilis vel ipsi mundo est virtus iustorum, cuius præsidio stat ille, cuius gratia diuinam auertit vindictam. Nemo tam vtilis, tam necessarius orbi est mortalium, quàm vir iustus. Vtinam multi hoc nomine, ac genere insignes hodie viuerent in terris! meliùs profectò, & feliciùs res humanæ succederent. Sed cur obsecro non simili vltione desæuiunt cælitus demissa in-

S. Ambros.

Vtilis mundo virtus iustorum.
Iustus mũdo necessarius.

B cendia in ciuitates, in regiones integras, quæ hodie, vti Pentapolis, omni turpitudinum, ac flagitiorum genere pollutæ diuinam vindictam promerentur? Cur illis non pepercit Dei iustitia, & sinit istos simili notatos infamia peccatorea in pace viuere? illa responsio S. Chrysost. optima in hanc quæstionem diluendam mihi videtur. sic ait sanctissimus Pater. Quid, quod sic puniti sunt, nonne sunt & nunc multi, qui eadem committunt, quæ illi, attamen non puniuntur? Etiam: sed quia propter gratiam Dei sunt & nũc multi virtute præditi, qui placare possunt Dominum, sicut tunc Patriarcha. Tametsi nos, cum nos ipsos attẽdimus, & nostram videmus desidiam, putamus miram virtutis raritatem: attamen propter illo-

D. Chrysost.
Cur hodie nõ contingit incendium Sodomæ?

C rum virtutem Deus lõganimitatem in alios seruat. hæc S. Chrys. Hęc est enim fœcunditas iustorum in lege gratiæ, vt nulla sit regio, nulla ciuitas, nullum tam obscurum, & ignobile oppidum, in quo licet permulti sint peccatorum acerui, nõ etiam reperiantur multi fasciculi viuentium, & manipuli segetis beatorum: sed & multò plures esse debuissent. Cæterùm quid dicã de latissimis regnis, ac prouinciis, de numerosissimis gẽtibus, in quibus, aut idololatria viget adhuc aut nefandæ sectæ Mahometis grassatur lues; vbi profectò ne vnus quidem non infidelis, non impurus, ac perditus viuit: & cælo tamen spectante, ac dissimulante durant incolumes, & ducunt in bonis dies suos gentes illæ nefariæ? Immortales quidẽ

Christi lex fœcunda Sanctorum.

Cur Deus infidelium gentes non euertit?

D gratias habeamus Christo Domino, cuius sanguini, & meritis hoc debemus, vt Dei clementia oriatur super bonos, & malos; & pluat eius misericordia super iustos, & iniustos. Quin etiam certum omninò est, vt experientia quotidiana comestatur, in illis regionibus ac gentibus latere aliquod seminarium multorum, qui ad vitam æternam prædestinati à Deo esse noscuntur, quique tandem aliquando ex illis reprobis enati viam Dei ingredientur, & sanctitate sua Christi Ecclesiam illustrabunt: non sunt autem euellendæ spinæ ex quibus suo tempore pulcherrimę, atque odoratissimę rosæ pullulabunt. Addo etiam Deũ nunc placatiorem, & benigniorem se hominibus exhibere propter Christi Domini sanguinẽ pro

Prædestinati etiam ex infidelibus colliguntur.

Deus ob Christi sanguinem placatior.

E omnibus superesfusum. Quidni obsecro sustineat Deus ipse in cœlo regnans hominum in terris flagitia, si cum hominibus habitãs, quos vidit in terra improbos, & passus est inimicos, tam insigni patientia & mansuetudine tolerauit? Benè S. Saluian. in hanc sententiam effatur. Descendit Deus in terras humiliatus vsque ad caducæ istius conuersationis contumeliosas necessitates: ipsam denique hominum circa se conuersantium fœtidam commorationem, populos peccatorum sordentium suo oblitos, semper malæ conscientiæ admissu reos, turpium ex se actuum nidorem

S. Saluian.

Christus peccatores tolerauit.

exhalantes, *libr. 2. ad Ecclesiæ Cathol.* nidorem A dicit, hoc est, tetrum odorem ex coctis carnibus in coquina. Quid enim aliud est hodie mundus, nisi coquina vbi flammis libidinum ardet, coquitur, & eliquatur caro? sed magnus ille, & patiens Christus, qui in terris habitans exhalatum cominus nidorem patientissimè sustinuit, quid mirum si nunc in cœlo positus eminus mephytim istam percipiens eadem patientia, & constantia sustineat? An non etiam examinauit Deum in peccata hominum, iusto vindictæ zelo mituram Virgo illa mater, quæ ipsum Deum concepit, peperit, lactauitq; hominem? De plenitudine quippe gratiarum Virginis Deiparæ in mundum vniuersum B copiosissimi riui emanarunt Sed hoc ipsum præstat audire ex D. Bonau qui *3. opuscul. de spe beatæ Virg. c. 7.* sic melle dulciùs eloquitur. Virgo Maria non solum in plenitudine Sanctorum detinetur (iuxta illud *Ecclesiast. 24. In plenitudine Sanctorum detentio mea.*) sed etiam in plenitudine Sanctos detinet, ne eorum plenitudo minuatur; detinet nimirum virtutes, ne fugiant; detinet merita, ne pereant; detinet dæmones, ne noceant; detinet Filium, ne peccatores percutiat. Ante Mariam non fuit, qui sic detinere Dominum auderet, testãte Isaia. *Non est qui inuocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat te.* hæc Seraphicus Doctor. Hæc igitur est ratio (post Christum Filium eius) nostræ salutis, mater Dei vnica, & firmissima anchora nostræ spei, tota hominum, etsi peccantium, fiducia. Hinc ille Bernardi fauus cœlestem stillans B dulcedinem: quia indignus eras, cui donaretur Deus, datus est Mariæ, vt per illam acciperes quidquid haberes. *serm. 3. in vigil. Natiuit. Domini.*

Mundus libidinum carnis coquina.

Virgo Deipara succurrit ne mundus ruat.

D. Bonauẽt.

Mira detinendi vis in S. Maria.

Ecclef. 24.

Isaiæ 64.

S. Maria hominum spes & fiducia.

D. Bernard.

Per S. Mariam Deus hominibus datus.

CAPVT DECIMVMNONVM.

1. VEnerúntque duo Angeli Sodomam vespere, & sedente Loth in C foribus ciuitatis. Qui cùm vidisset eos, surrexit, & iuit obuiam eis: adorauitque pronus in terram.

2. Et dixit: Obsecro, domini, declinate in domum pueri vestri, & manete ibi: lauate pedes vestros, & manè proficiscemini in viam vestram. Qui dixerunt: Minimè, sed in platea manebimus.

3. Compulit illos oppidò vt diuerterent ad eum: ingressísque domũ illius fecit cõuiuium, & coxit azyma: & comederunt.

4. Priùs autem quàm irent cubitum, viri ciuitatis vallauerunt domum à puero D vsque ad senem, omnis populus simul.

5. Vocaueruntque Loth, & dixerunt ei: Vbi sunt viri qui introierunt ad te nocte? educ illos huc, vt cognoscamus eos.

6. Egressus ad eos Loth, post tergum occludens ostium, ait:

7. Nolite, quæso, fratres mei, nolite malum hoc facere.

8. Habeo duas filias, quæ necdum cognouerunt virum: educam eas ad vos, & abutimini eis sicut vobis placuerit, dummodò viris istis nihil mali faciatis, quia in- E gressi sunt sub vmbra culminis mei.

9. At illi dixerunt: Recede illuc. Et rursus: Ingressus es, inquiunt, vt aduena, numquid vt iudices? te ergo ipsum magis quàm hos affligemus. Vímque faciebant Loth vehementissimè: iámque propè erat vt effringerent fores.

10. Et ecce miserunt manũ viri, & introduxerunt ad se Loth, clauserúntque ostiũ:

11. Et eos, qui foris erant, percusserunt cæcitate à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent.

12. Dixerunt autem ad Loth: Habes hîc quempiam tuorum? generum aut filios, aut filias, omnes, qui tui sunt, educ de vrbe hac:

13. Delebimus enim locum istum, eò quòd increuerit clamor eorum corã Domino, qui misit nos vt perdamus illos.

14. Egressus itaque Loth, locutus est ad generos suos, qui accepturi erãt filias eius, & dixit: Surgite, egredimini de loco isto: quia delebit Dominus ciuitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui.

15. Cúmque esset manè, cogebant eum Angeli, dicentes: Surge, tolle vxorem tuam, & duas filias quas habes: ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis.

16. Dissimulante illo, apprehenderunt manũ eius, & manum vxoris, ac duarũ filiarũ eius, eò quòd parceret Dominus illi.

17. Eduxerúntque eum, & posuerunt extra ciuitatem: ibíque locuti sunt ad eum, dicentes: Salua animam tuam: noli respicere post tergum, nec stes in omni circà regione: sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas.

18. Dixitque Loth ad eos: Quæso Domine mi,

19. Quia inuenit seruus tuus gratiã coram te, & magnificasti misericordiã tuam quam fecisti mecum, vt saluares animam meam, nec possum in monte saluari, ne fortè apprehendat me malum, & moriar:

20. Est ciuitas hæc iuxtà, ad quam possum fugere, parua, & saluabor in ea: numquid non modica est, & viuet anima mea?

21. Dixítque ad eum: Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem pro qua locutus es.

22. Festina & saluare ibi: quia non potero facere quidquam donec ingrediaris illuc. Idcirco vocatum est nomen vrbis illius Segor.

23. Sol egressus est super terram, & Loth ingressus est Segor.

24. Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cœlo:

25. Et

25. Et subuertit ciuitates has, & omnem circà regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia.

26. Respiciénsque vxor eius post se, versa est in statuam salis.

27. Abraham autem consurgens manè, vbi steterat priùs cum Domino,

28. intuitus est Sodomam & Gomorrham, & vniuersam terram regionis illius: viditque ascendentem fauillam de terra quasi fornacis fumum.

29. Cùm enim subuerteret Deus ciuitates regionis illius, recordatus Abrahæ, liberauit Loth de subuersione vrbium in quibus habitauerat.

30. Ascenditque Loth de Segor, & mãsit in mõte, duæ quoque filiæ eius cum eo (timuerat enim manere in Segor) & mãsit in spelunca ipse, & duæ filiæ eius cum eo.

31. Dixítque maior ad minorem: Pater noster senex est, & nullus virorum remansit in terra, qui possit ingredi ad nos iuxta morem vniuersæ terræ.

32. Veni, inebriemus eum vino, dormiamúsque cũ eo, vt seruare possimus ex

A patre nostro semen.

33. Dederunt itaque patri suo bibere vinum nocte illa. Et ingressa est maior, dormiuítque cum patre: at ille non sensit, nec quando accubuit filia, nec quando surrexit.

34. Altera quoque die dixit maior ad minorem: Ecce dormiui heri cum patre meo, demus ei bibere vinũ etiam hac nocte, & dormies cum eo, vt saluemus semen de patre nostro.

B

35. Dederunt etiam & illa nocte patri suo bibere vinũ, ingressáque minor filia, dormiuit cum eo: & ne tunc quidem sensit quando concubuerit, vel quando illa surrexerit.

36. Cõceperunt ergo duæ filiæ Loth de

C patre suo.

37. Peperítque maior filium, & vocauit nomen eius Moab: ipse est pater Moabitarum vsque in præsentem diem.

38. Minor quoque peperit filium, & vocauit nomen eius Ammon, id est, filius populi mei: ipse est pater Ammonitarum vsque hodie.

SECTIO PRIMA.

Veneruntq; duo Angeli Sodomam vespere, & sedente Loth in foribus ciuitatis. Qui cùm vidisset eos, surrexit, & iuit obuiam eis: adorauitq; pronus in terram, & dixit: Obsecro, &c. vsque ad *Comederunt.*

1. V*Eneruntq; &c.*) Pransi fuerãt meridiano tempore apud Abrahamum tres Angeli, vnus subinde cum illo remãsit: sermóq; vterinque habitus est, qualis in superiore capite describitur, reliqui autẽ duo Sodomam abierunt, ac sub vespere vrbẽ sunt ingressi.

Procopius.

Et quidem non displicet obseruatio Procopij; qui cum in ea communi sit sententia, quæ habet tribus illis Angelis Diuinam Triadem significari, addit amplius hoc loco in Angelo, qui remansit cum Abrahamo, Æternum Patrem; in duobus autem, qui Sodomam petierunt, Filium, & Spiritum sanctũ repræsentari.

Dãnatio Sodomæ à Filio & spiritu S.

Nam Pater (inquit) non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, cui adest, & inest naturaliter Spiritus sanctus. sic ille. Pulchrè Filius, qui postea humanam erat naturam in vnitatem personæ assumpturus, pergit ad ferendum iudiciũ de mortalibus illis ob infandam scelerum turpitudinẽ humanæ ipsi naturæ, supra quàm dici posset, iniuriosis.

Iniuriosa natura Sodomia.

Et quid Spiritui sancto æquè aduersũ est, atque inuisũ, sicut turpitudo, ea maximè, quæ omnium fœditatum cœnum est, ac barathrum.

Dei gloria in corruptio.

Dei gloria est incorruptio, ait Clem. Alex. 4. *stromatum.*

Luxuria dedecus humana natura.

E contrario fœda mentis & corporis corruptio, summum est naturæ humanæ dedecus; ac Deum purissimum grauissimè offendit, & illius vindictam vehementer accendit. Haud nescio Deum nostri figmenti gnarum sæpiùs in puniendis huiusce intemperantiæ sceleribus quodammodo conniuere.

Tertull.

Vera est enim illa sentẽtia Tertulliani *lib. 2. ad vxorem:* Quantò grandis est cõ-

D ntinentia carnis, tantò si non sustineatur, ignoscibilis videri potest. Difficiliũ enim facilis est venia. sic Tertull.

Castitas difficilis.

Quod quidem in simplici fornicatione locum habet: at in violentis stupris, in adulteriis contra omne ius, fásque admissis; ac denique in præpostera libidine, quæ omnem malitiam, & immunditiam superat, velox esse solet, & grauis diuini iudicij vindicta.

Fornicatio qua ignoscibilis.

Atque iccirco ad Pentapolitanos execrando isto facinore infames iudicandos, ac puniendos, non vnus, sed duo mittuntur Angeli; duo scilicet iudices, aut saltem duplex diuinæ iustitiæ minister; & vt in consequentibus videbitur, nõ vsitato, ac terrestri supplicio mulctatur ea spurcitia, sed inusitato ac cœlesti.

Execranda Sodomia.

Venerunt Angeli diuinam potestatem præ-

E ferentes; debetur enim is honor puritati, quæ Angelis est ingenita. Nam (vt scribit Clem. Alex. 3. *stromat.*) mẽs munda quodammodo apta ad potestatem Dei suscipiendam est, cum Diuina in ea assurgat imago. hæc ille.

Clem. Alex.
Castus velut quidã Deus.

Quidam veluti Deus in terris agit, qui puritatem habet: vti pecus, aut dæmon esse videtur, qui carnis immunditiam sectatur.

Impurus vti pecus aut dæmon.

Quod malum in Christiana repub. extremi supplicij, quo Romanum imperium tandem periit, causam dicit fuisse suo tempore S. Saluianus Episcopus Massiliensis.

Rom. imperium ob luxuriã periit.
S. Saluia.n.

Nullus enim (inquit) est criminum modus: & prius est, vt de vita hominea, quàm de iniquitate discedant. Quis enim non cum suis iniquitatibus moritur, & cum ipsis admodum, atque in ipsis sceleribus sepelitur? vt verè de illis dici possit: *Sepultura eorum domus eorum in æternum, & comparati sunt iumentis.* Psal. 48. hæc ille, *de vero iudicio & prouid. lib. 5.* En status illorum

Luxuriosus vsque ad mortem.

Psalm. 48.

lorum temporum,& (proh nefas) non alius ro-strorum est! iumentis terra nunc habitatur. Atque vtinam (addit) iumentis! Melius quippe belluina imprudentia deuiasse fuerat. Illud peius, & criminosius, quia non ignorantia Dei, sed despectione peccarunt. ita Saluian. Habent quidē hodie libidinosi vitam pecudum in cœno sese volutantium, sed non habent illorum ignorantiam, qua excusantur; viuunt vti pecudes, sed post mortem cum immortales habeant animas, in æternum punientur. Meliùsque illis fuisset, si nati non fuissent homines, sed canes, equi, sues, quorum libidinem non imitantur modò, sed omnino superant. Longè tamē aliud à Procopio S. Ambros. obseruat in duobus illis Angelis, quos purè ministros esse arbitratur Christi Domini, qui cum Abrahamo remansit. Sic enim ait *lib.1.de Abrahā, cap.6.* Vbi largienda est gratia, Christus adest; vbi exercenda seueritas, soli adsunt ministri, deest Iesvs. hæc Ambros. Pius Dominus hominem amans apud Abrahamum cum Angelis hospitatur, cibum capit, longúmque sermonem instituit, atque in his omnibus pergrandia confert beneficia. Quia verò ex inuiolabili suæ iustitiæ præscripto quodammodo cogitur ad maleficia nequissimorum hominum punienda descendere, non id muneris per seipsum, sed per suos ministros exequitur, adeo peregrinum opus à Deo est hominibus nocere. Ac non vnum quidem sed duos mittit Angelos: vt minus (inquit Rupertus) quàm duobus testibus nullam damnatio terminet accusati causam, &c. sic præfinit hominibus iudicandi rationem: ne quis temere damnetur.

Luxuriosi vti pecus viuit, sed punietur in æternū.

D. Ambros.

Deus per se benefacit, per alios castigat.

Rupertus. Ratio iudicandi præfinita à Deo.

B

D. Chrysost. 2. *Vespere.*] Optimè S. Chrysost. Quare (inquit) tempus significatur? vt ostenderetur nobis magna Loth hospitalitas; etiam ingruente vespera permansit, & non destitit. Nam quia sciebat lucrum, quod inde nascebatur, ideò propter hoc diuitias assequi cupiens, vale sedulus erat, & neque die impleto discedebat. Ita enim se habet anima feruida, & vigilans, vt nullis impedimentis præpediatur, quominus suam declaret virtutem. Imò & hæc impedimenta magis efferuescere faciunt, & maiorem cupiditatis flammam accendunt. ita Chrysost. Non caret mysterio tempus quo Angeli ad Abrahamum, & aliud subinde, quo Sodomam abierunt. sic illud euoluit S. Ambros. loco iam indicato. Sodomam venerunt vespere, meridie ad Abraham, quia iusto refulget Angelorum præsentia, impiis tenebras affert. hæc Ambros. Et quidem congruit tempus supplicij cum peccato, quod iudicio, & pœnæ addicitur; vti Rupertus considerat. *Vespere* (inquiens) *venerunt:* ipsum enim tempus, vel hora visitationis tristissimæ peccatorum causæ congruit. Abraham meridie visitatus est, visitatur iustus & manè, iuxta illud: *Manè adstabo tibi, & videbo.* Psalm.5. Et alibi: *In matutinis meditabor in te.* Psalm.6. hæc ille. Adde Iobi dictum, *Visitas eum diluculo.* cap.7. Hoc est, prima mei tuendi, ac nouis quotidie me beneficiis cumulandi te cura tangit, ò bone Deus! tam solicitè in me intendis, ac si nihil aliud, quàm me solum, tua prouidētia curares. Tum quia iam ipso antelucano tempore iustus euigilat, stat in excubiis paratus ad nutum Domino suo obedire: tum etiam, quia talem se exhibet Dominus in sua visitatione, qualem inuenit eum, quem visitat: nimirum impij ambulant in tenebris suorum criminum confusione atque caligine occæcati; at iusti ambulāt in die, lux eorum lucet coram Deo, & hominibus, qui vident opera illorum bona: denique filij lucis nominantur. Illud etiam in my-

Ardor spiritus in bonis operibus.

S. Ambros.

Iustis in luce, impiis in tenebris est.

Rupertus.

Visitatur à Deo iustus manè. Psalm. 5. Psalm. 6. Iob. 7.

Dei prouidentia erga iustum.

Visitatio Dei qualis dispositio hominis.

C D E

A stico sensu non incongruè adiungitur à S. Ambros. Potest (inquit) referri etiam ad tēpus Dominicæ passionis, quod vespere venerunt ad eum, qui à Sodomitanis contagionibus, & totius vrbis excidio erat liberandus. Vesper erat, antequam Christus veniret: quia totus erat mundus in tenebris. Vesper erat omnibus, quos immaniū delictorum squalor tenebrosos vrgebat. Venit Dominus Iesus, tedemit sanguine suo mundum, lucem attulit hæc Ambros. Quod quidem vesperū illud est, de quo regius Vates cecinit. *Ad vesperum demorabitur fletus.* Psalm.29. Cum in passione (declarat S. Hieron.) Domini tenebris obtecta omnia esset, Apostoli in fletu, & gemitu morabantur. S. August. ad ærumnas huius vitæ sensum deducit, quæ per fletum significatæ cœperūt in illa vespera infelici, quando primi parentes in paradiso peccauerunt. sic enim ait. Vespere cœpit fletus, vbi sapientiæ lumen recessit à peccāte homine, quādo morte damnatus est. Ab ipso vespere moras habebit fletus, quādiu in laboribus, & tentationibus populus Dei expectat diem Domini. sic ille in 1. p. Psalmi. at in 2. addit. Geme de præteritibus, psalle de futuris. hæc S. August. Non minùs apposite S. Gregor. *lib.1. Moral. cap.2.* aliam rationem huiusce temporis, quo Angeli venerūt Sodomam, sic exponit. A qualitate temporis finis exprimitur actionis; sicut non redituris ad veniā, ad traditionis perfidiam nocte Iudas exisse perhibetur, eum egrediente illo ab Euāgelista dicitur: *Erat autem nox.* Ioan.13. Hinc & iniquo diuiti dicitur: *Hac nocte repetent animam tuam a te.* Luc.12. Anima quippe, quæ ad tenebras ducitur, non in die repeti, sed in nocte memoratur. Hinc est, quòd Salomon, qui sapientiam nōn perseueraturus accepit, in somnis hanc nocte accepisse describitur. Hine est, quod Angeli punituri Sodomam ad eā vespere venisse memorantur. hæc S. Gregor. Sic igitur ad vesperum demorabitur fletus, qui semper damnatis perseuerabit in omnem æternitatem. Itaque vesper æternam iodicat noctem.

S. Ambros.

Vesper mysterii euoluitur

D. Hieron.

S. August.

S. Gregor.

Ioan. 13.

Lucæ 12.

Vespera & nox significat peccatum, & damnationē.

3. *Sedente Loth in foribus ciuitatis.*) Bene fuerat Loth à patruo Abraham institutus, atque mores & virtutem magistri egregiè imitabatur. Iccirco sedebat ad portam ciuitatis, vnde aduētantes peregrinos exciperet: ac præsertim ad vesperum, quia hospitalitatem didicerat in domo Patriarchæ, noctu susceptarus hospitio, quos Abraham aluisset meridie: sed audi Procopium in hanc sententiam. Non intra parietes (inquit) suæ domus se continebat Loth, verùm egressus oberrabat in porta. Verè sanguine iunctus fuerat Abrahamo, eámque propinquitatem comprobauit hospitalitate, qua impulsus sedebat in porta vespere. Nouerat enim vel in primis Sodomitarum impietatem, qua freti, neminem peregrinum, vt par erat, benignè exciperent. sic ille. Tantum habet virium bona institutio puerorum: tā efficax est, ad rectè conformandos vitæ mores, cum iustis sanctisque viris assidua, & familiaris consuetudo. Duo perpulchrè obseruat S. Chrysost. & hospitalitatis Lothi ad exemplum patrui studium infatigabile, & constantiam illam admirabilē, qua vir iste pius virtutem inter improbos ac nefandos Sodomitas potuit illæsam retinere. sic ait: Sicut Patriarcha sedēs tempore meridiei obseruabat aduentantes, & venationem suam exercebat, & occurrebat, & magno gaudio viatores suscipiebat: ita simili modo, & iustus ille, quoniam sciebat peruersitatem eorum, qui in Sodomis habitabant, neque vespere discedebat, sed manebat,

Procop.

Quanta vis in institutione puerorum.

Vtilis consuetudo cum iustis.

D. Chrysost.

necubi

necubi thesauros aliquis ipsi elaberetur, atque vt hospitalitatis fructum decerpere posset. sic ille.

Cura & fructus hospitalitatis.

Stabat igitur diligenter intentus venãdis, si fortè aduentarent, hospitibus; tum vt eos à nefandis insultibus Sodomitarum liberaret: tum etiam, vt fessos itinere perhumaniter in hospitio recrearet. Tantóque maior Lotho accrescit laus, quantò sceleratior erat populus, cum quo viuebat, vbi nulla essent virtutis exempla, signáq; pudicitiæ, & humanitatis. quare optime adiungit S. Chrys. Verè admirari licet vehementer iusti huius virtutem, quòd cõuersans in medio tam impiorum non solum non fuit inde negligentior factus, sed & maiorẽ virtutem præ se tulit, & cum omnes in præceps ruerẽt, ipse solus in tanta multitudine rectã ambulauit viã. hactenus S. Chrys.

Mira laus bonum inter malos esse. Lothus Sodomis vt sol.

B Magna profectò laus est huius viri, qui in medio nationis prauæ, ac peruersæ lucebat, sicut inter tenebras noctis luminare cæli; & qui more solis, per illius cœnosæ, ac purulentæ ciuitatis plateas discurrebat, quin illius fulgor, ac vitæ probitas inter nefandas hominum sordes pollueretur. Etsi autem locus magnam vim habere soleat, vel ad virtutem, vel ad vitium mẽtibus ex mutuo commercio imprimendam; longè tamen vtramq; in partem potentior est animi cuiusque affectus, & conatus. Quo de argumento eleganter ita subiicit S. Chrysost.

S. Chrysost.

Vbi igitur sunt, qui dicunt, quòd nõ sit possibile in media ciuitate versantem seruare virtutem; sed opus esse secessu, & montana quadam conuersatione, & non posse domui suæ C præfectum, & habentem mulierem, & filios curantem, ac famulos, virtute præditum esse? Videãt iustum istum cum muliere, & filiabus, & famulis, & in ciuitate degentem, & inter tam malos, ac impios conuersantem, & quasi scintillam quandam in medio mari lucentem, & nõ solùm non extingui, sed & quotidie lucem clariorem emittere sic ille.

Paterfamilias iustus.

Castus animus etiam in cœno lucet.

Quod si Loth inter Sodomitas, hoc est in ipso cœno, barathro, ac tartaro, purum se, ac sanctum seruauit, quis iam locus casto animo poterit nocere? addit insuper: Et hæc dico, nõ prohibens secessum ab vrbibus, neque interdico montium, & solitudinum conuersationem: sed monstro, volenti sobriè agere, & vigilare, nihil D inde obstaculi esse. Sicut igitur negligenti, ac supino nihil prodest solitudo; neq; enim locus nos virtute facit præditos, sed mens, & mores; ita & prouidens atque vigil non offenditur etiam in media ciuitate viuens. Quocirca vellem, sicut beatum illum virtute præstantes in mediis ciuitatibus esse, vt quasi fermẽtum facti aliis multos ad sui imitationem trahant. hæc omnia S. Chrys.

Locus neque nocet, neque prodest.

Iustus in vrbe instar fermenti.

S. Chrysost.

Ah pudeat hæc audire, & itatique, vt decet: & nihilominùs homines Christi fide, ac disciplina imbutos in terra sanctorum inique agere, atque inter castos & puros vitam agere fœdissimus Pentapolitani sceleris sordibus infamem.

Christianum dedecet impuritas.

4. *Qui cum vidisset eos, &c.*] Velut in specula cõsidebat Loth despiciens, numquid peregrinus, ac viator accederet. Igitur duos viros conspicatus, nec enim Angelos esse sciebat, vt rectè animaduertit S. Chrys. Quod & sequitur, & probat S. August *in quæst. super Genes.* ex verbis Pauli 13. *ad Hebr.* hospitalitatem commẽdantis; nimirùm per hanc enim quidam nescientes, hospitio Angelos receperunt. Vt igitur vidit peregrinos, cõcitus, lætúsq; assurrexit: suspicans (ait Chrys.) viatores quosdã esse, quasi præ gaudio saltabat, quia assequutus erat quæsitam prædam, & nõ aberrabat ab eo, quod cupiebat. sic ille. Planè saltatio ista, & gaudiũ Lothi nostrã desidiam vehementer

D. Chrysost.
S. August.
ad Hebr. 13.

Loth' amator peregrinorũ.
S. Chrysost.

A perstringit; aut enim refugimus hospites, vti hostes, aut certè si accedant, à nostris propulsamus foribus tanquam pestem; dedignamurque nostris domibus inferre pauperes, quorũ habitu scimus indutum ad nos venire Deum ipsum Cõditorem ac Redemptorem nostrum. Faciebat Loth ante Christi Euangelium, à quo edocemur: *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis: hospes eram, & collegistis me.* Matth. 25. At sunt hodie penè infiniti numero, qui etiam post Christi doctrinã, quam Loth non audierat, etsi illo sint longe ditiores, erga pauperes tamen auari, ferreiq; ostendantur.

Habitu pauperum indutus Christus mendicat.

Matth. 25.

Audiant ergo isti quorsum à Deo bona sua tam copiosa acceperint. Deus (inquit S Saluian) ad hoc facit homines substantia esse locupletes, vt bo- B na operatione sint diuites, id est vt commutent diuitias, quas acceperunt, in bonis operibus collocantes; Dei opes, quas habent in hoc seculo temporarias, bene vtendo faciant sempiternas. *lib. 1. ad Eccles. Cathol.* Igitur diuites à Deo fiunt homines, vt bono diuitiarum vsu in pauperum commoda æternum sibi comparẽt regnum, diuitésque fiant in cælo opum, quæ in æternum perdurabunt.

S. Saluian.
Diuitia dantur à Deo ad salutem animæ lucrandam.

Accedens subinde Loth ad viatores, adorauit pronus in terram. Sed quænam isthæc adoratio? etenim, quæ dicitur latria, soli Deo debetur, nec sine grandi piaculo impietatis alij, quàm Deo potest deferri; at Loth homines & exteros, & viatores, & pauperes arbitrabatur. S. Chrys. videtur sumere pro vera latria simul cum gratiarũ actio- C ne; quam tamen Deo, non illis viatoribus exhibuit. Sic enim commentatur: Vt vidit, exurrexit in occursum illis, & adorabat facie super terrã. Gratias egit Deo, quòd dignatus esset eum prætereuntium susceptione. Animaduerte illius animæ virtutem, magnum Dei beneficium arbitrabatur incidisse in hos viros, vt susceptis illis suũ perficeret desiderium. Expende, quòd iustus ille, quasi homines ignotos, & prætereuntes suscipiẽs ita afficiebatur. sic D. Chrys. Magnum scilicet nobis Dominus beneficium confert, cum nobis occasionem præbet benè merendi de proximis; atque adeò ingentes ob huiusmodi pietatem thesauros meritorum ad æternã beatitudinem promerendi.

S. Chrysost.
Dei beneficium est occasio fouendi pauperes.

Alij tamẽ simpliciùs accipiunt istud ge- D nus adorationis pro quadã vultus submissione, ac totius corporis incuruatione, quæ honoris causa, etiam nunc exhibetur viro alicui principi; ac tales reputabat iustus Loth, qui pauperes, & viatores esse videbantur. Itaque non excipit modò, & recreat domi suæ peregrinos, sed honorat, vti principes, ac dominos, à quibus pronus in terram obnixè contendit, pro singulari admodum beneficio, vti debitum domus suæ obsequium dignentur suscipere.

Iusto pauperes sunt principes.

5. At quæres hoc loco, cur isti Angeli tam illustrem adorationis honorem ab homine præstitum non abhorruerint, quod illos fecisse legimus *Apocal.* 22. cum Ioanni Angelum adorare contendenti, ab ipso interdictum est: *Vide, ne fe- E ceris: conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum.* Apoc. 19. Hanc dubitationem proponit ac diluit S. Greg. *homil.* 8. ad hunc modum. Quid est, quòd ante Redemptoris aduẽtum Angeli ab hominibus adorantur, & tacent; postmodùm verò adorari refugiunt, nisi quòd naturam nostram, quam priùs despexerant, postquam hanc super se assumptam conspiciunt, prostratã sibi videre pertimescunt? nec iam sub se velut infirmam cõtemnere ausi sunt, quã super se videlicet in cæli Rege venerantur. Nec habere dedignantur hominẽ socium, qui super se adorant hominem Deum. hæc S. Gregor.

Apoc. 22.

D. Gregor.
Angeli nunc hominem venerantur.

Incarnatio Verbi hominem extollit. *ad Hebr. 2.*

S.Greg. O admirabile diuinæ Incarnationis beneficium! ô hominem super Angelos exaltatum, Angelis superiorem, ab Angelis adoratum! *Non Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*, hoc est humanam naturam apprehendit, Diuinæ personæ, ac substantiæ adunitam. Putarim etiam in Ioanne dilecto Domini, ac purissimæ Virginitatis laudo conspicuo Angelum reueritum fuisse ipsam pudoris virginei dignitatem, quæ regia quidem ac propè diuina censetur, vt in pontificum ornamẽtis Deus ipse voluit significari. Nimirum in illis (præter alia) vt S. Gregor. Nyssen. *de vita Moys.* obseruat, hyacinthus purpuræ connectebatur, & cocci rubedo bysso iungebatur; & his omnibus aurea fila erant inspersa. Nam viuendi puritas, & munditìes naturæ coniungitur regno. Aurum autem his tincturæ floribus refulgens ostendit reseruatum huic vitæ thesaurum. hæc Nyss. Vide quàm diues, quàm aurea, quàm regia sit castitas; vbi pudor, ibi regnum, ibi aurum, ibi thesaurus. Sed hæc omnia in Virgine Dei Matre, supra omne, quod fingi, aut dici potest, eminuerunt. *Astitit enim Regina* (canit Propheta *Psalm. 44.*) *a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Regina quidem est Virgo Mater, non modo quia peperit Regem mundi, cuius regni non erit finis; sed etiam quia Virgo, & Virginum omnium prima, & summa extitit; atque idcirco à dexteris Dei Filij sui residet in cælo candidissimum virginitatis præferens vexillum. Per aureum, variúmq; amictum non solùm insinuantur omnia virtutum maximarum ornamenta, quibus supra omnem creatam naturam Dei Genitrix adornata est; sed præcipuè illa dignitas incomparabilis, quæ illi effloruit ex coniunctione duarum rerum secundum naturæ vires maximè variarum, ac dissitarum, vt videlicet simul esset Virgo, & Mater. Quod miraculum diuinæ potentiæ reliqua omnia longè antecedit. Vt enim optimè loquitur S. Petr. Chrysolog *homil. 75.* Diuinitatis insigne est clausam Virginem reliquisse post partum. sic ille. Nec enim in alio opere sic se Deum omnipotentem Christus demonstrauit, quàm quod de Matre semper Virgine natus est.

Castitas diues, aurea, regia.

S.Greg.Nys.

Psalm. 44.

Virgo Deipara verè Regina.

Virginitatis vexillũ Virgo Deipara extulit.

S.P.Chrysol.

Summum miraculum Virginem esse Dei Matrem.

6. *Obsecro domini, &c.*] Decreuerat Dominus eripere Loth ab incendio Sodomitarum; sed ne tantum beneficium homini indigno, ac nihil merenti videretur contulisse, voluit, vt illius merita explicarentur, scirétque mundus, Loth suis bonis operibus promeruisse hanc diuinæ omnipotẽtiæ opem, qua solus ipse cum familia de communi incendio cæteris conflagrantibus saluus, & incolumis euaderet. At quænam proponuntur merita Loth? nimirum in peregrinos atque egenos misericordia. Hinc illud perbellè scripsit S. Hildebert. *Epist. 60.* Non leguntur alia Loth benefacta, quàm hospitalitas hæc illi hostia fuit: hoc sacrificio sulphur & ignem euasit Sodomorũ, tota seruata est familia vnius meritis. sic ille. Vide quàm studiosè curarit Dominus, vti hominibus commendaretur hospitalitas, atque vniuersim in pauperes beneficentia, cui salutem Loth cum tota illius familia voluit acceptam referri: simúlq; hoc facto edocuit egregiam opem sitam esse in pauperum eleemosyna. In quam sententiam verè, ac pulchrè ita disserit S. Hildebert. *Epist. 61.* In cælo nulli melius pro reis agũt, quàm pauperes aduocati; pauperes ante supremum tribunal in propulsandis dilationibus obtinẽt principatum. Vnde fit, vt bene speret de iudice, quisquis pauperum meretur interuentum: pro quo eorum voces conualescunt, sententiam non timet capitalem.

Misericordia in pauperes seruauit Loth.

S.Hildeb.

Magnũ præsidium in eleemosyna situm est.

S. Hildeb.

Pauperes ante Deum aduocati.

A hæc Hildeb. Propulsat dilationes in nostris postulationibus apud Deũ collata pauperibus eleemosyna: festinat quippe diuina misericordia debitum humanæ beneficentiæ soluere. Qui ergo moleste fert tardiùs exaudiri à Deo, pauperes subroget, quorum clamoribus diuinæ patent aures, & manus explicatur. Qui Deum orat, & surdum se pauperi exhibet, sciat se ad auras, & cautes spargere verba, & surdis loqui; audiat, vt audiatur; exaudiat pauperem, vt à Deo exaudiatur; det homini, vt à Deo accipiat. Valet etiam misericordia in pauperes, vt peccator illam exhibens, primùm quidem peccatorũ flammas extinguat, atq; in Dei gratiam restitutus incendia gehennæ deuitet. O si potentes ac diuites huius seculi hãc B tam facilem, & compendiariam ad cælum viam suæ saluti prouiderẽt! Loth itaque pronus in terram suppliciter exposcit: *O Domini* (inquiens) *mei, diuertite quæso domum serui vestri.* עבדכם *ghabdechẽ*, seruus dicitur, Interpres vertit *puerum*, quo nomine sæpiùs in scriptura significatur seruus. Pernoctate, dormite, hospitio fruimini apud me, quę omnia continentur in verbo Hebr. לין *lun*, benè interpres (vt solet) vtitur voce generali: *Manete, sinite lauari pedes vestros:* hoc enim intelligitur in illo *rachazu* ורחצו *lauate*, quia qui consentit aliquid sibi facienti, quodammodo videtur facere. *Mane proficiscemini.* Hebr. השכמתם *hiscamthem*, radix *sacham* שכם *manè surgere*. Interpres vertit, *proficiscemini*. Cum enim essent peregrini, manè C surgerent, vt proficiscerentur. At illi responderunt: *Minimè.* Primùm scilicet modestię causa negant, consensuri tamen si amplius vrgerentur ita etiam Dominus roganti Chananææ negauit primò, se facturum quod petebat: nimirum (vt obseruat S. Chrys. *in cap. 8. Matth.*) prorogando, & quasi renuendo, mulieris fidem cunctis aperuit. Sic etiam (adiungit) qui ad Loth missi erant, ingredi ad ipsum nolebant, vt inaudita ipsius hospitalitas non lateret. hæc S. Chrysost. Quò enim magis Angeli renuere simulabant, eò pius vir vehementius vrgebat, vt hospitio suo, & obsequio vti dignarentur. Sic nostra opera Dominus honorat, vultque in lucem prodire, ac manifestari omnibus, vt videãt, quàm fidelis, ac largus est re- D munerator. Angeli præterea renuebant, ne hospiti suo tã officioso viderentur obesse. quod egregiè ita dispungit S. Ambros. *lib. 1. de Abrah. cap. 6.* Commendatur hic iusti sanctitas, & Angelorum gratia. Illi nolebant aduentum suum hospiti grauiorem videri. Ille quidem inter quos habitaret sciebat, tamen domum suam offerebat periculis, quibus auferret hospites. Certè quò tardiùs acquiescebant, diutius tentando, pleniùs comprobabant. hæc S. Ambros. In quibus vides Angelos renuere, vt probaretur ampliùs, illustriórque fieret virtus, ac pietas Loth: deinde nos edoceri, vt nulli simus causa periculi, contra verò, vt vsque ad nostrum aliquod discrimen proximis, præsertim egenis, opem stipémque præbeamus. Ac de- E nique ex hac historia leges hospitalitatis constituuntur. Rogandi quidem sunt hospites, ac peregrini, non leuiter, sed instanter, humilitérque, & amicè illis occurrendum, intromissis in hospitiũ lauandi pedes, necessaria administranda, iuxta temporis, loci, & personarum exigentiam. præstitit hæc omnia iustus Loth. Illud enim (*manè proficiscemini*) non apposuit, eo quòd hominem tæderet apud se hospites vlteriùs detineri, sed quod nollet à ciuibus videri eos, ac periculum in tam impura nebulonum colluuione adire.

Citò exauditur à Deo qui pauperem exaudit.

Eleemosyna compendiaria in cælum via.

Rogari vult à nobis Deus. *S.Chrysost.* *Matth. 15.*

Vult Deus nostra merita vt appareant.

S.Ambros.

Succurrendũ proximis etiã cum periculo.

Leges hospitalitatis.

6. *Compulit illos, &c.*] Inuitati Angeli verè respondeꝛunt

ſponderunt ſeſe nolle ingredi, ſed velle in platea manere; decreuerant enim ad primam & ſimplicem inuitationem non aſſentire; ſed expectare, vti iuſtus iteraret preces, vimque faceret, virtutem (quod iam præmiſimus) iuſti manifeſtare volentes, & nos docere quanta eius fuerit hoſpitalitas; ait S. Chryſoſt.

D. Chryſoſt. *Inſiſtendum operibus ſanctis.*

Vti Angeli deſiderabant, ita iuſtus Loth multiplicauit preces; vimque acriter vrgendo intulit, vt velut inuiti, victique in hoſpitium ſubintrarent. Non eſt quidem in virtutis ſtudio, atque vniuerſim in ſanctis operibus quieſcendum, ſed infatigabili quodam conatu inſiſtendum. Quod ex huiuſmodi Lothi exemplo luculentè oſtendit S. Chryſ. in hæc verba:

D. Chryſoſt.

Etiam poſt tantam exhortationem, quam fecerat, cum vidit eos renuere, non fuit negligens, neque ab inſtituto ſuo deſtitit, neque fecit, vti nos interdum facimus, qui ſi quando aliquem hortari dignamur, & poſtea videmos parumper detrectantem, & renuentem, ſtatim deſiſtimus: id quod contingit, quia citra deſiderium, & feruorem hoc agimus. ſic ille.

Hortandi ſæpiùs proximi.

Ignauiæ quidem eſt, ac pene ſtultitiæ ſtatim ſuccumbere, vbi vota non ſuccedunt: quaſi verò prædam captans, aut theſaurum inquirens, non diu inſtando, & laborandò, vt voti fiat compos, alacriter, conſtantérque perſiſtat. adiungit igitur: Amiſiſti in venatione prædam, aberraſti à theſauro, & tuo functus es officio? tunc tuo functus eſſes officio, ſi non abieciſſes è manibus theſaurum, ſi non prætériſſes in venatione prædam, ſi non ſummis labris, & verbo tenus tantùm hoſpitalitatem indicaſſes. at non iuſtus ille ſic. hæc Chryſoſt.

Inſtanter operandum ad virtutem.

Etſi autem deficere in virtutis ſtudio, nec inſtando vel in precibus, vel in bonis operibus ad vlteriora progredi dedecoroſum omnibus Chriſto inſeruientibus habeatur: maxime verò dedecet religioſos viros, quorum vitæ ratio ad perfectionem debet aſſorgere. Nam vt rectè ſcribit S. Petr. Damian. *Epiſt. ad Blanc. cap.* 11.

S. Petr. Dam. *Religioſi feruor in ſpiritu*

Monachus ſi ad proferendos fructus boni operis ſit intentus, & feruidus, nihil inter homines poteſt eſſe præſtantius: alioqui, ſi frigidus, & infœcundus areſcat, ac dormiens ſtertat, iure deſpicitur, & ipſis quoque ſecularibus non æquatur. hæc Damian.

Religioſus frigidus ſeculari deterior.

Rogauit Loth opportunè, importunè, inſtandóque tandem perfecit, vt Angeli, qui videbantur obnixè reſiſtere, blandè, ac peramicè demum acquieſcerent.

Virtus primò aſpera deinde miteſcet.

Sic planè virtus habet: difficilem ſe præbet, atque arduam; aſpera omnia, & amara primo congreſſu obiicit: at non icciirco cadas animo: tenta viam, alacri ſtudio in accliuia, & ſalebroſa inuitere. Miteſcet enim (ait S. Hildebert. *Epiſtol.* 61.) ſi perſeueras in eo, quod cœpiſti. hæc ille.

S. Hildebert.

Compulſi demùm Angeli domum Lothi ſubeunt. O felix violentia! ſic compeliendo, atque inſtando, & ſuam demonſtrauit virtutem, & ſibi, domuíque ſuæ in communi exitio attulit ſalutem. Quod ita explicat Eucherius Angeli, quaſi coacti domum Loth ingrediuntur, vt charitas ipſius tentata, & probata remuneretur, & vt oſtenderetur, quantum eſſet hoſpitalitatis bonum.

Eucherius

Hoſpitalem domum Angeli ingreſſi ſunt ad liberandum, clauſas verò domos hoſpitibus ignis ingreſſus eſt ad perdendos peccatores; & icciirco hoſpites non ſunt euitandi, ſed vltrò inuitandi. hæc ille.

Salua domus vbi pauperes fouetur.

Non eò intrant flammæ, vbi pauper fouetur; arcet eleemoſyna diuinam vindictam; ſecurus viuit, qui à pauperum manibus per eleemoſynam accitis circumſtipatur.

Securus, qui pauperū manus munitus.

Statim igitur peregrinis, de via laſſis, ac fame (vt videbantur) confectis menſam appoſuit. Dicitur enim: *Ingreſſiſq; domum illis fecit conuiuium, & coxit azima: &*

A

comederunt. Sed quodnam conuiuium iſtud eſt? vbi altilia occiſa, vbi vituli ſaginati, vbi exquiſitius, ac lautius paratum epulum? Frugalius quam Abraham Angelis Loth conuiuium inſtruit. Azima coxit, citò parabilem eſcam, ne diutius differretur refectio; ſed confeſtim peregrini ex longo itinere collectā famem opportuno cibo depellerent. Bis enim dat, qui citò dat: nec diu in pauperes, atque egenos gratia differenda eſt.

Pauperi citò erogandum.

Et meritò conuiuium dicitur, vel ipſe tantum panis laſſis, ac famelicis, & opportune appoſitus. O ſi diuites, atque epulones abſtinentia ſalutari, famem ſibi obſonarentur, quam dulcis foret illis panis ipſe ſecundarius, & mera fontis aqua!

Fames cibo neceſſaria.

B

Conuiuium etiam vocatur, ac tale quidem iudicarunt Angeli, non ex ciborum apparatu, ſed ex pietate officioſiſſima viri iuſti, à quo inuitabantur. quod ita expendit S. Chryſoſt.

D. Chryſoſt. *Pietas menſam ornat.*

Vidiſti & hic non in ſumptuoſa menſa hoſpitalitatem, ſed potiùs in liberalitate mentis? Nam ſtatim vt eos induxit in domum ſuam, nullum hoſpitalitatis officium prætermiſit. Et ipſe quidem in miniſterio occupatus erat, & cibos appoſuit, & omnem honorem impendit hoſpitibus, homines eos, & viatores quoſdam eos eſſe putans. hæc S. Chryſoſt.

Modeſtia & pietas in hoſpitalitate.

Denique tanta fuit Angelorum modeſtia, tam eximia erga ſuum hoſpitem gratitudo, vt non lautiores peterent, deſiderarentve cibos, ſed pane illo non fermentato, ac recens cocto, veluti pro regio quodam conuiuio

C

lætos, gratóſque ſe præberent, qualis ergo modeſtia, qualis pietas vtrinque in hoſpitalitate ſit exhibenda, hinc edocemur.

Miſericors Deus expectat & tolerat diu.

Vt merita igitur Loth, & demerita Sodomitarum oſtenderentur, atque in vtriſque, & miſericordia Dei illum eripientis, iſtos autem tandiu expectantis, ac tolerantis, demúmque non ſponte, ſed quaſi iuſtitia ipſa cogente punituri oſtenderetur, Angelos illuc dimiſit; quod ita enucleat S. Saluianus:

S. Saluian.

Quod in Sodomis actum eſt, plus habuit miſericordiæ, quàm ſeueritatis. Quòd enim pœnam eorum tandiu diſtulit, miſericordiæ fuit: iuſtitiæ quòd aliquando puniuit.

Deus inuitus punit.

Et ideò cum Angelos Sodomam Deus mitteret, hoc nobis probare voluit quòd etiam malos punitet inuitus; ſcilicet, vt cum legere-

D

mus, quæ à Sodomitis Angeli pertuliſſent, & videremus ſcelerum immanitatem, probaret vtique nobis Deus, quòd ipſe eos noluerit perdere, ſed ipſi extorſerint, vt perirent. hæc ille *lib.* 1. *de prouid.*

Peccator extorquet vt pereat.

SECTIO II.

Priùs autem quàm irent cubitum, viri ciuitatis vallauerunt domum à puero vſque ad ſenem, omnis populus ſimul. Vocaueruntq; Loth, & dixerunt ei: Vbi ſunt viri qui introierunt ad te nocte? educ illos huc, vt cognoſcamus eos. Egreſſus, &c. vſque ad finem.

E

1. EXplicata hucuſque fuit, & ampliùs ſubinde explicabitur pietas Lothi erga hoſpites. Nunc verò ſtupenda Sodomitarum turpitudo deſcribitur; vti & iſtorum nequitia, impudentiáque, & illius virtus clariùs demonſtretur. De illa ſic egregiè diſſerit Procop.

Procopius. *Exemplo bonorum vult Deus malos ſanare.*

Noluit Deus penitus extirpare Sodomitas priùs, quàm cognouiſſent virtutem Abrahami, & Lothi, qui cum ipſis cōuerſabantur. Neque reliquas gentes priùs excidit, quàm Abraham, Iſaac, & Iacob in promiſſionis terra habitaſſent. Nam in hunc modum patuit, ipſorum ingenia eſſe inſanabilia, vt qui nec ſe

ipsos salutaribus instituerent præceptis, nec alios æmularentur virtute inclytos. sic agit, quo ad consummationem gentis vniuersalem. Deus Verbum priùs venit, præcepta pietatis præscripsit, veritati non obtemperantes internecione occidit. Nam (vt inquit Saluator) *nisi venissem, & eis locutus fuissem, peccatum non habuissem.* hæc Procop. Vult enim Deus misericors, cum ad supplicium peccatorum descendere cogitur, priùs obstinatam illorum impudentiam omnibus patefacere, vt sua iustitia, qualis est, incorrupta demonstretur, nulláque peccatoribus excusatio, aut iustæ querimoniæ ratio supersit, sed suo in scelere deprehensi, ac seipsos vltrò damnantes obmutescant, aduersus Dei vindictam: quin etiam cooperti sicut diploide confusione sua exclament infelices: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Hæc autem obstinatio tam inuerecunda peccatorum eò fit manifestior, quò insanabilior apparet: summè autem desperata est ægritudo, cum adsunt medici, adhibentur remedia; illa verò nequaquam cedit. Iccirco enim iusti viuunt inter improbos, vt istorum curetur improbitas, aut saltem si curari omnino abnuat, nullam deinde suæ malignitatis prætendat excusationem: contra verò medici patientia, & infatigabilis ad curandum morbum alacritas luculentiùs commendetur. Quod etiam visum est inter diuitem epulonem, ac Lazarum mendicum vlcerosum: vti eleganter expendit S. Euseb. Emis. *hom. de iisdem ad 16. Lucæ.* sic infit: Se vicissim vterque videt, vt diuitis impietas manifestetur, & Lazari patientia crescat. Videt iste diuitem diuitiis affluentem. Videt ille pauperem inopia tabescentem: ille epulatur, iste cruciatur; neque ille tantùm peccaret, si hunc non vidisset; neque iste tantùm cruciaretur, si illius delicias non aspexisset. Vterque igitur erat, alter alteri, materia mali: ille temporalis; iste æterni. hæc Euseb. Cæterùm de virtute Lothi, atque improbitate Sodomitarum pulchrè scribit S. Chrysost. cuius hæc sunt verba. Non videamus solùm insaniam nulla venia dignam: sed vt cogitemus quomodo iustus in medio tam truculentarum bestiarum habitans, ita excellenti virtute fulserit, quomodo non fugit eorum ciuitatem, quomodo eis loqui potuit. hæc S. Chrysost. Et rectè miratur Lothum ita in illo cœno, in illo barathro, inter belluas, inter serpentes, inter gehennæ furias multis & claris fulgere virtutibus. Sed illum planè tanquam medicum ad illos tam fœdo vlcere laborantes misit Deus, vt si vellent ipsi, exẽplo, & doctrina iusti curarentur. Sed quomodo id factũ sit, quærit S. Chrysost. & respondet. Quomodo? ego dicam. Vniuersi Dominus præuidens miram illorum malitiam dispensauit vt iustus eo loci domicilium haberet, vt sicut optimus medicus morbos eorum sanaret. Verùm videns se cura sua nihil proficere, & illos non emendari, non propterea à cura destitit. Habet enim hunc morem medicus; quamuis videat morbos esse grauiores, quàm vt arte curari possint, non omittit tamen officium suum, sed omnem artem suam profert, si fortè possit ægrum, vel longo tempore, reparare: quòd si nihil ampliùs proficit, habet excusationem maiorem, eo quòd nihil prætermittit, quod ad se pertinet. Id sanè & hic factum est, iustus enim, qui versabatur in medio talium, etiam sic mansit iustus, vitámque optimam elegit; illi autem propterea omni venia sunt destituti, quòd non solum à malitia non cessarunt, sed & magis auxerunt peccata hæc S. Chrysost. Et meritò quidem admiratur virtutem Lothi, qui cum inter illam impurissimam nebulonum colluuiem habitaret, non eorum tamen sordibus est inquinatus: sed veluti gemma in luto, cœnóque resplenduit, quod sane miraculum fuit. Nihilo tamen minus longè tutius est, à turpi pessimorum hominum consuetudine procul abscedere. Quis enim inter flammas non ardeat, sed illæsus, purúsque versetur? Sapienter monuit S. Petr. Damian. *Apolog. de contempt. secul. cap. 13.* sicut ab ipso reproborum capite, ita quoque à membris illius, nisi causa conuersionis exegerit, studendum est declinare.

Ioan. 15. — Carent excusatione peccatores. — Ante Dei vindictã demonstratur obstinatio puniendorum. — Psalm. 108. — Psalm. 118. — Bonus inter malos medicum agit. — Euseb. Emis. — Diues, & Lazarus alter alteri materia mali. — D. Chrysost. — Iustus fulget inter improbos. — D. Chrysost. — Loth vt medicus in Sodomis. — Instanter laborãdum pro salute peccatoris. — Miraculũ est bonũ esse inter malos. — S. Petr. Dam. — Declinanda consuetudo malorum.

2. *Viri ciuitatis vallauerunt domum, &c.*) Narratur historia de abominanda præposteræ libidinis impuritate, qua nulla post hominum memoriam impudentior, ac fœtidior in orbe terrarum visa est. Clausis igitur oculis, admotáque naribus manu, summis denique pedibus tam putida, execrandaque gehennæ cloaca, quàm citissimè transilienda mihi est. obscuriora tantùm verba scripturæ commentando illustrabo. *Viri* (dicitur) *ciuitatis à puero vsque ad senem.* Hoc est, omnes cuiusque ætatis, etiam effœti senes, etiam pueri, sed doli tamen iam præ ætate capaces, vel ad cernendum, vel ad patrandum nefas, vnde vnde confluxerunt: vt euidenter appareat, nec decem iustos Sodomis fuisse: sed omnes omnino turpes, & sceleratos, vna tantum excepta Lothi familia. Belle in hanc sententiam ita effatur S. Ambros. *lib. 1. de Abrahã cap. 6.* Præstruitur diuini iudicii æquitas, ne fortè quis diceret: Quid peccauerunt, vt omnes excidio inuoluerentur? ita nullus illic iustus, nullus innocens fuit. Nulla ætas erat culpæ immunis; ideo nullus immunis exitij fuit. Et qui possibilitatem perpetrandi criminis non habuit, habuit affectum. effœtæ vires senum, sed mens plena libidinis. hæc S. Ambros. Et senes etiam effœti viribus, si minùs actu exercere, certè voluntate appetere, oculis spectare abominandum flagitium volebant. Peccata quidem longu vitæ tractu exercita, etiam in ipsa morte ab animis ægrè depelluntur. Quod ita S. Saluianus edisserit. Peccare non desinit, quem in extremis situm recedere à criminibus sola tantùm fecit impossibilitas, non voluntas. Qui enim à malis actibus tantùm morte discedit, non relinquit scelera, sed relinquitur à sceleribus. ac per hoc necessitate exclusus à vitiis, & tum puto peccat, quando cessauerit; quia quantum ad animum necdum desiit, qui adhuc velit peccare, si possit. hæc ille *lib. 1. ad Eccles. Cathol.* Prodigiosa quidem turpitudo. Omnes à paruo vsque ad magnum inuerecundi, ac detestanda libidine infames. Quid æquè corruptum, ac purulentum? abierat iam in consuetudinem stercus illud, etiam ad hospites, quibus iure ipso naturæ omnia pietatis officia debentur, adhinniendi. Planè (vt benè loquitur Procop.) penes Sodomitas adeo omnia erant deprauata, & exulcerata, vt ne semeo quidem probum inuenire licuerit. sic ille. *Vallauerunt domum, &c.* Summa (inquit Chrysost.) malitiæ conspiratio, vehemens malè agendi studium, inenarrabilis peruersitatis magnitudo, conatus nulla venia dignus. Non erubescebant tam turpe, támque impudens flagitium, neque Dei oculos cogitabant, &c. hæc S. Chrysost. Apposite loquitur de oculis Dei; numquam enim istæ bestiæ tantùm insanirent, si Deum omnia videntem, & expendentem esse intelligerent. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Psalm. 13. Hebr. אלהים *Elohim*, iudex, quasi dicat: Stultus, ac sceleratus demum statuit secum nullam esse Dei alicuius prouidentiam, nullum iudicium post hanc vitam futurum, in quo virtutibus præmia donentur,

Abominanda impuritas Sodomitarum. — Sodomia inferni cloaca. — In Sodomis nullus innocens. — S. Ambros. — Senes affectu turpes. — S. Saluian. — Peccandi consuetudo etiã in morte per affectum durat. — Inueterata Sodomæ stercus. — Procopius. — D. Chrysost. — Deum nesciebant Sodomitæ. — Psalm. 13.

Obliuio Dei precipitat in flagitia.

donentur, & peccata suppliciis puniantur. Quid unde? ruit ad omnia flagitia securus de supplicio, vt optime colligit Genebrard. Sequitur enim. *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis, nō est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Vbi S. Hier. Si Dei (inquit) notitiam habuissent; corrupti, & abominabiles non fuissent. Corrupti, hoc est ab illa integritate bonæ naturæ degeneres. Abominabiles, id est, odibiles. hæc Hieron. Quæ omnia egregiè conueniunt istis pecudibus Sodomæ.

Genebrard.

D. Hieron.

S. Chrysost.
1. Ioan. 4.

3. Vberiùs vti solet, S. Chrysost. eadem verba Prophetæ sic exponit, *Omnis* (ait Ioann. 1. cap. 4.) *qui peccat, non agnouit Dominum:* cum enim vitium virtutes persequatur, pietas quoque vnà cedit, ac religio, vt quæ ideò adsint, quòd id non adsit. *Non est, qui faciat bonum.* Qui enim Deū negauit, & de eo, qui prouidet, & curam gerit, non cogitat: non mortem, non consummationem, non resurrectionem, non iudicium, non retributionem expectat; & ideò nihil boni facit. sic ille. Vbi enim fides non est, difficilius est, & in moribus, & in natura, quæ ratione ducitur, inueniri bonum Nihil igitur nisi corruptio. Enimverò (ait S. Doctor) corrupti sunt in studiis suis. Quoniam quæ natura negauit, ea mala excogitauit affectio. Corrupti sunt, quoniam vulnerati, & putrefacti, & malè olentes, & tabo, sanieque madentes: abominabiles, quoniam tanquam porci in peccatorum cæno volutati, exosi euaserunt. Ita enim scriptum est, 2. Petr. 2. *Abominatio peccatoribus est pietas, & Dei cultus.* Hactenus S. Chrys. Talis fuit stultitia, & impietas Sodomitarum. Benè sanctissimus Pater vocat hoc loco insipientis naufragium verbis Deum fateri, factis autem negare: in quod ii Christiani ceciderunt, qui cum fidem habeant Catholicam, prauis tamen corrupti moribus, ita vitam ducunt abominabilem, quasi, aut Mahometanam sectam, aut etiam atheismum ipsum amplecterentur. Humanam hanc infelicitatem ita lamentatur S. Saluian. Nos qui Christiani dicimur, irritamus in nos misericordem Deum impuritatibus nostris, propitiantem sordibus lædimus, blandientem iniuriis verberamus, Christo pro beneficiis suis theatrorum obscæna reddimus, Christo ludicrorum turpissimorū hostias immolamus. hæc ille. Quòd si iam theatra illa gentilicæ impuritatis apud nos nulla suntat ganea. at lustra, at volutabra, at luparum publicarum foncæ, at turpitudinum nundinæ, cur frequentantur in Christiana Republica? Præclaram (adiungit ironicè) Passionis Domini reddimus vicissitudinem, qui cum morte ipsius redemptionem acceperimus, vitam turpissimam repensamus, &c. *lib. 6. de prouident.* O quam iniquè soluimus debita nostro Creditori! Dei Sanguinem in redemptionem accepimus, redempti vitam sceleribus detestandam exoluimus. Totius populi vna erat in Sodomis conspiratio ad malum; nulla pietatis cura; nullum studium virtutis; nulla de Deo cogitatio. Quod si nos in tam nefandum barathrum nondum incidimus, at certè, sic rerum inutilium, atque inanium amori, & quæstui studemus; sic verò res honestas, serias ac diuinas nihili ducimus; vt nobis illud egregiè conueniat, quot de sua Constantinopoli, cuius fuit Pontifex, scribit S. Gregor. Nazianz. *orat* 14. Cui (inquiens) serium studium est, vt aliud quidpiam, ita res diuinas ludo habere. quique præclarum aliquid, & laude dignum potius riserit, quàm vt ridiculum aliquid non derisum prætereat. hæc Nazianz. Aliud etiam non priori absimile audiamus dictum insipientis, & iniusti. *Dixit iniustus, vt delinquat in semetipso: Nō est timor Dei ante oculos eius.* Psalm. 35. Vertit ex Hebr. S. Hier. *Dixit scelus in medio cordis eius, non esse timorem Dei ante oculos eius.* Regnat enim tam peccatum in isto infelici, atque iccirco legem præscribit peccatori, vti Deum non timeat, imò nec esse agnoscat, aut cogitando fingat. Obedit tyranno, ac legislatori peccator miserrimus; ac subinde laxat habenas impuritati: *Vt inueniatur* (adiungitur) *iniquitas eius ad odium:* nimirum vt fiat abominabilis, totique naturæ odibilis. Sunt ex Hebræis, qui actiuè dictum accipiant: videlicet (obseruat Genebrard.) *vt præ frequentia peccandi, iniquitatem suam etiam ipse oderit, ac fastidiat.* O vtinam præ fastidio tandem suarum turpitudinum istæ pecudes e cæno emergant, & ad Christi puritatem traducātur! sed velint nolint isti sues, etiam in ipsis voluptatibus sæpenumerò dolent, & cruciantur. Hinc illa egregie dicuntur a S. Zenone Veron. Impudicitia in ipso fructu suo, quo expugnati pudoris alieni labe gaudere consueuit, semper infelix est. Denique, & post negotium perpetratum odit & seipsam cum illo, quem vicerit. hæc ille, quæ in amore, atque odiu Amnonis erga Thamar sororem diuina scriptura commemorat. Colligit tandem: libidinum commutatione varia gaudet semper, & pœnitet, ad satietatem nunquam lubrica vtilitate perueniens. ita S. Zeno *serm. de pudicitia.* nimirum, quia insaturabile malum hoc est, iccircò libidinosi, vt concupiscentiam effrænem, & rabiosam expleant, in omnia sese turpitudinum genera immergunt, demúmque exosi fœminas, in detestandum masculorum concubitum cum totius naturæ contumelia exardescunt,

Omne malū est. vbi negatur prouidentia Dei.

S. Chrysost.

Corruptela, & fætor peccatorum.

2. Petr. 2.
Execrantur impii virtutem.

Christianus fide, paganus vita.

S. Saluian.
Luxuriosi Christo iniuriosi.

Infamia luxuriæ inter Christianos.

S. Saluian.
Turpium vita passionem Christi dedecorat.

S. Greg. Naz.
Stulti rident seria, æstimāt ridicula.

Psal. 35.
S. Hier.

Peccator diabolo subiectus.

Lex diaboli præscripta impudicis.

Genebrard.

Fastidium ex consuetudine peccandi.

S. Zeno.
Impudicitia semper infelix.

2. Reg. 13.
Odium ex amore impuro.

S. Zeno.
Insaturabilis luxuria.

Exosi fæminas in mares inardescunt.

4. *Vbi sunt viri, &c.*] Petunt nefandi illi nebulones à Lotho, vt foras exponat Angelos, ad execrandum flagitium: at vir iustus domo egressus, foribúsque à tergo occlusis conatur humili, ac mansueta (fratres eos appellans) deprecatione turpem illam colluuiem à tam nefario scelere procul auertere. Nouerat enim mansuetudine, vel ferrea pectora emolliri. Quam in sententiam egregiè disserit hoc loco S. Chrys. *Nolite quæso* (inquiens) ait iustus, *fratres mei, nolite hoc malum facere.* O iusti longanimitatem ô excellentem modestiam! Hæc vera virtus est, ita mansuetè alloqui illos. Nullus enim ægrum volens curare, & insanientem castigare cum furore, & auctoritate hoc facit. Et animaduerte quòd eos, qui tam absurda patrare volebant, fratres vocat, eorum conscientias tangere, & à nefario flagitio volens abducere. hæc S. Chrysost. Discamus proximorum feros, ac fœdos mores (vbi se tales prodiderint) non violenter, sed blande, ac suauiter corrigere. Plus enim (ait S. Ambros. *serm.* 20.) bonitate cogis quàm seueritate compellis. sic ille Quod perbellè dictum à S. Ambros. videtur confirmari a regio Vate, cum Dominum suum affatus adiungit: *Disciplina tua ipsa me docebit.* Psal. 17. legitur etiam *mansuetudo tua multiplicauit me*, vel *auxit me.* Itaque Dauid multa, & magna, quibus erat à Deo cumulatus, accepta refert beneficia mansuetudini, qua Deus benignissimus vitia illius patienter sustinuit, ac suauiter correxit, denique pœnitentem ad maximarum virtutum apicem euexit. Hinc sedulò expendendum est eodem nomine vocari à Propheta disciplinam, & mansuetudinem. Nulla enim doctrina tam facilè imprimitur, támque firmiter adhæret, quàm mansuetudo, & patientia viri iusti molli responsione frangentis iram, & blando affectu, lætóque vultu omnia tolerantis. At frustrà conatus omnes Lothi ad penitincendum Sodomitarum furorem, & incendium illud turpissimum

Iustorum modestia & mansuetudo.

S. Chrysost.

Mansuetudo emollit & vincit.

S. Ambros.

Psalm. 17.

Patientia & mansuetudo animos expugnat.

inum aliqna saltem ex parte restinguẽdum positi sunt. Sed quid est, quod vir iustus filias suas se traditurum promittit? nimirùm (dicet aliquis) tutius esse licitum minus malum, vt maius euitetur. Cæterùm, vt optimè occurrit S. Aug. *quæst. 43. in Gen.* periculosissimè admittitur hæc flagitiorum compensatio. sic ille. Res quidem est hodie indubitata, illicitum omninò esse vnum, vel leue peccatum contrahere, vt grauissimum etiam inter lethalia depellatur. Nec enim licet mentiri, ad euitandum stuprum, homicidium, imò & totius orbis excidium. Quare peccauit Loth filiarum pudorem offerendo, sed de peccati grauitate non parum minuitur ob illam mentis perturbationem, qua oppressus in euentu periculosissimo, in tam stultam, ac turpem pollicitationem prorupit. Vnde S. Aug. adiungit: Si hæc compensatio perturbationi humanæ tribuitur, & menti, tanto malo permotæ, nullo modo imitanda est. hæc ille. Scio Caietanum nihil hic peccati agnoscere. Non enim (vt loquitur) Loth animo repensandi flagitium flagitio obtulit filias; sed placandi hyperbolica submissione furentem populum: quemadmodumquis placaturus lacessitum iniuria, pugionem nudum offert dicendo: Interfice me: non quidem animo, vt interficiatur, sed vt tanta condescensione placetur læsus. hæc ille. Satis quidem sibi persuaserat Loth illos non vsuros oblatione, tũ quia puellæ iam viris illius ciuitatis erant despõnsatæ; tum præcipuè, quia nnuerat illos non in fœminas, sed in masculos insanire: at spe verisimili se consecuturum, vt illi ab inceptis desisterent, fracti videlicet tam humili submissione, quæ vel ferreum pectus emolliret.

Nunquam licet minus malũ ad vitandum maius.
S. August.
Loth peccauit in promissione filiarum.
Caietan.
Excusatur Loth à peccato.

5. *Recede illuc, &c.*) Obstinati ad nefandam turpitudinem sues illi submissionem, preces, & promissa quæcunque Lothi reiiciunt: Facesse (aiunt) tu isthinc: desine fores occludere, abscede, ne aditum nobis prohibeas. Itáne verò, qui aliunde ad nos venisti, vt precariam habitationem impetrares, nunc adeò insanis, vt iudicem agas, nostros coarguas mores, nobis legem indicas, & saturandæ concupiscentiæ modum præscribas? hæc omnia significantur in littera Hebraica, quæ habet: *Vnus venit ad peregrinandum, & iudicauit iudicando.* Meritò hic exclamat S. Chrys. O grauem ebrietatem! ô immodicam desipientiam! In hunc modum se habet efferata, & mala bestia concupiscentia, quando rationem vicerit, nihil quod oportet videre sinit, sed quasi in tenebris, & pugna nocturna omnia facit. Ita Chrysost. concupiscentiam describit. Pecus quidem est: quid enim stolidius, & absurdius, & abiectius libidine? Fera est, quæ violenter, ac ferociter animam inuadit, læditque: nec vlla vi humana solet mitescere: solius Dei potentiæ (quæ homini laboranti, vt ferat opem, semper adest) cedit, ac victa succumbit. Vtinam vllo saltem repagulo cohiberetur hæc bestia: sed, vt rectè deplorat S. Zeno Veron. discutrit rabies impudicitiæ vesana per populos; hominúmque lubricas mentes, libidinum flagrantibus stimulis præcipitat in furorem non sexui parcens, non ætati, non pietati, non sibi: quia pudorem alienum qui appetit, primò suum perdit. hæc ille, *serm. de pudicitia.* Vides flammam gehennæ corporibus, mentibusque succensam nullis terminis coerceri, nec temporum etiam momentis. addit enim Zeno: Purè non nox illi, diésque succedit. Semper in cœnosi gurgitis sui procella submergitur, dum semper exæstuans libidinis turpitudo, aut veritate, aut imagine perpetratur, præmia, aut tradit, aut accipit, corrumpit, aut corrumpitur; iniicit amorem, paulò post odium de amore factura. sic ille. Turpes enim amores sæpe desinunt in odia, iras, iniurias cædésque, atque extrema excidia familiarum. Hæc bestia, vbi mentem corripit, illius extinguit lumen, auellit oculos, rationem, ac iudicium superfusa quadam gehennæ caligine perturbat. Quod Rex ille pœnitens plorabat. *Et lumen* (inquiens) *oculorum, & ipsum non est mecum.* Psal. 37. Hebr. *Dereliquit me vis mea, & lux oculorum meorum, etiam ipsi non sunt mecum.* Aut fortasse alludit ad oculos corporis, per quos diaboli sagittam accepit, cum vidit, ac deperiit mulierem: quasi dicat: alienæ formæ species oculos meos eruit, cum per illos ad cor interius permeauit. Hæc est enim mea vis, meum robur, quod libidine mollitum, fractúmque fuit; quippe cum non tam in oculo, quàm in corde peccatum contrahatur. Iccirco Dominus ait Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad cõcupiscẽdum &c.* non sistit quidem in visu, sed concupiscentiam adiungit. Videlicet (vt obseruat S. Ambros. *serm. 16. in Psal. 118.*) oculum absoluit, mentẽ ligauit. Non dixit, *adulterauit eam in oculo*, sed *in corde.* in oculo visus est, in corde peccatum. sic Ambros. Simplex quidem visio, simpléxque cogitatio, non est crimen lethale, sed tamen ianua solet esse nisi statim occludatur, ad affectum cordis flagitiosum. Qui enim consentit, de cogitatione affectum facit, vt ibi loquitur S. Hier. atque vberiùs (vt solet) S. Chrys. hunc locum exponens de visione iam ipsa curiosa & inhonesta, quæ ab impuro corde fit, ita commentatur. Hoc est dicere: Qui dat operam in corpora venusta curiosiùs intueri, & decoras aucupari facies, talique animam spectaculo pascere & obscænos pulchris etiam vultibus oculos affigere: Qui enim studet elegantes facies inspicere, ipse præcipue fornacem sibi istius passionis accendit, & captiuam faciens animam, ad opus quoque celeriter abducit. hæc S. Chrys. Efferati libidinoso furore Sodomitæ non modò respuunt omne consilium, sed Lotho dissuadenti flagitium comminantur: si hospites istos non exhibes, tibi subeundum quod illi effugerint; victima pro illis fies: quin turpiora tu patieris. Commendat hoc loco S. Chrys. Admirabile studium Lothi pro seruandis ab omni contumelia hospitibus, ac demum colligit: Imitemur (inquiẽs) iustum illum, ac, si periclitandum etiam fuerit pro salute proximi, non hoc subterfugiamus. Nam tale periculum nobis fuerit salutis occasio, multámque conciliabit fiduciam. ita Chrys. Cæterùm propriæ animæ salus nullo modo pro salute alterius exponenda erit. *Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Matth. 16. ait Dominus: vt suæ quisque potius animæ consulat, nec cum ipsius periculo quærat proximi lucrum. Maria enim optimam partem elegit; vtique assidens ad pedes Domini, de se ipsa non de alio pascendo solicita: feliciórque sors Moysi, quàm Aaroni cecidit: ille quidem solus cum Deo in monte agebat; iste gubernando populo relictus, ad conflãda idola prolapsus est; atque adeò, nec aliis, nec sibi consuluit. Vtrunque locum expendens S. Petr. Damian. in hanc eandem sententiam, ita profatur, *apolog. de cont. secul. cap.* 27. Qui ad custodiam populi derelictus est, cognoscitur idola fabricatus. Sic plerumque contingit, vt qui propria non contentus, alienæ progreditur saluti consulere, sui potiùs cogatur periculum sustinere: eúmque alij velut inter procellosa naufragia palpitanti manum porrigit, ipsum quoque præcipitem vorax fluctus inuoluat. Tutius ergo est, sub huius vitæ nocturna caligine,

D. Chrysost.
Furens & cæca concupiscentia.
Concupiscentia solius Dei vi compescitur.
S. Zeno.
Concupiscentia tyrannis latè dominãs.
S. Zeno.
Nullo momẽto quiescit concupiscentia.
Turpis amoris exitus infelix.
Psalm. 37.
Libido mentem occæcat.
Matth. 5.
Periculosa visio pulchritudinis.
D. Ambros.
D. Chrysost.
S. Chrysost.
Vita corporis, non animæ. Pro proximo exponenda.
Matth. 16.
Luc. 10.
Non consulendu aliis cum propria animæ periculo.
S. Petr. Dam.

nos in littore positos naufragantibus lumen ingerere, quam ad eos compassionis gratia, cum propriæ vitæ periculo pronotare. hæc Damian. Quocirca, ne supremum à Sodomitis periculum iustus ille adiret, vt statim videbitur, domum est ab Angelis receptus.

6. *Vimq; faciebant Loth vehementissimè.*) Nimirum turpes illi nebulones æstro libidinis perciti vim omnem expromunt; pars quidem nititur fores effringere, pars ipsum Lothum ad omne probrum abripere conatur. Sed quorsum (inques) Deus omnipotens ita videtur cæcutire, vt incendium portentosæ concupiscentiæ sinat tandiu exardescere, quin potius vltricibus de cælo flammis tam spurcam mortalium colluuiem tradat abs-

Deus aduindictã tardus.

sumendam? scilicet tardo semper gradu, ad vindictam procedit diuina iustitia, tanquam ad opus sibi alienum. Enimuerò Dei consilio ita factum est: vt (auctore S. Saluiano) cum legeremus, quæ à Sodomis Angeli pertulissent, probaret vtique nobis Deus, quod ipse eos noluerit perdere; sed ipsi extorserint, vt perirent. hæc ille *lib.* 1. *de prouid.* Quandio quæso Pharaonem Deus pertulit, quot & quanta molitus est, vt hominem emolliret, emollitóque, & conuerso parceret, ne obstinatum punire cogeretur? nimirum (obseruat Theodoret.) vt omnibus ostendat, quàm iustè puniat. Longè æquius est Pharaonis nequitiam patefieri, quàm Deum crudelem appellari. sic ille *quæst.* 8. *in Exod.* Sic adeò misericors est Dominus, vt ne vllam quidem leuiculam crudelitatis, aut præproperæ seueritatis iniuri sibi suspicionem patiatur. Rectè Gloss. interlinear. intelligit hoc loco exprimi violentiam, & importunitatem tentationis libidinosæ, quæ sæpius repulsa, victáque, nihilominùs iterum, atque iterum repullulat. Nam, quos (inquit) tentatione libido superare non potest, grauioribus stimulis vrget. Vim quoque huiusmodi permolestam, atque importunam inutilium cogitationum patiuntur iusti, vel cum Angelus domi habent, hoc est, cum diuinæ contemplationi dant operam, & quòd amplius dolent cum diuino sacrificio intersunt, aut illud operantur: cæterùm non proinde à sancto opere cessandum est; quicquid obstrepant inanitatum illarum spectra. Hic enim (scribit S. Hildebert. *Epist.* 8.) defectus, infirmitas est, quæ virtutem perficiat, non quæ virtutum opera in irritum deducat. sic ille. Hebr. textus miram habet emphasim: videlicet, ויפצרו באיש בלוט מאד *Vaiphzeru baisch belot meod.* vim fecerunt in virum in Loth valde, cum antea Loth tantùm appelletur, hoc loco, vir & Loth dicitur: quasi exprimatur virilis constantia Loth contra Sodomitas obsistentis; atque adeò tuendæ pudicitiæ studium viro dignum. Sicut enim turpitudo carnis, hominem ita deprimit, vilémque reddit, vt in pecudem quodammodo transmutet; ita mentis, corporisque integritas hominem non modo Angelum in carne: sed (liceat ita loqui) Deum quendam in terris efficit. Non virgo erat Loth, nec proinde illam dignitatem gerebat angelicam, ac propè diuinam: Cæterùm in matrimonio castus & iustus pro tuenda pudicitia, periculum omne subire non dubitabat: vt meritò inter illas bestias, solus ipse vir, & esset, & diceretur. Nondum illa ætas sanctius ac purius aliud pariebat, quàm virum inter pecudes; at nostra multò felicior, in qua innumerabilis multitudo vtriusque sexus inter viros, ac virilis constantiæ mulieres angelicam puritatem assequitur, ac diuinam imitatur. Prima Virginitati pudoris vexillum extulit, & palmam tulit Beatis-

S. Saluian.

Sapienter Deus vindictam differt.

Etiam crudelitatis vmbram Deus abhorret.

Gloss.

Importuna carnis tentatio.

Iusti patiuntur turpes cogitationes.

S. Hildebert.

Virilis constantia expudicitia.

Castitas in coniugio.

In lege gratiæ multitudo Virginum vtriusque sexus.

Ben. Fernand. in Genes. tom.

A sima semper Virgo Maria, planè dignissima, quàm Deus in Matrem sibi deligeret. Nec enim (ait S. Bernard. *serm. super sign. Mag.*) Filius alius Virginem, nec Deum decuit partus alter. sic Bernard. Nimirum hoc est illud *nouum, quod fecit Dominus super terram. Fœmina circumdabit virum.* Hierē. 31. atque, vt exponit S. Hieron. *serm.* 1. *de assumpt.* verè nouum, & omnium nouitatum supereminens nouitas, quando Deus sic ingressus est hospitium ventris, vt corporis claustrum nesciret; sic gestatus, vt totus Deus in eo esset: & sic exiuit inde, vt esset, id est, vt maneret, sicut Ezechiel fatetur, *porta semper clausa*: Vnde dicitur, *hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuæ paradisus.* Cantic. 4. Vere B *hortus*, in quo omnia florum genera: *Fons signatus* sigillo Trinitatis, ex quo manat fons vitæ: cuius emissio vteri supernorum ciuium omnium est paradisus. hæc S. Hieron. Hucusque Angeli in hospitio Lothi quietè agunt; sed vbi Sodomitæ fores domus violenter attingunt, vim suam exerunt. Timeant ergo, timeant sibi nebulones, qui vel ipsa claustra adeunt, vel ferreos ipsos ianuarum cancellos turpi manu attingunt, intra quos Angeli terrestres, hoc est, sanctæ Moniales Deo sponso suo consecratæ commorantur. Extremum quidem (vt experientia contestatur) vitæ, animæque discrimen subit, qui thorum Christi immaculatum tentauerit maculare. Igitur Angeli manibus apprehenderunt Lothum, & domum intrò receperunt, & infamem illam turbam tali cæcitate C percusserunt, vt cætera videns solum ostium Lothi non videret; vel, quod aliis placet, reliqua omnia cernens, sola tamen ostia domorum omnium non cerneret. dignum supplicium; vt, qui alienas fores volebant effringere, nec suas quoque inuenirent; sed per plateas ac vicos vrbis palpando in tenebris oberrarent. Et quidem bono publico (inquit Procop.) qui pro foribus erant, cæcitate feriuntur. Nam cum antehac ad malum abusi fuissent visu, nunc id facere inhibentur. sic ille. O si perditi ac libidinosi homines, licèt cætera probè displicerent, cæcos haberent oculos, ne D turpitudinum irritamenta cernerent, ne impudicarum luparum ostia inuenirent, ne cupidinis, ac gehennæ flammas, mortémque sempiternam oculis haurirent!

7. Vbi legimus: *Ita vt ostium inuenire non possent.* Hebr. habet וילאו למצא הפתח *Vailu limzo hapatach.* & laborauerunt, seu fatigati, vel lassati, vel fessi sunt ad inueniendum ostium. Itaque infelices omne studium, & conatum adhibuerunt, vt ostium domus Lothi deprehenderent, sed frustra tamen ob cæcitatem qua sunt perculsi. Quo ostenditur (inquit S. Ambros. *cap.* 6 *lib.* 1. *de Abraham.*) quia cæca est omnis libido, & ante se non videt. sic ille. Nam si videret libidinosus peccati E sui dedecus, voluptatum spurcarum sterquilinia, confusione plenus, à flagitio prorsus abstineret: si cæcus non esset, oculis animæ sempiterna incendia, quibus libidinosi deputantur contueri sibi præcaueret. Hanc animæ cæcitatem ab impuris inductam sordibus, ita describit Clem. Alex. 2. *stromat.* Quemadmodum exhalationes, quæ è terra, & ex lacunis, ac voraginibus oriuntur, constantur in caliginem, & nimbosam vertiginem: ita etiam carnalium cupiditatum vapores, malam animæ inurunt habitudinem, voluptatis spectra animæ repræsentantes, & ante eam effundentes. Intelligenti itaque luci tenebras offundunt, attrahente anima vapores, qui oriuntur ex cupidite, & perpetuitate voluptatum condensante vitiorum vertigines. hæc Alex. Exhalat itaque auernus fœdos

S. Maria prima & summa Virginii.
S. Bernard.

Hierem. 31.
D. Hieron.

Deus ex Virgine homo natus.

Cantic. 4.

Partus Virginis paradisus.

Supremũ malum, SS. monialibus vim facere.

Mira cæcitas Sodomitarũ.

Procopius.

Salutaris cæcitas libidinosi.

D. Ambros.
Cæca omnis libido.

Clem. Alex.

Caligo & vertigo mentis libidinosa.

illecebratum halitus, qui contra mentem humanam dimissi oculos illius gehennali quadam offundunt caligine; capútque mentis, hoc est rationem, & iudicium, tam violenter impugnant, vt infelix anima sui nescia, impotéosque cæco impetu per alia, atque vitiorum turpitudinúmque dedecora circumrotetur. Quot, & quàm grauibus infelicitatum generibus circumsepta semper incedat luxuria, præterquam quòd ipsimet luxuriosi experiuntur, S. etiam Bonauent. ita complectitur. Filiæ luxuriæ secundum Gregor. sunt octo. Cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis seculi, horror, siue desperatio futuri seculi. hæc ille 1. *p. centiloq. sect.* 24. Singula deinde explicatiùs considerat: sed in præsentia de tenebris tantùm, ac cæcitate libidinis sermo est. Præterea impurus spiritus tenebras amat, noctémque priùs inducit; deinde segnes, incautos, & somnolentos, ignitis iaculis transfigit. *Vt sagittet in obscuro rectos corde.* Psalm. 10. Quem locum exponens S. Gregor. Nazianz. ita loquitur *Orat.* 21. Ad vnumquemque nostrum subdole accedit; ac velut locum sibi ipsi furtim aperiens, vt totus non secùs ac strenuus quispiam exercitus per disiectam muri partem, aut hostilem aciem irrumpat. hæc Nazianz. Meritò igitur Dominus admonet: *Vigilate ne intretis in tentationem.* Matth. 26. Ac præcipuè omni cura & industria præmuniendum est cor, quod primum gehennalis sagittarius inuadit. Nam qui sui cordis ostium non occludit, sed fœdis cogitationibus patere sinit, illiúsque munditiem nulla ratione curat (qualiter habet otiosus, & negligens) breui tempore se videbit omnium vitiorum stabulantium fimo, ac fœtore coopertum. In quo argumento præclara est illa sententia Clem. Alex. 2. *stromat.* hisce verbis. Ac mihi quidem videtur cor non esse absimile diuersorio. Illud enim perforatur, & effoditur, & stercore sæpè repletur, cum homines se petulanter gerant, & locum nihil omnino curent, vt qui sit alienus. Eodem modo cor quoque, quandiu nulla eius cura geritur, fit immundum, & multorum dæmonum habitaculum. Ita Clemens. Admonemur igitur ab Angelis apud Lothum commorantibus ab omni externa turpitudine mentem introrsum colligere, ostium cordis munire, sensuum fores occludere; incautos enim, ac negligentes gehennalis hæc flamma corripit, correptósque absumit.

Mala quæ comitantur luxuriam.

S. Bonauent.

Dæmon tenebras offundit ad luxuriam.

S. Greg. Naz.

Matth. 26.

Vigilantia contra tentationem carnis.

Clem. Alex.

Cor diuersorio simile.

Muniendum cor contra tentationes.

8. *Dixerant de Loth.*) Angeli causam aduentus sui Lotho aperiunt, ad extremum scilicet exitium Sodomitarum. Diu enim (scribit S. Saluian.) flagitiosissimus ille populus ignem illum accenderat, quo periret. Et ideo completis iniquitatibus suis, arsit flammis criminum suorum. Tam malè enim de Deo meruit, vt gehennam, quæ in futuro iudicio datur, etiam in hoc seculo sustineret. sic ille. *lib. 4. de vero iudicio & prouidentia Dei.* Gehennam futuram sibi quisque peccator in hac vita succendit; nec enim illius incendia, fomitè alio, struéque lignorum, quàm nostris sceleribus, atque impuritatibus maximè nutrientur. Cæterùm te (inquiunt) ac tuam familiam, & omnes tibi sanguine, aut necessitudine quauis alia coniunctos, parati sumus eripere in tui gratiam. Loquuntur quidem humano more velut ignorantes, cum omnia probè scirent. Iccirco autem hæc effantur (obseruatur in Glossa) vt ostenderent familiares Loth, merito eius posse saluari, si voluissent eom eo à malis longè fieri. sic Gloss. Egressus itaque domo Lothus alloquitur duos adolescentes, quibus duas filias desponsarat: seriò rem omnem detegit; vrbis & ciuium perniciem mox impendentem denunciat; monet, rogatque obnixè, vti suæ vitæ prospiciant, simúlque cum socero, ac sponsis, se confestim è mortis faucibus proripiant. Benè hic S. Ambros. occurrit: Munitur (inquiens) pietatis locus, quòd manifestata sibi per Angelos totius regionis euersione, & generos habere Loth sanctus inducitur, & monere eos, vt fugerent: simul ne deserendo eos, nec admonendo, minùs pius videretur circa filiarum maritos, vel erroris earum causa ipsi assignaretur, quæ destitutæ virili consortio concubitum inebriati expetissent patris. Non ergo indefensum sinit scriptura virum sanctum relinqui, cum in ea, & tradidisse maritis filias, & monuisse generos inducitur. hæc S. Ambros. Omnem diligentiam parentes adhibeant, vti filiæ peropportunè locentur in matrimonium; aut religiosæ vitæ addicantur: ne fortè illæ parentum incuriam causantes quicquam (vt interdum fit) indecorũ moliantur. Totum nihilominus oleum, & operam perdidit Loth cum generis, qui dicta senis deridebant vti deliramenta; nimirùm (vt S. Chrysost. obseruat) in moribus suis manserunt. Quod similiter putarim, extendendum ad famulos, & famulas, quos domi habebat Loth; nec enim isti egressi leguntur: quin etiam puellæ vnum solum ex omnibus viris relictum esse ratæ detestandum illud facinus aggrediuntur. Igitur omnes tam generi, quàm domestici Loth prauis illis, ac fœdis Sodomitarum moribus iam dudum corrupti quicquid in contrarium dicebatur, sibilis, & cachinnis explodebant. Huiusmodi hodie sunt permulti, quos nec monita, nec consilia, nec minæ diuinitus intentatæ, nec frequẽtes de rebus diuinis conciones ab inueterata morum corruptela possunt auellere. Vsus enim (scribit S. Hildebert. *Epist.* 31.) ægrè dediscitur. Ab eo autem præcipuè difficillimum est reuelli, qui multos nos tempore tenuit, multa placuit voluptate. sic ille. Maximè quia sic impudicitia, vbi semel animum occupauit, tyrannicè dominatur, vt in se vnam mentis omnes conuertat affectus. Nihil enim (inquit S. Zeno Veron.) prorsus existimat turpe nec pati, nec facere, dummodo in affectu conata succedant. Hæc per momenta parit omne, quod malum est; & peperit omne, quod peius. hæc ille. *serm. de pudicitia.* Atque vt miseri mortales videãt, deplorent, demúmque excutere nitantur huius tam feræ, quàm fœdæ bestiæ dominatum, sic illum statim appingit. Nam in idolis dea est: in cultoribus verò eorum ministra. Venerandam se procurat in templis, hilarem in theatris, importunam in publicis, opportunam in quibuscunque secretis. Lasciua, non linguis, non oculis, non auribus parcens, iocatur, sperat, ambit, obsequitur, zelatur, insanit: armatur precibus, armatur & ira, similiter nonnunquam vi extorquens, quod blandimentis impetrare non potuit. hæc ille. O felix, qui de tali monstro triumphat! Sed nulli tamen desperandum: egrediatur tandem ex prima consuetudine, fugiat occasionem peccati; paulatim alios mores induet, pristinis omnino exutis. Adiungit enim optimè idem Hildebert. Cæterùm (inquiens) tempore dediscuntur vniuersa. Nihil humano pectori sic inhæret, vt tempore non euanescat. Tu quoque te ipsum desuesces: & quæ simul expugnari non possunt, sigillatim melius eludentur. hæc Hildebert.

S. Saluian.

Infernum sibi peccator accendit.

Sodomia flāmis inferni digna etiam in hac vita.

Gloss.

Pietas Loth erga suos.

D. Ambros.

Excusatur Loth à calūnia.

Filiæ opportunè danda cōiugio, aut religioni.

S. Chrysost.

S. Hildebert.

Vetus & dulcis consuetudo difficulter auellitur.

Libidinis dominatus.

S. Zeno.

S. Zeno.

Tyrannis describitur libidinis.

S. Hildebert.

Tēpore mala etiam vetusta curantur.

Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.

Vt Poeta cecinit, & quotidiana experientia contestatur.

9. *Cumque esset manè, &c.*) Quid tota nocte actum sit,

Lyran.

sit; non proditur a diuino scriptore: sed verisimile est, quòd Lyran. his verbis apponit: Tota nocte fuerat Loth deprecatus in oratione pro populi liberatione. sic ille. Quod si forte ita habuit, mirabilis potentia ostenditur orationis, quæ tot per horas remorari potuit diuinæ iustitiæ vindictam.

Orationis potentia.

Oportuit etiam, vt saltem per noctem vnam hospitalitatis officia & Loth exhiberet, & Angeli susciperent; quo illa clarius hominibus commendaretur. Vt enim (inquit Procop.) merces aliqua persolueretur ab Angelis, quasi hospitalitatis pretium accepit Loth suorum incolumitatem. sic ille. Quod si Angeli adeò sunt officiosi erga Lothum, a quo sunt hospitio recepti: quis pro dignitate comprehendet, aut explicabit pretium, ac mercedem hospitij, quam Deus homini persoluet,

Procopius.

B qui ritè, sanctéque corpore, & anima suscipit sacrosanctum Domini sui Corpus in Sacramento altaris? Accipimus nimirum gratiam pro gratia, vt loquitur Ioann. *cap. 1.* id est (explicat S. Bern. *serm. 5. de Assumpt.*) munera gloriæ æternæ pro merito temporalis obsequij. sic Bern. *Intrauit Iesus in quoddam castellum, & dua sorores exceperunt illum.* legimus Luc. 10. Qua verò mercede persoluit hospitium, officia, & obsequia? Mira contulit Dominus, sed inter alia duo (inquit S. Bern. *serm. citat.*) congruentia singulis. Virtutem, & sapientiam: virtutem operationi, sapientiam intellectui. sic ille. Assurge hinc sublimiùs ad matrem semper Virginem. Deum illa suis purissimis visceribus excepit, nouémque menses conceptum de sua carne integerrima, sanctissimáque gestauit: at quis intellectus (nisi Diuinus) comprehendet, quę beneficia, quas Diuinitatis opes, pro tali hospitio Matri Deus ipse contulerit? Immensos planè cœlestium gratiarum cumulos simul cum illo admirabili priuilegio, vt Mater Virgo esset officiosissimæ ancillæ suæ Deus omnipotens rependit. Neque verò soli sibi gratiarum cœlestium fontem habere voluit Virgo benignissima: ex illius quidem plenitudine largissimi quoquouersum fluuij redundarunt. Quod probè considerans S. Anselm. ita Virginem Dei Matrem affatur. Loquar Domina beneficiis tuis plenum esse mundum, inferna penetrant, cælos superant: per plenitudinem enim gratiæ tuæ, & quæ in inferno erant, se lætantur liberata, & quæ supra cælum sunt, se gaudent restaurata. *in soliloq.* dein exclamat: O fœmina plena, & superplena, de cuius plenitudinis exundantia respersa sic reuirescit omnis creatura. hæc Anselm. *lib. orat.* O infelix, quem (si vllus est) Virginis pietas & gratia non aspergit! Igitur Angeli cogebant Lothum, vt quàm primùm egrederetur: aderat enim diuinæ vindictæ momentum, quo scilicet gentes illæ obscænæ flammis essent absumendæ. Vide quanti vir iustus apud Deum fiat: quandiu enim vnus iustus inter illos adfuit, Deus ab infinitis peccatoribus promerito, ac maturo iam supplicio perimendis manum continuit. Dissimulabat intereà Loth, & moras nectebat omnes. Cum percelleretur (ait Rupert.) nuncio instantis periculi dormitantes oculos, & amore diuitiarum pressos auertebat à lumine præsenti. sic ille. Difficillimum quidem Lotho erat, suam supellectilem, opes, ac domum relinquere: atque iccircò dissimulabat, Hebr. ויתמהמה *Vaitmahmah*, quæ radix significat, *negligere, morari, turbari.* Quibus imperfectio ad obediendum Lothi declaratur. S. Ambr. in bonam accipit partem Lothi moras, vt suis nimirùm generis persuaderet discessum. Lyranus verò zelo pietatis id adscribés: Semper (inquit) retardabat quærens misericordiam Dei super popu-

Mirum ex assumpta Eucharistia lucrum.
S. Bernard.
Lucæ 10.
Mira Deus contulit Matri sua ob ventris hospitium.
S. Bernard.
B. Maria fons exundans gratiarum.
S. Anselm.
Beneficia B. Maria toti mundo collata.
Quanti iustus valeat apud Deum.
Rupertus.
Difficultas relinquendi occasionem peccati.
S. Ambros.
Zelus Loth pro Sodomitis.
Lyran.

A lum. Orando videlicet Deum (quod etiam placuit Abulensi) vt Sodomitis parceret, Loth intereà morabatur. Vrgent Angeli, vt tollat secum vxorem, & filias. additur in Hebræo: הנמצאת *hanimtsaoth*, inuentas, vel quæ inueniuntur, scilicet tecum domi tuæ. Tanquam & istæ filiæ (colligit Caiet.) relictæ fuissent, nisi inuentæ fuissent cum Loth. Chald. habet: *quæ inuentæ sunt fideles tecum.* Egregium sanè mulieribus, & puellis maximè, datur documentum, vti domi se contineant, in oculis parentum viuant, atque illorum pios, castósque mores imitentur. Quare ex Hebræo alij vertunt, *præsentes*; alij vocant ex phrasi Hebraica inuentum id, quod coram versatur. Quæ omnia significant modestiam, ac pietatem puellarum. O B pulchrum inuentum, mulier secreti amans, domique inclusa! gemma est puella, quæ foras educta, vel furto abripi, vel luto infigi atque inhærere facilè poterit, domi secura est.

Abul.
Caietan.
Fœmina lucrum ex domus secreto.
Laus mulieris secretum amantis.

10. *Apprehenderunt manum eius, &c.*] Denique necesse fuit, vt Angeli per vim foras educerent Lothum, illiúsque vxorem, & filias: sic domui suæ, ac domesticæ supellectili, vbique ipsi tenaciter adhærebant: vt iam nunc magni æstimemus admirabile facinus; licet in lege gratiæ vsitatissimum, quod innumeri ex vtroque sexu edunt quotidie; cum domui, patriæ, parentibus, bonísque omnibus, atque adeò libertati propriæ nuncium sempiternum remittunt, atque in religionem diuino famulatui sese addicunt. Fortunati quidem: C iis enim exire de Sodomis, est consequenter exire de incendio. Vbi mundum à tergo relinquunt, securi (vt plurimum fit) ab æterno exitio, sempiternam sibi salutem comparant. Certum enim illud habeo, quod S. Bonau. cum Bernardo, quem citat, bis verbis contestatur. Moriens vix vnquam aliquis à cella in infernum descendit, quia vix vnquam nisi cælo prædestinatus in ea vsque ad mortem persistit. hæc ille. *lib. 4. Pharetra, cap. 19.* Nec enim Dei bonitas religiosam familiam, quam in deliciis, & oculis habet, ferè vnquam patietur, ita dehonestari; vt in ea moriantur reprobi, ab eáque in gehennam detrudantur. Tales quidem, aut non ingrediuntur religionem, aut si forte in ea vixerint aliquandiu, ante mortem cum Iuda (qui D in collegio Christi suos inter discipulos suspendio desperatus obiret) ab ea in seculum expellentur. Potuit quidem in paradiso terrestri Adam in peccatũ, sed non in mortem incidere propter vitæ pomum. Ibi peccauit, sed inde expulsus vitam finiuit. Si peccator vnquam in religione vixit, profectò si non resipiscat, si Petrus, aut Dauid non sit, sed adhuc in sordibus hæreat, ab isto Dei paradiso eiectus damnationis sententiam incurret. Non satis habent Angeli verbis, & consiliis prouidere saluti hominum, sed facto insuper instant, manúmque adhibent, vt prælatos & concionatores instruant, quibus in salutem animarum indefesso studio, verbóque, & opere incumbendum erit. Doceant illi quidem ore, sed manu simul apprehendant; E exemplo nimirum rem conficiant. Ad hæc Angeli vicem Dei gerentes qualiter se ille erga nos gerat, apprimè ostendunt. Nam (vt obseruat Procop.) non verbis solùm à vitiis nos dehortatur Deus: sed opere, ac re ipsa opitulatur; sicut scriptum est: *Tenuisti manum dexteram meam, & in consilio tuo deduxisti me.* Psalm. 72. ita Procop. Sed quid est, quòd cum anteà viros scriptura vocauerit, nunc Angelos nominet? Cogebant eum Angeli, &c. Hebr. *hamalachim.* hoc ipsum sic dispũgit S. Chrys. Iam non vt de viris, loquitur de eis Scriptura, sed Angelos eos nominat, & dicit: *Apprehenderunt*

Felix renunciatio mundi fit à religiosis.
S. Bonauent.
S. Bernard.
In religione ferè soli moriuntur prædestinati.
Reprobi ferè expelluntur à religione.
Adam in paradiso peccauit, sed alibi mortuus est.
Exemplo & doctrina iuuandi proximi.
Procopius.
Psal. 72.
Angeli nos liberant è periculo animo.
S. Chrysost.

manum eius, & manus filiarum eius, eò quòd parceret eis Dominus: animabant eos manuum contactu, & roborauerunt eorum alacritatem. hæc S. Chryſ. Itaque Angelos nominat, cum eorum vim ad educendum ab domo Lothum exprimit, ac robur, quod egreſſuro conferunt. Quid ſi etiam Angeli nunc appellantur, vt nihil modeſtiæ, ac pudori mulieris, ac puellarum detrahatur, cum ſcribitur Angelos apprehendiſſe manus fœminarum? Profectò Angelorum proprium munus eſt homines à periculis animæ, ab occaſionibus peccandi, & à malorum conſortio abducere: vt quodammodo cogant, & compellant, ex gehennæ incendiis euadere: quod in Lotho expreſſum videmus. Erenim (vt pulchrè adnotauit S. Ambroſ.) pene Loth non eſt profectus, vt euaderet, niſi vrgentibus Angelis, & tenentibus manus eius egredi coactus eſſet. Non ergo profectus, ſed eductus eſt. ita S. Ambroſ. Totum verò iſtud adſeribitur diuinæ gratiæ, quæ licet conniuentes, & aliquando etiam reſtitantes trahit poſt ſe, vt currant in odorem vnguentorum Chriſti, & ſordes, flammáſque graueolentis & æſtuantis auerni procul effugiant. Iccircò enim additur: *Eo quod parceret Dominus illi*: Nimirum his verbis (vt ſubtiliter Caiet. conſiderat) ratio violentæ ſalutis redditur, non iuſtitia mulierum, nec iuſtitia Lothi, ſed miſericordia ſummi Dei peculiaris erga Loth, ita quòd ratione ipſius ſeruabat vxorem, & filias. ſic ille.

Modeſtia & pudor fœminarum curatur.

S. Ambroſ.

Dei gratia etiam reſiſtantes compellit.

Caietan.

Virtus patris ſeruat familiam.

11. Tandem è Sodomis eductus ab Angelis eſt Loth cum vxore, ac filiabus: quibus extra vrbem poſitis Angeli ſeriò quatuor hæc iniungunt. Primum: *ſalua animam tuam*, hoc eſt, vitam eripe, cætera relinque, & nihili ducito. Planè hoc ipſum vnicuique noſtrum dicitur: *ſalua animam tuam*. Hic vnus noſtrorum ſtudiorum, curarum, cogitationum, operúmque ſit ſcopus, ſalus animæ: cætera mundi lucra cum animæ diſpendio, nugæ ſunt, deliramenta, ſomniáque detrimenta. Secundum, *Noli reſpicere poſt tergum*. Et quidē, ſecundum Caiet. celeritas præcipitur, non ſuperſtitio, &c. benè id quidem: ſed præter celeritatem corporis fugientis inſtruitur affectus; videlicet obliuiſci priſtini ſui ſtatus iubetur, conſortia malorum, animo, & corpore penitus deſerere. Semel egreſſus Dei miſericordia per pœnitentiam ex cœno peccatorum, viam carpat vlterius ad virtutis ſtudia intentus, non retrò affectu cordis ad priores ſordes reſpiciat, & ad vomitum redeat. Nam (vt rectè animaduertit Clem. Alex. *ſtromat.* 2.) continuè, ac ſe viciſſim excipientes propter peccata pœnitentiæ nihil differunt ab iis, qui omnino non crediderunt. ſic ille. Ah quàm late patet hoc malum! de pœnitentia in peccata, de his in illam continuus fluxus, & refluxus, nemo eſt, qui ignoret. Exierunt è Sodomis permulti, & beneficio Dei ad montem ſalutis, religioſam nempe vitam aſcenderunt. O ſi ſtarent, ſi manerent in monte! ſed ſunt nonnulli, qui de monte retrò aſpicientes in plana mundi, vitiorúmque relabuntur; atque, vt loquitur Iſaiæ cap. 28. *cadunt retrorſum, & conteruntur, & illaqueantur.* Quorum infelicitatem ad eadem verba Prophetæ ſic deſcribit Guarric. *ſerm.* 1. Vadunt retrorſum per apoſtaſiam, cadunt in criminalia, illaqueantur mortifera delectatione, vel quadam inextricabili peccandi neceſſitate, vt nec velint, nec poſſint pœnitere: capiuntur improuiſa morte, conteruntur æterna damnatione. hæc Abbas Guarr. Heus tu (inquam) religioſè vir: aſpice (vt hîc monet S. Ambroſ.) vbi Chriſtus eſt, ne reſpicias retrò, ſed antè. Retrò Sodoma eſt plena flagitiis: retrò Gomorrha vitiis ſcatens, criminum

Anima ſalus cunctis anteponenda.

Caietan.

Deterioris vitæ omninò in meliorem commutatio.

Clem. Alex.

Iugis in peccata relapſus.

Iſaiæ 28.

Guarric.

Obſtinatio in damnationē deſinit.

D. Ambroſ.

Religioſis Sodoma eſt à tergo.

A regio. ſic Ambroſ. Mundum, quem religioſus reliquit (vt plane eſt) depingit. Tertium: *Nec ſtes in omni circa regione.* totam quippe vallem ignis erat abſumpturus: ideò iubetur Loth vniuerſam illam egredi planitiem. Hebr. & Chald. *In omni planitie.* myſticè dicitur in Gloſſa: *ſicut Sodomitica; ſic & cætera fuge vitia.* Nec enim ſatis eſt peccatum effugere, ſed amplius neceſſe eſt ab omni illius occaſione, ac veluti vicinia longiùs ſubmoueri. Ardentem quidem Sodomam fugere (ait S. Greg. *part.* . . *cap.* 18.) eſt illicita carnis incendia declinare, &c. Adde vicinam Sodomis regionem eſſe omnia libidinum incitamenta, quibus homo ſegniter immorans in Sodomorum flammas actutum prolabetur. Fuge ergò (conſulit S. Ambroſ.) Sodomam

B relinque ocyùs, deſere elementa huius mundi, ne te imminentia inuoluant pericula. Non reſiſtas fugiens, nec in tota vitiorum regione remoreris. ſic Ambroſ. Quartum denique: *ſed in monte ſaluum te fac*; extra ſcilicet vallem. Mons altitudinem virtutum ſignificat; ita Gloſſa. vel altitudo montium, eſt munditia continentium. ita S. Gregor. vel monte innuitur caſtum coniugium ex doctrina eiuſdem: in quod Angeli, Deúſque ipſe iubet aſcendere illos, quibus dicit Apoſtolus: *Melius eſt nubere, quàm vri.* Mons etiam eſt religioſæ vitæ inſtitutio; quàm è mundo egreſſis Dominus ſequendam proponit. *In monte* (inquiens) *ſaluum te fac.* Mons quoque (vt clarum eſt) Virginem Deiparam repræſentat, quæ poſt Deum Angelis, San-

C ctiſque omnibus immenſa quadam ſanctitatis, & dignitatis altitudine imminet. Ergo quiſquis ſalutis tuæ curam geris: *In monte ſaluum te fac*, ad Virginem Dei Matrem recurre: cælum Virgo, & Deum in ſinu geſtat.

Gloſſa.

Fugiendum à vicinia peccati.

S. Greg.

S. Ambroſ.

Gloſſa.

Munditia mons eſt.

D. Gregor.

Coniugium mons & perfugium.

1. Cor. 7.

Religioſi ſunt in monte.

S. Maria mons eſt.

S. Maria Deum & cælum geſtat.

12. *Dixitque Loth.*] Petit à Deo, quem in duobus illis Angelis agnoſcebat, & venerabatur, vel ab vno, quem ſuperiorem iudicabat, vel ab eo, qui egreſſos ex vrbe comitabatur; nam alter ad futuram vindictam remanſerat; petit igitur ne cogatur in montem aſcendere. Licet enim Angelus dixerit. *In montem ſaluum te fac*, vbi vicinior eſſet patruo Abrahamo, cuius merito periculum omne poterat effugere: nihilominùs propter eandem cum ſanctiſſimo viro viciniam amplius ille ſibi

D timebat: quod Lyranus cum ſuis Hebræis ita colligit. *In monte ſaluum te fac*, id eſt, prope Abraham, qui tunc manebat in monte. Reſpondet tamen Loth: *Non poſſum in monte ſaluari.* Timebat enim Loth ſecundùm Hebræos, ne, ſi veniret iuxta Abraham, qui erat ſanctus, eius imperfectio magis appareret, & à Deo puniretur; qui tamen de Sodomis ſaluabatur, in quorum comparatione iuſtus erat. Simile habetur, 3. *Reg.* 17. de muliere Sareptana ad Eliam. *Ingreſſus es ad me, vt rememorarētur iniquitates meæ, & interficeres filium meum.* hæc ille. Accommodatiùs ad literam dices cum Caiet. Lothum timere ſibi de monte, tum propter iter longius, & laborioſius, tum quia in eo, nec domus erant, nec ad vitam neceſſaria videbantur:

E putabátque certam ibi fore ſibi, ſuiſque mortem. Taxatur tamen, & meritò à S. Auguſt. quòd non Deo crediderit, nec obedierit, potiúſque petierit fieri quod ſibi placebat. At comitatum Angeli, Deíque iubentis prouidentiam, non autem vires ſuas debiles, non ſenium aſpicere, non montis aſperitatem, aut ſolitudinem timere debuit, ſed Domini verbo fretus, ac ſecurus: *In monte ſaluum te fac*: non mortem, nec vllum periculum, ſed vitam ac ſalutem ibi certam ſperare. In exitu ergo vallis erat Segor, ſiue Soar, ſiue Bala, paruum quidem oppidum, de quo ita Loth: *Eſt ciuitas hæc* iuxta

Lyran.

Malus iuxta bonum peior videtur.

3. Reg. 17.

Caiet.

S. Auguſt.

Dei prouidentiæ, non proprio conſilio fidendum.

iuxta, ad quã possum fugere, parua, & saluabor in ea. Nunquid non modica est, & viuet anima mea? Paruum (inquit) istud oppidulum mihi refugio, & saluti erit: rationem egregiam subdit: *nunquid non modica est?* Videlicet, pauci in oppidulo sunt incolæ; quare, & pauciora & leuiora crimina. Sic enim Lyran. interpretatur: Ac si dicat: modicus est ibi populus, & per consequens iniquitates eius non sunt tantæ, sicut aliarum quatuor ciuitatum; propter quod facilius potest parci illi ciuitati. hæc ille. Et quidem quam certum hoc sit, experientia ipsa quotidiana contestatur; abundant enim in magnis vrbibus exempla peccantium, & omnia scelerum irritamenta: quare facilior in paruis, quàm in magnis gentium conuentibus solet esse animæ salus. Hinc illa egregiè dicuntur à S. Saluian. Nobilissimæ quæque ciuitates; ac sublimi adeo dignitate, nunquid non lustris plenæ sunt, ac lupanaribus fœtent? quæ etiam prærogatiua est honorum in magnis vrbibus, vt quantùm præcelluot cæteris magnitudine, tantùm præstent impuritate. sic ille *de prouid. lib.* 8. O infamem prærogatiuam magnarum vrbium, cæteris præstare impuritate! En quantum nocet mortalium concursus! flammas inuicem gehennæ sibi conflant, & accendunt, quibus ardeant, & comburantur. Annuit tandem Lothi precibus Angelus: *Suscepi* (inquiens) *preces tuas.* Hebr. נשאתי פניך *Nasathi panecha.* radix נשא *Nasah*, ferre, suscipere, leuare, attollere. Quando enim Dominus exaudit

C orantem, illius faciem dicitur suscipere, leuare, & attollere, nimirum antea in precibus demissam, supplicem, atque humilem. LXX. vertunt: *admiratus sum, vel reueritus sum, vel honoraui faciem tuam, ἐθαύμασά σε. Festina, & saluare ibi, quia non potero facere quicquam donec ingrediaris illuc.* Vrget Angelus, quoniam ex decreto Dei priùs erat e periculo subducendus Loth, dein tota planities comburenda. Tanta est gratia iustorum apud Deum, vt illorum meritis, precibus, imò & præsentia, se dicat ab infligenda malis vindicta præpediri, vt etiam ad Moysem dixit, Exod. 32. *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, &c.* Dimitte me, ait Dominus ad seruũ suum, vt irascar, vt puniam hostes meos, ac si videretur manus Domini a seruo constricta, & præpedita:

D vel grandi aliquo, & forti muro obiecto sese teneret Dei iustitia, quin ad puniendum exiliret. Quod Ezechiel querebatur non posse fieri à falsis prophetis Israel. *Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israel.* Ezechiel 13. Ad quem locum S. Hieron. Hieremiæ (inquit) quoque dicitur, ne occurrat Domino, neque stet contra iram eius orationis perseuerantia. Hierem. 7. Sicut enim murus hosti opponitur, & aduersario occurri solet, ex aduerso, contráque venienti: ita Dei sententia Sanctorum precibus frangitur: hæc ille. At quænam tanta isthæc Sanctorum vis est, vt Deum tanquam murus contineat, tanquam catena constringat, tanquam exercitus venienti obsistat? Nimirum oratio Sanctorum. Addit ergo

E S. Hieron. Moysi dicitur: *dimitte me.* Cui dicitur *dimitte me*, ostendit, quod tenendi habeat facultatem. Isti stare non possunt in prælio in die Domini, vt pro populo precibus dimicent, & resistant obsecrationibus sententiæ Dei. hæc ille. Bene Chald. vertit. *Intermitte deprecationem.* Proh admirabilem orationis potentiam, quæ Deum tenet, Deo resistit, Dei sententiam rescindit! Intrauit igitur Loth oppidum Segor: atque vtinam ibi consisteret! Deus enim statuerat oppido parcere, propter Lothum, si in eo maneret: cum dixit: *Su-*

In paruis oppidis leuius & minus peccatur.

Lyran.

Vrbes peccatis abundant.

Faciliùs comparatur animæ salus in paruis oppidis.

S. Saluian.

Ciuitates quò maiores, eò impuriores.

Sanctorum orationibus Deus vindictam cohibet.

Exod. 32.

Ezech. 13.

D. Hieron.

Hierem. 7.

D. Hieron.

Mira potentia orationis.

A *scepi preces tuas, vt non subuertam vrbem, pro qua locutus es.* Nec si ibidem moraretur Loth, tam execrandum facinus patraretur.

13. *Igitur Dominus pluit.*] Sol iam exortus diem fecerat, sudo, serenoque cælo, ne causis naturalibus adscribi posset futura de cælo tempestas ignium: cum Loth iam oppidum Segor intrasset (eadem enim hora sæpe iustis salutem, iniquis interitum adducit:) subito cælum detonuit, atque insolitum irrugiit: deinde flammarum ex igne sulphureo, tetroque atque horribili, nimbosa quædam procella decidit, qua ciuitates illæ quinque, totáque regio Pentapolitana cum villis, nemoribus, satis, ac segetibus absumpta funditus conflagrauit. Illud autem: *Pluit Dominus à*

B *Domino*, ex communi Patrum sententia sic explicatur. Pluit Deus Filius à Deo Patre; à quo, vt essentiam, sic potentiam accepit. Nihilominus phrasis etiam Hebræa est, qua significatur Deum non interuentu causæ alicuius naturalis, sed per seipsum vi, potentiáque sua infinita tam insolitatum incendium commouisse. At sulphure quidem peccati fœtor, igne autem libidinis ardor notabatur. Hinc illud S. Gregor. 14. *moral. cap.* 10. Sulphur fœtorem habet, ignis ardorem. Qui itaque ad peruersa desideria ex carnis fœtore arserant, dignum fuit, vt simul igne, & sulphure perirent, quatenus ex iusta pœna discerent ex iniusto desiderio, quid fecissent. ita Gregor. Videat se quæso libidinosus, si tamen oculos habet, &

C mentis sinceram rationem, vtique fœtorem, atque infamiam, & dedecus suæ vitæ execrabitur; ac flammas gehennæ, quas iam æstuanti gestat pectore, pertimescet. Suam idem Gregor. sententiam reperit 4. *dialog. cap.* 36. quam Rupert. similiter pertractans concludit: Quia talem carnis fœtorem miserant ad cælum, rectè de cælo fœtorem igneum, vel ignem fœtidum receperunt. sic ille. Sed quid meruere infantes, ac pueri ante rationis vsum, vt communi perirent incendio? Respondet in hunc modum Albinus: Infantes quoque cum parentibus cremati sunt, vt possit aduerti impiissimum facinus Sodomitarum, ne de eorum origine aliquod remaneret vestigium. Et prouisum est illis, ne diu viuentes sequerentur exem-

D pla patrum, & vt leuiùs punirentur. hæc Albin. Ac simile huic argumento in priori tomo non semel in diluuio, & alibi tractauimus. Quid subinde nocuerunt arbores nemorum, flores pratorum, sata, segetes, herbæque camporum, vt pariter conflagrarent? Nimirum, quia (vt obseruat Glossa) istis pessimi illi delectati sunt. Atque (vt Procop. ait) etiam alimenta illorum sentiunt exitium, quia Sodomitas pascebant. Quid verò terra peccauit, vt flammis arserit, ac deinde aquis fuerit submersa? Optima illa ratio S. Bernard. *de conuers. ad cleri. cap.* 19. sic habet. Ecce quomodo & ipsam, vtpote consciam tantæ confusionis, tellurem absumpsit ignis, sulphur, & spiritus procellarum. Ecce quomodo in lacum horribilem solum omne

E redactum est! hæc Bernard. Itaque tam fœdum, atque nefandum scelus hoc est, vt ne terra ipsa, in qua patratur, vllis vnquam pateat oculis, flammisque primùm, deinde aquis sepeliatur necesse sit. Denique cur grauiùs hoc incendium, quàm diluuium in homines, ac terram ipsam desæuiit? Quia (vt Eucher. & Strab considerant) illud libidinis cum fœminis peccatum, etsi mensuram excederet, naturale tamen erat; ideò quasi leuiori elemento damnatum est: hoc verò cum viris libidinis peccatum, quia contra naturam erat, acrioris elementi vindicatum est incendio: & ideò

etiam

Sodomitarũ conflagratio.

In supplicio notatur flagitij qualitas.

D. Gregor.

Luxuria excæcat.

Rupertus.

Luxuria fœtet.

Albin.

Sodomitarũ incendio etiã pueri & plãtæ perierunt.

Exitiale malum Sodomitarum.

Gloss.

Procopius.

S. Bernard.

Tellus patitur pœnã sceleris hominũ.

Sodomitica turpitudo omnẽ naturæ terminum excedit.

Eucher.

Strab.

Incendiũ Sodomæ grauius vniuersali diluuio.

etiam illic terra aquis abluta reuirescit, hic flammis cremata æterna sterilitate arescit. hæc illi. Tota igitur vallis sulphureo igne concremata est; illius quidem interior, & latiur pars post flammarum incendium saltis & bituminutis, ac fœtulentis submersa aquis, lacum efficit, qui dicitur Asphaltites, de quo plures scribunt; diligentissimè omnium Adtichom. *in tribu Iuda. num.* 86.

Asphaltites lacus. Adrichom.

Extima verò pars, ac minima vallis concrematæ mansit squalida & cinerulenta; ad oram laci in testimonium diuinæ vindictæ arbores etiam nunc videntur, quarum poma pulchra, & aspectu matura, sed contactu in fauillam conuersa euanescunt. Hoc est peccati, & præsertim venereæ voluptatis, atque adeò bonorum omnium huius mundi symbolum peregregium.

Voluptas allicit & euanescit.

B Perdurat adhuc & perdurabit ad finem vsque mundi testimonium huius supplicij, quia (vt bene S. August. *lib. de mirab. cap.* 10. animaduertit) qui peccatum suum non solum faciendo, sed etiam prædicando palam fecerant, infamem vitam famosa pœna consumerent. sic August.

S. August.

Famosa pœna peccati infamis.

Vno verbo Sapiens ita rem definit. *In testimonium nequitia fumigabunda constat deserta terra, & in certo tempore fructus habentes arbores.* Sap. 10. hoc est, fructus intempestiuos & immaturos. Videte, carnales bestiæ, vestrum exemplum ac typum, timere supplicium. Discite mundiciem moniti, & metuisse Tonantem. Expende quæso diligenter ac serio, quàm execrandum sit facinus, quámque diuinam iustitiam offendat præpostera libido.

Sapient. 10.
Certum & graue libidinis supplicium.

14. *Respiciens vxor eius, &c.*] Præceperat Dominus Lotho, vxori, & filiabus, ne tandem è Sodomis egressi retro aspicerent; iam causam euoluimus: nunc eandem cum Procopio vberiùs discutimus: sic enim effatur. Nouerat Angelus illos fortassis gauisuros cementes calamitatem Sodomitarum, Lætari autem calamitatibus, & miseriis aliorum, esto interdum iudicetur iustum, non tamen humanum reor. Vel forsitan ad fugam futuri erant tardiores, victi dolore, & familiari amicitia, dum aspicerent illos adeo miserandum in morem petire. hæc Procop.

Procopius.
Indolendum calamitatibus alienis.

Igitur mulier iam territorium Segor ingressa, priusquàm subintraret in oppidum, horribili fragore tempestatis igneæ, atque strepitu imbris flammei decidentis excita oculos retorsit in Sodoma non credens Angelo qui vetuerat; aut, quod Seuer. Sulpit. aliique bene obseruant, humano more quo miseri ægriùs à vetitis abstinemus, auidiúsque negata cupimus. Puncto illo infelix versa est in statuam salis; nimirùm constitit vera statua muliebri specie, materia salis.

Seuer. Sulp.
Nitimur in vetitum.

Etiam hodie visitur, vt Brochard. & alij scribunt, in testimonium sempiternum diuinæ vindictæ, atque in exemplum & documentum mortalibus, vti Deo pareant; corpore & animo secedant ab impiorum consortio, ad prioris vitæ scelera nequaquam relabantur; ad anteriora se extendant, cælum, Deúmque videntes, ac sequentes. Suam igitur negligentiam huius statuæ sale condiant, ne putrescant.

[Bro]chard.
[Stat]ua salis documenta.

E Sed præstat hac de re sanctorum Patrum audire sententias quæ sic habent. Vxorem Loth, quæ sua sponte conuersa fuit ad mundanum vitium, reliquit Deus insensibilem, efficiens eam, vt petram salis, & statuens ne vltra progrederetur: non stultam, & quæ nihil efficeret imaginem; sed quæ condire. & confirmare posset eum, qui potest perspicere spiritualiter. ita Clem. Alex. 2. *stromat.* Insipidi atque ignaui, qui à virtute in vitium relabuntur, scilicet non vera illius, sed falsa istius dulcedine illecti, hac salis statua condiuntur vt verum saporem contrahant, falsumque prorsus expuant.

Clem. Alex.
Vera dulcedo virtutis, falsa vitij.

A Audi S. Gregor. Nazianz. E Sodomis excedamus, ne in vlla vicinæ regionis parte pedem figamus: ne circunspiciamus: ne alioqui in salis columnam concrescamus, columnam (inquam) verè immortalem, animæque in vitium relabentis accusatricem. sic Gregor. Nazianz. *orat.* 15.

S. Greg Naz.
Non relabendū in vitia.

Sic enim fieri solet, vt periculosius relabatur in peccatum quis, quàm fuerit ante lapsus. Relabens quippe concrescit in statuam, nec deinceps emolliri, frangique, atque resipiscere consueuit; fit de peccatore homine obstinatus Cacodæmon. Non solum renuntiare peccatis, sed etiam memoriam omnem debes actus superioris abolere.

Grauior relapsus quàm lapsus in peccatum.

Ideò Dominus: *Memores* (inquit) *estote vxoris Loth.* Luc. 9. Quæ ideò (inquit ibi S. Ambros.) quia respexit retro, perdidit naturæ suæ munus. Retro enim Satanas, retro Sodoma, quapropter fuge intemperantiam. Loch ideo euasit, quia peruenit ad montem: illa quæ infirmior fuit, quoniam ad posteriora respexit, nec mariti adiuta suffragio ad montem peruenire potuit, sed remansit. hæc S. Ambros. *in Luc.* 17.

Lucæ 9.
S. Ambros.

Nec standum prope, nec etiam à longe spectanda est occasio peccati, vtrobique periclitamur. Audi S. August. Vt quid in statuam salis versa est, si non homines condit vt sapiant? respexit retrò. vnde liberata erat a Sodomis; & ibi remansit, vnde respexit: ipsa in loco mansura, & transeuntes alios conditura. Liberati ergo à Sodomis præteritæ vitæ, non respiciamus retro. sic August.

Fugienda peccati occasio.

C *in Psalm.* 83. Non est animo redeundum ad veterem vitam, qua per gratiam exuimur. Idem etiam adiungit: Vxor Loth vbi respexit, remansit, & in salem conuersa hominibus fidelibus quoddam præstitit condimentum quo sapiant aliquid, vnde illud caueatur exemplum. hæc ille. 16. *de Ciuit. cap.* 30. Denique apponit idem: Vxor Loth ne retro respiceret iussa, in salis statuam solidatur: vt cuius visus non erat immunis ex culpæ consortio, mortem effugere non posset, quamuis propter iusti contubernium eruta sit de incendio. sic idem *lib.* 1. *de mirab. cap.* 11.

Ne videnda quidem occasio peccati.
D. August.

Audi etiam Origen. Quòd fit statua salis, insipientiæ eius indicium videtur expositum. Sal enim prudentiæ loco ponitur, quæ illi defuit. sic Origen.

Origen.
Mira stultitia vxoris Loth.

D Bene in statuam salis versa est. vt exemplum fieret & condimentum; vnde alij salirentur, id est, cuius memoriæ proficeret ad sapientiam. sic Rupert.

Rupertus.

Hinc etiam ad pœnitentes egregium fit documentum, ne ad prioris vitæ scelera oculos, animósque retorqueant, propter periculum certum relabendi; quo in sensu ita scribit S. Hildebert. *Epistol.* 41. Pœnitentiam professis periculosa est præteritarum recordatio voluptatum. Eas enim tenerrimè caro suspirat; & immemor vxoris Loth egressum de Sodomis spiritum frequentiùs respicere subhortatur. Nec ei laboriosum est in tali triumphare negotio, cum omnes facile trahamur illecebris; & efficacior fit conatus carnis ad crimen, quàm spiritus ad virtutem. hæc ille.

S. Hildebert.
Periculosa voluptatum recordatio.
Efficax caro ad crimen.

E Atque vtinam non ita haberet hæc potentior carnis, quàm spiritus in nostram perniciem efficacitas. Denique talis quisque est, qualis, quem colit, & amat: amans enim in rei amatæ affectionem immutatur. Vnde Clem. Alex. sic effatur. Vxorem Loth accepimus effectam esse lapidem, propterea quòd amaret Sodoma. Sodomitæ autem impij duro erant corde, & stolidi. sic ille ad Gentes. Lutea planè fit statua, qui lutum amat libidinis: ænea, qui pretiosa metalla conquirit: qui totus in arma fertur, quid nisi ferrea moles animo, & ingenio videtur? Satis hæc fuerit è patribus delibasse.

Amans in rē amatam conuertitur
Clem. Alex.

15. Porrò

15. Porrò autem Abraham ex tabernaculo suo contuitus est vniuersam illam planitiem flammis absumptam, atque inde in sublime fauillæ, flammęque mixtum fumum extolli, cuius quidem meritis liberatio ac salus Lothi adscribitur. *Recordatus est* enim *Dominus, Abrahæ*, hoc est, vt exponit

S.Chrysost.

S Chrys. recordatus est petitionis, quam fecerat dicens: *Nunquid perdes iustum cum impio?* cap. 18.

Sanctorũ deprecatio cum nostris meritis impetrat.

Seruatus igitur est propter orationem Patriarchæ, & propter suam iustitiam. Quando enim, quod ex nobis est, simul afferimus, & accedit intercessio Sanctorum, plurimum nobis confert. ita Chrys. Duo igitur hæc si accedant, & nostra scilicet merita, & Sanctorum deprecatio, magno solent esse momento ad Dei beneficia impetranda. Ingressus

Loth diffidentia incestus occasio.
D. Hieron.

autem Loth, iam vxore viduatus oppidum Segor cum filiabus timuit illic manere. Sed vnde iste timor? S.Hier. respondet *de quæst. Hebraic.* Eò quòd frequenter terræmotu obruta Segor fuisset; ac si diceret: Si cæteris stantibus ista sæpè subuersa est, quantò magis in communi ruina non poterit liberari? Et hanc occasionem infidelitatis causam incestus fuisse dicimus cum Hebræis. Qui enim cæteras viderat subrui, & hanc stare, sèque Dei auxilio erutum de eo, quod sibi concessum audierat, ambigere non debuit. hæc Hier.

Segor terræ motibus concussa.

Aliis tamen potius placet Segor, non ante hoc incendium, sed multò post iam reædificatam terræ motibus concuti solitam; atque adeò Lothum ex ipso oppido (Angelus enim tantum vetuerat in via retrò aspicere) contemplatum flammeos illos imbres, & longè, latéque populans incendium timuisse, ne illuc etiam ignis peruaderet; ac denique fugam in montem proripuisse incredulum promissioni Angelicæ.

Procopius.
Aspirandum iusto ad perfectionem.

In mystico sensu hunc locum ita Procop. expendit. Animus Lothi erat quidem fortis, nec tamen perfectus. Vxoris animus, qoia mollis, & imperfectus erat, meritò damnum sensit, cum ipsa transformaretur in statuam salis. Verum animus, qui in religione strenuè progrediebatur, quasi per gradus, Segor relicta in montem se recipit, prudentia, & spirituali fortitudine, ceu quibusdam filiabus stipatus. hæc Procop. Itaque montis nomine perfectionem maximarum virtutum significari vult: at Segor symbolum esse status in virtute non ita sublimis, vicini tamen perfectioni.

Virtus non citò comparatur.
Procopius.

Quo in sensu de ingressu Lothi in Segor paulo ante sic disseruerat, Lothus, cum nequiret in montem euadere, petebat oppidulum alto monti vicinum. Nam virtus non illico ab iis, qui ipsam ambiunt, apprehendi potest. hæc ille. Sed nulli quidem desperandum: exi tandem è Sodomis, retrò ne aspicias, viam carpe virtutis: si animus erit, ad sublimia perfectionis Euangelicæ ascende: quòd

Tendendum virtutis statum perfectioni vicinum.

si grauat infirmitas, Segor ingressus, statum quidem virtutis bonum, sed non ita excelsum, suscipe; aggredere deinde, incipe, conare ad montana cum iis, quos ardens euexit ad æthera virtus. Statim verò, vbi ex oppido Segor egressus est cum filiabus Loth, flammis illud de cælo ruentibus, vt cæteræ vrbes, pagique, absumptum est. Sic habet

Segor subuersa.

communior sententia: nam si adhuc staret Segor, non omne genus humanum interiisse dicerent puellæ; nullus virorum remansit in terra. Quod Procop. & alij obseruarunt: quanquam Theod. Lyran. & plures existimant Segor post Lothi discessum non conflagrasse ignibus, sed hiatu terræ fuisse deuoratam.

16. Sequitur fœdissimus incestus; quem pudor est commentari. S.Ambros. Theod. Procop. S.Iren. Orig. S. Chrysost. S.Aug. excusant puellas.

S.Bernard.

Euacuauit enim (inquit S.Bern. *de precept. & disp.*) A aut attenuauit turpis nefandique reatum flagitij pietas intentionis, & intentio pietatis. sic ille.

Caietan.
Præceps & fragilis mulier.

Caiet. & patrem, & filias dicit inexcusabiles. Certè hoc facto cernitur præcipitatio muliebris, & inconsiderati sexus fragilitas, non tamen ardor libidinis. Solo enim desiderio prolis habendæ tantum facinus excogitarunt, inebriando patrem, qui vt iustus erat, nullo modo consensisset sui compos.

S.August.

Ab illo enim opere (inquit S.Aug.) ita patrem abhorrere sentiebant, vt illud se impleturas esse non crederent, nisi eius ignorantiam procurarent. sic ille, *lib. 22. contra Faustum, cap. 43.*

Inexcusabilis incestus Lothi.

Intentio igitur excusat, sed factum ipsum est inexcusabile: præmiserat enim sic Aug. Cum illæ ad conseruationem generis prolem quærerent, quia vtique B in eis humanus erat & naturalis affectus, nec se crederent inuenire posse alios viros velut exusto illa conflagratione orbe terrarum, neque enim discernere poterant quousque ignis ille sæuierit, miscere se patri voluerunt; potius quidem nunquam esse matres, quàm sic vti patre debuerunt.

Incestus filiarum Loth non ex mala intentione.
D. August.

Veruntamen multum interest, quod ea causa vsæ sunt, quàm si concupiscentia tam funestæ voluptatis vterentur. hæc S. Aug. loco indicato. Lothi tamen ebrietas, & incestus filiarum maiori ex parte culpantur à patribus. Eáque Deus in scripturis (ait S.Aug.) prodidit, non fecit: & cauenda admonuit, non imitanda proposuit.

Deus ex malis bona facit.

Et qui nouit, & de hominum opere malo facere opera bona, gentes, quas voluit, ex illo semine propagauit. sic ille C *cap. 45.* Permisit verò Dominus virum alioqui iustum sic induci ad nefandum flagitium (vt egregiè subnotauit D.Thom.) in signum quod gula, & ebrietas sunt matres luxuriæ; atque adeò, vt ostenderetur, quanti periculi est ebrietas, quæ etiam inopinata mala inducit, & sic per consequens fortiùs timeretur, & cautiùs vitaretur. hæc ille *in postilla supra Genes.*

S.Thom.
Quàm sit ebrietas periculosa.

Quid igitur mali à temulentia non timeatur, cùm Lothi ebrietas in tantam abominationem proruperit?

Imprægnatæ ex nefario primo coitu.
S.Thom.

Et quidem ad primum concubitum non sine diuina prouidentia conceperunt puellæ. videlicet, ad reuelandum (adiungit S.Thom.) earum incestum, & in exemplo occulto fornicantium, quæ in sui reuelationem pœnalem sæpe iusto Dei iudicio imprægnantur, D sicut Bersabee contigit, in primo enim concubitu, cum priùs videretur esse sterilis, imprægnata fuit. hæc ille.

Incontinentiæ fœminæ calamitas.

O si fœminæ in futurum suæ incontinentiæ fructum istum intenderent oculos, profectò pro vnius momenti delectatione non tot, ac tantis sese periculis exponerent gestandi vterum, & consequenter infamiæ apud omnes subeundæ, aut cum vitæ suæ periculo, & execranda impietate fœtum violentia medicamentorum abiiciendi. Cæterùm illud vniuersim scitum, & comprobatum est S.Hieron.

S.Hieron.
Mulier ad præsens mouetur.

Mulier auiditate fœminea præsentia cupit, immemor futurorum. sic ille. *in cap. 20. Matth.* Cæco vt plurimùm rapitur impetu secum statuens fœmina: licet, quod lubet. Dicebat Angelus Loth: *In monte saluum te fac.* Ecce in monte

Inobedientia Lothi causa incestus.

E Lothus ab incendio quidem, non tamen ab incestu saluus, ac fortasse ab vtroque liber euasisset in monte, si statim ad imperium Angeli montem peteret, non verò priùs Segor, vt locum tutiorem eligeret. Ascendit enim tandem in montem suo ductus arbitrio, non iam Angeli iussu compulsus.

Timor prudentum est.

Sed proh miseram hominis conditionem! quæ securitas viro est à fœminis, si Loth iustus, & pater à filiabus inebriatus tam nefandã subit infamiam?

S.Bernard.

Benè S.Bern. *super Missus*: Vis ô homo in timoribus esse securus? time securitatem. sic ille. Nec minus timere sibi debet à viris fœmina: cum vi-

deat

Nulla securitas inter virum & fœminam. deat Lothi filias ex contubernio patris miserrimè cecidisse. Ille viuit securius, qui vel ipsa quę secura videntur suspecta habet. Impatientes fœminæ post cibum, ac vinum (vt creditur) mortis suæ immemores, de vita, de mundo, de prole agentes quid non auderent? Enimuerò (vt affirmat S. Zeno.) non habet concupiscentia locum, vbi patientia dominatur, vbi viuitur sobriè, vbi mors timetur. sic ille *serm. de contin.* S. Ambros. de vino hic vberiùs loquitur, ac demum colligit: Instruunt Patriarchæ non solum docentes, sed etiam errantes. Ideò iteratum est exemplum ebrietatis (post Noe) vt confirmetur magisterium cautionis. sic Ambros. Sed

S. Zeno.

S. Ambros.

A ô incomprehensibile Dei iudicium! Puella maior tanti facinoris dux, & auctor, quæ filium peperit, ac nominauit Moab, impudentior plane nominis impositione crimen professa, hoc est ex patre; tandem ingressa est genealogiam Dei Verbi incarnati: nimirum ex illa Moabitæ, ac Moabitis Ruth, quæ peperit Obed auum Dauid, cuius filia semper Virgo Maria fuit; de quo Deum hominem mundo edidit Redemptorem. Admirabilis quidem puritas Virginis Deiparæ omnem suorum auorum impuritatem expiauit. Quemadmodum illius sanctitatem nec ipsa suorum auorum quantalibet sanctitas vllo incremento illustrauit.

S. Maria puritas impuritatem auorum expiauit.

CAPVT VICESIMVM.

1. PRofectus inde Abraham in terram australem, habitauit inter Cades & Sur, & peregrinatus est in Geraris.

2. Dixitque de Sara vxore sua, Soror mea est. Misit ergo Abimelech rex Geraræ, & tulit eam.

3. Venit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte, & ait illi: En morieris propter mulierem quam tulisti: habet enim virum.

4. Abimelech verò non tetigerat eam, & ait: Domine, num gentem ignorantem & iustam interficies?

5. Nonne ipse dixit mihi: Soror mea est: & ipsa ait: Frater meus est? in simplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum, feci hoc.

6. Dixitque ad eum Deus: Et ego scio quòd simplici corde feceris: & ideò custodiui te ne peccares in me, & non dimisi vt tangeres eam.

7. Nunc ergo redde viro suo vxorem, quia propheta est: & orabit pro te, & viues: si autem nolueris reddere, scito quòd morte morieris tu, & omnia quæ tua sũt.

8. Statímque de nocte consurgens Abimelech, vocauit omnes seruos suos: & locutus est vniuersa verba hæc in auribus eorum, timuerúntque omnes viri valde.

9. Vocauit autem Abimelech etiam Abraham, & dixit ei: Quid fecisti nobis? quid peccauimus in te, quia induxisti su-

B per me & super regnum meum peccatum grãde? quę nõ debuisti facere, fecisti nobis.

10. Rursúmque expostulans ait: Quid vidisti, vt hoc faceres?

11. Respondit Abraham: Cogitaui mecum, dicens: Forsitan non est timor Dei in loco isto: & interficient me propter vxorem meam.

12. Aliàs autem & verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in vxorem.

13. Postquam autem eduxit me Deus

C de domo patris mei, dixi ad eam: Hanc misericordiam facies mecum: in omni loco, ad quem ingrediemur, dices quòd frater tuus sim.

14. Tulit igitur Abimelech oues & boues, & seruos & ancillas, & dedit Abraham: reddidítque illi Saram vxorem suã.

15. & ait: Terra coram vobis est, vbicumque tibi placuerit, habita.

16. Saræ autem dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum

D sunt, & quocumque perrexeris: mementóque te deprehensam.

17. Orante autem Abraham, sanauit Deus Abimelech & vxorem, ancillásque eius, & pepererunt.

18. Concluserat enim Dominus omnem vuluam domus Abimelech propter Saram vxorem Abrahæ.

SECTIO VNICA.

Profectus inde Abraham in terram australem, habitauit inter Cades & Sur: & peregrinatus est in Geraris, &c.



Rofectus inde Abrahã.] Vna toto in capite narratur historia, tã planis, ac dilucidis verbis vt præter vnam, vel alteram difficultatem eruditione dignã nulla vsquã appareat salebra cui lector adhæreat. Nihilominus tamen noster commentandi stilus omnia & singula (vt moris est) perstringet. Abraham itaque post illud Pentapolita-

E næ gentis, ac regionis incendium memorabile, fortasse humano timore consternatus ob tam horribile & prodigiosum spectaculum (quid enim tunc oculus, nisi flammas, cineres, aut certè immensa aquarum æquora latè patentia spectabat; pestilentes illa quidem, ac virulentas exhalationes eructantia?) aut etiam desiderio innato peregrinandi profectus ex suo nemore Mambre ad Austrum

Austrum pergens respectu scilicet prædictæ conuallis ad Geraram peruenit. Erat autem (scribit
D Hieron.
Gerara describitur.
S.Hieron.) Gerara olim terminus Chananæorum ad australem plagam, & ciuitas metropolis Palæstinæ. Scriptura commemorat eam fuisse inter Cades, & Sur, hoc est inter duas solitudines, quarum vna Ægypto iungitur, ad quam populus trans fretum rubri maris peruenit. Altera verò Cades vsque ad Saracenorum eremum extenditur. hæc S.Hieron. *de locis Hebr.* Apud Herodotum,
Herodotus.
lib. 2. vocatur Cadytis: Sur desertum est latè extensum vsque ad mare rubrum, & Ægypti confinia. Gerаritæ igitur aduenas contemplati multa
Geraritæ Abra & vxorë demirantur.
demirantur, vt noua & sublimia, qualis erat pietas morum & insolita vitæ ratio in Abrahamo, totáque illius familia: deinde Saræ modestia, grauitásque plusquam muliebris, & oris pulchritudo admirabilis, qua maximè deliniti rogant hospitem virum, quæ mulier illa, quidve ad ipsum attineret. Respondet ille sororem suam esse; atque, vt verbis regis constat, similiter rogata mulier dixit illum suum esse fratrem. Nihil ad vota regi felicius: assumit illam in vxorem, iam (vt Procop.
Procop.
& alij contendunt) concepto Isaac grauidam, sed illi nondum vterus intumuerat. Porrò autem quæ
Excusatur timor mortis in Abraham.
tanta isthæc fuit infirmitas, ac trepidatio Abrahami, vt coniugium celet; ne fortè apud illas gentes ob speciem vxoris periclitetur? Siccine vir iustus, honestus, ac sapiens ægriùs feret mori, quàm adulteratæ coniugis ignominiam pati? Dixerim in primis Abrahamum fretum diuinis promissionibus, & præsidiis, quæ semper fuerat expertus, certò sperasse, vt vxor nullum adiret periculum suæ pudicitiæ, sed illibata erueretur ab omni contumelia: cæterum de suæ vitæ discrimine anxium hæsitasse. At non iccirco damnandus erit Patriarcha: timuit quidem mortem; sed non maiorem constantiam adhuc illa ferebant tempora. quod eleganter S.Chrysostom. *homil.* 45. *in Genes.* sic
S.Chrysost.
euoluit. Ne condemnes iustum ob pusillanimitatem, quòd mortem timuerit, sed potiùs admirare Conditorem vniuersi, qui tantæ erga nos est misericordiæ, quòd mortem iustis illis, & sanctis tunc terribilem, eandem nunc ita contemptibilem fecerit Christus, vt quam formidabant illi,
Timor mortis in sanctis ante Christum.
virtute clari, & tanta erga Deum fiducia freti, nunc derideant, & iuuenes, & teneræ virgines. Nihil enim mors est, quàm somnus, & peregrinatio, & transmigratio à deterioribus ad meliora. Mors enim Domini immortalitatem nobis donauit, & vt descendit in infernum dissoluit eius neruos, & robur destruxit: &, quod antea terribile erat, & implacabile, hoc nunc contemptibile fecit, adeò vt & multi exiliant, & festinent, cum hinc migrandum. hæc S.Chrysost. Hinc est quòd perpauci ante aduentum Christi contemptores rerum humanarum, & de morte triumphatores extiterint: scilicet timor in patre Abrahamo, at-
Post Christũ contemptus mudi & mortis in viris & fœminis.
que in filiis subinde dominabatur: contrà verò in lege gratiæ, viros, ac mulieres, qui mundum, & omnia, quæ in eo sunt, generoso animo despiciant, ac mortem cum grauissimis, & innumeris cruciatibus patienter, & alacriter appetant, oppetántque, solus ipse Deus poterit numerando complecti. Fructus hic est mortis, & crucis Domini IESV. Hunc tam generosum, & sublimem populum & ille sibi promeruit, & æternus Pater illi donauit. Sic enim Deus Pater ad Filium iam hominem factum: *Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & faces Israel conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* Isaiæ 49. Quem locum optimè
Isaiæ 49.

A sic explicat S.Euseb.Emiss. *homil. de Cananæa.* Pa-
Euseb.Emiss.
Iudæorũ conuersio sola nõ esset dignum præmium incarnatione Verbi.
rum enim videtur Patri, & meritò quidem parum, vt qui ei æqualis est, pro tam vili pretio eius seruus sit, homo fiat, seruilem formam suscipiat, si tantùm tribus Iacob, & fæces Israel conuertere, & vocare venit. Pater dicit: *Ecce dedi te in lucem gentium, &c.* hæc Euseb. Non erat incarnatione diuini Verbi dignum (vt ita loquar) præmium, fructúsque Iudaici populi conuersio: at æternus Pater
Gentiũ conuersio dignus fructus Incarnatione Verbi.
(ô singularem Christianæ gentis gloriam!) Gentium conuersionem & sanctitatem Filio suo facto homini, velut (liceat ita loqui) condignum præmium condonauit. Dicit itaque Filius incarnatus, vt commentatur ad locum Isaiæ S.Hieron. Glorificatus sum in oculis Domini. In me enim omnis
D. Hieron.
B mundus credidit: & Deus meus factus est fortitudo mea, qui & consolatus est me tristem super abiectionem populi mei: & dixit mihi: Parum est, si seruias mihi, ad suscitandas Tribus Iacob, quæ suo vitio corruerunt: pro illis enim dedi te in lucem omnium gentium, vt salutem meam vsque ad extrema terræ facias peruenire. hæc ille. Conuersio
Christianorũ fides Iudæorũ damnũ satis compensauit.
& fides Christianæ gentis abundè compensauit damnum, & ruinam Iudaicæ nationis. O Domine Iesu parum, aut nihil in Iudæis amisisti, cum pro illis infinitum numero sanctitatéque præclarissimum Ecclesiæ Christianæ populum coëmisti!

2. Illud non leue facessit negotium: quinam Rex iste concupierit, atque in coniugium elegerit Saram nonagenariam anum, vt eam describit
C S.Aug. rugosam, ac propè demortuam. quæ nam
S.August.
Sara etiam vetula concupiscitur à rege.
obsecro pulchritudo in vetula tam annosa poterat inueniri, quæ oculos regis caperet, vel ad prolem, vel ad cupiditatem? Dicet aliquis adhuc nonagenariam mulierem potuisse matura quadam pulchritudine florere, ac vigere; erat enim illis ætatibus longior, quàm nostra est, vita mortalium: atque adeo annus tunc nonagesimus par
Vnde tanta pulchritudo in Sara vetulat
nostro quadragesimo: præterea continentia Saræ, quæ in coniugio magna fuit, maxime verò infœcunditas (partu siquidem & vires debilitantur, & species multum diminuitur) quòd nunquam pepererat, ad conseruandum decorem non parum conduxerat. Lyppomanus Dei beneficio tam
Lyppom.
iuuenilem venustatem Saræ in effœta senectute
D attribuit, idque propter sanctitatem mulieris; sed illius verba, vtpote egregia, libet referre. sic inquit: Sed mirum, & profectò valde mirum, quòd fœmina nonagenaria, & cui iam desierant muliebria, esset tam concupiscibilis, pulchra & vegeta, vt & Abraham timuerit occidi propter illam, & Rex alienigena voluerit eam habere in vxorem. Sed
Durat species in fœmina sancta & pacifica.
hoc vel propter eius sanctitatem fuit, quam respiciens Deus, pulchritudinem illius, & carnis teneritudinem ita conseruauit sicut habetur de Moyse, *Deuter. vltimo*, & de Caleb dicitur *Iosue* 14. vel
Deuter. vlt. Iosue 14.
ex naturali complexione. & bono regimine Saræ, iucundáque, ac pacifica conuersatione cum viro suo, permansit in ea tandiu viuidus vigor, & egregia corporis species. hæc ille. O felix coniu-
E gium, in quo pax mutua viget, regnat amor, quibus & corpora vegetantur, & viuida semper pacificæ sanctæque fœminæ species ac decor iuuenilis efflorescit! Contra verò, vbi nec virtus, nec amor intercedit, cum tota familia in peius quotidie ruente, miseræ fœminæ molestiis ac doloribus confectæ, præmaturo senio, canis, rugis, macie contabescunt. Cuncta vegetat viuidus amor, & debita coniugum concordia. Simile priuilegium à Deo concessum legimus in lege gratiæ plurimis & viris, & fœminis admirabili sanctitate præditis, qui etiam ad extremam senectutem

corporis viribus, & oris venustate floruerunt. S. August rem quidem ipsam admiratur, sed caussam illius non inquirit. sic enim ait, *quæst. in Genes.* Formæ illius vis admiranda est, quæ adhuc in tanta ætate adamari poterat. sic ille. Est qui apud Procopium ita respondeat: maxima etiam erat formæ venustas in senili iustæ Saræ corpore, quæ regem illum permouerat. Nam gratia, quæ fœcunditatem tribuit sterili naturæ, renouauit vetustatem eius instar aquilæ. sic ille, pulchrè quidem. Datur quippe fœminis à Deo venustas oris, vt adamentur à viris, appetanturque ad generationis actum in beneficium prolis. Quocirca vetulæ, cum iam & oris gratiam amiserint & habendo fœtui sint prorsus ineptæ, cur miseræ adhuc, & amari volunt, & nuptias ambiunt? Hanc vel inuerecundiam, vel stultitiam ita seuerè perstringit S. Zeno Veron. Pudet me dicere in populo graui, anus sæpe videri nouas nuptas, quarum pene plures sint nuptiæ, quàm natales: quæ non rogantur, vt nubant, sed vt dormiant inuitantur, propiores sepulchro, quàm thalamo, quæ ipsæ cum pereunt, detestabili exemplo adolescentulas quoque perire compellunt. sic ille *serm. de contin.* Corent igitur miseræ de feretro, non de lecto. Sara, licet anus, vt concipiat & pariat, pulchra diuinitus fit. Cum enim Dominus promisit Abrahæ filium intra annum illi ex Sara vxore nasciturum, simul etiam aut in conceptu subinde fœtus, puellarem quendam decorem ac vigorem Saræ contulit. Sternebatur scilicet via iam tunc ad miraculum miraculorum omnium maxime nouum, quod in Virgine Matre Deus aliquando tandem erat operaturus. Etsi enim Virgo beatissima corporis, & animæ dotibus supra omnem naturam præcellentibus, iam inde ab ipso suæ conceptionis momento in vtero Matris Annæ effloruerit: omnia tamen ornamenta priora Virgini aucta fuerunt, & noua, sublimioráque subinde concessa, simul atque in ipso instanti Incarnationis Diuini Verbi Mater Dei effecta est. quod Angelus vno Verbo significans Virginem salutauit, *Aue gratia plena, Dominus tecum, &c.* Lucæ 1. vt pie, veréque obseruat S. Hieron *serm. 2. de Assumpt.* ad hunc modum. *Verbo Domini cæli firmati sunt & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Psal 32. Quòd si spiritu oris Dei omnis virtus eorum subsistit, constat gloriosam Virginem, in quam superuenit Spiritus sanctus, & Deus totus illapsus portatur nouem mensibus in vtero, ampliora promeruisse virtutum priuilegia, gratiam vtique ab ipsis Angelis collaudatam. hæc Hieron. Potest egregiè quidem gratia, de qua loquitur Angelus, extendi ad omnia ornamenta cum corporis, tum animæ, per huiusmodi nomen significari solita, quæ vti diximus, Virgini à Filij sui conceptu, partúque, & conseruata, & aucta fuerunt; quibus etiam in extrema senectute semper Virgo Dei efflorescens admirabilem, ac propè diuinam maiestatem referebat, quod ex Dionysio Areopagita iam alibi retulimus. Procopius tamen ex sua sententia longè aliam causam reddit, ob quam (nihil agens de noua illa pulchritudine) Rex anum senio grauem, & oris specie marcidam delegerit in vxorem. Quæritur (inquit) quare, cum Rex potuerit multas, & forma liberali præditas adipisci fœminas, potiùs elegerit Saram anum effœtam, quæ iam ætatis annos centum impleuerat. Respondetur: Iustus rex erat, & sciebat Abrahamum quoque iusti, & æqui esse cultorem, cuius haud dissimilem credebat Saram. Magno igitur studio dignum censuit liberos ex tali quærere muliere. Credidit enim Rex ipsam esse sororem Abrahami. Nisi enim causa religionis, & nanciscendi iusti seminis illud facere in animum induxisset, qua ratione audiuisset Deum dicentem: *Ego scio quod puro corde feceris hoc, & peperci tibi?* hæc ille. Docuit sanè Rex viros, vti in coniugium sibi quisque mulierem eligat ad prolem quidem habendam, non ad explendam intemperantiæ (quod equus & mulus faciunt) voluptatem. Deinde in primis virtutem, probatæque vitæ integros, atque inculpatos mores, generis etiam honestatem in fœmina quærant, & ament: quicquid sit de forma corporis: quæ si reliquis virtutum ornamentis accedat, charius, ac felicius reddere solet matrimonium. Quod si virtus abiit, tam ex deformi, quam ex formosa coniuge multæ statum illum miseriæ infaustum reddunt. Vt enim scribit S. Hildebert. *Epistol. 36.* vxor, si formosa est, difficilè caret infamia: informem maritus aspernatur; nunquam lectus est sine rixa, cuius, vel pudet, vel tædet coniugalem. Quæ igitur quies est animæ, cui vel maritus est pro supplicio, vel conscientia pro flagello? sic Hildebert. Proh felicissimam sortem Virginum sacrarum, & omnium, qui suam Christo Domino pudicitiam dedicarunt: quàm multis carent ærumnis, tam multis bonis abundant.

S. August. — Procop. — Turpe est anus nubere. — S. Zeno. — Sara cũ fœtu datur pulchritudo. — B. Maria aucta omnia ornamenta ex conceptione Verbi incarnati. — Lucæ 1. — D. Hieron. — Psalm 32. — B. Mariæ maiestas in senectute. — Procop. — Vxor eligẽda ad prolem, nõ ad libidinem. — Virtus præ omnibus quærатur in vxore. — S. Hildebert. — Coniugium periculosum. — Felix status Virginum.

5. Abducta Sara in Regiam antequam Rex illam attingeret, statim diuina prouidentia periclitanti occurrit. Subito enim Rex morbo concidit, vtique prædepitus, ne quid in fœminam posset: atque illius vxor, & famulæ cœlesti tactæ flagello inhabiles modo quodam insolito factæ sunt, cum ad concipiendum, tum ad pariendum. Denique desperata medicorum arte ad Deum (vt credere par est) Rex doloribus æstuans recurrit: qui dormienti apparuit, quo pacto non est dictu facile; aut enim per somnium videre sibi visus est visione quadam imaginaria, venerabilem aliquam atque metuendam figuram, qua Deus iudex repræsentaretur; aut fortè euigilans eandem certò conspicatus est: similis, aut imaginaria, aut externa vltro citróque habita est collocutio, ita vt Rex certissimè videretur sibi, & Deum videre, & audire, & vicissim respondere. Minatur Dominus Regi mortem, eo quòd alienam vxorem à viro abduxerit. Stupet æger audiens Saram viro coniunctam: deprecatur Dominum, nolit insontem punire; non enim adulterium, sed legitimum coniugium puro, ac simplici corde ambierat. Et quidem istam cordis munditiem, ac sinceritatem in Rege Dominus fuisse confirmat, quam respiciens hominem ab adulterio etiam materialiter (vt loquuntur Scholastici) committendo prohibuit, cum illum inducto morbo impediuit. At cur non peccantem puniuit? fortè quia licet vxorem noluerit à viro abripere, saltem sororem à fratre inuitam ad inuito per aliquam vim abstulit. Quod ita Procop. exposuit. Licet Regem fugeret, quòd vxor erat Abrahami; tamen delictum euitare non potuit, eo quòd non abstinuit manum ab sorore peregrini, & hospitis; & in hoc non potuit effugere culpam. sic ille. Igitur Dominus, vt solet, opportunè subuenit ignoranti, nec siuit in peccatum labi; at verò iustorum honori, cum summum adiret periculum, occurrit ne macularetur: atque vt clarius Dei beneuolentia, & prouidentia erga suos demonstraretur, laborantibus fert opem eò maturiùs, ac validiùs, quò illi minus, aut possunt, aut curant suum honorem tueri, cuius beneuolentiæ signum præbet singulare Dominus cum ait ad Regem: *Custodiui te, ne peccares in me.* Vbi egregiè Procop. animaduertit: Qui delinquit (inquiens)

Singularis Dei prouidẽtia in seruos suos. — Morbus impedit peccatum. — Procopius. — Deus laborãti subuenit. — Procop.

in

in Abrahamum, & Saram, etiam in Deum peccat, sicuti & is Deum offendit, quicumque iustos lædit. hæc ille. Tangit quidem pupillam oculi Domini, qui seruos, & amicos illius, vel leuiter perstringit, maximè qui curas suas omnes in Deo collocatas habent. Nemo enim vnquam iustorum frustra iactauit cogitatum suum in Dominum. Neminem spes in Deo posita confundit, etsi multa & grauia ex aduerso iustum oppugnent: modò ille innocens sanctè obsistat, & iniustè opprimatur. Patienter iustus ferat, ac subinde Deo suam causam credat, qui vindicem se præbet, vbi patientiam constantem videt. Quod in Dauide factum sic obseruat S. Saluian. Dauidem cum fugasset è regno filius persecutor, iudex in breui Dominus vindicauit: nec vindicauit tantùm, sed cumulatiùs vindicauit, quàm ipse voluit, qui vindicabatur. sic ille. *de vero iudicio, lib.* 2. Nimirum breui tempore Absalom victus, trucidatúsque est; totáque illa tragædia momento disparuit. Scilicet (adiungit) vt ostenderet Deus grauiorem sibi esse iniuriam iniusta tolerantium, quàm tolerantibus suam. sic ille. Grauiùs læditur Deus in seruo suo, quàm hic ipse; atque iccirco seueriùs punit lædentem, quàm læsus cupiat. Nam qui (concludit) supra votum eius, qui vindicatur, vindicat; quid aliud vult intelligi, quàm se ipsum in eo, quem sic vlciscitur, vindicare? hæc Saluian. Quare optimè colligit S. Hildebert. grauiter aliquando à tyranno nescio quo affectus, hanc sententiam. Feliciter sunt miseri, quos constat non meruisse, quæ perferunt. Gloriamur in vinculis quorum causa nobis est pro solatio, non conscientia pro flagello. sic ille. *Epist.* 59. Proh quantum sibi nocent, qui proximis nocumentum inferunt! *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*: ait Dominus; valétque in vtramque partem: bona enim, & mala, quæ proximis facimus, Deus sibi facta, vel præmio, vel supplicio persoluit. Dicet ille improbis in die iudicij. *Esuriui, & non dedistis mihi, &c.* Matth. 25. Vbi videas æternis incendiis addici, qui proximis, hoc est, Deo ipsi famem, & sitim, atque inopiam non depulerunt. sed (vt optime subinfert S. Euseb. Emiss. ad eundem locum Matth.) quæ tormenta patientur qui aliena rapiunt, cum isti talia patiantur, qui sua non tribuunt? si talia sustinebunt immisericordes, qualia passuros putamus crudeles? sic Euseb.

Seruorum iniurias Deus grauiter fert.
Felix in Deo fiducia.
S. Saluian.
S. Saluian.
Deus pro suis quàm pro se vindex seuerior.
S. Hildebert.
Solatur afflictum innocentia.
Quæ proximis fiunt sibi Deus facta reputat.
Matth. 25.
Euseb Emiss.
Grauiter damnandi qui proximis nocent.

4. Discant etiam, qui amicos norunt esse in periculo, aut quouis malo afflictari, quamprimùm vt illis ad exemplum Domini opem ferant opportunam: nec miserorum clamores; ac supplicantium eiulatus expectent. Quæ quidem veræ, sanctæque amicitiæ debita demonstratio luculenter describitur à S. Hildebert. *Epistol.* 55. ad hunc modum. Nullum vendit amicus obsequium, libenter & gratis subuenit, nescit preces expectare; sed velut egentis vaticinetur voluntatem, præuenit rogaturum: dubitat enim vtrum sit obsequium, quod vis precum elicit, quod non accipit improuidus, sed importunus extorquet. hæc ille. Occurrit etiã Dominus morbos inferendo, ac mortem interminando, vt fœminæ coniugatæ pudicitia intemerata conseruetur, atque adulterium interdicatur, simúlque demonstretur quàm graue scelus istud in oculis Dei sit: quæ omnia & plura sic breuiter complectitur S. Ambr. *lib. 1. de Abrah. cap.* 7. Ideò tentatur Saræ pudicitia, vt exigatur omnium. Dixit Deus: *Ecce morieris propter mulierem.* Aduertimus adulterium diuino iudicio morte puniri. Non licet tibi vxore viuente vxorem ducere, Nam & aliam quærere cum habeas tuam, crimen est adul-

Afflicto amico subueniendum cito.
S. Hildebert.
Amicus amici afflicti præuenit vota.
Quàm graue sit adulteriũ.
S. Ambros.
Ferri non debet publicum peccatum.

A terij; hoc grauius quod putas peccatò tuo autoritatem lege quærendam. Tolerabilior est, si lateat culpa, quàm si culpæ vsurpetur autoritas. hæc ille. Atque vt adulteri sibi timeant à Deo, quem grauiter offendunt, adiungit: Cognoscimus etiam velut præsulem, custodémque cõiugij esse Deum, qui non patiatur alienum torum pollui: & si quis fecerit, peccare eum in Deum, cuius legem violet, gratiam soluat. Et ideò quia in Deum peccat, sacramenti cœlestis amittit consortium. hæc S. Ambr. quibus perstringitur illorum effusa libido, qui temerario quodam prætextu iuris mulieres non suas in contubernio, velut in coniugio legitimo retinent; damnatúrque impudentia multorum, qui publico, & inuerecundo concubinatu

B grauissimum in Ecclesia, & disciplina Christi scandalum præbent, præsertim si sint viri principes, quorum facinus in totum regnum longe, latéque peruadit. Defensorem se deinde, ac vindicem Deus ostendit coniugum, miserorum, atque adeò omnium, qui ab aliis malè afficiuntur. Quod S. Chrys. ad illa Domini verba (*Custodiui te ne peccares in me*) sic obseruat. Mei (inquit Dominus) famuli sunt, & adeò mihi commendati, vt mihi fieri existimem quæcumque illis fiunt, siue bona sint, siue mala: magnam siquidem eorum curam gero. S. Chrys. Porrò quantum dedecus, quàm fœda turpitudo passim in nobilioribus familiis inuenitur, vt dominorum serui imitantes intemperantiam, non ædes virorum principum, sed lupanaria me-

C retricum inhabitare videantur? Enimuerò (vt mores sui temporis perstringit. S. Saluian.) paterfamiliàs ancillarum maritus est. Quanta deinde seruorum corruptela, vbi dominorum tanta corruptio? Morbido enim capite nil sanum est: neque vllum omninò membrum officio suo fungitur, vbi quod est principale, non constat. sic ille. *lib. 7. de vero iudicio.* In tali ergo familia iuxta Prophetam, *à planta pedis, vsque ad verticem capitis non est in ea sanitas.* Isaiæ 1. Sed heus tu, qui adulteram vxorem persequeris, cur te illi adulterum præbes maritum? Pulchrè in hanc sententiam ita effatur S. Zeno Veron. Lubrici mariti humanarum legum iniqua impunitate decepti iustitiam veram, nec ex sua ipsa voluntate noscentes, quod pati nolunt,

D libenter efficiunt. sic ille. *serm. de pudic.* Nimirum iam hic error increbuit, vt vir fere impunè adulteret, vxor adultera suspendatur. Vir tamen ita est iniquus, atque impudens, vt morti addicat adulterium vxoris, suis verò passim lætetur. Facilè quidem etsi contra leges ille iudicia, si accusetur, corrumpit, vt quia vir euadat è supplicio. Cæterum etsi humanæ leges conniueant, Dei vindicta non deerit. Addit enim S. Zeno. Non aduertunt miseri, quòd in tali negotio iudice Deo, quod non licet vxoribus, non licet maritis. hæc ille. Vindex Deus adest, præéstque coniugiis: sæpéque fit, vt (permittente Deo) adulter maritus vxoris adulterio dedecoretur, ac feriatur. Animaduertit hoc ipsum S. Zeno. ita inquiens: Adeò viris contra

E Dei legem, Deíque iustitiam euagandi extra legitimum torum peregrinæ luxuriæ, inspirat infeliciter impudicitia, quasi liberam facultatem. Ac sic eorum quoque fœminas à pudore diuellit; quæ desertæ, ardore, seu dolore compulsæ, si talia gerunt, putant se, aut vindicari, aut imitari. hæc ille *serm. de pudicit.* Iusto quidem Dei iudicio vir adulter adulterio vxoris punitur. Misera enim, cum se viderit à marito deseri, acta in rabiem, non nisi propriis etiam adulteriis sese de marito vlcisci arbitratur. Et quidem illa ex parte tolerabiliùs peccat; quippe infirmior, ignorantior, ac ma-

Detestatur & vlciscitur Deus adulterium.
S. Ambros.
Peccatũ publicum principis graue scandalum.
S. Chrysost.
Cura Dei erga suos.
S. Saluian.
Nobilium domus luxuria infames.
Isaiæ 1.
Vir adulter vxori adulteram ingulat.
S. Zeno.
S. Zeno.
Adulterium obiecto par in vtroque coniuge.
S. Zeno.
Adulter adulterio vxoris punitur.
Grauius ex parte in viro quàm in vxore adulterium.

riti exemplo edocta, & iniutiis lacessita. quo in argumento multa diximus 1 *tom. in cap.1. sect.* 10. *n.*1. Denique tenuit etiam Dominus regem ne contingeret mulierem, vt hoc facto etiam ostéderet non labi in carnis intemperantiam, sed castum se custodire maximè oblata peccandi occasione,

Castum esse in occasione Dei munus est. Procop.

diuinæ, non verò humanæ virtutis esse miraculum; quod vno verbo sic adnotauit Procop. Deus non permisit Abimelecho, vt Saram contingeret: quia fortassis iam sublimiora mente agitabat: posse enim abstinere à tactu muliebri, & vt nihil eius animus ea re commoueatur, verè diuinum munus est. sic ille.

5. Compellit Deus Regem, vt statim inuiolatam vxorem reddat marito, qui vir est religiosus, Deo sacer, qui futura præuidet, docétque mortales veram fidem, ac rectè viuendi normam præscribit, cum quo denique familiariter Deus ipse versatur: hæc enim omnia Prophetæ nomen importat. *Quare statim Rex de nocte consurgens*, &c. Hebr. וישכם בבקר *vaiaschem babboquer*, manicauit diluculo, sic etiam Chald. & L X X. *manè consurgens*, retulit omnia, quæ sibi in visione Dei contigerant, domesticis, ac seruis suis: totáque illa tragœdia in summam commendationem, & famam nominis cessit Abrahamo.

Commendatur apud homines Abraham.

En quò tandem recidunt afflictiones, atque ærumnæ seruorũ Dei? mille quotidie periculis defunctus Abraham vno haud permittitur loco persistere; sed infaustis ac periculosis rerum euentibus perculsus, in alias, atque alias gentium barbararum transmigrat regiones: nimirùm id fiebat diuino consilio, vt clarior vbique virtus Abrahami reddita nouis illis gentibus innotesceret; quod ita expendit S. Chrys.

D. Chrysost.

Laboribus clarescunt iusti.

Non frustra, & absque causa toties transmigrat iustus. Nam si in tabernaculo suo primo mansisset, vnde potuissent Geraritæ scire quantam iustus apud Deum haberet fiduciam? Considera in quanta gloria iustus apud Regem agit, qui paulo antea ab omnibus habebatur contemptibilis, quasi erro & peregrinus. Rex fit præco virtutis iusti, & cum omnibus manifestum facit. Narrauit omnia sibi à Deo manifestata, vt omnes sciant, & Dei erga illum benignitatem, & quantum sit Deo curæ propter eius mores, & virtutem. ita S. Chrys. Viuebat vir iste sanctissimam, ac suauissimam agens cum Deo familiarissimè in tabernaculo suo vitam: sed inde tamen diuinitus educitur, vt laboribus exerceatur; nec enim suos patitur Dominus amicos

Iustos Deus exercet laboribus.

etiam piè, sanctéque deliciari, quin simul asperioribus vitæ humanæ studiis, atque ærumnis ad maiorem profectum spiritus, & fructum meritorum probentur. Quæ duo in virga Aaronis, cum subito effloruit, atque in amygdala exuberauit, expressum videtur; vt eleganter considerat hisce verbis S. Gregor. Nyss. *de vita Moysis.*

Numer. 17.

S. Greg. Nyss.

Hoc fructu quem Aaronis virga edidit, qualis esse debeat, sacerdotis vita monemur. Aspera enim, & continens, durTáque debet exteriùs esse: intus autem, & in occulto suaue quoddam edulium continere: hæc ille.

Mortificatio propria sacerdotibus.

Quæ optimè conueniunt Abrahamo toties sacerdotem gerenti; hæc autem asperioris vitæ ratio præsertim exigitur à sacerdote: nam si quem in ea dignitate videas deliciosè agere; meritò exclames cum eodem Gregorio: Fructum video, sacerdotalem arborem non video; alius est enim sacerdotis fructus ab isto. ille continentiam habet, iste delicias. ita Gregor.

S. Greg. Nyss.

Porrò autem, cum tot, ac tam grauia vitæ, honoris, ac pudoris subeat discrimina; è quibus tamen, ne omninò labatur, diuinitus eripitur Abraham; eò nimirùm, quòd per alias, atque alias gentes peruagatus à suo tabernaculo transmigret; in quo, dum se continuit, non modò tutus æuum agebat, sed hospites etiam Angelos, ac Deum ipsum excipiebat, ac familiariter alloquebatur: Religiosos exemplo suo docet, ac monet, ament vt secretum, fugiant publicum, vagari extra claustrum non temere audeant.

Religiosus amet secretũ.

S. Petr. Dam.

Vagari extra claustrum nocet religiosis.

Enimuerò (vt prudenter scribit S. Petr. Dam. *apolog. de cont. secul. cap.* 12.) mundi iter si sæpè monachus terit, procuratos insidiarum laqueos non euadit. Cum verò ad propriæ habitationis claustra reuertitur, cominus illum, quasi quædam conglobata turba omnium quæ viderat, & audierat, comitatur; vt tumultuantium negotiorum strepitum, quem illic tolerabat in corpore, multò ingruentiùs, multóque importuniùs hic patiatur in mente. hæc Damian. Atque vtinam id quotidie Religiosis non eueniret! a mundo enim regressis, aut difficilius fit orandi, & contemplandi studium; aut strepitu mundanarum vanitatum, quæ sese molestissimè ingerunt, interturbati, sine vllo fructu spiritus, orationis tempus inane transigunt; quæ illis pœna merito irrogatur.

Vanitatibus mundi oratio interturbatur.

S. Petr. Dam.

Iustum quippe est (adiungit idem Damian.) vt quod quisque volens admisit, patiatur inuitus. Nimirùm, vt qui noluit se intra secretum sui ordinis cohibere, cum poterat, nequaquam seculo carere possit, etiam cum reliquit. hactenus ille.

6. *Quid fecisti nobis?*] Queritur Abimelech de Abrahamo, quòd celauerit coniugium suum cum Sara, eámque sororem esse dixerit; ac proinde occasionem dederit committendo scelerum grauissimo, scilicet adulterio; in cuius vltionem in Rege, totóque regno pœnæ forent diuinitus exigendæ. sic illis ætatibus apud illas gentes execrandum, & exitiale habebatur adulterium.

Execrantur adulterium gentes.

O tempora, ô mores, ô prisca fides! ô nostra iniquitas, & impuritas! Regis culpa in exitium regni redundat: Sol ille regni est, diem facit, si virtutum prælucet exemplo; noctem inducit, & multarum calamitatum origo est, si miserabilem & dedecorosam alicuius infamiæ patitur eclepsim.

Rex in exemplum & exitium regno.

Solet etiam regnum Regis sui luere delicta; & quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui. Peccatum grande vocat, tum quia adulterium, tum quia à Rege patratum. Fortè melius peccati grauem vltionem, & pœnam intelligit: sed vtrumque optimè. Expostulat vlterius Rex cum Abrahamo, quæritque ab homine, quænam signa libidinis, atque iniustitiæ in Rege, gentéque illius deprehenderit; quibus commotus iure posset sibi metuere, si Saram vxorem suam esse palàm fateretur, atque adeò consentiret in raptum, stuprúmque vxoris, vti suæ vitæ consuleret? Planè mihi stupori est fides, æquitas, ac pudicitia illius gentis, in qua nullum huiusce flagitij signum curiosius aduena posset deprehendere.

Mira in gentibus modestia, & æquitas.

Timebat sibi Abraham ab iis, quos suspicabatur alienæ vxori temerè insidiaturos, nihil pensi habentes iura matrimonij: at in diiudicandis aliorum conscientiis sæpè ac multum aberramus.

Frequens error circa aliorum conscientiam.

Lex sacrosancta coniugij.

Erat enim coniugij lex apud Regem atque in toto illius regno sacrosancta, vt alienum violare torum, velut grande, atque exitiale toti regno facinus cuncti abhorrerent. *Nolite iudicare*, monet Dominus Matth. 7. Latet enim interdum maximarum virtutum thesaurus, vbi vitiorum colluuiem scatere suspicaris.

Matth. 7.

De nullo peccatore desperandum.

Quin etiam & si quis palàm in scelere deprehendatur, non icciro spernendus, ac deplorandus, vti desperatus æger à medicis. Complures enim erepti à faucibus orci ad summum cœli fastigium ascenderunt: permulti è cœno sublati astrorum fulgorem ac puritatem superarunt. In quam sententiam egregie scribit

Anast.

Anast. Syn.

Anast. Synaita, *serm. de sanct. commu.* hoc pacto. Tu fratrem forte peccantem vides, nescis autem quis sit eius vitæ futurus exitus. Latro ille sicarius erat, & homicida: Iudas autem Apostolus Christi: in exiguo autem tempore parua rerum commutatio facta est; & latro quidem in regnum; Apostolus verò in perniciem factus est. Sed age verò sit frater peccator, reliquas eius rationes vndenam scis? Multi enim, qui palam peccarunt, clanculum postea magnam pœnitentiam egerunt. Et nos quidem eos peccantes vidimus, eorum autem pœnitentiam, & conuersionem non nouimus; & apud nos quidem iudicantur, vt peccatores, sunt autem apud Deum iustificati. hæc ille. Cæterùm quia Geraritæ mentitum dicerent Abraham, cùm vocarit sororem, quæ verè vxor esset; vt hanc mendacij suspicionem à se procul amoueret, rem omnem detegit, videlicet Saram sibi paterno, non autem materno, sanguine coniunctam, filiam sui fratris Aran à Thare patre, non à matre eadem progeniti; quod in primo tomo vberiùs explicatum est. At consanguinei (vt notissimum est) apud Hebræos maximè, fratres vocari solent. Ne igitur (commentatur S. Chrysost.) condemnetis me. Nam etsi metus mortis in hanc me necessitatem coegit, attamen neque sic est mendacium, quod à me dictum est. Vide quàm diligenter agit iustus, vt monstret, quod neque in hoc sit mentitus. ita S. Chrys. Admiror equidem virum tam fidelem, ac veracem, támque mendacij execratorem. Fatetur quidem se timuisse mortem, propter vxoris pulchritudinem: subticuit coniugium, ac proinde occasionem obtulit, vti sua vxor raperetur, & magnum pudoris discrimen subiret: ex his autem non leuis infamiæ labes homini tam meticuloso, ac sui honoris contemptori inureretur. Fert quidem omnia libenter, at mendacium sic detestatur, vt omnem conatum adhibeat, ne mentitus fuisse putetur. Dixerint me Geraritæ hominem timidum, ac nullius animi; qui pro deprecando vitæ periculo, coniugis pudicitiam exposuerim: at non iccirco sum mentitus: nihil enim mihi potius, atque honestius est, quàm vt verax habear, & fidelis. Itaque Rex Abrahamo Saram vxorem planè intactam restituit, adiecitque insuper homini regia munera, pecuniam, & greges, atque seruos vtriusque sexus, facta deinde facultate, vti securè habitaret vbicunque libuerit in tota Regis prouincia: tam munificum se Rex præbuit, vt iniuriam illam (qualis, qualis erat) quodammodo resarciret: debita est enim iure ipso oatutæ pro damno, atque iniuria compensatio; tum etiam quia voluit ita gratum se exhibere tanto Prophetæ, cuius ad Deum precibus suam, suæque familiæ acceptam adscribebat sanitatem. Admirabilis sanè fuit Abrahæ vita, longè tamen admirabilior Dei benignitas: laboriosa illa, & mille vexata periculis: hæc præstò semper accurrens, fouens, amplificans. Quod S. Saluianus in hunc modum edisserit. Abraham à Deo vocatur, sequitur, adducitur, collocatur, fit de paupere locuples, de ignoto potens, infimus peregrinatione, excellentissimus dignitate. Sed ne hæc tameo, quæ ei data à Domino fuerant, muneris tantùm viderentur fuisse, non meriti, qui lætabatur prosperis, probatur aduersis. hæc ille, *lib. de prouid. 1.* Certabant quodammodo inter se Abrahæ merita, & Dei beneficia. Adiungit ergo Salaian. Sequitur quippe labor, periculum, timor: vexatur commigratione, fatigatur exilio, contumelia afficitur, vxore priuatur. Immolari sibi filium Deus iussit, pater obtulit, & quantum ad defunctionem cordis pertinet, im-

Ruina & erectio diuersa hominum.

Occulta peccatorum conuersio.

D. Chrysost.

Viro iusto mendacium execrabile.

Timidum se sed non mendacem haberi vult Abraham.

Damnum & iniuria compensari debet.

S. Saluian.

Probatur & prosperatur à Deo Abraham.

Certant cum meritis Abrahæ beneficia Dei.

A molauit. Rursum exilia, rursum metus, Philistinorum inuidia, Abimelech rapina, multa quidem mala, sed tamen paria solatia. Nam etsi a plurimis afficitur, tamen de omnibus vindicatur. hæc ille. Talis esse solet vita seruorum Dei.

7. *Ecce mille argenteos, &c.*] Hebr. כסף *cheseph*, argentum, pecuniam. L X X. vertunt, *δίδραχμα*, *didrachma*. Grauis controuersia est apud peritos, cuiusnam pretij fuerint istæ monetæ, siclus, stater, argenteus? Optimè rem discutiunt ex nostris Bened. Perer. & Delrio. in summam sic redigo. Tribus illis nominibus vna eademque moneta exprimitur, quæ quatuor drachmas continet: didrachmum verò à L X X. positum accipi video pro tetradrachmo Hebræo, quod credunt maius B duplo fuisse Attico; atque adeò argenteus quatuor regales argenti (vt Lusitani dicimus) continet: siue (vt vocamus *oito vintens.*) Igitur donum quod Rex Abimelech dedit Abrahamo mille argenteorum eiusdem pretij erat, atque quatuor mille regalium, seu quadringentorum aureorum: apud nos 400. *cruzados, ou, cento e sesenta mil rs.* Quod illa ætate, vbi minor erat argenti copia, quàm nostris seculis, non leue munus habendum est. Hanc pecuniam dedit Rex Abrahamo affatus quidem Saram illius vxorem: *Ecce dedi mille argenteos fratri tuo:* ironicè fratrem appellat; quem tu ô mulier fratrem vocas, cum tamen sit tuus vir: lepidè sororem te dicis, quæ vxor mariti es. Sequitur locus obscurissimus; adiungit enim Rex: C *Hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes, qui tecum sunt.* Tota verò ratio difficultatis orta ex pronomine illo Hebræo, *Hu*, quod tam masculino, quàm neutro inseruiens redditur, hoc ipsum, vel hic ipse. Latinus interpres vertit, hoc, in genere neutro, quæ lectio cæteris omnibus præferenda est. Porrò in hac lectione duplex sensus exurgit. Potest enim illud (*hoc*) referri, vel ad argentum donatum Abrahæ à Rege; cui concordat Chald. paraphrasis: *Ecce ipsum* (scilicet argentum) *est tibi velamen oculorum, &c.* & L X X. similiter: *Hæc* (mille drachmæ) *erunt tibi in pretium faciei tuæ.* Vel ad artificium dissimulandi coniugium, quo Abraham & Sara vsi fuerant. Primus igitur sensus est: Dedi fratri tuo mille argenteos, vt hæc pecunia, D hoc donum tibi sit in velamen oculorum; hoc est, vt emas ex hac pecunia tibi atque ancillis tuis velamen vultus ad operiendam pulchritudinem, ne sit ea quasi quædam illecebra, & irritamentum libidinis. Sic Hamerus interpretatur: facile quidem, & commodè. Sapienter Abimelech velandam monet oris fœminei pulchritudinem, quam perbellè vocat Clem. Alex. *2. pædagog. 10.* hominum aucupium. Scilicet specie pulchra mulieris abutitur diabolus, ad occupandas virorum animas, eásque in orcum pertrahendas. Sed ô fragile, caducum, & inane bonum! Rectè idem Clem. *3. pædagog. 5.* Flaccescit (inquit) pulchritudo citius, quàm folia: humi decidit, quando amatoriæ eius petulantiæ procellæ expirauerint, & priusquam E venerit autumnus, marcescit, & interit. hæc ille. Igitur pulchritudo floret quidem ante non dicam senectutem, sed ante maturam ætatem. quandiu scilicet vernat iuuentus; quo tempore desæuiunt amores. & amantium inuerecunda negotia in morem tempestatum hinc inde ingruentia, quibus quotidiana fiunt animarum naufragia. Et quidem mulier (vt refert S. Maxim. *serm. 59.* ex Græco Philosopho) est viri naufragium, domus tempestas. quietis impedimentum, vitæ captiuitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, sumptuosum bellum, bellua conuiua, solici-

Moneta apud Hebræos explicantur.

Occultanda fœminæ pulchritudo vult(?) tui.

Hamerus.

Clem. Alex.

Perennis viri pulchritudine fœminarum.

Clem. Alex.

Breue bonum & caducum pulchritudo.

S. Maxim.

Viro noxia mulier.

tudo con[illegible]lens, leena complectens, exornata scylla, animal malitiosum, malum necessarium. hæc ille. Quid si & mulier & pulchra sit, duplicatur exitium.

Pulchra & pudica miraculum. S. Hildebert.

Miraculum plane haud vulgare est, cum pulchritudine coniungi pudicitiam. Quod S. Hildebert. in illustri fœmina demiratus ita scripsit *Epistol.* 15. Gratia Dei prædicandos tibi titulos cumulauit, quibus sexui esses ad gloriam; defers fœminæ, dum colis in pulchritudine castitatem. sic ille.

Pulchra & impudica infernus [illegible].

Colligit subinde: Formosa pudica sibi prouidet, &c. adiunge, & aliis. impudica enim, & pulchra seipsam, multosque incendit, ac detrudit in gehennam. O quam sancta illa pulchritudo, quam Dominus in sponsa sua concupiscens, aiebat: *Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora* Cantic. 2. Et quidem

Cantic. 2.
Vox & species in fœmina [illegible].

B hæc duo maxime solent esse in fœminis ad capiendos virorum animos incitamenta: vox suauis, & oris species formosa. Cæterum vbi pudicitia pietas, ac spiritualis quidam nitor in tali muliere conspicitur, & Deo iucundum præbet spectaculum, & hominibus ad virtutem est exemplo, & incitamento. Sed quomodo *vox dulcis sponsæ?*

Theodor.

Respondet Theodoret. Dulcis profectò, cum ea pronunciet, quæ ad spiritum pertinent. *Et facies decora*; quippe quæ Domini formam seruat, & manibus spiritus est exornata. sic Theodoret.

Virgo sacra spiritu picta.

Egregia sanè pictura Deo sacræ virginis, cuius lingua non lusibus, iocis, scurrilitatibus, ineptiis & immunditiis polluta; sed serio, grauiter, honestéque, & raro, ac tantùm spiritualiter pensitata C verba eloquitur; cuius facies non ascititio colore infecta, non petulanti lasciuia gestiens; sed veluti spiritus, ac virtutis penicillo distincta, suum Sponsum Dominum Iesum quodammodo expressum refert.

Graue periculum [illegible] pulchr[illegible]. S. Hil[illegible].

Quòd si adeò periculosa est fœminæ pulchritudo, vti diximus, quid si pulchritudini accedat elaboratus compti oris ornatus? Bene à S. Hildebert. scribitur *Epist.* 57. Procax lenocinium est, sub hoc virtuti difficile prouidetur.

Carnem & formam vincere, summa fortitudo.

Caro, mulier, cumulata infirmitatis, & facilis ad ruinam. de omni hoste simul triumphat, cui datur de carne, & forma triumphare. sic Hildebert. Fortis planè mulier, procul, & de vltimis finibus pretium eius, quæ pulchra & mulier, nec infirmitate muliebri, nec pulchritudine sua vincitur: sed vtramque D spiritui, ac pudicitiæ addicit. At viro tutius, ac felicius erit, si & mulierem, & pulchram effugiat,

Fugiendum à muliere & pulcra.

quam si audacter huiusmodi periculum adeat, vt de hoste acerrimo victoriam reportet, ac triumphet. prope ruinam est isthæc audacia.

Ornatu inuitatur diabolus. S. Zeno.

Quid ô mulier ornatui, & fuco periculosam das operam, vt diabolum inuites, vltroque etiam nolentem irrites? Bene S. Zeno Veronens. in hanc sententiam. Cum semper (inquit) insidietur se non quærentibus diabolus; æstimate, quid faciat inuitatus, cui omnes nocendi aditus reserati præstant sine pugna, sine vllo labore victoriam!

Ornata [illegible] fit ancilla diaboli.

Non enim conabitur in ditionem redigere suam, quæ esse eius ambiuit ancilla. sic ille *serm. de contin.* Isto enim ornatu mulier fatetur se ancillam diaboli. Hoc E ille suas habitu exornat seruas. Hoc ille suum victis a se arcibus vexillum infert. At mulieri proprium ac genuinum est, vt pulchra si non esse, saltem videri cupiat. Bene, sed verè dicitur à S. Zenone: Castitas vera est & æterna formositas. sic ille *serm. de pudicit.* quippe, non à fuco, sed ab animo est, nec perit illa, sed semper reuirescit.

S. Zeno.
Castitas [illegible] vera & æterna pulchritudo.

Lyran.
Sara intacta & donata à rege.

8. Hebræi verò, vt Lyranus refert, sic exponunt: Quod donaui Abrahæ, id erit tibi in velamentum oculorum omnibus, qui tecum sunt, vt non possint dicere, quòd ego fœdaui te, & postea

A dimisi vacuam, sicut fieri solet contemptis, & leuibus mulierculis; sed hæc mea munificentia erga virum tuum ostendet me compulsum fuisse à Deo reddere te viro tuo, cum te mundam, & intactam reddidi. Hoc igitur donum meum argumenti loco futurum est aduersus omnes, qui de te malè loqui voluerint, eo quòd fueris in domo mea. sic ex Hebræis. Sed fortasse potiùs ex hoc regio dono maledici occasionem caperent contra Saræ pudicitiam obloquendi, quasi huius prostitutæ illud pretium fuerit.

Procopius.

Apud Procop. inuenies aliam interpretationem, quæ multò accommodatior est: Non sint illi argentei merces concubitus, quo non sum potitus: sed quia solum vidi faciem tuam, isto munere te honorandam censui. Sic re-B fert Procop. ex aliis qui legunt: *In honorem vultus tui.* Ac si dixerit Abimelech: Quandoquidem intuitus sum in faciem tuam, contra quod debui, pœnam mihi pecuniæ adiudicaui. Iniuriam tibi ego intuli, dum faciem tuam temere inspexi, atque adeò illam meis oculis inhonoraui: ergo iniuriam hanc ori tuo à me illatam resarcire volo pecunia.

Læditur facies fœminæ cum lasciuè videtur. D. Ambros.

Inhonoratus est vultus, cum sic patuit alienis oculis, læserunt illum mei oculi, eme igitur ex mea pecunia velamen, & ornatum, quo facies tua veletur pariter, & ornetur. Quod S. Ambros. *lib.* 1. *de Abraham cap.* 7. ita complectitur. Rex Abraham vxorem reddidit; pretio se ipse mulctauit, quòd vidisset alienam, dotem pudoris exoluit. sic Ambros.

Verè ornatur mulier, quæ absconditur.

Vide obsecro mulieris faciem C tunc optimè ornari, & honorati, cum maximè velatur, & virorum aspectibus occultatur. Nolunt mulieres, vt plurimum, ita ornari, sed miseræ insaniunt. Alter sensus ex vulgata lectione redditur, si referatur pronomen *(hoc)* non ad argenteos; sed ad illud artificium dissimulandi coniugium per obtentum sororiæ ac fraternæ appellationis, nimirum: ficta dissimulatio coniugij, appellando fratrem, qui tuus est maritus, (quod quidem est quasi quoddam veritatis velamen) vsurpanda tibi est apud eos, qui tecum sunt, id est, apud domesticos, & notos, qui cum sciant eum esse maritum tuum, non decipientur ista dissimulatoria locutione tua, nec per ignorantiam in te, nec in virum tuum peccabunt.

Simulat, & mentitur mulier.

Consentaneus est iste ex-D plicatus verbis paulò antè adductis: *dedi fratri tuo.* Videtur enim (inquit Procop.) cum quadam iracundia dictum esse: non marito tuo, sed fratri tuo. Posthac vide ne mentiaris; rem ita, vt est, dicito, ne autor alicui mali sis. Vel irascitur mulieri, quòd simularet se esse sororem Abrahami, nec liberè confiteretur se esse illius vxorem. Vel hùc omnia tendunt, vt deinceps omnia verè proloquatur. hæc Pocop.

Procop.

Et quidem Rex monet optimè; nolit mulier tali simulatione ampliùs vti, quæ licet non decipiat domesticos coniugij conscios, apud extraneos autem, qui illud nesciunt, periculosa erit, quippe occasionem aliis dabit in adulterium obtecto connubio ruendi. Percommoda est illa etiam expositio quam à Rabano, & aliis quidem E obscuriùs inuentam noster Delrio reddidit illustriorem.

Raban. Delrio.

Videlicet: *Hoc donum mea pecunia nuptiale tibi velamen erit:* Mos enim erat priscorum nuptas velari, vnde nuptiæ à nubendo, quod Latinis est obuelare. Quocirca Rex, vt omnem adulterij suspicionem amoueret, fungitur officio paranymphi. En (inquit) ô mulier te viro vxorem trado, tam puram, atque illibatam à me, ac si primò nunc noua nupta in manum tui mariti data esses: insuper addo in dotem mille argenteos: noli noua nupta erubescere: flammeum habes, quò veleris; ideò pecuniam dedi, vt si ne-

Inuiolata quasi primò nubens Sara redditur viro.

cesse

cesse sit, illud emas. Simul etiam ruborem, quo suffunderis ob huiusmodi periculum pudicitiæ, atque ob mendacium in quo deprehensa fuisti obnubet. Ad hæc omnem tam familiarium, quam exterorum sinistram de tua pudicitia a me violata suspicionem diluet. Nemo enim, qui te viderit aut audierit, tam honorificè, ac solemniter à me traditam viro tuo, non castè, & pudicè te habitam facilè sibi persuadebit. hæc omnia constant optimè iuxta volgatam lectionem.

9. Cæterùm, quia Hebr. הוא *hu*, masculini etiam generis est, ac proinde legitur à multis, & quidem viris doctissimis, *Hu*, ad Abraham, referri potest hoc pacto. *Ecce dedi mille argenteos fratri tuo qui scilicet erit tibi in velamen oculorũ, &c.* Quod ita declaratur à Caiet. & aliis. Ipse maritus tuus, vt maritus manifestus, & notus, erit velamen oculorum omnibus ad concupiscẽdum te in vxorem: hoc est, nemo, siue eorum qui tecum sunt, siue aliorum, qui norint illum esse maritum tuum, etiamsi videat te pulcherrimam esse mulierem, audebit concupiscere, & sumere in vxorem sibi. Sunt autem hæc verba monitoria, vt Sara in posterum dicat, apertè Abraham esse maritum suum, quia hoc titulo velabit oculos omnium ne ipsam concupiscant. Felicior, vtpote castior, & iustior illa, quàm nostra ætas; in qua vxorem alienam, nemo audebat attingere, imò ne aspicere quidem etsi pulchram, hoc ipso tantùm quòd haberet maritum, quo illa velata incedebat alienis oculis: & circumsepta veluti muro aduersos omnem audaciam, & concupiscentiam aliorum. Aliter alij explicant: *Ipse Abraham, quem tu fratrem appellas, sub isto nomine fratris erit tibi velamen oculorum*; id est, operimentum verecundiæ apud omnes, tam domesticos, quàm externos, qui tibi exprobrare voluerint adulterium mecum commissum prætexendo appellationem sororis, & fratris. Iustè enim poteris te purgare dicens, te id fecisse persuasam à viro tuo, qui suæ consulens vitæ auctor tibi fuit, vt dissimulans te vxorem eius esse, tantùm præ te ferres te esse sororem. Planè sic res habet plerumque: maritus ipse causa est vxori, vt vel maritalem polluat torum, vel saltem graue subeat periculum incontinentiæ: cum illam temere aspectibus ac lusibus exterorum exponit; ducit ad spectacula, ad comœdias, ad nundinas, ad lusus, & cantica nuptiarum, aut domum ipse suam introducit nebulones, ac lasciuos amiculos: aut hanc denique à quibuscuoque viris frequenter sinit adiri. Et incontinentiæ, & mortis adiuit periculum Susanna propter freqoentiam ad maritum, domúmque suam aduentantium, nisi sanctã, Deique præsidio adiuta fuisset. At quæ mulier? Susanna (inquit S. Zeno) columen matronatus, inaffectatæ formæ pulchrius ornamentum, insigne pudicitiæ testimonium, muro castitatis circumsepta. sic ille *serm. de pudicitia.* Sed cur nõ timeat, quæ Susanna vultu, non animo est? Præterea in hac eadem lectione hic erit explicatus, qui refertur à Glossa: *Velamen*, id est, maritus tuus respondere poterit omnibus, quòd intacta remanseris, vt non fuerit necesse te erubescere. Itaque Abrahã cuius maximè intererat pudor vxoris, certus de Dei miraculo, quo impeditus Rex Saram non attigerat, atque inuiolatam reddiderat, vxoris suæ pudicitiam contestabitur, vt proinde mulier viri sui incorrupto testimonio decorata oculos, faciémque suam contra omnem infamiæ suspicionem obtegat, nihil habens, quo apud gentes pudefiat. Nullum est mulieri pulchrius velamen oculorum, nullum honestius, atque speciosius oris ornamentum, quàm

Caietan.

No intuendum quidem in coniugatam.

Mulier marito vt muro velata & munita.

Maritus vxori occasio est adulterij.

Susanna castitas memorabilis.

S. Zeno.

Glossa.

Maritus velamen vxoris.

Vir vxoris ornamẽtum.

A maritus ipse: huius præsentia, & amore compta reliquum mundum muliebrem velut inanem despiciat. Illa etiam expositio Burg. egregia est: Abraham (inquit) iste frater tuus erit tibi in velamentum non quibuscumque, sed omnibus, qui tecum sunt: quia cum ipse sit Propheta, & talis & reputetur apud suos, qui tecum sunt, illi non possunt dicere, quòd ego fœdaui te, videntes, quòd ipse Propheta te acceperit tanquam mundam. Sed quocũque perrexeris inter extraneos eris reprehensa; eo quòd non omnes habebant Abraham tanquam Prophetam. Ex quo hortari intendebat Saram, ne vltrà hoc modo loquendi vteretur. hæc ille. Profectò cum iustus esset, ac Propheta, vir Deo sacer, & cum Deo solitus familiariter conuersari, adul-
B teram recipere, & cum adultera cohabitare abhorreret. Quocirca grande testimonium erat illibatæ pudicitiæ Saræ, eandem rursus à viro suo Propheta, & sancto, esse receptam. Nec denique pateretur omnipotens, cui tam fideliter ille inseruiebat, vt illius vxorem quiuis attingeret, nedum violaret. Quare (inquit) non aliud tibi melius, & pulchrius velamen, contra omnem de te sinistram opinionem, quàm tibi vir tuus erit, cuius sanctitati tua pudicitia conseruata debet adscribi. Et qui te libenter à me traditam recipit vir iustus, se dignam, & sanctam vxorem reputat. Hoc etiam nonnulli in sancto Ioseph sponso castissimo, ac sanctissimo Virginis Deiparæ interpretantur ad illa verba Matth. 1. *Antequam conuenirent, inuenta*
C *est in vtero habens de Spiritu sancto: Ioseph autem vir eius, cum esset iustus, & nollet eam traducere, &c.* quæ verba sic explicat S. Euseb. Emiss. *in vigil. Natiuit.* *Antequam conuenirent*, id est, antequam simul in vna domo habitarent: nondum enim simul habitabant; ille in sua, & illa in sua domo manebat. à quo inuenta est? videbatur grauida ab iis, qui ei familiares erant, nemo tamen eam suspectam habebat, quoniam desponsatam esse sciebant: nolebat eam tradocere in domum suam, quam videbat graoidam de non suo. sic Emiss. Quæ quidem explicatio mihi videtur perfacilis in loco perdifficili. Etsi beatissima Virgo appareret grauida, nullus (quia desponsatam omnes nouerant) sinistrum quicquam poterat suspicari; eratque proinde Io-
D seph velamen oculorum: maximè verò admirabilis tantæ Virginis maiestas, ne sinistram quidem cogitationem vllius menti sinebat inhærere.

10. Sed quid illa volunt? *Et quocunque perrexeris, memento te deprehensam.* Hebr. ואת כל *veet col*, & ad omnia, & ad omnes & cum omnibus. Sic ad personas referunt aliqui, coniungũntque cum præcedentibus; nimirùm: *Eris tibi velamen oculorum ad eos, qui tecum sunt, & ad omnes alios externos.* In quo sensu multa iam ex doctoribus retulimus. Noster interpres maluit ad locum referre, videlicet: *vbicunque egeris.* Verùm non redditur dispar vtrobique sensus; cum locus, & gens ipsa loci pariter innuatur; hoc modo: ad quascuoque gentes extraneas, & ignotas accesseris, quamcunque in
E regionem subintraris, noli tua ista dissimulatione vti, cum iam deprehensa sis, id est, retecta sit dissimulatio, & planè omnibus constiterit, te veram esse illius vxorem, quem fratrem appellas; nimirùm Deo id reuelante, & Reges, à quibus ablata fueras viro tuo, mirabiliter castigante. LXX. & Chald. legunt, *super omnia, quæ dixisti*; referunt scilicet ad verba simulatoria. Porrò noster interpres vnum verbum Hebr. ונכחת *venocachath*, clariùs, & copiosiùs explicuit: *Memento te deprehensam*: Etenimverò נכחת *nocachath*, est in coniugatione *niphal*, à radice יכח *iacach*, corripere, ca-

Burg.

Virtus vxoris virtuti mariti debetur.

Matth. 1.

Euseb. Emiss.

Contra Virginis vterum nullus quicquam suspicabatur.

Cauendum post pericula.

stigare. Nonnulli ex Hebræis vertunt: *Et in omnibus erudiuit se*; videlicet (vt aiunt) sunt verba scriptoris: quasi dicat, & in omnibus, quæ euenerunt illi cum Pharaone, & Abimelech, erudita est Sara, ne vlteriùs diceret: *Frater meus.* sic apud Pagnin. Alii: *Sed eris redarguta propter talem modum loquendi.* Quod non discrepat à nostra versione: fat enim reprehensa, & redarguta est quæ iam bis deprehensa in sua illa simulatione sororiæ appellationis, & verbis Regum, vti sale aspersa. L X X. paraphrasim apponunt ostendentes, in quo se debeat mulier sic reprehensa emendare: *Et in cunctis esto veridica*, hoc est, abstine in posterum à simulatione, fatere quod est, scilicet, vxorem te esse Abrahami. Denique non desunt, qui legant: *Et ad omnem arguentem*; nam illud ו *van* redundat in ונכחת *nocachath.* eliciúntque hunc sensum: vt pe-

Cautior post pericula.

B cunia non sit tantùm in velamen ad eos, qui tecum sunt, sed & ad omnem qui te præsumpserit arguere, & tuum honorem commaculare. Nemo (inquam) te reprehendere poterit, quam Rex tanto munere dignam æstimauit, tantóque fauore, ac beneficiis affecit. Liberauit quidem Dominus è periculo Saram: monetur ergo, vt cautior deinceps incedat, & veriùs loquatur: ipsáque pecunia, donarisque regis, & velamento oculorum, velut quibusdam exacti sui discriminis testimoniis perpetuò edocta, & increpata in posterũ suæ pu-

Praui habitus post pœnitentiam.

dicitiæ prudentiùs consulat. Hoc enim pacto, etiã post exactam ritè pœnitentiam priorum scelerum adhuc in anima praui habitus non omnino aboliti, & quædam quasi cicatrices vulnerum obductorum remanent ad maiorem in humilitate, &

A mortificatione profectum. Dum enim (inquit S. Petr. Dam. *lib. de omnipot cap.* 2.) in se ruinæ suæ signa superesse considerat, acrioribus afflictionis suæ remediis indesinenter insistet. sic ille. Mulier euasit Dei beneficio, caueat ne iterum sui pudoris periculum subeat. Sapienter scribit S. Hildeb. ad fœminam illustrem ac religiosam, *Epistol.* 71. Necesse est, ita dimices, vt hostes mulierem aggressi, virum inueniant. Falleris si nauigans in hoc magno mari, & spatioso, portum te credis attigisse. Magnus thesaurus, magna eget custodia. hæc Hildebert. Non dormitandum cum in bello inter arma sis. Instar hostis, instanti obnitendum est, donec tandem vincatur, victus quiescat. Nisi enim quis (scribit S. Zeno Veron.) hostem, à quo impugnatur, expugnet, nunquam bonis suis poterit vti securus. sic ille *serm.* 1. *de Genes.* Donauit Rex Sa-

S. Petr. Dam.

Vigilandum post victoriam.

S. Hildebert.

S. Zeno.

B ræ munera, summo cum honore illa marito reddidit, sed tamen regiis donis seriam, ac seueram correctionem adiecit imitatus supremum Regem, ac Deum, qui suos seruos, quos diligit paterna seueritate castigat, tacito reliquos. de sancta Melania, quæ vno eodémque anno, & maritum, & duos filios morte sublatos vidit, ita scribit S. Paulin. *Epist.* 10. Breui mater, sed felicitate mortalium non longum potita est, ne diu terrena diligeret. Misera facta est, vt efficeretur beata. Dominus illam pietate paterna corripiens, in misericordia verberauit tentationibus, vt patientia coronaret. sic Paulin. Facilè quidem prosperis euanescimus, atque iccirco necesse est aduersis, quæ statim ingruunt, aut correctionibus quæ iniunguntur, humiliemur.

Deus suos corripit.

S. Paulinus.

Non est diuturna prosperitas.

Aduersis erudimur

CAPVT VICESIMVMPRIMVM.

1. Visitauit autem Dominus Saram sicut promiserat: & impleuit quæ locutus est.

2. Concepítque & peperit filiũ in senectute sua, tẽpore quo prædixerat ei Deus.

3 Vocauítque Abraham nomen filij sui, quem genuit ei Sara, Isaac:

4. & circuncidit eum octauo die sicut præceperat ei Deus,

5. cùm centum esset annorum; hac quippe ætate patris, natus est Isaac.

6. Dixítque Sara: Risum fecit mihi Deus: quicũque audierit, corridebit mihi.

7. Rursúmque ait: Quis auditurum crederet Abraham, quòd Sara lactaret filium, quem peperit ei iam seni?

8. Creuit igitur puer, & ablactatus est: fecítque Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius.

9. Cumque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham:

10. Eiice ancillam hanc, & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac.

11. Durè accepit hoc Abraham pro filio suo.

12. Cui dixit Deus: Non tibi videatur

C asperum super puero, & super ancilla tua: omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius: quia in Isaac vocabitur tibi semen.

13. Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est.

14. Surrexit itaque Abraham manè, & tollens panem & vtrem aquæ, imposuit scapulæ eius, tradidítque puerum, & dimisit eam. Quæ cùm abiisset, errabat in solitudine Bersabee.

15. Cumque consumpta esset aqua in vtre, abiecit puerum subter vnam arborum, quæ ibi erant.

16. Et abiit, seditque è regione procul quantum potest arcus iacere. dixit enim:

D Non videbo morientem puerum: & sedẽs contrà, leuauit vocem suam, & fleuit.

17. Exaudiuit autem Deus vocem pueri: vocauítque Angelus Dei Agar de cœlo, dicens: Quid agis Agar? noli timere: exaudiuit enim Deus vocem pueri de loco in quo est.

18. Surge, tolle puerum, & tene manum illius: quia in gentem magnam faciã eum.

19. Aperuítque oculos eius Deus: quæ videns puteum aquæ, abiit, & impleuit vtrem, dedítque puero bibere.

20. Et fuit cum eo: qui creuit, & moratus

ratus est in solitudine, factúsque est iuuenis sagittarius.

21. Habitauítque in deserto Pharan, & accepit illi mater sua vxorem de terra Ægypti.

22. Eodem tempore dixit Abimelech, & Phicol princeps exercitus eius, ad Abraham: Deus tecum est in vniuersis quæ agis.

23. Iura ergo per Deum, ne noceas mihi, & posteris meis, stirpíque meæ: sed iuxta misericordiã, quam feci tibi, facies mihi & terræ, in qua versatus es aduena.

24. Dixitque Abraham: Ego iurabo.

25. Et increpauit Abimelech propter puteum aquæ, quem vi abstulerant serui eius.

26. Respõdítque Abimelech: Nesciui quis fecerit hanc rem: sed & tu nõ indicasti mihi, & ego non audiui præter hodie.

27. Tulit itaque Abraham oues & boues, & dedit Abimelech: percusserúntque ambo fœdus.

28. Et statuit Abraham septem agnas gregis seorsum.

29. Cui dixit Abimelech: Quid sibi volunt septem agnæ istæ, quas stare fecisti seorsum?

30. At ille: Septem, inquit, agnas accipies de manu mea: vt sint mihi in testimonium, quoniam ego fodi puteum istum.

31. Idcirco vocatus est locus ille Bersabee: quia ibi vterque iurauit.

32. Et inierunt fœdus pro puteo iuramenti.

33. Surrexit autem Abimelech, & Phicol princeps exercitus eius, reuersíque sunt in terram Palæstinorum. Abraham verò plantauit nemus in Bersabee, & inuocauit ibi nomen Domini Dei æterni.

34. Et fuit colonus terræ Palæstinorum diebus multis.

SECTIO PRIMA.

Visitauit autem Dominus Saram sicut promiserat: & impleuit quæ locutus est. Concepitque & peperit filium in senectute sua,&c. vsque ad *ablactionis eius.*

1. EBR. פקד *paquad*, sunt inter peritos, qui vertant, *Recordatus est.* Hanc enim putant germanam significationem verbi *paquad*, recordari; & deinde numerare. Numerauit enim Deus tempus promissum Saræ ad concipiendum, & pariendum, & intra illud, vti condixerat, fecit quod pollicitus est: quod noster interpres optimè exprimit per verbum *visitauit.* Porro hæc visitatio Dei, est (vt loquitur Rupert.) larga gratiæ eius donatio: nempe adimpletione promissionis per Angelum factæ, &c. Caietan. Vtrumque opus (inquit) intelligitur visitationis internæ, donando ei vim generatiuam; & facti externi, donando ei filium. Vult etiam, vt per verbum *visitauit* significetur profectum à Deo istud specialissimum beneficium, non qualitercunque, sed tanquam à visitante, curámque habente rerum singularium. sic ille. Rectè habent hæc omnia; sed æquum est, vt propriè dicta etiam capiatur visitatio externa Dei per Angelum paulò ante partum, vel mox à partu facta, videlicet, vti se gerens Deus humano more inuiseret Saram, gratulaturus natum primogenitum sicut inter amicos fieri solet. Hæc ita explicata visitatio Dei obseruatur à S. Chrysost. ad hunc modum. Quid est, *sicut locutus est?* Quemadmodum (inquit) promisit, quando hospitio exceptus est cum Angelis apud quercum Mambre. Nam quod dixit: *Quia in tempore hoc veniam, & erit Saræ filius*: hoc nunc opere impletum est. sic Chrysost. Eò diriguntur hæc omnia, vt demonstretur Dei veracitas: compleuit enim ad integrum quod promiserat. Ah quam iniquum est, atque impium, vt cum Deus nobis promissa compleat beneficia, nos tamen, quæ illi promisimus, atque omnino debemus obsequia, infidi, impiique turpiter denegemus! Bene Apostol. *ad Rom. 3. Est autem Deus verax. Omnis autem homo mendax, &c.* Et quidem ad extrema verba latè disserit D. August. de vanitate ista, & infamia hominis in Psalm. 115. quem vide. Quod si videas hominem aliquem veracem, non naturæ, sed gratiæ donum existima. Quantum enim (inquit ibi S. August.) ad ipsum hominem pertinet, mendax est, sed gratia Dei verax est effectus. Si omnis homo mendax, in tantum non erunt mendaces, in quantum non erunt homines, quoniam dij erunt, & filij Altissimi (scilicet qui verum loquuntur.) quare homo non sum, ne mendax sim. hæc August. Simile quid interpretatur S. Hieron. ad eundem Psalm. Quandiu (inquiens) homines sumus, mentimur: quando autem fuerimus dij, desinimus mentiri. sic ille. Vide, ac luge miseram hominis conditionem: ita pronus in mendacium est, vt si homo est, mendax sit; verax, si desinat esse homo, & assurgat in Deum. Sed quid hoc mirum videtur, cum homo (vt Hebr. habet) sit mendacium? Non est enim (declarat idem Hieron.) veritas in substantiã nostra, sed vmbra est, & quasi mendacium in substantia, corporali dico, non in anima. Cogitans ergo humanam vitam, & considerans diuersos errores; non inuenio veritatem in hoc mundo. sic Hieron. Ab hac igitur regula nemo excipitur, si naturam humanam spectes: de qua impudenter, ac falsò Pharisæus exceptum se putabat cum diceret: *Non sum, sicut ceteri hominum.* Luc. 18 quẽ cum Dauide conferens ita scribit S. Bernard. *tract. de grad. humil. Omnis homo mendax.* Psal. 115. Neminem excipit, ne quemde cipiat, sciens quia omnes peccauerunt, & omnes egent gloria Dei. Pharisæus se solum decipit quem solum excipit, dum cæteros damnat. Propheta se non excipit à communi miseria, ne excipiatur à misericordia. Pharisæus gratis agit, non quia bonus, sed quia solus; non tam de bonis, quæ habet, quàm de malis, quæ in aliis videt. Exsufflat misericordiam, dum dissimulat miseriam. hæc Bernard. En extremum mendacium in superbia, quę dum duam non agnoscit,

Marginal notes: Rupertus. *Visitatio Dei quidnam sit?* Caietan. *Visitat Deus Sarã gratulans partum.* D. Chrysost. *Deus promisit & cõplet.* ad Rom. 3. D. August. Psal. 115. *Homo suopte ingenio mendax.* S. Hieron. *Qui verax est. Deus habetur.* *Homo vmbra. mendacium.* *Nulla in mũdo veritas.* Luc. 18. S. Bernard. Psalm. 115. *Nemo immunis à miserÿs.*

Dei misericordia in miserum sui obscurum.

agnoscit, nec fatetur miseriam, longè à se Dei misericordiam repellit. Pharisæus miser, superbit tamen, atque iccirco fit miserior, diuina scilicet misericordia indignus, quam Publicanus abunde recepit, dum propriam indignitatem confitetur, ac deplorat.

2. *Peperit filium in senectute sua.*] Hebr. בן לזקניו *ben lizqunau.* filium in senectute eius; nimirum Abrahami. est enim cum affixo masculino: ac præterea in Scriptura sacra vxores dicuntur parere maritis. Mirabilis sanè fœtus ex centenario patre, & ex matre nonagenaria: atque (vt loquitur S. August. *serm. 75.*) in vtroque senes creandæ prolis desperatio retinebat, ætas in sene patre; sterilitas in anicula matre. Sed ecce subito frigens vulua materna non instinctu libidinis, sed fomite virtutis incaluit, rediuiuo successit flore iuuentutis. sic August. Nascitur quidem filius Abrahæ; huius enim fide, pietate, ac meritis à Deo donatus est, & vt per ipsum complerentur Dei promissiones factæ viro sanctissimo, in senectute sua, vt demonstretur non tam fœtum hunc esse naturæ, quippe quæ iam effœta esset præ senio, quã fidei, speique Abrahæ, ac Saræ quoque. Cum enim naturæ vires, ac ratio humana magis deficiunt, tunc vera in Deum fides, spesque pulchriùs eminent. Quod S. Zeno Veronens. in hisce coniugibus ita subnotauit. Quia in vtroque ætas ademerat spem sobolis, pignus succidaneum meruerunt. Sic meruit fides, quod ademerat tempus: extorsit credulitas, quod natura denegauerat. sic ille *serm. 1. de Abraham.* Deinde Abrahamo nascitur filius, qui patris mores, ac sanctitatem esset imitaturus, quod Philo *lib. de Abraham* ita considerat: Nascitur illi sapienti ex vxore filius legitimus, dilectus, vnicus, elegantissimo corpore, animo optimo. Iam enim maturioris ætatis dabat specimen, vt à parente, non tam ob naturalem affectum, quàm ob probatos mores vehementer diligeretur. sic ille. Nihil quidem bono parenti gratius, & dulcius, in filio videri solet, quàm huius spectata virtus, pij, sanctique mores. Dicam, quod noui hodie. Vir quidam nobilis hac eadem hebdomada, cum ingenti procerum comitatu filium adolescentulum egregiæ formæ, atque indolis, deduxit ad cœnobium. Ibi filius cum admirabili alacritate pariter & pietate mundum valere iubens, religioni sese mancipauit. Ergo pater cum lacrymis: Alius iam nunc (inquit) ero: nouam instituam vitam, vtique talis filij pater. Potest etiam, spectata vi præpositionis Hebrææ (*Li*) optimè verti: *senectuti eius*; quasi filius iste nascatur ad solatium, ac felicitatem extremæ senectutis Abrahæ. Quid enim dulcius, ac beatius parenti in senectute accidere poterit, quàm si filium moribus optimum, ingenióque præstantissimum sibi, ac secum habeat? Verè hic est baculus senectutis: pro quo si pater oret, vtique Deum exorabit: quem si tenerè, & ardenter amet, Deo approbante amabit. Nam vt scribit S. Gregor. Nazian. *orat. 10.* Deus iustas preces, & parentum erga probos filios amorem in pretio habet. Ita Nazianz. Maximè hoc fit, cum pater, ac filius in virtute, ac pietate sunt persimiles. Exultat gaudio senex Abraham, quòd sapiens, ac iustus, sapientem, ac iustum filium genuerit: at nòs non pudet Deum quotidie patrem nostrum inclamare, cum illi simus mirum in modum dissimiles, atque iccirco in contumeliam, & (vt ita loquar) in mœrorem tam dulcis, ac boni parentis viuamus! Pulchrè S. August. *serm. 5. de verbis Domini* ad illa: *Cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester?* Matth. 7. ita effa-

Isaac miraculo genitus. S. August.

In senibus fides spesque eminent. D. Zeno.

Philo. *Isaac pulcher corpore, pulchrior animo.*

Parentibus virtus filij gratissima.

Pater ob filiū religiosū mutat vitam.

Sanctus filius patri senis baculus est.

Preces, & amorem patris erga bonum filium Deus approbat. S. Greg. Naz.

S. August. Matth. 7.

A tur. Miranda res, fratres: mali sumus, & bonum patrem habemus. Quid euidentius? audiuimus nomen nostrum: *Cum sitis* (inquit) *mali, bona data nostis dare filiis vestris.* Et quos dixit malos, videte qualèm patrem illis ostendit: Quantò magis Pater vester? quorum Pater? certè malorum. Et qualis Pater? Nemo bonus, nisi solus Deus. Ergo fratres ideo mali bonum patrem habemus, ne semper mali remaneamus. hæc August. Heu nos miseros, quam infame nomen habemus! mali dicimur, & sumus; sed ô quam illustrem Patrem habemus, Deum scilicet! quàm degeneres, quàm dedecorosi filij, quámque ingrati, ac proditores, tam præclaro, támque beneuolo parenti! Heu me miserum, qui me talem gero filium erga talem

B Patrem! Dicam ingratus, & barbarus illud S. Bernardi. Quanam fronte attollo iam oculos ad vultũ Patris tam boni, tam malus filius? *serm. 16. in Cant.* Quin dicam veriùs tali nomine indignus, quod ibidem apponit. Ipse (inquiens) Patrem se exhibuit mihi, sed non ego me ipsi vicissim filium. hæc Bernard. Gestiebat Abraham ob illud specimen maturioris ætatis, quod in infantulo Pater (vt considerat Philo) obseruabat; certus nimirum (addere debuit) ex promissionibus diuinis futurum vti filius ille per totam vitam Deo acceptus, à virtutis, ac pietatis honore nunquam excideret. Quod quidem præcipuè adscribendum est diuinæ gratiæ, à qua bona cuncta procedunt: ac deinde quia (vt in superioribus dictum à Domino

C est: *peregrinum erit semen tuum*) multis, & grauibus est Isaac, quoad vixit, calamitatibus afflictatus, quibus cum potiùs, quàm cum felicitatibus mundi virtus conseruari solet. Quod in Salomone visum est. Vnde S. August. sapienter adnotauit *17. de Ciuit. cap. 20.* Salomon (inquiens) bonis initiis malos exitus habuit; quippe secundæ res, quæ sapientum animos fatigant, magis obfuerunt, quam profuit ipsa sapientia, etiam nunc, & deinceps memorabilis. sic August. Expende verba S. Doctoris: secundæ res sapientum animos fatigant. Prosperitas enim mundi magna solet esse tentatio, cum qua iusti, & sapientes colluctantur. Abrahæ ad voluptatem, & leuamentum senectutis filium Dominus donauit. Filium (inquam) di-

D uinis promissionibus plenum, cum quo parentibus nec anxia solicitudo, nec perpetuus timor, nec vllus dolor, aut fastidium oriebatur. Etenim (vt peracutè obseruat S. Hildebert. *Epistol. 36.*) proles in lucem progrediens, auspicium solicitudinis est, non materia gaudiorum: vitiosa odium suscitat, cum bona timor nascitur amittendi. sic ille. At puerum istum, & pulchritudo corporis cum admirabili virtutis ornamento amabilem reddebat parentibus: & diuinæ in eum factæ promissiones securitatem de felicitate sobolis iisdem afferebant.

3. *Vocauit Abraham nomen filij sui, &c.*] Hebr. צחק *zachaq*, ridere: inde יצחק *izchaq*, Isaac, risus, gaudium: quo nomine Abraham filium, quem se-

E nex ex Sara vetula diuino miraculo suscepit, ad octauum diem vocauit; nimirùm à risu & gaudio, quo ambo pollicitationem huius filij à Deo exceperant, & quo illum tandem feliciter natum percelebrarunt. Risus & gaudium est infans parentum, qui post longos ætatis, & sterilitatia annos à Deo datum filium cum ingenti gaudio, plausúque susceperunt. Ecce (inquit in hanc sententiam S. Zeno Veron.) prima deuotio libenter excipere quod serò datur: & in tristissima senectute suscepta solicitudinis mole gaudere. Nam & risit Sara munus iuuentutis subiens in senecta. sic ille *serm.*

1. de

Indigni Deo Patre filij sumus.

S. Bernard.

Isaac in laboribus semper iustus. Philo.

Virtus in prosperis periclitatur, in aduersis conseruatur. S. August. *Salomon in prosperis cecidit.*

Prosperitas tentatio iustis.

S. Hildebert. *Filius parentibus est solicitudo.*

Isaac parentibus risus.

S. Zeno.

Donum etsi serum gratanter excipiendum. S. Zeno.

1. *de Abrah.* Etsi sera, libenter tamen & gratanter excipienda sunt dona. Rident cum filio parentes, risum & gaudium vocant infantem, idque diuino impulsu; vt firmaret (inquit idem Zeno) lætitia, quod ætatis imbecillitas desperauerat, *serm.* 2.

Lætitia cum virtute coniuncta. Philo.

Confirmat quidem lætitia in obsequium Dei feruentes. Ac non sine diuino impulsu, seu iussu potius ita nominarunt, vt visum est Philoni Hebræo: sic enim ait: Nullum est bonum non coniunctum cum lætitia; meritò Isaac priusquam nasceretur, nomine, donóque magno donatus est: per hunc enim significatur animæ risus, & gaudium, atque lætitia. *lib.* 2. legis alleg. Cuius sententiam confirmant illa verba Pauli. *Fructus spiritus est charitas, gaudium, pax, &c.* ad Galat. 5. Bona siquidem animæ ad spiritualia, seria, sancta, & diuina aspirantis, superessusam à diuino spiritu lætitiam quandam secum ingerunt. O infelices, qui nesciunt, aut nolunt verè gaudère! *Non est enim gaudere impijs*, ait Dominus Isaiæ 48. sic legit S. Hieron. ad locum citatum Apostoli: vulgata habet: *Non est pax impijs*: nimirum (vt explicat idem Hier. *super Isaiam*) perfecta felicitas non erit nisi in Christo. Non est pax impiis, qui non meruerunt bibere de petra, cuius latus lancea vulneratum aquis fluxit, & sanguine. sic Hieron. O vera, & imménsa gaudia, quæ ab illo purissimo, ac suauissimo fonte lateris Domini Iesu profluunt, & potantur! Hæc est illa cella vinaria, in quam sponsus dilectam animam introduxit. Cant. 2. *Gustate* (inuitat Propheta) *& videte, quàm suauis est Dominus*, Psalm. 33. Hanc suauitatem Domini, quàm inexperti nesciunt, experti verò gustant, & celebrãt, in sacrosancta Eucharistia inesse, & libari intelligit hoc loco S. Aug. Intelligi etiam æquè potest, de suauitate dulcissima spiritus quam contemplatrix anima, in meditatione Iesu Domini crucifixi, atque in oculis sacrorum vulnerum sentit, ac delibat iuxta illud alicubi à mellifluo Bernard. Intuere Dominum crucifixum, & suge non tam vulnera, quàm vbera crucifixi. sic ille. O dulcem, ô teneram, ô charam fidelis animæ Matrem Iesum Dominum crucifixum! Non omittam quod subtiliter adnotauit S. Chrys. in loco ad Galat. Cur (inquiens) vocat fructum spiritus? quoniam mala opera ex nobis solis oriuntur; bona verò, non tantum egent nostra cura, verùm etiam opus habent diuina benignitate. ita Chrys. Quocirca ex studio, & industria nostra in rebus spiritualibus simul cum diuinæ gratiæ auxilio, cuius potior vis est, fructus ille pulcherrimus, ac dulcissimus exoritur amoris, gaudij, pacis, &c. quo mens delibuta, terræ, ac mundi voluptates fastidit, bonáque corporis aspernatur: quod in Isaac filio, ac fructu Abrahami & Saræ Philo Hebræus allegoricè (vt moris habet) ita expendit *lib. de præmijs*. Cui contigit omnia corpora de sublimi despicere, & soli Deo constanter inniti, certissima fiducia, is verè felix & ter beatus censendus est secundum præmium natiuam virtutem sectanti, & sine pulueris iactu palmam auferenti, contigit gaudium. Hunc enim Isaacum Chaldæi, Latini risum nominant. Risus autem est signum, quo se profert occultum mentis gaudium, qui affectus est inter omnes alios honestissimus, replens tranquillitate, & securitate totam animam lætam Deo, &c. hæc & multa in eandem sententiam Philo. Viuebat anxius in mœrore Abraham, vt iam alibi visum est, eo quòd filium ex Sara coniuge non habebat, suarum opum, ac suæ familiæ hæredem: nunc incredibili gaudio triumphat, cum illum ante oculos suos natum contuetur, quem icciro vocat risum, cum ad eius ortum tota familia, opésque Abrahæ lætari, ac ridere videantur.

ad Galat. 5. *Iusti verè lætantur.* Isaiæ 48. S. Hieron. *Anima gaudia ex latere Christi aperto.* Cant. 2. Psalm. 33. *Dei dulcedo in Eucharistia.* D. August. *Anima gaudia in vulneribus crucifixi.* S. Bernard. *Christus in Cruce Mater fidelium.* S. Chrysost. *Nostra industria cum Dei gratia.* Phil. Hebr. *Dei amans, ac mundum despiciens verè gaudet.* *Risus commendatur.* *Nato filio tota familia collætatur.*

4. Insita hæc est mortalibus cupiditas, vt filios relinquant hæredes, ac pro illorum congerendis, & amplificandis patrimoniis tota vita insudent. Rectè hanc miserorum solicitudinem deflet, carpitque S. Hildeb. *Epist.* 61. ad hunc modum. O insani parentes, qui filiis officiosi, sibi officiunt! afficiuntur inedia, torpent algoribus, & quod hæres scortator, aut ventricola dilapidet, spontaneo cruciatu acquirunt. sic ille. Plenus quidem est orbis huiusmodi insanis parentibus, quorum sudoribus, fame, ac siti, comparatæ diuitiæ à prodigis, & helluonibus filiis in ganeis, & popinis turpissimè consumuntur. Et putant miseri parentes suum erga filios amorem in eo maximè collocari ac demonstrari, quòd ingentes illis acquirant diuitias. Falluntur quidem, amare nesciunt. Quasi verò (inquit S. Saluian.) quicunque patres sunt, nisi diuites fuerint, patres omninò esse non possint, & amare filios suos, sine opum multiplicatione non valeant. Aut verò virtus ac medulla affectuum, auaritia. & cupiditates sint: quia scilicet, vt illi putant, sicut corpus sine medulla, sic amor sine cupiditate esse non possit, *lib.* 1. *ad Eccles. Cathol.* Itaque non quia diues ideò pater es; nec patris amorem in filio ditando contestaris. Paternus amor sine auaritia parentis, & sine cupiditate filij suam satis retinet, & expromit virtutem. Quin etiam (verè dixerim) malè pater auarus filium potest educare. Vt enim adiungit idem Saluian. inter improbissimos quæstus improbi educantur hæredes. loco citato. At pios se liberis parentes exhibere arbitrantur, si grandia relinquant patrimonia. Audiant stulti eundem doctorem, qui rem ita concludit. Parentum pietas grauis est filiis, qui perniciosas capiunt hæreditates. sic ille. Planè carent numero, qui propter pinguia patrimonia parentum sudoribus comparata, sempiternam in mortem diuites, qui pauperes salutem habuissent, corruerunt. Seni Abrahamo, ac post innumeras afflictiones, quibus tot per annos vir exul & peregrinus à Deo fuit exercitus, natus est filius, gaudium, & risus illuxit. In hunc exitum labores pro Deo suscepti desinunt. Vbi scilicet mens perenniter exercita, & probata in statum perfectiorem virtutis assurgit. hinc illud S. Ambros. *lib.* 1. *de Abraham cap.* 7. Genitus est Abrahæ filius Isaac, cum esset annorum centum. Et tu si perfectus fueris, habebis posteritatem lætitiæ, exultationis hæreditatem. sic Ambros. Atque vniuersim illud hìc videtur, quod alibi sæpius contingit, videlicet, post tenebras lux oboritur, iucundique sunt exacti labores: quod Philo Hebr. *lib. de Abraham*, contemplatus natiuitatem Isaac, diuino consilio nostris rebus consulenti sic adscribit. Non enim permisit Deus humanum genus exagitari tristitiis, doloribus, & molestiis insanabilibus; sed admiscuit eis etiam de meliori natura nonnihil æquum, censens serenam interdum ac tranquillam esse animam. hæc Philo. Ac multo felicius Abrahæ seni filius nascitur, quàm si adolescens illum genuisset. Nihil enim (inquit Zeno Veron.) solicitum patri, cuius ætas in annis vergentibus in occasus sui terminum versabatur, & educationis tempus angustum, & senectuti exitus iam vicinus, *serm.* 1. *de Abraham*. Præcidit quippe senectus morti proxima longum & molestum paternæ institutionis, & educationis tempus.

S. Hildebert. *Insani & miseri patres.* S. Saluian. *Nimia cura patrum filios ditandi.* *Amor Patris sine auaritia verus est.* *Filij malè ab auaris patribus educantur.* S. Saluian. *Auari malè pij erga liberos.* *Diuitiæ filijs relictæ in perniciem.* *Labor pro Deo susceptus in gaudium desinit.* D. Ambros. Philo. *Alternus labor & gaudium succedunt.* Zeno. *Felicior pater senex, quàm adolescens filius.*

5. *Et circuncidit eum.*] Acceperat Abraham præceptum circuncisionis, cum nonaginta esset annorum; nunc verò iam centenarius implet illud ipsum

ipsum in Isaac infantulo, io quo demonstratur obedientia Abrahami, qui etiam proprio filio suo dilectissimo, quem votis omnibus expetitum in leuamentum suæ senectutis susceperat, non pepercit; sed illum in somma ipsa ineuntis ætatulæ teneritudine adacto ferro circumcidit. Non parcit Abraham filio suo propter Deum; quid mirum cum Deus ipse suo pro nobis Filio non pepercerit? optimè S. Saluian. ita de hoc argumento disserit. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret.* Ioan. 3. Euidens quippe res est, quod super affectum filiorum nos Deus diligit, *qui propter nos Filio suo non pepercit.* Rom. 8. Et hoc Filio iusto, & hoc Filio Vnigenito, & hoc Filio Deo, & hoc pro nobis, id est, pro malis, pro iniquis, pro impiissimis. hæc ille. *lib. 4. de vero iudic. & prouid.* Et quidem ita puero consultum est; nam si pater, ne filius doleret, circumcisionem omitteret, atque Deo illam iubenti non pareret; profectò puer diuina vlciscente iustitia perimeretur, iuxta illud cap. 17. *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.* Sed quid obsecro meruisset infans octo dierum, si pater illum inobediens Deo non circumcidisset? non peccasset quidem infans, vt certum omnino est, & nihilominus ob inobedientiam parentis cum ipso pariter puniretur. Adeò execrabilis Deo est hominum inobedientia. In quo argumento luculenter admodum plura scribit S. Hildebert. *Epist.* 74. quæ quia planè sunt aurea omnia, huc transcribam. sic infit: Nulla virtus est, quæ contempta districtiùs à Domino puniatur, quàm obedientia. Non enim ad innocentes vsque pertingit reliquorum pœna delictorum. Ezechiel. 18. dicitur. *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur, filius nō portabit iniquitatem patris, &c.* Inobedientia verò plerunque reis innoxios miscuit, facti sunt in pœna similes, dissimiles in culpa. hæc ille. quæ in præcepto circuncisionis aperte cernimus. Et S. Episcopus aliis subinde testimoniis sacræ Scripturæ confirmat, vltra sic progrediens. Præceperat Ioa, vt à viginti annis, & supra numerarentur, qui poterant ad bella procedere, vel aliquo fungi ministerio. Quia verò Dauid infra viginti annor, & supra, generaliter iussit omnes numerari indignatus est Dominus, & missa in populo triduana pestilentia, L X X. milla virorum Angelo percutiente ceciderunt. 2. *Reg.* 14. sic ille. Dein tandem sententiam duplici exemplo ex sacris literis desumpto ita confirmat. Acham filium Carmi de anathemate Iericho præsumpsisse sacra tradit historiatinde factum legitur, vt Israel coram filiis vrbis hoc gladio caderet, vt excessum personalem ruina populi sequeretur. Denique protoplasti culpam totus vsque hodie luit mundus; & vnius inobedientia proscripsit vniuersos. hactenus ille.

Pro Deo nec filys parcendum. S. Saluian. Ioan. 3. Deus nos diligit plus quàm filios. Rom. 8. Redemptionis beneficium. Obediēs Deo pater filium seruat. Inobedientia Deo execrabilis. S. Hildebert. Ezech. 18. Inobedientia punitur rei que ad innocentes. S. Hildebert. 2. Reg. 24. Vnius delicto multi puniuntur.

6. Circumcidit filium infantulum, quem vnicè diligebat: pater enim erat. Quid enim prius, ac potius patri debet esse, quàm vt filium teneriore adhuc ætate succrescentem ne vitiosa morum licentia lasciuiat, adacto paterni rigoris, ac disciplinæ ferro coërceat? Flos enim ætatis periculum mentis est. quare ob hanc rationem tempus florum idem est, ac tēpus putationis. *Flores* (ait Sponsa) *apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit.* Cant. 2. Isaacum, hoc est, risum, & gaudium suum vir iustus circumcidit: quippe pro Deo etiam licita, & honesta gaudia, vel omnino dimittere, vel saltem diminuere, ac parcè degustare insigne pietatis est. Deinde quia sic vir cœlestibus tantum intentus, atque à terrenorum amore studióque abductus, iniquum ducit in hac valle lacrymarum

Coercendi pueri seueriùs. Pro mastate periculum plena. Cantic. 2. Gaudia pro Deo relinquenda.

A læta, & iucunda percipere. quare, quæ vel à natura, vel à Deo talia offeruntur, aut omnino respuit, aut maiori parte circumcidit. Lugendum modò, ac dolendum vt locus ipse, ac tempus præscribit, æquius iudicat: nauigandúmque sibi cum reliqua turba mortalium in illo ferali cocyto, quàm ducere in bonis dies suos, & cum tripudiis ad infernum descendere, potius sibi fore constituit. Coeyto enim à D. Thom. luctus significari putatur, *qui* (vt scribit Iob. 21.) *& post se omnem hominem trahet, & ante se innumerabiles.* Explicat verò S. Doctor *Post se, &c.* quia omnes homines cum quodam luctu moriuntur: quod enim est post mortem, quasi postremum est huius fluuij: cuius anterius est, quod in hac vita agitur. *Ante se &c.* quia scilicet etiam plurimos in hac vita præoccupat luctus.

B sic Thom. En quàm misera hominis in terra conditio! in luctu viuit, & in luctu moritur. Expectant iusti beatam illam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, vbi vltrà non erit luctus, neque dolor, quæ prima abierunt, vbi non iam cocytus lacrymarum decurrit, sed torrens voluptatis inundat, quo inebriantur ab vbertate domus Dei, de quibus canit Regius Vates. *Beati, qui habitant in domo tua Domine.* Psal. 83. Benè S. Hier. expendit, quàm propriè ac verè significetur beatitudo cœlestis, ita inquiens. In tabernaculo non habitamus, sed peregrinamur. Et in atrio quandiu sumus, non inhabitamus, sed peregrinamur. De atriis enim transimus in domum, de domo nobis exire non licet,

C de atriis licet. hæc ille. Itaque in cœlo nobis domus est, ibi vera habitatio ac sempiterna quies: præsens autem vita exilium est, ac peregrinatio. Illuc ergo parentur corda nostra, illuc nostræ curæ, studia, desideria desigantur. Nolo igitur (aiebat noster sanctissimus Xauerius cum diuinis gaudiis perfunderetur) nolo Domine hîc lætari; non præsens vita, sed futura voluptati est. Et quidem Abraham, nunc risum, & gaudium suum Deo circuncidit: at multò perfectioris iam virtutis totum risum, & gaudium suum mactare succenderéque in sacrificium Deo suauissimum (vt suo loco videbimus) iubebitur: quod Philo Hebræus *lib. de Abraham*, pulcherrimè interpretatur hoc pacto. Chaldaicè *Isaac*, latinè *risus* vocatur: qui risus non

D intelligitur nunc pro petulanti voltus habitu, sed pro mentis benè affectæ gaudio. Hanc lætitiam vir sapiens meritò sacrificare Deo dicitur per istam figuram doceus, quod gaudium soli Deo sit proprium. Nam humanum genus mœrori, timorique est obnoxium. hæc ille. Quare vir iustus & sapiens, cum sese offeret in vita gaudium, & voluptas, dicat: Soli Deo ista conueniunt, homini dolor, ac mœror. Non à me abigo mea, nec diuina mihi arrogo. Sed ô Deum hominis amantem, qui in te tam facili, tam obuia, tam communi, támque naturali, & propria generi humano beatitudinis meritum constituit, cùm ait: *Beati qui lugent, quia ipsi consolabuntur!* Matth. 4. Sed iste luctus (inquit S. Hieron.) vitiis, & peccatis ponitur. sic ille.

E Præsens quippe vita pœnitentiæ agendæ, ac deplorandis sceleribus, quæ admisimus, destinata est.

7. *Dixitque Sara: risum fecit mihi Deus, &c.* Sara tam felici partu suo exultans, gaudium suum Deo acceptum refert. Sic enim vertit Chald. *Gaudium mihi fecit Deus: omnis qui audierit gratulabitur mihi.* Omnia solent iusti Deo attribuere, scilicet risum, & planctum, læta, & iucunda; prospera, & aduersa; ab illius enim manu accipiunt quicquid in vtranius partem illis euenit: ac deinde, vel vnde lætantur. vel quod patiuntur, in obsequium illius offerunt: siue enim viuimus, siue morimur, Domini

Dolendum & lugendum in hac vita. S. Thom. Iob. 21. Homo in luctu viuit, & moritur. Psalm. 83. D. Hieron. Cœlum domus, terra exilium. P. Xauerij dictum. Sacrificandū Deo gaudiū. Philo. Gaudium soli Deo proprium. Lætitia aliena ab homine. In luctu beatitudo. Matth. 4. D. Hieron. Lugēda sunt peccata. Prospera, & aduersa à manu Dei.

D.Chrysost.

mini sumus. Porrò causam huiusce risus, & gaudij Saræ ita eleganter exponit S.Chrysost. Lætitiæ occasio mihi partus est. Et quid mirum si mihi gaudium? Omnes enim, qui audient, habebo congratulantes, non quia peperi, sed quia sic peperi.

Sara miraculu sui partus explicat.

Tam admirabilis, rarúsque partus, omnes in admirationem adducet, & maiorem omnibus voluptatem afferet, cum sciuerint, quòd ego, quæ nihil à mortuis differebam, quantum ad generationem, subitò mater facta sum, & à vulua exsiccata puellum peperi, & lactare possum, & fontes lactis emittere, quæ nullam spem pariendi habebam. Omnes ergo audientes participes gaudij mei faciam. Magnum enim donum mihi à Deo concessum est, & quod humanam trascendit infirmitatem. hæc S.Chrysost. Itaque fides nunquam suo præmio destituitur, spes non confundit. Quod in Saræ partu apprimè intelligitur. Enimuerò (inquit S.Zeno Veronens.) concipit Sara, portat sine labore vteri sarcinam, quæ iam ambulare non poterat. Tunc discit mater esse, cum desinit. marcidæ mammæ lactis vbertatem ostendunt: & de ieiuna ætate puer robustior saginatur. hæc ille, *serm. 3. de Abraham.* En miraculum in vetula pariente, lactantéque! sed (vt statim colligi) nihil difficile est fidei, quæ tantum habet, quantum credit. sic ille.

S.Zeno.

Fides nihil nõ impetrat.

Multis ergo increduli caremus, quia frigidè credimus. Riserat Sara, cum sibi prædictum ab Angelo, Deum repræsentante, conceptum, partúmque filij audiuit: reprehensáque fuit, eo quòd risit: territa illa risum negauit; nunc verò effusa lætitiæ voluptate gestiens risum à Deo sibi factum exclamat. De vtroque loco disserens Philo *lib. 1. de Abraham*, sic infit: Virtutis cognomen habens Sara, cum risisset, roganti risus causam se risisse negauit, verita ne fortè gaudium, quod nulli creaturæ conuenit, solius Dei rem vsurpasse videretur. Quapropter nunc risit verè, particeps est lætitiæ. ita Philo.

Philo.

Solo in Deo gaudendum.

Meritò & sancta mulier virum suum imitata dolendum quidem, non verò lætandum in terra, & in hac vita iudicat: & humanam conditionem satis experta, solius Dei gaudium, & risum contestatur: vnóque in Deo suum gaudium ac risum collocatum habet; ac denique illi gratias habet, quòd ingenti tam admirabilis partus felicitate gaudeat. Ridere nolebat (iuxta Philonem) Sara, & iccirco promeruit, vti rideret, & ipsi ridenti omnes corriderent: sic enim Dominus duplicato fœnore nobis reddit, quæ pro illius obsequio renunciamus. Quo de argumento memorabile est quod scribit S.Paulin. *Epist.* 42. de sancta Melania, nobilissima, & sanctissima Romana; quæ vno eodémque anno, marito, ac duobus liberis orbata, tertium, qui puellus fuerat superstes, reliquit Romæ, & ad inuisenda loca terræ Sanctæ se contulit.

Duplicantur, quæ pro Deo relinquuntur.

S.Paulin.

Melania filiũ relinquendo seruauit.

Sic igitur ait: Salutarem sibi, filióque scientiam induit, vt paruulum suum negligendo diligeret, & dimittendo retineret, firmiùs habitura absentem, quem Domino commendasset, quàm complexura præsentem, si sibi credidisset. Et ideò meruit obtinere, quia frui noluit: & nunc reuisere meruit per eius fidei pietatem, qua semel relictum in Deo non desiderauerat in hoc sæculo. hæc S. Paulin.

Obtinemus quæ pro Deo renunciamus.

Ah quanto feliciores cum liberis suis viuerent parentes, si eos Domino sinerent consecrari! Lugebat non ita pridem illustrissima fœmina apud nos, quòd filium sibi charissimum immatura quidem morte, sed piè tamen & christianè domi suæ videret sublatum. Occidi (aiebat) ego ipsa natum dulcissimum, quia Deo illum negaui; cum puerum à Societate Iesu, quam ingredi studiosissimè curabat, materno affectu, sed filio tamen, & mihi perniciosissimo, abstraxi.

Mater filium deflet mortuum, quem Deo negarat.

8. *Quicunque audierit, corridebit mihi:*] cui tam inusitatum partus miraculum diuinitus datum est. Nimirum (vt loquitur S.Zeno Veronens.) cuius ætas auiam testaretur, matrem partus ornauit: cum sub incerto affectionis vocabulo pietas nutaret, & cum filium proferret vterus, nepotem senectus optaret. sic ille. *serm. 2. de Abraham.* quæ scilicet per ætatem auia esset à nepotibus deducenda, nunc diuino beneficio filium parit, fouet, nutrit, portátque in sinu ad vbera suspensum.

S.Zeno.

Mater efficitur Sara quæ auia videretur.

Felicia illa tempora, in quibus nemo non gaudebat cum gaudentibus: nec sibi timebat Sara ab inuidis, qui aliorum malis lætantur, aliorum bonis exeduntur. Non ita se habet nostra ætas, in qua nihil frequentius videas, quàm inuidos, quos egregiè miluos appellat S.Gregor.Nyss. *de vita Moysis*, sic effatus. Miluos cadaueribus pasci, & pretiosis vnguentis emori aiunt: videtur enim natura illorum ad putridum, & purulentum esse affinis. Quando verò huic morbo inuidiæ subiectus est aliquis, amicorum commodis quasi vnguento tabescit. At si quid calamitosum contigisse proximo intellexerit, illico aduolat, rostro inuadit adunco, quo si qua latent, distrahit, atque dissipat, & in medium proponit omnibus. ita Gregor. Tam fœda, & spurca est inuidorum natura, vt non nisi fœdis animantibus pasci queat & oblectari.

S.Greg Nyss.

Fœdum inuidorum ingenium.

Haud dubiè Sara typus extitit beatissimæ semper Virginis Mariæ, quæ supra omnem naturam non ex sterili aluo, sed ex Virginali vtero, non ex semine viri, licet iam grandæui, sed Virgo purissima obumbrante Spiritu sancto, in splendoribus sanctitatum filium concepit, ac peperit verum Isaac, gaudium & risum cunctis gentibus. Miraculum fuit Diuinæ potentiæ nasci ex senibus Isaac; sed nihil istud, quantum, & quale est, ad omnium miraculorum maximè nouum. Ex Virgine Christum Deum atque hominem nasci, fructus ille Virginitatis est, atque ideo sublimis ab Isaia dicitur.

Summũ miraculorũ partus B. Virginis Mariæ.

Est enim (inquit S.Ioan Damascen. *lib. 4. fidei orthod. cap 25.*) Christus ipse Virginitatis decus, atque ornamentum, qui ex Virgine carnem assumens veram Virginitatem omnibúsque numeris absolutam in seipso ostendit. sic ille. Nec vlla maior, atque illustrior ad gloriam Virginitatis commendatio afferri potest, quàm quòd Deus ipse factus homo ex Virgine, Virginitatis partus, & fructus, & filius, & ornamentum fuerit.

S.Io. Damasc.

Christus Virginitatis decus, & fructus.

Mira laus Virginitatis.

Igitur multò verius, quàm Sara gratulandum sibi de suo partu dixit, beatissima Dei Mater cecinit: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: quia fecit mihi magna qui potens est.* Luc. 1. Planè dum mundus persistet, in omnibus terræ plagis, ex cunctis gentium nationibus innumeri vtriusque sexus erunt, qui Mariæ semper Virgini de partu Virgineo, de Filio Deo gratulabuntur, eámque beatam prædicabunt, & veram Dei Matrem omnibus votis, atque pietatis obsequiis colent, & venerabuntur.

Lucæ 1.

Per gentes & secula B. Maria celebratur.

Quis hodie recensendo comprehendet illorum multitudinem, qui hoc eodem, quo scribimus momento, Virginem Deiparam studiosissimè amant vt Matrem, colunt vt Dominam, atque vt Reginam mundi officiosissimè honorant, & votis suauissimis implorant? Testis mihi sanctus ille Bernardus est, qui *serm. 4. de assumpt.* ita profatur. Tanto eam deuotionis affectu amplectuntur, honorant, suscipiunt, vt dignum est, vniuersi, vt licet de ea loqui gestiant omnes, tamen quicquid dicitur de indicibili, eo ipso quod dici potuerit, minus gratum sit, minus acceptum. sic Bernard. Dicent quidem

B. Maria vniuersim colitur.

S. Bernard.

B. Maria incomprehensibilis dignitas.

A omnes mortalium generationes beatam Virginem, prædicabunt illius laudes; sed nec dicere, nec prædicare vnquam cessabunt; quia quid tandem sit Mater Dei, nec vlla creatura, vel dicendo explicabit, vel intelligendo comprehendet. Hoc vnum scimus & possumus loqui: *Aue gratia plena, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui:* Aue purissima, & sanctissima Virgo Dei mater, hominum (post Deum) tota spes, fiducia, gaudium, risus, vna voluptas, summumque ornamentum.

Pia B. Mariæ salutatio.

9. *Quis auditurus crederet, &c.*] Hebr. מי מלל לאברהם היניקה בנים שרה *mi millel le Abraham heniquah banim Sarah. Quis dixisset Abrahæ lactare filios Saram?* L X X. *quis annunciabit, &c.*
B Sed non discrepant à sensu, quem noster interpres colligit, videlicet, antequam parerem, nemo hominum fuisset ausus nunciare Abrahæ, Saram illius vxorem eidem lactare filium, quem anus ex seniore concepisset. Certè rem hanc adeò incredibilem ac supra vires naturæ, nec Abraham sibi eam dicenti, nec alius eandem Abrahæ affirmanti credidisset. Itaque duo ingentia Deo accepta refert beneficia: primùm, quòd vetula ipsa ex viro grandæuo conceptum filium peperit: secundum, quòd (ait Caietan.) effecit Deus, vt Sara abundaret tantum lacte, vt lactaret non solum filium, sed filios, hoc est multos infantes. Exuberans siquidem lac Saræ exhibebat, vt etiam alteri infanti lac præberet. hæc ille. Nimirum, ad augendam, &
C declarandam vim diuini miraculi, tam larga copia lactis in anilibus redundabat vberibus. Hoc idem refert Lyranus ex Hebræis, qui addunt vicinis visum fuisse incredibile, quod de partu Saræ ex sene Abrahamo narrabatur; atque iccircò Abraham instituisse conuiuium, ad quod vicinos omnes inuitauit, in quo palam omnibus ostentauit Saram vxorem cum infantulo Isaac, quæ deinde non modo filium suum, sed vicinarum mulierum infantulos lactare visa est. Grande quidem, & periucundum omnibus spectaculum! Sed nullum Deo, Angelis, & hominibus gratius, & gloriosius, quàm vt puella Virgo Mater ad Virginea vbera suspensum Deum ipsum factum hominem puerum lactaret. Quod miraculum diuini amoris
D Ecclesia ipsa tantoperè cupiebat videre proclamans: *Quis mihi det te fratrem meum sugẽtem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te?* Cant. 8. Et quidem Beda locum istum non intelligit de Virgine Matre Filium suum lactante: sic enim ait. Non de ipsa gloriosa Dei Genitrice specialiter valet intelligi. Non enim potuit Salomon, vel aliquis illius æui iustus, beatam Mariam sibi Matrem dicere, quæ tanto post tempore nascitura erat in mondo. Sed matrem suam dicit synagoga humanæ naturæ substantiam, de qua & ipsa nata erat, & Redemptorem omnium nasci ac nutriri desiderabat. hæc ille. At pluribus aliis placet potiùs, vt Virgo Dei Mater intelligatur, quam Deo ac Filio suo maternum lac præbentem videre cupiebat
E Ecclesia, omnésque sancti, & iusti, quorum omnium mater dicitur, quæ vera Dei Mater est. Rectè apud Rupert. *lib. 7. in Cantic.* Sponsa Virginem alloquens ait: An non tu mater nostra, quæ vitam, & salutem peperisti? Si Abraham pater gentium, & Sara mater gentium dicitur propter fidem, quanto magis tu, ô fidelissima fidelium, Mater es omnium nostrum? Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ? cuius matris meæ, nisi Virginis Mariæ? propterea de patre nihil dixit. Totum quod frater noster est, de matre est: matris vbera suxit, sed non de patris radice

Caiet.

Mira copia lactis fuit Sara.

Sara in conuiuio plures lactas infantes.

Virgo Deum lactans infantem

Cantic. 8.
Beda.

B. Maria fidelium Mater.

Rupertus.

Christus Virginis Filius.

A fluxit. Hæc & plura dulciter Rupert. Porro etiam (vt bene obseruat S. Chrysost.) Saræ dati sunt lactis fontes, vt partum magis credibilem faciant: ne quis suppolititium esse putaret puerum. Fontes enim lactis prædicabant omnibus genuinum esse partum, & præter humanam expectationem euenisse. ita Chrysost. Fortè ponitur pluralis numerus, *Banim, filios*, ad significandam partus excellentiam: ac si dicatur: Vnus quidem numero filius nascitur Abrahamo ex Sara; sed ille tamen est instar multorum; aut etiam in hoc vno multi, quin verò innumeri continentur filij, quippe cum in Isaac complendæ sint promissiones Dei factæ ad Abraham; maximè, quia (vt notauit Procop.) hæc symbola admodum congruunt Christo Do-
B mino, in quem omnes typi congeruntur, & diriguntur. sic ille. At Christus ex Isaac venturus erat pater futuri seculi, & expectatio gentium, qui terram fidelibus, ac iustis, cælum verò sanctis erat repleturus. Aliis tamen simplicior, & planior, & credibilior videtur sententia, positum esse plurale pro singulari; vt sæpe fit in scriptura, & valde vsitata est inter Latinos, aliásque gentes in loquendo synecdoche. Obseruandus est hoc loco laudatissimus priscorum mos, vt matres, quæ pepererant filios, eædem proprio eos lacte suo alerent, nec alienis matribus alendos, & nutriendos traderent: quod quidem nostra ætate, quantum est in vsu, tantum est in vitio. Audi S. Ambros. hoc loco sententiam. Moralis locus: Prouocantur fœminæ me-
C minisse dignitatis suæ, & lactare filios suos. hæc enim matrum gratia, hic honos, quo se propriis commendent viris. Denique eos plus amare filios solent, quos ipsæ matres lactauerint vberibus suis. sic Ambros. *lib. 1. de Abraham, cap. 7.* Hoc idem egregiè commendat matribus ad hunc locum noster Benedict. Per. quem vide. Denique (vt experientia quotidiana testatur) vt mater filium quem lactauit, vehementiùs diligit; ita filius eandem, cuius lacte nutritus est, impensiùs amat, & colit. Sæpéque videtur, vt quis nutricem plus diligat, quàm matrem.

10. *Fecit Abraham grande conuiuium*] Debetur filio diuinitus dato, in quo Diuinæ promissiones essent complendæ, parentum lætitia, & ad maio-
D rem miraculi celebritatem grande cum tota familia epulum. Nam (vt loquitur S. Zeno Veron.) Nouus sane parentum circa filium crescit affectus, qui ex promissione certior, ex tarditate dulcior, ex desperatione felicior putabatur. Vnicus numero, & in amoris soliditate iam primus totum maternæ pietatis occupauerat pectus. hæc ille *serm. 2. de Abraham.* En Isaac parentum amor, ac deliciæ incredibili matris gaudio ad vbera vetulæ nutritur. Crescit nouis in dies per ætatem augmentis ex abundantiore lacte diuinitus arescentibus vetulæ vberibus infuso, vt festinata educatione robustus in holocaustum Domino sisteretur. Adiungit enim Zeno: Festinata educatione nutritus Deo victimam, parentibus pium parrici-
E dium præbiturus. sic ille. Lætatur interim Sara filium nutriens, ac futuræ victimæ ignara nullo pertentatur timore, aut dolore. Porrò beatissima Virgo Vnigenitum Filium sciens, ac dolens, ad verbera, ad crucem, ad mortem, & concepit, & peperit, & nutriuit. Quandiu Sara filium lactauerit, & quoto ætatis anno illum ab vberibus amouerit, non est dictu facile. S. Hieron. *in quæst. Hebr.* tradit quinquennio solitos lactari infantes illa ætate, cum prolixior hominum vita erat. Quod tamen per triennium fieri deinceps consueuit, vti sanctissima illa mater Machabæorum vni filiorum

dixit,

D. Chrysost.

Lac Saræ partum demonstrat.

Vnus filius instar multorum.

Procopius.
In Christum typi & symbola diriguntur.

D. Ambros.
Cõmendatur matribus vt filios ipsæ lactent.

Bened. Per.
Cũ lacte datur & bibitur amor.

S. Zeno.
Isaac parentum deliciæ.

S. Zeno.
Isaac festinatò crescit in victimam.

B. Maria sciens Filium concepit ad crucem.

D. Hieron.
Triennio lactari solent infantes.

dixit, se portasse illum in vtero nouem mensibus, A & triennio lactasse. 2. *Machab*. 7. Sed cur Abraham die ablactationis fecit grande conuiuium? Videtur in primis, hoc fecisse Abraham de more Chananæorum, inter quos viuebat; aut Chaldæorum, inter quos natus fuerat. Et quidem (vt Caietan. obseruat) laudabilis consuetudo, vt initium comedendi primogeniti celebraretur communi lætitia magni conuiuij. sic ille. Hic autem dies ablactationis potiùs quàm natiuitatis, splendido epulo, & parentum, cognatorum, & amicorum applausu celebrari consueuerat; quia non iam dubia proles est, vti cum nascitur: sed confirmata per aliquot annos, maturáque redditur, vt solido cibo alatur, fari iam clarius, & manibus propriis comedere, ac pedibus ingredi sciat, ac possit. Et hæc B videtur causa naturalis, & literalis huius conuiuij, & gaudij in ablactatione filiorum. Cæterùm sancti Patres, non aliam, quàm mysticam inueniunt, tradúntque rationem. sic enim S. Ambros. Non quia à nutricis lacte subductus est puer, magnum conuiuium exhibuit Abraham; sed quia idoneus habitus est Isaac fortioris gratiæ cibo, & virtutis alimento, non adhuc (vt Corinthij) lacte potandus, sed epulis solidioribus mandatorum cælestium mentis suæ lacertos firmans. hæc Ambros. Itaque tunc festum agi debet, cum qui per pœnitentiam Christo natus, siue regeneratus fuit, progressu temporis in virtutibus exacti solidiorem, & sanctiorem in Christiana pietate vitam sectatur. Magnum enim (inquit Procop.) conui- C uium, & iucundum spectaculum est Deo Patri, videre in Christo regeneratum relinquere infantilia alimenta, & ad perfectionem contendere. sic ille. Similiter D. Aug. *q*. 50. *in Genes*. solum ad spiritualem significationem hoc epulum refert: Tum scilicet, inquit, esse debere magnum gaudium spirituale ætatis, quando fuerit factus homo nouus spiritualis &c. sic Aug. Pulcherrimè in hoc sensu mystico disserit Rupertus de Christo Domino cuius typum gerebat Isaac, cuius infantia, & lactis alimentum fuit in lege Iudaica, maturior autem, & robustior ætas atque cibus solidior in grandi celebrato conuiuio est in lege gratiæ, in qua diuinæ Eucharistiæ paratur, & comeditur epulum. Hic profectò (ait) grande fit conuiuium. D Nam derelictis lacteis, id est, infantilibus ritibus, v. g. brutorum animalium sacrificiis, traducit suos ad verum, & vnicum sacrificium corporis & sanguinis sui. Hoc est vtique grande illud conuiuium, de quo dixit Isaias, *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium medullatorum, conuiuium vindemiæ defæcatæ*. cap. 25. Et quia per hoc conuiuium peccata soluuntur, continuò adiunxit: *Et præcipitabit in monte isto faciē vinculi colligati super omnes populos, & præcipitabit mortem in sempiternum*. Et quia verus iste Isaac, verus est risus, & vera lætitia omnium adiecit: *Iste Dominus, & sustinuimus eum, & exultabimus, & lætabimur in salutari eius*. hactenus ille.

2. Machab. 7. — *Dies ablactationis celebratur.* — *Caietan.* — *D. Ambros.* — *Celebratur in virtutibus progressus.* — *Procop.* — *Iucundum Deo crescere in virtutibus.* — *Rupertus.* — *Grande conuiuiū S. Eucharistia.* — *Isaiæ 25.* — *In Eucharistia verum gaudium.*

11. Ac pater quidem Abraham solidiorem, & E perfectiorem virtutem à filio expetens, celebrat diem ablactationis illius festiuo conuiuio: at mater Sara, quæ teneriorem habet affectum, & nutrix est paruulorum diem celebrat natiuitatis, cum dicit: *Risum fecit mihi Dominus, & quicumque audierit, corridebit mihi*. Non vtique (explicat S. Ambr.) hoc de generatione hac intelligitur, quæ casibus plerisque obnoxia est, vt interdum melius fuerit non generasse, sed de generatione, qua vnusquisque peccator agens pœnitentiam, cum redimitur à morte, Angelis solet exhibere lætitiam. sic S. Ambros. Occidit pœnitens cum se ad Dominum conuertit, vitámque à cœno ad puritatem traducit, omnia prioris turpiter acti æui monstra, & immanes flagitiorum belluas: sed non ibi plenum, & consummatum est animæ gaudium: hoc enim fit, cum deinde virtutes in nouo illo homine adolescunt, cum ille in dies robustior ita redditur, vt carnis petitus assultibus, & dæmonum iaculis, fide tamen in Deum persistit, vsque adeo obnixus non cedere: sed vltrò passiones animi comprimit, bellúmque indicit omnibus mundi oblectamentis, vt ablactatus à vitioso illecebrarum nutrimēto mortificationem Domini IESV in corpore suo circumferat. Quid hoc Isaac ablactato pulchrius? Formosa illa videbatur Sponsa, *sicut pelles Salomonis*. B Cantic. 1. Nimirum, (vt explicat Beda) quia sicut Salomon tentoria sibi de mortuorum pellibus animalium facere solebat: ita Dominus Ecclesiam sibi de illis congregat animalibus, quæ desideriis nouerunt renuntiare carnalibus. sic ille. Huius tam generosæ, atque inuictæ cohortis ornamento mirandum in modum extollitur Christi Ecclesia: sunt enim illi *fortissimi circumdantes lectum Salomonis, omnes tenentes gladios; vniuscuiusque ensis super femur suum*. Cant. 3. Vtique bello internecino carnis appetitiones, & vitia persequentes, & mactantes. De illis cecinit Regius Vates, cum Regis Messiæ felicem aduentum prædiceret: *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna*, seu vt alij legunt, *extollatur luna*. Ps. 71. C Hoc est (interpretatur S. August.) orietur iustitia, quæ contradictionem, ac rebellionem carnis vincat, & fiat pax in tantum crescens, & abundans, donec eleuetur Ecclesia. sic Aug. At in reliqua plebe fidelium, quæ ablactationem istam nondum pertulit, sed lacte adhuc bonorum huius mundi enutritur, Ecclesia Christi vti in pueris infirmatur, balbutit, repit humi, & frequenter labitur.

D. Ambros. — *Celebratur pœnitentium generatio.* — *Pœnitentium perseuerantia, & mortificatio.* — *Cant. 1.* — *Beda.* — *Ornatur Ecclesia castis & mortificatis.* — *Cantic. 3.* — *Psalm. 71.* — *D. August.* — *Imperfecti velut pueri in Ecclesia.*

SECTIO II.

Cùmque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: Eiice ancillam hanc, & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio D *meo Isaac*, &c. vsque ad finem.

1. HEbr. *Et vidit Sara filium Agar Ægyptiæ, quem peperit Abrahæ ludentē*, siue *facientē ludere*. מְצַחֵק *meçacheq*. Non est autem (cum Isaac) quod tamen Latinus interpres hausit à L X X. qui habent παίζοντα μετὰ Ἰσαὰκ *ludentē cum Isaac*. Cæterum quisnam hic ludus fuerit, non facile dictu est. Vnde magna redditur lectionum varietas. Quatuor præcipuas refero. Vidit ludentem, hoc est, illudentem, subsannantem, irridentem. Vidit ludentem, hoc est, adorantem idola. Vidit ludentem, hoc est, discooperientem turpitudinem lasciuè, & obscænè iocantem. Vidit ludentem, hoc E est, percutientem, digladiantem, pugnantem, & occidere volentem. hæc omnia ab interpretibus afferuntur. Nihilominùs vera, & germana significatio verbi צחק *çachaq*, vt peritiores astruunt, est *ridere, irridere, illudere, subsānare*. Lusitanè, *Zombar, folgar, fazer Zombaria*. Quamobrem Abulens. Burgens. & alij contendunt verbum istud nusquam significare in sacris literis, vel actum idololatriæ, vel occasionem, vel lasciuiam veneream. Enimuerò in iis locis, in quibus illa videntur significari, si quis maturè consideret, inueniet primam illam significationem aptissimè collocari, v. g.

Quisnam lusus Ismael.

Exod. 32.

Exod. 32. *Sedit populus manducare, & surrexerunt ludere.* לְצַחֵק *leçacheq*, non idololatrare significat, sed ludos agere, saltando, vociferando, cantando, etsi ludus ille in honorem vituli conflati exhiberetur; aliud est enim ludere, aliud adorare vitulum.

Genes. 39.

Deinde Genes. 39. cum dixit Ægyptia: *Introduxit virum Hebræū, vt illuderet nobis.* לְצַחֵק בִּי *leçacheq bi*, non propriè ad discooperiendam turpitudinem, sed ad illudendū me; *pera me afrontar, pera zombar de mim.* Et si hæc illusio in turpitudinem desinat.

Genes. 26.

Similiter Genes. 26. *Abimelech vidit Isaac iocātem cum Rebecca vxore sua.* מְצַחֵק *maçacheq*, non est actus ipse coeundi, sed ita liberè, & peramanter iocandi, vt non nisi inter coniuges licitus esse queat.

2. Reg. 2.

Denique 2. Reg. 2. *Abner ad Ioab surgant pueri, & ludant coram nobis.* Vicachagu, *& ludant*, B scilicet, digladientur, *folguem* Lusitanè, aptus est militibus ludus, ac iocus qui armorum exercitatione fit. Commodè igitur ludentem *meçacheq*, interpretabimur illudentem contemptim, & contumeliosè tractantem, quasi secundò natum, & non primogenitum, nec principatu in patris domo potiturum. Hæc autem irrisio vocatur ab Apostolo

ad Galat. 4.

ad Galat. 4. persecutio. *Qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundū spiritum.* Non enim alibi legitur Ismaël persecutus fuisse fratrem Isaac. Quem locum expendens Procop. sic

Procopius.

ait: Non lusit solum, sed fortè percussit quoque Isaacum. hæc ille. At matres impatienter indignantur si pueros suos videant ab aliis percuti, &

Illudi filium indignatur Mater.

ad planctum commoueri. Lusum istum, & perse- C cutionem exponit S. Hier. ad locum Pauli. Quia

D. Hieron.

Ismael (inquit) quasi maior natu, & iam grandis circumcisus, sibi primogenita vendicabat. Scriptura iurgium paruulorum vocauit lusum. sic Hier. Vide quam puerilia, ludicra, & nihili sint bona huius mundi, vt puerorum iocus, & iurgium habeatur de illis contendere.

Ludicra mūdi bona.

2. Meritò Apostolus carnalem vocat Ismaëlem, & carnalium hominum, terræ, non cælo studentium de carne, non de anima curantium velut exemplar, ac typum proponit. Nimirum isti, vt ita loquar, Ismaelitæ filij huius seculi procul à Deo, Deique disciplina viuunt. Nec enim (vt eleganter scribit S. Paulin. *Epistol.* 27.) fidem veri habent, nec voluntatem fidei; quia præsentibus tan- D tùm rebus intenti præstant auaritiæ, & libidini, ne credant Deo: quia cupiditatis vtriusque finem facit timor Domini, qui confirmatur fide Christi, per quem discimus agnoscere veritatem, vel io contemptu temporalium, vel in appetitu æternorum bonorum, à quo alieni; quia & veritas Christus est, in hac necesse est errorum infelicium cæcitate permaneant, vt in fragili soliditatem, & in solido inanitatem putent, vera pro vanis rideant, & pro veris vana mitentur. hæc S. Paol. Ac de lusu isto carnalium, & persecutione ita S. Thom ad locum Apostoli. Dicitur in Glossa, Omnes, qui in Ecclesia terrenā facultatem quærunt, ad hunc Ismaëlem pertinent. Ipsi sunt, qui contradicunt spiritualibus proficientibus, & de- E trahunt illis, & habent labia iniqua, & linguas dolosas, & subdolosas. hæc S. Thom. Sed non cadat animo Isaac in huiusmodi lusibus, & persecutionibus Ismaëlis; quinimò, vt loquitur egregiè S. Paulin. *Epist. citata.* O beata iniuria, displicere cum Christo! magis nobis timendus est amor talium, quibus sine Christo placetur. Gaude, & exulta: non enim te, sed illum, qui in te est, oderunt; cuius opus est in te humilitas, quam contemnunt, & castitas, quam detestantur. sic Paul. Porrò autem Ismaël cum natus est Isaac, erat qua-

Ismaël carnalium exemplar.

S. Paulin.

Mundani Deum non curant.

Mūdanorum error, & dementia.

S. Thom.

Mundani iustos illudunt.

S. Paulinus.

Iniuriarum ob Deum felix passio.

A tuordecim annorum, atque adeò paulò post istam ablactationem, quando hic ludus contigit octodecim iam annos habebat, aut vt alij volunt viginti, vnde, vt obseruat D. Thom. Apostolus illum ludum dicit persecutionem, quia ludus magni ad paruum, est quædam illusio; & persecutio, cùm maior cum paruo ludens intendit eum decipere. sic Thom. Aduerte in Hebræo participium istud מְצַחֵק *meçacheq*, esse in coniug. *pighel*, haberéque hanc vim, *faciens ludere*; nimirum (vt notat Caiet.) Ismael non narratur ludens cum Isaac, sed faciens irridere, hoc est, efficiens, vt pueri coætanei Isaac ludentes cum eo, irrisionem aliquam facerent ipsi Isaac. & hæc congruit ætati Ismaelis; & nonnulla species persecutionis est innuere pueris B vt illudant Isaac. ita Caiet. quod S. Hier. *in 4. cap. Epist. ad Galat.* ita consimiliter explicarat. Ostendit Apostolus non simplicem lusum fuisse, quem persecutionem appellat. Quia scurrilem eum, & leuem sicut ipse erat, facere cupiebat, ne illi possit in hæreditate præferri. hæc S. Hieron. Scilicet, indignus est hæreditate, ac primatu familiæ ille, qui etiam adhuc puer scurrilem, leuiculam, & ridiculam vitam cum moribus, & motibus gerit.

S. Thom.

Maioris cum minore ludus est illusio.

Caietan.

S. Hieron.

Scurrilitas etiam in puero indecens.

3. *Eiice ancillam hanc, &c.*] Mota est Sara (inquit S. Aug. *in quæst. super Genes.*) muliebri animo propter ancillæ superbiam. Certè verisimile est Agar immemorem suæ conditionis, vana spe intumuisse, filio suo tanquam primogenito domum Abrahæ, vniuersámque illius supellectilem, at- C que adeò promissiones diuinas de glorioso Abrahæ semine euentura: & hac superbia inflatam irridere simul cum filio puerum Isaac, patique hunc ab illo pueriliter percuti. Quod Sara contuens pro filio contra ancillam, & priuignum indignatur, inclamátque maritum, vti è vestigio arrogantem illam Ægyptiam cum filio pariter à domo procul abiiciat: memor vtique diuinarum promissionum, Isaaco, non Ismaeli datam esse diuinitus primogenituram. Hinc S. Ambr. sapienter virum coniugatum admonet caueat à concubinatu ancillarum. Et tu (inquit cap. 7.) noli te miscere ancillæ, ne suscipias ex ea filium. & vxor tua non patiatur cohæredem illum filio suo fieri: vides enim hinc solui gratiam matrimonij. Certè si incidisti, D & habes filium, eiice ancillam, & filium eius: melius est enim, vt ancilla, quàm vxor recedat; & filius ancillæ, quam legitimus eiiciatur. Quod si dubitaueris, si contempseris vxoris tuæ sententiam, & durum tibi visum fuerit, dicit tibi Deus, quod dixit & Abrahæ. Quod enim illi dixit, tibi & omnibus dicit: Non sit durum ante te de puero, & de ancilla. hæc S. Ambros. Irascitur Dominus vehementer in Iudæos, quòd regressi ab exilio Babylonico vxores suas Hebræas, quibuscum sanctè vixerant, capti amore alienigenarum, abdicarent. *Non respiciam* (inquit) *vltra ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra. Quia Dominus testificatus est inter te, & vxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti, & hæc particeps tua, & vxor* E *fœderis tui. Nonne vnus fecit & residuum spiritus eius est?* Malach. 2. Vides quanti Deus faciat mulierem viro coniugatam, & quo amoris glutino voluerit vtrumque coniugem aduniri? Deus quippe vnus cum sit, vnum ex duobus in sacramento matrimonij effecit. Caueat deinde maritus, ne suam vxorem à se suóque contubernio, & amore separet. Est enim illa residuum spiritus Domini; tanto illam in pretio habet, vel etiam vxor est residuum mariti spiritus; quam ob rem ille vxorem negligens, & alterius amori adhærens truncato viuit spiritu, bona sui spiritus portione se temere priuat.

S. August.

Ancilla intumescit contra dominam.

D. Ambrof.

Exitiale familiæ cum ancilla.

Honoranda viro est vxor.

Malach. 2.

Vir & vxor vna anima.

D.Hieron.

priuat. Vtrumque sensum colligit S.Hieron. cum sic explicat: Residuum spiritus eius, siue Dei, siue mariti; quòd propter affectum quodammodo vna anima in duobus esse videatur coniunctis spiritu. sic Hieron. Prosequitur Dominus per Prophetam: *Et quid vnus quærit, nisi semen Dei? Custodite ergo spiritum vestrum, & vxorem adolescentiæ tuæ noli despicere.* Hactenus Malachias. Seriò ac diligenter expendenda, & veneranda sunt viris illa verba: *& quid vnus quærit nisi semen Dei?* Deus nimirum, qui vnus est, vnitatem corporum & animarum in coniugibus voluit stabiliri, vt ex illa tam sancta duorum vnitate legitima proles oboriatur, quæ pulcherrimo elogio vocatur semen Dei. Vnde rectè inferes spurios, & adulterinos filios, nō semen Dei sed peccati, sed turpitudinis, sed (liceat dicere) diaboli semen posse nuncupari. *Custodite ergo* (declarat S.Hieron.) *spiritum vestrum,* ne abducamini libidine, ne alienigenarum amore vincamini. *Et nolite despicere*, vel custodiam spiritus vestri, vel certè vxorem. hæc ille. Itaque adulter malè suum spiritum custodiuit, sed vltro prædonibus diripiendum exposuit, atque sine anima vti cautes, aut stipes videtur. Denique appositè dicitur vxor, vel spiritus, vel custodia spiritus mariti; quippe cum in vxore, cum qua sanctè, & concorditer viuit, suum habeat spiritum ab insidiis dæmonum, atque ab omni turpitudine securum. Hæc vnitas animorum adeo excellit in coniugibus, vt ab ea potiùs, quàm à coniunctione corporum veri coniuges habeantur, vt videre est in illo purissimo, ac summè Virgineo coniugio Deiparæ Virginis, & sanctissimi Ioseph, de quo ita eleganter loquitur Rupert. *in Matth.1.* O coniugium verum, & sanctum; coniugium cœleste, non terrenum! quomodo enim, & in quo coniugati fuerunt? nimirum in eo, quòd vnus spiritus, & vna fides erat in eis. sic ille. Ah! pudeat demum in Christiano populo, qui Virginem Dei Matrem colit, qui Deum hominem Virginis Filium, & puritatis amatorem adorat, videri homines genere nobiles effusa libidine ad ancillas etiam sese abiicere, suásque familias spurio, & seruili sanguine deformare. Quod malum perstringit, ac deflet S.Saluianus. Ad tantam (inquiens) res impudentiam venit, vt ancillas suas multi vxores putent. Illud perquàm tetrum ac detestabile, quod quidam matrimonia honorata sortiti, alias sibi rursum seruilis status coniuges sumunt, deformantes sancti connubij honorem per degeneris contubernij vilitatem, non erubescentes maritos se fieri ancillarum suarum præcipitantes fastigium nobilium matrimoniorum in cubilia obscæna seruarum, *lib.4. de vero iudicio, & prouid.* Denique optimè colligit contra seruile & abiectum istorum ingenium. Digni prorsus (inquiens) etiam illarum statu, quarum se putant dignos esse consortio. hæc ille.

Deus vnus vnitatē animorum in cōiugibus requirit.
Legitimi filij semen Dei.
Illegitimi semen peccati.
D.Hieron.
Adulter sine anima.
Vir securam habet in vxore animam.
Vnitas animorum verū facit coniugium.
Rupertus.
Detestandus nobilis cum ancillis coitus.
S.Saluian.
Nobiles famulis spurijs decorātur.
Seruile habet ingenium qui seruas deperit.

4. Est & illa optima ratio, cur tantopere aduersus Ismaelem commota, & indignata fuerit Sara, vt eam hisce verbis exponit S.Chrysostom. Quoniam Sara, & se in extrema esse videbat ætate, virúmque suum propè decrepitum esse, verita, ne fortè citò atque etiam repentè ambo morerentur: atque Ismael, quòd ex Abrahæ concubitu natus esset, quoquo modo tentaret se in hereditatem intrudere, & ex æquo cum Isaac eam adiret: iccirco dixit: *Eiice ancillam & filium eius.* Discat iam nihil commune habiturum filium ancillæ cum filio meo. Neque enim congruum est, vt filius Ægyptiæ, & ancillæ cum filio matrisfamilias & dominæ, quasi æqualis sit conditionis, & dignitatis, domi nostræ versetur. hæc S.Chrysost. Et quidem

D.Chrysost.

A prudentissima fœmina nouerat optimè, quantum orbata omni præsidio, cunctísque fortunæ ludibriis exposita sit vidua cum puello adhuc filio, contra quos etiam consanguinei, ac fratres (quod magis dolendum est) quasi coacto agmine ad prædam, ad contumeliam, & nonnunquam ad cædem insurgunt. Mala hæc omnia sibi, & filio suo Salomoni timebat Bethsabee vxor Dauid ab Adonia priuigno, qui etiam viuente patre regnum ambire non dubitauit. Igitur mulier affatur Regem iam morti vicinum: *Erit, cum dormierit dominus meus Rex cum patribus suis, erimus ego, & filius meus Salomon peccatores.* 3.Reg.1. hoc est (vt habet Gl.) Videbimur peccasse aliquid contra te, cum priuabimur regno. Scilicet Dauid iurauerat Bethsabee:

B *Filius tuus regnabit post me.* ibidem. Ergo si per vim & insidias Adoniæ priuaretur Salomon regno, planè omnibus ea insideret opinio matrem, & filium ob aliquod crimen læsæ maiestatis, regno iam dudum sibi iurato priuari; at hanc notam criminis vel falsò crediti ægriùs illi ferrent, quàm ipsammet regni spoliationem. Ac meritò quidem regina tantùm solicita fuit de sua, filiíque fama; nam, vt rectè monet Ferr. Diacon. *ad Rhegin. reg.3.* diuitias inæstimabiles iudica bonam famam. Lyra verò explicat: Adonia nobis imponet crimina ad priuandum nos vita. Quàm facile solet esse atque vsitatum potentibus, ac diuitibus, omnino falsis obiectis criminibus, humiles, & pauperes in inuidiam ac necem vocare! Sic Iezabel, & Achab

C vineam Naboth cupientes subornarunt testes, vt accusarent innocentem: *Benedixit Naboth Deum, ac Regem.* 3.Reg.21. Irascuntur enim diuites (ait S.Ambros. *cap.11. lib. de Nabuth*) & calumniantur, vt noceant, si non obtineant, quod desiderauerint. Produxerunt igitur Nabuthe foras, & lapidauerunt eum. Vtinam vel in suis ei liceret mori. Pauperi ipsam diues inuidet sepulturam. hæc S. Ambros. Cæterùm quid longius ad comprobandam potentium, ac diuitum tyrannidem istam vagamur? *Fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania, astiterunt Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Christum Iesum.* Ps.2. Potestates nimirum mundi, & tenebrarum aduersus humilem & mansuetum IESVM, qui vt loqui-

D tur Isaias cap.53. *de angustia, & de iudicio sublatus est.* LXX legunt, *In humilitate iudicium eius sublatum est.* Declarat egregiè S Hier. quòd iudex omnium iudicij non reperit veritatē, sed absque vlla culpa seditione Iudæorum, & Pilati voce damnatus sit. hæc ille. Quod si Deus ipse supremus Iudex in humana natura non reperit apud iudices huius mundi veritatem; quid quæso fiet miseris omni præsidio destitutis, cū à potentioribus in iudicium vocantur? Enimuerò pauperes, & humiles in mundo in prædam potentium & nobilium haberi solent. Quod S.Saluianus ita deplorat. Quid est omnium aliud dignitas sublimium, quàm proscriptio ciuitatum? aut quid aliud quorundam præfectura, quàm præda? nulla siquidem maior pauper-

E culorum est depopulatio, quàm potestas. Ad hoc enim honor à paucis emitur, vt cunctorum vastatione satietur; quo quid esse indignius, aut iniquius potest? hæc ille *lib.4. de vero iudic. & prouid.* Ingenti siquidem pecunia emunt plerique honorem, præfecturam, & quid simile, quam deinde per latrocinia & iniustitias à misera plebecula extorquent. Vniuersimque illud quàm verissimè apponit: Nemo tutus est pauperum, nec vllus admodum, præter summos, à vastatione latrocinij populantis immunis, nisi qui ipsis latronibus par est in hac conditione: imò in hoc scelus res deuoluta

Periclitatur vidua cum filijs puerulis.
3.Reg.1.
Fama diuitijs præclarior.
Ferr. Diac
Potentes iniquè damnant humiles.
3. Reg. 21.
S.Ambros.
Pauper à diuite oppressus.
Psalm.2.
Isaiæ 53.
D. Hieron.
Christus innocens ab iniquis iudicibus dānatur.
Pauperes potentiū præda.
S.Saluian.
Dignitates ad rapinam.
Dignitates emuntur à prædonibus.
S.Saluian.
Solus latro à latronibus tutus.

est, vt nisi qui malus fuerit saluus esse non possit. hæc ille *lib.* 5. Itaque pauperes affligantur à filiis huius seculi, quia illi non sunt de hoc mundo, leuabunt capita sua cum in regnũ suum intrabunt.

5. Denique Sara procul vult amandari ancillam, quod & Abrahæ tandem persuasum est, nimirum (vti Procop. obseruat) non solum ob eam causam, vt ipse cum vxore pacatam agere posset vitam, relegata est ancilla; sed deportata est, quòd eam malitia infectam cognouerat. Itémque Ismael diuino iudicio pulsus est, quia admodum malitia deprauatus erat, & ob id nullam paternorum bonorum in partem est admissus sic ille Profectò, si diutius Agar, & Ismael domi consisterent, praua sua consuetudine, vitiosisque moribus teneram Isaac mentem inficerent. Vera enim illa sententia est Senecæ, *lib. 3. de ira.* Sumuntur à conuersantibus mores; & vt quædam in contactis corporibus vitia transiliunt, sic animus mala sua proximis tradit. hæc ille. quæ iampridem Poeta cecinerat:

Procopius. *Arcédi à cõtubernio mali.* *Senec.* *Vulgãtur per consuetudinẽ vitia.*

Dum spectant oculi læsos, læduntur & ipsi,
Multáque corporibus transitione nocent.

Prudentissima ergo Sara, vt tam exitiale malum à filio suo auerteret, pestem illam, ac talem procul ablegare curauit. Etenim vt animaduertit Lyra, cognouit Sara, quòd Ismael pronus esset ad luxuriam, & timens ne ad similia induceret filium suum, nunciauit ista Abrahæ. sic ille. Sedent nebulones, ac meretrices, & quicunque ad libidinem incitant, *in cathedra pestilentiæ.* Psalm. 1. inde videlicet omnis impudentiæ, corruptelæque vulgatur contagio, atque ignis more peruagata miserabilem edit stragem animarum. Fugienda est remis, ac velis isthæc pestis: sola enim solet esse in fuga salus, iuxta illud Apostoli. *Fugite fornicationem.* 1. Corinth. 6. Millies in figuris admonet diuina Scriptura vitandam impuræ gentis consuetudinem; vt in leprosis, qui procul extra hominum cætum, & contubernium pellebantur, à quorum contactu seuerissimè cuncti vetabantur; cuius rei admirabile habemus exemplum in Euangelio. Precatus est Dominum Leprosus: *Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens Iesus manum tetigit eum dicens. Volo. Mundare. Et confestim mundata est lepra eius.* Matth. 8. Vbi videtur priùs hominem Christus manu tetigisse adhuc leprosum, quam lepra abscesserit. At multò aliter sensit S. Euseb. Emiss. *homil.* in eundem locum hoc modo interpretatus: Tangit hominem, & fugit lepra; imò etiam priùs lepra fugit, quàm manus ad hominem perueniret: ne si lepram tetigisset, contra legem facere videretur. Lex enim huiusmodi hominem immundum iudicat, quæ omne immundum tangere interdicit. sic Euseb. Quare in hac sententia etiam Dominus Iesus retrahit manum, ne Leprosum tangat, ne cum pestilenti, ac purulento isto libidinis magistro quicquam habeat commercij. Vsque adeò contraria est Deo purissimo omnis impuritas. vt etiam puerperam multos dies post partum à suo templo arcendam iusserit propter menstruas sordes, ac præcipuè ob ardorem concupiscentiæ, quæ in copula deferbuerat. Sic enim lex præscribit: *Omne sanctum non tanget.* Sed hoc (aduertit optime S Eusebius Emiss *homil. de purif.*) non dicitur de beatissima Virgine Maria, quæ ipsum Sanctum sanctorum in gremio tenebat. in sinu fouebat, & Virgineo lacte nutriebat. hæc ille.

Lyran. *Psalm. 1.* *Vulgatur luxuriæ pestis.* *1. Cor. 6.* *Matth. 8.* *Euseb. Emiss.* *Impuritatem Deus abhorret.* *Leuit. 12.* *Euseb. Emiss.* *B. Maria immunis à lege purificationis.*

6. *Durè accepit hoc Abraham, &c.*] Ac iure quidem optimo Abrahæ displicuit consilium vxoris, quandiu à Deo profectum esse nesciebat. Erat enim Agar vera vxor Abrahami, ex quo fiebat, vt

A contra coniugalem fidem, & charitatem esset, misellam fœminam toro & contubernio maritali priuare: atque adeò summum flagitium videretur illam a viro suo repulsam in manifestum perdendæ pudicitiæ, ac vitæ discrimen obijcere. Ad hæc quid tam inhumanum, & iniquum, quam vt pater filium adhuc puerum aut certe adolescentulum, quem alere, quem educare, quem bonis moribus instituere debebat, eiiceret ab domo, & à paterna cura, institutione, atque gubernatione abdicaret? quamobrem vereri poterat Patriarcha ne dictum illud Saræ ab iracundia, & zelotypia inuidiaque muliebri, ac nouercali etiam odio suboriretur: æquissimumque erat ita consulenti mulieri non assentiri, quandiu hoc diuina reuelatione minimè confirmabatur.

Non vxor nec filius expellendi. *Non assentiẽdum mulieri zelotypæ.*

B Dedecet enim virum mulieris imperio regi, quippe cum huius rector, doctor & caput sit ille à Deo constitutus: nec viro perniciosius quicquam acciderit, quàm mulieris parere consilio. In quam sententiam illud pulcherrimè scriptum à S. Hildeb. reperies *Epistol.* 56. In statu innocentiæ totum hominem obedientia vendicabat; omnia enim subiecta, quandiu mulieri subiectus non fuit. Cui postquam male morigeratus est, cœpit esse non suus, & tot dominis seruire, quot vitiis. sic Hildebert. Itaque indecens, & iniqua obedientia viri præstita mulieri separat illum ab ea, quæ Deo debetur, & vitiorum turpissimè addicit seruituti. Ergo Dominus, vt suæ voluntatis Abrahamum faciat certiorem, ait:

Dedecet virũ à muliere regi. *S. Hildebert.* *Obediens fœminæ fit vitiorũ seruus.*

C *Omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius.* Intellige quoad hanc expulsionem ancillæ cum filio: non enim ad omnia vxori tribuitur dominium super maritum. Subtiliter obseruat S. Ambros. Nusquam (inquiens) alibi dixit: *Audi vocem vxoris tuæ,* nisi hic, id est, fecisti iniuriam vxori tuæ, & non mitigasti affectum eius; suscepisti ex ancilla filium, & non honorasti vxoris filium, &c. hæc Ambros. Ratio interdum exigit. Deúsque ipse decernit, vt viri humanitate, & grauitate virili mitigent iracundiam, & dolorem vxorum; audiant illas, & quod iuste poscunt, libenter illis concedant. Hinc etiam intelligant viri sæpe suis rationibus expedire, vt vxorum dicta, & consilia non modò audiant, sed opere compleant; eas

S. Ambros. *Vir vxorem audiat, soletur, honoret.*

D enim Dominus fecit virorum adiutrices; atque interdum illis vtitur ad manifestandam Diuinam voluntatem, & quid in aliqua dubia occasione magis opportunum videtur. Profectò, vt res mortalium habent hac nostra ætate, si vxorum consilia viri sequerentur, prudentiùs, ac salubrius sibi consulerent. Heus tu ô aleator, qui dies, noctésque in ludo consumis, qui dotem coniugis, patrimonia parentum, & auorum, alimenta filiorum prodigè, ac turpiter ita profundis: *Omnia, quæ dixerit tibi vxor tua, audi vocem eius.* Nõ ludum consulit mulier, sed ludum dissuadet, ludum tuum execratur. Quid verò tu desertor fidei coniugalis, legitimam vxorem despicis, atque alienæ torum inuadis, aut meretriciis amoribus turpissimè ad-

Salutaria vxorum consilia. *Vxores cõtra virorũ vitia inclamant.*

E hærescis? Inclamat tibi Deus: *Omnia, quæ dixerit tibi vxor tua, audi vocem eius.* Plorat misera, Deum, hominésque contra infidelitatem tuam, atque intemperantiam implorat: redi tandem ad cor vir illius, & quam in toto à coniuge fidem exigis, eandem illi coniux inuiolatam redde. Omnia ô viri quæcunque vobis dixerint vxores, audite voces earum, cum scilicet agitur de pietate, ac virtute, quarum illæ sunt viris magistræ, pacem illæ cum omnibus, pietatem erga Deum, precandi studium, confitendi, & communicandi frequentem vsum verbo, & exemplo suo (solent enim ad

Sanctæ viris vxores suadent.

virtu

Viris ad pietatem vxores praeunt.

virtutem, & pietatem praeire) viris suis commendant. An non Apostoli fugerant tempore Dominicæ Passionis? an non propter metum Iudæorum domi clausis foribus abditi tenebantur, & mulieres tamen Dominum vsque ad Crucis patibulum secutæ sunt, ac subinde resurrectionem ipsius, & primæ viderunt, & Apostolis nunciarunt? Quocirca S. Hier. *in prolog. super Sophon.* de mulierum laudibus disserens ad hunc modum concludit. Mihi tantum dixisse sufficiat Dominum resurgentem primùm apparuisse mulieribus, & Apostolorum illas fuisse Apostolas, vt erubescerent viri non quærere, quem iam fragilior sexus inuenerat. hæc Hieron.

D Hieron. *Laudatur mulierum pietas.*

Obedientia imperfectiori præstita.

7. Porrò autem non vulgare obedientiæ exemplum à seruo suo Abraham exposcit Dominus, cum iubet, vt audiat vocem vxoris, atque vir tantus, ætate, sapientia, virtutúmque ornamentis, mulieri tamen benè consulenti obediat. Ingentis quidem est meriti hominē homini propter Deum subiici, maximè si subiectus dignitate aliqua superiorem suum superet. Quod tamen, quia durum atque arduum est, voluit ipse Dominus suo exemplo lenius, ac facilius reddere; cum de illo scribat Luc. 2. *Erat subditus illis.* nimirum Virgini Matri, & Ioseph nutritio. Ad quem locum perbellè hanc sententiam colligit S. Euseb. Emiss. Audiant hoc subditi, & subditi esse non dedignentur. siquidem omnibus Prælatus, subditus fieri non est dedignatus. Prælati quoque non superbiant; & in Ioseph Prælato, & in Christo subdito intelligant, quia sæpe fit, vt maioris meriti sint subditi quam Prælati. sic Euseb. Atque vtinam hunc locum rectè, serióque expenderent Prælati, vt omnem tumorem deprimerent, seséque ex corde reputarent inferiores iis, quos verbo regunt, & imperio coercent. Eminent multi dignitate regiminis, sed vitæ merito aut iacent, aut certè repunt humi: contra verò multorum qui alieno pressi moderamine ab humo capita non attollunt, virtutes, ac merita, in cœlum vsque attolluntur. Ac istud quidem præceptum de Agara, filióque eiiciendis tam molestum, & asperum, non sine grandi beneficio Deus mitigat. Omnes (inquiens) promissiones tibi de futuro semine, ac de Christo venturo à me factæ, complebuntur per Isaac filium, quem ardentiùs diligis; ac de Ismaele, quem eiicis ne sis solicitus; in tui quippe gratiam propagabo illius posteritatem. Nihilo tamen minùs posteri tui per Isaac à te descendentes vocabuntur Abrahamidæ, seu Abrahæ filij, & ex illis benedictum semen orietur: contra verò, qui ab Ismaele descendent, non tuo gaudebunt nomine, sed ab aliis Agareni, à se ipsis, etsi falsò nominabuntur Saraceni. Laudanda quidem Sara est, quòd pia mater omnem sinistram occasionem à filio, quem Deo educabat, amoueret. Consuetudine quippe Agar, eiusque filij, innocentia Isaac periclitabatur, quem quidem innocentem suæ victimæ Dominus exposcebat, vti animaduertit S. Zeno Veron. ad hunc modum. In primis infantiæ rudimentis Isaac iubenti, ac deposcenti Deo innocens martyr offeretur immaculata hostia, nec victimæ imparatus, qui testis diuini timoris ad fidem à Domino poscitur. hæc ille, *serm. 2. de Abrah.* Etiam sanctus Dei timor, in quo piè à parentibus instituebatur Isaac, sicuti & amor, facit martyres.

Lucæ 2. *Matri Christus est dicatus.* Euseb. Emiss.

Esse prælatū non est maioris meriti. Subditi Prælatis sanctiores.

Ventura filijs audit Abraham.

Innocentia pueri Isaac paratur sacrificio. S. Zeno.

Timor Dei in Martyribus.

8. *Surrexit itaque Abraham manè.*] Noctu facta fuerat isthæc visio, & collocutio: quare iustus festinauit in ipso lucis exortu Dei præceptis obedire, vt Agaram vxorem cum filio Ismaële ab domo sua pelleret. Pulchrè S. Ambros. ad eum, qui amo-

S. Ambros.

A re ancillæ implicatus vxorem suam toro, & pace per summum dedecus, & iniustitiam priuat, sic effatur. Sicut fecit Abraham, facito & tu: eiice ancillam, vt secura vxor & inoffensa maneat domi: eiice & ancillæ filium; vt non habeat hæreditatis consortium, qui non habet originis priuilegium. hæc S. Ambros. Quæ quidem si viri, quos famularum consuetudo & adulterinæ prolis amor turpiter detinent, prout Deo, ac suis vxoribus debent, præstarent: prudentiùs suo nomini, famæque prouiderent, & sanctiùs, pacatiúsque in coniugio vitam transigerent. Habendum autem pro certo est factum hic fuisse, Deo sic disponente, ac iubente diuortium inter duos cōiuges Abraham, & Agar, quoad contubernium, ac torum; non tamen quo-

Vir securanđo pellicatu vxorē faciat.

B ad vinculum matrimonij, quod sola morte alterius coniugū dissoluitur. Quare Agar nulli, quandiu viueret Abraham, alteri poterat nubere. quæ omnia optimè Abul. Perer. Delrio, obseruarunt. Sic igitur exequitur iussa Domini: iubet abire Agaram, traditque illi filium Ismaëlem: sed quid illud? *Imposuit scapulæ eius*; num scilicet filium? Est enim incredibile adolescentulum ferè viginti annorum, vt bene probat Pererius, mulieris humero, ac ceruici imponere. Agnoscunt plerique Hebraismum, humeris alicuius imponi idem esse, atque illius curæ committi. sicut Isaiæ. 9. *Cuius imperium super humerū eius.* & 22. *Dabo clauē domus David super humerum eius.* Et quidem filium semper (vt dici solet) parentes portant in humeris, vti

Matrimonium indissolubile quoad vinculum.

Isaiæ 9. & 22.

Filius parentibus graue ac leue onus.

C onus graue pariter, ac leue; graue, quia tota vita curas omnes ad solicitudinem parentum exercet, premit, affligit; leue, quia dulce est, quod amore portatur. Hac etiam ratione Ismaël iam illa grandiuscula ætate adolescētulus adhuc vocatur puer, quia omnis filius ad comparationem parentum dicitur infans, & paruulus. quod præsertim matres, quarum tenerior affectus, dictitando vsurpant. Quin etiam videas matura iam ætate viros, ac senio canescentes, si tamen adhuc parentes habeant viuos, pro adolescentibus, imò (vt vulgo etiam teritur) pro pueris reputari. Cæterùm expeditior est huiusmodi soluendi ratio, qua vtuntur S. Aug. & S. Hier. vt verbum, *tradidit*, iungatur cum voce, *puerum*: *Imposuit* autem cum vocibus

Filius viuis parentibus semper puer.

D *panem & vtrem aquæ.* Dedit (inquit S. Aug. *q. 53. in Genes.*) Abraham matri eius panem & vtrem, quæ illa imposuit in humeros suos. Cum autem adiunctum esset, *puerum*, subaudiamus, *dedit*, qui panes, & vtrem dederat, non in humeros imposuit. hæc S. Aug. Sola difficultas nascitur ex lectione LXX. quæ Latinè sic redditur: *Sumpsit panem, & vtrem aquæ, & dedit Agar, ponens super humerum eius, & paruulum, & dimisit eam.* At in Hebræo nulla est obscuritas: sic enim est in ipso fonte. ויקח לחם
הילד וחמת מים ויתן אל הגר שם על שכמה ואת
וישלחה *Vaiqqach lechē vechemath maim vaithē elhagar scham ghal schicmah veeth haieled vaischallechéah* Et tulit panem, & vtrem aquę, & dedit Agaræ ibi super humerum, & puerum, & misit eam.

S. August.

E 9. Igitur Abraham humanæ erga Déum obedientiæ præclarum exemplar. Et si (vt subnotauit Procop.) graue illi, & inhumanum videbatur dimittere Agaram cum filio: veruntamen iubente Deo vtrumque abdicat modico commeatu, ne scilicet in itinere morerentur, eos adiuuans. sic ille. Cæterùm de hac obedientia Abrahami, quæ quidem in re graui ac difficili admirabilior extitit, ita D. Chrys. Durum ei videbatur ancillam, & filium eius dimittere; eo quòd benè afficiebatur erga Ismaëlem, & ideò dissimulauit ad tempus verba Saræ; verùm vbi Dominus præcipit, statim

Vbi Deus præcipit, facessant omnes affectiones. Procop.

Obedientia fortis pro Deo. S. Chrysost.

fecit, quod imperatum est, & genuini amoris oblitus. Quasi diceret: vbi quid præcipit Dominus, facessant omnes afflictiones, quia naturæ Dominus est, qui præcipit. hæc S. Chrys. Quasi alter Phinees zelo Dei armatus, qui verè obediens est, in charissima quæque nomina, & iura desæuit, vt omnibus, quæ diuino obsequio resistunt, quodammodo iugulatis, pietas in Deum seruetur, & voluntas Dei ab homine compleatur. Hinc illud egregiè apponit Lyppom. Manè surgit ad tam arduum obedientiæ opus fidelis, tota nocte tentans contra carnem & sanguinem. Grauissimum illi erat tantis miseriis exponere filium primogenitum, sed credidit non posse malè cedere quod iussisset Dominus. sic ille. Credat obediens Deo, confidat non malè cessurum, quod facere iubetur. Nostris enim bonus Dominus nunquam non commodis consulit. Dixerat quidem Dominus de Ismaele: *Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam quia semen tuum.* Quapropter Abraham alacriter obediens Deo puerum, & matrem eiicit; non illis tamen (vt poterat) abunde cibaria tanto itineri largitus, ne istis potiùs, quàm Dei curæ videretur confidere; quod Theodor. ita expendit. Verumtamen valde diligens puerum fecit quod Dominus præcepit, & sic promissionibus diuinis credidit: quia non datis illi seruis, ancillis, auro, vel argento, e domo iussit abire puerum; sed matre sola, cum paucis panibus, & vtre aquæ. sic Theod. Hanc sententiam sequitur, ac tuetur Abul. quem etiam approbat noster Perer. Tenue quidem, & exiguum datum esse viaticum ex pane & aquis, duobus ad vitam maximè necessariis, iuxta illud, *Initium vitæ hominis aqua & panis.* Ecclesi. 29. Concessit tamen illud qualecunque viaticum, ne aliquali suæ curæ, atque industriæ deesset: duo enim à nobis exiguntur: vt nostram curam & solicitudinem impendamus, at diuinæ misericordiæ plus credamus. Errant igitur, qui rerum suarum aut nullam curam gerunt, totamque illam in Deum conjiciunt: aut non Deo, sed sibi tantùm ipsis confidunt. Contra verò Caiet. nomine panis, & aquæ intelligit non abundantem tantummodo commeatum, sed etiam seruos, ancillas, iumenta, & alia huiusmodi a Patriarcha magnificè donata: sic enim decebat, virũ tam pium, támque diuitem, qui compulsus Dei præcepto ab domo sua filium, & vxorem dimittebat. Non est tamen negandum posteà illis Abraham multa misisse, & eorum necessitatibus liberaliter, ac piè subuenisse: desertum enim Pharàn, in quo habitauit Ismael cum matre, parum distabat ab iis locis, in quibus subinde reliquum vitæ suæ tempus transegit Abraham.

Obediens armatur vt Phinees.

Lyppom.

Obedientia nunquã malè cedit.

Theodor.

Fiducia in Deo cum industria nostra.

Ecclesi. 29.

Caiet.

10. *Quæ cum abiisset, errabat in solitudine, &c.*] Ignara viarum Agar deerrando vagabatur cum filio Ismaele; erat enim vasta, inuia, & horribilis illa solitudo. Consumpta demum est aqua, quam secum in vtre portauerant; ac miser adolescentulus siti enectus deficere cœpit, & vsque adeò æstuare, vt mater de filij vita desperans illum sub vna ex luci arboribus proiectum reliquerit, ne morientem videret. Illud enim, *abiecit*, non sic accipiendum est, quasi mulier filium portasset humeris, illúmque subinde in humum proiecisset. Intelligendum est enim (ait S. Augst. q. 54) proiectum esse non à portante, sed vt fit, ab animo tanquam mox moriturum. Nec enim cum scriptum est Psal. 30. *Proiectus sum à facie oculorum tuorum:* portabatur, cum hoc dixit. Et est in quotidiano loquendi vso, cum proiicitur aliquis ab aliquo, cum quo erat, ne ab illo videatur, aut cum illo maneat. hæc Aug. Itaque filium mater dicitur abiecisse, quando illum sua cura, consuetudine, & præsentia priuatum deseruit, sicut solent infantuli ab inhumanis, ferisque matribus nonnunquam exponi. At erat Ismael iam tunc adolescens. fuerit ita, sed matris cura & præsentia orbari quacunque etiam in ætate maiore, solet ægerrimè ferri. Quid enim tenerius ad affectum cordis, dulcius ad societatem vitæ, quàm dilecto filio mater est? Recessit inde mulier, ne mortem filij oculis suis inspectaret: disrumpebantur quippe (ait S. Chrys.) eius viscera, & dolebat multum mater, ob immodicam erga puerum affectionem. sic ille. Nesciunt enim materna viscera patientiam. dixit S. Ambr. *in Luc. de matre filiorum Zebedai.* Quod in matribus sanctorum Innocentiũ, quos Herodis impietas iussit occidere, multò euidentiùs videre est: Cum scilicet (vt loquitur S. Aug. *serm. 8. de Sanctis*) pugnabat mater, & carnifex: ille trahebat, illa tenebat. Ad carnificem mater clamabat: Quid separas à me, quem genui ex me? Vterus genuit, non mansit ille cum vixit; vbera mea frustra lacte contorquens, cautè portaui, quem à te video manu crudeli iactari. modò eum effuderunt viscera mea, & tu elidis ad terram! vt quid me dimittis inanem? si culpa est, mea est, si non est crimen, iunge mortem, & libera matrem. hæc S. Aug. O dolorem illum intolerabilem; cum mater (ait S. Greg. Nyss. *orat. de Natiuit. Domin.*) ad se filium trahebat, & obiiciebat ceruicem suam acuto gladio ne miserum filium carnificis manu necatum propriis oculis intueatur! sic Nyss. Quæ lamenta mater quælibet effundat aduersus mortem ipsam, cum ante suos oculos filium spectabit moribundũ? Id quidem maternus exigit affectus, supra quem si matris vnquam fortitudo sese eriget, prope miraculum erit, quale considerat. S. Ambr. 2. *offic.* 41. in matre illa admirabili septem Machabæorum. Spectabat (inquiens) læta filiorum, quot funera, tot trophæa; & morientium vocibus tãquam psallentium cantibus delectabatur, pulcherrimam ventris sui cytharam in filiis cernens, & pietatis harmoniam omni lyræ numero dulciorem? hæc S. Ambros. Pulchrè filios vocat cytharam materni ventris, & pietatis harmoniam, qua nihil esse potest matribus iucundius, & gratius.

Filius à matris oculis & cura proiectus.

S. Augst.

Psalm. 30.

Matre orbari graue est.

Mater semper filio dulcis.

S. Chrysost.

Matres impatienter dolent.

D. Ambros.

D. August.

Lamentatur Innocentium matres.

S. Greg. Nyss.

Filij mors acerbissima Matri.

S. Ambros.

Machabæorum Mater admirabilis.

Venter matris cythara. Filij harmonia matris.

11. Longè tamen excellentius miraculum in Virgine Matre visum est, dum iuxta crucem IESV Filij, & Dei sui Mater staret: videbat Filium quem materno supra omnem naturæ humanæ modum amore diligebat, laceris artubus, toto exhaustum sanguine morientem: dolebátque Mater quantum nulla creatura, nec dicendo explicet, nec cogitando comprehendat. Nihilo tamen minùs prudentissima Virgo inenarrabili quodam interiùs exultabat gaudio; nouerat enim illud esse granum frumenti, quod mortuum, & sub humo inclusum paulò post repleturũ esset vberrimo fructu vtriusque Ecclesiæ militantis, ac triumphantis horrea. meminerat vaticinium illud: *Benedixisti Domine terram tuam, dedisti benignitatẽ, & terra nostra dedit fructum suum.* Psalm. 84. videlicet (explicat Guarr. *serm. 4. de Natiuit.*) de vno grano frumenti, quod germinauit aluus Virginis, vbique terra pullulante copiosa messe fidelium. sic ille. Omnes enim iusti, & sancti, omniúmque merita gratiæ, dona fructus sunt ex illo grano scilicet Christo Domino, qui fructus vnus est ventris immaculati, ac purissimi Matris suæ Virginis Mariæ. Igitur Agar habens iam filium pro derelicto, & morituro recessit ad iactum arcus, seditque opposita puero, atque ibi acerbissimo dolore compuncta oculos in lachrymas, & os in suspiria, questus, eiulatúsque

B. Maria dolet iuxta Crucem Filij.

Psalm. 84.

Guarric.

Seges fidelium ex Christo crucifixo.

B. Maria vterfœcundus Dei hominis, & iustorum.

Christi amor erga homines tenerrimus.
Luc. 22.
Christus in horto à discipulis auulsus.

quo lauauit. Et quidem Agar, etsi mater, à filio recessit; quantum iactus est arcus: at Dominus IESVS in horto, vt scribitur, *auulsus est à discipulis, quantum iactus est lapidis*. Luc. 22. Vt admiremur, ac veneremur in Christo Domino, teneriorem, ac vehementiorem erga discipulos atque adeò mortalium genus, pietatis, & amoris affectum, quàm in matribus insit. Minori quidem spatio recessit; imò non tam recessit, quàm auulsus est, quasi violenter inde compulsus. Sed quid tunc Ismael? Fleuit quoque, atque contenta voce lamentatus est, vt colligit S. August. ex illis Angeli verbis: Audiuit Deus vocem pueri de loco, in quo est. Fleuit autem ille, non tam sensu doloris ex siti, ac morte iam vicina, quàm ob charissimæ matris absentiam, quæ sibi multò acerbior, quàm mors ipsa videbatur. Sic enim S. August. effatur: Quid mirum, si etiam illa ætate matre diutius non visa, & tanquam perdita, eo loco, vbi solus remanserat, puer fleuerit? ita S. August. Scilicet tomi, & humano filio grauior est matris, quàm vitæ iactura: morietur libens Ismael, si videns matrem obibit. O amorem filij erga matrem omnibus admirandum, &, imitandum! Fleuisse quoque puerum existimat Caiet. Sed querula voce Dei opem implorasse: sic inquiens. Hinc habetur quòd non sola mater querula voce fleuit, sed etiam puer sub arbore iacens; imò quòd puer vocem suam direxerit ad Deum, mater autem ad mortem filij imminentem; non enim dicitur, quòd Deus exaudiuit vocem matris, sed vocem pueri. hæc ille. Profectò sæpè inter afflictiones, & dolores ploramus, & clamamus, nec tamen exaudimur; quia non ad Deum fletus nostros dirigimus, sed temerè, ac frustra lamentamur.

August.
Filius dolet absentiã matris.
S. August.
Grãdus amor filij erga matrem
Caietan.
Fletus & preces ad Deũ dirigantur.

12. Neque verò verisimile non est Ismaelem iam cum morte colluctantem præteritæ vitæ pœnitentia compunctum peracerbe doluisse, ac Dei misericordiam implorasse, quod Lyra his verbis tradit. Ismael iam erat viginti annorum, vel plus; & ideo videns se in periculo mortis, de malis suis præteritis doluit, & Dominum rogauit pro vita sua, & fuit exauditus. Exaudiuit enim, ac si dicat: attendit Deus pœnitentiam, quam nunc habet, in quo iacet, non autem malitiam, quam antè exercuit in aliis locis. sic ille. Vide quantum Ismaeli profuerit afflictio: doluit quippe, pœnitentiam veram habuit, Dei præsidium implorauit, in solitudine, in siti, in æstu, in mortis discrimine, qui paulò antè in domo paterna cum matre abundans, lætus, & otiosus, non diuina, sed ludicra, inania, & fortè impudica, & impia exercebat. Sed ô præclaram Diuinæ misericordiæ commendationem! Mater abscedit, filium proiicit, ne illum videat morientem, & ne audiat eiulantem. At *Deus exaudiuit vocem pueri*. Optimè illud colligit S. Chrysost. Misericors Deus patris, & matris erga nos curam sua transcendens pietate exaudiuit, &c. Scilicet ô bone Deus, *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor*. Psal. 9. *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me; Dominus autem assumpsit me*. Psal. 26. *Adiutor est in opportunitatibus, in tribulatione*. Psalm. 9. Contra verò contendunt alij, non puerum clamasse (fortè iam moribundus ne aperire quidem os poterat) sed matris eiulatum, & preces pro filio tanquam ab illo edita reputari. Quo sensu ita commentatur Lyppom. Abiit mœsta mater semiuiuo relicto filio, quem Domino committebat. Corde, fide, lacrymis orabat Dominum, fortissima prece inclamauit. Exaudiuit Dominus vocem pueri, cum non puer fleuisse, vel exclamasse, sed mater scribatur. Sed clamabat ætas innocens; fides Abrahæ, promissio Dei, lacrymæ matris. Oculi autem Domini vbique intuentur necessitates fidelium. sic ille. Felix qui piam matrem habet, huius enim preces, ac si ab illo fiant, à Deo piissimo iudicantur. Itaque sensus hic reddi potest: Fleuit mater, & precata est Deum pro puero: Deus autem exaudiuit preces effusas pro puero; quare illud, *vocem pueri*, significat vocem matris pro filio in lacrimas, precésque effusam. Fauétque huic explicationi S. Hieron. qui sic exponit: Agar leuauit vocem suam, & fleuit, & exaudiuit Deus vocem pueri. Flente enim matre & mortem filij miserabiliter præstolante, Deus exaudiuit puerum, de quo pollicitus fuerat Abrahæ; alioquin, & ipsa mater non suam mortem, sed filij deplorabat. Pepercit igitur ei Deus, pro quo fuerat & fletus. hæc Hieron. Dicitur etiam Deus exaudisse vocem pueri, quia tenerior ætas ad commiserationem commouere solet, quod ita Procop. euoluit. Amanter præsens locus excipiendus, & tractandus est, cum videamus pueros orantes exaudiri. Et sanè neutiquam despiciendi sunt spirituales liberi, etsi nondum perfectionem fuerint consecuti; siquidem & horum vocem exaudit Deus. sic Procopius. Quod potest esse Prælatis, & Doctoribus egregium documentum, vti audiant, fouéantque subditos adhuc in virtute pueros, cum in aliqua tribulatione constituti lamentantur, opémque implorant.

Lyran.
Vera pœnitẽtia Ismaelis.
Afflictio pœnitentiæ occasio.
D. Chrysost.
Deus affectu parentes superat.
Psalm. 9.
Psalm. 26.
Psalm. 9.
Lyppom.
Potẽs est oratio matris pro filio.
Clamãt matris lacrymæ.
D. Hieron.
Matris oratio filij esse censetur.
Oratio puerorum Deum commouet.
Procopius.
Prælati foueant imperfectos.

13. Igitur Angelus ex mandato Domini forma visibili apparens, vocat mulierem nomine proprio, quærit quid agat, vel vt in Hebræo legitur; *quid tibi?* מה לך *mah lacha*. Scilicet quid tibi euenit? quæ tua isthæc est comploratio? Vult Dominus, & crebrò in Euangelio, à miseris, infirmis atque tribulatis propriam exprimi necessitatem, vt subinde recreati magnitudinem Diuini beneficij euidentiùs agnoscant, & alacriùs venerentur. Quid tibi? quorsum tibi nunc diffidentia in Diuinis promissionibus, quas sæpenumero accepisti de filio tuo, qui erit futurus magnæ cuiusdam & copiosæ gentis princeps? Vult etiam Dominus palam manifestari mulieris istius abiectum animum, ac Dei verbis toties repetitis neutiquam credentem: vt quo illa magis indigna videbitur, eo illustrior Dei beneficentia erga illam habeatur. Indignis etiam principes interdum (sed nescienter tamen) conferunt beneficia. Nec enim illis tam est studium, vt inquirant dignos, quàm receptores beneficiorum. Hinc illud sapienter scribitur à S. Hildeberto *Epist.* 16. Difficile est discretè semper, ac prouidè beneficia collocare. Nesciunt hanc excelsæ potestates prouidentiam: quas pulchrum est benefacere, vel indignis. sic ille. At Deus omnipotens scienter, & clementer indignos fouet, & recreat; *pluit* enim *super iustos, & iniustos*. Matth. 5. Eia (inquit) surge mulier, regredere ad filium, quem reliquisti moribundum, tolle ab humo iacentem, languidum, semimortuum, leua, vt viuat, curam illius age, tene manum eius, in Hebr. והחזיקי את ידך בו *vehachaziqui eth iadech bo.* & inualescere fac manum tuam in eo. Mandat enim (exponit Caietan.) Angelus, non solùm, vt tollat puerum, sed vt operam det ad hoc, vt puer validus fiat. Valida quidem, ac potens est manus, cura, & solicitudo matris, vt filius accrescat, validóque robore virium, animorúmque præcellat. Proh quantum debetur matribus! Cæterùm D. Hieron. in verbo, *Tolle*, non ab humo iacentem intelligit eleuari, sed sociari tantùm, & confortari. Sic enim scribit *in quæst. Hebr.* Surge, tolle puerum & tene manum eius. Ex hoc manifestum est,

Vult Deus ab homine necessitatem exprimi.
Indignis interdum benefacit Deus.
S. Hildebert.
Pulchrum est indignis benefacere.
Matth. 5.
Caietan.
Valida cura matris de filio.
D. Hieron.

est eum, qui tenetur, non oneri matri fuisse, sed comitem. Quod autem manu parentis teneturi solicitus monstratur affectus, hæc S. Hieron. Cuius sententiam ita quoque sequitur & exprimit S. Augustinus loco iam indicato. Hoc ergo non vt eum de terra velut iacentem tolleret, dictum est, sed vt ei coniungeretur, & eum manu teneret, deinceps comitem, sicut erat; quod plerumque faciunt simul ambulantes cuiuslibet ætatis. sic Augu. At vtrumque simul præstitit mulier, manu eleuans filium iacentem, affectuque, & voce prædulci mœstum, ac penè mortuum recreans, & ad vitæ auram excitans. Denique vel Angelus monstrauit puteum, vel illa iam à priori turbatione, ac timore paululum recreata oculos huc illuc attollens conspicata est puteum, quem antea non potuit videre, vel quia inter syluas ille abditus latebat, vel quia mentes amborum odio Saræ, cuius industria eiecti fuerant, doloréque atque impatientia oppressæ penè vsum rationis amiserant, oculique subinde passionibus animi caligantes, etiam puteum ante positum non videbant. Hæc solet esse vis alicuius vehementis passionis, vt illa conturbati etiam in rebus omnino necessariis, manifestis, & luce ipsa clarioribus, nec mentem, consiliumque ad intelligendum, nec oculos ad aspectum cæci, atque amentes habere videamur. Ergo alacris concito gradu currit ad puteum, aquam haurit, filióque dat ad bibendum, qui sitim leuans ad se redit. Bene hic Procop. Impossibile (inquit) est, vt quis conspicetur fontem aquæ vitæ, nisi Deus discussa oculorum caligine, ipsum nobis videndum proponat. sic ille. At quæ ancilla, quæ mulier, quæ mater nobis puteum, fontémve aquæ viuæ Deum hominem præbuit, vt ex eo gratiam, beatitudinémque sempiternam bibamus: nisi ancilla Domini, mulier peccati & serpentis interfectrix, Virgo Mater Dei? O admirabilis rerum commutatio! mulier vna puteum mortis aperuit; mulier altera vitæ fontem ex se protulit. Igitur vt pulchrè dictum est à S. Gregor. Nyssen. *orat. in Natiuit.* à muliere mulier defensa est; illa induxit peccatum, hæc gratiam intulit. ita Nyssen. Præclarum sanè beneficium Deus homini confert, cui aperit oculos, vt videat puteum aquarum viuentium, & fontem aquæ salientis in vitam æternam, Virginem dico Matrem Dei, quam qui inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino. *Ecclesi.* 24. Perenniter quidem circumfluit largissima donorum, ac bonorum vbertate pietas ac deuotio iustorum erga sanctissimam semper Virginem Dei Genitricem Mariam. Porrò Ismael cum matre habitauit in deserto inter pastores, adolescens venationi ferarum dedit operam adeo peritia sagittandi præcellens, vt veluti magister iuxta vim Hebræam haberetur, ac monitu, & consilio matris (nec enim bonus ille filius vxorem pro libito voluit eligere) Ægyptiam, quo de genere mater erat, duxit in matrimonium. *Fuitque Deus cum eo.* Ex quo apparet (inquit Caietan.) nugas esse, quòd Ismael exercuerit latrocinia. Si enim Deus erat cum eo, longè erat à latrociniis. sic ille. Itaque Deus Ismaelem bonis temporibus abunde florentem reddidit, gratiámque suam illi, & salutem animæ (vt piè creditur) condonauit, idque in exilio in deserto inter exteras, barbarasque gentis tentoria: erat enim Deus cum eo. Vnde colligit optimè S. Chrysost. Maxima ergo securitas, & inexpugnabilis murus est gratia Dei.

S. August. — *Vehementi passione mentis & oculos excæcat.* — *In sola Deo fons aquæ viuæ.* — *Procopius.* — *B. Maria vitam attulit mundo.* — *S. Greg. Nyss.* — *B. Maria mulieres defendit.* — *B. Maria puteus aquarum viuentium.* — *Ecclesi. 24.* — *Filius per parentes statum vitæ suscipiat.* — *Caietan.* — *Ismael salutem animæ adeptus est.* — *Securum gratia Dei reddit.*

¶ 24. *Dixit Abimelech, &c.*] Longè, latéque peruebuerat inter illas gentes nomen, fama, virtúsque Abrahami. Inore omnium erat victoria de quinque regibus, occursus Melchisedech Regis Salem, Angeli cælitus dimissi ad illius tabernaculum, Sodomiticæ gentis, ac regionis conflagratio diuinitus illi reuelata, miraculum natiuitatis Isaac ex patre sene, matréque supra grandæuam, semper sterili; Deinque pro illo, & vxore contra Reges Ægypti, & Palæstinæ admirabile præsidium, iudicium, & vindicta. Denique virtus, pietas, ac prudentia illius, in sui stuporem omnes vicinarum regionum incolas adduxerat: quibus permotus Rex Palæstinorum amicitiam Abrahæ vehementer ambiens societatis fœdus ab eo expetiuit. Quod quidem nouum est, & insiatum inter Reges, præsertim ethnicos, & barbaros, qui voluntatem, vel potius libidinem suam pro summa, & inuiolabili lege esse volunt: quòd si aliquando fœdera pacis ineunt, non sponte, sed vi aliqua cogente id præstant. Ea quo sequitur illud, quod scribit S. Hildebert. *Epist.* 75. nimirum: suspecta est pax ad quam non amore, sed vi sublimes veniunt potestates. Ea facilè rescinditur, vt nouissima illius peiora prioribus. sic ille. Nec minùs admirandum extitit, Abrahamum sic adeo gloriosum non vocari in inuidiam, sed in amicitiam à viris principibus obnixè rogari. Etenim, vt Sallustiana habet sententia, Regibus boni, quàm mali suspectiores sunt: sempérque his aliena virtus formidolosa est. sic Sallust. *de bell. Catilin.* Profectò nec vlli magis infesti, atque exosi, quàm quos vel suspiciendos facit virtus, vel dignitas metiendos. Sapienter sibi consulebat, qui Dominum precabatur ne ipsi externa illa dona largirentur, quibus conspicuus hominum concitaret inuidiam, & inaniter intumescens in superbiam contra Deum eleuaretur. Et quidem grauiora subeunt pericula exteri, ac peregrini; dum alieno in solo laudis, & gloriæ fama celebrantur. Scitum est enim, quod Polybius *lib.* 1. obseruat: Egregia facinora, & res præclarè gestas, magnam plerumque inuidiam conflare, grauésque struere calumnias: quibus ciues quidem cognatorum, & amicorum multitudine freti, fulsique, facilè obsistunt; hospites verò, ac peregrinos, quia omnis præsidij expertes sunt, vtroque modo facile opprimi, & conteri. sic ille. Verum, tam præclara, & (vt ita loquar) prodigiosa virtus extitit inter Palæstinos Abrahæ, virtus & gloria, vt extra omnem inuidiam esse crederetur. Quare Rex priuati hominis, & peregrini famam illam gloriosam, non inuidiæ liuore proscindens, sed honorandam amandámque iudicans, illius amicitiam, ac societatem fœdere sanctissimo confirmandam vltro exposcit. *Iura* (inquit Rex) *ne noceas mihi.* Hebr. תשקר לי *Tischquor li.* Verbum שקר *schaquar*, mentiri L X X. *ἀδικήσειν με*, nocere mihi. Qui enim temerè fœdus sancitum violat mentitur quidem Deo, & hominibus: hoc autem mendacium, & hæc fœderis violatio tunc committitur, cum alter alteri nocet. Multa in hoc locum eruditè noster Delrio. Sed quid sibi timet Abimelech à Patriarcha? Nemini enim (ait Procop.) iniuriam facit iustus ne fando quidem audiuit Abimelech aliquem ab Abrahamo iniuria esse affectum. sic ille. Optima quidem illa consecutio. Iustus erat Abraham: ergo nulli nocebat. Nec enim virtus alicui est inimica, sed omnibus officiosa, non quærens quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi. Hæc nota est veri Christiani, vt iure optimo celebretur illud Tertul. Christianus nullius hostis est. Nimirum Deum pacis adorat, discipulus Christi est, legem illius ritè obseruat, cuius tota dilectio est. At qui ex præcepto Christi diligit, etiam inimicum diligit vti seipsum. Vnde

Celebris fama Abrahæ inter gentes. — *Regibus appetitus pro lege.* — *S. Hildebert.* — *Suspecta potentium pax.* — *Sallust.* — *Inuidia bonos persequitur.* — *Polybius.* — *Qui eminet, inuidiam cōflant.* — *Externi si eminent, inuidiam concitant.* — *Abraham supra inuidiam clarus.* — *Delrio.* — *Procopius.* — *Iustus nulli nocet.* — *Virtus officiosa omnibus.* — *Tertul.* — *Christianus nulli est inimicus.*

m

S. Paulinus. *Iniquitas est se solum ipsũ amare.* *Indignum est nocere homini.*

monet sapienter S. Paulin. *Epist.* 32. Caue ipsum te tantummodo ames, si te amas, qua iniquitas est ista dilectio.

15. Sed heu me miserum! quæ nostra temeritas est, quæ cæcitas, vt proximum, hoc est Dei creaturam, Dei sanguine redemptam odio prosequamur? quid maius homine, quem lædis, qui tanti valet (vt loquitur S. Aug.) quanti Deus? videlicet, nullo alio pretio emptus est, redeptus est, quam ipsomet Deo, qui se in pretium nobis dedit. Pulchrè S. idem Paulin. indicata Epist. exclamat: Gratulemur, quia magno empti sumus, quippè, sanguine ipsius Domini; quo pretio, & viles, & venales esse desistimus. sic Paulin. egregiè dictum. Redempti scilicet infinito pretio, Dei sanguine iam amplius nec viles, nec venales sumus: nec vllo pari pretio possumus æstimari, cum vincat omne pretium homo Dei sanguine redemptus. Nec item vendi, emique potest, quem tam Deus sibi suo redemit sanguine, si hominem quis alius rapiat, non emptor, sed latro est; rapuit, non emit. Expostulat verò Rex amicitiam Abrahæ, quem reueretur, ac timet, ob diuina præsidia, quibus hominem circumvallatum esse probè agnoscit. Petit autem amicitiam, mutuo sancitam fœdere, vsque ad tertiam generationem; nec sine mysterio; vt ostendatur postea sine periurio ab Israelitis occupatam fuisse terram Geraritarum, mortuis iam tertiis successoribus Abimelechi. Hebr. habet: *Filio meo, & nepoti meo.* Sed sensum optimè reddunt LXX. & noster interpres. Hoc autem fœdus ictum, sancitúmque est non alio ritu, quàm mutuo pacíscentium iureiurando: nec aliud quid à Moyse narratur. Duo restant explicanda. Primum quidem de puteo. Sciendum est autem prope Geraras effossum fuisse puteum à seruis Abrahæ, antequam eiiceretur Agar, quem deinde Palæstini violenter, atque iniquè abripuerunt. Hanc iniuriam refert, & queritur Abraham, cum de sanciendo fœdere sermo esset; in quo longanimitas Abrahæ commendatur, qui suarum rerum iacturã tacitè. & non nisi oblata occasione ad firmissimè stabiliendã pacem Regi denunciat, pacem videlicet omnibus suis commodis anteponens. Pudeat ergo inuidos, & maledicos, qui Regum auribus obganniunt, & aliorum facta, & infecta virulentis accusationibus proscindunt. Rectè appellatur à Ferr. Diacon. *ad Regin. regul.* 3. detestabile delatorum genus. Ac bonus quidem Rex ignorantiam facti prætendit; nam si suorum iniustitiam resciisset, vtique seuerissimè castigasset. Ah quam sunt hodie multi Principes, si illorum respicias ingenia, optimi quidem; quos tamen malorum ministrorum iniquitas reddit infames, atque suis subditis perniciosos, ac tyrannos! quo de argumento idem Ferr. hæc perquàm prudenter adiungit. Quid miseros iuuat, si Dux exhibeat continentiam boni Ducis, & alius sibi de potestate illius occasionem faciat auaritiæ satiandæ? tales habeat socios, ac ministros, qualem se esse debere cognoscit. Quisquis enim Duci familiariter inhæret, cui multa exequenda committit, manus est Ducis meritò quicquid illi accipiunt, ad illum sine dubio creditur peruenire. sic ille. Itaque Abraham Regi suas patefacit querimonias, vt omnem, si quis animo lateat, dolorem verbis expuat; ac Regis responsione penitus diluat, quo ad firmandam pacem pacatius, & sincerius recedat. Quod Procop factum ita subnotauit. Pacto firmato, nihil tristitiæ in animo sibi reseruat. Non enim ore solummodo, vt cæteri solent, sed animo quoque fœderum religionem inuiolatam conseruare voluit Abrahamus. sic

D. August. *Redemptionis humanæ infinitũ pretium.* D. Paul.

Abraha patientia.

Ferr. Diac. *Infame genus delatorum.*

Mali ministri Reges suos infamant.

Abrahã pacis amator.

Procop.

A Procop. Alterum est de septem agnis; quę quidem ad ritum fœderis paciscendi non pertinent, quod tantum iuramento vtrinque adhibito statutum est. Igitur eas de toto grege segregatas, tanquam opimas, & optimas Regi pro amicitiæ munere, seu vt alij volunt, pro pretio agelli, in quo erat puteus, Abraham donauit. Idque prudentissimè, vt omnem subinde rixarum occasionem tolleret, sicuti Procop. animaduertit, his verbis. Septem agnas statuit seorsum in conspectu Abimelechi, scilicet, vt essent pretium loci, hoc modo controuersias, quæ inde exoriri possent, reprimens prudenter. ita Procop. Ac bona quidem ætas illa mortalium, in qua quicquid emptum pretio erat, & in possessionem veniebat, deinceps tutum nul-

B lisque pertentatũ litibus habebatur. Porrò puteus iste vocari cœptus est Bersabee, coalescente nomine ex duabus vocibus, באר *beer*, quæ significat *puteum*, & שבע *sabagh*, quæ significat *iuramentum*, *& septem*; prope quem condita ciuitas est eodem nomine Bersabee, terminus scilicet totius terræ promissionis versùs meridiem, sicut ex aduerso versùs septentrionem alter erat terminus Dan, quare longitudo terræ promissæ declarari solet his verbis: à Dan vsque Bersabee.

16. *Abraham plantauit nemus, &c.*] Hebr. *ēsel*, אשל *arborem*, singulari, pro populari, arbores, arboretum; aut scilicet pomarium ex arboribus fructiferis; aut nemus, lucúmue, ex infructiferis, sed amœnis tamen amplum, & frondosum. Vtrum-

C que, & Hebræi, & nostri volunt. Et quidem hortum plantauit cùm in vtilitatem suæ familiæ, tum etiam vel maximè ad recreandos, alendósque hospites. sic enim Hebræi in suo Targo Hieros. scribunt. Abraham hortum plantauit plenum optimis fructibus: & peregrinos suscipiens hospitio, gratis omnia illis suppeditabat, nihil aliud exigens pro pretio, nisi vt conditorem, rectorémque cœli & terræ agnoscerent, & colerent, cuius nempe donum esset quicquid comedissent, & bibissent. sic veram religionem edoctos, & ad melioris vitæ instituta conuersos dimittebat. Hæc ex Hebræis, quæ quidem rectè spectari, & credi possunt de pietate, ac zelo animarum, Patriarchæ, iam tunc exemplo suo prouocantis, ac pariter edocentis vi-

D ros Principes, ac Reges, qui postea insigni quadam pietate præditi amplissimos virorum, ac mulierum cœtus congregarunt, extructis cœnobiis, & parthenonibus, attributis regali magnificentia redditibus pinguissimis, vti Deo consecrati viuerent vitam sanctissimam, ac diuinis laudationibus Angelorum more, dies, noctésque vacarent. Quod planè vaticinatus est Isaias inter maximas Ecclesiæ Christianæ felicitates cap. 60. vbi multa inuenies in hanc sententiam, qualia sunt. *Ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum ministrabunt tibi; suges lac gentium, & mamilla Regũ lactaberis.* LXX. legunt; *diuitias Regum comedes.* Quæ vbera (inquit S. Hieron.) secundum Hebraicam veritatem diuitiæ sunt Regum. His abundè,

E sed in communi tamen, alantur viri religiosi, ne foràs cogantur egredi ad victum quæritandum, & soliciti de corpore curando curam omnem animæ, Deique abiiciant. Cæterùm iidem nihil sibi arrogant proprium, paupertatem in omnibus, & amant, & complectuntur; timent si quid vel ex facultate maiorum circumfluat; gaudent, cum vel necessaria quandoque desunt. sic enim S. Petrus Damian. *lib. de Domin. cap.* 1. Seruus (inquit) Dei cum temporale quid percipit, debet timere; tunc gaudere, cum perdit, quia cui propositum est cælestia scandere, expeditiùs proculdubiò, vacuus, quam

Procop.

Abrahæ tempore non erãt lites.

Termini terræ promissionis.

Egregius animarum zelus in Abraham.

Christianorum Principum opibus extructa cœnobia.

Isaiæ 60.

S. Hieron. *Opes Regum vbera.*

Religiosorum victus & paupertas.

S. Petr. Dam. *Timent in prosperis iusti, gaudent in aduersis.*

quàm onustus graditur. hæc S. Petr. Dam. Hæc inter alias nobis venit vtilitas ex paupertate euangelica, vt temporalium bonorum, & affectuum graui sarcina liberati expeditiùs, ac securiùs in cæli arduum culmen sempiternis potituri bonis ascendamus.

Pauperes spiritu expediti volant in cælum.

17. Pluribus placet nemus ex infructiferis, sed amœnis tamen ac frondosis arboribus constitum esse, quod quidem ante legem scriptam nondum erat prohibitum. Fuit autem Iudæis seuerissimè à Domino interdictum, lucos istos, aut plantare, aut subintrare. *Deut.* 12.& *Oseæ* 4 propter periculum idololatriæ; gentilitas enim vanis deorum superstitionibus dedita in syluis, ac nemoribus iuxta proceras arbores, & patulis diffusas ramis nefandam suam impietatem exercebat; vt passim legere est apud ethnicos scriptores, & strictim indicat Plin. *lib.* 12. *cap.* 1. ita scribens: Hæc fuere quondam numinum templa: priscóque ritu, simplicia rura etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant: nec magis auro fulgentia, atque ebore simulachra, quàm lucos, & in iis silentia ipsa adoramus. Arborum genera numinibus suis dicata perpetuò seruantur, vt Ioui esculus, Apollini laurus, Mineruæ olea, Veneri myrtus, Herculi populus: quin, & Syluanos, Faunósque, & dearum genera syluis, ac sua numina, non secus ac cœlo attributa credimus. hæc ille. Contra verò Dominus iuxta, intráne templum, lucos, vel arbores esse prohibebat: ob eas etiam rationes, quas apponit Philo Hebr. *lib. de monarch.* Primò (inquit) quoniam verum Dei templum, non amœnitates postulat, sed seueram castimoniam. Deinde, quia non est fas illuc importare quæ faciunt ad virorem arborum, hoc est, brutorum, & hominum excrementa. Tertiò, quia syluestris materiæ nullus est vsus, cum sit inutile pondus: fructiferæ autem arbores parùm cordatos & pios ab intentione animi, religionéque sacris debita retraherent. Denique condensa syluarum maleficis conueniunt, ex latebris securitatem, & insidiarum occasionem quærentibus: at patentia, & oculis exposita loca, quæ introgressi, & videri ab aliis, & videre alios possint, sacris maximè apta sunt, & accommodata. hactenus Philo. Exigit enim Dominus ab iis, qui ad templum accedunt omnimodam corporis,& animi puritatem, synceram,& intentum deprecandi studium. Itaque Abraham extruxit nemus, cum adhuc templum non esset, amœnioris habitationis gratia, vt esset locus diuino cultui sacratus; quò ipse quietiùs accederet ad sacrificandum Deo,& diuinis laudibus, ac meditationibus insistendum. Amat enim secessum Deo mens intenta: verúsque religiosus secretum amans mirabiles facit in studio virtutum progressus: contra verò in publicum frequenter,& cupidè prodiens breui bonorum omnium spiritualium facit naufragium. In quam sententiam ita scribit S. Petr. Damian. *apolog. de contemp. cap.* 20. Fons, qui vndequaque, ne effundatur, occluditur, vndis ad alta profluentibus eleuatur. E cōtra qui per plures riuos hinc inde deducitur, mox, vt super eum æstus feruentior incubuerit, exsiccatur. sic ille. Quia Abraham inuocauit ibi nomen Dei (de quo Hebraismo sæpiùs disseruimus) meritò Caiet. aduertit, rationabilibus (inquiés) esse vt nemus quoddam tanquam templum effecerit, velut locum sacrum ad inuocandum nomen Dei; vt esset oratorium tam sibi, quàm aliis colentibus verū Deum. hæc ille. Hinc nos discamus oportet liberalitatem erga peregrinos exhibere, & studium impendere promouendæ gloriæ Dei, & cognitioni diuini nominis ad Ignorantes, vt omnis nostra industria,& cura, peculiúmque, & eloquium Domino Deo nostro inseruiat. Memini aliquando me audire à concionatore (dicto applausit consessus audientium) legi ex Hebræo: *Instituit scholam*. En fructus imperitiæ linguæ Hebrææ! Quid quæso *אשל eschel*, arbor cum schola? Habitauit autem iis in locis Abraham aliquot annis, more tamen peregrini & hospitis, qui non habeat ciuitatem permanentem, sed futuram inquirat. Abrahæ quippe nullam terræ illius portionem Dominus possidendam donauit; licet ille agellum cum puteo coemptum pecunia possederit.

Deuter. 12. *Oseæ* 4. *Idololatria in lucis, syluis, arboribus.*

Plin.

Lucos, & arbores longè à templo Deus arcebat.

Phil. Hebr.

Templa index tu patentibus.

Religiosus in secreto crescit, in publico perit.

S. Petr. Dam.

Caiet.

Zelus cognitionis & gloria Dei.

Nulla terra promissa partem possedit Abraham.

CAPVT VICESIMVMSECVNDVM.

1. QVæ postquam gesta sunt, tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abrahā, Abrahā. At ille repōdit: Adsum.

2. Ait illi: Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis: atque ibi offeres eum in holocaustum super vnum montium quem monstrauero tibi.

3. Igitur Abraham de nocte consurgēs, strauit asinum suum: ducens secum duos iuuenes, & Isaac filium suum: cúmque concidisset ligna in holocaustum, abiit ad locum quem præceperat ei Deus.

4. Die autem tertio, eleuatis oculis, vidit locum procul:

5. dixítque ad pueros suos: Expectate hic cum asino: ego & puer illuc vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.

6. Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum: ipse verò portabat in manibus ignem & gladiū. Cúmque duo pergerent simul,

7. dixit Isaac patri suo: Pater mi. At ille respondit: Quid vis fili? Ecce, inquit, ignis & ligna: vbi est victima holocausti?

8. Dixit autem Abraham: Deus prouidebit sibi victimam holocausti, fili mi. Pergebant ergo pariter:

9. & venerunt ad locum quem ostenderat ei Deus, in quo ædificauit altare, & desuper ligna composuit: cúmque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum.

10. Extendítque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum.

11. Et ecce Angelus Domini de cælo clamauit, dicens: Abraham, Abraham. Qui respondit: Adsum.

12. Dixítque ei: Non extendas manū tuam

tuã super puerũ, neq; facias illi quidquã: A nunc cognoui quòd times Deum, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me.

13. Leuauit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio.

14. Appellauítque nomen loci illius, Dominus videt. Vnde vsque hodie dicitur: In monte Dominus videbit.

15. Vocauit autem Angelus Domini B Abraham secundò de cœlo, dicens:

16. Per memetipsum iuraui, dicit Dominus: quia fecisti hãc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me:

17. benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas, & velut arenam quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum.

18. & BENEDICENTVR in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.

19. Reuersus est Abraham ad pueros suos, abierúntque Bersabee simul, & habitauit ibi.

20. His ita gestis nuntiatum est Abrahæ quòd Melcha quoque genuisset filios Nachor fratri suo,

21. Hus primogenitum, & Buz fratrem eius, & Camuel patrem Syrorum,

22. & Cãsed, & Azau, Pheldas quoque & Iedlaph,

23. ac Bathuel, de quo nata est Rebecca: octo istos genuit Melcha, Nachor fratri Abrahæ.

24. Concubina verò illius, nomine Roma, peperit Tabee, & Gaham, & Tahas, & Maacha

SECTIO PRIMA.

Tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum, Abraham, Abraham. At ille respondit: Adsum. Ait illi: Tolle filium tuum, &c. vsque ad *monstrauero tibi.*

1. TENTAVIT *Deus Abraham, &c.*] Aggredimur explicandam nobilissimam, atque per omnes gentes, ætatésque celeberrimam historiam sacrificij Patriarchæ Abrahami. quoto anno Abrahæ & Isaaci, & quanto tempore post eiectionem Ismaelis, & Agar illa contigerit, nec traditur à Moyse, nec facili coniectura poterit cognosci. Sed quid sibi vult hæc tentatio? (*Quotuplex sit tentatio.*) Ac omissa quidem mala tentatione, siue nefaria suggestione diaboli, qua pertentatur, & irritatur homo ad peccandum; de bona tentatione, quæ à Deo fit, ita scribit S. Thom. (*D. Thom.*) 22. *quæst. art. 1.* Tentare est propriè sumere experimentũ de eo, qui tentatur: quod quidem & verbis & factis D potest fieri: verbis quidem, vt experiamur, an sciat, quod quærimus; vel an possit, aut velit illud implere: factis autem, cum per ea, quæ facimus, exploramus alterius prudentiam, aut voluntatem, aut potestatem. Id verò vel fit apertè, cum quis tentatorem se profitetur, sicut Samson proposuit Philistæis problema ad eos tentandum: vel fit insidiosè, vel occultè; quemadmodum Pharisæi tentarunt Dominum. (*Matth. 22.*) *Matth.* 22. hæc. S. Thom. Cæterùm hic modus tentandi arguit ignorantiam rei, quæ exploratur, in eo, qui tentat, quod quidem à Deo alienum omnino est; at metaphoricè in Deum cadere, vti alia multa, non est negandum. quo sensu hunc locum sic explicat Caietan. (*Caietan.*) *Tentauit Deus Abraham*, hoc est, ad similitudinem E tentantis se habuit: tentare enim non conuenit Deo propriè, quia est actio nescientis, sed metaphoricè sicut irasci, & pœnitere. sic ille. Rectè habent hæc omnia: sed tamen apud homines etiam fit sæpè tentatio, non ob ignorantiam eius, qui tentat, sed ad instruendum, docendúmque, vel ipsum qui tentatur, vel alios, qui spectant, sciúntve illam tentationem. Sic lanista in ludo gladiatorio tyronem sibi de peritia feriendi blandientem; vel vt cautior fiat ad ictus aduersarij declinandos, promptiórque, & peritior ad feriendum hostem, assumpto ipsemet gladio illudit, & qua C pollet arte, dexteritatéque tyronem sæpiùs perstringit. Sic etiam magister tentat discipulum, cuius satis exploratum, & cognitum habet ingenium, & doctrinam, varia interrogando, & difficilia proponendo, vt prudenter, & scitè respondendo spectatores manifestè videant quantum discipulus ingenio valeat, quantos in studio literarum progressus fecerit, quam sapienter, vtilitérque magister in docendo operam suum collocarit. Primò igitur tentauit Deus Abraham, vt ille seipsum probè cognosceret, quàm fidelis Deo esset, quantum in virtutis studio profecisset. (*Quorsum tentatur Abraham.*) Tentatur Abraham, quia sibi (ait S. August. (*D. August.*) *serm.* 72. *de temp.*) prodendus erat vt sciret, vnde gratias ageret. hæc ille. D Nescit iustus qualem, quam synceram, & constantem fidem intus in animo erga Deum habeat; accedit tentatio, & illam detegit. Est enim (autore S. Ambros. (*D. Ambros.*) *in* 8. *Luc.*) exercitium fidei tentatio. Videt igitur iustus à tentatione instructus se in Dei obsequio fidelem. Putabat enim se præ humilitate fœnum, aut lutum; accedente autem igne tentationis agnoscit se splendidum aurum; vnde gratias Deo agit quàm potest maximas: contrà verò superbus, qui de virtutis constantia sibi gloriabatur, admoto illo igne se inspicit (qualis erat) luteum, sordidum, fragilem, denique fœnum. Hinc illa egregia S. August. (*D. August.*) sententia *in Psalm.* 103. Tentatio malis ita est tanquam ignis fœno; bonis ita est tanquam ignis auro; (*Quorsum boni & mali tentatur.*) E manducatus est Iudas, vt fœnum; probatus est Iob, vt aurum. sic August.

2. Quisque igitur ex tentatione seipsum dignoscit; & iustus quidem eruditur, vt gratus Deo sit; superbus, vt humilietur; & repletus, vti diploide, confusione sua emendetur. Quæ doctrina sæpiùs repetitur ab eodem August. (*D. August.*) sic enim ait, *quæst.* 57. *in Genes.* Tentat, idem est, quod probat, vt Deuter. 13. *Tentat vos Deus, vt sciat si diligitis eum.* ac si diceretur: vt scire vos faciat, quoniã vires dilectionis suæ hominem latent nisi Diuino experimento, etiam eidem innotescant. Idem adiungit 16. *de Ciuit.* 32. Plerumque aliter animus humanus sibi

sibi ipsi innotescere non potest, nisi vires suas sibi experimento, tentatione quodammodo interrogante respondeat: vbi si Dei munus agnouerit, tunc pius est, tunc solidatior firmitate gratiæ, non inflatur vanitate iactantiæ. hæc S. August. Deinde nobis (vt loquitur S. August.) prodendus erat Abraham, vt eum imitaremur. Multis quidem, & pretiosissimis referta virtutum diuitiis erat anima Patriarchæ, sed illæ tamen latebant, aut certè, non quales, quantæque essent, hominum oculis apparebat: ergo tempestas nauem onustam mercibus vndique conuellit, cogitque, vt in littore gazam illam amplissimam exponat. Habet vir Princeps congestas domi opes ingentes; sed non facilis est ad illas aditus, cum abditæ in penetralibus recondantur. Fortè aliquando suscitatur incendium, quo impunè in ædibus desæuiente nihil prius, ac potius est, quàm vt vniuersa supellex, atque opulenti omnes thesauri foras extracti à populatricibus flammis eripiantur. Itaque incendium illud occasio fuit exponendi, & manifestandi opes, quæ intus conditæ, & ignotæ exteris tenebantur. Simile quid Abrahæ contigit, vti Rupert. considerat hisce verbis. Thesaurum fidei, & timoris Domini; quem in exemplum bonum nobis filiis suis pater multarum gentium thesaurizauit, examinator cordium Deus occultum esse noluit, sed tentationis incendio validissimè conflagrare curauit. Ex hac enim fortissima tentatione, fides eius splendidissima rutilat, &c. sic Rupert. Quia verò Dominus illum admirabili quodam titulo decorauerat, vt pater esset, & diceretur fidelium; ne de tali patre gloriandum nequaquam nobis videretur, aut ille minimè dignus, quem imitaremur, iccirco necesse fuit, vt illius dignitas, ac virtus admirabilis demonstraretur. *Tentauit* ergo *Deus Abraham* (adiungit Rupert.) ne ignoraremus nos futuri eius filij, qualis ille fuerit pater, cuius nobis fides ad imitandum proposita est. Sic negotiatori quærenti pretiosa quæque, venditor sedulus quicquid libet examinat, non vt ipse quæ vendit cognoscat, sed ne emptor dubitet dare omnia sua, & illa comparare. hæc ille. Tentauit etiam Deus Abrahamum in fide, & in spe: num, scilicet crederet, & speraret in filio suo Isaac, quem iubebatur occidere, complendas fore Dei promissiones. Grauis profectò tentatio: quomodo enim in Isaac, & in filio eius Messia venturo benedicendæ gentes erant, si puer adhuc ille, cæsus in holocaustum concremabatur? At credidit tamen, & sperauit Abraham: *Fideque* (ait Apostolus) *obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, & vnigenitum offerebat qui susceperat repromissiones, arbitrans, quia & à mortuis suscitare potens est Deus.* Ad Hebr. 11. Credens scilicet (exponit Theod.) quòd vel occisus filius possit reuiuiscere si Deus voluerit. hæc ille. Tentabatur igitur Abraham in spe contra spem: obsessus (adiungit Theodoret.) contrariis cogitationibus, & habens naturam, quæ quouis lictore sæuius eum excruciabat. sic Theodor. A minori (vt Logici loquuntur) ad maius processit spes Abrahæ. Filium istum mihi seni, ex vetula sterili Deus nasci voluit, spero equidem quod & mortuum mihi eundem suscitabit. Saltem ergo nostra spes à maiori ad minus procedat. Nimirum infinito interuallo maius est Deum hominem fieri, morique pro nobis, quod iam factum credimus; quàm nobis quæcunque petimus condonare, ignoscere quicquid deliquimus, sua benignitate nostram vincere ingratitudinem, suáque dona in nobis remunerari sempiterna gloria, quæ omnia speramus.

Tentatione virtutes produntur. — *Rupertus.* — *Rupertus. Produntur filijs virtus patris.* — *Tentatur fides Abrahæ.* — *ad Hebr. 11.* — *Theodor.* — *Spes Abrahæ proditur.*

3. Ac illud quidem vel maximè Dei maiestas & bonitas exigit a nobis, vt illi promptissime pareamus, ac cætera omnia quæcunque sese opponent, pro illius obsequio, & amore nihili habeamus: cuius tam egregiè pariter, ac debitæ pietatis exemplar hominibus in homine proposuit conuiendum, atque imitandum. Ideo tentatur Abraham (inquit S. Chrysost.) vt scias magnam Patriarchæ obedientiam, & quomodo nihil præferendum sit his, quæ Deo placuerint. Quid est *tentauit?* Tentatione illum probauit, vt, & hi, qui tunc erant, & qui ab eo tempore vsque ad præsens, istuch ipsum Patriarchæ desiderium & obedientiam in præceptis Dominicis præ se ferre discant. ita Chrysost. *homil.* 47. Quod etiam eleganter animaduertit hoc pacto S. August. Docet nos Abraham, vt Deo non præponamus, quod dat Deus. ergo nec illud quod tibi pro magno præstat Deus, præponas illi, qui præstitit. Et cum voluerit tibi subtrahere, non tibi vilescat, quia gratis amandus est Deus, quod enim dulcius à Deo præmium, quàm ipse Deus? sic August. Et quia filiorum amor parentes ita suauiter allicit, ac fortiter obstringit, vt miseri, ac prorsus amentes Deo filios nonnunquam anteponant, tentatur, ac probatur Abraham in amore filij charissimi. Non enim (ait S. Ambros. *lib. 1. de Abraham cap.* 8.) volebat Deus immolari à patre filium, nec impleri hoc munus volebat, qui ouem pro filio immolandam obtulit: sed tentabat affectum patris, si Dei præcepta præferret filio, nec paternæ pietatis contemplatione vim deuotionis inflecteret. sic Ambros. His similia luculentè sic Tertul. scribit *lib de orat. cap.* 8. Absit (inquiens) vt Dominus tentare videatur, quasi, aut ignoret fidem cuiusque, aut deiicere sit consentiens. Diaboli est, & infirmitas, & malitia. Nam & Abraham non tentandæ fidei gratia sacrificare de filio iusserat, sed probandæ, vt per eum faceret exemplum præcepto suo, quo mox præcepturus erat, neque pignora Deo chariora habenda. hæc Tertull. Nimirum præcepit Dominus: *qui amat filium plusquam me, non est me dignus.* At homo diceret præceptum esse homini, qui caro, & sanguis est, omnino impossibile. Igitur, vt hoc mendacium Deus coarguat, tentando Abraham, probat euidenter præceptum illud quantumuis arduum, posse impleri ab homine, si velit diuinæ gratiæ cooperatorem se exhibere. Id enim præstitit animo promptissimo Abraham pater, senex, & filium vnicè diligens. Tantóq; etiam illustrior pietas hominis in Deum existet, quantò maior imbecillitas hominis cognoscitur. Vt enim verè ac pulchrè subnotauit S. Paulin. *Epistol.* 38. non proficeret spiritualis virtus, nisi subesset carnalis infirmitas. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* hæc Paul. Verùm hæc sententia vberiùs, & cōmodiùs infra illustrabitur. In præsentia satis illud sit consilium Ferr. Diacon. *regul.* 5. Præpone diuina humanis, & omnia opera tua salua erunt. Dices cum Dauid Psalm. 118. *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar.* sic ille. At, ô bone Deus! cur amicum, & fidelem pluribus annis, quàm canis senescentē, imò innumeris probatum rerum aduersarum certaminibus; ac post illustrissima trophæa virtutum emeritum, non finis quietum gloria triumphorum perfrui, sed iterum ad aciem, & in prælia multò grauiora vocas? Nimirum, quia, vt scribit S. Paulin. *Epistol.* 36. vtiliter exercemur aduersis, vt exagitati curis prudentiæ, & metu Diuinitatis acuamur, à quo nos quæ deberet magis gratificos Domino æterno facere; securitas negligentes facit.

D. Chrysost. Obedientia proditur Abrahæ. — *D. August.* — *Tentatur in amore filij. S. Ambros.* — *Tertullian. Deus cunctis præferendus.* — *Math 10.* — *Dei præceptū non impossibile.* — *S. Paulinus.* — *Ferr. Diac. Psalm. 158.* — *Diuinitus exercemur aduersis.*

Præmium

Præmium gloriæ virtus capere nisi victrix non
potest, non habitura victoriæ facultatem, nisi
cum aliqua priùs difficultate certauerit. sic Pauli-
nus. Non tamen imparatum, inexpertum, atque
inermem, aut verò iam viribus effœtum, & lan-
guentem animo in certamẽ istud difficilius Abra-
hamum Dominus induxit. Nouit Dominus, quan-
tum quisque valeat, ac possit; neminem tentari
patitur supra id quod potest, ille facit animos, vi-
résque subministrat. Ille præstò adest, vt gratia
sua leuem reddat, ac facilem, quicunque se in
præcepto adimplendo interponit, laborem, ac dif-
ficultatem. Et quidem apposité cum dicitur: *Ten-
tauit Deus Abraham*; Hebraicè ponitur, אלהים
Caietan. *Elohim*, (vt subtiliter obseruat Caietan.) quæ vox
Deus iustus erga Abraham. significat *Deum*, sub ratione Iudicis, ad insinuan-
dum vtique, quod non crudeliter, nec iniustè, sed
secundùm diuini iudicij rationem non alligatam
humanæ pietatis regulis, hanc tentationem Abra-
hæ Deus exercuerit. sic ille. Vel etiam, quia vti Iu-
dex æquissimus tentationem viribus tentati, & di-
uino auxilio, quod ad agonem fortiter subeun-
dum concedit, rectissimè admetitur. Quod autem
non inermem, atque imparatum in pugnam in-
D. Ambros. ducat, sic ostendit S. Ambros. Probatos sibi tentat
Psalm. 148. Deus. vnde & Dauid dixit: *Proba me Deus, & ten-*
Probatur Abraham. *ta me*. Psalm. 148. Et sanctum Abraham probauit
antè, & sic tentauit; ne si antè tentaret, quàm pro-
basset, grauaret. Probauit eum, cum exire de Char-
ra iussit, & obedientem reperit. Probauit, cum fi-
dei titulo fretus liberauit nepotem; cum de præda
nihil attigit; cum promisit seni filium, & tamen
credidit. Probauit etiam eum hospitij sedulitate.
Probatum igitur quasi fortiorem tentandum pu-
tauit maioribus, & quibusdam imperiis duriori-
Tentatio ad victoriam. bus. hæc S. Ambros. Itaque Abraham in iis omni-
bus, quæ antè fecerat, ac pertulerat, quasi proba-
tus à Deo est, dignúsque inuentus, qui aliquando
tandem in grauissimum omnium certamen voca-
retur, vnde amplissima esset coronæ donandus.
Magnum enim Dei beneficium homini confer-
tur, cum & illi præstò est diuina gratia supera-
bundans, & occasio bellandi grauissima, trium-
phandíque gloriosissima offertur.

4. Laudatus fuerat Abraham, quòd fidem Deo
habuerit, & iustus extiterit illis verbis: *Credidit
Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*. be-
ne. Sed in quo probata est, & emicuit isthæc fides
Abrahæ? quia scilicet credidit Deo promittenti
filium de sene patre, & de anu, sterilique matre.
Cæterùm licet hæc probatio fidei præclara sit,
longè tamen excellentius sumitur experimentum
in operando, quàm in credendo. Fides enim ope-
ribus demonstratur autore Apostolo, nimirum,
quàm viua, illustrísque sit. Igitur accedat necesse
est fidei probatio per maximum opus patientiæ,
in quo iustus, & fidelis Abraham admirabili quo-
dam testimonio esse videatur. quod sic euoluit
Tertul. Tertul. *lib. de patientia, cap*. 8. Fidem Abrahæ pa-
tientia probauit, cum & filium immolare iussus
est ad fidei non tentationem dixerim, sed typicam
contestationem. Cæterùm Deus, quem iustitiæ
deputasset, sciebat. Tam graue præceptum, quod
nec Domino perfici placebat, patienter & audi-
uit, & si Deus voluisset, impleſset. Meritò ergo
benedictus, quia & fidelis; meritò fidelis, quia &
patiens. ita Tertul. *Tentauit* etiam *Deus Abraham*,
vt iustitiam suam commendaret, eò quòd non ac-
ceptor est personarum, sed meritorum diligentis-
simus ponderator, & fidelissimus, atque magnifi-
centissimus remunerator. Iccirco enim à Regio
Psalm. 7. Vate dicitur: *Scrutans corda, & renes Deus*. Psal. 7.

A Quæ verba præclarè interpretatur S. Basil. ad hunc S. Basil.
modum. Scrutatio propriè est cum omnibus tor-
turis, & argumentis inquisitio. Dum ergo Deus *Deus merita quærit.*
corda & renes scrutatur, suam ostendit iustitiam.
Tentatum est cor Abrahæ, an Deum tota anima
diligeret, quando Isaac iussus est immolare: renes
vero Ioseph probati sunt, quando insaniente erga
se lasciua domina, voluptati honestatem prætu-
lit. Ad hoc autem vterque probatus est, vt specta-
tores diuini iudicij animaduerterent iure illis ho-
norem maximum exhibitum. hæc S. Basil. Itaque
si Abraham pater est, & vocatur fidelium, imò
(quod excedit omnem dignitatẽ) in semine illius
benedictæ sunt omnes gentes, Deúsque homo fa-
ctus ex semine Abrahæ dicitur filius Abraham:
B nemo Deum arguat, quòd hominem gratis, ac si-
ne vllo merito in tam excelsum dignitatis gradum
euexerit. Admonuit quidem Deus homini gra-
uissimum tormentũ; fasciculis illius cor, & amorem
paternum discruciauit: nec tamen clarissimum
suæ fidelitatis & amoris erga Deum non præbuit
testimonium: vt iure optimo cuncta illa benefi- *Beneficia pro*
cia diuinitus accepisse videatur cùm ex gratia Dei, *meritis danda.*
tum ex propriis meritis. Simile quid videbimus
in Ioseph, cum ad illius historiam ventum erit.
Discant Reges, Principes, ac Prælati libra iustitiæ
vti, & pro meritis subditorum non pro libidine,
aut temeritate beneficia, & dona sua dispertire.
Optimè in eandem sententiam D. Basilij conclu-
dit Theod. q. 72. *Tentauit Deus Abraham*: non vt Theod.
C disceret, quæ iam sciebat; sed vt ignorantes doce-
ret, quàm iusta de causa Patriarcham diligeret. sic
Theodor. Itaque in hac tam prompta, támque fi-
deli obedientia Abrahæ intelligitur, quàm me-
ritò se illi obligatum Dominus habuerit, & quan-
ta cum iustitia Deus talem seruum vehementer
amarit, multísque & præclaris beneficiis cumu-
lauerit. iuxta illud: *Ego diligentes me diligo*. Pro- Prouerb. 8.
uerb. 8. Scilicet amantes amat, quasi ex debito; at
inimicos gratis diligit.

5. Sed ne aliquis adhuc obiiciat Abrahæ meri-
tum longè inferius esse, quàm, vt dignum tanto
Dei amore, tantísque illius beneficiis videretur;
iccirco narratur a Moyse historia in qua fides, &
D pietas Abrahæ supra omnem naturæ modum ad- *Natura pro*
mirabilis demonstratur. Quocirca (addit Theod.) *Deo victa.*
tres dies, & totidem noctes amoris diuini pericu- Theod.
lum in eo fecit: & Patriarcha quidem medius in-
ter naturam constitutus, & fidem, cum vtrinque
prehensaretur, fidei dedit palmam victoriæ. hæc
ille. Meritò igitur Dominus promittit. *Qui me
confessus fuerit, confitebor & ego eum*. Matth. 10. Hæc Matth. 10.
autem confessio, non ore tantùm fit, cum Christi
fidem verbis profitemur, sed etiam, vel maximè,
per opera in Christi obsequium edita ostenditur;
cum præsertim (vt ibidem subnotauit S. Hieron.) D. Hieron.
affectum subiicit religioni, &c. Egregiè S. Chrys. D. Chrysost.
hunc ipsum locum expendens de præmio, quod *Præmium*
E Christus Dominus seruo ita confitenti tam ma- *serui fidelis.*
gnificè donabit, sic edisserit. Quoniam rem im-
possibilem, quantum ad naturam carnalem, man-
dauerat: nunc proponit præmium, vt desiderio
præmij virtus animæ adaugeatur. Vide quantò ma-
ius est præmium Dei, quàm iustitia nostra. Si con-
fiteris Christum, nihil potes præstare Christo: si
ille te confitetur, potest facere te immortalem.
hæc S. Chrys. Ac miror equidem, quàm multipli-
ci tribulationum genere tentatus fuerit Abraham
in iis præcipuè, quæ vir iustus chariora, dulciorá-
que reputabat, videlicet in Sara vxore, bis à Re-
gibus abducta, in Agara vxore, ancilla quidem *Multiplex*
superba, & rixosa, & propterea primò fugiente, *tribulatio Abrahæ.*

deinde procul à domo repulsa; in filio Ismaële in primis leuiculo, & domesticam pacem turbante, atque inuidiam nouercæ sibi conflante; demúmque a paternis oculis, & laribus ablegato: ac denique in dilectissimo filio Isaac, qui vnus patri relictus erat, immolando. Quis ergo speret se in coniugio ab omni molestia immunem ac securum, dum viuet, permansurum? Fert plane nostra tellus illos molestiarum fructus, quos coniugati quotidie colligunt, & partim scribendo recenset S. Paulin. *Epist.* 37. his verbis. Temporalium rerum tam spinosæ, quàm inanes curæ: vxor, & filij grauissimarum curarum onera sunt. *Tribulationem carnis habebunt huiusmodi.* 1. Cor. 7. quia necessitudines nostræ carnis, quantò chariores nobis sunt, tantò magis nos discruciant, & fatigant. Nunquam in carnalibus affectionibus ita requiescit animus, vt cruciatu careat, dum necessitudines suas, aut bonas amat cum amittendi metu, aut malas odit cum amittendi voto; in vtroque miseriis sustinendis obnoxius. hæc ille. Profectò dolorem sibi accersit, qui se in amorem inducit. Quod enim vehementiùs amamus, in eo impensius dolendum nobis est. Heu te miserum, qui amori vllius te creaturæ dedisti! plus fellis, quàm mellis hauries. Moritur planè quisquis amat. Sed quàm discrucient, & fatigent rerum charissimarum consuetudines, ostendit S. Doctor ita progrediens. Miser est enim, qui vxorem bonam perdit, miserior, qui malam possidet: similiter & de filiis. Sæpe enim miserrimi sunt parentes, vel qui amabiles habent filios, quibus orbantur; vel qui tales habent, vt non habentibus inuidere cogantur. hæc S. Paulin. Qui pro religiosam vitam, aut castam, & cælibem sectantibus hanc sententiam concludit. Inter hæc duo accidentia satis felicior est, qui vtrumque non nouit, &c.

Tribulationes in coniugio.

S. Paulin.

1. Cor. 7.

Miser, qui amat.

Miser qui cõiux, & qui pater est.

6. *Dixit ad eum: Abraham, Abraham; &c.*] Nocturna fuit visio, vt constat ex sequentibus, vocauit autem Deus ipse, vel Angelus vicem Dei gerens Abraham: in Hebr. & Chald. semel illum nominans: at in LXX. bis legitur, quam lectionem Patres communiùs sequuntur. vnde Orig. *homil.* 8. *in Genes.* ita mysterium euoluit. Nusquam legimus, quòd hoc nomine vocauerit illum Deus, aut dixerit ei: Abram, Abram. Non enim à Deo vocari poterat nomine delendo, sed vocat eum hoc nomine, quod ipse donauit; & non solum vocat hoc nomine, sed & ingeminat. sic ille. Dixerat scilicet Dominus *Non vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham.* cap. 17. & quia hoc nomen a Deo impositum est, deleri non poterat, sed semper cum insigni commendationis honore duraturum significatur per illam Domini repetitionem: Abraham, Abraham. Iccirco iustorum nomina deleri nequeunt, eo quòd à Domino proferuntur, qui oues suas vocat nominatim. Contra verò impij qui vocauerunt nomina sua in terris suis, aut obliterato demum nomine inter homines prorsus nesciuntur; aut si adhuc retinent nomen, ad infamiam, & sempiternum dedecus nominantur. Ac de priori quidem nominum deletione, sic perbelle scribit S. Paulin. *Epist.* 31. Eorum diuitum, quorum vel crimina, vel supplicia in scripturis signata sunt, nomina significata non sunt; quia sine dubio indigni erant, vt sermone diuino nominarentur, quos aut vitæ obliterauit impietas, aut auaritia deleuit; dicit enim Dominus; *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Psalm. 15. talium nomina in Euangelio non scribuntur, quia nec in libro vitæ habentur. Labia sua pollui noluit nominibus impiorum diuina iustitia; & iccirco diuitum illorum non extant nomina. Luc. 12. & 16. & Matth. 10. hæc S. Paulin. Et quidem, vt cæteros eo, quo digni sunt, silentio prætermittamus, adhuc quæri potest, quid tandem illi duo diuites, de quibus mentio fit in Euangelio insigniter nocuerint, atque errauerint, vt etiam ab ore Dei in sempiternam obliuionem expellantur? Respondet S. Paulin. Hi diuites inuisi Deo, & obliterati memoriæ, qui terrenis caduca prætulerint, quique maluerint terræ, quàm Deo credere, cui thesaurizant ignorantes. *Psalm.* 38. digni qui nesciant quo successore dimittant, quia nesciunt quo largitore possideant. sic ille. Sic habet meritum istorum supplicium, vt qui nomen, famam, opes, terram Deo prætulerunt, à Deo spreti & reiecti, etiam nominis, famæ, opum, terræ iacturam in tenebris consepulti faciant sempiternam. At sanctus Abraham nominatur ab ipso Deo nomine haud delendo, sed in æternũ permansuro, quippe qui omnia etiam charissima Deo suo libenter posthabuerit. Et ingeminat quidem Dominus Abraham, Abraham, quia tam dulce, sapidúmque nomen non semel sufficit ore Dei promere. Quid vult (inquit S. Chrys.) verbi duplicatio? magnæ beneuolentiæ erga Patriarcham argumentum est, & monstrabat ei vocatione ista, quòd magnum aliquid ostensurus esset. Vt igitur attentiorem redderet vocationem geminabat Abraham, Abraham. hæc S. Chrys. Et quidem vltima ratio affertur etiam à S. Ambros. hoc modo. Repetitione quidem nominis mentem excitat, vt esset paratior, &c. Non quòd Abraham desidia, torporéque languerit, vt proinde opus esset illum ab huiusmodi ignauia excitari; nunquam enim in Dei obsequio non exarsit Abraham: quòd si occasio deerat ardorem illum manifestandi, non defuit interioris affectus ardor. Vt autem (inquit S. Aug. *de mir. sacr. Script. lib.* 1. *cap.* 14.) appareret etiam hominibus, quàm fidelis in Dei amicitia permaneret Abraham, filium suum offerre sibi in holocaustum ei Deus præcepit, &c. Verùm quia præceptum erat homini diuinitus iniungendum, nunquam antea vel auditum, vel inter homines visum, iccirco bis vocatur, vt excitatior, & attentior inusitatum acciperet oraculum. Quod si Hebræum fontem sequaris, in quo semel nominatur Abraham, non leuiter commendatur obedientia, & promptitudo Abrahæ, qui nocte dormiens ad vnius vocis sonum excitatur; & ad audiendum, adimplendúmque imperium Dei, omnium (quæ nunciari possent) difficillimum puncto ipso excitatus, alacer & impiger responderit. *Ecce adsum.* in Hebr. הנני *hinneni.* Ecce ego; non vt pigri, & desides, qui ad obedientiam somnolenti, etiam cum crebrò vocantur, iubentúrque, dissimulant audire, ne audientes audiant quod faciendum displicet: non respondent: *Ecce ego: Ecce adsum,* quia non propè sunt, sed longè ab obedientia remoti extra seipsos vagantur. Non ipsi sunt, quos esse ratio ipsa, Dei obsequium, & religiosa professio exigebat.

Origen.

Cur Abrahæ nomen repetitur.

S. Paulin.

Psalm. 15.
Impiorum nomina silentur in Euangelio.

Inuisi Deo auari.

Psalm. 38.

Dulce Deo nomen Abrahæ.

S. Chrysost.

S. Ambros.
Excitatur obedientia Abrahæ.

S. August.
Fidelitas Abrahæ.

Obedientia prompta.

Piger ad obediendum.

7. *Tolle filium tuum,*] Incipit iam Dominus seruo suo aperire quid tandem ab illo expetat, & illi durissimum, ac grauissimum præceptum euoluere. per verba quidem ipsa sic enucleatè, ac sigillatim explicatum, vt in singulis mille ad parendum difficultates, ac molestissima impedimenta proponi, & memorari videantur; quo Abrahæ obedientia illustriùs commendetur, & victoria, triumphúsque obedientis Deo hominis in omne æuum gloriosior habeatur. *Tolle* (inquit) *filium tuum.* Hæc sanè verba (ait Procop.) præter Abraham.

Procopius.

ham, virum omnem ad commiserationem, & misericordiam mouissent, Paternótum viscerum Abrahamum commonuit, sic ille. Reuocatur in mentem Abrahæ, quò pater sit, quòd filium habeat; nec homini solet esse tenerius ac dulcius verbum: quo audito paterna solent intus præcordia commoueri. sic pater ille *cum adhuc longè esset, prodigum vidit filium, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.*

Lucæ 15. Guarricus.

Luc. 15. Tardius siquidem (explicat Guarricus Abb. *serm. in eundem locum*) videbatur patri filio veniam dedisse, quàm illi accepisse. Sic festinabat absoluere reum à tormento conscientiæ suæ, quasi plus cruciaret misericordem compassio miseri, quàm ipsum miserum passio sui. hæc ille. Hanc quidem patris erga filium perditum commiserationem Dominus adduxit, vt per eam nobis significaret admirabilem Dei erga nos benignitatem: quod vlteriùs idem Guarricus ostendit in hunc modum. Neque hoc dicimus, quo in natura incommutabili humanos ponamus affectus, sed vt in amorem illius summæ bonitatis affectus noster dulcescat; dum ipsum plus nos amare, quàm ipsi nos amemus, ex similitudine discimus humana. sic Abbas. Quin etiam ipse prodigus filius, nec aliunde, quàm ex patris nomine spem redeundi concepit. *Ibo* (inquiens) *ad patrem meum.* nec alium sibi aduocatum subrogauit, nec artificium aliud ad permouendum patrem adinuenit, quàm, vt humiliter diceret: *Pater, iam non sum dignus vocari filius tuus.* Enimuerò (vt hinc colligit Guarric.) nihil ita patrem promeretur, sicut huius vocis affectus: nec melius te facies dignum, quàm si semper confitearis indignum. O felix humilitas pœnitentium! ô beata spes confitentium quàm potens es apud omnipotentem, quàm facilè vincis inuincibilem, quàm citò tremendum iudicem conuertis in patrem piissimum! Blande te misericordia suscepit, pie refouit: time iudicium, ne gratia, quæ data est humili, auferatur superbienti. hactenus ille. Cuius consilium pœnitentibus in gratiam Dei receptis obseruandum est diligenter, ne Diuino beneficio fruentes efferantur in superbiam, faciántque Diuinæ gratiæ, ac cœlestium gratiarum in pœnam superbiæ naufragium miserabile.

Guarricus.

Pœnitens humilietur.

D. Ambros.

Tolle filium tuum. Pulchrè S. Ambros. Non sinit otiosum esse affectum patris, à principio eum stimulat, & pungit pietatis aculeis, & filij nomen addit ad nomen necessitudinis, & vim amoris. sic Ambros. Quodammodo enim requiescit secum pace fruens in pectore patris amor, dum nihil aduersus filium periculi, & laboris insurgit: excitatur autem, & in aciem educitur, sistitur in prælio, in arma hostium immittitur, cum filius periclitatur. *Tolle filium tuum.* Magnum (exclamat S Chrysost.) præcepti pondus, & res humanam transcendens naturam. *Tolle filium tuum.* Vide quomodo per verba illa maius incendium succendit, & fornacem amoris, quo iustus in filium affectus erat, excitat. ita Chrysost. Et per has tamen paterni amoris flammas pietas in Deum intacta, paráque peruasit victricem palmam erigens, ac de tota natura triumphans. Audiat pater, audiat & mater Dominum suadentem. *Tolle filium tuum*, vt mihi in religione immolatus, & mihi, & tibi, & sibi viuat. Sed est mater (& pater talis inuenitur) quæ crudelis in filium, erga Deum non pia, vt illa falsa mater apud Salomonem 3 Reg. 3 mortem animæ filio procuret. Quare optimè in hoc argumento subscripsit S. Petrus Damian. Vera mater filium tradit, vt viuat; falsa petit, vt publicus eum ensis diuidat. Octogenarius Berzellai, vt Chanaa filij

Amor patris in aciem educitur.

D. Chrysost.

Amor in Deū victor.

3. Reg. 3.

Parens Deo filiū offerat.

S. Petr. Dam.

2. Reg. 19.

vtilitatibus consulat, eius sustentaculo senectutis incuruæ grauedinem fulcire non curat; dummodo ille regi familiariter hæreat, ipse destitui prolis auxilio non recusat. sic Damian. *Epistol. 9. ad Abbatem venerabilem.* Nota est ex libris Regum vtraque historia, quam si considerent parentes, véram sui demonstrationem amoris erga filios exhibebunt, cum propriæ vtilitatis, aut voluptatis immemores Deo suos filios in obsequium, ac religionem, aut tradent, aut sinent mancipari.

8. *Vnigenitum.*] *Iechidecha*, יחידך *vnicum tuum.* Quod sanè amorem patris vehementiùs perstringit: Nam vt duos saltem haberet filios, non tam difficile patri esset vnum à se ablegatum Deo immolare: nunc autem filium istum vnicum scilicet ex Sara prima & charissima coniuge tollere, grauissima tentatio est. Hoc autem Deus intendebat (inquit Hugo Victor. *annot. in 22. Genes.*) vt magis, ac magis accenderet amorem patris carnalem erga filium: vt posteà præponat amorem Dei suo carnali amori, & cum vincet, gloriosior esset victoria. sic ille. Hinc igitur (inquit S. Zeno Veron.) puer, è cuius vita paternus affectus, & maternus pendebat ad explorationem fidei suæ, Diuina voce postulatur ad victimam. sic ille *serm. 1 de Abraham.* Egregium scilicet fructum ex amore istorum parentum erga vnicum, & dilectum filium Deus collegit, vt constaret in mundo quanti Abraham Dei amorem, & præceptum faceret, pro quo filium non dubitaret immolare. *Vnigenitum tuum, vnicum tuum*; quasi dicat (ait S. Ambros.) eum, quem suscepisti de vxore vnicum, suscepisti in senectute, suscepisti, tanquam fidei tuæ præmium, remunerationem operum tuorum: suscepisti ex promissione Dei, non coniugis fœcunditate, ex qua aliū sperare non possis. sic Ambros. Plerique Patres legunt, filium tuum dilectum: nam vnicus, siue vnigenitus summo in amore solet esse parentibus. Et quidem commemorat Deus (inquit Beda) filium charissimum, vt augeat pondus tentationis. Sed quæ vlla esse grauior, vel cogitari tentatio potest, quàm vt pater filium suum, & vnicum suum in holocaustum iubeatur offerre? Hinc elegans illa obseruatio Origen. Non suffecerat dixisse, *filium*, sed adiicitur & *charissimum*. Ita legit: Vide tentationis pondus. Charis, & dulcibus appellationibus iterum ac sæpe repetitis, paterni suscitantur affectus, vt amoris euigilante memoria ad immolandum filium paterna dextera retardaretur, & aduersus fidem animi tota carnis militia repugnaret, additur tentationis tempore: *Tolle filium tuum charissimum.* hæc Origen. Itáne verò iubetur Abraham, vt filium trucidet, & cremet manu ipsa sua, quem si morbo sublatum vidisset, haud dubiè cum filio pater simul obiisset? Vix enim (inquit S Zeno Veron.) in filij sui casibus pater viuere potuisset, si annis teneris moreretur. sic ille *serm. 1 de Abraham.* Moriente filio, pater simul immoreretur: & ipse tamen mortem inferre manu sua filio viuus iubetur; & mortem parat, & ignem accendit, & filium constringit. & manu sublata euaginatum gladium in filij ceruicem distringit. O admirabilem vim Diuini amoris supra omnem vim, ac vehementiam naturalis affectus parentum erga filios, vbi scilicet ille in hominis pectus intrauit! O nunquam satis laudatam Abrahæ obedientiam pro qua filius vnicus ad victimam postulatur! Vnicus scilicet (inquit idem Zeno) ille filius soliciti senis adhuc paruulus, cui pietas, & miseratio maior debetur, postulatur ad victimam. sic ille, loco citato. Gloriosissima victoria paternorum viscerum, vt pater vnicum filium

Hug. Victor.

Deus præ filijs diligendus.

S. Zeno.

D. Ambros.

Amor patris erga filium.

Beda.

Origen.

S. Zeno.

Vis Diuini amoris.

S. Zeno.

Pia mater Deo filium tradit.

suum Deo consecret. Quid si tale facinus pia mater in obsequium Dei præstet, vt commissum Deo Filium a consortio suo, atque oculis ipsis auferri patiatur? Sic illa Melania iunior, & vidua, (vt scribit S. Paulin. *Epistol.* 10.) vnicum suum à pectore suo abscidit, & in sinum Christi iactauit, vt eum ipse Dominus enutriret, nihil postea illi suæ solicitudinis dedit, diffidentiæ peccatum indicans, si quem Christo commiserat, curasset. hæc Paulin. Sed quid miraris, quidve indignaris, si Deus sibi filium tuum offerri iubet? an non suum repetit? *Quid habes* (argumentatur egregiè S. Paulin.) *quod non acceperis?* 1. Cor. 4. atque ideò, non vt de proprio restricti simus, sed vt de credito fœneremus. Immensa Dei iustitia pariter & bonitas de ipsis muneribus suis vult sibi inuicem munera fieri, vt sibi materiam erga te beneficentiæ pariat, quia bonus est, & tibi faciat meritum, quo dignè recipias, quia iustus est. sic Paulinus *Epist.* 32.

S.Paulinus. *S. Paulinus. 1 Corinth. 4.* *Deo sua offerimus.*

9. Quæ sententia valet ad erogandam Deo in pauperibus eleemosynam, & præcipuè ad offerendum, consecrandumque in Dei famulatu filium, qui inter omnia bona familiæ primum locum obtinet. Dixit nos nostra largiendo fœnerare Deo, quod in bonis temporalibus quotidie experimur, & in filiis experta est Anna mater Samuelis, quæ tres filios, & duas filias peperit pro vno Samuele, quem Deo consecrauit iuxta benedictionem Pontificis ad virum Elcana: *Reddat tibi Dominus semen de muliere hac pro fœnore, quod commodasti Domino.* 1. Reg. 2. Sed quid Melaniam ego, aut Annã commemoro? Sanctissima semper Virgo Deipara Filium suum, Vnicum suum non modò vidit sustolli in crucem, ac fieri Deo suauissimum omnium, quæ vnquam oblata sunt, holocaustum: sed etiam, vt legimus in multis ab illa factis reuelationibus, Deo Patri, pro illius gloria, & redemptione generis humani libentissimè, ac piissimè Filium suum, Vnicum suum offerebat. Caruit quidem Mater dulcissimo Filio, quem mortuum sepelierat, spatio tantùm trium dierũ. Sed ô fœnus copiosissimum! ô lucrum inæstimabile! exacto triduo Filium suum, Vnicum suum ab inferis rediuiuum, gloriosum, cæli, terræque imperio donatum recepit: ac subinde vniuersam Christi Filij sui Ecclesiam per omnes mundi regiones dispersam è cunctis gentibus conflatam, vsque ad finem mundi in terris militando duraturam, & in ea infinitos filios, ac famulos officiosissimos suscepit. Quod S. Laur. Iustinianus, à Christo Domino, & significatum & factum esse considerat, cum matrem, & discipulum inuicem commendauit. sic enim ais: Discipulus typum gerit Ecclesiæ. Hanc (ait Dominus ad matrem) in persona discipuli tibi relinquo, tuis informationibus erigetur, tua protectione solidabitur, atque ex præsentia tua deperditas, si quæ fuerint, recuperabit vires. Volo igitur vt illam de cætero in filium habeas, illam tuis orationibus protegas, atque virtutibus auctam ad me perducas. Eidem quoque mandabo, vt te tanquam matrem veneretur, te diligat, ad te confugiat, te inter Deum & te mediatricem faciat; te aduocabit in periculis, in dubiis consulet, in necessitatibus implorabit. Non minùs de te, quàm de me captabit fiduciam. hæc Laurent. *lib. de triumph. cap.* 18. O admirabilem dignitatem & potentiam Virginis Deiparæ, vt non minùs de Matre, quàm de filio fiduciam captemus! Quid nobis dulcius, quid vtilius poterat euenire, quàm vt talem haberemus Matrem, in qua non minùs quàm in seipso Deus (Matrem suam honorans) omnem spem nostram voluit esse collocandam?

Deo fœneramur. — 1. Reg. 2. — *S. Maria Filium Iesum Deo obtulit.* — *Lucratur S. Maria ex Filij passione.* — S. Laurent. — *Summa fiducia in S. Maria.*

10. *Quem diligis Isaac.*] Hebr. *ahabtha* אהבת *Dilexisti*, præteritum ponitur, pro præsenti, vt frequens est Hebraismus, & notat hic S. Ambros. & plerique alij; addit tamen sanctissimus Doctor: Possumus & accipere quem dilexisti, vt non recenti quodam impulsu amoris, sed insolito diu, & probato amore significaret dilectum; quod enim augetur ad tempus, ad tempus resoluitur; quod autem diu aut semper placuit, citò aboleri non potest. Potest & illud non absurdum videri, quia morituros plus diligimus: hoc est quem ante dilexisti, quasi iam non diligat immolandum. hæc Ambros. Itaque significat Dominus Isaac filium esse Abrahæ charissimum, amore scilicet constanti, & incommutabili dilectum; quod acriores stimulos in animum patris infigit. Quocirca perquàm appositè Origen. ad hunc locum ita loquitur: Esto Domine, quia commemoras de filio patrem, addis: Et charissimum, quem præcipis singulari. Sufficiat hoc ad suppliciũ patris. Addis rursum: Et quem diligis. sint & in hoc parenti triplicata supplicia. Quid opus est adhuc, vt commemores & Isaac? Nunquid nesciebat Abraham, quia filius suus ille charissimus, ille quem diligebat Isaac vocaretur? Sed cur hoc additur? vt recordaretur Abraham, quia dixeras ad eum, quòd in Isaac vocabitur tibi semen, & quòd in Isaac erunt tibi repromissiones. Fit & commemoratio nominis, vt & promissionum, quæ sub hoc nomine factæ sunt, desperatio subeat. Sed hæc omnia, quia tentabat Deus Abraham. hæc Origen. Nominatur itaque dilectus, vt patris viscera commemoratione amoris veluti iaculo acutiùs lancinentur: Isaac autem, vt quasi vanis, & irritis omnibus Dei promissionibus per Isaac complendis, vrgeat animum Patriarchæ tentatio infidelitatis, ac tandem absorbeat desperatio: atque icciro in spem contra spem iustus credat. Tolle Isaac illum (vt expendit S. August. *serm.* 71.) solatium paternæ senectutis, & vnicum pignus posteritatis. Qui quantò serior, tantò dulcior: quantò solus, aut vnicus, tantò charior, & dilectus. sic August. Tolle quem diligis; amorem ipsum tuum sacrifica, lætitiam tuam, viscera, & animam tuam, te ipsum immola. Et nihilominùs cum tam grauia, & importabilia exequi iubeatur (vt bene animaduertit S. Zeno Veron.) non contristat frontem deuotissimus Abraham. Nec dolor patri lacrymas persuasit: sed exultat, & gaudet, nec timuit, ne parricidium ei imputaretur: sed magis, vt deuotioni pareret, lætabatur hoc iussisse Deum. hæc ille *serm.* 1 *de Abraham.* Videtur iustus hic vir sæpius cum tam vehementi amore isto erga filium colluctatus cogitasse de cohibendo, mortificando, & quodammodo trucidando, & concremando in holocaustum Deo, amore ipso, filium scilicet mactando. At metuisse tamen, ne apud mortales parricidæ infamiam subiret. Ergo lætatur, quòd iam non crudelis in filium patris, sed obedientis Deo serui nomen inueniat iussus filium, & cum filio amorem suum, & seipsum pariter immolare. Scilicet illum ingenuis, & sanctis moribus, atque ideo dignissimum, quem ames, & quem viuere, imò immortalem esse cupias. Quã grande istud ad amandum filium in patre incitamentum, cum Dauid Absalonem scelestissimum proditorem, quia tamen filium, & à prælio viuum fore omni ratione curauerit, & mortuum deplorauerit: *Fili mi Absalon.* Natura videlicet (inquit S. Gregor. Nazianz. *orat.* 14.) qua nihil est violentius, inimicitiam superante. Isaac illum videlicet patris, ac matris risum iubetur offerre Deo. Gratissimum planè Deo sacri

S. Ambros. — *Amor diuturnus.* — Origen. — *Multa & mira crucians Abrahamũ.* — *Tentatur infidelitate Abraham.* — D. August. — S. Zeno. — *Bonus filius patris delicia.* — S. Greg. Naz. — *Violentus amor patris.*

Sacrificium castitatis.

sacrificium fit, cum gaudia sua, & voluptates suas, A quis immolat, quod viri præstant religiosi, & sacerdotes, cum votum castitatis emittunt, priuántque seipsos in totam vitam omni carnali delectatione, illa etiam, quam poterant licitè ex matrimonio captare, sed *seipsos castrauerunt propter regnum cælorum* Matth. 19. Quod votum vti difficillimum, ita gloriosissimum homini casto est. Rectè quidem Climacus *grad.* 15. dixit castitatem esse odoriferam, ac supernaturalé, & gloriosam quandam naturæ abnegationem, cuius beneficio mortale hoc, & corruptibile corpus mirabili modo, quam maxime accedit ad mentes illas corporis totius expertes. sic ille. Eadem non minùs disertè leges apud Cassian. *lib.* 6 hæc inter alia: Quodammodo exire de carne est in carne commorantem; B & vltra naturam est, fragili carne circundatum carnis aculeos non sentire. Et iccirco impossibile est hominem suis (vt ita dicam) pennis ad tam præcelsum, cælestéque præmium subuolare, nisi eum gratia Domini de terræ cœno, munere eduxerit castitatis. ita Cassian. Adiunge illa S. Greg. Nazianz. An non præstantius, quàm pro carnis fragilitate, id quod ex carne creatum sit, in carnem non gignere? An non planè Angelicum, eam, quæ carnis vinculis alligata sit, non secundum carnem viuere, sed natura excelsiorem esse? Caro cum mundo deuinxit, sed ratio ad Deum subuexit. Caro depressit, sed ratio extulit, eique velut pennas addidit. Caro vinculis astrinxit, sed amor soluit hæc Naz. *homil. in Matth. Cum consummasset* C *Iesus.* Denique, vt S. Basil. *lib. de Virg.* concludit, hi profectò, qui continentiam seruant, Angeli sunt, qui viuentes in carne corruptibili mortalium vitam illustrando tuentur. sic Basil. Pulchrè castitas mortalium vitam illustrat. Quid enim carni esse potest gloriosius, quàm vt casta sit, & in Angelicam puritatem euehatur? Tuetur castitas vitam mortalium; quia propter castos vtriusque sexus in carne spiritus, quos Dominus habet in terris, conseruat mundum, nec illum iam (vt meretur) vltricibus tradit flammis libidinoso porcorum cœno inquinatum.

Matth. 19.

Climac.

Encomia castitatis.

Cassian.

S. Greg. Naz.

S. Basil.

Castitas illustrat, tuetur, conseruat mundum.

11. *Tolle filium tuum, vnigenitum tuum, quem diligis Isaac,* illum qui tibi causa risus erat, sed nunc & mœroris erit. Ex quo fonte nobis mella fluunt, D ex eodem plerumque fel, & omnis amaritudo redundat. Sed quid opus est ardenter amare, quod vehementer doleas? Sæpius enim ob immoderatum parentum amorem filij (Deo ita vindicante) aut grauibus affliguntur morbis, aut immatura morte rapiuntur. Hoc sanè timebat S. Paulin. cum Victoris amici ægritudinem deplorabat, ita inquiens. Videbam Victoris innocentiam, scilicet morbo, verberari, vt in eo mea iniquitas plecteretur, in quo diuina iustitia vindicabat, quod in dilectione peccatoris errabat. Nam & mihi pœnam charitas excitabat, vt tribulationem, quam vnanimus mihi homo patiebatur in corpore, cruciatu viscerum, animique compatiens sustinerem. hæc S. Paul. *epist.* 33. Ita solet Dominus nostrum E gaudium, risum, & amorem acerrimè punire in iis, quos immoderatiùs diligimus: quibus multum profuisset, si minùs diligerentur. Quod & in amicitia periculosum est, vt egregiè monet S. Doroth. ita inquiens. Bonum est non admodum affici erga coætaneum. Huiusmodi enim consuetudo, & nimia familiaritas fletum affert. Quare is non est multum diligendus, qui obest magis, quàm prodest. hæc ille. *Doct.* 11. *respons. ad* 3. *interrog.* Adiungitur: *Et vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super vnum montium, quem monstrauero tibi* Bene Origen. Intuemini (inquit) per singula quomodo fiunt tentationis augmenta. Quò hoc spectat? vt dum ambulat, dum iter agit, per totam viam cogitationibus discerpatur; vt hinc perurgente præcepto, hinc verò vnici affectu obluctante crucietur. Propterea ergo etiam via iniungitur, etiam montis ascensio, vt in his omnibus spatium certaminis accipiat affectus, & fides, amor Dei, & amor carnis, præsentium gratia, & expectatio futurorum. hæc Origen. Neque verò cædes filij tantum indicitur, sed mortui etiam perfecta, & absoluta consumptio, qualis fiebat in holocausto, vt nullæ de filio mortuo remanerent reliquiæ, quibus saltem aliquo modo suum posset miserabilis pater mœrorem, quoad viueret, consolari. Dicit itaque *in holocaustum,* quo scilicet (ait Lyran.) totum incendebatur; ita quod de filio suo non remanerent nisi cineres, qui statim per flatum venti dispergerentur. sic ille. Equidem sic existimo diuinitus suffultum esse Abraham, cum extrema isthæc verba audiuit, ne animo deficiens obrigesceret, vitámque acutissimo illo dolore præreptam subitò exhalaret. *Mons visionis* dicitur per anticipationem, qui tali scilicet nomine deinceps vocari cœptus est: sed de his in sequenti sect. commodiùs disseremus.

Vbi amor, inde dolor.

S. Paulinus.

Nimium amari nocet.

S. Doroth.

Origen.

Certant affectus & fides in Abraham

Lyran.

SECTIO II.

C *Igitur Abraham de nocte consurgens strauit asinum suum: ducens secum duos iuuenes, & Isaac filium suum: Cúmque concidisset ligna in holocaustum, abiit ad locum quem præceperat ei Deus,* &c. vsq; ad *struem lignorum.*

1. NVnquam de obedientia Patriarchæ sermo incidit, quin simul illa huiusce virtutis excellentia, quæ dicitur promptitudo, emineat. Noctu mandatum Domini accipit arduum, & molestum, quàm credi, cogitatíque potest, maximè, sed obediens sine vlla mora exilit, & ad exequendum promptissimus accingitur. Hebr. legimus *Vaiaxchem baboqér,* וישכם בבקר *manicauit mane, surrexit manè.* Manè; vt exprimatur celeritas, & D alacritas surgendi, & parendi, dum è vestigio sese parat ad iter, & sacrificium. Alacritatem Abrahæ ita Zeno Veron *serm.* 1. *de Abraham,* describit. Propter excellentem erga Deum charitatem non contristat frontem deuotissimus Abraham, nec dolor patri lacrymas persuasit; sed exultat & gaudet: nec timuit, ne parricidium ei imputaretur, sed magis, vt deuotioni pareret, lætabatur hæc iussisse Deum. De filio hostia parabatur festina: denique implere sacrificiom, ne mora faciat peccatum, necessariis sacramentis protinus præparatur. hæc Zeno. In serui quidem erga Deum suum obedientia vel quælibet mora peccatum inducet: adeò cognata est obedientiæ ipsa ad exequendum promptitudo. Rectè obediens festinat, moráque omnem rumpit, quæ solet obedientiæ splendo- E rem magnoperè obscurare: sed tamen illius alacritatem non imminuit, nec illius virtutem debilitat dolor cordis, & fletus oculorum; & omnis ex parte carnis imbecillitas, & obsistentia. Imò adaugent hæc omnia pretium obedientiæ, si nihilo tamen minùs super hæc omnia naturæ impedimenta, pietas erga Deum, & animi obedientis promptitudo in obsequium Dei, & diuini præcepti adimpletionem celeriter, & constanter accurrat. Existimo Abraham doluisse, ac fleuisse, sed tamen dolentem ac flentem Deo potiùs, quàm

S. Zeno.

Promptitudo obedientiam illustrat.

Obedientia vincens naturam.

suo affectui palmam in difficillimo isto agone detulisse. Non enim filium Deo, nec illius amorem illius obsequio præferendum iudicabat. Amandi sunt filij, sed in Deo tamen, atque in Dei obsequiom. Hinc illa optime dicuntur à S.Saluiano:

S.Saluian. *Qualis parentum amor in filios.*

Quomodo amandos dicimus filios? quo, nisi quo Deus ipse constituit? nec enim est vllus melior filiorum amor, quam quem ille docuit, qui ipsos filios dedit; neque possunt pignora melius amari, quàm si in eo ipso, a quo data sunt, amentur. Quomodo igitur Deus amari filios iussit? nimirum ad patres ita generaliter loquitur: *Vt tradant mandata Dei filiis suis, vt ponant in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum Dei sui, & mandata eius exquirant.* Psal. 77. hæc ille. *lib. 1. ad Eccles. Cathol.* Quod B quidem si parentes præstabunt, gratissimum Deo sacrificium filiorum suorum offerent, quo vitam corporis, & animæ pariter, eorundem conseruabunt. Cæterùm de prompta obedientia Patriarchæ adhuc erit differendum. Exurgens (inquit S. Ambros.) non solum sequenti die, sed etiam diluculo, vt attulisse nox moras studio festinantis patris videretur, &c. Itaque iuxta S. Ambros. non passus est perfectus obediens, vel vnam elabi noctem, quin statim Deo iubenti obtemperaret; longa quippe nox ad differendum opus obedientiæ viro sanctissimo videbatur, nimirum vt egregiè obseruat Rupertus: Quia timorem Domini sibi ante oculos præposuerat iustus, iccircò mox audito iubentis imperio, non sequentem expectauit diem, vel saltem ortum surgentis auroræ, sed vicino obedientiæ pede, tarditatem pati nesciens in C faciendo, & feruens mentis promptitudine ad obtemperandum de nocte surrexit. hæc ille. Pulchrè in obediente visuntur, pes obedientiæ vicinus, & mens ad parendum feruens. Simul cum prompta expende, vt mireris, atque etiam imiteris, cæcam obedientiam, qui summus est gradus inter cæteros huiusce virtutis, vt religiosi circunferunt. Enimuerò (ait Orig.) non deliberat, non detrectat, non communicat cum vllo homine consilium, sed statim occupat iter. sic Orig. Cæca enim, & ideò perfecta obedientia, nihil præter Domini præceptum videt, caret enim oculis, vt quæ inde vel obstare, vel consequi possunt despiciat. Non deliberando immoratur, sed ad parendum procurrit. D Nefas iudicat in consilium, ac iudicium adducere quod a Domino præcipitur.

S.Ambros.

Rupertus.

Pes, & mens obedientis.

Origen.

Cæca obedientia commendatur.

1. Ad hæc ex iustitia obligatum se putat iustus Domino sua repetenti confestim ex integro, vti exigitur, restituere: quod ita S.Aug. subnotauit: deuotus pater eo voto suscepit parricidium, quo susceperat filium, nec refert verú impendat, aut perdat, dú quoquo modo quod acceperat, reddat. hæc Aug. *serm 73.* Non minùs enim gratus Deo mala de manu eius, quàm bona suscipit: summis votis expetiuit filium, summo cum gaudio illum à Deo suscepit. Iisdem ergo nunc votis, & studiis se accingit ad eundem filium immolandum, eodem mentis gaudio (quicquid infirmitas carnis obmurmuret) illum iugulasset, & concremasset: reddens E Deo debitum tam promptus, & alacer ad perdendum, quàm ad retinendum filium, modo imperata Domini seruus obediens, & fidelis faceret. Sed quid de Sara? nunquid illi maritus filij sacrificium à Domino iniunctum reuelauit? hanc etiam moram præcidit vir obediens. Quid enim mater flendo, dolendo, instando non efficeret? benè S.Chrys. animaduertit: Vide (inquit) iusti magnam prudentiam, vult esse hoc occultum, per omnia declarans quod cum feruenti alacritate, & intento desiderio implere vellet, quod Deo probabatur.

S.August.

Deo sua reddimus.

Nescit Sara filij sacrificium.

D.Chrysost.

A Nam quia sciebat, quòd nouum & inauditum esset id quod ab ipso faciendum erat, neque ab vllo vnquam tale quiddam factum erat antea, facit, vt lateat. ita Chrys. Interdum magna rerum optimarum, quæ sese offerunt, iactura fit, cum illarum opportunitas, vel deliberandi mora interposita, vel consulentium sententiis discrepantibus omnino præpeditur, atque auolat, nunquam ampliùs reditura. Nihilominùs consilio ad res gerendas opus est, quo Abraham non egebat, certus ex præcepto Dei, quid solum faciendum oporteret. Reputabat enim secum (adiungit idem Chrys.) sibi præceptum esse, quod suis manibus tam dilectum filium occidere debeat, & nec rem vlli com- B municare & detegere audeat. Et obstupesce pium & religiosum, & prudentem animum; quia enim sciebat magnitudinem præcepti, nemini prorsus hoc significauit; sed solus secum agonem illum decertabat, & quasi adamas manebat inuictus, nihil causatus obtemperabat magno cum desiderio nutui diuino. hæc S.Chrys. Magnum solet esse præsidium, ac leuamentum, vel ad ferenda æquo animo aduersa, vel ad difficillima quæque peruincenda, in amicis, quibus rerum momenta, & negotia communicantur. Solus enim quisque ad illa omnia inermis, & imbecillis aggreditur sobeunda. Cæterùm Abraham solus ipse sine humano præsidio, sine leuamento certamen ingreditur, omnium, quæ committi possent, difficillimum. At Procopius, cum scriptura nihil vtrâuis in partem statuat de Sara, non censet illi à marito rem tanti C momēti occultatam fuisse. Pium (inquit) & iustum censeo in dubiis, & quæ in vtramque partem verti possunt, non inculare iustos, vt propter imbecillitatem Saræ dicamus Abrahamum illam rem occultam ab illa habuisse. sic ille. Quod si ita contigit, admirabilis supra naturam muliebrem, & pietas extitit Saræ in Deum, & constantia, robúrque virile. Negant tamen plures cum Iosepho: nec enim credibile est, si Sara sciuisset, tantæ fortitudinis laude matrem illam pro pietate, & obsequio Dei, à sacro scriptore priuandam fuisse.

Mora sæpè nocet.

Abraham nulli detegit mandatum Dei.

S.Chrysost.

Vtilitas in amicis.

Procopius.

Saræ fortitudo.

3. *Strauit asinum, &c.*] Igitur Abraham è lecto surgens parat se ad iter: sternit ipsemet asinum, vt etiam hoc tam abiecto, seruilique ministerio, D non suam modò humilitatem, sed etiam alacritatem ostendat: nec enim doloris magnitudine pressus, ita succubuit, vt ad paranda itineri, & sacrificio necessaria minus impiger, & strenuus famulorum operam exposceret. Hinc optime S. Ambros. Docemur (inquit) parata omnia ad sacrificium Dei ferre. Discimus etiam apparatum sacrificij, & ministerij munus ipsi nobis vendicare, non delegare aliis. Senex Abraham, & diues pecoribus, atque abundans seruitiorum, non quæsiuit comitatus sui agmina: ipse quoque ligna concidit, & obsequia maiora viribus suis non intermisit. hæc S. Ambros. In quibus plurima egregiè obseruantur, atque edocentur. Si parat tanta cum sedulitate, alacritate, & humilitate omnia ad sacrificium E suum Abraham: quid quæso se parare non oportet, cum ad sacrificium sanguinis, & corporis Domini accedimus, vel celebrādum, vel saltem communicandum? Seniles in primis cum sene Abraham mores induamus, quales tam sacrosanctum munus exigit, & quibus adhuc Diaconus carere se dolebat S.Paulin. scribens *Epistol. 4. ad Amandum Episcopum*, his verbis. Deseruimus altari Dei, & mensis salutaribus ministramus, iam nomine officióque seniores, sensu autem adhuc paruuli, & sermone lactentes tractamus mysterium pietatis. sic ille. Vigilantia & proprij cordis custodia

Abrahæ humilitas.

S.Ambros.

Pietatis officia à nobis præstanda.

Præparatio ad Eucharistiam.

S.Paulin.

iniungi

iniungitur, dum sacrificaturus de nocte consur-
Vigilantia victoru. git. Enimuerò noctem ad nocendum, & insidian-
dum dæmones captant, vt tempus opportunum:
ergo nunc maximè Abrahæ, & senioribus Eccle-
siæ vigilandum erit. In quam sententiam sapien-
S.Petr.Dam. ter scribit S.Petr.Damian. *lib. grat.cap.* 30. hoc pa-
cto. Surgit inimicus noctu per agrum Christi zi-
zania conspergere. Vos in die, quo ambulatis sa-
næ doctrinæ sarculo mala sata radicitus extirpa-
te. Noctu allophyli puteos ruderibus implent, in
die Isaac euacuare festinat. sic ille. Abraham du-
cens secum duos iuuenes, & Isaac filium suum
Præesse exēplo. docet sacerdotem vti exemplo potiùs quàm do-
ctrina præsit, ac præeat. Etenim (vt S.Petrus Da-
mian. monet *Epist. ad Firminum*) sacerdos, qui in
regno cælorum vult esse magnus, sit in populo
præuius; vt quod voce se sequentibus dictat, pri-
mus ipse viuis operibus impleat. ita Damian. Non
caret etiam mysterio, quod ducat secum duos iu-
uenes, quo numero S.August. Greg. & alij Patres
charitatem fraternam, quæ minimùm inter duos
Charitas ad Eucharistiā. habetur, intelligere solent. Hæc autem christiana
concordia tam celebranti, quàm communicanti-
bus diuinam Eucharistiam omnino necessaria est:
D.Chrysost. Non enim (vt ait S.Chrysost *in Matth.* 5.) à dis-
cordantibus Deus suscipit sacrificium, &c. In cu-
ius rei testimonium Sacerdos in altari antequàm
sacrosanctum Domini corpus, & sanguinem com-
municet, pronuntiat: *Pax Domini sit semper vobis-
cum.* Nimirum, vt pulchrè sacrum istum Ecclesiæ
S.Petr.Dam. *Pax datur in Missa.* ritum euoluit S.Petr.Damian. *lib. Dom. vobis. cap.*
18. Sacerdotalis salutatio iccirco fit in Ecclesia, vt
Sacerdos pacem se habere cum tota plebe fide-
lium doceat. Præcipit enim Dominus in Euange-
lio: *Cum stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis*
Marc. 11. *aduersus aliquem.* Marc. 11. *Si offers munus tuum ad
altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet
aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuū, & vade
prius reconciliari fratri tuo, & tūc veniens offeres mu-*
Matth. 5. *nus tuum.* Matt. 5. Sacerdos ergo, vt hoc Dominicū
præceptum non solum corde custodiat, sed etiam
per exterioris speciem ritus ostendat, antequam
Deo fundendæ orationis offerat sacrificium per
Salutatio mutua in Missa. mutuæ salutationis officium ostendit, se in frater-
na charitate vnanimiter fœderatum. hæc S. Petr.
Damian. Admirandum valde illud est; quod rectè
S.Ambros. subnotauit S.Ambros. Abraham centum & vigin-
ti quinque annis (aut etiam pluribus, vt volunt
nonnulli) grauem, & effætum ad præceptum Do-
mini exequendum, tam se impigrum, ac robustum
exhibere, vt ardore quodam, & robore iuuenili,
non modò ipse sternat asellum, sed etiam ligna ad
Amor Dei impiger. construendam struem concidat: amor scilicet er-
ga Deum Abrahæ animos, viresque subministrat.
Amanti nihil difficile: atque in obsequio Dei (in-
Euseb.Emis. quit S.Euseb.Emiss. *homil. in illud*: Maria stabat ad
monumentum) nihil est satis amanti, &c.

4. *Abijt ad locum, &c.*] O admirabilem obe-
dientiam! abiit, non restitit, non excusationem
obtendit, non in contrarium argumentatus, non
orando, non plorando, aut detrectauit, aut sal-
tem distulit obedientiam. Iubet Deus? En abeo.
Tertull. Ad exhibitionem quippe (ait Tertull.) obsequij
prior est maiestas Diuinæ potestatis, prior est au-
toritas imperantis, quàm vtilitas seruientis, *lib. de*
Summa ratio obediendi. *pœn. cap.* 4. Hæc est igitur prima, & summa ratio
obediendi, videlicet ipsa Dei præcipientis maie-
stas. Iubet Deus? ergo parendum clausis oculis,
sine vllo aut discursu, aut examine. Tota ratio pa-
rendi est, quòd Deus præcipiat. At mihi (dices)
hoc non expedit, nec iucundum, nec vtile, deni-
que nec bonum est. Falleris miser. Hoc vnum no-
A bis apprimè bonum, quod à Deo præcipitur. Id
tantùm nobis est malum non obedire. Deus quæ- *Dei præceptū non expendendum.*
nam isthæc audacia, vt homuncio Diuinum man-
datum expendat? Optimè Tertull. Audaciam (in- Tertull.
quit) existimo de bono Diuini præcepti disputare.
Neque enim quia bonum est, iccircò auscultare
debemus: sed quia Deus præcepit: hoc vnum con-
stet, vt parere debeat homo, qui nouit quid Deus
sit. Sacrilegum est, infinitæ illi Maiestati vermicu- *Deo contraire impium est.*
lum terræ contraire. Porrò iubetur Abraham vel
domi suæ, vel propè, sacrificium istud peragere;
sed vt inde abeat ad locum victimæ destinatum
itinere trium dierum. Etenim (inquit S.Chrysost.)
interuallo loci Dominus iusti probauit virtutem.
Cogita autem quod probabile fuerit triduo illo
B sustinuisse iustum. sic ille. Plane sic res habuit: *Iter. ac tēpus in tormētum Abrahæ.*
mille tormentis anima patris, toto illo itinere, ac
triduo cruciata est, cum iugiter videns, alloquens,
ducens, habensque secum filium, cædem illius
acerbissimam perpetuò in oculis ferebat. Quod
Origen. sic ad viuum exprimit Per totum triduum Origen.
recursantibus viris, paterna viscera cruciantur, vt
omni hoc spatio tam prolixo intueretur filium pa-
ter, cibum cum eo sumeret, tot noctibus penderet
in amplexibus patris, inhæreret pectori, cubitaret
in gremio. Vide quantùm tentatio cumulatur. sic
Origen. Illa etiam huiusce per triduum dilationis
ratio haud est contemnenda, quam ita Lyran. tra- Lyran.
dit. Triduo à Domino ista dilatio facta est, vt ap- *Obedientia Abrahæ deliberata.*
pareret omnibus, quòd Abraham in hoc facto, nō
C fuit subitò motus, sed ex longa deliberatione, vt
clariùs appareret obedientia illius sic ille. Cæco
enim, & inconsiderato impetu ferri ad bonum
opus, non est virtutis, sed temeritatis. Deinde tri-
duum indicitur; vt (adiungit Lyran.) longè eun-
do posset deliberare de facto, & sic dimittere
nisi fuisset valde constans in obedientia ad Deum.
hæc ille. Hoc est enim: *Voluntariè sacrificabo tibi.*
Psalm 53. Sed quid ô sancte senex tecum cogitas? Psalm. 53.
Ad mactandum filium pergens, aliquódne ma- *Magna merces placere Deo.*
gnum lucrum, ex tam deploranda internecione
speras te consecuturum? Maximum quidem, vti
respondet S.Chrysost. *homil.* 20. *in* 1. *Corinth.* 8. his D.Chrysost.
verbis. Abraham filium in montem adduxit, vt in-
terimeret, nullius lucri spe, sed eam maximam ar-
D bitratus mercedem, quòd Domino obsequeretur.
ita Chrysost. O seruum fidelissimum, qui non sua
quærit, sed quæ Domini sui! Vnum & summum
præmium sui obsequij omnium (quæ iuberi atque
perfici possunt) difficillimum sibi proponit, vt Do-
mino pareat, ac placeat. Dixerat olim Abrahæ Do-
minus: *Suspice cælum*: scilicet iam inde seruum Genes. 15.
suum instruens ad istum agonem. Quis enim pa-
ter filium suum dilectissimum propria manu iu-
gulasset, si oculos in terram deprimeret, non verò *Cælū excitat ad virtutem.*
in cælum attolleret? Suspice, ô quisquis ades, cæ-
lum, & nihil erit arduum ac difficile, quod manus
non aggrediatur. Cælum obiectum oculis manus
aduersum se intuentium armat, atque incendit: sic
enim violenti quod cernunt adoriuntur, ac ra-
E piunt cælum. Esto igitur (monet S.Paulin. *Epistol.* S.Paulin.
31.) violentus Deo, rape regna cælorum. Qui ve-
tat aliena contingi, sua gaudet inuadi; & qui dam-
nat auaritiæ rapacitatem, laudat fidei rapinam. sic
ille. Quasi Dominus doleat hominem immortali
animo præditum, cælo possidendo, Deóque ipsi
perfruendo natum, quo summo bono humana to-
ta cupiditas satiatur, res viles, & abiectas, imò &
nihili in hoc mundo cupiendi, & habendi fame
insatiabili, ac malè collocata auaritia dies, noctés-
que discruciari. Neque verò credi non potest A-
brahamum (vti vocat Tertull. *lib. de resurr. cap.* 18.) Tertull.
Patrem

Patrem fidei, & Diuinæ familiaritatis virum: vel dum pergeret ad sacrificium offerendum, vel antea fortassis ex Diuina reuelatione sciuisse venturum in carne humana Dei Filium, atque in redemptionem generis humani violenta morte perimendum: præterquam quod certum est, iustos illos viros in fide futuri Redemptoris, & vixisse, *Fides Christi crucifigendi in Abraham, & in Isaac.* & obiisse. Hanc ergo fidem vterque gerebat in animo viuam, & viuidam, ac proinde tam pater alacri studio accelerabat filij sacrificium, quam filius æquo, ac libenti animo mortem suam tolerabat. *Procopius.* Quod perquàm eleganter edisserit Procop. Christus in vtroque adeò radices egerat, vt filius non timeret fieri victima; pater non doleret, filium offerendo. sic ille.

5. Secum igitur Abraham agitabat, quid tandem magnum præstaret, si filium pater in holocaustum offerret Deo: cum Deus ipse Vnigenitum suum, Deum sibi per omnia æqualem, vbi veniret plenitudo temporis, hominem factum, esset pro redemptione generis humani in ara crucis oblaturus? Sic etiam Redemptoris venturi, fides Isaac animum perpungebat, vt pro illius amore mortem oppetere vehementer cuperet: ac secum meditando identidem repeteret: Occidar, *Meditatio Christi crucifixi* fiam victima vt Dei Filium pro me crucifigendum imitari queam pariter, ac repræsentare. Profectò ad Christi crucifixi conspectum omnis truncatur affectus carnis, & sanguinis. Hac mentis contemplatione in futura Redemptoris mysteria respiciens pergebat Abraham à Bersabee, vbi tunc habitabat, & quò subinde rediit, in regione Geraritarum sita vsque ad montem sacrificio destinatum. Licet autem iter ita longum non sit, illud tamen triduo confecit, vel quia lento gradu senex cum comitibus incedebat, Deo sic disponente, vt diutiùs angeretur: vel (quod facile dictu est) quia triduum illud computatum est à die iussionis Dei, non à die profectionis Abrahæ. Itaque die tertio, eleuatis oculis vidit locum procul. Fortè signum aliquod diuinitus acceperat, quo notaretur collis, ad quem ex præcepto Dei pergebat. Hebræi narrant fuisse columnam ignis in cacumine collis, *Abulens.* Abrahæ & filio solis conspicuam, vt refert Abulens. Sed res incerta, & minus probata, quòd sit Hebræorum, qui etiam in hoc sacrificio mille ineptias, ac deliramenta eructant. Hoc planè certum: Abraham vti gradiebatur, sic pariter oculos in obiectos montes iniiciens illum requirebat intuendo, in quo iubebatur offerre sacrificium, vt saltem celeritas, & promptitudo obedientiæ oculis præueniret, quò pedibus nondum poterat peruenire. *D. Ambros.* Optimè S. Ambros. Solicitè (inquit) explorat, qui *Oculus Abrahæ cæcus & lynceus.* properat implere, &c. Nimirum oculos, quos habuit cæcos ad discernendum (cum accepit Domini præceptum) hos nunc habet peracutos, ac lynceos ad prospectandum locum, in quo erat præceptum Domini completurus. Quam intuendi perspicacitatem in sene tam grandæuo propè miraculosam, qui longiùs dissitum collem & vidit, & destinatum à Deo esse cognouit *S. Ambros.* S. Ambros. perbellè obseruans ex promptissimo parendi studio natam esse ita contestatur. Quamuis senilem studio celeraret gradum, tamen hoc serum putans, procedebat oculis. Vigebant singulorum officia membrorum, licet senilia membra non possent vigere. Solet hebescere visus senum, vt etiam propinqua non facilè conspiciant. Hic non solum vidit locum, sed etiam longe positus aspexit. hæc S. Ambros.

6. *Expectate hic, &c.*] Ad radices montis (vt credere fas est) iussit subsistere duos famulos, simul

A cum asello; nec illis quicquam de sacrificio filij aperuit: Ne scilicet (inquit S. Ambros.) cogni- *S. Ambros.* to negotio, aut impediret aliquis, aut gemitu obstreperet, aut fletu. sic Ambros. Vt plurimum pru- *Non temere aperienda Dei consilia.* dentia est, iam maturè factam deliberationem de contemnendo, ac relinquendo seculo, atque animam, corpúsque in vitæ religiosæ sacrificium emancipando; nemini præsertim domesticorum reuelare: solent enim hæc & similia perfectioris pietatis consilia, si rescianturo, vel suggerente diabolo, vel respectu ipso carnis & sanguinis se opponente, aut interturbari, aut omnino præpediri, ac præcidi. Remoti ab arbitris præsertim dome- *Opera pœnitentiæ in secreto fiant.* sticis, & cognatis, bonum opus, maxime volunta- B riæ afflictationis efficiamus: ne si videant macerari corpus, falsa quadam commiseratione dicant: Quid te mactas, ac perdis homo? parce tibi, ac vitæ tuæ. Ac tandem boni operis inspectores à Dei obsequio, & virtutis studio nos impediant. Deo iubente, ac ducente sine mora eundum est, vel ad vitæ ipsius offerendum sacrificium. Vbi enim de obsequio, ac pietate Dei agitur, cedant necesse est omnes mundi respectus, carnísque affectus, qui vti abiecti, ac seruiles procul ablegari debent. Sic Abraham seruis remanere iussis vadit vlteriùs ad sacrificium. Nimirum (vt obseruat Procop.) quem fidei perfectio mentis statu quasi *Procopius.* alienauerat, & dimouerat, non filium, quòd suus *Abrahā patrē se nescit.* esset filius, agnoscit: nec se patrem esse commeminit. sic ille. O quis ita prudens, quis adeò felix Christi Sacerdos existat, qui ad altare Domini ac- C cessurus, ad sacrificium corporis & sanguinis Dominici peragendum dicat seruis suis: Remanete hìc cum asino, remanete hîc omnes curæ, ac solicitudines huius seculi, remanete hic omnes affectiones, & cogitationes terrenæ, atque abiectæ cum carne ipsa vestra stolida, & brutali? dedecet *Qualis status mentis in Missa & oratione.* enim ad purissima Dei mysteria ascendere, quod spirituale, purum diuinúmque non sit. Id quoque omni studio conari, præstaréque debet vir iustus, cum ad orationis montem acturus cum Deo ascēdit, vt totus subinde, in Dei contemplatione, amoréque defixus nihil habeat secum seruile, ac profanum, quo mentis puritas dedecoretur, & Diuinæ illustrationis fulgor in mentem irradians obscure- D tur. *Ego* (adiungit) *& puer illuc vsque properantes, &c.* Legunt alij ex ipso fonte Hebræo עד כה *Hucusque.* Nimirum vulgata lectio sensum ipsum (vti solet) potiùs, quàm verba respexit: at Hebræa litera dolorem peramantis patris expressit. Hic *Abraham obediens ac dolens.* enim ad immolandum filium pergens simul cum obedientiæ alacritate paterni affectus teneritudinem, & inhærentem visceribus dolorem defert, atque adeò tum quia obediens, tum quia dolens, non sperat se deinde peruenturum ad locum sacrificij, sed iam in eo consistere, ac videre ante oculos suos filium ferro concisum, & flammis concrematum. Sed quid illud? *Reuertemur ad vos.* Ex quo videtur conuinci inanitas huius historiæ, aut Abrahæ mentientis dolus, cum dicat reuersurum E se cum filio viuo, quem ipse iubetur occidere. hinc Origen. cum Abraham expostulat ad hunc *Origen.* modum. Dic mihi: Verum dicis ad pueros, necne? *Fides & spes Abrahæ.* Si verum dicis, ergo non facies eum holocaustum: si fallis, tantum Patriarcham non decet fallere. Verum dico: cum ipso redeo ad vos. Credo enim, & fides mea hæc est, quòd à mortuis potens est eum suscitare Deus. hæc Origen. Hoc ipsum Al- *Alcuin.* cuin. explicatiùs ita proponit. Indubitanti animo mactare filium volebat. Laudandus in constantia offerendi, & in fide suscitandi, sciebat enim certissimè Deum fallere non posse, & licet puer occideretur,

deretur, promissionem tamen Dei saluam permanere. vnde Apostol. *ad Hebr.* 11. dicit *Fide Abraham non hesitauit, cum vnicum offerret, in quo acceperat repromissionem, credens, quia & à mortuis potens est suscitare Deus.* hæc ille. Itaque Abraham paratus filium occidere, & certò sperans illum ita in holocausto extinctum à Deo confestim resuscitandum: atque indubitanter credens se in monte sacrificium Deo oblaturum esse, quod & præstitit in ariete pro filio diuinitus subrogato; dicit famulis: *Cum adorauerimus, reuertemur ad vos.* vt enim obseruat Procop. Ad seruos more prophetico inquit: *Ad vos reuertemur.* Cum enim se sacra facturum crederet, prophetico spiritu prænunciauit, quod futurum erat. Deinde dicit, *reuertemur*; quia credebat id neutiquam Deo esse impossibile. sic ille. Quo maximè ostenditur pietas Abrahami erga Deum, in cuius obsequium filium occidit: & fides in ipsum, à quo firmiter credidit à se iugulatum, & crematum filium mox resuscitandum.

ad Hebr. 11.

Procopius.

Abraham prophetat.

7. Cæterùm fides resurrectionis non parum videtur imminuere tentationem patris, in qua peruincenda fides, & obedientia sacrificantis emicabat. Respondet egregiè Hugo Cardin. Duo fuerunt in Abraham maximè meritoria: fides implendæ promissionis in filio; & anxietas in morte eius. Licet crederet suscitandum, imò etsi sciret citò suscitandum, non poterat tamen non dolere de morte filij: sicut nec beata Virgo, quæ sciebat certissimè filium suscitandum tertia die. vnde D. Bernard. contra quosdam dicentes eam non doluisse, Quis tu (inquit) abundans in sapientia, vt non mireris Filium Dei in corpore patientem, & mireris matrem suam in corpore compatientem? sed nunquid resuscitandum credebat? vtique & fideliter. Nunquid ergo dolebat? vtique, sed vehementer. hæc ille. At nullo quidem pacto comparari debet Abrahæ dolor cum dolore Virginis Matris. Enimuerò triduo tantùm in agone suo, etsi acerbissimo perstitit Abraham, nec tandem vidit oculis suis filium suum, vel à se, vel ab alio interfectum: noluit enim misericors Deus tam inconsolabili dolore seruum suum excruciare. At Virgo Deipara tenerrimo illo atque amantissimo pectore quàm multos, & quàm acerbos dolorum cruciatus pertulerit, nullus mortalium comprehendet, minúsque explicabit. Ab ipso enim momento à quo peracta est diuini Verbi Incarnatio, Matrem illa se agnouit illius Filij, qui homo factus erat, vt pro redemptione generis humani saturatus opprobriis, verberibus concisus, in crucem sublatus, mortem esset incredibili pœnarum acerbitate miserandam pariter atque infamem oppetiturus. Hæc verò tormenta vsque ad resurrectionem Filij sui Virgo parens per triginta tres annos, ac dimidium, singulis horis, ac momentis perpessa est, cum semper ante oculos suos mortem illam Filij præsentem intueretur. Magnam tamen vim habet resurrectionis fides, certáque spes ad mitigandam doloris magnitudinem ex morte Filij in quocunque parente, vt in Abrahamo. & in Virgine Matre haud dubiè visum est. Quod etiam in Dauide verè ac disertè subnotauit S. Paulin. *Epist.* 35. hisce verbis. Dauid filium dilectissimum (primum scilicet ex ea, quæ fuit Vriæ) quem flouerat ægrotantem, non fleuit amissum, certus infantem ad pacis æternæ beata translatum. At verò idem Absalonem, quem inimicum habuerat, mortuum lamentatus est, quia diuinæ iustitiæ, vt Propheta conscius impio desperauit, requiem & resurrectionis bonum soluit indebitum parricidæ. sic Paulin. Notæ sunt historiæ ex *cap.* 12. *Reg.* 2. *& cap.* 19. Dictum illud sibi à Domino putent parentes cum filios morte præripi vident, quod illi Viduæ defunctum filium deploranti dixit: *Noli flere*: & veluti rationem reddens, quare non esset defunctus ille dolendus: *Accessit, & tetigit loculum, & ait: Adolescens tibi dico, surge.* Luc. 7. Nimirum (vt eo loco considerat D. Chrys.) iubens cessare à lacrymis qui consolatur mœstos, monet nos præsentibus defunctis consolationem recipere, resurrectionem sperantes: tenet autem feretrum vita obuians morti. sic ille. Itaque (vt scribit S. Zeno Veron.) ascenditur in montem omni mysterio, sacrificióque disposito. Ductus filius gaudens gaudente patre, patris dextera feriendus hæc ille, *serm.* 1. *de Abraham* Præcipua quidem dispositio ad sacrificium, quod de nobis paramus Deo, est ipsa mentis alacritas. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* 2. Corinth 9.

Hug. Card.

Fides & dolor Abraha.

S. Bernard.

Dolor Virginis Matris continuus.

S. Paulin.

Dauid vnum filium mortuum tulit, alterum doluit.

2. Reg. 12. & 19.

Spes resurrectionis consolatur.

Luc. 7.

S. Chrysost.

S. Zeno.

2. Cor. 9.

8 *Tulit quoque ligna holocausti, &c.*] Relictis iam à tergo seruis cum asino pergunt vlterius, pater, ac filius, *illuc vsque* (vt scribitur) *properantes*: legit Ambros. *Ego & puer pertransibimus viam.* quem loquendi modum subtiliter ita interpretatur: Demonstrat quòd non deficeret in tanto apparatu pater, non cederet filius, aut quia pertransirent pietatis remedio tanti facinoris austeritatem. sic Ambros. Itaque iuxta hanc lectionem significat Abraham sacrificium illud tam acerbum, ac dolendum vtrique, tandem constanter, ac ritè obeundum esse propter vtriusque in Deum pietatem, qua suffulti pater affectum amoris; filius amorem vitæ superaret. Imposuit ergo super Isaac ligna holocausti, ipse autem portabat ignem, & gladium. En qualis Abrahæ filius! quàm patri obediens! Etsi puer onus asini portet, non indignatur abiectum, & se indignum bestiæ illud ministerium, non dolet ita filium à patre tractari, nimirùm, quia Isaac est, & parentum risus. Quod autem pater filio ligna portanda imposuerit, filiúsque in sui futurum incendium (etsi tunc nescierit) illa portauerit, declarat pietatem iuuenis summa cum alacritate mentis & corporis constantia coniunctâ, vti Philo Hebr. his verbis obseruat *lib. de Abrah.* Ligna ferenda dedit filio, æquum censens, vt ipsa victima deportaret res, quas postulabat sacrificium, leuissimam sarcinam, Nihil est enim pietate grauius, nihil magis industrium. sic ille. Sed quid de patre dicendum, qui gladio, & igne armatus incedebat? Meritò exclamat S. Chrys. ô animæ fortitudinem, ô spiritus soliditatem! Qualibus oculis spectabat puerum ligna ferentem, super quæ, non multo post illum mactaturus erat? Quomodo manus ferre potuit ignem, & gladium? Et manus quidem ferebat ignem, qui erat sensibilis; intùs autem accendebat ipsius mentem, & rationem absumebat, & persuadebat vt vinceret amator in Deum. Vide obsecro ante sensibilem ignem, incendium internum, quod paulatim exardescebat, & iusti mentem cōcremabat. hæc S. Chrys. Et manus quidem patris, & filij terga mirabilem spirant pietatem; atque immensam illam repræsentant, qua æternus Pater baiulantem sibi humeris crucem ducturus erat Filium suum factum hominem extra castra ad Caluariæ locum, vbi & crucifixus est. Consecratur (inquit S. Ambros.) sacris hostia mysteriis, & commendatur futura. Quæ pietatis hostia, pij ante ministerij vectura est. Ligna Isaac sibi vexit, Christus sibi patibulum Crucis portauit. Abraham comitabatur filium, Pater Christum. Nec Isaac solus, nec Iesus solus. hæc S. Ambros. Haud dubiè

Abrahami

S. Ambros.

Pietas in Deum vincit omnem affectum.

Isaac obedientia.

Phil. Hebr.

Mira pietas Isaac.

D. Chrysost.

Mira fortitudo & pietas Abraha.

Ducitur Christus à Patre in Crucem.

S. Ambros.

A Abrahami gladius significabat diuinam iustitiam, quæ a Christo Domino mortem erat pro delictis hominum expetitura: ignis verò amorem illum infinitum Patris, qui sic dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret in pretium, & redemptionem nostri. Profectò, cum mysterium Dei hominis crucifixi necessarium quidem hominum generi, sed arduum, ac difficile creditu, Iudæis futurum scandalum, gentibus autem stultitiam, Deus vellet multò ante præsignificari, vt paulatim figuris, ac vaticiniis (mitigata quodammodo illius difficultate) via sterneretur ad ipsius fidem, nihil sacratius, & explicatius, quàm præsens historia illud repræsentauit. In quam sententiam grauiter, & eleganter ita scribit Tertul. *3. aduersus Marcion.* 18. Vtique vel maximè sacramentum crucis figurari in prædicatione oportebat, quantò incredibile, tantò magis scandalo futurum, si nude prædicaretur: quantóque magnificum, tantò magis obumbrandum, vt difficultas intellectus gratiam Dei quæreret. Atque in primis Isaac cum à patre hostia duceretur, & lignum ipse sibi portaret, Christi exitum iam tūc denotabat in victimam concessi à Patre lignum passionis suæ baiulantis. hæc Tertul. Similiter omnes doctores, & Ecclesia vniuersa hanc figuram Christi Domini suam baiulantis Crucem, in Isaac ligna portante vnanimi consensu intelligunt: ergo Abraham (vt loquitur S. Aug. *serm. 73. de tempore*) hilaris accingebatur, qui nec timorem facinoris formidauit: nec implere, quod iussus est, degener animus dubitauit. Spes illa futura tot gentium paterna manu iubetur occidi. sic Aug. Quæ omnia prædicant admirabilem & fidem, & obedientiam Patriarchæ.

Passio Domini præfigurata.

Tertull.

B

S August.

C

Abraha constantia.

9 Porrò cum ambo pariter eo habitu pergerent ad sacrificium, dixit Isaac patri suo: *Pater mi, &c.* pulchrè S Chrys. Sufficiebat (inquit) hoc verbum ad lancinanda huius iusti viscera. Et hæc (inquit Origen.) pro tempore à filio prolata tentationis est vox. Quomodo enim putas immolandus filius per hanc vocem viscera paterna concussit? sic ille. O summè periculosam tentationem! patris nomine à filio pium illud pectus impugnatur, nec tamen infringitur cedens amori potius, quàm obedientiæ. At ille respondit: *Quid vis fili?* addit consequenter Orig. Et quamuis Abraham rigidior esset pro fide, reddit tamen etiam ipse affectionis vocem, & respondit: *Quid est fili?* optimè S. Ambros. Pulsatur (ait) pietatis vocabulis patris affectus, & fluctibus quibusdam hinc, atque inde tunditur. Filius vocat patrem; pater dicit, Fili: vt ipso verborum sono, se recognoscat pater, quàm impossibile est, vt ferire possit, cuius se vulneri subiicere optaret. Hæc nomina vitæ solent operari gratiam, non ministerium necis. Hæc vocabula incitare ad pietatem, non ad mortem solent. hæc S. Ambros. Nec dubium est, quin per hæc mutua verba patris animus longè acerbiùs modò, quàm hucusque, fuerit sauciatus: memorans scilicet se patrem esse, & filium à se occidendum. *Quid vis fili?* Patrem (inquit S. Chrys.) vocas paulò post futurum orbum: & ego filium appello, qui non multò post altare ascensurus est meis occidendus manibus. ita Chrys. Deinde filius: *Ecce ignis & ligna, vbi est victima holocausti?* Augescit vehementiùs probatio iusti dum per verba filij repetita patris dolor recrudescit. O admirabilem viri huius constantiam! Ducebat (scribit S. Ambros. *lib. 1. offic. cap. 25.*) hostiam pater. interrogabat filius, tentabatur affectus patrius, sed non vincebatur. Repetebat filius appellationem paternam, compungebat pa-

D Chrysost.

Lancinantur Abrahæ viscera.

Origen.

D

Origen.

Abraham rigidior pro fide.

S. Ambros.

E

D. Chrysost.

Augescit tentatio Abrahæ.

S. Ambros.

A terna viscera, sed non minuebat deuotionem; tenebat iustus, & pietatis modum, & executionis ordinem. hæc S. Ambros. Paucis eadem sic complectitur S. Chrys. Considera quomodo probatur iustus! quomodo tulit auribus! quomodo potuit respondere puero! quomodo non est confusus mente? sed generoso spiritu, & forti anima loquitur. Ipse autem maiorem grauioremque dolorem pertulit, verba in anima versans, & cogitans pueri elegantiam externam, internámque pulchritudinem, obedientiam, gratiam, ætatis florem. ita Chrys. Rectè S. Cyprian. *lib. de mortalit.* ex hoc loco confundit impatientiam illius, qui filij mortem impensiùs dolet, & multò acrius confunditur B parens ille, qui filium a se diuelli, & in religionem secedere nulla ratione patitur. Proh quàm longè vterque à constantia, pietatéque Abrahami est! Qui (ait S. Cyprian.) vt placeret Deo, nec amittere filium timuit, nec gerere parricidium recusauit. Qui filium non potes lege, & sorte mortalitatis amittere, quid faceres si filium iubereris occidere? ad omnia te paratum facere timor Dei, & fides debet. hæc S. Cyprian. Nec sibi pater parcebat, cum filium immolaret. Nam verè dixit S. Petr. Chrys. *serm. 108.* Quid aliud Abraham, quàm corpus suum immolabat in filio? Sed fortassè veriùs illud à Philone Hebræo dicitur *lib. quod Deus sit immut.* Abraham Deo offert germanum animæ filium. Immolabat igitur Abraham in filio, & corpus, & animam suam. quod etiam S. Chrys. *homil. 3. in 2. ad Corinth.* ita expendit. Obtulit filium, imò C super omnia suum ipsius animum. Immolaturus filium vocat, *Fili mi*: immolandus patrem nominat: *Pater mi.* Etsi enim patris viscera, hoc ampliùs, & acerbiùs pungerentur: at filius tamen patris sui manu suscipiendam mortem eò minùs dolebat, imò gratiùs, & alacriùs expectabat; ad manum scilicet patris, quàm ad gladium potiùs respiciens, nihil acerbum, & graue censebat, quod à patre filius susciperet. Enimuerò (vt hunc eundem locum expendens ait S. Petr. Chrys.) ignorat se filium, quem data paterna solicitant. Hinc Isaac patris super se gladium cum videret hostiam se esse, cùm horrere, cum dolere poterat. est gauisus. sic ille *serm. 55.* Dulcem reputabat mortem, quam pa- D ter inferret filio; non personam videlicet de facto ipso, sed factum de persona diiudicans, etiam gladium distringens pater est.

D. Chrysost.

Dolor & fortitudo Abrahæ.

S. Cyprian.

Abraham patres docet, & confundit.

S. Pet. Chrys.

Phil. Hebr.

Abraham se in filio immolat.

D. Chrysost.

S. P. Chrysol.

Isaac mors dulcis, quia à patre.

10. *Ædificauit altare, &c.*] Nimirum ex obuio cespite, & saxis aliquot, hinc inde ab vtroque coaceruatis. Iterùm (inquit S. Chrys.) obstupesco iusti fortitudinem, quomodo potuerit extruere altare, quomodo valuerit, quomodo non defecerit præ angustia; sed & altare ædificauerit, & imposuerit ligna! sic Chrysost. Solet quidem dolor, & quæuis alia vehemens ægritudo mentem ipsam totam occupare, corporisque omnes functiones præpedire; nec enim iam membra vigent, sed caput languet, pectus nutat, manus hebescunt, genua labant. At obedientia, & pietas erga Deum E non conseruant modò, sed augent etiam Abrahæ vigorem, & constantiam. Impiger ille ignem, gladiúmque portarat, atque altare filio mactando, & concremando paternis manibus construit. Sola victima restabat, de qua filio quærenti responderat pater: *Deus prouidebit sibi victimam, fili mi.* Fide scilicet gnarus, licet de modo & indiuiduo ignarus prophetauit. Sed quid illud: *fili mi?* ad maiorem vtique dolorem. benè S. Ambros. ad hæc verba sic effatur: Inflexibilis à studio deuotionis minister vocare filium frequenter non timet: ita erat intentionis soliditate fundatus: & hoc se meliorem

S. Chrysost.

Vigor Abrahæ in construendo altari.

Qualis Propheta Abraham.

S. Ambros.

meliorem patrem putabat, hoc sibi in perenne mansurum iudicabat filium, si eum immolaret Domino. hæc S. Ambrosius. Tam pater quidem nemo, tam pius erga filium nemo, quam qui magis erga Deum pius, filium suum etiam chariſſimum vnicum, & puerum Deo in religiosa vita à ſeipſo auulſum immolat. Sed, *Prouidit* (ait Deus) *ſibi victimam*, ſecutus nimirum (loquit S. Zen. Veronenſ.) de fide generis ſui pater filio, de quo non dubitabat, patefecit, quia le Dominus poſtulaſſet; & quid ipſe Domino promiſiſſet, oſtēdit. ſic ille *ſerm. 1. de Abraham*. Quænam iſthæc victima eſt, quam Deus ſibi prouidit? Planè Filium ſuum vnigenitum cuius erat typus Iſaac. hæc victimam à Deo Patre immolandam, & ſciebat Abrahā, & modò prophetauit, vt diſertè obſeruat S. Ambroſ. hiſce verbis. Non ſolùm prophetauit hoc, quod ſtatim accidit, quia Deus prouidit ſibi pro Iſaac hoſtiam, & reddidit patri filium: verùm illud magis, quòd nō hæc hoſtia Diuinæ eſſet diſpoſitionis, ſed alia eſſet hoſtia, quam Deus ſibi pararet, vt mundaret orbem terrarum: illa eſſet omnibus acceptior, per quam multi patres offerrent filios ſuos, & ſeparari ab hoc ſeculo à filiis non timerent. Quotidie offerunt patres filios ſuos, vt moriantur in Chriſto, & conſepeliantur in Domino. Quanti patres occiſis martyrio filiis lætiores ab eorum tumulo reuertetur? hæc S. Ambroſ. Itaque Deus præſcius futurorum non victimam ſibi prouidit in Iſaac, ſed in Filio ſuo Vnigenito, qui factus homo, & in crucem ſublatus, primum eſſet, ac præſtantiſſimum exemplar omnium martyrum, atque omnium qui martyrio alio licet incruento, ſed per totam vitam moleſtiſſimo eſſent immolandi. Nec enim tam præclaræ virtutis, & ſacrificij, támque nobilium victimarū aliud exemplar decebat eſſe, quàm ipſemet Deus homo factus obediens vſque ad mortem crucis. Nec decuit etiā, vt patres, qui poſthabito amore paterno patienter ferrent filios ſuos, vel ſan guine, vel religione in obſequium Dei ſacrificari, ducem alium præeuntem, quàm Deum Patrem, qui Filium ſuum ad mortem tradidit, ſequerentur, atque imitarentur. Grande atque horrēdum ſpectaculum: Pater armatur gladio in caput filij! Non deeſt enim (inquit S. Zeno) miniſterio gladius, vt pater eſſet pariter, & ſacerdos, *ſerm. 2*. Tales ij ſunt parentes, qui libenter filios Deo in obſequio addicunt. Porrò Abraham compoſita ſtrue lignorum, tandem, vt credere par eſt, filio ſuo rem totā aperuit, illum ſcilicet fore victimam holocauſti. Credo equidem pliſſimum iuuenem vltro datis manibus morti ſe obtuliſſe, quod S. Zen. Veronēſ. *homil. 2. de Abraham*, ita ediſſerit. Lætatus eſt puer, patre fideli ipſe quoque fidelior, nec recuſabat mortem, quam Deus, qui vitam dederat, imperabat. Lætatur pater filio quoque gaudente, & cum gaudio vnici pignoris alligat manus, quas ille vinciendas libentius offertet. ſic Zeno.

Meliorem patrem qui filium Deo immolat.

S. Zeno.

Abraha fides de Christo crucifigendo.

S. Ambroſ.

Chriſtus Patris victima.

Chriſtus martyrum, & religioſorum exemplar.

Qui patres Deum Patrē imitantur.

S. Zeno.

Abraham & Iſaac latātur in ſacrificio.

S. Zeno.

11. *Cumq; alligaſſet Iſaac filium ſuum, poſuit eum in altare ſuper ſtruem lignorum.*] O filiū admirabilem! ô verè vnicū (vt ſæpius vocatur) in mundo! Videt ſe à patre filium veti pecudem ligari, & immolandum ſuper ligna imponi: nec reluctatur, aut certè dolet, ingemiſcitque: feri omnia libēs, quia filius à patre. Hic ligat, ille ligatur, vterque ſiccis oculis, quia obedit. Iure optimo admiratur S. Chryſoſt. Quomodo (inquiens) non euolarit à corpore anima patris, quomodo potuerit ſuis manibus colligare, & lignis imponere tam dilectū, tam amabilem vnigenitum! ſic S. Chryſoſt. Quòd

Patientia Iſaac.

Patris & filij obedientia.

D. Chryſoſt.

pater filium manibus, ac pedibus (ita enim factū eſt) colligarit, illa ratio eruetur à S. Zenone; videlicet: Pedes quoque conſtringit, ne in exitu mortis concitata victima calcitraret. Securos enim pater optimus timuit, ne dolori aliquid liceret in mortem. ſic ille, *ſerm. 1*. quam etiā S. Ambroſ. ſic euoluit: Nectit filio manibus ſuis vincula pater, ne refugiendo filius, & vi igeris exuſtus peccatum incurreret. ita S. Ambroſ. Quaſi offerentis deuotio, ac pietatis aliquantulum minoeretur, ſi dolore mortis (vt natura ipſa fert) velmanum, vel pedem Iſaac oblatus in victimā moueret. Quæ ratio ſic explicatur à S. Auguſt. *ſerm. 72*. Vincitur innocens hoſtia, ne offerentis deuotio putaret ſe minus aliquid exhibere, ſi impatientie doloris victima calcitraret. hæc Auguſt. Meritò exclamat S. Zeno Veronenſ. O ſecura deuotio! ò peter ſpiritum captans! corpus verò, mortémque contemnens! ſic ille, *ſerm. 1. de Abraham*. Magnū profectò miraculum in homine, vt ſolo ad ſpiritum reſpectu corpus ipſum, & quæcūque ad corpus pertinent, ferro, & morti offerat præcidenda! Vbi de ſpiritu agitur, tota ratio corporis diſpareat neceſſe eſt. Non manus tantùm, ſed etiam pedes filio videtur Abraham ligaſſe, vt ſancti Patres obſeruant. In quo ſenſu apponit S Zeno Veronenſ. Traduntur teneræ adhuc vinculis manus Et ne quid minus ab h. ſtia videretur, pedem ligatura diſtringit: ne incitata victima diſpliceret. ſic ille, *ſerm. 1. de Abraham*. Quieta datur hoſtia, cui tamen parcitur: at Æternus Pater Filium ſuū ligandum vinculis, & flagris dilaniādum, & patibulo perimendum pro ſceleſtis tradit. Vide quāta cum animi, & corporis tranquillitate debeat aſſiſtere ante Deum, qui rei Diuinæ, aut ſaltem orationi dat operam. cæterùm facilior ea redditur ab aliis cauſa, quòd ita mos erat victimas cōſtringere. Vnde illud Ph. Hebr. *lib. Quod Deus ſit immut.* Abraham Deo filium offert vinctum pedibus, vt ait lex. Horrendum ſane ſpectaculum tā patri immolaturo, quàm filio immolando! Nec minùs admiratione eſt filius, quem pater, vt bene indicat S. Chryſoſt. ad hunc modum. Vtrum admirer, & obſtupeſcam iuſtius? Fortémne ſpiritum Patriarchæ, an pueri obedientiam, quod nec reluctatus eſt, nec factū ægrè tulit, ſed ceſſit, & obtemperauit his, quæ à Patre facta ſunt; & ſicut agnus cum ſilentio ſuper altare accubuit, expectans patris dexteram? ita Chryſoſt. Ita verò patria obſequium erga Deum, cuius mandato filij vitam, atque in illo ſuam ipſius animam poſthabuit, eidē Domino placuit, vt propterea ſaluum, & Incolumem patri Filium reddiderit. Quod S. Ambro. verè atque elegāter ſcripſit *lib. 2. offic cap. 25*. his verbis. Abrahā dum neceſſaria ſacrificio vehit, dum ignem adulet, dum filium ligat, dum gladium educit; hoc immolandi ordine meruit, vt filium reſeruaret.

Cur ligarit Iſaac. S. Zeno.

S. Ambroſ.

Mira patris & filij deuotio.

S. Auguſt.

S. Zeno.

Spiritus, non corporis habenda ratio.

S. Zeno.

Pedes & manus ligantur Iſaac.

Sacerdotis mens tranquilla in altari.

Phil. Hebr.

D. Chryſoſt.

Vter magis admirandus, Abraham, an Iſaac.

S. Ambroſ.

SECTIO III.

Extenditq; manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium ſuum. Et ecce Angelus Domini de cælo clamauit, dicens: Abraham, Abraham, &c. vſque ad finem.

1. Extendit manum, &c.] Hoc vnum deerat. Arripit pater gladium, diſtringitque, atque dextra eleuata ictū vibrat, ad filij vulci, & chariſſimi iugulum amputandum. Ita omnia ſigilla-

Abrahā contēstā rarò agit. *S. Ambros.*

tam,& fieri,& narrari videmus,vt magna cū deliberatione facta esse intelligamus. Vnde illud S. Ambros. Quāta molimina immolaturi,ne raptus subitò ad immolandum æstimaretur! Pulchre S. Chrysost. contenta voce spectaculū istud admiratur: O religiosam (inquiens) animam! ô fortem mentem! ô ingens desiderium! ô rationem vincentem humanam naturam! sic ille. Hoc etiā tam nouum atque inusitatum in mundo certamen his verbis suspicit, atque extollit S. August. *serm.* 73. *de tempore.* Videte Abrahā patientia fortem,deuotione constantem,non cum aliqua fera luctantem,sed cum natura pugnantem. Deuotio dicebat, percute: pietas clamabat,parce. Illa reuocabat, ista prouocabat. Filius tunc moriturus iacebat. Erigit dexteram feriturus,& locum,quo libēs peteuntiebat,occupat. hæc S.August. In verbo, *extendit*, celeritatem obedientiæ agnoscit S. Ambros. ita inquiens: Abraham quasi exors naturæ,vt filium offerret,acerebat gladium,ne mora sacrificiū decoloraret. ita S. Ambros *Epist.* 45. celeritas enim valde commendat obedientiam, tarditas infamat. At erit, qui vel impiū,vel crudelem vocet patrem. Fallitur ille quidem: non est impietas, nec crudelitas,cum affectus humanus diuino posthabetur. Abraham igitur (vti S. Zen. considerat) Dominum filio,sacerdotē prætulit patri;nec pium se credidit, nisi probasset fidelem. *serm.* 2. *de Abraham.* Deus ab homine cunctis est affectibus,&respectibus præferendus;nec homini sat est, vt in se probus sit,sed probari, & videri fidelem ipsum necesse est. Et quidem ita impiger,& alacer Dei mandatum exequitur, vt nō tam officiosus Deo,quàm gratus debitor reddere debitum videatur. A Deo quippe filium in senectute ex coniuge anu sterili acceperat: licuit deinde patri vltra iam viginti annos, tā dilecto, tam pulchro, tam sancto filio viuo potiri: eundē nunc repetenti Deo libens cum gratiarum actione(vt credere fas est)restituit,quasi diceret: Dominus dedit,Dominus abstulit,sicut Domino placuit ita factum est, sit nomē Domini benedictum. Hinc illud optimè dictum est à Phil Heb. *lib. Quod Deus sit immut.* Abraham dilectū vnigenitum filium effigiem à se dictæ sapiētiæ Isaac offert Deo,& reddit magna cum alacritate,quasi necessariam, debitámque gratiam, noui generis victimam. sic ille. Hæc eadem,& plura in hanc sententiam ita complectitur S. Zeno Veronens. O qui seruum Domini ita se meminerat, vt patrem se esse nesciret! Quid est pater? Ecce sub oculis iacet filius vinculis astrictus. Vbi sunt lacrymæ? vbi dolor,qui in humanis sensibus versari consueuit? In tantis filij casibus lætatur, & gaudet, & se Dominum promeruisse triumphat. hæc illè *serm.* 1. *de Abraham.* Hoc vnum vir iustus ante oculos habet,vt Deo placeat,Deo pareat. licet filium,& semetipsum in filio trucidet. Quod etiā S.Chrysost. *homil.* 3. *in* 2. *Corinth.* ita considerat. Prius quidem de terra sua egressus fuerat; nunc verò ab ipsa quoque natura excessit. Patris enim nomen amittere maluit, quàm cōmittere, vt à probi serui officio recederet. Et post tot, ac tam grauia tentamenta paterni affectus adhuc non vincitur, non lassatur, non succumbit, non iacet, aut patris amor, aut armata ferro dextera? Progreditur tandem in filij necem! Accepit (inquit Zen. Verō.) iam præmia,quæ meretur,diuina exeuim explorationis tentamina porriguntur. Exerit quidem ferrū, & armata dextera subleuat manum. hæc ille. *ferm.* 1. *de Abraham.* Præmia dicit ipsamet tentamina. Honorat quidem Dominus seruum suum,& in eo anteacta virtutis opera digno præmio afficit,cum ad maiora parrāda, & grauiora subeunda, vnde illustriores victoriæ, triumphique nascantur,inducitur,& armatur. Et quidem præmium quoque est vnius boni operis ipsa, quæ ad perseuerantiam illius,vel ad nouorum deinde argumentum datur diuinitus gratia. Rectè idem Zeno patris dexteram eleuantis ad ictum sic admiratur. Intrepidus ad ministerium immolationis armatur, libratur ad ictū vulneris securus animus, sed securior manus: elatus ad immolandum gladius rimatur. Nec puerū mors vicina contristat, ne trepidatio fidem prodat infirmam. sic ille, *serm.* 2. Exterior alacritas indicat animum interius alacrem. Contra verò exterior segnities, mœrórque inuoluntarium arguit affectū. Atque in hoc extremo discrimine haud dubie prodigiosa mihi videtur vtriusque patientia, constantia, pietas,atque in Deum amor: nec antea vllum Deo gratius in terra spectaculum humana exhibuit natura,siue patrem percussurum, siue percutiendum filium respicias. Vnde Zeno idem exclamat *serm. de patient.* O nouum spectaculum,ac verè Deo dignum, in quo definire difficile est vtrum sit patientior sacerdos, an victima! pater erexit gladium, filius ceruicem. Vno voto, vna deuotione, ne quid profanum sit, diligenter,ac patienter geritur, quod ab altero celebratur. Sub tanto non dicam humanitatis, sed ipsius naturæ metu læti sunt. Soli cedit affectus pietati, pietas religioni fauet, vtrisque religio. hactenus Zeno. Vter autem illorum laudabilior, non est facile diiudicare,nisi dicas pro Isaac, etsi laudabile sit in prælato, cum ratio postulat, piè sæuire in subditum,longè tamen esse laudabilius in subdito quòd constāter, ac libenter sustineat, & obediat. Sed quæri potest, cur Dominus, qui tandem,& patrem,& filium à cruento illo sacrificio erat exempturus, expectauit tandiu, donec ille manu extenta ferrum iam euibraret? Illa ratio mihi videtur quàm optima Procopij. Sufficiebat(inquit)ipsum deseri in tentatione tantisper, quantisper manum extenderet ad cædendum filium. Nam si Deus, antequàm quidpiam factum esset,à cœptis Abrahamum abstraxisset,fortassis quidā suspicati potuissent: Bene est, quòd ipsum inhibuit ab illo opere Deus. Nam si ad cædem ipsam ventum fuisset, fortasse manus ad eam rē obtorpuisset animo commiseratione fracto. ita Procop. Solet enim Dominus suos seruos in tribulatione constitutos quodammodo deserere, vt illorum patientia probetur,& constantia clariùs emineat: ac denique suam fert opem laborantibus, cū iam res in extremo discrimine versatur, quo Diuina virtus ampliùs innotescat: sic planè contigit Abrahæ, cum iam ferrū in filij ceruices amputandas demitteret. Sed mirandum illud est, quòd in tam luctuoso spectaculo illacrymasse pater non dicatur. Nemo(inquit S.Zeno)plangit viuas exequias: & innocentis hominis obsequium nemo antè fletibus rigat. Ne pater dubitasse videretur, si flesset. *serm.* 3. Pœnituisse facti argueret fletus. Stat quidem(adiūgit Zeno)deuotus sic stricto gladio,pectus fidei militabat. Non pallescit vultus,non contremuit manus. sic ille. O victoriam, ô triumphum fidelis obedientiæ!

D.Chrysost. — *Mirū Abrahe certamen.* — *S.August.* — *S.Ambros.* — *Celeritas obedundi* — *S. Zeno.* — *Deus cunctis præferendus.* — *Nō sat est videri, sed & videri bonū necesse est.* — *Abrahā Deo gratus acceptum reddit.* — *Phil. Hebr.* — *S Zeno.* — *Abrahā seruum Dei non patrem se nouit.* — *D.Chrysost.* — *Vincit Abraham natura affectus.* — *S.Zeno.* — *Tentatio præmiū virtutis.* — *Boni operis præmium.* — *S.Zeno.* — *Fortitudo Abrahæ, & Isaac.* — *S.Zeno.* — *Subditi patientia laudabilis.* — *Procop.* — *Deus in extremo succurrit.* — *Abrahā cur non fleuit.* — *S.Zeno.* — *S.Zeno.* — *Triumphat obedientia.*

x. *Et ecce Angelus Domini de cælo clamauit, dicens: Abraham, Abraham.*) Necesse quidē omnino fuit, vti grandi aliqua vi iam percussuri impetus inhiberetur. quod ita S. Chrys. edisserit. Quia videbat iustum iam accinctum,& paratū ad immolationem, & volentem implere mandatum Domini,

Promptitudo & alacritas obedientiæ.

mini, iccirco vocat eum de cœlo: *Abrahã, Abraham.* Benè & hîc geminatione vsus est, vt superetur impetus iusti, & per vocem detineatur iusti dextera iam tendens ad pueri cædẽ. hæc S. Chrys. Eandem vim in geminatione nominis Abraham ad cohibendum obedientis conatũ agnoscit Ambros. his verbis. (S. Ambros.) Tenuit quodammodo manũ eius Diuina vox, & ictum vibrantis occupauit dexteræ. Non semel vocauit, ne, aut non plenè audiret, aut fortuitam vocẽ putaret. sic reuocauit quemadmodum imperauit. Repetiuit vocem tanquam vetitus, ne præueniretur studio deuotionis, & vna vox impetum ferientis reuocare non posset. sic Ambr. Tam mira promptitudo, & alacritas obedientiæ erat in Abrahamo, vt Dei clamoribus ab incepto retardari opus esset: iuxta illud S. August. (S. August.) *serm.* 72. Qui iusserat, vt feriret, modò vociferatur, vt parceret. sic ille. Quod videtur esse cognatum obedientibus. sic enim legimus apud Ezechielem c. 1. (Ezech. 1.) de animalibus illis mysterio plenis. *Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* (*Mira promptitudo obediendi.*) En promptitudo, & mira velocitas ad obediendum: solo videlicet auræ sibilantis flatu commota tam celeri ferebantur impetu ad exequendum Dei mandatum, vt non cadenti cœlitus fulguri, sed fulguranti lumini, quod vno eodémque puncto paret, ac disparet, simillima viderentur. At qui subsistebant vbi opus esset? *Cum fieret* (adiungitur) *vox super firmamentum, quod erat super caput eorum, stabant, & submittebãt alas suas.* Necesse omninò erat, vt Deus è cælo stellifero, quod illorum capitibus imminebat, contenta voce inhiberet ab impetu, quo ferebantur in opus obedientiæ. Itaque solo auræ perflantis sibilo impulsa non nisi Dei clamoribus quiescebant. Vtrobique admirabilis extitit obedientia, vt S. Chrys. (S. Chrysost.) *homil.* 3. *in* 2. *Corinth.* ita considerat. Eadem vox dextram armauit & cohibuit. Dixit: Occide, protinùs armata est. Dixit: Ne occidas, protinùs exarmata est. hæc S. Chrys. Nihilominùs, etsi vtrobiq; repetitio illa, *Abrahã, Abraham*, legatur in vulgata: tamen hîc in extremo loco tantum ea ponitur in textu Hebræo. Quod si ita fuit in primæua scriptione, illud egregiè commendat obedientiam Abrahæ, quòd vna tantùm Domini voce accingatur ad exequendum opus difficillimum, ac molestissimum: ab eodem autẽ iam tandem perficiendo non nisi geminato Dei clamore inhibeatur. (S. Chrysost. *Gladius Abrahæ inhibetur.*) addit S. Chrys. *hom. illa ad Corinth.* quod magis est admirandum: Manus quidem (inquiens) Abrahæ gladium infixit in iugulum filij, sed Dei manus etiam infixum non permisit pueri cruore contaminari. sic ille. Cæterùm communior est sententia, non ad ceruices filij peruenisse gladium, imò ad vocem Dei suspensã eum illo dexteram in aëre substitisse. benè igitur exclamat idem Chrysost. (S. Chrysost.) O dextram beatã quali gladio donata est! ô admirandum gladium quali dextra donatus est! ô beatum gladium ad quod ministerium paratus est! quod munus obiuit, & cui figuræ subseruiuit! quonam pacto cruore tinctus est, & cruore non tinctus est! neque enim Abraham solus eum tenebat, sed etiam Deus; ille per voluntatem impellebat, hic per vocem reprimebat. hæc S. Chrys.

3. *Non extendas manum tuam, &c.*) Optimè S. Zeno Veron. (S. Zeno.) Religiosus (inquit) carnifex stringit gladium. patris erat, quòd leuauit; Dei fuit, quòd pepercit sic ille *serm.* 2. (*Mira pietas Dei.*) Vincit quidem Deus pietate sua pietatem hominis. Clementior ille, atq; amantior, minùs se continent ad miserandum dulciora illius viscera; nemo tam pius, tam pater

A nullus. Clamantem de cælo Dominum, & velut applaudentem tanto ac tam præclaro militis sui facinori, (*Applaudit cælum triumphanti Abrahæ.*) quin etiam iam triumpho, considerat egregiè S. Chrysost *homil. indicata*: Nec enim tam gloriosa victoria de terris, sed de cælis applausũ merebatur. (D. Chrysost.) Sic igitur infit: Abraham stabat excelsa manu gladium tenente, atque Angelorum agmen applaudebat, ac Deus è cælis victorem eum pronunciabat. Quoniam enim in cælis illi conuersatio erat, iccirco cælesti quoque præconio celebrabatur. Quidnam hoc splẽdidius? Imò quidnam cum hoc tropæo comparari queat? sic ille. Meritóque verbis amplificat factum Abrahæ ab ipso, non tam Angelorum spectantium, quàm Dei ipsius celebrantis applausu, hæc subiungens. B Nam si cum Athleta vicisset, non præco quidem ex inferiori loco, sed Rex ipse è superiore assurgens victoris laudes prædicaret, an non hoc ille coronis ipsis illustriùs, honorificentiúsque sibi esse duceret, omniúmque spectatorum oculos ad se conuerteret? Cum igitur non mortalis quispiam Rex, sed Deus ipse; non in hoc theatro, sed toto orbe inspectante, atque Angelorũ grege alta voce de cælo clamans Victorem ipsum pronunciet, (*Deus acclamat triumphum Abrahæ.*) vbinam quæso iustũ illum virum collocabimus? hæc S Chrys. Itaque cælum applausit, Deus ipse acclamauit, victoriam cecinit, ac triumphum iã feliciter comparatum, nec vltrà quicquam desiderari. Iustus enim ille (addit Chrys.) de potentissima tyrannide, scilicet natura, triumphũ egit. (*Abraham triumphat de natura.*) sic ille. (D. Chrysost.) C Nec enim potentior fingi potest affectus, quàm patris Abrahæ erga filiũ Isaac. quod ita S. Zeno Veron. (S. Zeno.) considerat: Strinxerat in se patria pietatẽ, quòd vnicus, quòd serò, quòd promissus, quòd sola vnica spes totius præteritæ sterilitatis damna sarciret. Inuenta est causa, vbi Abrahæ fides tentatione fortior militaret. hæc ille *serm.* 1. Multa & grauia patris pietatem erga talem filiũ non conciliabant modò, sed constrictam habebant. Nec proinde difficilior tentatio aduersus patris affectum poterat commoueri, (*Difficillima tentatio amoris paterni.* S. Zeno.) quam quòd (vt subindicat S. Zeno) charissimi membra, quæ osculis premere consueuerat, armatus gladio pater iuberetur occidere. *serm.* 3. In eo, quod charius habemus, sæpè à Deo tentamur, vt nostram fidem probet, charitatémque exploret. (*Nocet amor nimius.*) Nimius D ipse affectus interdum, & tibi, & rei, quam diligis, nocet; nec vlla subest amittendi alia causa, nisi ardor ipse nimius amandi. Nec enim patitur Deus vllum suo amorem præferri. Maximè verò de diabolo Dei atque hominum hoste truculentissimo (*Triumphat Abraham de diabolo.*) victoriam iustus ille reportauit, cum pro Dei sui amore filium obtulit: quare cum ad hoc momentum ventum esset, vt iam cædes esset patranda, diabolus planè victus, & confusus inde fugam proripuit, Dei atque Angelorum clamoribus repercussus: quod ita expendit S. Chrys. (D. Chrysost. *Abrahæ aspectu victus diabolus.*) Quemadmodum si quis Imperator streonissimum militẽ habeat, etiam ipsa gerendorum armorũ dexteritate, ipsa statione, ipso impetu, hostem metu percellit: sic Deus sola viri iusti voluntate, solo gestu, E sola denique statione, communem omnium nostrum hostem exterruit, atque in fugam vertit. Nam & illum existimo tunc tremebundũ recessisse. hæc ille. Sanè perquàm eximia est quædam quasi paraphrasis huius loci, quã deducit S. Aug. (S. August.) *serm. iam indicato.* sic habet. (*Commendat Deus factum Abrahæ.*) Parce deuote pater, patricida sine crimine parce: tuum sacrificium, quod paraueras intẽdi, ego quod iusseram, vt obtulisses accepi. In voto probatur, quod in facto renui. Acceptaui votum, nec repuli sacrificium. Laudo fidem, nec reprobo pietatem, nec tibi pa-

tior inferri orbitatē. Perfecta sunt omnia, & salua sunt vniuersa. Ecce spiritali præsagio meum præuenisti cōsilium. Quod enim paraui pro toto mundo, tu iam deliberasti in filio tuo. Quod in vnigenito meo disposui, tu in tuo vnico perfecisti. hæc S. Aug. Prohibuit igitur Dominus patrē, ne filium occideret, orbúsque tam pulchro, charo, & sancto filio pater fieret: quin viuum, & incolumem diuinis auctum muneribus, & gloriosiorem longè, quàm venerat, patri filium cum ingenti fœnore restituit. En fructus obedientiæ: nō orbatur filio pater, non moritur filius: sed vterque tamen obedientiæ suæ, ille occidendi filium, iste mortis præmium reportabit amplissimum. Nam pater exposuit filium, quem tamen haud amisit, sed cum illo accipiet posteritatem sicut stellas cæli, & sicut arenā, quæ est in littore maris. En quantum accrescit ei lucrum, qui suum Isaac, suum nempe gaudium pro Deo non dubitat relinquere: planè gaudium non amittit, sed auctum ab ipso, & pleniùs recipit cumulatum: iugum enim Domini suaue est, & onus leue. Quo de argumento disertissimè S. Bern. declamat, *ser. super Ecce nos reliquimus.* Inter alia, hæc apponit: Mira nouitas, sed eius, qui noua omnia facit. Iugum tollens inuenit requiem, relinquens omnia centuplum habet. Isaac oblatus, siquidem sacrificatus est, non mactatus. Et tu igitur, si vocē Domini audieris intus in animo, & dicatur tibi, vt offeras Isaac, tuum quodcūque est gaudium, immoles Deo, fideliter, & constanter obedire ne timeas: etiamsi oportuerit ipsum Isaac iugulari. Nunc autē quicquid affectio propria iudicet, securus esto: non Isaac, sed aries morietur. Non peribit tibi lætitia; tentat enim te Dominus, nec mactabitur Isaac, vt opinaris, viuens viuet: sed eleuatus est vtique super ligna, vt in sublime gaudeas hæc S. Bern. Consonat illud S. Zen Veron. Ecce immanitas in fidem & scelus transit in sacramentum; patricida intermtus redit, & qui immolatus est, viuit. Ambo igitur gloriæ claritatis exemplum, ambo Dei cultus admirabile seculis testimonium. Felix orbis foret, si omnes sic fierent patricidæ. ita Zen *serm. de patientia.* Prompto quidem animo vir obediens manum extendit, vt filium immolaret: Tamen (occurrit S. Ambros.) vbi abstinere a filio iussus est, gladium libenter recondit: & qui immolare vnigenitum fidei intētione properabat, maiore pietatis studio festinauit ouem subrogare sacrificio. hæc ille, *Episto. 43.* Vti pater erat, sic alacri, & exultanti animo in ouis iugulum pro filij charissimi capite machæram dimisit.

Filium cum fœnore Deus Abrahæ reddit.

Lucrum ex gaudio relicto pro Deo.

S. Bernard.

Quisque suū Deo Isaac offerat.

S. Zeno.

Gloriosi Abraham & Isaac.

S. Ambros.

4. Porrò autem quid est, quod Dominus non permisit mactari filium à patre, quem deinde à mortuis excitum illustriori miraculo restitueret parentibus? Quæstionem huiusmodi proposuit, ac dissoluit S. Chrysost. ad hunc modum. Dixerit fortasse aliquis, Quid est, quamobrem Deus dextram cruentari non permiserit, ac posteà mactatum repentè ad vitam reuocarit? Quoniam fas nō erat Deum huiusmodi sanguinem capere: sed pestiferos dæmones mēsa hæc decebat. Atque hinc vtrumque declarabatur; nēpe, & Domini benignitas, & serui probitas. ita S. Chrys. Volebat Dominus probare serui sui pietatem, atque obediētiam, satisque probatæ iā in omne æuum hominibus futuræ exemplo relucebant: voluntate siquidem perfectum erat sacrificium: & non humano sanguine amans hominum Deus, sed inimicus dæmon suas perfundi aras lætatur. Enimuerò de hac eadē historia scribēs S. Petr. Chrysol.

Cur Deus mactari Isaac noluit.

S. Chrysost.

Diabolus, nō Deus humano sanguine lætatur.

S. Petr. Chrys.

A *serm. 108.* ita concludit. Deus fidem, non mortem quærit. Votum, non sanguinem sitit placator voluntate, non nece. sic ille. Tantæ verò laudis palmam Abrahæ dextra consecuta est, vt (liceat ita dicere) vel ipse, quem vibrabat, gladius præ admiratione stupesceret ad feriendū ineptus. Quod ita subtiliter Zeno Veron. expendit. Stupet gladius, nullo impedimento suspensus, mactationi terribili gloriā se præstitisse non crimen. *serm. de patientia.* Nō amittimus, quod offerimus Deo; imò vt retineamus, demus illi oportet. Sic enim iam custos fiet muneris sui. Sic Abraham (vt loquitur S. Zeno) sibi dulcissimum filium, Deo victimam dulciorem contemnit, vt seruet, destinat iugulare ne iugulet, securus illo se non posse displicere facinore, quod Deo gerebatur auctore.
B *serm. de patientia.* Multa faciūt viri sancti, Deo instigante, quæ mundus ridet, & stulta vocat; at illi tamē securi agunt, quod nihil ineptum Deo geratur auctore. Itaque sibi, & filio meliùs in posterum cōsuluit pater, dum sibi, & filio non pepercit. Meliùs enim (adiungit S. Zeno) seruauit filiū dum non pepercit. Sola enim fides deambulat inter gladios tuta, inter feras amica, in ignibus frigida, sola fides præferēnda, id est, operibus ornata, qualis fuit Abrahæ. *serm. 3. de Abrah.* Immolabat vtique filium, quem victurū credebat. Velox planè Dei prouidentia festinat, currit, volātque ad benefaciendum & opem laboranti, & lacrymanti seruo peropportunam maturè afferen-
C dam. Abraham pergens ad immolandum filium, credebat quidem, certóque sperabat filium post mortem à Deo excitandum viuum, & incolumē. Morietur (aiebat secum) meus Isaac, resurget tamen, & mœstum patrem resurrectione filij Deus consolabitur. At præuenit patriarchā Dei misericordia: accurit, ne moriatur Isaac; pleniùs, ac perfectiùs patrem solatur, filium ne occidat, imperans. Hebræi obsessi in Bethulia spes suas ad quintum vsque diem protulerunt. At Iudith pusillos, & consternatos hominum animos coarguens, inquit: *In spiritu constituti humiliato dicamus flentes Domino, vt secundum voluntatem suā sic faciat*
D *nobiscum citò misericordiā suam.* Iudith *cap.* 8. Taxat quidem terminum dierum ab illis præscriptum, apponitque citò, quasi dicat Obsecremus, vt accurrat nobis opem laturus non ad nostrum, sed ad suum beneplacitum. Nullus quippe tā citò diuinum auxilium suscipere, quàm Deus ipse ferre peroptabit. Rogabat Pharao Moysem, vti ranarum plagam auerteret. Ergo Moyses: *Constitue* (inquit) *mihi quando deprecer pro te, vt abigantur ranæ à te.* Exod. 8. Stultus rex respōdet: *Cras.* Petit quidem Dei beneficium, & in crastinum differt. Misericordiæ diuinæ tēpus in manu habet, liberum homini est, vt eligat, & prorogat tamen. O miserum regem! ô stultum principem! Cùm enim
E (inquit S. Ambros.) debuerit in tanta necessitate positus rogare, vt iam oraret, nec differret, respōdit: Crastina die: otiosus, & negligens, moræ pœnam Ægypti solututus excidio. hæc ille *libr. de Cain, & Abel, cap.* 9. Iniuriā profectò Diuinæ facit misericordiæ, qui eam incredulus remoratur.

5. Optima etiam illa ratio, nec solum mystica, sed etiam literalis haberi potest, quam S. Prosper, *pra. part. 1. cap. 17.* sic vno verbo colligit. Ideò Isaac immolatus non est, quia resurrectio Filio Dei seruata est. Filium quidem à patre oblatum in holocaustum, ac subinde viuum, & gloriosum excitari, prærogatiua est Christi primogeniti omnis creaturæ, cuius mors redemptio nostra est, & resurrectio nostræ futuræ aliquando exemplar.

Mortem

Gladius Abrahæ obstupuit.

S. Zeno.

Seruatur, quod offertur Deo.

S. Zeno.

Fides in tuto est.

S. Zeno.

Festinat Dei misericordia.

Iudith misericordiā Dei accelerat.

Iudith. 8.

Exod. 8.

Dei misericordia non retardanda.

S. Ambros.

Procopius

Resurrectio Christo debita.

Mortem quippe nostram moriendo destruxit, & A vitam resurgendo reparanit. Pulchrior illa ratio,

Clem. Alex. *Isaac typus Christi.*

quā affert Clem. Alex *lib.1. pædag. cap.5.* his verbis. Isaac typus est, ac figura Domini: erat enim filius Abrahæ, quemadmodum Christus Dei. Hostia autem sicut Dominus, sed non oblatus est, vt Dominus. Ligna solùm sacrificij portauit Isaac, vt lignum Dominus. Solummodo autem iure Isaac non passus est, qui primas passionis partes

Filius Dei primitias passionis sibi reseruauit.

verbo cesserit hæc Clem. Alex. Tam præclaram, tàmque spectandam Deo, Angelis, & hominibus gloriam, qualis est Filium innocentem à Deo in holocaustum offerri, noluit ipsemet Dei Filius tandem homo futurus, sibi vt aliquis mortalium præripetet: ac fortasse Angelus ille Diuinū Verbum repræsentabat. Seu potiùs (vt mauult Pro- B

Procopius.

cop. inquiens) Filius Dei loquitur scilicet Magni Consilij Angelus, &c Qui clamando occurrit, & tenuit dexteram Abrahæ, ne sibi debitum triumphum, opere tandem cruento consummatū, alius prælibaret. Hic igitur gladius in aere ante ictum suspensus, & minabundus tamen, Christum ipsū, cuius fuerat typus Isaac, expectabat. In quem pro-

Suspensus Abrahæ gladius Christo minatur.

fectò ita suis ceruicibus minitātem intuitus ipse Dominus aiebat ad Patrem. *In me confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me. In me transierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me.* Psalm. 87. Proh quantò dulcior & charior,

Psalm. 87. *Ira Dei in Christum defæuit.* ad Hebr. 11. Theod. *Isaac quasi resurgens à morte.*

deinde patri fuit hic filius, quem hodie tanquam excitatum à mortuis recepit! *Vnde eum, & in parabolam accepit*, ait Paul. *ad Hebr. 11.* Prōpto enim C (declarat Theod.) & alacri patris animo interemptus voce eius, qui occasionem prohibuit, reuixit. sic Theod. Et veriùs quidem pater ipse recepto filio reuixit.

Abraham meretur sacrificium Christi.

6. Totum istud spectaculum Abrahæ filium offerentis, non ad præfigurandum modò, sed etiā ad promerendum atque adipiscendum (liceat ita loqui) velut ex debito sacrificium redemptionis humanæ, in quo Æternus Pater Filiū suum Vnigenitum in ara crucis erat oblaturus, exhibitum est. Quod pia quadam audacia Rupert. hoc loco

Rupertus.

ita effatur: Proposuerat quidem Deus per multam misericordiam præiudicati in Adam generis humani iudicium per Christum adducere ad victoriā; sed absque iudicio, vel iustitia facere mi- D sericordiam non cadit in Deum. Vnde Psalmista, *Misericordiam, & iudiciū cantabo tibi Domine.* Psal. 100. Item *misericordia & veritas præcedent faciem tuam.* Psalm. 88. *Et misericors Deus & iustus.* Psal. 116. Et multa alia in hunc modum testantia, non

Deus misericors & iustus. Psal. 100. Psalm. 88. Psalm. 116.

dissociata esse in Deo misericordiam, & iudicium, siue veritatem, & mansuetudinem. Vt ergo non omnino ex sola misericordia staret salus hominis sed misericordia, & veritas obuiarent sibi, quæsiuit misericors Deus capitulum in homine, per quod posset iuste debitor ipse teneri: quæsiuit (inquam) ab homine vnigenitum sibi filium immolari, vt suum ipse Filium iusta vicissitudine deberet homini. Igitur cum dicit idem Filius in Euā-

Passio Christi debita Abrahæ.

gelio suo: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret.* Ioan. 3. non est dilectio remissa, E

Ioan. 3.

vel misericordia carens iustitia. Nam & homo sic timuit Deum, vt offerre illi non dubitauerit filium suum vnigenitum. hęc Rupert. O rem prorsus admirabilem! Deus omnipotens, qui nulli creaturæ suæ quicquam debet, cui omnes creaturæ debent quicquid sunt, ac possunt; ita se demittit cum hominibus, vt beneficium Diuinæ gratiæ, quod nullis creaturarū meritis poterat subiacere, velit ipse tamen veluti debitum reddere; & quodammodo illi admirabilitatem detrahat, dū

A decernit, vt multò antè terrestris homo, atque naturæ imbecillis, filiū suum immolet, ne tā nouum, tam incredibile, tam stupendū videatur facinus, si Deus Filium suum Vnigenitum tradat in mortem. Sed hoc idē luculenter admodum edisserit S. Chrysost. *homil. 25. in 11. ad Hebr.* locum

S. Chrysost.

huiusmodi pertractans. sic ait. Mihi considera quanta sit Dei benignitas. Nam quoniam hominibus quædam magna erat danda gratia, volens

Dei gratia quasi ex debito reddita.

non quasi ex gratia, sed velut ex debito illod facere, persuasit primùm homini, vt filium suum traderet pro præcepto Dei; vt nihil magnum ipse videatur facere Filium suum tradendo; si quidē homo ante ipsum hoc fecerit, vt hoc non ex gratia facere existimaretur, sed debito recompensa- B ret. ita S. Chrysost. Et quidem hoc Dei consilium ex immenso amore illius erga nos haud dubiè profectum est: amans enim quicquid elargitur,

Amans debitum soluit.

nō gratiam se præstare putat, sed debitum soluere, saltem amori proprio, si minus meritis illius, qui diligitur, & cui beneficium confertur. Vnde ampliùs sequitur, vt qui amat, minus prædicet quæ confert beneficia; quæ verò accipit, & magni æstimet, & laudum præconiis efferat. Hæc

S. Chrysost. *Amans in dando, generosus.*

ratio sic attingitur ab eodem Chrysostomo: quos enim diligimus, & hoc eis donare volumus, vt putemus ab eis primum aliquid accepisse, etsi illis nos cuncta donauerimus; & gloriamur ex illo magis, quod accepimus, quàm ex illo, quod donamus: & non dicimus quia hoc ei donauimus, sed C hoc ab eo accepimus. Hæc S. Chrys. Non ita habent Reges ac Principes huius mundi: solēt enim

Reges debent & gratiam vocant, cum reddunt.

etiā ex iustitia debitos honores multis, ac maximis sæpè suorum subditorum meritis, non tamē vti ex debito, sed tanquam ex gratia conferre. Hoc siquidem ritu diplomata regia conscribuntur: Gratiam præstamus, aut beneficium conferimus, &c. Cū tamen sæpenumero debita illa sint ex omni rigore iustitiæ, quæ ex contractu mutuo consurgit. Nimirùm deest illis immensus ille amor, atque generosi animi magnitudo, quæ duo in Deo elucent. Deus enim (vt rectè scribit

Deus potens ac diues. S. Paul.

S. Paulin. *Epist. 37.*) pro abundantia charitatis, & potentiæ suæ, capax est largiendi quod tenet, & quod donauerit obtinendi.

D 7. Cæterùm non leuis quæstio sese obiicit hoc loco; Cur Dominus prohibuerit Abrahæ, non Iephtes sacrificium, ne iste filiam, sicut ille filium

Iephtes sacrificium non impeditur.

iugularet. Profectò ex patris sui Abrahæ historia tam celebrata inter Hebræos satis notum, ac perspectum habebat Iephte Deū non delectari parricidio. Quid igitur opus erat miraculo, vbi aderat oraculū & exemplū? Quæ quidem ratio explicatur à S. Ambros. *lib. 3. de Virginibus* hoc modo:

S. Ambros. *Iephte oraculumque exemplum sequi debuit.*

Deo parricidium non probari asseritur, cum pro filio ouis subiicitur, vt ipsa potiùs, quàm filius feriretur. Habuit igitur Iephte, quod sequeretur exemplum, quia Dominus sanguine non delectaretur humano. In vno enim oraculo ad Abrahā prompto docuit filiorum salutem religionis obsequio posthabendam, offerri à parentibus Deo E debere filios, non debere iugulari. ita S. Ambros. Et quidem optimè dicit filium Deo à parentibus

Filij à parentibus non iugulandi, sed offerendi Deo

offerri, nō iugulari debere. Deus quippe non sanguine humano, vti gentium idola, sed affectu, & amore delectatur. Verùm enim verò Iephte, vt abstineret à cæde filiæ, non egebat oraculo, cum satis esset instructus exemplo Abrahæ. quod S.

S. Ambros.

Ambros. sic explicat vltrà progrediens: Certè cū hæc filia tam solicita fuerit de patris voto, cur pater non dubitauerit de filiæ parricidio? & cum illa paternum caueret mendacium, iste filiæ non

Iephte non attendit ad exemplum.

A cauerit intentum? Dicet aliquis: Qua ratione illic Deus non permiserit parricidium fieri; hic sit passus impleri. Nunquid acceptor personarũ? Non: sed meritorum, atque virtutum. Certè dum consilium esset ambiguum, signare debuit oraculum, quod ad præsens facto, & in reliquum conueniret exemplo. Vbi verò iam præcessisset exẽplum, necessarium non iudicauit oraculum, cum facti forma veteris, quid fieri oporteret, ostẽderit. hæc S. Ambros. Vide quantam vim in exẽplo

Exempli vis.

Dominus esse voluerit: vt iam hinc vehementer timeamus Diuinum iudicium, in quo grauissimè arguemur, quòd infinitis ad omnem sanctitatem B exẽplis, quibus Ecclesia Dei ornata est, instructi, perperam tamen abutamur. Abraham nullo fuerat edoctus exemplo. Iephte habebat ante oculos viuum exemplũ Abrahæ. Altera deinde ratio ex

S. Ambros. Disparitas inter Iephtẽ & Abraham.

disparitate motuum ab eodem S. Ambros. ita euoluitur. Aut fortasse quia non vna forma meritorum, ideò non vna forma factorum. Pater doluit, fleuit filia, vterque de Dei miseratione dubitauit. Non doluit Abraham, nec consuluit parentis affectum. Vbi audiuit Diuinitatis oraculum, nõ distulit sacrificium, sed maturauit obsequium; non dubitauit Isaac cum imparibus sequeretur passibus; non fleuit, cum ligaretur; non dilationem C poposcit, cum offerretur. sic Ambros. Cum tanta igitur fuerit meritorũ disparitas vtrobique, mirandum haud est, quòd Abrahæ dextram Diuina vox inhibuerit, Iephtes autem parricidium permiserit. Meruit Abraham, quod Iephte non meruit. Et ideò (colligit D. Ambr.) misericordia largior, vbi fides promptior. hæc ille. Dispar etiam Isaac à filia Iephtes; ista enim deplorauit mortem, iste libenter acceptauit, meruitque proinde iste, vt eriperetur, ista vt occideretur. Et bene (adiungit S. Ambros.) Misericordia largior, vbi fides promptior: non fleuit factum patris, quia risus est matris. Pro qua deuotionis exultatione ouis pro illo iussa est immolari quia se ipse non distulerat immolãdum; nec de Dei miseratione ambiguus, D nec de sui deuotione solicitus. hactenus Ambr.

S. Ambros. Isaac à filia Iephtes dissimilis.

Isaac meruit eripi à morte.

Sacrificium Abrahæ perfectissimum.

8 Totum quidem sacrificium Abrahæ multis, & magnis claruit virtutibus, nec vllo vitio, etiã humani affectus labe infectum apparuit; nõ percussoris (ait Zeno Veron.) nõ percutiendi claudicat color, non membra timore vibrantur, nõ demissi, nõ torui sunt oculi. Nemo rogat, nemo trepidat, nemo se excusat, nemo turbatur, ne verè sit parricidium. *serm. de patientia*; cúmque tam voluntarium fuerit, lætúmque tum offerentis, tum offerendi sacrificium, meritò Dominus oblatum, & inchoatum acceptauit, vt consummatum, prohibuitque consummari, ne tali patri talis deesset filius. Sub hac denique (inquit S. Zeno Veronens.) immolantis, immolandíque constantia absolui meruit, dum humanum ex se deponit timorem: & quantũ ad fidem pertinet, pater promissa compleuit: Dominus parricidium probata E voluntate prohibuit, *serm. 2. de Abrah.* In magnis vel tantum velle, dein aggredi, vanósque metus abiicere pro Deo, perfectum ipse reputat obsequium. Adde Iephtem ob temeritatem suam meruisse, ne diuinitus impediretur à parricidio: at Abraham ex præcepto Dei ad immolandum filium accessisse, atque adeò propter suam, & filij promptam, alacrem, hilarem obediẽtiam, ac religionem meritò a filij cæde fuisse prohibitum. Ab hoc igitur, non ab illo parens quisque discat filiũ suum, cum à Deo vel ad mortem petitur, vel in religionem adducitur, magna cum alacritate, ac pio studio illum offerre; quod Origen. *homil. 8. in*

S. Zeno.

S. Zeno.

Iephtes temeritas.

Orig.

A *Genes.* sic admonet. Adducito tibi in exemplum Abraham, & magnanimitatem eius ante oculos ponito. Et quidem a te non exigitur istud animi magnitudinis, vt ipse alliges filium, ipse constringas, ipse gladium pares, ipse vnicum iugules. Hæc omnia à te mysteria non quæruntur. Proposito saltem, & mente constans esto, fide fixus, lætus offer filium Deo. Esto sacerdos animæ filij tui: sacerdotem autem immolantẽ Deo nõ decet flere. Ostẽde, quia fides in Dominum fortior est, quàm carnis affectus. Amabat Abraham filium suum, sed amori carnis prætulit amorem Dei. hæc Origen. Amor erga Deum quo pater & filius pariter B impulsi tantum facinus aggressi sunt, non timorem modò sed & dolorem excussit. Nec enim (inquit S. Zeno Veronẽ.) qui feriebatur timuit, nec qui feriebat, expauit, *serm. 3.* Constans, fortis, impiger vterque, ac lætus fide sacrificium parat. Nã vbi fides (ait idem Zeno) fuit, nõ erat dolor, *serm. 1.* Sed quid de matre Sara dicendum? Respondet idem Zeno: Talem casum nemo doluit, nisi quæ genuerat mater *serm. 3.* Putarim post reditum à monte Moria rem, vti contigerat, narratam Saræ patuisse, cuius vel sola narratio maternum affectum vehementer perculit.

Discant parentes ex Abraham.

Pater animæ filij sacerdos.

Amor Dei in Abraham & Isaac.

S. Zeno.

Sara doluit, vbi resciuit de filio.

9. *Vidit arietem, &c.*) Verus quidem aries fuit, C ab Angelo illuc adductus, vt pro Isaac immolaretur. Hærebat ille in condenso in implexu, seu implexione: sic Hebr. בסבך *bassebach*, hoc est, *in dumeto, seu vepreto implexo ramis*; igitur optimè noster vertit; *Inter vepres.* Suspensum cornibus, & eleuatum in vepreto existimat S. Ambros. vt Christum Dominum è cruce pendentem significaret. Quem (addit) vidit Abraham in isto sacrificio, cuius passionem aspexit. Et ideò Dominus ait de eo: *Abraham diem meum vidit & gauisus est.* Ioan 8. sic Ambros. Consequenter exponit Procop. Cum aries (inquiens) fruticetum anterioribus pedibus conscendisset, fruticeto implicitus crucis formam pendens præ se ferebat extensione pedum. Hebræus ait. Remissionem significat dictio סבך *Sa-* D *bech*, remissionis crucem vocauit crucem Christi. Aries immolandus apparet vepribus, & fruticeto impeditus, vt vincula, quibus astrictus iacebat, demerentur Isaaco. Aries mactatus ab interitu redimit Isaacum: sic Dominus occisus saluauit nos ab impendente æterna morte. Sic vinculis oneratus est Saluator, vt nostra laxarentur & soluerentur vincula. hæc Procop. Similis explicatus est S. August. *serm. 7 s.* Aries (inquit) ille, qui inter spinas cornibus tenebatur, & ipse typum Domini habuisse videtur. Nam & Christus quasi cornibus inter spinas hærebat, quando ad crucis cornua clauorum confixione pendebat. Potest etiam sic intelligi, vt in beato Isaac significata sit Diuinitas, in ariete humanitas Christi: & quia in passione non Diuinitas crucifixa creditur, ideo non Isaac, E sed aries immolatur. Dei enim Filius, vel Vnigenitus offertur, & Virginis primogenitus immolatur. hæc S. August. Vtramque interpretationem celebrat communis doctorum, atque interpretum consensio. Hinc illud apponit Origen. Vide Deum magnifica cum hominibus liberalitate certãtem. Abraham mortalem filium non moriturum obtulit Deo, Deus immortalem filium pro omnibus tradidit morti. sic ille. Et quidem video constanter haberi à patribus Abraham, cum vidit arietem, consideraulitque diligenter totum antè actæ rei negotium, insuper à Deo illustratum vidisse in reuelatione diuinitus facta Christi Domini venturi passionem, maximè mysterium crucis. Oportebat enim (adiungit S. Chrys.) in vmbra describi, & præsi-

S. Ambros.

Ioan 8. Procopius.

Aries Christum significat.

D. August.

Christi diuinitas non moritur mortua humanitate.

Origen.

Passio Christi reuelata Abrahæ.

S. Chrysost.

Procopius.

& præsignari anteà veritatem, *Vidit* (ait Procop.) *Abrahamus diem*, id est, passionem Christi. Et quando cum ouem, vel arietem intueretur. Nam oue conspecta cognouit passionem Christi. Vt ouis enim ad cædem venit. Mortem autem vocat Scriptura diē, vt Psalm 36. *Dominus irridebit eum, quoniam prospicit, quod veniet dies eius*, id est mors, & interitus eius. sic Procop. Quis non rideat peccatorem sic exultare in rebus pessimis, qui tā citò est moriturus? Igitur (vt ex S Aug. vidimus) cōpositū illud ineffabile Diuinitatis, & humanitatis Christi Abrahā diuinitùs intellexit in Isaac, & in ariete præfigurari. Enimuerò (vt grauiter eloquitur S. Gregor. Nazianz. *orat*. 42.) ipse Dei Filius, ille fons vitæ, & immortalitatis, illa archetypi expressio, illud immotum sigillum, ille patris terminus, & ratio carnem carnis causa gerit, & cum intellectuali anima propter animam meam iūgitur, vt simile per simile repurget, atque humana omnia excepto peccato suscipit, conceptus quidem ex Virgine animo, & carne à spiritu purgata (nam & generationem honore affici, & virginitatem præferri oportebat:) progressus est autem Deus eum assumpta humanitate. O nouam, & inauditam mixturam, ô admirandam temperationem! hæc Nazianz. Cum verò dicit Christum conceptum ex Virgine animo, & carne à spiritu purgata, non intellexit (vt malè quidam) Virginem Dei Matrem fuisse originali culpa infectam. Nec enim hic terminus iste (*purgata*) supponit priorem aliquam labem, quæ superueniente spiritu fuisset abstersa: similiter enim diceres carne purgatam innuere vitium aliquod in corpore virgineo, quod postea purgatum esset. Hoc autem dictu est impium, ac sacrilegum. Igitur animo, & carne à spiritu purgata dicitur Virgo Deipara, quia & animo, & corpore prorsus immaculata semper extitit; vt immaculatum decentiùs, atque sanctius Dei Filium conciperet, ac pareret. Oportuit etiam, vt Dominus IESVS ex puella Virgine desponsata viro nasceretur, vt scilicet natus ex muliere desponsata, nuptias, ac generationem humanam honoraret; ex Virgine autem, vt virginitatem demonstraret matrimonio longè præstātiorem. Armatur Abrahæ dextera in filij necem; at non filius, sed suspensus, qui hærebat, mactatur aries: in signum videlicet mortis, quam Hebræi agno Dei Filio essent postmodùm illaturi. Quod ita dispungit S. Zeno Veron. Contra Dominum Iesum impia Iudæorum exarsere consilia, quem tacentem tanquam obnoxium, & pro ipsorum tantummodo cæcitate mœrentem, vt Isaac, non periturū ad aram, ita ad Crucem Christum sublimandum nefarij perduxerunt. *serm*. 2. Occiderunt illi quidem agnum, sed agnum Dei; hominem, sed eundem Deum, quem ab hominibus peremptum totus ipse orbis deplorauit. Ad cuius (inquit S. Zeno) immanis ausi sæuitiam metuenda elementorum forma mutatur: & Dei iniuriā priùs prodit natura, quam intelligat populus Iudæorum *serm*. 2. Porrò quæri potest, cur Deus Pater Abrahami filium in sacrificio mactari prohibens, Filium tamen ipse suum morti addixerit. Hanc dubitationem ita proponit, ac diluit idem Nazianz. *orat. indicata*. Quæ ratio afferri potest. vt Vnigeniti sāguine Pater oblectetur, qui nec Isaac quidem à patre oblatum acceperit, sed ariete in rationalis victimæ locum substituto sacrificium permutarit? Quia per humanitatem à Deo assūptam homini sanctitatem afferri oportebat: vt tyranno per vim superato nos liberaret, ad séq; per interiectum Filium reduceret. sic Nazianz. Conuenit ergo vterq; Christo (ait Orig.) & Isaac qui non est iugulatus, & aries qui iugulatus est. Verbum quidem in incorruptione permansit, & caro eius pertulit mortem. Est enim Agnus, qui tollit peccata mundi. ita Origen. Assumens denique Abraham arietem obtulit holocaustum pro filio. Et quidem cum ingenti gaudio. quod ita S. Ambros. *Epistol*. 47. subnotauit. Abraham quasi exors naturæ, vt filium offerret, exerebat gladium, ne mora sacrificium decoloraret. Tamen vbi à filio abstinere iussus est, gladium libenter recondit; & qui immolare Vnigenitum fidei intentione properabat, maiore pietatis studio festinauit ouem subrogare sacrificio. hæc S. Ambros. Quidni lætetur pater filium à gladio, ab igne, à morte recipiēs. Pulchrè S. Zeno. In illo sacrificio solus Deus doluit, quia aliam victimam procurauit: nā Abraham cum filio sic probatus à Deo est, vt non postulās misericordiam mereretur. *serm*. 1. At Deus Pater Vnigenitum suum in cruce vidit morientem. Viuum filium, & incolumem recepit Abraham. Offerat igitur quisque sese Deo suo, neć timeat inde sibi damnum euenturum. Nam & corpus ipsum per virtutum opera consecratum, mira quædam emolumenta lucrabitur. quod ita obseruat S. Petr. Chrysol. *serm*. 108. Sǽpe sanctitatem conuenit immolare. Sic fiet corpus tuum tua hostia, si nullo peccati iaculo fuerit sauciata. Viuit corpus tuum, homo viuit quoties à Deo virtutum vita vitiorū mortibus immolatur. Non potest mori, qui vitali gladio meretur occidi. hæc Chrysolog. Isaac enim puri, & sancti hominis typum gerit, in ariete autē pecude vitia carnis, quæ mactari debent in sacrificio (maximè fit in confessione sacramentali) vt & anima, & corpus puriùs, & sanctiùs viuant, ac demum cœlesti beatitudine perfruantur. Mactatur ergo is, ait Clem. Alex. 4. *Stromat*. qui fuerit iudicatus probatissimus. Videtur martyrium esse expurgatio peccatorum cum gloria. sic ille.

Dies pro morte ponitur. Psalm. 36.

S. Greg. Naz.

Verbum Dei carnem induit.

S. Maria immunis ab originali reatu.

Ex Virgine desponsata nascitur Deus homo.

S. Zeno. Iudæi necem Christo inferunt.

Natura omnis Christum deflet morientem.

S. Greg. Naz. Mors Christi necessaria.

Origen.

S. Ambros.

S. Zeno.

S. Pet. Chrys.

Corpus per virtutem viuit.

Confessio est sacrificium.

Clem. Alex. Martyrium est sacrificiū.

9. Adiicit Dominus noua beneficia propter hanc admirabilem vtriusque pietatē. *Nunc enim* (inquit) *cognoui, quod times Dominum*. hoc est, *nosse te feci*, vel *notum omnibus fecisti*, vel *nosse dignatus sum*. Alij simpliciùs intelligunt more humano dictum; cuius rei periculū facimus, id nos perfectè putamus cognoscere. Donat subinde Dominus Abraham, & filiū ingenti quadam benedictione numerosæ, gloriosæque posteritatis, maximè autem Christi ex illius semine venturi, in quo gentes benedicentur: sed de his iam sæpiùs alibi dictum à nobis est. Sic ergo (expēdit hoc loco Origen.) quæ obtuleris Deo, multiplicata recipies. Tale aliquid in parabola talentorū dicitur *Mat*. 25. Videmur quidem Domino negotiari, sed nobis cedunt negotiationis lucra: & videmur offerre Domino hostias, sed nobis quæ offerimus redonantur. Et Iob etiam perdidit omnia, & deinde recepit omnia duplicata. Vides quid est amittere aliquid pro Deo, hoc est multiplicata recipere tibi. hæc ille. Aduerte has omnes benedictiones Dei iam suprà factas fuisse, vt euidenter constat ex superioribus. De quarta autē nonnihil modo adnotandum est illud *In semine tuo benedicētur omnes, &c.* quod de Christo venturo est: vt vno verbo eleganter, & subtiliter dixit S. Ambros. Hinc quoque promeruit Deum Abraham, scilicet vēturum & dicendum filium Abrahæ. Quartum inquam hoc promissum, etsi anteà factū, nunc nouo modo datum est, cum dicitur expliciatiùs, *In semine tuo*. deinde fuit antea simplex promissio, nunc firmatur Diuino iureiurādo; deinde declaratus

Origen. Crescit quod redditur Deo

S. Ambros.

Promittitur incarnatio Verbi.

ratur hoc loco, Deum id promisisse ob meritum A fidei, & obedientiæ Abrahæ parati filium suum immolare propter Deum; hoc autem antea non fuerat explicatum. hæc ex Caiet. & Perer. Gratis quidem antea Dominus magna illa dona promiserat, nunc eadem iuramento confirmat, tanquã præmia meritorum Abrahæ. Multò enim gloriosius est ex merito, quàm ex pura gratia honorem aliquem adipisci: quin etiam quasi nunquam antea promissiones acceperit Abraham, quia gratis factas aut certè non ex insigni aliquo meritorum obsequio: nunc quia illas proprio, atque admirando opere meruit, Deus illas de nouo pronunciat dicens: *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, &c.* & infra. *Benedicentur in semine tuo õnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* vide promissionem Messiæ factã ex semine Abrahæ, factam eidem à Deo propter obedientiam. Itaque obediens Deum promeruit, vt ex S. Ambros. diximus. Sed qui dicitur: *Quia fecisti, &c.* cum filium non mactauerit: Respondet S. Hieron. *Epist.* 34. Abraham vnicum filium iugulauit voluntate. similiter S. Chrys. Considera misericordiam Domini; *non pepercisti filio tuo*: attamen viuum ipsum reducit. Non euentum cõsidera, sed voluntatem, & mentem disce. Quantũ enim ad voluntatem attinet, cruentauerat dextram Patriarcha, & per ceruicẽ pueri immiserat gladium, perfectúmque obtulerat sacrificium. Idcirco Dominus laudat iustum, quasi sacrificio re ipsa consummato. Tu quidem nõ pepercisti filiu tuo, propter mandatum meum; ego autem peperci ei propter obedientiam tuam. sic ille. Non dicit, quia voluisti facere; sed quia fecisti: voluntatem pro opere accipiens. *Rem hanc*, quam quæso Domine? cur eam haud nominas? Tam grandis, inquam, est, tam stupenda, vt ea dignum ne ipse quidem Deus nomẽ inueniat. Multus deinde est Dominus in laudando huiusmodi opere, eiúsque circunstantiis sigillatim recensendis, vti peccatricis pœnitentiam per singula prædicat. *Luc.* 7. vt nihil de nostris meritis pereat, sed nostræ gloriæ thesaurus accrescat, & multiplicetur. Peregit Abraham sacrificium mactato ariete pro filio, quẽ non minori alacritate obediens Deo immolasset, si Deus annuisset. Ecce (inquit S. Zeno) & D meritum principale diuinam indulgentiam meruisse sub casibus; nam retro respiciens inuenit victimam, quam innocens immolaret. *serm.* 1. nostræ obedientiæ præmiũ est Diuina misericordia, cum extremum laborantibus accurrit. A filio (progreditur) ad agnum transtulit dexteram, eo ferro mactauit arietem, quo filium percutere iã parabat; semper lætatus, & gaudens; nec mutatus est vultus eius cum esset victima commutata. Cũ tanta lætitia arietem obtulit, cum quanta obtulerat & filium. sic ille, *serm.* 1. O virum admirabilem, qui in quocunque statu, siue aduerso, siue prospero, sui semper similis, constans, immotúsque manet! mutat victimam, sed non animum, nõ vultum! Peracto igitur sacrificio viuus, & incolumis cum patre filius rediit. Et Christus Dei Filius à Patre in mortem pro hominibus traditus ad vitam resurrexit immortalem. Quia (inquit S. Zeno) nescit æternitas mori, aut Dominus post sepulchrum *serm.* 2. *Non dedit* enim *Deus Sanctum suum videre corruptionẽ.* Psalm. 15. E sepulchro viuus, immortalis, & gloriosus exiuit, qui in illud fuerat post crucem, & mortem inductus. At verò (vt adiicit idem Zeno) remãsit sola damnatæ voluntatis inuidia, quia Dominum nec agnoscere voluerunt; & sola crediderũt cogitatione puniri,

Meritum Abrahæ, & præmium.

Abrahã voluntate filium mactauit.

D. Hieron.

D. Chrysost.

Voluntas pro opere.

Factum Abrahæ commendatur.

Luc. 7.

S. Zeno.

Obedientia meretur Dei auxilium.

Abrahæ constantia.

Christi mors & resurrectio.

S. Zeno.

Psalm. 15.

Iudæorũ incredulitas.

A cum nefarium fuerit etiam tardiùs adorari. sic ille. Proh quàm vanæ sunt cogitationes Iudæorũ! de crucifigendo Domino Iesu, de illius memoria ex hominum animis abolenda, de illius nomine sempiternis infamiæ tenebris sepeliẽdo cogitauerunt Iudæi, at nihil miseri effecerunt. Resurrexit ille ab inferis, quem occiderant, in cælum regnaturus ascendit cum triũpho; sedet in throno maiestatis suæ ad dexteram Dei Patris; iam cælo applaudente, terráque famulante, & inferno trepidante agnoscitur, colitur, adoratur, vt est verus Dei, & Virginis Filius Deus homo: nec iam aliud grauius delictum admittitur, quàm aut tardè, aut nunquam adorare, cui iam tota rerũ machina regnatori, Deóque suo famulatur. Rectè igitur cõ- B cludit S. Zeno. Non inde sceleris crudelitas fructum sortita est: quia sicut in Isaac aliud offertur & aliud immolatur, ita & in passione Christi, quod per Adam deliquerat per Christum liberatur. sic ille, *serm.* 2. Christum oderunt, occiderunt, sed irrito conatu, nullóque fructu suæ impietatis. Viuit ille, regnat, adoratur: peccata confixa cruci, sanguine illius deleta, cælum hominibus reseratum; clausa tamen & immota perstat adhuc inuidia, perfidia, cæcitas Iudæorum!

10. Restat dicendum de loco Hebr. vocatur מריה *Moriah*, nimirum mons Moria iuxta Hierosalem in plores est colles diuisus; pars orietalis inclusa muro est, in qua templum Salomonis cõstructum: alia pars extra vrbem mansit, vbi mons C Caluariæ, in cuius parte extima sacrificiũ Abrahæ peractum, ac Dominus Iesus posteà fuit crucifixus, vt S. Hieron. & D. Aug. *serm.* 71. docent. Vocatus est ab ipso Abrahã Moria, *visionis*, à radice ראה *raah*, videre, eo quòd ibi responderat filio: *Dominus videbit, seu Dominus prouidebit.* LXX dicunt montem. *Dominus vidit*: hoc est, vt explicat S. Aug. *videri se fecit*, vel *apparuit.* Hinc passiuè vulgatum inter Hebræos adagium: *In monte Dominus videbit, aut etiam videbitur.* cuius hæc vis est ex S. Hieron. *in quæst. Hebraic.* vt si quando in angustia constituti sunt, & Domini optant auxilio liberari, dicant: *In monte Dominus videbit*; hoc est sicut Abrahæ misertus est, miserebitur & nostri. Vnde & in signum dati arietis solent etiam nunc D cornu clangere. sic Hieron. Et quidẽ omnia perbellè cadunt. Mons *Dominus videbit*; quasi dicat Abraham: In hoc ipso monte Deus Pater videbit Filium suum vnigenitum in cruce immolari; & tunc videbit, hoc est, facto ipso experietur, quàm acerbum, & arduũ sit Patri ante suos oculos Filium vnigenitum iugulari. Mons, *Dominus videbit*: semper enim Dominus ante oculos habebit hunc montẽ, in eum perpetuò intuebitur, in quo tandem pro Isaac erit immolandus. In hoc etiam monte Dominus videbit Matrem suam vehemẽtissimis doloribus sauciatam, iuxta illud Ioan. 19. *Cum vidisset ergo Iesus Matrẽ.* Plus autẽ (ait beata Virgo apud S. Bern. *in Lam.*) dolebat de me, quàm de se. Videbit Dominus in hoc monte blasphe- E mias, irrisiones hostium suorum, amicorum autẽ lacrymas, & gemitus: videbit peccatores, vt illis misericordiam & veniam impendat. Videbit gloriam suam inde profectam quia mons est, in quo Dominus videbitur; hoc est vnigenitus Dei Filius in humanitate sua crucifixus, ex eo ligno regnabit toto in orbe cognitus, & à gentibus adoratus iuxta illud: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Ioann. 8. vnde S. Ambro. Dominus (inquit) in monte apparuit, scilicet reuelans futurã sui passionem Corporis, cum suspensum ostendit arietem, virgultum illud crucis patibulum de-

monstrans

Christi gloria.

Christum orbis adorat.

S. Zeno.

Mons Moria vbi situs.

D. August.

D. Hieron.

Laborantis fiducia in Deo.

Caluaria mons.

Caluariæ mons est visionis.

Ioann. 19.

S. Bernard.

Ioan. 8.

S. Ambros.

monstians · Et in hoc ligno præstantissimua Ductor gregis exaltatus omnia traxit ad se, vt ab õnibus cognosceretur. hæc S. Ambros. Denique, in mõte Dominus videbit. Nunquam enim obliuisceretur huius sacrificij, huius pietatis, obsequij, & obediẽtiæ, cùm Abrahæ, tum filij Isaac. Quinimò semper oculos in hunc montem defixos habebit: sibi nimirũ applaudens, & gloriatus, quod tam fideles, ac pios seruos habuerit. Tanti Dominus facit, quæ illi præstamus obsequia. Alij deducunt à radice ירא *Iarah* timere, quasi *mons timoris*, seu *reuerentiæ*, vbi colendus, & venerandus Deus. Alij à מרר *marar*, hoe est *amarescere*, quasi *mons amarus Abrahæ*. Aquila vertit *terram claram*, seu *lucidam*, secutus priorem radicem. En memorabilis toto mundo per omnes ætates mortalium historia Abrahæ, & Isaac. qua sanè arguimur dum in obsequium Dei torpescimus. Et quidem Abrahã (vt egregiè adnotauit S. Zeno Veronens.) sub lege non erat, sed legem solus impleuit. Et qui nullo iure legis tenebatur omne ius Diuinũ præcipuè custodiuit, cuius immolatione ille quoque gauderet, qui ad victimam parabatur. sic ille, *serm. 1. de Abraham*. At nos in lege gratiæ post Abrahæ sacrificium, post Dei hominis passionẽ, post martyrum exempla, ita miseri viuimus Dei, legísque Diuinæ immemores; ac si inter gentes sine lege, sine Deo, more pecudum per syluas deerrantium viueremus! gaudente patre immolare, filius pariter imitatus patrem gaudet immolari; at nos væ nũdari sub peccato malumus, quàm in Dei obsequium, vtique animæ, corporique salubre, in perpetuũ emancipari. O scelus, ô impietas, ô insania!

S. Zeno. *Exemplo Abrahæ arguimur impy.*

11. Cætera vsque ad finem capitis non egent interpretatione. Illud tantum adscribã ex S. Hieron. Primogenitus Nachor fratris Abraham natus est Hus, de cuius stirpe Iob descendit. *Vir fuit in terra Hus nomine Iob, &c.* Secundus natus est Buz, ex cuius genere est Balaam ille diuinus, qui in libro Iob dicitur Eliu, primùm vir sanctus, & Prophetes Dei: posteà per inobedientiam, & desiderium munerũ, dum Israel maledicere cupit, diuini vocabulo nuncupatur. hæc S. Hieron. Vide quam perniciosa sit auaritia, quæ Prophetã Dei in diaboli ariolum commutat. Auarus diabolo in mancipium addictus ad illius nutum regitur: atque adeò nihil boni operis ab auaro sperari debet. Hinc optimè scripsit S. Paul. *Epist. 32.* Facilè serpit cancer auaritiæ in præcordia nullis misericordiæ munita visceribus, captámque vipereis alligat vinculis animam, si ab operibus bonis nudam, & materia captiuitatis, hoc est infructuosis opibus abundantem serpens inimicus inuenerit. hæc S. Paul. Contra D. Hieron. sententiã de Iobi Genealogia tam Græci, quàm Latini scriptores multi reclamãt, qui ex fine lib. Iob. & ex 36. Genes. colligũt Iobum ex Esau, non ex Nachoris filio descendisse. Vide Perer.

D. Hieron. *Origo Iobi.* Iob. 1.

Balaam auarus.

S. Paulinus. *Auaritia crudelis.*

CAPVT VICESIMVMTERTIVM.

1. VIxit autem Sara centum vigintiseptem annis.

2. Et mortua est in ciuitate Arbee, quæ est in Hebron, in terra Chanaan: venítque Abraham vt plangeret & fleret eam.

3. Cúmque surrexisset ab officio funeris, locutus est ad filios Heth, dicens:

4. Aduena sum & peregrinus apud vos: date mihi ius sepulchri vobiscum, vt sepeliam mortuum meum.

5. Responderunt filij Heth, dicentes:

6. Audi nos domine, princeps Dei es apud nos: in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum: nullúsque te prohibere poterit quin in monumento eius sepelias mortuum tuum.

7. Surrexit Abraham, & adorauit populum terræ, filios videlicet Heth:

8. dixítque ad eos: Si placet animæ vestræ vt sepeliam mortuum meum, audite me, & intercedite pro me apud Ephron filium Seor:

9. vt det mihi speluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri sui: pecunia digna tradat eam mihi coram vobis in possessionem sepulchri.

10. Habitabat autem Ephron in medio filiorum Heth. Respondítque Ephron ad Abraham cunctis audientibus qui ingrediebantur portam ciuitatis illius, dicens:

11. Nequaquam ita fiat, domine mi, sed tu magis ausculta quod loquor: Agrũ trado tibi, & speluncã quæ in eo est, præsẽtibus filiis populi mei, sepeli mortuũ tuũ.

12. Adorauit Abraham coram populo terræ.

13. Et locutus est ad Ephron circumstante plebe: Quæso, vt audias me: Dabo pecuniam pro agro: suscipe eam, & sic sepeliam mortuum meum in eo.

14. Respondítque Ephron:

15. Domine mi, audi me: Terra, quam postulas, quadringentis siclis argenti valet: istud est pretium inter me & te: sed quantum est hoc? sepeli mortuum tuum.

16. Quod cùm audiuisset Abraham, appẽdit pecuniam, quam Ephron postulauerat, audientibus filiis Heth, quadringẽtos siclos argẽti probatæ monetæ publicæ.

17. Confirmatúsque est ager quondam Ephronis, in quo erat spelunca duplex, respiciens Mambre, tam ipse, quàm speluũca, & omnes arbores eius in cunctis terminis eius per circuitum,

18. Abrahæ in possessionem, videntibus filiis Heth, & cunctis qui intrabant portam ciuitatis illius.

19. Atque ita sepeliuit Abraham Saram vxorem suam in spelunca agri duplici, quæ respiciebat Mambre. hæc est Hebron in terra Chanaan.

20. Et confirmatus est ager, & antrum quod erat in eo, Abrahæ in possessionem monumenti à filiis Heth.

SECTIO

SECTIO VNICA.

Vixit autem Sara centum vigintiseptem annis. Et mortua est in ciuitate Arbee, qua est Hebron, in terra Canaan, &c. vsque ad finem.

Nemo liber à vita miseryi.

1. VIXIT *Sara, &c.*) Haud longæ, diuturnæque sunt homini vel etiam iosto, & facto, dum in terra motatur, à vitæ iocómodis & calamitatibus induciæ. Euaserāt Abrsham & Isaac ex illa tempestate dolorum & angustiarum, quibus in monte Moria iactati sunt; reliquum erat, vt nihil vltra durum & acerbū in vita pateterentur: at (ô miseram hominum conditionem!) vidit Abraham suis oculis charissimam & sanctissimam mori coniugem, Isaac matrem dulcissimam. Viduus ille, orbus iste defunctam Saram deplorauit. Nec mirum: quia (inquit S. Prosper *lib. 3. de vita contempl. cap. 1.*) tota humana vita tentatio est super terram. *Iob. 7.* tunc est tentatio finiends, quando finitur & pugna: & tunc est finienda pugna, quando post hanc vitam succedit pugnæ secura victoria. sic ille. Abraham (inquit S. Chrysost.) Sacerdos pueri factus est, & proposito quidem cruentauit dextram, sacrificiúmque obtulit, & propter voluntatem coronatur, summum agonem certauit, & per omnia pietatem mentis suæ declarauit. At postquam à sacrificio illo nouo & admirabili rediit, excepit eum Saræ luctus ita Chrysost. Nemo est dom in terra viuit qui diu sit immunis ab humanæ vitæ molestiis. Nec mirum: cum filij simus parentom, qui nos ante damnarunt quàm genuerunt. Quapropter optimè animaduertit S. Hildebert. *Epist. 56.* Attende miserias hominis, intuere cineres, vectigalia peccati sunt. Peccatum tot secutæ suot vltiones, quot ex eo incommoda pullolsrunt. sic ille. Atque vtinam bene conscij nostræ conditionis, & peccstorum vltiones patiēti, Christianóque animo ferremus, & miseriarum nostrarum materiā, peccatum scilicet omni conatu præcideremus, ne super dolorem vulnerum nostrorum adderemus! Propterea satis edocti sumus quotidianis rerum experimētis, quàm nihil stabile ac diuturnum in vita sit; & mundus quidem transit. & cum mundo pariter quæ in mūdo suot. Quin etism (vti adiūgit idem Hildebert.) hæc aliena esse, fuga ipsorum deountiat. Bona vaga, bona pēnata suut; eorum esse nusquam esse diutiùs. sic Hildebert. Ac fortasse inter bona vitæ quæ mortis incursu auferuntur, nulla chariora solent esse, quàm nomina ipsa, statúsque necessitudinum, quibus amor, & amicitia humana fortiùs astringitur, ac dulciùs cōseruatur. Sed & ista omnia cum mundo transeunt: nec enim in cælesti patria coniugum, parētom, filiorum, fratrum, ac similium vel iura seruantur, vel nomina retinentur, iuxta sententiam S. Prosperi *lib. 1. de vita cont. cap. 11.* quæ sic hsbet. Nomina omnium necessitudinum corporalium, quæ hic nostra frāgilitas habuit, excellentia illius beatitudinis non admittit, vbi omnes vnum corpus erunt. hæc Prosp. Quòd si omnes sancti vnū inter se, & cum Deo erunt, nulla erit diuersitas, in qua necessitudines istæ fundari possint. Nam & ista necessitudinum dilectio (ait S. August. *lib. 1. retract. cap. 13.*) temporalis est. Porrò nullus, aut vehementior, aut dulcior solet esse amor, quàm inter bonos coniuges hunc verò quotidie mors, alterum ab altero dissocians extinguit, vt hoc loco Saram præripit, & Abrahā viduum efficit. Caterùm vir prudens illud habeat ante oculos, quod S. Paulin. scribit ad Pamachium nobilissimū Romanum, qui Paulinam, filiam S. Paulæ, vxorem in ipsomet flore iuuentutis amisit. Sic infit *Epist. 35.* Mulier grata suscitat viro gloriam cum tenetur; atque ideo suscitst ei desiderium, cum præmittitur. Etsi adhuc flore annorum virebat, tamen morum sanctitate canuerat, & ætatem puellæ stipēdiis senectutis ornabat. Vnde tibi & ipsæ quæ arcebāt vulnus animi, causæ solatium maius afferre possunt, quod tam sanctam fœminam etsi non habes, habueris tamen. Commune enim tibi cū omnibus amisisse mortalem, paucis verò tecum meruisse optimam. quominus miror illam in hoc seculo non moratam, & ad Christum citius accitā, *placita enim erat Deo anima eius, & iccirco properauit eā de medio iniquitatis educere.* Sapient. 4. hæc Paul. Felicior multo Abraham, cui à Deo donatum est, vt Saram sanctissimam vltra (vt videtur) centum annos habuerit vxorem. Etsi autem doluit, quòd tandem aliquando illam amiserit; perbeatus tamen censendus est, ac proinde Deo immortales gratias habere debet, quod cum tali cōiuge tot per annos sanctè, suauitérq; vixerit. Vixit autem Sara (vt bene subnotauit Lyppom.) triginta sex annis post genitum filium vnicum, quē nonagenaria peperit, nec alterius fœminæ tanta ætas legitur. Voluit enim Deus aliquandiu cum filio gaudere, quem tanto desiderio tot annis Dei verbis credula sperauerat. sic ille. Mortua est in Arbee, quò Abraham transmigrarat à Bersabee. Dicit Moyses propheticè vocandam fore Hebrō, de qua disputari solet Iosue 15. Vide ibi nostrū Magal.

S. Prosper. — Iob. 7. — D. Chrysost. — Abrahæ voluntas, velut opus, coronatur. — S. Hildeben. — Omnia vitæ mala vltiones peccati Adæ. — S. Hildebert. — Bona mundi aliena & fugacia. — In cælo non sunt nomina necessitudinum. — S. Prosper. — D. August. — Coniugum amorē extinguit mors. — S. Paulin. — Sancta coniux marito est & amor, & dolor. — Sara homini bona coniux — Felix Abraham cum Sara coniugium. — Sara fœminarū maxime longæua. — Lyppom. — Dona Dei dulciter possidentur.

2. *Venitq; , vt plangeret.*] Morienti vxori astitit pius Abrsham, mortuā dolore, lacrymísque prosecutus est. Deinde *venit vt plangeret*: hoc est, accinxit se; parauit omnia, quæ ad solemnes exequias defunctæ necessaria essent. Vocat enim planctum, luctum publicum, & ritus funebres, ac sepulchrales, non tamen iuxta morem gentiliū, sed vti decet viros vnius veri Dei fide ac pietate conspicuos. itaque Abraham diligenter, ac piè cuncta præstitit, quibus (autore S. Ambros.) maritalis affectus probatur. Ac tantus quidem Patriarcha suo isto planctu commendauit fidelium lacrymas, quibus suorum defunctorū, & obitus, & exequias, & sepulchra prosequuntur. Vnde scripsit S. Paulin. *Epistol. citat.* Bonæ (inquiens) lacrymæ charitatis, in quibus pater Abrahsm matrem repromissionis eduxit. Pater fidei matrem vocationis nostræ Saram suam fleuit, non vtique diffidentia recipiēdæ, sed prægressæ desiderio Quomodo enim resurrectioni diffideret fidei pater, & repromissionis beatæ primus autor? sic ille. Profectò cum intenta mentis acie intueor vitam Abrahæ, vehementer admiror huius viri, in omni ætate, statu, rerúmque tam inter se discrepantiū euentu, constantem semper, & inconcussam pietatem, ac religionem etiam in medio grauissimarum tentationum: quod vti admirabilius, sic præstantius multò est, quàm si trāquillitate animi, & à mundi molestiis vacatione quis religiosam, & piam vitam, velut in portu solus transigat. Quā sententiam ita scripsit Clem. Alex. 7 *stromat.* Re-

Pius exequiarū ritus. — S. Ambros. — S. Paulin. — Abrahæ virtus vbique constans. — Clem. Alex.

uera

ueta ostenditur vir in eo, quod vitam elegerit mo-natticam. Sed ille viros vincit, qui in matrimonio, ac liberorum procreatione, domúque cura, citra voluptatem, & dolorem se exercet, insurgens aduersus omnem tentationem, quæ affertur per vxorem, filios, famulos, possessiones. Ei autem qui domum nō habet, plerumque euenit, vt non tentetur. hæc Alexand. Sint hæc omnia, vt Clemens existimat, nihilominùs perfectio religiosorum longè sublimior est, quàm, vt eam coniugati cōmuniter possint attingere. Verùm enim verò Abrahæ virtus, sic inter mortales eminet, vt eam assequi, vel ipsis religiosis difficile admodum sit; maximè verò illa vitæ piæ, ac religiosæ perpetua æquabilitas, quam Patriarcha retinens sui semper similis inuenitur in omnibus, cum aduersitatis, tum felicitatis euentibus: nunquam enim non iustus, sanctúsque proditur: illa inquam morum, & sanctitatis æquabilitas, quæ in Abraham eminuit, in paucis etiam iustorum hominum reperitur. Eam tamen Dominus à suis fidelibus exigit iuxta rationem viuendi cuiusque, non scilicet non tempori, ac rerum occasionibus sese quisque accommodās benè aut malè operetur. Non enim temporaria debet esse virtus, sed perénis: nec rectè se gerunt, qui tépore v.g. quadragesimæ pœnitentiam agunt de suis delictis; illo autem exacto spatio ad vumitum redeunt; quæ quidem est multorum conditio, vt nunc contriti, nunc dissoluti, modò in templo ante aras proni collacrymentur; ac subinde in foru cum bacchanalibus, aut in popinis, & ganeis abdomini, atque libidini laxent habenas. Totum nostræ vitæ, tanquam opportunum & maturum virtuti, bonisque operibus tempus exigitur. In cuius doctrinæ testimonium Dominus venit quærere fructum in ficulnea, & cum illum non inuenisset, arborem perpetuæ ariditatis maledictione percussit. Matth. 21. Et quod magis admirādum est, addit S. Mar. Nō enim erat tempus ficorum. *cap. 11.* Ergo sine causa (optimè subinfert S. Paulin. *Epistol. 33.*) videtur arbor excepisse maledictum, non infœcunda de vitio, sed immatura de tempore. Sed (respondet) propter nos vtique scriptum est, in quibus escam suam Deus semper vult inuenire. Nam & agrum, & vineam in nobis habet. Itaque in illa arbore salutem hominis esuriebat, & ab homine debitum sibi fructum petebat. sic Paulin.

Coniugij tentationes, & corona.

Religiosorum status sublimis.

Rara morum æquabilitas in homine.

Communis inconstantia in bono.

Nullum tempus à fructu animæ vacuum. Matth. 21.

Marc. 11. S. Pauli.

Homo vinea & ager Dei.

3. Idem subinde hanc eandem sententiam vberiùs ita explicat. Huc est, quod vult intelligi nobis indicando per Euangelistam, non suo tempore fructum ab arbore se petiisse, vt omni tempore homo se fructū Deo debere cognoscat, quia bonos Dominus, qui hominē mortalem immortalitati præparat, iam & in hoc seculo vult eum speciem perpetuitatis induere, vt fructum non accipiat de tempore, sed omni tempore sit maturus illi, cum quo, vel in quo mansurus est sine tépore. hæc S. Paulin. Itaque homo natus ad immortalitatem perpetuis virtutum floribus, ac fructibus viridis, amœnus, ac maturus appareat necesse est; vt iam nunc illa æquabilitas, & immutabilitas æternitatis, cui se paulatim assuefacit, in illius vita, & morum sanctitate adumbretur. Quā obrem sanctus Patriarcha cùm in aliis omnibus vitæ suæ rationibus, tum etiam in isto vxoris obitu plāctúque omnem virtutis normam & tenuit, & docuit, solemnem instituit luctum, hoc est solùit exequias in honorem charissimæ coniugis pariter, & sanctissimæ. Talis enim extitit Sara, quales non semel descripsit Apostolus, nimirum (ita exponit B. Prosp. *de vit. cont. lib. 2. cap. 3.*) vt vxores,

Iustus non seruit tempori.

S. Pauli.

Iustus æternitatem adūbrat in vita.

Vxor moribus grata & conspicua. S. Prosper.

A maritos suos unu studio formæ lenocinantis adhibito, aut accuratione vestium diuersarum, sed grauitate morum delectet, & operum sanctitate. sic Prosp. Digna sanè commiseratio (inquit hoc loco Procop.) quam diutina conuersatio peperetat, &c. Nec enim vir ille sanctissimus de numero illorum fuit, qui absentium amicitiam prorsus obliuiscuntur, & mortuos, quantumuis arctò necessitudinis, aut cognationis vinculo fuerint in vita sibi ipsis constricti, vno eodémque momento simul ab oculis, & à corde abolete nihil pensi habent. Profectò carnalis erat illorum amor, qui cum carnis fœno floruit, & cū ipso pariter emarcuit: vti subnotauit S. Euseb. Emiss. *homil. in S. Matth.* hoc pacto: Amor spiritualis est indeficiēs;

B carnalis autem amur citò delabitur, sicut & ipsa caro. ita Euseb. Ad exemplū fuit omnibus se verè, sanctéque amantibus amor ille mutuus duorum Ionathæ, & Dauid. *Anima* enim (vt scribitur, 1. Reg. 18) *Ionathæ cōglutinata est animæ Dauid & dilexit eum Ionathas, quasi animam suam.* Aquila: *secundùm animam suam.* Procopios: *Quantum animam suam* addirque, Id verò lex Domini quoque præcipit: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* sic ille. Igitur iuxta explicationem Procopij Christiana charitas, quæ à Domino præscribitur, est animarum potiùs, quàm corporum: Et consequenter etiamsi per mortem corpora deficiant, ille tamen amor animas agglutinans in omnem æternitatem perdurabit: sed, vt aptiùs loquar, verus ille

C amor iccirco nunquam ob alterius discessum deficiet, quia non est auulsio, vbi tantùm vna est anima, ex duabus per amorem conflata. Quam vim amoris exprimi arbitratur Proc. in illo Dauidis luctu: *Doleo super te, frater mi Ionatha, decore nimis, & amabilis super amorem mulierum.* 2. Reg. 1. sic igitur Procop. legit, & exponit. *Amor tuus, sanquam amor mulierum.* Hæc ad ostendendam vehementiam, & sinceritatem amoris pertinent. Talis est enim viri erga vxorem affectio, qualis in lege matrimonii exprimitur: *Relinquet homo patrem, & matrē, & adhærebit vxori: & erunt duo in carne vna.* Quod igitur de matrimonio copulatis dicitur, in

D carnem vnam, hoc de amicis sese diligentibus, in animam vnam. hæc Procop.

4. *Cum surrexisset ab officio funeris.*) Duo significantur, alterum pietatis, alterum prudentiæ, singularia documenta. Nimirùm quòd Abrahā vxorem demortuam fleuit, ac solennem in illius desiderium totius familiæ planctum instituit; denique, vti maritum decuit, sanctissimæ, charissimæque coniugi officiosissimè, ac piissimè parentauit, hoc pietas exigebat. Illod ex prudentiæ præscripto, quod in luctu coniugis non ampliùs, ac diutorniùs iusto perseuerauit: sed tempore debito surrexit ab officio funeris, luctū finiuit, & ad solitas vitæ suæ rationes matura grauitate rediit.

E Hinc docemur (ait S. Ambros.) vt non diutiùs inhæreamus mortuis, sed quantum satis est officij, deferamus. hæc ille. Vtrumque docet faciendum. Ecclesiast. *cap. 38.* hisce verbis: *Fili in mortuū produc lacrymas, & quasi dira passus incipe plorare, & secundùm iudicium contege corpus illius, & non despicias sepulturam illius.* En ab ipso Deo luctus, mœror, & funebria iuta pro mortuis commendantur. Hæc enim & humanitatem indicant, & à pietate, proximorúmque charitate consequūtur. Nam in huiusmodi euentu obrigescere, aut nulla saltem ratione commoueri, stipitum est, ac belluarum. Deplorādi ergo sunt mortui: sed qnàm moderatè tamen, ita præscribitur ibidem: *Propter delaturam autem amarè fer luctum illius vno die, & cōsolare propter*

Procopius.

Obliuio amicorum absentium.

Euseb. Emiss. *Bonus amor crescerat, malus deficit.*

1. Reg. 18. Aquil. Procop.

Amor verus etiam vltra mortem.

Procop.

2. Reg. 1.

Amantium vna est anima.

Luctus pro defunctis iustus, sed moderatus.

S. Ambros.

Ecclesi. 18.

Ecclesi. 38.

pter tristitiam, & fac luctum, secundum meritum eius vno die, vel duobus propter detractionẽ, &c. Hunc locum pertractans egregiè S. Paulin. *Epist.* 35. ad Pamachium de obitu vxoris, sic ait. Dominus, qui producere nos lacrymas, quasi euaporando dolori permittit, termino quoque designato præscribit tempora, cum dicit amaritudinem luctus vno ferendam die. O diuitiæ bonitatis Dei, quam pia id ipsum solicitudine nostri cauet, non pietati propensæ inuidus, sed infirmitatis nostræ conscius, & omnis immodici temperator lacrymas in mortuo produci iubet; amaritudinem verò lugendi vno tãtùm die claudit! Illud porrigi sinens, quo relaxatur dolor, & anima respirat; istud verò præcidens, quod immoderato, & irrationabili cruciatu mentem nostram conficit, quodque diutiùs fragilitas nostra non valet sustinere. hæc S. Paulin. Itaque illis verbis Dominus, & pietatem nobis commendat, & nostrę saluti cõsulit. Enimuerò (vt idem Paulin. adiungit) acceptior est Deo grata lætitia, quàm diuturna quasi querula tristitia. sic ille. Porrò cum prompti simus ad lacrymas pro mortuis effundendas, mirum est quam pigros, quàm inertes, quàm nihil soliciros nos exhibeamus ad parandum nobis iter, quod faciendum paulò post erit, præeuntes mortuos nobis ponè consequentibus! Ægrotantem infantulum Bethsabee vehementer doluit Rex Dauid: at vbi filius obiit, pater lacrymas, mœrorémque deposuit. Mirati sunt, qui aderant, cur qui ante orbitatem (inquit S. Paulin.) luxerat, gauderet orbatus? Respondet: *Ego ad illum ibo; ille verò ad me non reuertetur.* 2. Reg. 12. Satis docuit Rex Propheta quam post nostros solicitudinem debeamus inducte, videlicet, vt de nostro potiùs itinere, quo sequimur, quàm de illorũ, qui iam progressi peruenerint, laboremus. sic Paulin.

S. Paulin. — *Deus pietatẽ commendat, sed saluti consulit.* — *S. Paulin.* — *Grata Deo lætitia.* — *Præeuntes mortuos ponè sequimur.* — *S. Paulin.* — *2. Reg. 12.*

5. Ineuitabilis est homini moriendi necessitas: solus enim Christus Deus homo mortuus est, quia ipse voluit vt moriendo peccatum mortis causam tolleret, & ab inferis resurgeret, quò resurgens ipse suo corpore, nostrorum corporum interitus futuræ resurrectionis spe consolaretur. Tãta verò suæ resurrectionis gloria extitit, vt passionis opprobria, & cruciatus, ac mortem ipsã peracerbam iuxta, & dedecorosam non compensaret modò, sed funditus aboleret. Audi S. Petrũ Chrysolog. *serm.* 75. Penes Christum (inquit) moriendi & viuendi potestas erat, qui ante suam mortem prędixerat resurrectionem. Nam vtique, qui scire potuit, potuit & cauere. Sed quia vincere potuit, declinare contempsit. Quia resurgentis gloria sepeliuit morientis iniuriã. hæc Petr. Chrysol. Magnum quidem solatium mortalibus est ex hoc capite. quia licet euitare nequeãt suorum corporum mortem; at post illam tamẽ sperant indubitanter ipsamet corpora suis è cineribus excitãda in vitam æternam: loquor de iustis: reprobi enim in æternos gehennæ cruciatus resurgent, hæc autem est spes iustorum, hòc in omnibus huius vitę miseriis atque doloribus ingens leuamẽtum; cuius profectò accepimus pignus, cum resurgente Domino multa corpora Sanctorum, qui obierant, resurrexerunt. Licuit igitur S. P. Chrysolog. *serm.* 74. ita dicere. Meritò perit lex tartari, remota sunt inferni iura, potestas mortis ablata est, & in pœnam temeritatis suscitauit mortuos Conditoris iniuria. Denique redduntur corpora, redintegratur homo, vita reparatur; & constat de venia iam totum, quia in Autorem vitæ mox est transgressa sententia sic Petr. Chrysol. Quod si, præsentis vitæ pericula quis attenta mentis acie dispiciat, discedentes in Christi fide, ac pietate Christiana, & bonorum operum auxilio communitos, non cum luctu, sed cum gaudio prosequetur de sua illis securitate gratulando. Certum est enim quod scripsit S. Prosper. *lib.* 1. *de vita cont. c.* 9. his verbis. Hic quantalibet quis excellentia sanctitatis emineat, quantalibet excellentia perfectionis excellat, potest quidem fieri pro modulo huius vitæ perfectus: sed non est sic de sua perfectione securus, vt non debeat esse de casu solicitus. Et vtique vbi est solicitudo, non est absoluta beatitudo, quæ nequaquã perfecta credenda est, si secura non fuerit: nec secura erit, nisi omnem solicitudinem securitas æterna cõsumpserit. hæc S. Prosper. benè Tertul. *lib. de patientia. cap.* 9. Non est (inquit) lugendus, qui antecedit; sed planè desiderandus. Cur doleas, si periisse non credis? profectio est, quam putas mortem. sic ille. Multò elegantiùs S. Ambros. *in Psalm.* 41. Iusto (ait) mors lucrum est. *Ad Philipp.* 1. Viuendo ergo damna cõtrahimus innocentiæ, morte finem erroris adipiscimur. Lucrum ergo morte acquiritur, vitæ autem vsu tãquam miseris debitoribus vsurarij nominis ad reatum fœnus augetur. ita S. Ambros. Profectò desideranda, non lugenda mors est homini Christiano, qui peccare timet; & peccatum execratur, vt pestem animæ. Dum enim viuit, culparum seges ad ignem si non inferni, certè purgatorij, misero homini augescit. In morte autẽ tollitur omnis peccandi occasio, & debitorum incrementa præciduntur.

Christi resurrectio nobis spei & solatium. — *Resurrectio Christi dedecora abolet.* — *S. Pet. Chrys.* — *Spes & solatium iustorũ in resurrectione.* — *S P. Chrysol.* — *Mors destructa quia Cõditorem perimit.* — *Mortui in Christo non luctu, sed lætitia prosequendi.* — *S. Prosper.* — *Nemo in vita securus.* — *Securitas in beatitudine.* — *Tertull.* — *D. Ambros.* — *Iusti mors nõ lugenda.*

6. *Date mihi ius sepulturæ, &c.*] Inter Chananęos recensetur gens Hethæorum: aliquos ex his affatur Abraham, vt locum impetret, quò suæ vxori, ac sibi, & suis posteris constituere possit sepulturam. Enimuerò (inquit) incola sum, diu scilicet apud vos cum vxore, totáque familia commoratus; sinite igitur mortuam coniugem inter vos sepeliri, sepultámque requiescere, quam viuentẽ hic habitare nõ estis dedignati. Subinde verò peregrinus & hospes adhuc habeor, nec mihi locus suppetit in quo sepulchrũ ædificem. Non vestris contendo sepulchris commisceri, cum omnia inter nos disparia sint; sed illud tantùm efflagito, vt in vestra liceat regione sepeliri: in primis *mortuum istum meum*: hoc est, vxorem, quam vidistis à me solenni planctu defunctã lugeri. Vocat masculino genere *mortuum*, etsi agat de fœminæ cadauere, quia nimirũ post obitum nulla sexus distinctio consideratur: sed tantùm ratio habetur cadaueris, siue corporis demortui. Ridiculè autẽ hinc aliquis colligeret omnes in die iudicij resurrecturos cum sexu virili: Mitto impugnare huiusmodi commentum, quod vti apparuit, sic statim disparuit. Admirabilis planè demonstratur huius vitæ, in qua semper se hospitem iudicauit, ac terrenarum rerum cõtemptus in Abrahamo, qui nihil ad vitæ vsum, aut voluptatem possedit, vel agelli proprij; sed ad sepulchrum tantummodo locum quæsiuit. In quo (vt egregiè animaduertit S. Chrys.) monstrat nobis Scriptura diuina virtutem Patriarchæ, per omnia, & quod sicut peregrinus, & aduena toto tempore egit: atque hoc assignauit, vt discamus, quod tanto superno auxilio fruens, & sic illustris factus, & in tantam multitudinem diffusus proprium sepulchrum nõ possedit. Habebat enim sufficientes diuitias mentis, & de aliis non erat anxius. Imitemur Patriarcham, qui nullibi habuit locum, quo Saræ collocaret reliquias. Sed tunc primum, quando ab ipsa necessitate compulsus est, emit agrum. hæc S. Chrys. Nimirum Abraham Deo plenus nullũ in

Post mortem non consideratur sexuũ distinctio. — *Abrahã terra cõtemptor.* — *D. Chrysost.* — *Abrahã diues opibus animæ.*

cordo

corde suo reliquit locum, in quem mundi, terræque affectus, & cupiditas subintraret. Non possumus enim pariter Deo, atque mammonæ inseruire. Qua de re peracuta est illa cóquestio S. Prosper. *lib. 2. de vita cont. cap. 15.* sic habet. Iubet nobis imperiosa cupiditas, vt Diuina parui pendentes possessionum terrestrium damnosa compendia cogitemus; vt in eis totam solicitudinem, curámque ponamus. O facinus inauditum! suaui iugo Christi contempto, ferreum cupiditatis imperium voluntaria mentium inclinatione suscipimus. hæc ille. Nec verò mireris tam grauem dici & velut ineuitabilem cupiditatis tyrannidem, qua miseræ hominum mentes cælo, cui natæ sunt, posthabito, deprimuntur. Etenim (vt idem Prosper adiungit) cupiditas contemni potest faciliùs quam expleri. Quare iuxta istam Prosperi sententiam quotidiana experientia comprobatam, multos videas, ac ferè innumerabiles vtriusque sexus omnium diuitiarum & possessioni, & cupiditati nuncium pro Christi obsequio remittere: pauculos tamen, aut fortè nullos diuitum huius seculi, qui suis contenti opibus, plures adhuc habendi cupidine inflammari minimè videantur. Nam,

Quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

7. Meritò igitur exclamat sanctissimus pater: O intolerandum dæmoniacæ cupiditatis imperium! Vastat in nobis quicquid verecundiæ, aut pudoris inuenerit, & quos suis triumphis addixerit, adhuc tanquam resipiscendi suspectos omnibus honestatis viribus exarmat, nequando contra eam, qui bellare voluimus, rebellemus. hæc S. Prosper. Id quidem cernimus quotidie in istis mammonæ mancipiis, quæ omni timore Diuino, atque humano, penitus abraso, conuulsóque pudore, inuerecunda, ac temeraria monstra, nihil aut curant, aut cogitant, quàm vt terra, terrestríque cæno potiantur ac ditentur. Profectò, nulla miserior egestas, quàm quæ in istis terræ, ac mundi helluonibus inuenitur. Certum est enim quod scripsit Clem. Alex. *stromat. 2.* Non est paupertas, pecuniæ paucitas; sed insatiabilitas: quæ si recesserit, qui bonus est, & diues quoque fuerit. sic ille. Insignem exhibuit modestiam Patriarcha, cum se peregrinum, & aduenam vocauit, blandáque, & humili supplicatione agrum ad sepulchrum vxoris efflagitauit: vt caueant exteri, & peregrini alieno in solo arrogantes, temerarios, audacésque se præbere; sed quod est prudentiæ, modestos se, atque humiles exhibeant. En veritas illius Dominicæ promissionis: *Qui se humiliat, exaltabitur.* Vbi enim Abraham se peregrinum, & aduenam appellat, ibi statim exaltatur. Respondent enim Hethæi: *Princeps Dei es apud nos.* LXX. vertunt *Regem.* Ille se peregrinum dicit, isti illum regem appellant, non qualemcumque, sed Dei, hoc est, insignem, & magnum, vt montes Dei, phrasi Hebræa, magni dicuntur. Patrem Abraham, non modo imitata, sed longissimè supergressa beatissima Virgo ancillam se nominabat, vnde promeruit fieri Dei Mater, rerum omnium Regina. Meritò igitur S. August. *serm. 2. de Natiuit. Mar.* Virginem Deiparam sic affatur: Dic mihi quæso, Vnica mater, quid meruisti, quemadmodum ad hoc peruenisti? & illa: Quæris à me, quod obtulerim munus, & vnde mater effecta sim Creatoris? Oblatio mea fuit humilitas mea: & ideò *magnificat anima mea Dominum, quia respexit Deus humilitatem ancillæ suæ.* hæc S. Aug. Tam grata subinde cùm Filio, tum matri Virgini hæc humilitas est, vt qui vtrumque addit, atque obsecrat, nullum, vt exaudiatur, obsequium acceptius offerat, quàm si humilitatem

S. Prosper. *Terram cælo miseri anteponimus.*

S. Prosper. *Cupiditas contemni potest, non expleri.*

S. Prosper. *Graue cupiditatis imperium.*

Auari terræ mancipia, mundi helluones.

Clem. Alex. *Opum insatiabilis vere pauper.*

Modesti & humiles in alieno solo.

Matth. 23.

Humilitas exaltat.

D. August. *B. Mariam humilitas in Dei matrem euexit.*

cum pietate coniunctam præferat. Maximè verò locus, & occasio ad orandum & impetrandum esse consueuit illud admirandæ humilitatis, atque omnium cælestium dulcedinum præsepe, in quo ancilla Dei, & Deum Virgo peperit, *Et natum posuit in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio.* Luc. 2. Cæterùm hanc sententiam ita contestatur S. Laurent Iustin. *serm. de Natiuit. Domin.* Maximis exuberabis deliciis, si deuotioni reuerentiam & humilitatem adhibueris pietati. Hæc vt assequaris efficaciùs humilis ancillæ implora suffragium, exemplum disce, actus discute, animum contemplare. Est autem Maria ad opitulandum paratissima, affectu pia, & humili deuotione præ cæteris decorata. Ad præsepe igitur perge, vbi Matrem cum Filio, & Filium Genitricis vbera sugentem inuenies. Vtrumque rogabis, Mariam voce, Infantem affectu: te namque ore tacentem, vociferantem corde, puerulus exaudiet IESVS. hæc Iustinus.

8. Vocant Abraham נשיא *Nesi.* Hebr. à radice נשא *Nasa*, eleuare, exaltare. Vnde nomen *Nesi*, Princeps, Dux, qui à cæteris est eleuatus. Admiror equidem perhumanos mores Hethæorum, qui hominem peregrinum tam comiter, támque honorificè tractant, vt nobis exemplo sint, quanta cum pietate, atque omnibus Christianæ charitatis officiis peregrinos, & hospites tractare debeamus. Sed tam præclara est vita Patriarchæ, vt inter illas gentes sic eleuetur, quasi princeps, Réxve aliquis propè diuinus: aut etiam Dux (sic *Nesi* interpretatur S. Hieron.) cæteris illuceat, præsítque ad veri Dei cognitionem, & ad omne virtutis studium. Ita viuant oportet iusti, quos sibi Deus in seruos, aut familiares amicos elegit, vt (ex consilio Apostoli) *in medio nationis prauæ, atque peruersæ luceant, sicut luminaria in mundo.* Ad Philip. 2. Scilicet hæc vna est ex clarissimis prædestinatorum nota, & signum: piæ, sanctæque vitæ exemplo reliquis esse, & præesse ad virtutem. sic enim S. Hieron. locum Apostoli explicat. Sic lucet (inquiens) Dei genus in genere humano, sicut Sol & Luna illuminant mundum. Verbum vitæ continentes (adiungit Paul.) vt per nos illuminentur, & exemplo cófirmentur. sic ille. Ducunt quidem ad Deū exempla bonorum: at Antichristo via sternitur per improborum scandala. quod ita effatur S. Petrus Damian. *apolog. de contemp. secul. cap. 32.* Dum veteribus noua semper augentur crimina, Antichristo via proculdubio sternitur, vt iam vltra seculi finem in mundum veniens, sine offendiculo liber ingrediatur. sic ille. Ibi etiam concludit: Antichristi via sunt nostra scandala. Dux, & princeps Dei Abraham dicitur. Fulgebat enim (inquit Caietan.) in eo tanta iustitia Diuina, vt vices summi Iudicis Dei gerere videretur. sic ille. Ita verò lætabantur etiam barbari homines aspectu, & consuetudine Abrahami; ac si Angelum de cœlo, aut etiā Deum ipsum contuerentur. Tanta est virtutis potentia, qualem in Dauide boni, atque amatores virtutis experiebantur, iuxta illud: *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur.* Psal. 118. Plerisque enim (obseruat ibi S. Ambros.) iusti aspectus admonitio correctionis est; perfectioribus verò lætitia est. Quàm pulchrum ergo si videaris, & prosis? Non dubitare possumus, quòd iusti sanet aspectus. Sed quemadmodum iustus lætificat cor innocentium cum videtur, ita & improbi iustorum cognitione torquentur, quia vel tacitis sanctorum moribus arguuntur. hæc S. Ambros. *serm. 10 in Psalm. 118.* Vide humilem & peregrinū Abraham nihil omnino terræ illius possidentem, sed adeo diuitem,

Humilitas cum pietate impetrat.

Præsepe humilitatis & deuotionis locus.

Lucæ 2.

S. Laur. Iust.

Visitanda B. Maria cū Filio in præsepi.

Charitas erga peregrinos.

D. Hieron.

Exemplum vitæ in seruis Dei.

ad Philip. 2.

Prædestinatorum signum exemplo vitæ lucere ac præesse.

D. Hieron.

Scādala sternunt viam Antichristo.

S. Petr. Dam.

Caietan.

Mores iusti [illegible]

Psalm. 118.

S. Ambros.

Iustorum visio delectat bonos & arguit [illegible]

vt princeps Dei, nimirum Deo plenus, Deóque coniunctus habeatur. Non sic impij, non sic; sed (vt eleganter scribit S. Paulin. *Epist.* 34.) hominibus commortalibus, ac plerumque melioribus dominantes cupiditatum, ac rerum suarum serui sunt, de Dei muneribus insolentes Deo, Christo egentes, peccato diuites, vita steriles, morte fœcundi. Sic Paulin. Bene, fœcundi morte: quippe tota vita, dum sterilescunt mente, vitiis, ac terrestrium bonorum affluentia saginantur, vt morti conuiuium præbeant adipale. Sed ô pudor! Abraham grandi, & locuplete familia prædiues (etsi nullius agri possessor) quia pio affectu omnia propter Deum contempserat princeps Dei, Deoque plenus esse meruit. at erunt, qui postquam mundo, & pompis eius renuntiarunt, ridiculis quibusdam desideriis, & affectibus rerum vilissimarum in religione detineantur. Optimè in hanc sententiam ita edisserit S. Petr Damian. *lib. Apolog. cap.* 7. Cui tota rei cuiuslibet vniuersitas intercluditur, excusationis aufugium de minutiis non lucratur. Qui totum cessit, pars illi proculdubio non remásit, præsertim cum hæc sit mentis humanæ natura, vt ita occupetur circa minima, si sit indigens, sicut erga multa, si sit diues. Vbi enim thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. hæc Damian.

S. Paulinus. Describitur miseria impiorum. Deliciis ad mortem saginati. Abrahā contemnit religiosos. S. Petr Dam. Cupiditas in religioso damnatur. Cupiditas circa minima aeque vt circa maxima.

9. Princeps Dei emphaticè dicitur, tanquam Deo ita gratus, vt cum illo solitus sit familiariter colloqui. Proh felicissimum virum! Perbellè scribit S. Paulin. *Epist.* 34. ad hunc modum. Regem seculi videre propiùs, & eius vel fastidioso sermone respergi, magna pars mundi tam beatū putat, vt si aliter non obtineat, etiam damnis emat, idque adeptus non modò hominum, sed & sui immemor fiat. Quantorum hic dignitate felicior, quem Rex Regum honorauit! sic Paulin. Hunc honorem obtinebat ille ex familiaritate cum Deo, qui cæteros ad illum inuitabat: *Accedite ad eum, & illuminamini.* Psalm. 33. Suauitatem hanc ineffabilem expertus aiebat: *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum.* Psal. 76. Illa etiam explicatio Procopij non est contemnenda: Scribitur (inquit) de Abrahamo, quòd sit Rex apud Deum. Meritò quidem appellatur Rex, siquidem solus sapiens liberæ conditionis est, & regnat. sic ille. Cúmque tam excelso, regióque animo esset, Rex apud Deum iure optimo perhibetur; qui (vt ex Paul. *ad Hebr.* 11. colligit hoc loco S. Chrysost.) spe futurorum despiciebat præsentia, & expectatione maiorum bonorum minus curabat ea, quæ in præsenti vita sunt; atque hæc ante legem, & gratiam. Qualem igitur habebimus nos excusationem, qui post tot annunciationes, & promissiones ineffabilium bonorum, inhiamus præsentibus,, vbique clari esse studemus, colligimúsque hæc omnia per auaritiam & rapinam? Quare igitur tantopere studes ea colligere, quæ non multò post hinc abripiendus hic relinques, & in hostium deuenient manus, tu autem pro his rationem, & pœnam dabis? Quantæ porrò est dementiæ aliis laborare, & te propterea pœnam dare? hæc S. Chrysost. Nimirum indigna suo regio animo, ac cælestibus inhiante reputabat Abraham, quæcunque in terris aut spectabilia, aut pretiosa haberentur. Possident quidem hæc bona, & iusti, & iniusti, sed affectu longè dispari, atque ad finem valde diuersum. Quod S. Prosper. *lib.* 2. *de vit. contemp. cap.* 13. hoc modo euoluit. Corporale bonū quando habent iniqui, ipsorum est præmium; quando habent iusti, non est eorum præmium, sed solatium. Item boni temporalis amissio fit exercitium iusti, & iniusti supplicium. Quia & iustus desiderio cæ-

D. Paulin. Ambire gratiam regis. Psalm. 33. Psalm. 76. Procopius. Contemptor mundi rex est apud Deum. S. Chrysost. Auaritia & ambitio Christianis indigna. S. Prosper. Temporalium vsus dispar a iustis, & iniustis.

A lestium captus, omnia temporalia siue habeat, siue amittat, omnino non sentit: & iniquus quod cum delectatione habet, sine dolore non perdit. hæc S. Prosper. Sed quid (ait Chrysost.) ea, quæ colligis, in hostium deuenient manus? An non suis quisque filiis plerunque reliquit hæredibus, quæ in vita collegerat? Vbi ergo sunt hostes, quibus miseri homines bona sua infinitis parta sudoribus relinquunt? Plane iidem hostes, qui & filij sunt. Numquid hostiles animos illi non gerunt filij, qui parentum bona deuorant, ac dissipant, nec tamen eorundem soluunt debita, nec legatas testamento eleemosynas erogant, nec animabus Dei veniam, ac misericordiam per opera pietatis, preces, missarúmque suffragia impetrare contendunt? O feritatem! ô barbariem! torquentur incendiis B purgantibus animæ parentum: at filij rident interea, lætantúrque fortasse in rebus pessimis.

Hostes defunctorum hæredes. Hæredes impij erga defunctos.

10. *Surrexit Abraham & adorauit, &c.*] Libenter acquiescunt Hethæi votis Patriarchæ: læti offerunt sepeliendæ Saræ sua quisque, selectissima sepulchra. Et quidem ingentis beneficij loco accipiunt, si tam admirabilis vir, quem principem Dei, ac regem appellant, illorum sepulchris condere sanctissimam vxorem velit. At quid Abrahā quæso tam officiosis hominibus reddidit? *Surrexit & adorauit filios Heth.* Pulchrè occurrit Procop. Licet ipsum (inquiens) confiterentur regem, non tamen erubuit illos adorare, qui forsitan impij erant; sed in hunc modum, dum se in terram vsque incuruat, ostendit, sicut supra commemo- C rauerat, se esse terram, & cinerem. sic ille. Abraham effertur ab Hethæis in summum laudationis fastigium: at ille in terram se deiicit, vel barbaros ipsos vti dominos, tanquam seruili obsequio prosequutus. Non patitur extolli vir humilis, imò & in altum efferri nescit: iuxta illud S. Ambros. *in* 17. *Luc.* Nihil excelsius humilitate, quæ tanquam superior nescit extolli; quia nemo id affectat, quod intra se iudicat. sic Ambros. Quid enim excelsius, quàm vt princeps Dei, aut rex apud Deum fuerit Abraham? Quò igitur laudibus hominum euchi potest, qui iam apud Deum regali pollet dignitate? Vicini Deo assident humiles; atque iccirco non habent quò vltra possint ascendere. *Deus enim humilia respicit, & alta a longè cognoscit.* Psal. 137. D Ad hæc vir sapientissimus humanæ laudationis gloriam suo in puluere, ac cinere, vt constantissime persistat, excipit: docens pariter, neminem arroganter efferendum, qui sui pulueris, ac cineris memor existat. Quid enim habet vnde superbiat puluis & cinis? Denique prudenter se geret, qui inter seculi honores ad memoriam suæ mortis, in qua nihil nisi puluis & cinis videbitur, sese demittet. Hoc idem S. Gregor. Iustino prætori Siciliæ ita consulit *Epist.* 2. Per omnipotentem Dominum rogo, in cuius tremendo iudicio nostrorū actuum posituri rationes sumus, vt eius respectum semper gloria vestra ante oculos habeat: quàm sit vita breuis, aspicite: ad quem ituri iudicem. cuncta E lucra hic relinquimus, & solas dispendiosorum lucrorum causas nobiscum ad iudicium deportamus. hæc Pontifex. In humum se deiicit vir humilis, ne leui superbiæ vento in altum rapiatur: facilè quippe honoris ambitio leuiculam mentem corripit, nisi propriæ conditionis, ac miseriæ, terreno, stabilique fundamento innitatur: quòd si aura isthæc hominem occupet, mirum est in quot, & quàm turpia illum dedecora contorqueat. In quam sententiam ita scribit S Prosper *lib.* 3. *de vit. cont. cap.* 10. Vanitas potiendi honoris auida simul, & nescia animorum leuium domina, malè funda-

Hethæi erga Abraham officiosi. Procop. Mira humilitas Abrahæ. Non patitur humilis extolli. S. Ambros. Humilitas excelsa nescit efferri. Vicini Deo humiles nequeunt ascendere. Psalm. 137. Nemo sui cōscius superbit. Inter honores memoria mortis. D. Gregor. Memoria diuini iudicij in morte. Excipiendus honor in humilitate. S. Prosper. Damna describuntur ambitionis.

tis

tis omnibus blanda, simulatio virtutum; anima vitiorum, fomes carnalium delectationum, licentiam vitiorum corroborat. Fastu ruinosæ ambitionis inflatos in dedecora præcipitat; sicut vacuam nauim tempestas in diuersa tumidis fluctibus iactat, aut in area leues ventus paleas raptat. hæc ille. Quod etiam ipsemet superbiæ pater non obscurè significauit, cum Dominum Iesum duxit in pinnaculum templi; addiditque: *Mitte te deorsum.* Matth. 4. Semper enim (adnotauit eo in loco S. Euseb. Emiss.) hi tales se deorsum mittunt, qui solas diuitias, gloriam, & dignitatem quærentes quotidie deteriores fiunt: his quidem diabolus quotidiè dicit, *mitte te deorsum.* sic Euseb. Superbus quippe in peius semper corruit.

Matth. 4.
Euseb. Emiss.

In peius semper corruit superbus.

11. Animaduerte verbum השתחוה *xachah*, quod hîc, & alibi vertitur *adorare*; propriè in extrema coniugatione positum, idem esse, atque *incuruare se, inclinare, & humiliare.* Nec enim Abrahã Deo debitam adorationem hic exhibuit hominibus, sed reuerentiam præstitit procumbendo in genua, aut solùm fortasse ceruices, & pectus inclinando, vt ciuili honore demissè incuruans se gratias haberet hominibus de se bene meritis. Ac deinde vt illos reddat beneuolos, velintque pro impetranda spelunca à principe Ephrone gratiam suam, atque omnem opem interponere: arrogantia quippe hominum animos exacerbat, atque obdurat: humilitas verò ac modestia, non eos modò conciliat, sed emollit, ac deuincit. Nimirum superbia (inquit S. Prosper, *lib. 3. de vita cont. cap. 8.*) virtutibus exarmat, quos semel inuaserit: ipsa quicquid in eis remanserit, quod vitiis possit obniti, ne contra se fortè conualescat, interimit. hæc ille pergregiè ad explicandam pestem & excidium, quod superbia importat in animam: ac si totus ab Orco excitus furiarum exercitus hominem adortus, arcem demum occupet, & omnia ferro, flammáque depopulatus quicquid boni intus deprehendit, aut depeculatur, aut trucidat: fit igitur anima exuta virtutibus prorsus indigna, in quam vlla deinceps Spiritus Sancti gratia subintret, sine qua stare non potest vlla virtus animæ. Contra verò humilitas, in quam ex alto Diuinæ bonitatis gratiæ certatim confluunt, virtutes in animam inducit, aut inuentas fouet, ac tuetur. Itaque Abraham obnixè contendit, vt speluncam vnam duplicem principis Ephronis obtineat. Hebr. dicitur מערת המכפלה *spelunca duplicitatis*, hoc est, *duplex.* Notus est ac frequens Hebraismus, poni abstractum pro concreto. Sed quare *duplex*? non omninò certum est: vero tamen simillius; quia vna erat spelunca interior intra alteram exteriorem, vt Hebræis placet: aut quia seorsum in ea locus erat pro virorum, & mulierum sepulchris; aut quia duplicem habebat ambitum. Procop. existimat cum Hebræis duas esse speluncas, ac duplici moro circumseptas. sic enim scribit speluncam duplicem, &c. Duo sunt promontoria, recessus duos cauernosos habentia: alter foris patet, alter introrsum versus est: duo sunt ambitus, alter qui continet, alter qui continetur. hæc ille. Qui etiam adiungit ad mysticum sensum: Duplex illa spelunca quodammodo repræsentauit nouum, & vetus testamentum, sub quodam quasi inuolucro. hæc ille. Sua propria Hethæi sepulchra offerebant, noluit Abraham, sed locum maluit, in quo noua conderet ipse sepulchra. Nihil enim antiquius ac potius esse consueuit viris iustis, quàm vt ab impiis, maximè verò infidelibus separentur, non modò interea dum viuunt, sed etiam mortui ac sepulti; quæ enim conuentio lucis ad tenebras,

Humilitas vincit animos.
S. Prosper.

Damna superbia describuntur.

Superbia virtutum exitium.

Virtutum conciliatrix humilitas.

Procopius.

Hethæorum sepulcra.

Ab impiis fugiendum.

Ben. Fernand. in Genes. tom. 2.

A & Christi Domini ad Belial?

12. *Respondit Ephron, &c.*] Admiror principis animum: non modò speluncam, quam vnam Patriarcha petierat, sed & totum agrum offert, & gratis, non pretio vendit. Rogat etiam Abrahamum, vt dignetur accipere, nec patitur ab illo se rogari. Tanta quippe vis erat in moribus, ac sanctitate vitæ Abrahami. Docet igitur Ephron viros sanctos, qualis erat Abraham, Principes Dei, Reges apud Deum nostris obsequiis inuitandos. Est enim (inquit S Paulin. *Epist.* 38.) Sanctorum præpotens aduocatio. Ob hoc enim misericors Dominus peccatoribus suis sanctorum notitiam, charitatémque procurat, & donat, vt etiam inexcusabiles reos præpotens aduocatio meritis damnationis absoluat. sic Paul. Cæterùm, nulla potentior & efficacior, apud Deum aduocatio est, quàm quæ fit à Virgine ipsius Dei genitrice: illa enim habetur, ac dicitur per excellentiam, Hominum Aduocatrix, quod nostri amantissimus Filius eius Iesus Dominus per illa verba, *Ecce Filius tuus, Ecce Mater tua,* de Cruce iam morti vicinus significare voluit, vt piè, ac pulchrè considerat S. Laur. Iust. *lib. de triumph. agon. cap.* 18. quasi dicat Dominus (ait:) Faciam prorsus vt omnes concurrant ad te, eritque nomen tuum honorabile in omni generatione & progenie. Nemo tui inuocatione spernetur, nullúsque deuotus tibi à me efficietur alienus. hæc Iostin. O præclarum & singulare beneficium! en quàm facilis homini, si velit, est animæ sempiterna salus! pietas vera, sincerâque in Virginem Dei Matrem ab ipso Deo illam eluceratur. Rectè idem Laur. *lib. 1. de Spir. resur.* colligit hanc sententiam: Venalis est illa beatitudo cœlestis, & tanti valet, quantum quis potest expendere. sic ille. At quis hominum quæso est, qui præstare non possit, modò velit, debita obsequia pietatis suauissimæ, ac pulcherrimæ Virgini Matri Dei, nomen illius dulcissimum fidenter, ac reuerenter implorare, salutationem suam Angelicam illi identidem offerre, ac demum (quod caput omnium est) ipsius modestiam, charitatémq; ac reliquas virtutum gratias admirari, prædicare, & omni studio, quoad fieri possit imitari? Pie igitur ac pulchrè S. Bernard. exclamat: O felix Maria: tu Mater Dei, tu Mater rei, tu Mater Iudicis, tu Mater exulis. Cum sis Mater vtriusque, sustine discordiam inter tuos filios, id est, Christum, & nos, &c. sic ille apud Pomarium, *lib. 1. p. 4. art. 1. cap. 2.* Et quid misero fieret reo, si Mater communis Iudicem Filium iratum fratrem non placaret, non conciliaret? Debetur igitur Virgini Matri à peccatoribus salutatio, cuius ope, cuius gratia stat, quod iam Diuinæ vindictæ (vt merentur) subiecti non disperent. Eam in cælo Angeli, beatique, vt Dominam, vt Reginam, vt Dei Matrem salutant, iuxta illud Apocal. *Adorauerunt Deum, mittentes coronas suas ante sedem Dei, & Agni.* cap. 4. Videlicet procumbũt cælites, positísq; de capite coronis seruos se profitentur coram beatissima Virgine, quæ vera sedes est Dei & Agni.

B

Mira vis sanctitatis Abraha.
Venerandi, & implorandi Sancti.
S. Paulin.
Potens aduocatio Sanctorum.

B. Maria aduocatrix hominum.
Ioann. 19.

S. Laur. Iust.
Honoranda & salutanda B. Maria.

C

Signum prædestinationis pietas in B. Mariam.
S. Laur. Iust.
Venalis beatitudo.

D

S. Bernard.
B. Maria mediatrix.

Debent peccatores Beatæ Mariæ quòd non pereant.

Apoc. 4.

E

13. Præterea princeps Ephron peregrinum & externum hominem nihil omnino in ea regione possidentem libenter beneficiis cumulat, vti nos misericordiam pauperibus impendere discamus. Magna enim (inquit Euseb. Emiss. *homil. in 2. fer. post 1. Domin. quadrag.*) reuerentia suscipiendi sunt pauperes Christi, cùm magna veneratione seruiendum est eis: siquidem Christus suscipitur, & honoratur in eis. hæc Euseb. O felix, qui apud Deum patronos habet pauperes! sic enim loquitur S. Paulin. *Epistol.* 30. vocans patronos animarum

Cum reuerentia suscipiendi pauperes.

Euseb. Emiss.

Vtilitas ex pauperibus.
S. Paulin.

nostrarum pauperes ; religiosa ouserandæ plebis examina , illos pietatis Diuinæ alumnos , &c. addit subinde : Facili via ad aurem Dei voces pauperum diriguntur. hæc Paulin. Porrò Abraham nulla ratione persuaderi potuit , vt gratis acciperet speluncam, agrúmue illius. Et quidem vir prudens nihil curat gratis accipere, quod pecunia potest emere : maiori quippe solet pretio vænire, quod gratis accipitur , cum accipiens libertatem vendat , & compedes accipiat , quibus perpetuò addictus est in obsequium dona conferentis : maximè , quia si vel tantulum quid erret acceptor, pudet dicere , quàm acerbis, & virulentis illum exprobrationibus perenniter dator impugnet! Ostenditur etiam Abrahæ prudentia, quòd agrum illum pecunia coemptum voluerit , ne suis deinde posteris , atque hæredibus occasio litium vlla relinqueretur ; facili enim negotio priuarentur agro, spelunca, & sepulchro , quæ gratis fuerant attributa , non pretio vendita. Ah miseri , atque imprudentes, qui patrimonia grauissimis onerata debitis, atque inextricabilibus intercepta litibus relinquunt filiis, vt animarum potius angores, quàm corporum alimenta suis hæredibus legare videantur ! Illud optimè animaduertit in hoc loco S. Paulin. cum illum pertractat *Epist.* 35. quod sic habet. Abraham humanitatis memor, non spreuit corporis curam propter animæ securitatem ; sed empto ad sepulchrum agro mortuam suam pretiosa sede composuit : docens pariter , quid sibi isti deberent homines prouidere , cum is , qui ad Dei verbum de terra patriæ cognationis exierat, nihílque præterea de peruagatis natione diuersa spatiis comparauerat, omnis terræ aduena, solum tamen agrum sepulchro, id est, non temporalem, sed æternam possessionem , nec terram auaritiæ, sed quietis emisset. hæc S. Paulin. In quibus & pietas Abrahæ in defunctæ vxoris sepeliendum, & honorandum corpus ostenditur, & admirabilis illa toties laudata rerum humanarum in terris despicientia, quæ in Patriarcha enituit, egregiè commendatur. Acquieuit tandem Ephron precibus, ac votis Abrahæ , ritúque solemniter omni obseruato agrum vendidit , pecuniámque accepit à Patriarcha.

Libertatem vendit, qui gratis quid accipit.

Hæreditas litibus plena.

S.Paulinus.

Pietas & mundi contemptus in Abraham.

A B C

14. Cæterùm adhuc nonnulla sunt commentario perstringenda. Primum est ; non emit Abraham sepulturam , sed locum illi extruendæ , quod licitum omnino semper fuit ; etsi princeps ille adeò religiosus extiterit, vt illicitum putaret, non sepulturam modò, sed agrum, in quo illa ædificaretur , pretio vendere. sic enim hac de re disserit S. Greg. *in regist. Epist.* 55. Dum Abrahã (inquiens) à filiis Emor , hoc est , Ephron filio Seor , sepulchri terram pretio ad humandum corpus coniugis postularet, prætium accipere renuit, ne commodum videretur de cadauere consecutus. Si ergo tantæ considerationis paganus vir fuit , tanto magis nos, qui sacerdotes sumus , hoc facere non debemus. hæc ille. Quare, vt omnem auaritiam cum insigni crudelitate (sunt enim authore S. Petr. Chrys. *homil. de diuite auaro*, ferrea viscera diuitum) coniunctam in simili euentu sanctissimus Pontifex prohibeat , ac detestetur , ita demum colligit: Peti igitur aliquid, aut exigi omnino prohibemus, quod valde irreligiosum est : ne aut venalis fortasse (quod absit) Ecclesia, aut nos de humanis videamur mortibus gratulari , si ex eorum cadaueribus studeamus quærere quolibet modo compendium. hæc S. Greg. Multi ad hunc locum de simonia disserunt. Sed qui volet amplius, videat Perer. & Delrio, qui studiosum ducent ad magistros con-

S.Gregor.

Non vendenda sepultura.

Crudelitas diuitum.

S.Pet. Chrys.

Iniquum de cadaueribus lucrum.

S.Gregor.

D E

A scientiæ. Non caret mysterio , quòd princeps iste ante venditum agrũ Ephron dicatur, posteà verò Ephran , vti S. Hieron. *de quæst. Hebr.* subnotauit. illud adiungens : *Et audiuit Abraham Ephron , & appendit Abraham argentum Ephran.* Postquam enim pretio victus est, vt sepulchrum venderet argento, licet cogeore Abrahã, *vau*, littera quæ apud Hebræos pro *o* legitur, ablata de eius nomine est: & pro Ephron appellatus est Ephran; significante scriptura non eum fuisse consummatæ, perfectæque virtutis, qui potuerit memorias vendere mortuorum. sic Hieron. qui egregie concludit. Sciant igitur qui sepulchra venditant, & non coguntur, vt accipiant pretium , sed a nolentibus quoque extorquent, immutari nomen suum, & perire quid B de merito eorum , cum etiam ille reprehendatur occultè , qui inuitus acceperit. hæc ille. Scilicet *o* virile quiddam , & grandiloquum sonat ; *a* verò fœmineum. Generosi enim , & prudentis viri est, non pretio vti erga defunctorum aut obsequia, aut suffragia ; qui nec sibi prodesse queunt , nec aliis externò aliquo signo gratiam rependere. Deinde qua mensura mensi fuerimus defunctorum fidelium animas , quæ in purgatorio nostras expetunt preces , ac pia opera , talem nobis post obitum posteri haud dubie remetientur. Animaduertant oportet studiosi nusquam legi in vulgata Ephran, sed vbique Ephron; ac fortasse ante puncta inuenta legebatur Ephran. Cæterùm demptio illa literæ *vau*, quam S. Hieron. subindicat , ex fon- C te constat Hebræo , vbi hæ verba ponuntur. וישקר אברהם לעפרן *Vaixquor Abrahã leghephron*, vbi *vau* littera deest , quam semper nomen ipsum retinuit עפרון. Aduerte insuper locũ sepulturæ non fieri sacrum, ita vt absque simonia vendi non possit, ex sola cadaueris illatione , sed ex ipsa consecratione, siue benedictione Ecclesiastica. Alterum , quod expendi solet ac debet , est de pretio agri. Enimuerò princeps (vt benè obseruat Procop.) cernens Abrahæ prudentiam, qui speluncam solam petebat, & agrum dedit , existimans liberaliter beneficia esse præstanda: at Abrahã pretium agri annumerat, ne postea aliqua controuersia inde suboriatur , & agri dominio deiiciatur. sic ille. Pretium constituit Ephron quadringentos siclos D argenti ; addítque, *sed quantum est hoc?* quasi dicat: Terra , de qua sermo est , tanto pretio æstimatur; verùm inter amicos , eósque diuites , de tantula summa quorsum est solicitudo , vt tu non nisi coemptam velis , vel ego non persistam gratis offerre? Ad exemplum, dictúmque istius(vt S. Gregor. vocauit) pagani pudeat Christianum hominem , aut cum amicis lucrari velle , aut erga defunctos auarum se crudelémque exhibere.

D.Hieron.

Gratis defuncto gratiam conferenda.

Commendatur pietas erga defunctorum animas

Procopius.

Non cum amicis , aut cũ defunctis lucrum quærendum.

15. Sed quid de pretio ipso locus est , in quo viri peritissimi multa dicunt : videas nulli hac in re secundum Delrio , qui tandem colligit , si de maiore siclo , seu statere , qui paulo plus, quàm quatuor regalia Hispanica appendit , præsens hic locus intelligatur , pretium huius agri stetisse re- E galium mille sexcentorum , & amplius aliquid. Lusitanè (*mais de sesenta e quatro mil rs.*) Tertio loco expenditur dictio illa Hebræa עבר *ghober*, à radice עבר *ghabar*, transire : sic enim appellatur hîc moneta , siue argentum transiens mercatori: noster sensum reddens vertit , *probatam monetam publicam*. Illa enim probata pecunia est, quæ transit, curritque, vt vulgus loquitur ; haud enim in mercatorum commerciis commeat moneta nisi probatissima. Quo etiam Hebraismo Cant. 5. dicitur *ghober*, myrrha transiens, quæ vertitur *probatissima*. Id quidem ad literam : veruntamen ad mysticum sensum,

D. Gregor.

Moneta transiens.

Cant. 5.

Fugax & infida pecunia.

A sensum, perquam appositè vocatur *pecunia*, vel *argentum transiens*: quid namque fugacius, quid inconstantius, quàm pecunia, quæ vnum dedignata dominum perenni quodam cursu ad hos, & illos transilit, instabili semper sede, & infido ministerio. Hæc illa est, quæ ad subruendam fidem, ipsúmque Deum negandum solet esse aptissimum instrumentum; quod in militibus Pilati sepulchrum Domini custodientibus, & in proditore Iuda visum est. Audi Chrysolog. *serm.76.* hac de re pereleganter disserentem. sic infit: *Pecuniam copiosam dederunt militibus.* Matth. 28. Iudæi crimina, aut malè emunt sua, aut detrahunt peius aliena, dũ peccata taxant pretio, dum pecunia pensant, & compensant delicta: dum in sceleribus suis fundunt, quod toto scelere congregauerunt. Sic Iudam comparant traditorem Domini sui, & pretio Redemptoris mundi sanguinem pensant. Sic aperó sepulchri fidem claudunt sacculo, vt negandæ resurrectionis crimen nummis criminum mercarentur. O Iudæe, quod tu in Iudæa obscurabas auro, fide toto claruit, & eluxit in mundo. hac S. Chrysolog. Denique de pecuniæ viribus illud satis mihi fuerit contra miserabilem seculi statum, quod apud M. Tullium *orat. 2, in Verrem* lego his verbis. Inueterauit iam opinio in iudiciis pecuniosum hominem, quamuis sit nocens, neminem posse damnari: nihil esse tam sanctum, quod non violari; nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit. sic ille. quod malum quotidie videmus, & dolemus. Fortè non vacat mysterio, quòd pecunia, siue argentum, Hebr. *chesepb*, primò ad

Pecunia contra Deum armat.

D. Chrysol.

Matth. 28.

Iudæi emuntur pecunia.

Iudæi nummo crimen mercantur. Resurrectio Christi mundo innotuit.

M. Tullius.

Pecunia omnium expugnatrix.

A hunc locum in scriptura nominatur, cum per illam ager, & spelunca ad sepulturam defunctæ mulieris impẽdi visa est. En ô auari, pecunia vestra viuis ad mortem effugiendam non proderit, ad sepulchra comparanda valebit. sed maiorem vim habet ad cælum ipsum coëmendum! *date & dabitur vobis: Date pauperibus pro Christi obsequio & amore terrestrem istam pecuniam, & mensura perfecta, & coagitata calestium bonorum dabitur in sinum vestrum.* Denique Abraham agrum illũ, & speluncam possedit iure ipso emptionis. Confirmatus

B ager dicitur. Hebr. *iaqam.* Surrexit. Videlicet extincto dominio Ephronis per venditionem de nouo surrexit in dominium Abrahæ; vel (vt docti asserunt) surgere in hac lingua ponitur pro confirmari. Vide Clar. & Delrio. Nec absurdè quis dixerit agrum, prædiũ, ac simile quid assurgere ad maiorem dignitatem, cũ dominum, herúmque assequitur, vitæ morúmque sanctitate nobiliorem. Contra verò vel ipsi agri, & res inanimes, quodammodo vilescunt ac dedecorantur, cum ab impiis, atque impuris acquiruntur, ac possidentur.

C Nota S. Stephanum *Act.7.* dicere sepulchrum hoc fuisse coemptum à filiis Hemor patris Sichem. Locus iste multos cruciat, sed erudiossimè à nostro Delrio explicatur. Igitur Abraham emit agrum à filiis Hemor, quorum maximus erat Ephron, cum quo celebrauit contractus solemnia, vnde illi tribuitur venditio. Porrò Hemor (erat quippe binominis) etiam dicebatur Seor. Hæc ex mente S. Greg. S. Hieron. Bedæ. Vide Delrio.

Pecunia non prohibet mortem.

Pecunia cælum emitur. Luc. 6.

Crescit honor agri, cum domino digniore.

Act. 7.

CAPVT VICESIMVMQVARTVM.

1. ERat autem Abraham senex, dierúmque multorum: & Dominus in cunctis benedixerat ei.

2. Dixitque ad seruum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus quæ habebat: Pone manum tuã subter femur meũ,

3. vt adiurem te per Dominum, Deum cæli & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito:

4. sed ad terram & cognationem meã proficiscaris, & inde accipias vxorem filio meo Isaac.

5. Respondit seruus: Si noluerit mulier venire mecum in terram hanc, numquid reducere debeo filium tuum ad locum, E de quo tu egressus es?

6. Dixitque Abraham: Caue nequando reducas filium meum illuc.

7. Dominus Deus cæli, qui tulit me de domo patris mei, & de terra natiuitatis meæ, qui locutus est mihi, & iurauit mihi, dicens: Semini tuo dabo terram hanc: ipse mittet Angelum suum coram te, & accipies inde vxorem filio meo:

8. sin autem mulier noluerit sequi te, non teneberis iuramento: filium meum tantùm ne reducas illuc.

9. Posuit ergo seruus manum sub fe- D more Abraham domini sui, & iurauit illi super sermone hoc.

10. Tulítque decem camelos de grege domini sui, & abiit, ex omnibus bonis eius portans secum, profectúsque perrexit in Mesopotamiam ad vrbem Nachor.

11. Cúmque camelos fecisset accumbere extra oppidum iuxta puteum aquæ vespere, tempore quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam, dixit:

12. Domine Deus domini mei Abraham, occurre, obsecro, mihi hodie, & fac misericordiam cum domino meo Abraham.

13. Ecce ego sto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius ciuitatis egredientur ad hauriendam aquam.

14. Igitur puella, cui ego dixero: Inclina hydriam tuam vt bibam: & illa respõderit, Bibe, quin & camelis tuis dabo potum: ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac: & per hoc intelligam quòd feceris misericordiam cum domino meo.

15. Necdum intra se verba compleuerat, & ecce Rebecca egrediebatur, filia Bathuel, filij Melchæ vxoris Nachor fratris Abrahã, habens hydriã in scapula sua:

16. puella decora nimis, virgóque pulcherrima, & incognita viro: descenderat

autem ad fontem,& impleuerat hydriam, A ac reuertebatur.

17. Occurrítque ei seruus, & ait: Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua.

18. Quæ respondit: Bibe domine mi, celeritérque deposuit hydriam super vlnam suam,& dedit ei potum.

19. Cúmque ille bibisset, adiecit: Quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant.

20. Effundénsque hydriam in canalibus, recurrit ad puteum vt hauriret aquã: B & haustam omnibus camelis dedit.

21. Ipse autem contemplabatur eam tacitus, scire volens vtrùm prosperum iter suum fecisset Dominus, an non.

22. Postquam autem biberunt cameli, protulit vir inaures aureas, appendentes siclos duos, & armillas totidem pondo siclorum decem.

23. Dixítque ad eam: Cuius es filia? indica mihi: est in domo patris tui locus ad manendum?

24. Quæ respõdit: Filia sum Bathuelis, filij Melchæ, quem peperit ipsi Nachor. C

25. Et addidit, dicens: Palearum quoque & fœni plurimum est apud nos,& locus spatiosus ad manendum.

26. Inclinauit se homo,& adorauit Dominum,

27. dicens: Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non abstulit misericordiam & veritatem suam à domino meo,& recto itinere me perduxit in domum fratris domini mei.

28. Cucurrit itaque puella, & nuntiauit in domum matris suæ omnia quæ audierat. D

29. Habebat autem Rebecca fratrem, nomine Laban, qui festinus egressus est ad hominem, vbi erat fons.

30 Cúmque vidisset inaures & armillas in manibus sororis suæ, & audisset cũcta verba referentis: Hæc locutus est mihi homo: venit ad virum, qui stabat iuxta camelos,& prope fontem aquæ:

31. dixítque ad eum: Ingredere, benedicte Domini: cur foris stas? præparaui domum,& locum camelis.

32. Et introduxit eum in hospitium: ac E destrauit camelos, deditque paleas & fœnum,& aquam ad lauandos pedes eius,& virorum qui venerant cum eo.

33. Et appositus est in conspectu eius panis. Qui ait: Nõ comedã, donec loquar sermones meos. Respondit ei: Loquere.

34. At ille: Seruus, inquit, Abrahã sum:

35. & Dominus benedixit domino meo valdè, magnificatúsque est: & dedit ei oues & boues, argentũ & aurum, seruos & ancillas, camelos & asinos.

36. Et peperit Sara vxor domini mei filium domino meo in senectute sua, dedítque illi omnia quæ habuerat.

37. Et adiurauit me dominus meus, dicens: Non accipies vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, in quorum terra habito:

38 sed ad domum patris mei perges, & de cognatione mea accipies vxorem filio meo.

39. Ego verò respondi domino meo: Quid si noluerit venire mecum mulier?

40. Dominus, ait, in cuius conspectu ambulo, mittet Angelum suum tecum,& diriget viam tuam: accipiésque vxorem filio meo de cognatione mea,& de domo patris mei.

41. Innocens eris à maledictione mea, cùm veneris ad propinquos meos, & non dederint tibi.

42. Veni ergò hodie ad fontem aquæ, & dixi: Domine Deus domini mei Abraham, si direxisti viam meam, in qua nunc ambulo,

43. ecce sto iuxta fontem aquæ,& virgo, quæ egredietur ad hauriendam aquã, audierit à me: Da mihi pauxillum aquæ ad bibendum ex hydria tua:

44. & dixerit mihi: Et tu bibe,& camelis tuis hauriam: ipsa est mulier quam præparauit Dominus filio domini mei.

45. Dúmque hæc tacitus mecum voluerem, apparuit Rebecca veniens cum hydria, quam portabat in scapula: descenditque ad fontem,& hausit aquam. Et aio ad eam: Da mihi paululum bibere.

46. Quæ festinans deposuit hydriam de humero,& dixit mihi: Et tu bibe,& camelis tuis tribuam potum. Bibi, & adaquauit camelos.

47. Interrogauíque eam, & dixi: Cuius es filia? Quæ respondit: Filia Bathuelis sum, filij Nachor, quem peperit ei Melcha. Suspendi itaque inaures ad ornandam faciem eius, & armillas posui in manibus eius.

48. Pronúsque adoraui Dominum, benedicẽs Domino Deo domini mei Abraham, qui perduxit me recto itinere, vt sumerem filiã fratris domini mei filio eius.

49. Quamobrem si facitis misericordiam & veritatem cum domino meo, indicate mihi: sin autem aliud placet,& hoc dicite mihi, vt vadam ad dexteram, siue ad sinistram.

50. Responderúntq; Laban & Bathuel: A Domino egressus est sermo: non possumos extra placitum eius quidquam aliud loqui tecum,

51. En Rebecca coram te est, tolle eam,

& proficiscere, & sit vxor filij domini tui, sicut locutus est Dominus.

52. Quod cùm audisset puer Abraham, procidens adorauit in terram Dominum.

53. Prolatisque vasis argenteis, & aureis, ac vestibus, dedit ea Rebeccæ pro munere, fratribus quoque eius & matri dona obtulit.

54. Inito conuiuio, vescentes pariter & bibentes manserunt ibi. Surgens autem manè, locutus est puer: Dimittite me, vt vadam ad dominum meum.

55. Responderúntque fratres eius & mater: Maneat puella saltem decem dies apud nos, & postea proficiscetur.

56. Nolite, ait, me retinere, quia Dominus direxit viam meam: dimittite me vt pergam ad dominum meum.

57. Et dixerunt: Vocemus puellam, & quæramus ipsius voluntatem.

58. Cumque vocata venisset, sciscitati sunt: Vis ire cum homine isto? Quæ ait: Vadam.

59. Dimiserunt ergo eam, & nutricem illius, seruúmque Abrahã, & comites eius,

60. imprecantes prospera sorori suæ, atque dicentes: Soror nostra es, crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum.

61. Igitur Rebecca & puellæ illius, ascẽsis camelis, secutæ sunt virum: qui festinus reuertebatur ad dominum suum.

62. Eo autem tempore deambulabat Isaac per viam quæ ducit ad puteum, cuius nomen est Viuentis & videntis: habitabat enim in terra australi:

63. & egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinata iam die: cúmque eleuasset oculos, vidit camelos veniẽtes procul.

64. Rebecca quoque, conspecto Isaac, descendit de camelo.

65. & ait ad puerum: Quis est ille homo qui venit per agrum in occursum nobis? Dixitque ei: Ipse est dominus meus. At illa tollens citò pallium, operuit se.

66. Seruus autem cuncta quæ gesserat, narrauit Isaac.

67. Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ, & accepit eam vxorem: & in tantum dilexit eam, vt dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret.

SECTIO PRIMA.

Erat autem Abraham senex, dierúmque multorum: & Dominus in cunctis benedixerat ei, &c. vsq; ad *sermone hoc.*

1. EBR. ואברהם זקן בא בימים *Veabraham zaqen bà baiamim.* Et Abraham senex venit in dies. Describitur ætas Abrahæ, qui centesimum tricesimum septimũ agebat annum, cum Sara mortua est, quæ fuerat marito decem annis iunior. Isaac autem triginta annorum erat iam coniugio satis maturus. Venerat igitur Abraham senex iam in dies, proximúsque morti videbatur. Nam venire in dies, Hebraismus est, quo summa declaratur senectus. Quasi dicatur: Abraham erat in extrema senectute. Nihilominùs cum hoc loco primùm hæc verba ponantur: *Senex multorum dierum*, aut, *senex venit in dies*: existimat Rupert. aliquod hic latere mysterium. sic enim ait. Mihi hoc non vulgari more propter ætatis prolixitatem dictum esse videtur: *Erat senex, dierúmque multorum.* Quippe cum de illis, qui ante eum fuerunt, alij triplos, alij quadruplos, imò & nonnulli septuplos, ætatis eius dies habentes nihil tale dictum sit. Ergo *senex, dierúmque multorum*, id est perfectæ fidei, multorúmque operum bonorum. hæc Rupert. Habuit Abraham vitam virtutum luminibus irradiantem, operáque solarem quendam fulgorem emittentia, in quibus nihil tenebrosum, aut sordidum reperiebatur, vti decebat hominem, qui cum Deo agebat familiariter. Etenim ad eos, quorum vitæ ratio ad pertractanda cælestia, & diuina studiosè intenta est, dicitur à Domino, *Lauamini, mundi estote.* Isaiæ 1. ad quæ verba sic eloquitur S. Gregor. Nyss. *de vita Moys.* Ad speculationem Dei, non animi tantùm, & corporis aspersionibus quibusdam depurgati, sed & vestium quoque deducit mundities, vt scilicet non occulta solùm, verùm etiam manifesta & apparentia decora, ita fiant, vt interiori animi dispositioni conueniant. Non enim vestium macula, ne ad Deum ascendamus, vsquam vetabit, sed studia quæ in hac vita suscipimus, quasi vestes sunt, quibus homo induitur. Hæc studia, & hos amictus purissimos esse oportet. hæc Nyss. Sic operibus splendidi, corpore, & animo puri ad Deum accedimus. Et quidem perbellè dicitur Hebr. בא בימים *bà baiamim*, venit in dies vir ille fide plenus, ac pater fidelium, venit in multa opera bona, vel in magnam lucem, famam, atque honorem, seu veriùs, sanctitatem, per dies significatam. Vbi enim (inquit S. Prosper *lib. 1. de vita contempl. cap. 6.*) per fidem benè viuendo proficimus, bonorum operum quodammodo passibus ambulamus, iuxta Paul. 2. *Cor.* 5. hæc ille. Locus autem Apostoli sic habet: *Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, & non per speciem.* vbi S. Hieron. ita commentatur. *Peregrinamur*, quia adhuc non sumus in hæreditate paterna. Vt peregrini ergo non debemus de huius seculi rebus magnoperè curare, sed necessariis contenti, desiderium omne, & studium perueniendi ad patriam habeamus, quia fide adhuc speramus, & nondum specie possidemus. hæc S. Hieron. Porrò illis verbis Apostolus contendit fideles ea tempestate pro Christi fide in extrema omnia pericula adductos, & consolari, & ad mortem vsque alacriter subeundam obarmare. *Audemus enim* (adiungit Paulin.) *& bonam voluntatem habemus magis peregrinari à Domino, & præsentes*

Primus Abraham senex dicitur.

Rupertus.

Abrahe vita prælucida.

Isaiæ 1.

S. Greg. Nyss.

Munditiës interior & exterior in seruis Dei.

Operibus vti vestibus induimur.

Bonis operibus itur ad Deum.

S. Prosper.

2. Cor. 5.

S. Hieron.

Viui peregrinamur ad Patriam cælestem.

D. Chrysost.
Tyrāni martyribus summa bona præstant.

esse apud Dominum. Nimirum (exponit S. Chrysost.) fidentem animam præbe cum obtruncaris: neque enim inimicus dumtaxat te à corruptione vendicat, ac grauissarcina leuat; sed etiam ad Dominum confestim transmittit. Vides quo pacto molesta illa, & odiosa, mortis, obitúsque vocabula reticens, alia perquàm iucunda, & suauia in eorum vicem substituerit, præsentiam nimirum ad Dominum ea nuncupans: ac rursus prætermissis illis vocabulis, quæ iucunditatis speciem habere videbantur, hoc est vita, à molestiis, & acerbis ea nominauerit, peregrinationem videlicet à Domino vitam hanc appellans. hæc S. Chrysost.

2. Itaque duo conatur Apostolus, tum vitam insuauem molestámque, & facile contemnendam ostendere; tum mortem periucundam, & viro expetendam demõstrare. Hoc porrò (addit S. Chrys.) eo consilio fecit, ne quisquam in hac vita libenter immoretur, sed eam potiùs grauiter & iniquo animo ferat. Nec rursus ex hac vita decessurus vehementiùs perturbetur, sed potiùs eo nomine lætetur, veluti ad maiora proficiscens. sic Chrysost. Per fidem ambulamus, quia fides docet, nihil in terra, neque in cælo post Deum stabile, constans, & requietum, sed omnia perpetuò circunuolui; quod vel ipsa mundi constitutio euidenter contestatur, vt quidam egregiè apud Tertullianum *libr. suo de Trinit. cap.* 8. scripsit, cum Ezechielis quadriga varietatem creaturarum significatam intelligeret. vbi hæc adiicit: Et rotæ subiacent, tempora scilicet, quibus omnia semper mundi membra voluuntur, talibus pedibus adiectis, quibus non in perpetuum stant ista, sed transeunt; sed & per omnes ortus stellata sunt oculis: Dei enim opera peruigili obtutu contemplanda sunt, in quorum sinu carbonum medius est ignis, quoniam ad igneum diem iudicij mundus iste festinat. sic ille. Itaque vel mundus suam nobis inconstantiam, & fugacitatem inclamat; & stellarum orbes velut oculati nos edocent, vt attentis oculis inspiciamus vniuersam mundi rotam irrequietis motibus agitari, vt nostra spes, fiducia, & amor, in creaturis extra Deum hærere, & consistere non conetur. Nam cum mundi statu volubili pariter circunuoluimur, & flammanti astrorum luce admonemur diem fore iudicij, ad quem properamus, & in quo omnia opera & abscondita etiam cordium, quasi in meridie patefient. Aut hoc signum, & documentum non in fulgore syderum, sed in sphæra ignis, quæ ad motum cæli rapitur, autor ille voluit collocari. Per fidem ambulamus, & peregrinamur in terra, & purificamur ab omnibus illius sordibus, quibus polluuntur, qui morantur in terra, & terrenis incubant, inhiantque. *Fide* enim (vt scribitur *Actor.* 15.) *mundat corda Domino.* Fides autem (inquit S. Aug. *tract. 68. in Ioan.*) eorum, qui Deum visuri sunt, quandiu peregrinantur, corda mundantur; quod non videt, credit: credenti colligitur meritum, videnti redditur præmium. Eat ergo Dominus, & paret locum; eat ne videatur: lateat vt credatur. Tunc enim locus paratur, si ex fide viuatur; creditus desideretur, vt desideratus habeatur; desiderium delectationis præparatio est mansionis. Ita Domine; para, quod paras, quoniam locum paras, & tibi in nobis, & te in nobis. hæc S. Aug. O quis per fidem sic ambularet, desideriis perueniendi ad Dominum suum, quem vnicè diligit, ac desiderat! Ambulandum in terra est, non in ea manendum, non quiescendum. est enim locus non quietis, sed peregrinationis; quod argumentum pertractans idem S. Aug. *lib. de pœnit.* sic ait. In quantacunque temporali felicitate versemur, pœnitere tamen nos debet huius vitæ, vt ad illam incorruptionem tota auiditate curramus. Quandiu enim sumus in corpore, peregrinamur à Domino: per fidem ambulamus. Quis ergo festinat, atque optat ad patriam remeare, & illam speciem, quæ est facie ad faciem contemplari, nisi quem peregrinationis suæ pœnituerit? Ex quo dolore pœnitentiæ etiam vox illa miserabilis erumpit. *Heu me, quoniam peregrinatio mea longinqua facta est!* Psal. 119. hæc Aug. Itaque peregrinus in hac vita Domini speciem indesinenter suspirans iam ardenter amat, quem videre sperat; videbit, & affluet, & amando, & videndo satiabitur quidem, sed non fastidiet. Qua de re præclarè disserit idem Aug. *serm. de verbis Apostol.* ad hũc modum. In istis temporalibus rebus iucunditatem non Domini, sed seculi, nonnullam multi amant, & ad ea quæ amant, nondum peruenerunt: & tamen ardor in spe currit, rem nondum tenet. v. g. amas pecuniam: non amares, si non sperares; amas vxorem nondum ductam, sed adhuc ducendam; & fortè ducenda amatur, ducta odio habetur. sic August. Et quidem vsu qootidiano id compertum est. Multæ scilicet nuptiæ, quas vehementissimus amborum coniugum amor contraxit, repente in acerbissima odia, & diuortia, quin etiam truculentissimas cædes desinunt.

D. Chrysost.
Libenter à vita decedendum.

Tertul.

Inconstantia mundi.

Monemur de die iudicij.

Terra sordes adhærent quiescenti

Actor. 15.
S. August.
Fide mundamur.

Fides, & spes preparant ad visionẽ Dei.

Desideriis ad Deum itur.

S. August.
In terra non quiescendum.

Psalm. 119.
Beatitudo satiat sine fastidio.

D. August.
Bona mundi obtenta fastidio sunt.

Coniugum amor, & odium.

3. Quid plura? *Amnon adamauit Thamar speciosissimam, ita vt deperiret eam, & propter amorem eius ægrotaret: tandem præualens viribus oppressit eam, & cubauit cum ea, & exosam eam habuit Amnon odio magno nimis, ita vt maius esset odium, quo oderat eam, amore, quo antè dilexerat.* ita scribitur 2. Reg. 13. Cæterùm causa nulla melior assignari potest huiusce mutationis, quàm quæ subiungitur à D. Aug. ad confirmandum exemplum ducendæ, ac ductæ vxoris. sic enim effatur. Quare hoc? quia non talis apparuit ducta, qualis ab animo pingebatur ducenda. Deus autem non vilescit præsens; amatur absens. Quantumcunque enim tibi mens humana exaggerauit bonum, quod Deus est, minus agit, & valde infra est. Et necesse est plus inueniat adeptio, quàm formabat cogitatio. Plus ergo amabimus cum videbimus, si potuimus amare & antequam videremus. hæc S. Aug. Sic habet carnis voluptas (vt quodcunque aliud mundi bonum) non possessa desideratur, obtenta vilescit, quia apparet, quàm vilis, sordida, & fugatilis est. Quod expertus Amnon cum puella, quam deperierat, voluptatem ipsam carnis pariter execratus dixit famulo: *Ejice a me hanc foras, & claude ostium post eam.* 1. Reg. 13. Id quidem fecit vi doloris, & pœnitentiæ ob stuprum, & incestum commissum; vehementiorque fuit dolor post peccatum, quàm fuerat amor ad peccandum incendens. Atque idcircò Dauid in tanta criminis atrocitate nihil neque fecit, neque dixit. Quia (inquit Bachiar.) vidit illum citò ad pœnitentiam rediisse. *Epistol. de recip. lapsis.* Ita verò dulcis est hæc doctrina, vt eam identidem repetere mens auida studeat: quocirca eandem sic inculcat S. Prosper, *lib. sent. ex S. Aug.* Inter temporalia atque æterna hoc interest: quòd temporale aliquid plus diligitur, antequam habeatur, vilescit autem cum aduenit. *Non* enim satiat animam, nisi incorruptibilis gaudij vera, & certa æternitas. Æternum verò ardentiùs diligitur adeptum, quàm desideratum. Nemo enim plus de illo existimat, quàm se habet, vt fiat vilius, quia speratum est amplius. Sed tanta ibi est excellentia, vt multò plus adepta sit charitas, quàm

2. Reg. 13.

S. August.
Bona mundi non talia sunt, qualia putantur.

Non eadem rerum est adeptio & cogitatio.

Amnon quod amauit, cito & grauiter doluit.
1. Reg. 13.

Bachiar.

S. Prosper.
Disparitas inter bona temporalia, & æterna.

In cælo satietas cum desiderio.

quam vel fides credit, vel ſpes deſiderat. hæc S. Proſper. Satiabitur quidem mens beata contemplans Dei ſpeciem, ſed per eam (vt innuit Apoſtolus) adhuc ambulabit, quia ſemper auidiſſime deſiderabit intueri ſpeciem Dei. quam ſemper videbit: nec enim viſio erit ſine deſiderio, nec deſiderium ſine viſione: quemadmodum & fames cum ſatietate, & ſatietas cum fame ſummorum bonorum erit. Hanc doctrinam aut neſciunt, aut neſcire volunt, & odio habent amatores huius ſeculi, quibus præter terram nihil ſpecioſum, aut iucundum videtur. Terra iſti dicuntur in Euangelio (inquit S. Euſeb. Emiſſ. *ſer. 4. poſt Domin. 1. Quadrag.*) quia cæleſtium obliti, ſola terrena, & tranſitoria quærunt. Terra quidem ſpinoſa & petroſa, in qua verbi Dei ſemen creſcere, & fructificare non poteſt. Impia gens pœnitere neſcit, ſed quotidie ſe ipſa deterior fit. ſic ille. Sed quid eſt, quòd ſenex, dierúmque multorum dicatur Abraham, cum tamen deinceps vixerit triginta & octo annos, mortuus nimirum fuerit ætatis anno centeſimo ſeptuageſimo quinto? Suſpicor Abraham in extrema illa ſenectute, quæ (ſi naturam ſpectes) vicina morti erat, ſingulari beneficio Dei, noua quadam viuacitate præditum fuiſſe: & nouum quendam iuuentutis florem, ac vigorem induiſſe cùm filium chariſſimum vidit ſuis oculis pulcherrimæ, ſanctiſſimæque Rebeccæ coniugio diuinitus potitum. Ac fortaſſe, quia tantum contraxit dolorem ex oblatione filij in holocauſtum; iccircò ex Domini infinita clementia tandiu vixit, vt plures annos poſt illud ſacrificium filio ſuperſtite amantiſſimus pater frueretur, quàm illum ante poſſediſſet. Sic enim largior eſt Dominus in conſolationibus. Sic enim quotidie videmus religioſorum filiorum parentes proſperiorem vitam ducere, poſtquàm illos Diuino famulatui conſecrarunt, quam antea, cum domi ſecum in deliciis habuiſſent.

Mundani ſolam terram æſtimant.

Euſeb. Emiſſ.

Obſtinatio in malo.

Viuida virtus Abrahæ ſenis.

Abraham filio potitus multos annos.

4. *Dixitque ad ſeruum, &c.*] Deus omnipotens ſeruum ſuum omni bonorum ſpiritualium, ac terrenorum affluentia cumulauerat. Proſper ille in cunctis, ac fœlix ſemper ad eam vſque ætatem proceſſerat: deerat tamen hoc vnum; vti nimirum prudens, ſanctuſque pater filio vnico ex Sara coniuge, non minus ſancto, quàm dilecto parentibus honeſtiſſimum, & decentiſſimum coniugium prouideret. In quo etiam admirabilis commendatur modeſtia, & caſtitas Iſaac: Ita enim (inquit Rupert.) iuuentutis petulantiam ſupergreſſus eſt, vt illam expectaret coniugem, quam Deus daret, non quam concupiſcentibus oculis ipſe cum dote magna rapuiſſet. ſic Rupert. Proprium hoc eſt parentum, vt maturo tempore antequàm è vita decedant, filios in ſtatu debito collocent, maximè filias, quarum pudicitia poſt obitum parentum valde ſolet periclitari: nec illæ ſi tunc nubant, tam decenter, atque vtiliter locari conſueſcunt, quàm ſi à parentibus adhuc viuis locarentur. Non eſt autem hoc negotium propriè filiorum: à parentibus illi paratum, & inſtructum ſuſcipiant matrimonium; quod etiam non obſcurè edocemur in parabola illa, de qua Matth. 22. *Simile factum eſt regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo.* Ne ipſe quidem princeps regis filius, regnique hæres ſuum eſſe putauit, nuptias ſibi facere: ſed rex pater filio nuptias fecit. Quàm verò abſurdum, & inuerecundum erit, ſi filia quæcunque parentibus inſciis, ac repugnantibus ſibi ipſamet virum quærat, & nuptias comparet? At quis rex pater, quis filius, cui nuptiæ fiunt? Rex iſte (reſpondet S. Hieron.) Deus omnipotens eſt; facit autem nuptias Domino noſtro Ieſu Chriſto, & Eccleſiæ. ſic Hieron. Similis eſt omnium Doctorum explicatus. Quòd ſi nec Dei Filius, ipſamet ſapientia Patris non ſcribitur facere nuptias, ſed hoc munus proprium Patris eſt, & ab eo geritur: quid quæſo ſibi vult hæc tam veſana, & tam quotidiana temeritas, & ſtulta (vt ita dicam) inuerecundia filiorum; atque (quod pudet dicere) filiarum, qui quotidie inſciis, & fortaſſe omnino reſtitantibus, atque eiulantibus parentibus matrimonia ipſi ſibi, prout non ratio, ſed cæca, & præceps libido præſcribit, moliuntur, atque perficiunt? Hinc profectò eſt, quòd indecora infauſtáque, & tandem exitialia quotidie fieri matrimonia videmus. Optimè Æternus Pater Filio ſuo nuptias fecit. Sponſam illi adiunxit, omnium ſcilicet gentium Eccleſiam, vt S. Hieron. Gregor. aliíque omnes interpretantur; ex qua Sponſus innumerabilem ſuſcepit ſobolem fidelium, & ſanctorum, quibus terra, cælique replentur. Tam puras verò, ac pulchras, regalíque maieſtate dignas Filio ſuo Rex Pater nuptias fecit, vt vel vnum qui auſus fuerit ſubintrare, non veſtitus veſte nuptiali, cum probris, & maledictis inde proiecerit, ac tenebroſo carceri addixerit. Sed heu miſeros nos, quorum vita, moréſque hac veſte damnantur! bene clamat Apoſtolus: *Expoliate vos veterem hominem cum actibus ſuis.* Ad Coloſſ. 3. Veſtimenta (exponit S. Chryſoſt. *homil. 41. in Matth.*) veteris hominis ſunt pannoſa, & ſordida opera carnis. Quemadmodum ergo ſi, cùm aliquis cum nigris veſtimentis inueniatur in nuptiis, ſordidat gloriam nuptiarum: ita & qui opera habet tenebroſa, & inter Chriſtianos, quaſi vnus ex eis conuerſatur, ipſi Chriſtianitati facit iniuriam. Homo itaque aut ſecundùm locum eligat veſtem, aut ſecundùm veſtem eligat locum; id eſt, aut ſecundùm opera eligat profeſſionem, aut ſecundùm profeſſionem faciat opera. Qui vult eſſe Chriſti, faciat opera Chriſti; qui autem non vult facere opera Chriſti, non veniat ad Chriſtum. hæc S. Chryſoſt. Cum indigna hiſce Dei nuptiis, Eccleſia videlicet Chriſtiana, ſint & tenebroſa & indecora, & ſordida, & inuerecunda, & execranda omnia vitia, quibus malè, turpitérque induimur: maximè verò talia ſunt (vt loquitur S. Chryſoſt.) opera ipſa carnis, turpitudo libidinum: hoc cæno vti abundantiore, ſic fœtidiore, magiſque deteſtando Chriſtianæ gentis regia nobilitas mirum in modum dedecoratur

Rupertus.

Iſaac non quærit coniugem, ſed à Deo expectat.

Locanda filia à viuis parentibus.

Matth. 22.

D. Hieron.

Coniugia filiorum fiant à parentibus.

Verbi incarnatio fit ab Æterno Patre.

Honoranda Verbi incarnatio à piis & ſanctis fidelibus.

ad Coloſſ. 3.

D. Chryſoſt.

Chriſtiana vita digna Chriſto.

Chriſtiano maximè indigna libido.

5. Sed quiſnam obſecro nuptiarum huiuſmodi thalamus à Deo Patre paratus, inſtructúſque Filio ſuo eſt? Reſpondet S. Gregor. *homil. ad hunc locum.* Vterus Genitricis Virginis huius ſponſi thalamus fuit. ſic ille. Talem Deus Pater ſuo Filio matrem elegit, talem fecit, ac perfecit, quæ (vt loquitur S. Cyprian. *de laudibus Virg.*) eſt cælum, templum, thronus Dei. Quæ ſecundum S. Ioan. Damaſc. *orat. de Virg. natiu.* donum eſt omnium donorum præſtantiſſimum Maria Virgo, quæ ſola Creatore digna erat, virum cælum cælis ipſis latius. ſic ille. Hanc Pater Filio ſuo, iam ab ipſo æternitatis ſigno matrem præparauit, vtique primam inter electos, ac prædeſtinatos poſt Filium ſuum hominem Deum, electam, ac prædeſtinatam. Illius vox eſt, vti ab Eccleſia veriſſimè, ac ſanctiſſimè accommodatur: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarũ, ab æterno ordinata ſum.* Prouer. 8. *Ab initio & ante ſecula creata ſum.* Eccl. 24. Hinc meritò Virginem loquentem inducit Rupert. *ad cap. 2. Cant.* hiſce verbis: Priuſquam naſceret, Deo præſens aderam, antequam fierem, bene illi cognita

D. Gregor.

B. Maria Deo Filio digna Mater.

S. Cyprian.

S. Io. Damaſ.

B. Maria prædeſtinatarum creaturarum prima.

Prouerb. 8.

Eccleſ. 24.

Rupertus.

gnita fuetam. Elegit me ante mundi constitutionem, vt essem sancta, & immaculata in conspectu eius in charitate. Et si *deliciæ eius esse cum filiis hominum*, Prouerb 8. quanto magis deliciabatur cum ista ancilla Domini, miraculo cunctorum filiorum hominum? hæc Rupert. Pulchre ac verè dictum de Virgine Matre Dei miraculum cunctorum filiorum hominum. Sed pulchriùs, nec minùs certum; miraculum omnium creaturarum. Imò vti dicitur à S. Ioan. Damasc *serm. 1. de natiuit. Virg.* miraculorum abyssus, & miraculorum officina. Dixit aotem, vt vidimus Prouerb. 8. *Ab æterno ordinata sum*: vt ordo quidam admirabilis in prædestinatione Virginis esse intelligatur. In primis enim à Deo prædestinata est, vt esset Mater Dei hominis venturi in mundum: ac deinde, in tantam gratiam, & gloriam, quanta decebat maiestatem incomprehensibilem Matris Dei, quæ supra omne, quod infra Deum aut esse, aut fingi potest, sanctitatem, & gloriam obtinet. Nam ex eo, quod Dei Mater est, tota illa opulentissima gratiarum omnium naturalium, & supernaturalium supellex, veluti dos Deiparæ Virgini attributa esse cognoscitur. Multi hoc de argumento piè, atque eruditè scripserunt. Videas Euerard. in sua centuria, nostros Barrad. *tom. 1. Concord. lib. 6. cap. 4.* Soar. *tom 2. in 3. p. q. 27. art. 1. disput. 1. sect. 1. & 3.* Totum igitur negotium parandi, atque instruendi coniugium filiorum non ipsis incumbit, sed propriè penes est curam, sollicitudinem, prudentiam, ac prouidentiam parentum. Elegit Abraham ad hoc munus seruum omnium, quos habebat, fidelissimum; vt & tu (animaduertit optime S. Ambros.) Ita instituas seruulos, vt liberis tuis paternum affectum deferant, officia exequantur. sic Ambros. *lib. 1. de Abraham. cap. 9.* Exemplo quidem vitæ, institutione doctrinæ, pietatéque curandi, & prouidendi à patrefamilias, boni, ac fideles parantur serui, quibus nihil in patrimonio ditius, ac felicius post mortem liberis suis relinquat. Elegit præterea seruum seniorem: & quidem percommodè. Inuentus est (inquit S. Ambros.) de seruulis, senior tamen, qui ad vxorem prouidendam domino iuniori eligeretur. ita S. Ambros. In senibus prudentia; & iccirco senes, non iuuenes ad regendum sunt eligendi, qualis hic senior, qui præerat omnibus, quæ habebat Abraham. Rectè in hanc sententiam ita scribit S. Hildebert. *Epist. 12.* Ætas integra postulatur; vnde nec periculum religio metuat, nec reuerentiam dignitas amittat. Christus Ioannem supra Petrum dilexit: Petro tamen, non Ioanni concessa est potestas ligandi, & soluendi. Nam coram discipulis offendiculum ponere noluit; nec maioribus anteponere iuuenem; quamuis eum prærogatiua castitatis sibi præ cæteris fecerat familiarem. Detulit igitur ætati non meritis; nec prætulit coniugatum virgini, sed prouectiorem iuniori. hæc S. Hildebert. Aduerte hic tamen omnem plenitudinem potestatis, atque adeò ligandi, atque soluendi omnibus Apostolis à Christo Domino immediatè esse concessam. Omnibus enim dictum est: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Soli tamen Petro donatum esse, vt reliquis Apostolis esset superior, & caput Ecclesiæ post Christum; illámque plenitudinem potestatis soli Petro concessam ordinariam, vt in illo, & in illius legitimis successoribus, vsque ad finem mundi resideret. quod tamen priuilegium nulli ex Apostolis datum est. Ac secundum hanc doctrinam, quæ vera est in fide Catholica, locutum intellige S. Hildebert.

B. Maria deliciæ Dei.
Prouerb. 8.
B. Maria miraculum omnium creaturarum.
S. Io. Damasc.
B. Maria miraculorum officina.
Abundantia gratia.
S. Ambros.
Heros bonos seruos faciat.
Boni serui egregium patrimonium sunt.
S. Ambros.
Senes ad regendum eligendi.
S. Hildebert.
Petrus quia senior, non Ioannes electus à Christo in Papã.
Quæ potestas Petro supra Apostolos.

6. *Pone manum tuam, &c.*] Vt negotium de quærenda nuru prudentissimus vir, & religiosiùs, & sanctius famulo suo commendaret, hominem solenni quodam iureiurando adstringit. Sed vti formam illius rectè intelligas, aduerte nomen Hebræum ירך *iarach*, esse idem atque *femur, latus, pedem, hastile*. Sunt qui dicant propriè significare hastile, per metaphoram autem femur, pedem, & latus. Certum est autem non significari hoc nomine *iarach*, membrum virile, quod non bene Gennad. & Procop. cum nonnullis Rabbinorum arbitrati sunt. Itaque iussu Abrahæ seruus iuratus per Deum cæli, ac terræ Creatorem, & Rectorem, quem Patriarcha colebat, posuit manum suam sub femore, siue sub coxa illius, qui sedebat. Pudor est dicere quod aliqui fingunt, suppositam manum serui membro virili Abrahæ fuisse. Iampridem obseruatum habeo Rabbinica commenta impuritatibus esse respersa. Sed quorsum iste ritus ad iusiurandum? An quia pars hæc totius corporis est firmissima, velut columna, in qua illud innititur; atque iccirco firmitatem significat, quæ summè necessaria est iuramento: quasi dicat Abraham: Pone manum tuam sub femore meo, id est ostende signum firmitatis iuramenti ponendo manum tuam in parte firmiori corporis mei, scilicet, sub femore. Hæc explicatio est Abenezrah, Oleastri, Lyppomani; quam ego rationem libenter amplecterer, nisi patrum antiquorum longè diuersa alia esset vnanimi testimonio comprobata. Nimirùm, vt loquitur S. Ambros. per femur generationem intelligimus; generatio autẽ Christus est. sic Ambros. Femur (inquit S. August. *serm. 75. de tempor.*) seruus tangebat, & per Deum cæli, & terræ iurabat. Hoc fieri Abraham imperabat, quia prophetico spiritu repletus nouerat de semine suo Christum cæli, & terræ Dominum nasciturum. sic August. Manum (ait S. Gregor.) sub femore iubet ponere, quia per membrum illud descensura fuit caro illius, qui filius Abrahæ esset ex humanitate, & Dominus eius ex Diuinitate. Quasi dicat: Tange filium meũ, & iura per Deum meum. Vnde non super femur, sed sub femore manum ponere iussit, quia inde fuerat ille descensurus, qui homo quidem, sed super omnes homines veniret: nulla siquidem caro super illam carnem est, quam in redemptionem nostram sibi Patris Vnigenitus vniuit. hæc S. Gregor. *in Catena Lyppoman.* Hæc ratio affertur etiam à S. Hieron. *in trad. Hebr.* S. Cyrill Glossa Græca, & à cæteris Patribus communiter. Cæterùm non intelligit S. Gregor. descensurum Christum ex femore Abrahæ, quòd adhuc aliquis inde filius Patriarchæ nasciturus esset, ex quo Christus Dominus descensurus: sed quia (vt subnotauit S. Chrysost.) hinc principium natiuitatis Isaac fuerat, de cuius coniugio nunc agebatur, &c. At in Isaac promissum sæpiùs est illud semen benedictum. Deinde non præuidetur, atque illo signo prædicitur Christus nasciturus per generationem ex femore, seminéque virili, quippe qui ex purissima, summéque intemerata Virgine Matre, sine vllius viri opere conceptus, natúsque est: sed quia Virgo Mater, de qua Deus homo editus, ex connubio viri, ac mulieris per naturalem generationem nata fuit; in qua tamen, sic omnis abfuit libidinis ardor, vt tantum non Virgo ex virginibus esse credatur; atque iccircò ex parentibus in summa senectute semper infœcundis diuino miraculo processit. Quod ita contestatur S. Ioan. Damasc. *orat. 1. de natiuit. Virg.* ex matre sterili satis: conuenienter orta fuit Virgo, vt ad Incarnationis summum miraculum per aliud sterilitatis miraculum fieret gradus; & vt ostenderetur

Rabbinorum commenta impura.
S. Ambros.
D. August.
S. Gregor.
S. Chrysost.
Christus de Virgine natus.
S. Io. Damasc.
B. Maria ex sterilibus sine libidine oritur.

deretur, ex sterili matre Virginem, non ex carnis concupiscentia, sed ex Diuina gratia mirabiliter operante fuisse ortam. hæc Damasc.

7. Sed contra huiusmodi patrum antiquorum rationem de futura Messiæ conceptione ex semore Abrahæ, illa insurgit dubitatio; quorsum videlicet, sub femore manus serui ponitur ad innuendam generationem, si, quod verissimum est, nihil generationi femur, coxaue inseruiat? Iccirco Procop. & alij, vt mysterium prædictum meritò hinc eliciant, non femur, sed membrum genitale transferunt. sic ergo ille. Hebræus, & Syrus nominant membrum viri, quo proles fabricatur, siquidem viro iusto, & temperanti membrum nullum turpe est: impij verò nedum membra turpia censentur, verùm etiam anima polluta est. Quidam aiunt iuramentum illud factum esse per eum, qui de suo semine esset proditurus, scilicet Christum. Fortasse seruum, quem ad ambiendam vxorem suo filio adlegauit, per membra nuptiis inseruientia adiurauit, significare volens puram conuersationem, & matrimonium inculpatum, quod non voluptatem, vti finem, sed prolem concerneret. hæc Procop. In quibus pleraque possent expendi, vtpote illud: nullum viro iusto, & casto turpe membrum esse; quippe qui non ad libidinem male abutatur corporis sui facultatibus, & membris, sed ad præscriptos ab ipsa ratione. Deique lege fines: contra verò hominem improbum tantis ac tam multis dedecorum maculis inustum esse, vt non modò totum illius corpus ad omnem turpitudinem compositum, sed etiam interior anima fœtorem exhalet vitiorum omnium execrandum. Vnde iuramentum illud in membris genitalibus factum nihil habebat obscœnitatis, cum vsus illorum esset in Abrahamo decentissimus; neque illa voluptati captandæ, sed proli fabricandæ, ex qua tandem Messias foret nasciturus, instrumenta, ita Deo iubente dirigerentur. Nihilominùs iam præmisimus significationem nominis *iarach*, non illam esse, quam putauit Procop. Quare seruus posuit manum sub coxa sedentis Abrahæ non nuda, sed veste cooperta, quia peculiare in hac parte corporis mysterium significabatur; nempe fides Messiæ ex illa nascituri: quod si femur immediatè non inseruiat generationi, quia tamen vicinum est illius functionis membris, ad generationem prædictam innuendam iure optimo assumitur. Maxime quia Delrio nostro, aliisque eiusdem eruditionis peritissimis viris placet, *iarach*, significare latus propriè dictum, quod extensione quadam porrigitur ad ea quoque, quæ summa inter femina sub ventre cadunt, cuius quasi bases sunt femina: vnde ירך *iarach* secum importat etiam (non quidem primariò) genitalia, seu (vt malunt quidam) lumbos, ac renes, quæ omnia membra generationem exequuntur. Hanc enim significari per nomen *iarach* perspicuè est in scriptura, vt scribitur Exod. 1. *Eorũ, qui egressi sunt de femore eius*. Hebr. כל נפש יצאי ירך יעקב *col nephes iotsêe ierech iaghaqob*, omnis anima egressa de femore Iacob. Quod verò vicinitas femoris, aut lateris illa, de qua diximus paulò superiùs, satis sit ad significandam generationem, ex eo etiam confirmatur, quòd per similem periphrasim eadem generatio insinuatur Genes. 49. vbi legimus: *Et Dux de femore eius*. Hebr. *Vmchoqeq mibben raghlau*. Et legislator de inter pedes eius; vide qua circumlocutione vtatur Moyses, ad genitalia, & generationem significandam. Sed de hoc loco ad illud caput Deo volente latiùs differemus. Porrò Abraham seruum licitè adiurat; licet enim superiori in rebus magni momenti adiurare inferiorem. sic fit in scriptura non semel. *Cant. 2. & 3. Tob. 8. & 9. Reg. 1. cap. 14*. Qua de re disputat D.Thom. 2. 2. q. 90.

Procopius. | Iuste viro nihil turpe est in membris. | Procopius. | Viro iusto etiam generatio decens est. | Exod. 1. | Subditus adiuratur à superiore.

8. *Non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum.*] Prudentissimus vir matrimonium filio suo prouidet quàm honestissimum, & clarissimum instruere potest, maximè, quia præsciens in suo illo filio benedictum sibi vocandum semen; hoc est Deum hominem ab Isaac oriundum; voluit nurum ad tam beatam sobolem propagandam, illa ipsa dignam comparare. quæ fuit mens Procopij, sic enim adnotauit: quia audierat dicentem Deum: *In Isaac vocabitur tibi semen*, voluit claritatem illi semini accedere à paterno, & materno genere. sic ille. Quòd si auiam tam in genere, sanguineque remotam, venturo in mundum Messiæ nititur Abraham quàm clarissimam atque honestissimam conquirere: quid de matre ipsa, quæ Messiam Deum hominem conceptura, & paritura erat, dicemus? Profectò talis demum hæc mater extitit, qualis Deo Filio digna esse videatur, qualem vel ipse Conditor, & pictor illius admiratus exclamat: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es*. Cant. 1. Non satis habet Deus omnipotens, vel semel Virginem suam Matrem admirari, & prædicare: sæpius miratur, & prædicat, quia soli Deo comprehensibilis est gratia, sanctitas, dignitásque Matris Dei; legunt aliqui: *proxima mea*, quia Deo nihil vicinius, quàm Virgo beatissima, & propter sanctitatem, & propter maternitatem, adiungit ampliùs: *Oculi tui columbarum*. Hebr. יונים *Ionim*, à radice ינה *ianah*, rapere, deprædari, opprimere, vim inferre. Verti igitur optimè potest: *Oculi tui rapientes, deprædãtes, vim inferentes*. Enimuerò ita Virginis beatissimæ speciem Deus ipse concupiuit; ita illius oculi humillimi, ac modestissimi Deum tenuerunt, vt suauissima quadam violentia, non modò Diuinos thesauros diripuerit, sed ipsummet Dei Patris Verbum, ac Filium Vnigenitum in vterum suum, atque in materna vbera, & brachia sua hominem & infantulum natum pulcherrima Virgo attraxerit. Rapiunt etiam, ac deprædantur Deum oculi Matris Virginis, dum illa cælestes gratias, misericordiam, veniam, præsidia, innumeráque alia dona ab ipso Deo Filio suo constanter, & suauiter impetrat, atque magnificè, peramantérque impertit hominibus. Vim Deo inferunt, cum illum scelcribus hominum iratum, ac minantem placant, emolliunt, & ad clementiam, pietatémque conuertunt. Nulla enim tanta contra nos ob nostra scelera Deum concitat (vt nostro more loquar) iracundia, vt eam non deponat; & omnem induat mansuetudinem, si Virgo Mater accedat, faciem suam Virgineam ostentet, & oculos, virginali pudore, & materno amore armatos, violentos, ac deprædantes, in oculis, & in corde Filij sui defigat. Vim denique inferunt hominibus, rapiunt mentes, cordáque deprædantur, vt in eius honorem pariter atque amorem festiua pietate omnes acclamemus cum S. Epiphan. *de Laudib. Virg.* Aue gratia plena, quæ es vrna aurea continens manna cæleste; quid dicō? & quid proloquar? quo pactu prædicabo gloriæ radicem? Solo enim Deo excepto cunctis superior existit. sic Epiphan. Pulchre dicitur vrna continens manna, videlicet Deum hominem suo in vtero, suísque deinde in brachiis è collo pendentem, atque vbera sugentem. Quid quæso aut ad honorem eleuatius, aut ad suauitatem iucundius, aut ad amorem tenerius, aut ad omnem gratiam aut cælestia dona pretiosius? Vrna est, manna cæleste continens; quia in Virgine Matre recon-ditum

Cantic. 1. Tob. 8. 1. Reg. 14. S. Thom. | Procopius. | Messiæ clara nobilitas maiorum. | B. Maria Deo digna Mater. | Cantic. 1. | Soli Deo comprehensibilis dignitas B. Mariæ. | B. Mariæ oculi Deum tenuerunt. | Dulcem Deo violentiam infert B. Maria. | B. Maria Deum placat iratum. | B. Mariæ vis in homines. | S. Epiphan. | B. Maria gloriæ radix. | B. Maria Filium lactans.

A B. Maria sugunt homines omnem gratiam.

A ditum habent, quærentes inueniunt, ſugentes accipiunt quicquid (poſt Deum) ſolatij, ac dulcedinis, & fauoris homines concupiſcunt. Vocat Epiphanius Virginem gloriæ radicem perquam appoſite: tum quia Deus ex hac radice prodiens homo, ita glorificatus eſt inter homines, vt pleno iam ore cælites ipſi concinant: Plena eſt omnis terra gloria eius: tum etiam, quia felix ille haberi debet, ac ſolet, qui Virginem Matrem piè veneratur, tenereque diligit: habet enim ille iam in ſeipſo æternæ gloriæ radicem.

Signum prædestinationis pietas erga B. Mariam.

Procopius.

9. Non patitur Abraham filio ſuo vxorem de Chananæorum gente perquiri. Sciebat enim (inquit Procop.) Deum diris execratum eſſe imprecationibus Chananæos: proinde nolebat vt filius inde duceret vxorem. ſic ille. Sed quænam iſthæc B maledictio, & infelicitas illius gentis, cuius connubia ſic Dominus ſuo populo interdixit? Reſpondet egregiè S. Ambroſ. Conſtrinxit (inquiens) ſeruum, vt non de ſemine Chananæorum vxorem accerſiret domino ſuo, quorum generis autor patrem non honorauerat, & ideo maledictionis hæreditatem tranſmiſit in ſuos. ſic Ambroſ. Tam exitialis eſt, ac Deo ipſi, & mortalibus exoſus, qui parenti ſuo reuerentiam, & pietatem denegat. Maledictum ergo illius ſemen Diuina ſententia prohibetur quicquam habere commercij cum populo fideli, & diuinitus electo: non ingreditur ſemen illius, qui patrem ſuum irriſit, in populum illum, ex quo Dei Filius natus homo eſt; qui miſſus à Patre, & Patri obediens vſque ad mortem C crucis fuit. Præterea indecens erat, vt fidelis, pius, ſanctúſque iuuenis Iſaac, cum gente illa infideli, & impia commiſceretur. Vt cognoſcamus (adiungit S. Ambroſ.) fidem, & quandam hæreditatem de autoris proſapia in his requirendam, quos nobis volumus adiungere: *Cum ſancto, ſanctus eris, & cum peruerſo peruerteris.* Pſal. 17. Si hoc in aliis, quantò magis in coniugio, vbi vna caro, & vnus ſpiritus eſt? Quomodo autem poteſt congruere charitas, ſi diſcrepet fides? Et ideo caue, Chriſtiane, Gentili, aut Iudæo filiam tuam tradere. Caue inquam gentilem, aut Iudæam, atque alienigenam, hoc eſt, hæreticam, & omnem alienam à fide tua vxorem accerſias tibi. ſic S. Ambroſ. Simile quid leges apud Tertull. *libr. de coron. mil. cap.* 13. hoc modo. D Ideo non nubimus ethnicis, ne nos ad idololatriam vſque deducant, à qua apud illos nuptiæ incipiunt. ſic ille. Nimirum ſponſus, & ſponſa floribus, ac ſertis, & ſeipſos, & domum, & lectum coronabant, quæ Veneri, aliiſque idolis erant conſecrata, vt ſcribit Alex. ab Alex. *gen. dier. lib.* 2. *cap.* 5. Pammeliúſque ad locum Tertull. Atque, vt omnino Chriſtianum S. Ambroſ. auertat à tam diſpari atque infideli coniugio, diſcrimen affert haud dubiè futurum adulterij exinde ſubnaſcentis; quo quidem malo coniugum animi vehementer exacerbantur. ita proſequitur. Prima coniugij fides caſtitatis gratia eſt. Si idola colat, quorum prædicantur adulteria; ſi Chriſtum neget, qui præceptor, & remunerator eſt pudicitiæ; quomodo E poteſt diligere pudicitiam? Accedit aliud inſigne caſtimoniæ, ſi credas à tuo Deo tibi, quod ſortitus es, coniugium datum. vnde & Salomon ait: *A Deo præparabitur viro vxor.* Prouerb. 19. Non poſſunt hoc diſpares fide credere, vt ab eo, quem non colunt, putent ſibi connubij impartitam gratiam. hæc Ambroſ. Quæ percommodè cadunt etiam contra hæreticos, quibus ne Aue quidem dicendum vult Apoſtolus; quantò ſeueriùs, ac glorioſiùs cauendum, ne cum illis matrimonia fidelium contrahantur?

S. Ambroſ. Grauis maledictio in eũ, qui patrem offendit.

Chriſtianus matrimoniũ cum infideli non contrahat.

S. Ambroſ.

Pſalm. 17.

Tertul. Infidelium nuptiæ ab idololatria inchoatæ.

S. Ambroſ. Adulteria infidelibus vſitata.

Prouerb. 19.

Hæreticorum vitia.

10. Vt cætera mala tranſeam; gens iſta hæreticorum, quî fidem homini reddet, quæ Deo in baptiſmo datam omnino violáuit, ac perfregit? Quæ corporum pudicitia inueniri poteſt, vbi ſumma eſt mentis corruptela? quî fiet, vt mores non habeant perditos, ac profligatos, qui confeſſionem ſacramentalem, qua ſcelerum exhauritur ſentina, execrantur? qui Diuinam Euchariſtiam pudicitiæ, bonorúmque omnium fontem à ſeipſis repulerunt? qui exoſam habent pœnitentiam, & carnis afflictionem, & ficta illa ſua, vana, & ridicula fide, quam vnam ad expiandas omnes ſuorum flagitiorum ſordes arbitrantur ſufficere, malè confiſi, & turpiter ſubnixi, laxant deinde habenas Veneri, & Baccho, atque omni impietati? En B ô miſeri, quî poterunt eſſe veſtra connubia inter infideles, atque impuros, firma, pura, inuiolata, & Chriſtiana? miraculum erit virum fidelem cum infideli coniuge habitantem in fide Chriſti diu perſiſtere. addit enim præclarè S. Ambroſ. Ratio docet, ſed ampliùs exempla commouent. Species illecebra mulieris decepit etiam fortiores maritos, & à religione fecit diſcedere. Et ideo tu vel amori conſule, vel errorem caue. Primùm ergo in coniugio religio quæritur. hactenus S. Ambroſ. Cæterùm aliena videmur loqui; non enim Abraham vxorem filio quærebat ex fidelibus, cum vniuerſa illius cognatio in Meſopotamia idolorum cultu eſſet infecta. vnde meritò Procop. admiratur: Mirum (inquiens) tamen eſt, cum prohibeat C ne filio coniungat vxorem Chananæam: eundem tamen proficiſci iubeat ad gentem, quæ idolis inſeruiebat, & hinc petere filio vxorem. ſic ille. Qui deinde in hunc modum occurrit. Non fugiebat Patriarcham fore, vt ſi puella longiùs à paterno genere fuerit ſubmota, & in domum piam deducta, obliuia faceret paterni erroris: quod ſanè non feciſſet, ſi fuiſſet ſubinde in tutela, & quaſi gremio parentum. hæc Procop. Optima quidem ratio, quam experientia quotidiana comprobat, & idem Procop. egregiè confirmat ex ipſa lege Moyſis. ſic enim vlteriùs procedit. Quare etiam Moyſes omnes Madianitas contrucidandas edicit, parcit interim innoxiis, & intactis, vel illibatis Virginibus? Verùm quomodo legem reueretur dum D incolumes ſeruat, quas lex necandas edicit? Lex imperat, ne quis à parentibus alienigenis vxorem petat, nec interim prohibet connubium captiuarum, quæ propter ſimplicitatem leui momento ad veram impelluntur religionem. hæc ille. Adde captiuas parentibus, & aliis omnibus de ſuo genere extinctis, non habere veteris ſuæ impietatis doctores, & fautores: ac ſubinde dominis vti maritis copulatas debitam illis præſtare obedientiam, atque in illorum religionem, moréſque facilè, vltróque tranſire. Quo remedio vti voluit Propheta, ſeu potiùs Deus ipſe, ad purificandam, & ſanctificandam animam, quæ priùs fuerat infecta ſordibus vitiorum: cum ait: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & do-* E *mum patris tui. Et concupiſcet Rex decorem tuum, quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus.* Pſal. 44. Crede (explicat S. Hieron.) vt munderis, obliuiſcere vitia, & domum patris tui diaboli, quia mundus in maligno poſitus eſt. Seu vt Chryſ. interpretatur: Præcipit, vt priorem conſuetudinem ex animo deleat, è memoria eiiciat non ſolùm ea fugiendo, ſed ne eorum quidem recordando. ſic Chryſoſtomus.

Vana & ridicula fides hæreticorum.

S. Ambroſ. Mulier infidelis maritũ facit infidelem.

Procopius.

Puella extra patriam domum nouos induit mores.

Mulierum propenſio ad pietatem.

Captiuarum docilitas.

Vita prioris in meliorem commutatio.

Pſalm. 44. D. Hieron.

11. *Dominus Deus cæli, &c.*] Adiuratus ſeruus ab hero ſuo, quærit quid faciendum, ſi fortè mulier ad connubium Iſaac rogata, patriã, domúmque

parentum

parentum noluerit relinquere, & ad Chananæorum regionem transmigrare. Nunquid illuc deducendus est iuuenis, vel ad habitandum cum vxore, vel saltem ad celebrandas cum ea nuptias? Respondet Abraham: *Caue, nequando reducas filium meum illuc.* Timebat enim iuuenem in Mesopotamia cum vxore viuentem inter idololatras, in similem impietatem breui abiturum. Tam certum, atque euidens est hoc periculum, vt propterea Dauid reputauerit idem esse habitare inter idololatras, atque idola venerari; cum ad Saulem aliquando conquestus dixisse legitur: *Maledicti sunt in conspectu Domini, qui eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate Domini, dicentes: Vade, serui diis alienis.* 2. Reg. 26. Non quidem aduersarij vsque eò sacrilegi erant, vt Dauidem ad venerandum idola consilio, vique aliqua impellerent: sed quia Saulem irritando aduersus Dauidem, hunc planè cogebant relicto patrio solo, ad regis inuidiam, & crudelitatem declinandam, barbararum gentium quærere asylum, atque inter idololatras, nefandúmque idolorũ ritum habitare. Vocat autem seruus mulierem, quæ tamen virgo quærebatur ad nuptias. Solent enim Hebræi nomen mulieris vsurpare pro fœmina, qualiscunque illa sit; vt non corruptionem, sed sexum insinuet. Quod S. August. Tertull. & alij frequenter adnotarunt. Sic Christus Dominus à Paulo dictus, *factus ex muliere.* Et Dominus ipse Virginem Matrem bis legitur mulierem appellasse. Quæ tamen, vt loquitur S. Basil. *homil. de Natiuit. Christi.* & Virgo erat, & viro desponsa, quò & Virginitas coleretur, & nuptiæ non vilipenderentur. Et Virginitas quidem velut idonea ad sanctificationem electa est, per desponsationem verò nuptiarum principia assumpta sunt. Simul autem quò etiam domesticus esset puritatis Mariæ, testis Ioseph, & non calumniis exposita esset, velut quæ Virginitatem contaminasset, sponsum habuit vitæ custodem. hæc S. Basil. Vide admirabilem Dei prouidentiam erga Virginem, eiúsque pudorem ac famam illibatam: ante nubiles annos, atque statum Virgo purissima, testes, & veluti custodes habuit suæ immaculatæ Virginitatis, in primis parentes suos, deinde in templo sacerdotes, virginésque sacras, inter quas agebat; post illam ætatem iam nubilis, ac desponsata, Iosephum virginem, & sanctissimum virum: Iosepho mortuo Filium suum Deum hominem, cum quo sub eodem tecto deinceps vixit: denique in cælos Filio ascendente Ioannem suum ex cognata nepotem; at quem hominem? Christo scilicet familiarissimum, qui supra Dei pectus recubuerat, qui Diuinorum mysteriorum sapientia mortales omnes, velut Aquila reliquas alites, superauit: ac demum admirabili supra humanam naturam (vt custodem, & comitem Virginis Dei Matris decebat) Virginitatis palma insignem.

Summum periculum est viuere inter idololatras.

2. Reg. 26.

S. Basil.

B. Maria Virgo & desponsata.

B. Maria virginitatis suæ testes & custodes semper habuit.

12. Noluit Abraham, vt filius eò se conferret, vnde Dominus patrem abire iusserat, quasi diceret perfectus hic obediens: Iussit Dominus, vt egrederer de terra mea, & de cognatione mea. Igitur vt libens parui diuino imperio ad hanc vsque horam; ita nec amplius illuc reuertar, nec filium meum abire vnquam in animum inducam. Quod Procop. subtiliter ita colligit. Cæterùm, vt ipse testatur, quia oraculo diuino vocatus patriam suam deseruit, nec filium eò reuerti voluit. sic ille. Nimirùm vt pater semper Deo obediens, etiam in filio, cum quo vna caro, & anima vna erat, diuinum præceptum compleret. Quin etiam, quod magis cõmendat perfectam Patriarchæ obedientiam, filio vxorem quærit, quæ simili parens imA perio patriam, cognatósque relinqueret, & obediens ad obedientes pergeret, & cum obedientibus coniungeretur. Non latuit hoc Procopium cuius hæc sunt verba: Veruntamen cum Rebecca à patrio auocetur solo, & inde digrediatur, impleuit quoque illud Abrahami: *Egredere de terra tua:* & illud: *Veni in terram, quam cõmonstrauit Deus Abrahæ.* sic Procop. Igitur Abraham multis confirmat seruũ, vt fide Dei plenus speret optimum, ac felicissimum itineris sui euentum. Qui enim (inquit) me hactenus, tot ac tam præclaris cumulauit beneficiis, hoc etiam adiiciet, vt mittat tecum Angelum custodem qui te præcedat, te dirigat, tibi notam faciat puellam, quam Dominus ipse vxorem filio meo, ad suarum promissionum B impletionem è Syria habet destinatam. Certè hoc vno, vt cætera deessent, promerebatur Abraham nouum istud Diuinæ bonitatis beneficium; cum Dei sibi collata beneficia tam recenti memoria sigillatim enumerat, atque ex veteribus fiduciam, & spem concipit ad noua subinde speranda, & capienda. Gratus enim homo cum accepta memorat, & gratanter prædicat, datorem ipsum ad plura, & maiora deinceps conferenda obligat. Præsertim obedientiam suam Patriarcha in medium adducit, pro qua hoc etiam nouum beneficium à Deo promereri sperat. *Dominus* (inquiens) *Deus cæli, qui tulit me de domo patris mei, &c.* In quo seruum instruit sanè Domini sui (animaduertit S. Ambr.) qui se ab incolatu terræ, in qua habitabat, C abduxerat, non defuturam misericordiam, vt præiret studio petitoris, & puellæ inclinaret animum: quasi Propheta hoc dixit in causa filij. hæc Ambros. Memorat etiam Dei promissionem: quasi diceret (obseruat Procopius:) Si hæc promissio vera est, vt falsa esse nequit, profectò Deus ita informabit virginis animum, vt libenter in hanc terram te sit comitatura. sic Procop. Hanc sanè fiduciam in Domino suo ita certam habent, qui illius familiaritati, & contemplationi assueuerunt, quique diuina beneficia, & humiliter suscipiunt, & grato animo memorant, vocéque prædicant.

Procopius.

Abrahã obediens suos facit obedientes Deo.

Procopius.

Gratitudo acceptis datori obligat.

S. Ambros.

Spes in Deum. Fiducia &

Procop.

D

SECTIO II.

Posuit ergo seruus manũ sub fœmore Abraham domini sui, & iurauit illi super sermone hoc. Tulitque decẽ camelos de grege domini sui, & abiit, &c. vsq; ad *Cum domino meo,*

1. IAm tandem seruus Abrahæ nouo illo, & inusitato ritu iurandi obstrictus itineri se dedit, vt mandata Domini sui exequeretur, à Bersabe, vbi tunc Patriarcha morabatur, vsque ad Haram sedem Nachoris, septem, octóve dierum itinere distantem, vti Abulens. & alij testantur. Hebr. *el Aram naharaim* אל ארם נהרים *ad Aram siue Syriam fluuiorum.* Mesopotamiam significat, quæ E est inter duo flumina, Euphraten & Tygrim. Nam Græcè *μέσος medium*, & *ποταμὸς, fluuius* dicitur; altera verò est Aram in Syria. Cæterùm seruus iste, vti dominum suum decebat, ac negotij magnitudo exigebat, non vulgari apparatu comitum, & animalium profectus est: simul etiam multa, & ingentia donaria, quibus sponsa, ancillæ, ac parentes quoque, & cognati donarentur, secum detulit. Hebr. *Vecol tub adonau beiado* וכל טוב אדניו בידו *Et omne bonũ domini sui in manu sua*, hoc est, quicquid pretiosum, ac magnificum domi herus habebat; non quidem coniunctim omnia, sed præ-

Opes facilè contrahunt matrimonia.

cipua ex singulis bonorum generibus. Alij intelligunt vniuersam possessionem Abrahæ, quæ in schedula mittebatur obsignata Isaaco, vtpote certo, & vnico hæredi; semper enim rei familiaris abundantia illicium grande fuit mortalibus ad contrahenda matrimonia: hoc quidem subsidio illorum grauissima leuantur onera.

Mores optimi vel tantùm, vel maximè in vxore quærendi.

Facilè igitur erat seruo coniugem Isaaco conuenire sponso, nimirum iuueni, nobili, & amplissimæ, atque opulentissimæ familiæ vnico hæredi: Admirare tamen prudentiam, & modestiam Abrahæ: schedulam magnarum opum, itémque donaria pretiosissima mittit ad sponsam, nec tamen ab illa, vel ab ipsius parentibus quicquam exposcit. At ô bone Patriarcha, quid si paupercula sese obtulerit in

B coniugem filij tui? Nonne satius erit Chananæam fœminam ducere, quæ sit nobilis, pecuniosa & pulchra? Cogita mentem (inquit S. Chrysost.) &

D. Chrysost.

propositum iusti, & quò spectarit: & attende quomodo veteres non quærebant substantiam multam, non diuitias, non seruos & iugera agri, tot, & tot; non externæ venustatis formam: sed animæ pulchritudinem, & morum nobilitatem. Patriarcha igitur habens respectum virtutum animæ ita se gerit. hæc ille Quod vnum erat ex illustribus primæuæ gentis ornamentis. Vtinam, & in nostra ætate talis esset morum, ac virtutum æstimatio, & commendatio! At nunc (apponit S. Chrysost.) omnes tale quiddam ne cogitant quidem.

D. Chrysost. Opes à mente peruersa dissipantur.

Nam etsi malis innumeris plena sit mulier, hoc

C solum inquirunt, quantum abundet pecuniis; cætera omnia posteriore loco habent, nescientes, quòd cum mens peruersa sit, licet indicibiles affluant diuitiæ, facilè in extremam venient inopiam: & nihil proderunt opes, cum non sit ibi mens, quæ bene illas dispensare queat. hæc S. Chrysost. Quæ quotidie vsurpamus oculis: fitque plerumque vt pecuniosa mulier, licet inhonesta moribus, aut facie nimium deformis, aut certe iracundo, & amaro ingenio intractabilis multos tamen habeat procos, qui pecuniam, non mulierem

Mulier pecuniosa non fœminam ducunt in vxorem.

ducunt in vxorem: dicerentque possent, si verè loqui cogerentur in solennitate contractus coniugalis: Ego te duco in matrimonium ô pecunia, ô hæreditas, ô ampla domus. Ac deinde subsequi-

Improbus vir vxoris dotem male dissipat.

D tur breui tot bonorum miseranda strages: vbi maritus exosam habens coniugem, cum meretricibus, lenonibus, & aleatoribus, totam miseræ vxoris pecuniam & substantiam consumit. Sed vnde nouerat Abraham ex Mesopotamia puellam moribus & ingenio conspicuo filio suo deuenturam? Nimirum ex misericordia Dei sui, qui suas per illam completurus erat promissiones, hoc sibi beneficium sperabat: quod & accepit. Nullus enim fuit (inquit S. Ambros.) vel in huius coniugij pe-

S. Ambros. Deus coniugij præsul.

titione ambitioni locus, sed Dominus præsul coniugij petitionem impleuit. hæc Ambros. Quæ quidem in sequentibus fient apertiora. Rectè igitur hinc idem colligit: Disce (inquiens) quid in vxore quæratur. Non aurum, non argentum quæsiuit

E Abraham, non possessiones, sed gratiam bonæ indolis. sic ille *lib. 1. de Abraham cap. 9.* Hæc prima

Bonum ingenium in vxore dos maxima.

quidem, summáque dos in fœmina quærenda est ad coniugium: scilicet mite, modestumque ingenium (Lusitanè *boa condicam*) sine quo nec pax, nec virtus inter coniuges consistere potest. Contra verò, si feram, si viperam ducas, quid nisi pestis, atque infernus videbitur coniugium? Malæ quidem ac peruersæ indolis fœminas Chanaam iam ex longa multorum annorum experientia esse apprimè callebat Patriarcha: suam verò cognationem, etsi foret erroribus infecta, bona tamen, ac

A suaui præditam indole, atque adeo ad virtutem suopte ingenio compositam, habilemque sciebat.

12. *Domine Deus domini mei Abraham, &c.*] Ad puteum, siue fontem (promiscuè quidem in scriptura fons, & puteus ponuntur) quiescebat paululum seruus iuxta oppidum, ex longi itineris labore: vbi nihil homini potius ac prius fuit, quàm

Familiaris oratio serui Abrahæ.

vt Deum omnipotentem precaretur. Hanc primam in toto illo itinere vocem à seruo emissam legimus: ac si cum hominibus integrum seruaret silentium, vno autem cum Deo familiariter loqui assuesceret. Talis erat disciplina domus Abrahæ,

Serui ad exemplum domini.

talis institutio seruorum: ad exemplum tam pij domini pietatem omnis familia, & orandi studium fideliter, sanctéque exercebat. Seruus igitur (in-

B quit Procopius) obsequens admonitioni herili, eò adueniens neminem conuenit; sed continuò colloquitur cum Deo, quem Abrahamum, itineris comitem, & gerendæ rei arbitrum fore pollicebatur. sic ille. Sciebat bonus iste, prudénsque seruus,

Procopius.

Vis orationis ad impetrandum.

quanti semper valuerit in domo Abrahæ pia erga Deum precatio: iccirco ad impetrandam Dei misericordiam aptissimo orationis instrumento vtitur. Clamabat quidam in via cæcus, cum Dominus præteriret: cæteri quidem vanos rati clamores nihilominus pergebant vlteriùs: at Dominus sistit gradum, audit, affatur, sanat denique cæcum. *Luc. 18.* Ecce (inquit S. Euseb. Emissen. ad eundem locum) quantum oratio potest, ecce quantum valet clamor mentis: turbam vincit, Christum sistit.

Luc. 18. Euseb. Emis. Deum vincit oratio.

C Clamore tenetur, qui fortitudine teneri non potest: stat Iesus, vocat, & expectat eum, &c. sic Euseb. O admirabilem orationis potentiam! iccirco infirmi sumus, & imbecilles, quia non fulcimur oratione. Similiter S. Chrysost. Sistit (ait) Christum vox vocantis in fide, &c. Sed quæ maior fides? Legimus enim: *Et qui præibant, increpabant eum, vt taceret; ipse verò multò magis clamabat.* Vnde optimè colligit S. Chrysost. Nouit enim fides omnibus repugnare, & in omnia triumphare. Vtile est pro cultu Diuino pudorem deponere. Nam si causa pecuniæ sunt impudentes nonnulli, pro animæ salute num decet bonam induere impudentiam? Per inhibitiones huiusmodi non impediebatur cæci audacia. hæc S. Chrysost. Non possum non

S. Chrysost.

S. Chrysost. Fides triumphat. Bona pro Deo impudentia.

D prædicare, ac venerari Domini bonitatem, qui tam studiosam, tam piam, támque paternam curam gerit vnius mendiculi clamantis, vt animos faciat peccatoribus quantumuis sordidis atque abiectis. clament illi, rogéntque certi, & confisi in Dei misericordia se tandem exaudiendos fore. In quo argumento ita perbellè disserit S. Pacianus Barcin. *paræn. ad pœnit.* Nemo adeo peccatricis animæ vilitate desperet, vt se iam non necessarium Deo credat. Neminem nostrum vult perire Dominus: etiam modici, & minimi requiruntur. Si non creditis, intuemini. Ecce in Euangelio drachma requiritur, & vicinis inuenta monstratur. Ouicula suppositis reportanda ceruicibus, non est onerosa pastori. Super vnum peccatorem

Fiducia in Dei misericordia. S. Pacian.

Etiam minimos requirit Deus.

E pœnitentiam agentem in cœlis Angeli gaudent, & chorus cœlestis exultat. ita Pacian. qui rectè pro vi orationis ad confirmandam miserorum fiduciam colligit: Heus tu peccator rogare ne desinas, vides vbi de tuo reditu gaudeatur? hæc ille. Res huiusmodi tam viles, abiectásque Dominus in similitudinem assumit, vt nemo de sua vilitate desperet. Increpabant cæcum prætereuntes: ea namque mortalium est inhumana cõditio, vt misellos vexent, & ne hiscere, atque suam deplorare calamitatem patiantur. Et, quod grauius multò est, vbi te obsequio Dei addixisti, atque ad illum

Peccatorũ fiducia in Deo.

Peccator insistat orationi.

de

Iusti à maledictis & inuidia impugnantur.

de mundo transfuga te recepisti; continuò permulti obtrectatores, ac maledici in te virulentas distringunt linguas, atque tibi inuidiam infamiámque inflammare conantur. Sed felix eris si patienter feras hominum praua iudicia, & verbeta acutissima verborum. Non enim (scribit S. Paulin. *Epistol.* 5.) metuenda est offensio talium, quæ quidem optanda nobis est; quorum de hominum opprobriis, atque maledictis nascitur illa merces, quam copiosam Deus promisit de cælis. *Beati estis cum maledixerint vobis homines, & exprobrauerint, &c.* Matth. 4. hæc S. Paul. Ad quem locum egregiè colligit S. Hieron. Vbi ergo Christus in causa est, ibi & optanda maledictio est, &c. Quia verò homines honorati cupiunt, iccirco indignantur, cum sese vident impeti maledictis, & opprobriis dehonestari. quare optimè aduertit idem Hieron. Eleganter in quodam volumine scriptum legi: ne quæras gloriam & non dolebis, cum inglorius fueris. sic ille. Quoniam verò hunc locum attigimus, in quo humana infirmitas, dum hominum potiùs opinioni, quàm Dei voluntati, & obsequio studet, frequentibus solet naufragiis perire; illud ex S. Petr. Dam. *serm. de spir. certam.* monendum censeo: Nulla (scilicet) infirmitas humanæ conditionis obsistat, vbi ad confligendum diuinæ visionis autoritas roborat. Ille tenetur ex promissione victoriæ, qui dux & autor est pugnæ. sic Damian. Ab incepto igitur studio virtutis ne desistas, quicquid homines perditi obloquantur: quantò illi magis increpabunt ac persequentur, tantò vehementiùs tu pietati insiste, ac Deum clamando implora: sic pietas vincit, sic fides triumphat. Non pudet cæcum inter sibilos prætereuntium, inconditis, vt putabant, Deum clamoribus fatigare: non enim locus est impudentiæ, vbi tota ratio est pietatis. Quid verba hominum curas, siue adulentur, siue obmurmurent, cum Deum præsentem habes, cuius tantum iudicium revereri debes? Deum respice, atque inania stultorum dicta contemnito. Hoc insignis prudentiæ, pietatisque consilium scripsit S. Gregor. ad Pallad. refértque & inculcat S. Hildebert. *Epist.* 52. hisce verbis Inter verba laudantium, & vituperantium, ad mentem semper recurrendum est. Etsi in ea non inuenitur bonum, quod de nobis dicitur, magna tristitia generari debet. Et rursum si in ea non inuenitur malum, quod de nobis loquuntur homines, in magnam debemus lætitiam prosilire. Item si nobis est testis in cœlo, si in corde, dimitte stultos foris loqui, quod volunt. hæc ille. Quæ si diligenter obseruentur à viro iusto, nihili omnino habebit, quicquid mundus garriet, ac maledici, & vaniloqui obstrepent, & obloquentur. Quem enim moueant verba vermiculorum, si iudicio Dei maximi, & optimi confirmatur?

S. Paulinus. — *Optanda pro Deo maledictio hominū.* — Matth. 4. — D. Hieron. — *Vbi non est ambitio, nec dolor est.* — S. Petr. Dam. — *Deus in pugna, cuius autor est, roborat.* — *Iusto non curandum de linguis irridentium.* — *Solius Dei iudicium reuerendum.* — S. Gregor. — S. Hildebert. — *Non curandum de iudiciis hominū.*

3. *Fac misericordiam cum domino meo Abraham.*] Expertus multos per annos fuerat seruus omnia in domo Abrahæ, felicius oratione ad Deum suppliciter emissa, quàm omni hominum adhibita industria successisse: atque ideo precatur Dominum admirabili quadam humilitate, & prudentia, quas oratio nostra si secum deferat, haud dubiè, quod petet, à Domino impetrabit. Non enim modestus homo merita sua exponit, quæ nulla in se agnoscit, sed Domini sui obsequia vno verbo comprehendit, quæ tot, ac tanta fuerint, vt Dei gratiam, & familiaritatem promeruerint, cum Deus appellatur Deus Abraham. Deinde licet Abrahæ merita insinuet; multo magis tamen spem suam ponit in Dei misericordia, cum beneficium, quod efflagitat, non vti debitum, sed vti puram gratiam, & misericordiam Dei exposcit: ait enim: *Domine Deus domini mei Abraham occurre mihi hodie, & fac misericordiam cum domino meo Abraham:* quasi dicat (exponit Procop.) Tu Domine Deus meus, quamuis ego sim indignus, quem in tua sceptra reponas, respice herum meum; nec peto, vt quasi ex debito huic sis obstrictus: absit, misericordiam tuam imploro, quam in negotio heri mei fac aspiciam. Nam qui plurima bona opera facit, gratia non ex operibus saluatur. hæc Procop. Dei misericordiam submisse, ac perpetuò veneremur: ab ea quippe tanquam à fonte manat quicquid boni habemus; cum & merita nostra non sint aliud, quàm ipsius Dei dona. Vnde licet regius Propheta magnis esset, & multis ditatus maximorum operum meritis, æternum tamen cælestis gloriæ præmium soli misericordiæ diuinæ, imò & multitudini misericordiarum refert acceptū; cum ait. *Ego autem in multitudine misericordia tua introibo in domum tuam.* Psal. 5. Nec id mirum videri debet. Homines enim (inquit ibi S. August.) perfectos, & beatos rectè dici multitudinem miserationis Dei quis negat, cum verissimè dictum sit: *Quid est homo quia memor es eius, aut Filius hominis, quia visitas eum?* Ps. 8. Introibo in domum tuam, tanquam lapis (credo) in ædificium. hæc S. Aug. In medium adducit seruus herum suum Abraham, cuius gratia summa erat apud Deum: nouerat enim quantum momenti, ac præsidij in postulationibus Sanctorum constitutum sit, vt quod possibilitas nostra non obtinet, eorum intercessionibus donetur. Nam iis à Domino dictum est: *Dabo vobis os.* Matth. 23. vbi S. Euseb. Emiss. Sancti non armis pugnant, sed voce, &c. Hi sunt illi, qui regno cælorum vim inferunt, & violenti rapiunt illud. Quæ autem maior vis, quæ violentia magis cœlorum, diuinique pectoris expugnatrix, quàm Sanctorum deprecatio?

Humilis & prudens oratio. — Procop. — *A Deo gratia, non debitum exposcitur.* — *Dei misericordia fons nostrorum bonorum.* — *Nostra merita Dei dona.* — Psalm. 5. — S. August. — Psalm. 8. — Matth. 23. — Euseb. Emiss. — Matth. 11. — *Potens & expugnatrix oratio Sanctorum.*

4. At supra omnes, cum Angelos, tum Sanctos illa potentissima, & efficacissima est in petendo, atque impetrando, quæ Deum ipsum, qui rogatur, suis e visceribus natum Virgo peperit. Enimuerò quid filius matri pro filiis deneget obsecranti? Minoris multo valent reliqua omnia, quæ homo assequi poterit; quàm ipsamet æterna salus animæ: hanc tamen ille proculdubio assequetur, pro quo Virgo parens piè, ac dulciter Filium inuocabit. O verè beatum, qui Virginem Matrem ardenter diligit, sanctè colit, iugiter inuocat, corde atque ore veneratur: qui denique suauissimam dominam deuoto, ac pio animo semper gestat! scilicet ipsa est illud Dei tabernaculū; cuius prærogatiuam ita ipse Omnipotens prædicauit. *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abiciet vos anima mea.* Leuit. 26 Sæpius hoc idem recurrit argumentum, quo (vt sperare licet ex Dei bonitate) concludimus, magnum esse prædestinationis signum in homine erga Dei Matrem Virginem hominis pietatem singularem. At peccator est, ac reus mortis: fuerit ita, sed aliquando tandem è peccatore iustus fiet, & vita dignus sempiterna; quia beatissimæ Virginis obsequio se deuouit. in cuius rei symbolum dixit Salomon Abiathari: *Equidem vir mortis es; sed non te interficiam, quia portasti arcam Domini Dei.* 3. Reg. 2. Ex vtroque loco rectè colliges, tabernaculum Dei hominibus multū profuisse ad omnia diuinæ bonitatis beneficia consequenda: Deúmque ibi esse, vbi tabernaculum eius stetisset: Arcam etiam tam salutarem haberi, vt vel reum capitali morte dignum absoluerit, eo quòd aliquando illam humeris deportasset. Planè hæc omnia in figuris contingebant: at veritas

B. Maria intercessio potentissima. — *Suis seruis vitam æternam impetrat B. Maria.* — *B. Maria tabernaculum, & arca Dei.* — Leuit. 26. — 3 Reg. 2.

Signum prædestinationis pietas in B. Mariam.

veritas est, semper Virginem Dei Matrem tanta A gratia valere apud Deum, vt ille nunquam reiiciat, nunquam condemnet hominem in quo videat Matris suæ nomen, ac notam, affectum, ac pietatem residere. Denique perbeatum illum censendum, qui Virginis portet obsequia, in seruum se Reginæ cœli addixerit. Etenim in suæ Matris gratiam clementissimus Iudex peccatorem conuertet, absoluet, ac sempiterna gratia, & gloria donabit.

5. *Puella, cui dixero, Inclina hydriam, &c.*] Diuino instinctu impulsus Abrahæ seruus, magna Dei confidentia plenus signum inquirit puellæ, quam Isaaco desponsandam sanctissimus Abraham vti promerebatur, ita confidenter sperabat. Et quidem veraciter (inquit Rupertus) seniorem hunc B supra nominauit scriptura. Nam quod seniore dignum fuit, nec ipse petendæ puellæ iudicium suis commisit oculis, qui solam faciem, non etiam mores, aut virtutem prouidere possent; sed secundùm herilem fidem credens, quòd Domini sui curam haberet Deus, totam in illo posuit electionis spem. hæc Rupert. Malè fiunt nuptiæ, infelicitérque interdum succedunt, cum eliguntur coniuges ad solum iudicium oculorum: quod quàm sæpe falli solet, nemo est, qui nesciat. Verè de se ipsis multi hodie malo suo edocti, cum sera iam est sapientia, & barathrum videtur, sed euitari nequit, inclamant illud Poetæ.

Rupertus.

Non eligatur coniux ad iudicium oculorum.

Virgil. Ægl. 8.

Vt vidi, vt perij; vt me malus abstulit error!

Itáne verò tanta audacia, & amentia tibi erit, vt C solum quia placuit oculis ille, vel illa, illi nubas, vel illam ducas? vidisti faciem, sed de ingenio, de indole, de moribus nihil certi habes. Et quidem fortasse pulchra erit facies, sed ingenium ferox, indoles absurda, mores perditi, vitáque profligata. Quid igitur tali coniugio infelicius? Credidit suis oculis fortis ille viribus, sed non ita mente prouidus Samson, qui relictis de sua gente, tribúque puellis, Philistæam adamauit: duxitque infidelem secta, natione barbaram, ingenio perfidam, eò tantum, *quia* (inquit) *placuit oculis meis.* Iud. 14. En ô Samson tempus erit, cum isti tui oculi, qui malè nunc iudicant, atque eligunt tibi vxorem, in pœnam peruersi iudicij, & infaustæ electionis occæcabuntur! Sed quodnam signum eligendæ D puellæ seruus adeò prudens exposcit? nempe ingenium mite, affabile, perhumanum, beneficum, & hospitalitatis studiosum: vt illa sponso futuro similis esse videretur. quod ita S. Chrysost. euoluit. vide serui prudentiam. Nam quia sciuit Patriarchæ hospitalitatem: & quia virginem inde ducendam congruebat iisdem esse præditam moribus, quibus iustos; nullam aliam coniecturam inquirit; sed characterem virginalis animi ab hospitalitate colligere vult: & inquit: Si quando ego aquam ab ea petiuero dicens: Inclina mihi hydriam, non solum faciet quod, petiui, sed & candorem, ac liberalitatem mentis suæ declarabit, & dicet: Etiam camelos tuos aquabo, morum suorum mititatem satis ex aquæ præbitione ostendendo. E Illa (inquit) sic explorata, & hoc indicio deprehensa, domini mei moribus conueniens digna erit, quæ filio eius sit vxor. hæc S Chrys. Quibus similia sunt, quæ Procopius effatur in hunc modum. Quod diuinæ subiiciat misericordiæ satis magnum signum est, quòd non voluptatem, non diuitias sectatur: sed inuestigat virtutem, & Virginis hospitalitatem. Sciens siquidem Abrahamus illam familiam hospitalitate ornatam inde vxorem filio suo hospitalitate insignem quærere in animum induxit. Et cum illa esset educata in

Non facies, sed ingenium & mores quærendi in coniuge.

Iudic. 14.

Samsonis oculi decepti & eruti.

D. Chrysost.

Pietas vxorem commendat.

Vxor bona soceri mores genus.

Procop.

tam liberali familia, non dubitabat, quin & ipsa aduentura esset hospitalitatis virtute decenter imbuta. sic Procop. Discant ex Abrahamo parentes, cum filiis penes illorum curam, & prudentiam, quærenda sibi matrimonia dimittunt, tales inquirere coniuges, quibus bona ingenia, pulchrique mores insint, vnde solet enasci, & conseruari pax, fides, amórque, & omnis felicitas coniugalis.

Parentes filiis coniugia pulchra moribus quærant.

6. Animaduertit etiam peracute Procop. quàm benè colligit Abraham ex liberali familia puellam fore liberalem in pauperes: naturæ quippe sequitur semina quisque suæ, maxime verò puellæ, quæ sicut domi se continent, nec externis sese admiscent gentibus, faciliùs domesticos paternæ familiæ mores imbibunt, ac tenaciùs retinent. Sed quæ tanta isthæc est vtilitas Isaaco ex sponsa liberali, benigna, & hospitalitatis studiosa? Nimirum ad felicitatem coniugij, & amplitudinem illius familiæ constituendam oportebat illa virtute sponsam induci. quod idem Procop. sic obseruat. Hospitalitatem quoque nouerat non minimam esse suæ felicitatis causam. Cum enim apposuisset cibum Deo sub imagine humana terras lustranti accepit filium: cum commiscuisset farinam, vt inde placentæ fierent, audiuit nepotes suos fore innumerabiles instar stellarum cœli. hæc ille. At erunt tamen multi qui benignas, & pauperum alendorum amantes fœminas hoc ipso quod tales sint, aut reiiciant à coniugio, aut in illo malè accipiant indignabundi, quod prodigæ, ac totius substantiæ labes & pernicies esse videantur. O cæci, ô miseri! nullum ditius patrimonium, nullam opulentiorem dotem portabitis domũ, quàm si vxorem in illam benignitate in pauperes, & misericordia insignem importetis. Thesaurus viro suo est mulier pia, & misericors. O felices, qui terrena, & vilia pauperibus erogando thesaurizatis vobis thesauros in cœlo; & in agro cœlesti gloriam vobis æternam seminatis! in quam sententiam eleganter scripsit S. Paulin. *Epist.* 30. his verbis. Non modica animis credentium voluptas est, promissa fidelibus bona dulci cogitatione præsumere, & in paradiso iam animis deambulare. Si agricolam iuuat spem messis in segete mirari, dum à messe fructum laboris expectat; faciliúsque fert moram temporum; auaritia votorum, si pascat oculos, dum sperat euentus: Quantò maiorem nos capere possumus voluptatem licet peccatores, at tamen fideles seruuli, quibus sparsi seminis non apud dubiam terræ fidem, sed apud incommutabilem Dei veritatem ratio mandata est, qui hoc speramus, quod veritas ipsa promisit: hæc S. Paulin. Suorum planè veniam delictorum, cuius est inæstimabile pretium misericordia pauperes, quàm securè, tam feliciter peccator elucratur. Illius enim (inquit S. Petr. Chrysol.) gemitus Deus non requirit, qui pro se gemitus pauperum sic redemit, *serm.* 164. Vices quippe gerit pœnitentiæ ipsa, quæ in pauperes impenditur misericordia. Cum ergo Dominus venerit, vt rationem ponat cum seruis suis, rogabit peccatorem. En hæc & alia commisisti crimina; quibusnam illa operibus expiasti? quos gemitus, quas lachrymas? quæ ieiunia, quam vitæ asperitatem, quam corporis nuditatem, quas vigilias, famem, sitim, frigora, miseriásque patienter exantlatas offers? Planè Domine (respondebit) hæc omnia mecum habeo, non quia pertuli, sed quia per eleemosynam mihi coëmi; meæ sunt omnes illæ pauperum miseriæ, & afflictiones, quas ego ab illis, ne miseri paterentur, mihi comparaui, pane famem, aqua sitim, veste nuditatem, tecto & lecto illorum orbitatem,

Puella parentum sequatur mores.

Procopius.

Vxor pia in pauperes viro & familiæ perutilis.

Felix pietas in pauperes.

S. Paul.

Per eleemosynam seritur in cœlo.

Eleemosyna redimuntur peccata.

S. P. Chrysol.

Eleemosyna vicem pœnitentiæ gerit.

Per eleemosynam commutantur afflictiones ad pœnitentiam.

&

S.Prosper.
De terreno substantia cælum emitur.

& solitudinem depellendo. Denique vt hunc locum concludamus, satis illa sit S Prosperi *lib. 3. de vit. cont. cap. 14.* sententia: De terreno censu regni cælestis hæreditas comparatur.

SECTIO III.

Ecce Rebecca egrediebatur, filia Bathuel, filij Meltha vxoris Nachor fratris Abrahami, habens hydriam in scapula sua: puella decora nimis, &c. vsque ad finem,

1. E*Cce Rebecca egrediebatur.*] Vix ita secum cogitando differuerat de puella seruus Abrahæ, cum illa ipsa occurrit. Vide quàm citò suos

Isaiæ 65.

Deus exaudiat. Vnde Isaias: *Eritque, antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus ego exaudiam*, cap. 65. Et Daniel. 9. *Adhuc me loquente in oratione ecce vir Gabriel, &c.* Vbi S.Hieron. Grandis orationis effectus est, impletáque promissio Domini, qui ait: Adhuc te loquente dicam: Ecce adsum. sic Hieron. Non solùm oratio à Deo exauditur, sed citò impetrat, quæ à S.Hieron. meritò vocatur grandis orationis effectus. vtinam & nos adeò prompti, paratique essemus, vt loquente nobis Domino confestim diceremus: Ecce adsumus, quid vis Domine? Egrediebatur puella; nec enim otiosam, mollem, atque elãguidam sponsam Isaaco peti oportebat: nec illa dotes animi, virtutúmque ornamenta, quibus emineret, vlla profectò haberet, si otio bonorum omnium exitio diffluerer. Enimuerò diabolus semel ab anima expulsus aliquandiu foras peruagatus est, donec ad priorem domum rediit inuisurus, quis tandem illius animæ status foret: atque vt legimus: *Inuenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam.* Matth. 12. Sed quænam isthæc munditia? quis ornatus? Audi S. Eusebium Emiss. ad eadem verba: Inuenit (inquit) eam malis scopis mundatam & malis ornamentis ornatam. Malæ scopæ, quæ virtutes pellunt, & vitia relinquunt. Malæ scopæ, quæ pauimenta dissipant & puluerem non eiiciunt, luxuria, superbia, discordia, auaritia, omnísque immunditia, ornamenta diaboli sunt. hæc Euseb. Vides hunc tam fœtidum, & impurum ornatum animæ, quam sibi diabolus domum elegit? totus ille ab otio instructus est. Ideo enim anima virtutibus mundata, & vitiis ornata inuenitur, quia vacabat, otiosa elanguebat. Quocirca Paralytico illi, qui triginta & octo annos in piscina iacuerat, vt sanitatem & recuperaret, & conseruaret deinceps, hoc vnum demandauit Dominus: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Ioan. 5. Hoc est, vt ibi explicat S. Euseb. Emiss. Non sis otiosus, otiositas enim animæ inimica est, quæ & vitia nutrit, & virtutes necat. sic ille. Igitur (inquies) damnatur otium animæ contemplantis, quæ non operibus externis, aut pœnitentiæ, aut vtilitatis proximorum piis & salutaribus exercetur. Non planè ita res habet. Nunquam enim viri sancti etiam contemplando otiantur. Vnde iure optimo S Prosp. *lib. 1. de vit. cont. cap.* 8. admonet virum iustum, vt amet (inquit) otium sanctum in quo exerceat animæ suæ negotium. sic ille. Quia nimirum, & in otio isto sancto cum Deo agens mens ipsa operatur; & in contemplatione sese instruit ad actionem. Vtraque simul insignem habet laudem, cum & Rebecca domi aliquando se continet, & foras inde egreditur cum hydria ad præbendam aquam sitientibus. Quare optimè idem Prosper, *lib. 3. cap.* 28. ita scribit. Sicut otium studiosum ineffabilem

Daniel 9.
D. Hieron.
Oratio citò impetrat.
Otium virtutum pestis.
Matth. 12.
Euseb. Emiss.
Vitia ornatus diaboli.
Ioan. 5.
Euseb. Emiss.
Otium necat virtutes.
S. Prosper.
Otium sanctum contemplationis.
S. Prosper.

A suauitatem sapientiæ cælestis infundit à carnalibus otioso: ita spiritualis occupatio laborum sanctorum multiplices affert fructus humanæ societatis vtilitatibus occupato. hæc S.Prosper.

Actio & contemplatio coniuncta.

2. Expendi etiam potest huius puellæ humilitas, quæ ad tam seruile munus cum hydria foras egreditur ad hauriendam scilicet aquam; sed vbi magis se humiliauit, ibi magis exaltata sponsum, ac domum inuenit diuitem, illustrem, & omni sanctitate præclaram: & quod omnem felicitatem in terris superat, electa est in auiam Dei hominis in mundum venturi; scilicet figura extitit illius Virginis, quę Virginitate placuit, & humilitate Deum ipsum vtero suo Virginali concepit. Quamobrem licet exclamare cum S. Laurent. Iustin. *lib. de humil.*

B *cap.* 8. O mira dignatio Conditoris, qui cum esset omnipotens, summè bonus, plenus sapientia, beatus de se in se, matrem tamen elegit humilem, quatenus in illa omnes instrueret quantum illi esset accepta humilitas! Matrem tantùm vnam voluit habere, de qua carnem sumeret, & in qua tanquàm verus homo humiliter decubaret: multas cupit habere in spiritu, quæ illum in se commorandum humilitate alliciant. Præstò semper est accersitus humiliter in humilium corde recumbere, quanquam ipse sit summus. hæc Iustin. Aduerte, quod in vulgata vertitur, *Hydria.* Hebr. esse *Chaddah ghal xicmah* כדה על שכמו *& cantharus super humerum eius.* Hydria verò super caput deferri solet atque id apud nos maiorē arguit

C humilitatem; nihil enim abiectius in ancillarum genere ducimus, quàm cantharo assuetam famulam, *moca* de cantharo: innuit etiam fortem viribus, & laboribus exercitam puellam, quæ tantùm soleat humeris portare onus. Quæ quidem duo mirificè cohærent cum decore, ac pudore, à quibus statim Rebecca valde commendatur. Coniungi cum humilitate castimoniam quid attinet probare, cum Dei Matrem æqualiter humilem ac Virginem admiremur: nec vlla sit, aut fuerit in terra castitatis sublimitas, nisi subnixa fundamento humilitatis: vt certum omnino sit tanto sublimiùs ferri pudicam animam, quantò profundiùs in humilitatem deprimitur: vti arborum rami, & truncus tantùm assurgunt in auras, quantò radi-

D ces in terræ viscera depressiùs reconduntur? Contra verò superbia, & impuritas infausto quodam vinculo societatis inuicem copulantur; quod & sæpenumero demonstratur in sacra scriptura, & in verbis illis Domini (quæ nunc sese offerunt) *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos.* Luc. 9. perspicuum fiet. Nimirum vtrobique dæmones per volucres superbi; per vulpes immundi, atque libidinosi significantur: superbi quidem leuitate gaudent, & in sublime inaniter efferuntur: at libidinosi vulpinum exhalant fœtorem, atque in terræ cauernas perosi auram, & pulchritudinem cæli sese immergunt. Sic enim S.Euseb.Emiss. ad eundem locum explicat. Maligni spiritus in peccatoribus foueas, & nidos faciunt, quoniam in

E eorum cordibus malas cogitationes, & iniquitatum germina pariunt. sic ille. Virile robur, & membra laboribus exercita cum castitate miram habent connexionem; vt magno etiam soleat esse pudicitia corporibus, atque animis adiumento. Rem dico notam omnibus, & quam quotidianis experimentis contestamur. Vnde pulcherrima illa legitur sententia S. Paulini *Epistol.* 33. Anima, quantò castior membris, tantò viuacior sensibus: & quantò mundior corde, tantò capacior Christi est. sic Paulin. Et quidem castitas corpora vegetat, non solùm quia omnem concupiscentiam ex-

Humilitas exaltatur.
S. Laur. Iust.
B. Maria humilitas Deo gratissima.
Humilitas Deū accersit.
Humilitas cū castitate.
Castitas nititur in humilitate.
Luc. 9.
Luxuria & superbia copulantur.
Euseb. Emiss.
Castitas corpus sanum & vegetum reddit.
S. Paulin.

pellit, qua viros debilitantur, flos iuuenilis deperit, vigorque omnis elanguefcit: sed etiam, quia sedes est Christi Domini, qui castis corporibus, & animis quandam quasi vernantis æternitatis auram afflare consueuit. Quod autem Rebecca vigorem istum præ se tulerit, in historia habetur, Virgo enim tenera (inquit S. Chrysost.) & seruo petenti aquam dedit, & camelos omnes adaquauit, effundens hydriam in canalibus recurrit ad puteum: quo monstratur puellæ indicibilis alacritas hæc S. Chrysost. Vno verbo egregiè rem conficit ita Procop. Sedulitas illa digna fuit domo Abrahami. sic ille. In qua vt sæpius iam ostensum est, nulla erat ignauia, & socordia, sed corporum exercitatio, & studium infatigabile animorum.

D. Chrysost. Virium cum exercitatione corporum.

Procop.

Ornamenta Virginitatis

Humilitatem etiam ac modestiam virginalem præstitit puella, cum petenti peregrino homini aquam respondit: *Bibe Domine, &c.* Cogita obsecro (ait S. Chrysost.) quanta fuerit modestiæ eminentia, &c. Cum scilicet humiliter, ac modestè respondit seruo, dominum illum suum appellans: sunt enim egregia Virginitatis ornamenta, gemmæque, humilitas, & modestia.

3. *Virgo pulcherrima, &c.*] Vide quàm sit officiosus Dominus in seruos suos, vt puellam adolescenti optimo, & castissimo, non solùm moribus pulchram, sed etiam pereleganti specie formosissimam delegerit, vt pulchra eum & sancta faciat sobole parentem. Tria nomina hoc capite inueniuntur de Rebecca, quod fuerit נער *Naghara*, hoc est, *puella*, vt puellaris ætas describatur; deinde בתולה *Bethulah* virgo, sed quia non virginem interdum significat, ne quid supersit dubij, sed fœmina puella, virgóque omnino, & opinione hominum, & re ipsa, corpore scilicet, & animo ostendatur virgo; denique ponitur infra *ghalmah* עלמה *Virgo abscondita, intactáque, & incognita viro, expers omnis commercij virilis.* At quorsum tam diligenter commendatur pulchritudo huius virginis? nimirum vt pulchrior cum pulchritudine corporis coniuncta virginis pudicitia demonstretur. quod ita effatur Procop. Virginis liberalem formam graphicè describit, vt magis puellæ admiremur castitatem, & temperantiam. Nam licèt formæ elegantia facile omnes excelleret, nullius tamen viri concubitu compressa, & inquinata est. Nec pulchritudo formæ semper impudicitiæ causa est, vt nec castitatis formæ turpitudo; non enim corpus, sed animus, & vitæ institutum causantur sobriam castitatem. sic ille. Solet elegantia formæ ipsam quoque fœminam, in qua est, in superbiam, atque animi leuitatem euehere, dumque sese prodere cupit, & quasi venalis omnium saltem aspectibus fieri, omnes in periculum adducit: maximè verò ipsa, quæ pulchritudinem suam, & magni æstimat, & nihili vendicat, non periclitatur modò, sed in oculis suis perit, & cæsarie Absalonis è trunco suspensa dæmonum, ac vitiorum lanceis transfigitur. Profectò non ad perniciem animæ à Deo depicta, & donata est corporis elegantia, sed vt per eam tam qui possidet, quàm qui conspicit ad infinitam Dei Conditoris speciem, & contemplandam, & amandam, & desiderandam deducatur. Qua de re præclara extat sententia Clem. Alex. *Strom.* 4. ad hunc modum. Qui per casta m aspicit dilectionem non carnem, sed animam; ideò eam esse existimat, corpus admirans tanquam statuam, per quam pulchritudinem ipse quoque seipsum transmisit ad artificem, & id quod est vere pulchrum, sanctum signum, lucidum iustitiæ characterem, ostendens Angelis, qui præsunt assensui, vnctionem dico bene compositæ,

Pulchrior castitas in corpore pulchro.

Procopius.

Pulchritudo vana & lasciua.

Periculosa pulchritudo.

Clem. Alex. Vera pulchritudo est in mente.

A sitæ, & quæ Deo placet mentis, qualitatem affectionis inditam animæ, quæ gestit, & exultat propter inhabitationem Spiritus sancti. hæc ille. Gratum, & iucundum spectaculum Angelis præbet anima casta, & cæteris virtutum ornamentis conspicua: hæc vera est pulchritudo, quæ (vt cætera corporis desint) mulierem formosam reddit, & à viro suo, si prudens est, summè amabilem. quod idem Clem. eodem libro ante præmittebat, ita scribens: Vxores nostras ad id, quod bonum est, corrigamus: amabiles mores castitatis ostendant: puram & sinceram suæ mansuetudinis demonstrent voluntatem: linguæ suæ moderationem silentio efficiant manifestam: charitatem suam omnibus, qui timent Dominum sanctè præbeant æqualem,

Virtus pulchram & amabilem reddit viro.

Clem. Alex. Castitas amabilis.

B ita Clem. Atque, vt coniuges sciant in quo maximè felicitas coniugij collocetur, adiungit in eodem libro idem Alex. Oportet autem felix matrimonium, neque vnquam diuitiis, nec pulchritudine censeri, sed virtute. sic ille. Multa ex hac doctrina Clementis expendi possent, cuiusmodi est illud: *amabiles esse mores castitatis.* Quid enim æquè hominibus, Angelis, Deóque ipsi charum, & amabilem reddit hominem, quàm ea virtus, quæ supra humanam facultatem, & naturam est, quæ lutum nostrum commutat in cœlum? Quapropter nullum adire maius periculum solet, qui eam possidet, quàm, vt optimè idem monet, qui est carne castus: non insolescat, sciens esse alium, qui ei suppeditat continentiam. Quo maiori cogni-C tione digni sumus habiti, eò maius subimus periculum. Venerabilis ergo, & casta institutio, &c. hæc ille.

Felix virtute coniugium.

Castitas hominis mutat in cœlum.

Clem. Alex.

Casto superbia timeatur.

4. Communis ea ratio doctorum habetur, quare Christus Dominus tam inusitatis amoris sui testimoniis Ioannem suum dilectum inter cæteros Apostolos magnificè donarit: quia nimirum insigni virginei pudoris laude cunctos antecelloit. Beatus ille mundo corde, quod Diuinæ bonitatis fonti appositum abditissima mortalibus mysteria ebibit, vt nobis effunderet. Atque (vt benè scribit S. Paulin. *Epist.* 5. *ad Amandum*) supercæleste transdidit Euangelium, vltimus auctor in libri tempore, sed primus in capite sacramenti: quippe solus è quatuor fluminibus, ex ipso summo Diuini ca-D pitis fonte decurrens, de nube sublimi tonat: *In principio, &c.* Ioannes (inquam) Dominici pectoris accubator inebriatus Spiritu sancto. hæc Paulin. Vt videas quàm appositè Clem. Alex. cognitionem cum castitate coniunxerit. Quod etiam clariùs infrà contestatur. Castitatem (inquiens) in corpore & anima is persequitur, qui est cognitione præditus. sic Alex. Solus igitur ille insigniter sapiens est, qui virginitatem nouit amare, colere, & tota vita conseruare. Amabilem dixi etiam Angelis, quibus cognatus est, hominem castum: quia (vt idem S. Paulin. *Epistol.* 15. scriptum reliquit) sanctos spiritus intemeratata virginitas in sacri corporis templo tenet, vt in visceribus pudicis requiescente Christo hospites faciat. sic ille. Neque E verò caret mysterio illa repetitio: *Virgo, & incognita viro.* Scilicet (explicat Procop.) vt corpore, & animo eam virginem sinceram extitisse constet. Est enim & illa virgo parum casta, cuius cum corpus integrum sit, animus tamen fœdo libidinis æstu ardet. ita Procop. Quod quidem elegantiùs tradit Clem. Alex. indicato libro ad hunc modum. Pulchrè sapientissimus Moses repetitione vsus significauit corporis & animæ incorruptionem, describens in Rebecca hoc modo: *Virgo erat pulchra, vir non cognouit ipsam.* Rebecca autem exponitur Dei gloria: Dei autem gloria, est incorruptio

Ioannes Apostolus virgo & dilectus Dei.

S. Paulin.

Ioannes Euangelium superceleste.

Ioan. 1.

Clem. Alex.

Sapit qui virgo est.

S. Paulinus.

Castum templum & requies Christi.

Procopius.

Perfecta corporis & animæ castitas.

Clem. Alex.

Puritas Dei gloria.

Origen.

ruptio. Hæc est vera iustitia, nolle rei alterius plusquam par sit, habere, sed totum esse templum Domini sanctificatum. hæc Alex. Similiter Orig. Quia (inquit) Rebecca virgo erat, sancta corpore, & spiritu, iccirco eius duplicat laudem: *Virgo erat, & vir non cognouerat eam.* sic ille. Quod verò attinet ad significationem nominis, Rebecca, non video vnde ea deducatur: cum magis obuia sit radix *Rabaq* רבק, *saginare.* è qua videtur deriuari *Ribqah* רבקה, *saginata,* videlicet, vt coniicere par est, diuino Spiritu impinguata, qui corpus illius & animam pariter sanctificauit. Sed ô admirabilem istius virginis pudicitiam, quæ non domi reclusa, & quasi consepulta, vt nostra ætate complures viuunt, sed extra domus cancellos, & parentum custodiam, procedens, imò itans in publicum ad hauriendam aquam, nihilominùs virgo extitit corpore & animo, cum tamen esset peregrina quadam pulchritudine omnibus in spectaculum ac penè miraculum. Non hoc latuit Procopium, cuius hæc sunt verba: Rebecca, quæ tanta formæ coruscabat elegantia, nec domi desidebat, sed in publicum egrediebatur, & sola aquatum prodibat: non tamen fucum sensit, sed virginitatis florem conseruauit. sic Procop. At ô castam illam ætatem, ac gentem, prodibat e paterna domo virgo pulcherrima sine arbitro, sine custode ad fontem, nec tamen vllus hominum extitit, qui puellam speciosam ita incustoditam, vel dicto saltem, atque aspectu offenderet! O canes venaticos gehennæ, florem, & odorem carnis malè subodorantes! ô porcos etiam flores, gemmásque fœtore, ac luto polluentes, quorum impuri greges passim per vrbes, atque oppida nostro tempore peruagantur! Quæ nunc Rebecca corpore, & animo esse contendit, publicum fugitet, domi se teneat, ac sepeliat, nesciatur omnino à viris necesse est.

Virginis pulchra & non reclusa castitas rara.

Procop.

Prisca ætas, quàm præsens castior.

5. *Occurrit ei seruus, & ait, &c.*] Quàm pulchra virgo tam modesta fuit Rebecca: etsi enim hospitalitatis amica, nec eo tamen prætextu virum peregrinum vel verbo salutauit. At rogata, sedulò accurrit, & potum petenti tribuit. Tam hospitalitas (inquit Procop.) quam castitas in illa emicabant. Castitatis erat, quòd non accurrebat, & virum prior compellabat: hospitalitatis erat, quòd tanto studio, & alacritate hauriebat aquam, vt gratificaretur hospiti, nec castitati hospitalitas, nec hospitalitati castitas obstitit. Dicto, & facto naturam expeditæ hospitalitatis speciem præbuit. Imitatur Abraham, qui inuitans hospites præmittebat nomen, *Domine*: nec percontatur, qui sint, vnde venerint: idem & illa factitabat, nihil percontans, sed magna promptitudine, & alacritate ad rem conferens quod petebatur. hæc Procop. Femina & puella erat, non tamen de numero illarum, quæ facile cum quouis obuio serunt sermones: & curiosa quadam indagine omnia inuestigant, & inquirunt. Rectè S. Ephrem modestiam & humilitatem puellæ admiratus ait: Hic animæ eius virtutem contemplare: nihil enim segniter, nihil superbe. nihilque arroganter factum comperies. Hominem peregrinum appellabat dominũ, & viatori tanquam vera ancilla ministrabat. *serm. de pat. & comp.* Cætera ferè, quæ sequuntur in hoc eodem capite, adeò sunt perspicua. vt sigillatim commentari opus non sit: perstringam tamen vbi commodiùs videbitur aliqua insigniora. Delicatè S. Ambros. in sensu mystico repræsentari dicit Ecclesiam in Rebecca. Vbi (inquit) inuenitur Ecclesia, nisi in Mesopotamia? inde quæritur, ibi accersitur, ibi duobus stipatur fluminibus, lauacro

Proco. *Modesta, pia, & prudens Virgo.*

S Ephrem. *Virgo humilis.*

D. Ambros. *Rebecca typus Ecclesiæ.*

A gratiæ, & fletu pœnitentiæ. Etenim nisi peccata propria fleueris, nisi gratiam baptismatis acceperis, non tibi acquiritur Ecclesiæ fides, & quædam coniugalis copula. Virgo speciosa, soli Christo debita, hydriam habens super humerum, qua lauat actus hominũ. *Samaritana non impleuit hydriã.* Ioann. 4. non enim habet vnde actus suos lauaret. Hæc sola descendit, hæc sola cognouit fontem verum vitæ æternæ; ideóque habuit, quod daret sitientibus: habuit vnde non solùm puerum, sed etiam camelos adaquaret, quæ non solùm iustos rigare consueuit, sed etiam iniustos replere. hæc S. Ambr. Vtinam, qui in hac Ecclesia sumus, illius lauacro pœnitentiæ sic nostras maculas abluamus, vt pulchræ, puræque sine ruga, næuóque vllo animæ nostræ Diuino sponso coniungantur! Admiratus Abrahæ seruus virginis speciem, officiositatem, sedulitatem, charitatémque, iam domino suo dignam vxorem iudicabat. Sed vt certior adhuc fieret, de genere sciscitatur, inuenit tandem esse illam ipsam, quam quærebat. Genus illa suũ aperuit & addidit: *Palearum quoque, & fœni plurimum est apud nos, & locus spatiosus ad manendum.* Quòd sanè miram arguit charitatem, & studium hospitalitatis certè proprium illius familiæ; atque icciteo puella, quàm domi suæ parata sint, & instructa hospitibus omnia, fideliter, & officiosè, non rogata, sed vltrò exponit. Non id moris habetur in auarorum familiis, vbi à parentibus instructi filij, ac famuli negare solent esse apud illos, quæ à vicinis petuntur. sic etiam in barbara illa & luxuriosa domo diuitis epulonis nullus est repertus, qui vel micas, quæ cadebant de mensis, vlceroso, ac mendiculo Lazaro ad ianuam iacenti porrigeret: scribitur: *Et nemo illi dabat.* Luc. 16. Officiosæ puellæ gratum vt se ostendat seruus, simul vt ad domini sui amorem, & sponsalia inuitare puellam incipiat, inaures, & armillas, ex auro illi attribuit. Cæterùm vnaquæque viriola erat aureorum duorum plus minus. De siclo aureo hic habes multam eruditionem apud nostrum Delrio.

Baptismus & pœnitentia Ecclesiæ flumina.

Mundantur in Ecclesia peccatores.

Mira erga hospites pietas.

Lucæ 16.

6. Sed quid inaures istæ recondunt mysterij? Primò sese offert per inaures fidem, quæ est ex auditu, & per armillas opera significari. Hæc duo sunt ornamenta fidelium animarum. Cæterùm inaures sine armillis dedecent Rebeccam; & fides in Christiano sine operibus mortua est. Quin etiam (vt verè, & catholicè testatur S. Saluian.) hoc ipso Christiani deteriores sunt, qui meliores esse deberent. Non enim probant, quod confitentur, & impugnant professionem suam moribus suis. Magis enim damnabilis est malitia, quam titulus bonitatis accusat, & reatus impij est pium nomen. *lib. 4. de vero iudicio, & Dei prouidentia.* At hæretici nostro seculo cum armillas respuant, solísque delectentur inauribus, vtrasque perdiderunt. De doctrina explicat S. Ambros. cum ait. Inaures Rebeccæ ornamenta factorom sunt. Has habebat inaures, quæ non grauarent aurem, sed demulcerent: has virias, quæ manum non materiali auro onerarent, sed spiritali actu leuarent. Ideò & fratri, & parentibus in hoc placuit ornatu. Et tu sume inaures, quas tibi Abraham reliquit: sume, quas transmisit virias. Audi verba Domini Dei tui, exequere iussa. hæc S. Ambros. Adnotarim S. Ambros. virias vsurpare pro armillis, cum tamen illæ de auribus pendentia ad collum vsque, istæ autem manuum, & brachiorum ornamenta habeantur. Allegoria est optima: pretiosum quidem donum à Deo datur hominibus, quibus, & docilitatem audiendi, & alacritatem benè operandi concedit. In illis inauribus (inquit S. Aug.) aureis

Fides sine operibus accusat Christianum.

S. Saluian.

Hæretici nec fidẽ, nec opera habent.

S. Ambros. *Doctrina ornatus Ecclesiæ.*

Viria quænam sint.

D. August.

Verba, & opera sancta.
D. Hieron.
Puella cauta timet.
D. Ambros.

A aureis significabantur verba Diuina, in illis armillis aureis opera sancta; quæ quidem Christus per suam gratiam, & per suos Apostolos contulit. sic Aug. Similem allegoriam in armillis deprehendit S. Hieron. sic effatus: Armillæ significant bona opera, quales Rebecca accepit in sponsalibus. sic ille. *in 3. cap. Isaiæ. Cucurrit itaque puella,* Num præ pudore ac modestia, quod tandiu sola cum viro virgo loqueretur? Certè prudens, & honesta puella defert ad matrem quicquid à viro audierat, ne fortè vllum adiret periculum puella cum viro loquuta, quod ampliùs laudatur in matre Samsonis. Ea quidem (vt scribit S. Ambros.) non passa sine viro scire vel Diuinitatis secretum, insinuauit marito visum sibi hominem Dei præclara specie futuræ sobolis ferentem oracula. *Epist.* 23.

Iud. 13.
Mulier cauta in aspectu Angeli.

B ex *lib.* 3. Adeò fidelis marito, & pudica mulier etiam ab Angeli aspectu sermonéque sibi cauit! Festinanter puella rediit domum matri omnia renuntians Etsi enim haberet patrem adhuc viuum, mater tamen illius seorsim in vna parte totius domus cum puellis degebat, more Hebræorum, & Orientalium, quibus in vna domo virorum, ac feminarum distinctæ habitationes visebantur: qui mos etiam apud illas gentes, vt ex nostris rerum Indicarum historiis constat, obseruatur. vide Serat. nostrum in Hester. Volunt alij maternam hic domum referri; quia inter barbaras illas gentes, qui plures habebat vxores, distinctas illis domos assignabat, atque vnaquæque mulier in sua cum

Serar.

C filiis degebat, vir autem, cum qua maluisset, manebat. Duo deinde præstitit egregia seruus: Inuitatus enim ad hospitium, atque ad mensam, noluit accumbere priusquàm rationem redderet sui aduentus, mandatáque exponeret domini sui Abrahæ; ac pabulo camelos, & comites suos lotione pedum recrearet. quæ quidem serui erga dominum suum amorem, alacritatem, diligentiam, & studium in illius exequendis mandatis, suæ denique vtilitatis incuriam, & contemptum euidenter indicant. Felix sanè Patriarcha, cui tam fidelem, atque impigrum seruum Dominus concesserit, vt post tam longum, & arduum iter, non priùs quiescere, & comedere voluerit, quàm domini sui negotia ad integrum expedire! hinc optime Procop. Admiratione (inquit) dignus est ser-

Boni serui commedatio.
Bonus seruus à Deo datur.
Procopius.

D uus, quòd tanta religione mandatum exequitur. Priusquam cibum capiat, domini mandatum expedit. hæc ille. Dicit religionem, scrupulo vulgò dicimus: quasi reputet seruus, non leue delictum, si priùs ac potiùs suo corpori reficiendo, quã obedientiæ adimplendæ operam dabit. O si serui, ac famuli ab hoc vno debita suæ conditionis munera studiosè addiscerent, atque diligenter, & alacriter exequerentur!

Quid bono seruo præstandum erga herum.

7. Non est prætereunda charitas Labani hospitem inuitantis: *Ingredere benedicte Domini, cur foris stas? præparaui domum, & locũ camelis.* En quo sunt nomine compellandi, quo excipiendi honore pauperes, qui ad nostras ianuas accedunt: benedicti sunt à Domino: Benedicti ad nos veniunt

Grande lucrum ex pauperib.

E in nomine Domini: cum plausu, & palmis, & acclamatione, vti Dominus ipse ingrediens in Hierusalem à nobis excipiantur oportet: ad magnum nobis compendium aduentant: tale scilicet, vt liberaliter nostra effundentes pauperibus insignem geramus cupiditatem. quod S. Paulin. ostendit, *Epistol.* 12. de huiusmodi misericordibus ita scribens: Liberales habentur, qui auarissimi esse conuincuntur; & quidem tantò auariores cupidissimis terræ fœneratoribus, quantò amplius est cælestia de terrenis, & beata de miseris, egenísque

S. Paul.

A rebus emere; quàm terrena terrenis, & labentibus lapsura mercari; & Dominum, quàm hominem, fœnerare. Auari nos, qui terram vendimus, vt tributum, & immunitatem regni cum æternitate coemamus. Fragilem arenam iacimus, vt domum fundemus æternam; & de vilibus attingamus astra cœmentis. hæc S. Paulin. Illud etiam in seruo admirandum pariter est, atque imitandum; quòd sermonem exorditur ab insigni quadã commendatione domini sui Abraham. *Seruus* (inquit) *Abraham sum: & Dominus benedixit domino meo valde, magnificatúsque est, &c.* O seruum admirabilem! quid quæso conatur? Nimirùm (vt peracutè obseruat Procop.) incolis videri Abrahamum regem, & prorsus Numini illum virum curæ esse.

Eleemosyna insigne fœnus est.
Bonus seruus herum extollit.
Procopius.

B Eius rei signum proponit diuitias, & mirandum Saræ partum. hæc Procop. Nouerint serui ac famuli magnũ sibi redundare honorem, si dominos suos apud extraneos commendent. An non iste seruus haberi debuit, & vocari princeps, quippe Regi clarissimo, quem Deus magni faceret, inter omnes alios gratus, & acceptus deseruiebat? Abiectus planè, ac rusticus, qui dominum suum manifestare erubescit, & illum inter alienos mille iniuriis, probrisque dilacerat, & contemptibilémque reddit. Neque verò solùm verbis laudat, & commendat herum suum, sed multò efficaciùs facto ipso idem demonstrat. scribitur enim: Cum audisset puer Abraham procidens adorauit in terram Dominum. Qua re (vt obseruat Procop.) de-

Procop.

C clarat se re vera pij heri esse ministrum. Nihil enim prius gratiarum actione pius habere debet, qua ostendat se non esse ingratum apud Deum. sic ille. Pietas seruorum insigni præconio pietatem domini sui contestatur. Qualis enim rector, tales & subditi, ac ministri illius.

Bonus seruus à bono hero.

8 *Ecce Rebecca coram te est, tolle eam.*) Laban frater Rebeccæ, penes quem à parentibus demandatum hoc stabat negotium, post multa vltrò citróque habita, sororem suam pollicetur futuram vxorem Isaac: pater enim Bathuel fortè iam senex, robusto filio curam totius familiæ commiserat, vt Caiet. Lyppom. Delrio, bene obseruarunt. Igitur seruus oblatum munus arripit, illico profectionem maturat. Cum enim (inquit Procop.) viri cogno-

Procop.

D sceret inconstantiam, vt bonus minister festinat, ne is sententiam motet. sic ille. Commendatur in seruo, ac famulo diligentia, & promptus in obsequium animus: vt negotio impigrè, ac strenuè confecto ad dominum suum festinatò recurrat, quid factum sit maturè denuntians. Proh quàm multæ sæpiùs omittuntur rerum maximarum in quocunque negotio gerendo occasiones opportunissimæ; quibus temere, atque stultè deperditis irreparabilia deinceps lugentur dispendia! sumpto igitur maturè grauitérque consilio, nihil subinde immorandum. *Accelera* (clamat Isaias 8.) *festina prædari, &c.* Quo sanè consilio vsus est Dominus IESVS, de quo isthæc est prophetia; vbi enim conceptus, natúsque est, primam ipsam arripuit

Opportuna occasio non omittenda.
Isaiæ 8.

E occasionem vt Reges ab Oriente traheret. Magnus scilicet, (vt aliquando vocauit S Bern.) prædator Christus, videlicet, cordium, & animarum gentilis populi, nec distulit tantum suæ virtutis facinus ad virilem ætatem in qua crucifixus omnia traxit ad se ipsum. Decem tamen diés Laban, mater, ac domestici retinere ampliùs volebant puellam ad mutuos scilicet amplexus, & longum vale dicendum. Non acquiescit seruus, sed redeundum è vestigio clamat ad herum suum, ne longa expectatione dubius, anxiúsque hæreret. Et dixerunt: *Vocemus puellam, & quæramus ipsius*

S. Bernard.
Christus gentium prædator.

voluntatem. Non quidem voluntatem ad sponsalia, quibus iam simul cum parentibus assensum dederat, atque adeo munera pro arrabone acceperat; sed ad repentinam (vt putabant) profectionem. Sic enim egregie subnotauit S. Ambros.

S. Ambros.

Puella non quærant sed accipiāt maritum à parentibus.

Consulitur puella non de sponsalibus (illa enim iudicium spectat parentum, non est enim virginalis pudoris eligere maritum:) sed iam desponsata viro, de profectionis consulitur die. hæc S. Ambros. Quod quidem seriò puellis expendendum est, & religiosè, sanctéque obseruandum: indecés enim est, atque inuerecundum, vti puella de nuptiis, de marito, de filiis loquatur. Status quidem matrimonij sanctus, sed non temere deligendus: temere autem eligitur, cum à filia, non à parentibus decernitur. Sed audi hac de re vlteriùs

B

S. Ambros.

loquentem S. Ambros. Adolescentula nubat, sed electionem mariti parentibus deferat, ne appetentiæ procacioris æstimetur autor, si ipsa de nuptiis suis electionem sibi vendicet. Expetita enim magis debet videri à viro, quàm ipsa virum expetisse.

Verecundia necessaria mulieri.

Verecundiam præmittat antequam nubat, quo ipsum coniugium plus commendet verecundia. sic Ambros. Quæ sanè doctrina puellis erat identidem inculcanda.

Gratissima viro dos fœmina modestia.

Nouerint illæ nullam gratiorem sponsis, quos ambiunt, dotem se allaturas, quam modestiam, & verecundiam: nihil solent postmodum haberi, quin etiam probris, & contumeliis diuexari, si fortè ante contractum matrimonium, etiam vt sponsis morem gererent

C

Inuerecūdia vilem reddit mulierem.

impatienter amantibus, quicquam minus verecundum, ac modestum præstiterunt. Vilipenditur hæc merces, si leuiter, faciléque tradatur.

Sponsis properandum ad matrimoniū

Cæterùm constitutis sponsalibus, ad matrimonium illico festinandum, ne interim periculum incontinentiæ adeant sponsi; quod quidem, & certum est, & quotidianis infamiis comprobatur. Nec immeritò (inquit S. Ambros.) illa dilationem non attulit: iure enim properare debuit ad maritum. sic ille.

S. Ambros.

9. Fortè alicui minùs indecorum videbitur, quòd puella, vbi de sponso, de nuptiis, de profectione interrogatur, vno statim verbo respondetit: *Vadam*, & quidem a paterna domo, à patria,

Nimia nubēdi cupido in fœminis.

relinquens patrem, & matrem, & cognatos, in regionem longinquam, & ignotam abducta à seruo,

D

quem semel nunc vidit, ad maritum de ingenio, de habitu, de facie prorsus ignotum: quod planè arguit immoderatam nubendi cupiditatem, quæ fœminis ingenita esse consueuit. Nubant illæ quidem tandem aliquando, & aliud nihil attendunt. Nihilominus hoc Diuino fiebat instinctu. Deus quippe virginem illam cum ad nuptias, tum ad profectionem tam celerè permouebat: simul, vt mysterium significaretur. Quod ita euoluit S.

S. Ambros.

Ambros. Vocata, non fecit moram, & ideo acceptior Domino, quia congregatio gentium simul vt accersiti se vidit, occurrit.

Gentiles camelo figurantur.

Denique vt scias non sine mysterio esse, cum veheretur camelo venit ad sponsum, eo quod populus nationum belluina quadam horridus meritorum deformitate,

E

qui formæ suæ nullum haberet decorem, fidem esset, atque consensum Ecclesiæ recepturus. hæc S. Ambros. Communis hæc in mystico sensu apud Patres circunfertur significatio de Ecclesia è gentibus ad Christum congregata. Et quidem Isaac Christum Dominum, seruus Abrahæ Apostolos gentium conuertendarum operi destinatos significat.

Procopius.

Hanc verò Rebeccam (inquit Procop.) siue Ecclesiam ex gentibus, vbi conspexere discipuli, aurium, & manuum ornamentis ipsam exornarunt. ornamenta sunt Dei notitia, & sedula vir-

A

tutis operatio. Annuntiarunt discipuli huic Dei Patris diuitias, scilicet spem, vitam, sanctificationémque. Vnicus dicitur Christus Filius, quia solus est Filius Dei naturalis, & vniuersorum Dominus, & hæres.

Gentiliū cōuersio ad Christum,

Rebecca interrogata an parata esset ad iter capessendum, haud grauatè annuit. Sic quoque Ecclesia ex gentibus conflata promptissimè ad Christum confluxit: De qua Dauid: *promptitudinem cordis eorum audiuit auris tua.* Psal. 20. hæc Procop.

Psalm. 20.

Sed ad literam redeamus. *Igitur Rebecca, & puellæ illius, ascensis camelis, secutæ sunt virum, &c.* Ac pulchrè quidem hic adnotauit S.

D. Chrysost

Chrys. quàm generosa, virilique robore, & animo prædita extiterit Rebecca, qualem scilicet in vxorem Patriarchæ sanctissimi Diuina prouidentia

B

comparauerat. Vides (ait) qualem sponsam ducat Patriarcha? aquantem, & hydriam super humeros ferentem, & nunc iterum ascendentem super camelos.

Antiquæ mulieres generosæ, ac viriles.

Nusquam mulæ argento fulgentibus ceruicibus, neque famulorum turba, neque magna mollities, quæ nunc fieri solent: sed tantum erat priscarum mulierum robur, vt & in camelos suos ascenderent, & sic iter facerent. ita Chrysost.

Procopius.

Similia obseruat Procop. etsi pro camelo asinum ponat. sic infit: Virgo vehitur asino, nullas expetens more delicatarum delicias molles. Solido corpore & bene compacto prædita, asino portatur naturalem habens non fucatam pulchritudinem. sic ille. Scilicet cum illa ætate adhuc naturæ humanæ vigor, & virot efflorescerer, corpora robu-

C

stiora erant, quàm vt nille (quæ nunc visuntur) lecticularum, & quadrigarum adminiculis indi-

Antiquæ mulieres pulchriores.

gerent: tanta verò pulchritudo fœminis puellari maximè flore tunc inerat, vt infinita, quæ hodie

Ornatus muliebris in antiquis minor.

visitur, ornamentorum supellectili, fuco, minio, calamistris, atque omni alia sanè quàm ridicula muliebris ornatus varietate ad venustandam faciem, ornandúmque reliquum habitum nequaquam opus esset.

10. *Deambulabat Isaac, &c.*] Vicinus erat locus, in quo deambulabat Isaac, deserto Sur, prope puteum, de quo mox fit mentio capite sequenti, vbi etiam bis Agar ab Angelo confortata legitur. Sed quid maximè agebat deambulando? meditabatur vtique, vt bene vertit noster interpres. Nam *Suach*

D

שיח *loqui ore, & corde meditari, orare* significat. Vnde etiam Hebræorum aliqui vertunt: *ad orandum.*

Procopius.

Quo in sensu ita loquitur Procop. Iter illud conueniebat Isaaco, vt quod non multis frequentaretur hominibus, & ab omni strepitu esset segregatum.

Contemplatio rerum Diuinarum tēpus & locū exigit.

Et per illud incedens, & speculationi rerum diuinarum incumbens peruenit ad fontem visionis. Quidam aiunt fontem illum visionis nomen obtinuisse, quòd Isaac, & Rebecca ibi primùm se mutuò aspexerint. Is, qui vult in Diuinarum rerum speculatione versari, de corpore exeat. Meritò non adiectum est, cui rei intentus fuerit. Siquidem nec cum homine, vel alia cum terrena re-

Orandi studium.

colloquium habuit: sed totus speculationi Numinis fuit deditus, vel alicui rei intentus, quæ ad

E

Deum attinere visa est. hæc ille. Quæ omnia breui compendio ita complectitur S. Hieron. *de quæst. Hebr.*

D. Hieron.

Isaac egressus fuerat ad meditandū in agro. Heb. *vt loqueretur*: alij. *vt exerceretur.* Egressus est domo vir iustus ad orationem, & spirituales Deo victimas obtulit. sic Hieron.

Oratio sanctè obeunda.

Vide quanta sedulitate bonus adolescens orationem ineat; locum enim opportunum eligit, videlicet solitarium, & ab arbitris remotum; tempus etiam percommodum captat inclinata iam die: vt noueris nihil non moliendum, vti orandi officium, quo nullum, aut pretiosius, aut suauius, rite, sanctéque possis obire.

A B. Maria fugunt homines omnem gratiam.

A ditum habent, quærentes inueniunt, fugentes accipiunt quicquid (post Deum) solatij, ac dulcedinis,& fauoris homines concupiscunt. Vocat Epiphanius Virginem gloriæ radicem perquàm apposite: tum quia Deus ex hac radice prodiens homo, ita glorificatus est inter homines, vt pleno iam ore cælites ipsi concinant: Plena est omnis terra gloria eius: tum etiam, quia felix ille haberi debet, ac solet, qui Virginem Matrem piè veneratur, tenerèque diligit: habet enim ille iam in seipso æternæ gloriæ radicem.

Signum prædestinationis pietas erga B. Mariam.

9. Non patitur Abraham filio suo vxorem de Chananæorum gente perquiri. Sciebat enim (inquit Procop.) Deum diris execratum esse imprecationibus Chananæos: proinde nolebat vt filius inde duceret vxorem. sic ille. Sed quænam isthæc

Procopius.

B maledictio, & infelicitas illius gentis, cuius connubia sic Dominus suo populo interdixit? Respondet egregiè S. Ambros. Constrinxit (inquiens) seruum, vt non de semine Chananæorum vxorem accersiret domino suo, quorum generis autor patrem non honorauerat, & ideo maledictionis hæreditatem transmisit in suos. sic Ambros. Tam exitialis est, ac Deo ipsi, & mortalibus exosus, qui parenti suo reuerentiam, & pietatem denegat. Maledictum ergo illius semen Diuina sententia prohibetur quicquam habere commercij cum populo fideli, & diuinitus electo: non ingreditur semen illius, qui patrem suum irrisit, in populum illum, ex quo Dei Filius natus homo est; qui missus à Patre, & Patri obediens vsque ad mortem

S. Ambros. *Grauis maledictio in eū, qui patrem offendit.*

C crucis fuit. Præterea indecens erat, vt fidelis, pius, sanctúsque iouenis Isaac, cum gente illa infideli, & impia commisceretur. Vt cognoscamus (adiungit S. Ambros.) fidem, & quandam hæreditatem de autoris prosapia in his requirendam, quos nobis volumus adiungere: *Cum sancto, sanctus eris, & cum peruerso peruerteris*. Psal. 17. Si hoc in aliis, quantò magis in coniugio, vbi vna caro, & vous spiritus est? Quomodo autem potest congruere charitas, si discreper fides? Et ideo caue, Christiane, Gentili, aut Iudæo filiam tuam tradere. Caue inquam gentilem, aut Iudæam, atque alienigenam, hoc est, hæreticam, & omnem alienam à fide tua vxorem accersias tibi. sic S. Ambros. Simile quid leges

Christianus matrimonii cum infideli non contrahat.
S. Ambros.
Psalm. 17.

D apud Tertull. *libr. de coron. mil. cap.* 13. hoc modo. Ideo non nubimus ethnicis, ne nos ad idololatriam vsque deducant, à qua apud illos nuptiæ incipiunt. sic ille. Nimirum sponsus, & sponsa floribus, ac sertis, & seipsos, & domum, & lectum coronabant, quæ Veneri, aliisque idolis erant consecrata, vt scribit Alex. ab Alex. *gen dier. lib.* 2. *cap.* 5. Pammeliusque ad locum Tertull. Atque, vt omnino Christianum S. Ambros. auertat à tam dispari atque infideli coniugio, discrimen affert haud dubiè futurum adulterij ea inde subnascentis; quo quidem malo coniugum animi vehementer exacerbantur. ita prosequitur. Prima coniugij fides castitatis gratia est. Si idola colat, quorum prædicantur adulteria; si Christum neget, qui præceptor, & remunerator est pudicitiæ; quomodo

Tertul. *Infidelium nuptia ab idololatria inchoata.*

S. Ambros. *Adulteria infidelibus vsitata.*

E potest diligere pudicitiam? Accedit aliud insigne castimoniæ, si credas à tuo Deo tibi, quod sortitus es, coniugium datum. vnde & Salomon ait: *A Deo præparabitur viro vxor*. Prouerb. 19. Non possunt hoc dispares fide credere, vt ab eo, quem non colunt, putent sibi connubij impartitam gratiam. hæc Ambros. Quæ percommodè cadunt etiam contra hæreticos, quibus ne Aue quidem dicendum vult Apostolus; quantò seueriùs, ac gloriosiùs cauendum, ne cum illis matrimonia fidelium contrahantur?

Prouerb. 19.

A 10. Vt cætera mala transeam; gens ista hæreticorum, quî fidem homini reddet, quæ Deo in baptismo datam omnino violauit, ac perfregit? Quæ corporum pudicitia inueniri potest, vbi summa est mentis corruptela? quî fiet, vt mores non habeant perditos, ac profligatos, qui confessionem sacramentalem, qua scelerum exhauritur sentina, execrantur? qui Diuinam Eucharistiam pudicitiæ, bonorúmque omnium fontem à seipsis repulerunt: qui exosam habent pœnitentiam, & carnis afflictionem, & ficta illa sua, vana, & ridicula fide, quam vnam ad expiandas omnes suorum flagitiorum sordes arbitrantur sufficere, malè confisi, & turpiter subnixi, laxant deinde habenas Veneri, & Baccho, atque omni impietati? En

Hæreticorum vitia.

Vana & ridicula fides hæreticorum.

B ô miseri, quî poterunt esse vestra connubia inter infideles, atque impuros, firma, pura, inuiolata, & Christiana? miraculum erit virum fidelem cum infideli coniuge habitantem in fide Christi diu persistere. addit enim præclarè S. Ambros. Ratio docet, sed ampliùs exempla commouent. Species illecebra mulieris decepit etiam fortiores maritos, & à religione fecit discedere. Et ideo tu vel amori consule, vel errorem caue. Primùm ergo in coniugio religio quæritur. hactenus S. Ambros. Cæterùm aliena videmur loqui; non enim Abraham vxorem filio quærebat ex fidelibus, cum vniuersa illius cognatio in Mesopotamia idolorum cultu esset infecta. vnde meritò Procop. admiratur: Mirum (inquiens) tamen est, cum prohibeat

S. Ambros. *Mulier infidelis maritū facit infidelem.*

Procopius.

C ne filio coniongat vxorem Chananæam: eundem tamen proficisci iubeat ad gentem, quæ idolis inseruiebat, & hinc petere filio vxorem. sic ille. Qui deinde in hunc modum occurrit. Non fugiebat Patriarcham fore, vt si puella longiùs à paterno genere fuerit submota, & in domum piam dedocta, obliuia faceret paterni erroris: quod sanè non fecisset, si fuisset subinde in tutela, & quasi gremio parentum. hæc Procop. Optima quidem ratio, quam experientia quotidiana comprobat, & idem Procop. egregiè confirmat ex ipsa lege Moysis. sic enim vlteriùs procedit. Quare etiam Moyses omnes Madianitas contrucidandas edicit, parcit interim innoxiis, & intactis, vel illibatis Virginibus? Verùm quomodo legem reueretur dum

Puella extra patriam domum nouos induit mores.

D incolumes seruat, quas lex necandas edicit? Lex imperat, ne quis à parentibus alienigenis vxorem petat, nec interim prohibet connubium captiuarum, quæ propter simplicitatem leui momento ad veram impelluntur religionem. hæc ille. Adde captiuas parentibus, & aliis omnibus de suo genere extinctis, non habere veteris suæ impietatis doctores, & fautores: ac subinde dominis vti maritis copulatas debitam illis præstare obedientiam, atque in illorum religionem, morésque facilè, vltróque transire. Quo remedio vti voluit Propheta, seu potiùs Deus ipse, ad purificandam, & sanctificandam animam, quæ priùs fuerat infecta sordibus vitiorum: cum ait: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & do-*

Mulierum propensio ad pietatem.

Captiuarum docilitas.

Vita prioris in meliorem commutatio.

E *mum patris tui. Et concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus*. Psal. 44. Crede (explicat S. Hieron.) vt munderis, obliuiscere vitia, & domum patris tui diaboli, quia mundus in maligno positus est. Seu vt Chrys. interpretatur: Præcipit, vt priorem consuetudinem ex animo deleat, è memoria eiiciat non solùm ea fugiendo, sed ne eorum quidem recordando. sic Chrysostomos.

Psalm. 44.
D. Hieron.

11. *Dominus Deus cæli, &c.*] Adiuratus seruus ab hero suo, quærit quid faciendum, si fortè mulier ad connubium Isaac rogata, patriā, domúmque

parentum

parentum noluerit relinquere, & ad Chananæorum regionem transmigrare. Nunquid illuc deducendus est iuuenis, vel ad habitandum cum vxore, vel saltem ad celebrandas cum ea nuptias? Respondet Abraham: *Caue, nequando reducas filium meum illuc.* Timebat enim iuuenem in Mesopotamia cum vxore viuentem inter idololatras, in similem impietatem breui abiturum. Tam certum, atque euidens est hoc periculum, vt propterea Dauid reputauerit idem esse habitare inter idololatras, atque idola venerari; cum ad Saulem aliquando conquestus dixisse legitur: *Maledicti sunt in conspectu Domini, qui eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate Domini, dicentes: Vade, serui diis alienis.* 1. Reg. 26. Non quidem aduersarij vsque eò sacrilegi erant, vt Dauidem ad venerandum idola consilio, vique aliqua impellerent: sed quia Saulem irritando aduersus Dauidem, hunc planè cogebant relicto patrio solo, ad regis inuidiam, & crudelitatem declinandam, barbararum gentium quærere asylum, atque inter idololatras, nefandúmque idolorũ ritum habitare. Vocat autem seruus mulierem, quæ tamen virgo quærebatur ad nuptias. Solent enim Hebræi nomen mulieris vsurpare pro fœmina, qualiscunque illa sit; vt non corruptionem, sed sexum insinuet. Quod S. August. Tertull. & alij frequenter adnotarunt. Sic Christus Dominus à Paulo dictus, *factus ex muliere.* Et Dominus ipse Virginem Matrem bis legitur mulierem appellasse. Quæ tamen, vt loquitur S. Basil. *homil. de Natiuit. Christi.* & Virgo erat, & viro desponsa, quò & Virginitas coleretur, & nuptiæ non vilipenderentur. Et Virginitas quidem velut idonea ad sanctificationem electa est, per desponsationem verò nuptiarum principia assumpta sunt. Simul autem quò etiam domesticus esset puritatis Mariæ, testis Ioseph, & non calumniis exposita esset, velut quæ Virginitatem contaminasset, sponsum habuit vitæ custodem. hæc S. Basil. Vide admirabilem Dei prouidentiam erga Virginem, eiúsque pudorem ac famam illibatam: ante nubiles annos, atque statum Virgo purissima, testes, & veluti custodes habuit suæ immaculatæ Virginitatis, in primis parentes suos, deinde in templo sacerdotes, virginésque sacras, inter quas agebat; post illam ætatem iam nubilis, ac desponsata, Iosephum virginem, & sanctissimum virum: Iosepho mortuo Filium suum Deum hominem, cum quo sub eodem tecto deinceps vixit: denique in cælos Filio ascendente Ioannem suum ex cognata nepotem; at quem hominem? Christo scilicet familiarissimum, qui supra Dei pectus recubuerat, qui Diuinorum mysteriorum sapientia mortales omnes, velut Aquila reliquas alites, superauit: ac demum admirabili supra humanam naturam (vt custodem, & comitem Virginis Dei Matris decebat) Virginitatis palma insignem.

Summum periculum est viuere inter idololatras.

1. Reg. 26.

S. Basil.

B. Maria Virgo & sponsa.

B. Maria virginitatis suæ testes & custodes semper habuit.

12. Noluit Abraham, vt filius eò se conferret, vnde Dominus patrem abire iusserat, quasi diceret perfectus hic obediens: Iussit Dominus, vt egrederer de terra mea, & de cognatione mea. Igitur vt libens parui diuino imperio ad hanc vsque horam; ita nec amplius illuc reuertar, nec filium meum abire vnquam in animum inducam. Quod Procop. subtiliter ita colligit. Cæterùm, vt ipse testatur, quia oraculo diuino vocatus patriam suam deseruit, nec filium eò reuerti voluit. sic ille. Nimirùm vt pater semper Deo obediens, etiam in filio, cum quo vna caro, & anima vna erat, diuinum præceptum compleret. Quin etiam, quod magis cómendat perfectam Patriarchæ obedientiam, filio vxorem quærit, quæ simili parens imperio patriam, cognatósque relinqueret, & obediens ad obedientes pergeret, & cum obedienti bus coniungeretur. Non latuit hoc Procopium cuius hæc sunt verba: Veruntamen cum Rebecca à patrio auocetur solo, & inde digrediatur, impleuit quoque illud Abrahami: *Egredere de terra tua:* & illud: *Veni in terram, quam demonstrauit Deus Abrahæ.* sic Procop. Igitur Abraham multis confirmat seruũ, vt fide Dei plenus speret optimum, ac felicissimum itineris sui euentum. Qui enim (inquit) me hactenus, tot ac tam præclaris cumulauit beneficiis, hoc etiam adiiciet, vt mittat tecum Angelum custodem qui te præcedat, te dirigat, tibi notam faciat puellam, quam Dominus ipse vxorem filio meo, ad suarum promissionum impletionem è Syria habet destinatam. Certè hoc vno, vt cætera deessent, promerebatur Abraham nouum istud Diuinæ bonitatis beneficium: cum Dei sibi collata beneficia tam recenti memoria sigillatim enumerat, atque ex veteribus fiduciam, & spem concipit ad noua subinde speranda, & capienda. Gratus enim homo cum accepta memorat, & gratanter prædicat, datorem ipsum ad plura, & maiora deinceps conferenda obligat. Præsertim obedientiam suam Patriarcha in medium adducit, pro qua hoc etiam nouum beneficium à Deo promereri sperat. *Dominus* (inquiens) *Deus cæli, qui tulit me de domo patris mei, &c.* In quo seruum instruit sanè Domini sui (animaduertit S. Ambr.) qui se ab incolatu terræ, in qua habitabat, abduxerat, non defuturam misericordiam, vt præiret studio petitoris, & puellæ inclinaret animum: quasi Propheta hoc dixit in causa filij. hæc Ambros. Memorat etiam Dei promissionem: quasi diceret (obseruat Procopius:) Si hæc promissio vera est, vt falsa esse nequit, profectò Deus ita informabit virginis animum, vt libenter in hanc terram te sit comitatura. sic Procop. Hanc sanè fiduciam in Domino suo ita certam habent, qui illius familiaritati, & contemplationi assueuerunt, quiquo diuina beneficia, & humiliter suscipiunt, & grato animo memorant, vocéque prædicant.

Procopius.

Abrahã obediens suos facit obedientes Deo.

Procopius.

Gratitudo accipientis datorẽ obligat.

S. Ambros.

Spes in Deum. Fiducia &

Procop.

SECTIO II.

Posuit ergo seruus manũ sub fæmore Abraham domini sui, & iurauit illi super sermone hoc. Tulitque decẽ camelos de grege domini sui, & abiit, &c. vsq; ad *Cum domino meo,*

1. IAm tandem seruus Abrahæ nouo illo, & insitato ritu iurandi obstrictus itineri se dedit, vt mandata Domini sui exequeretur, à Bersabe, vbi tunc Patriarcha morabatur, vsque ad Haram sedem Nachoris, septem, octóve dierum itinere distantem, vti Abulens. & alij testantur. Hebr. *el Aram naharaim* אל ארם נהרים *ad Aram siue Syriam fluuiorum.* Mesopotamiam significat, quæ est inter duo flumina, Euphraten & Tygrim. Nam Græcè *μέσος medium*, & *ποταμὸς, fluuius* dicitur, altera verò est Aram in Syria. Cæterùm seruus iste, vti dominum suum decebat, ac negotij magnitudo exigebat, non vulgari apparatu comitum, & animalium profectus est: simul etiam multa, & ingentia donaria, quibus sponsa, ancillæ, ac parentes quoque, & cognati donarentur, secum detulit. Hebr. *Vecol tub adonau beiado* וכל טוב אדניו בידו *Et omne bonũ domini sui in manu sua,* hoc est, quicquid pretiosum, ac magnificum domi herus habebat; non quidem coniunctim omnia, sed præ-

Opes facilè contrahunt matrimonia.

cipua ex singulis bonorum generibus. Alij intelligunt vniuersam possessionem Abrahæ, quæ in schedula mittebatur obsignata Isaaco, vtpote certo, & vnico hæredi; semper enim rei familiaris abundantia illicium grande fuit mortalibus ad contrahenda matrimonia: hoc quidem subsidio illorum grauissima leuantur onera. Facilè igitur erat seruo coniugem Isaaco conuenire sponso, nimirum iuueni, nobili, & amplissimæ, atque opulentissimæ familiæ vnico hæredi: Admirare tamen prudentiam, & modestiam Abrahæ: schedulam magnarum opum, itémque donaria pretiosissima mittit ad sponsam, nec tamen ab illa, vel ab ipsius parentibus quicquam exposcit. At ô bone Patriarcha, quid si paupercula sese obtulerit in coniugem filij tui? Nonne satius erit Chananæam fœminam ducere, quæ sit nobilis, pecuniosa & pulchra? Cogita mecum (inquit S.Chrysost.) & propositum iusti, & quò spectarit: & attende quomodo veteres non quærebant substantiam multam, non diuitias, non seruos, & iugera agri, tot, & tot; non externæ venustatis formam: sed animæ pulchritudinem, & morum nobilitatem. Patriarcha igitur habens respectum virtutum animæ ita se gerit. hæc ille. Quod viuum erat ex illustribus primææ gentis ornamentis. Vtinam, & in nostra ætate talis esset morum, ac virtutum æstimatio, & commendatio! At nunc (apponit S.Chrysost.) omnes tale quiddam ne cogitant quidem. Nam etsi malis innumeris plena sit mulier, hoc solum inquirunt, quantum abundet pecuniis; cætera omnia posteriore loco habent, nescientes, quòd cum mens peruersa sit, licet indicibiles affluant diuitiæ, facile in extremam venient inopiam: & nihil proderunt opes, cum non sit ibi mens, quæ bene illas dispensare queat. hæc S. Chrysost. Quæ quotidie vsurpamus oculis: fitque plerumque vt pecuniosa mulier, licet inhonesta moribus, aut facie omniùm deformis, aut certe iracundo, & amaro ingenio intractabilis multos tamen habeat procos, qui pecuniam, non mulierem ducunt in vxorem: dicerénque possent, si verè loqui cogerentur in solennitate contractus coniugalis: Ego te duco in matrimonium ô pecunia, ô hæreditas, ô ampla domus. Ac deinde subsequitur breui tot bonorum miseranda strages; vbi maritus exosam habens coniugem, cum meretricibus, lenonibus, & aleatoribus, totam miseræ vxoris pecuniam & substantiam consumit. Sed vnde nouerat Abraham ex Mesopotamia puellam moribus & ingenio conspicuo filio suo deuenturam? Nimirum ex misericordia Dei sui, qui suas per illam completurus erat promissiones, hoc sibi beneficium sperabat: quod & accepit. Nullus enim fuit (inquit S.Ambros.) vel in huius coniugij petitione ambitioni locus, sed Dominus præsul coniugij petitionem impleuit. hæc Ambros. Quæ quidem in sequentibus fient apertiora. Rectè igitur hinc idem colligit: Disce (inquiens) quid in vxore quæratur. Non aurum, non argentum quæsiuit Abraham, non possessiones, sed gratiam bonæ indolis. sic ille *lib. 1. de Abraham cap. 9.* Hæc prima quidem, summaque dos in fœmina quærenda est ad coniugium: scilicet mite, modestumque ingenium (Lusitane *boa condicam*) sine quo nec pax, nec virtus inter coniuges consistere potest. Contra verò, si ferum, si viperam ducas, quid nisi pestis, atque infernus videbitur coniugium? Malæ quidem, ac peruersæ indolis fœminas Chanaam iam ex longa multorum annorum experientia esse apprimè callebat Patriarcha: suam verò cognationem, etsi foret erroribus infecta, bona tamen, ac

Mores optimi vel tantùm, vel maximè in vxore quærendi.

S. Chrysost.

S. Chrysost.

Opes à mente peruersa dissipantur.

Multi pecuniam, nō fœminam ducunt in vxorem.

Impurus vir vxoris dotem male dissipat.

S. Ambros.

Deus coniugij præsul.

Bonum ingenium in vxore dos maxima.

suaui præditam indole, atque adeo ad virtutem suopte ingenio compositam, habilemque sciebat.

12. *Domine Deus domini mei Abraham, &c.*] Ad puteum, siue fontem (promiscue quidem in scriptura fons, & puteus ponuntur) quiescebat paululum seruus iuxta oppidum, ex longi itineris labore: vbi nihil homini potius ac prius fuit, quàm vt Deum omnipotentem precaretur. Hanc primam in toto illo itinere vocem à seruo emissam legimus: ac si cum hominibus integrum seruaret silentium, vno autem cum Deo familiariter loqui assuesceret. Talis erat disciplina domus Abrahæ, talis institutio seruorum: ad exemplum tam pij domini pietatem omnis familia, & orandi studium fideliter, sanctéque exercebat. Seruus igitur (inquit Procopius) obsequens admonitioni herili, eò adueniens neminem conuenit; sed continuò colloquitur cum Deo, quem Abrahamum, itineris comitem, & gerendæ rei arbitrum fore pollicebatur. sic ille. Sciebat bonus iste, prudénsque seruus, quanti semper valuerit in domo Abrahæ pia erga Deum precatio: iccirco ad impetrandam Dei misericordiam aptissimo orationis instrumento vtitur. Clamabat quidam in via cæcus, cum Dominus præteriret: cæteri quidem vanos rati clamores nihilominus pergebant vlteriùs: at Dominus sistit gradum, audit, affatur, sanat denique cæcum. *Luc.* 18. Ecce (inquit S.Euseb.Emissen. ad eundem locum) quantum oratio potest, ecce quantum valet clamor mentis: turbam vincit, Christum sistit. Clamore tenetur, qui fortitudine teneri non potest: stat Iesus, vocat, & expectat eum, &c. sic Euseb. O admirabilem orationis potentiam! iccirco infirmi sumus, & imbecilles, quia non fulcimur oratione. Similiter S.Chrysost. Sistit (ait) Christum vox vocantis in fide, &c. Sed quæ maior fides? Legimus enim: *Et qui præibant, increpabant eum, vt taceret; ipse verò multò magis clamabat.* Vnde optimè colligit S.Chrysost. Nouit enim fides omnibus repugnare, & in omnia triumphare. Vtile est pro cultu Diuino pudorem deponere. Nam si causa pecuniæ sunt impudentes nonnulli, pro animæ salute num decet bonam induere impudentiam? Per inhibitiones huiusmodi non impediebatur cæci audacia. hæc S.Chrysost. Non possum non prædicare, ac venerari Domini bonitatem, qui tam studiosam, tam piam, támque paternam curam gerit vnius mendiculi clamantis, vt animos faciat peccatoribus quantumuis sordidis atque abiectis. clament illi, rogéntque certi, & confisi in Dei misericordia se tandem exaudiendos fore. In quo argumento ita perbellè disserit S.Pacianus Barcin. *paren. ad pænit.* Nemo adeo peccatricis animæ vilitate desperet, vt se iam non necessarium Deo credat. Neminem nostrum vult perire Dominus: etiam modici, & minimi requiruntur. Si non creditis, intuemini. Ecce in Euangelio drachma requiritur, & vicinis inuenta monstratur. Ouicula suppositis reportanda ceruicibus, non est onerosa pastori. Super vnum peccatorem pœnitentiam agentem in cœlis Angeli gaudent, & chorus cœlestis exultat. ita Pacian. qui rectè pro vi orationis ad confirmandam miserorum fiduciam colligit: Heus tu peccator rogare ne desinas, vides vbi de tuo reditu gaudeatur? hæc ille. Res huiusmodi tam viles, abiectásque Dominus in similitudinem assumit, vt nemo de sua vilitate desperet. Increpabant cæcum prætereuntes: ea namque mortalium est inhumana cōditio, vt misellos vexent, & ne bisserre, atque suam deplorare calamitatem patiantur. Et, quod grauius multò est, vbi te obsequio Dei addixisti, atque ad illum

de

Familiaris oratio serui Abrahæ.

Serui ad exemplum domini.

Procopius.

Vis orationis ad impetrandum.

Luc. 18.

Euseb. Emis.

Deum vincit oratio.

S.Chrysost.

S.Chrysost.

Fides triumphat.

Bona pro Deo impudentia.

Fiducia in Dei misericordia.

S. Pacian.

Etiam minimos requirit Deus.

Peccatori fiducia in Deo.

Peccator insistat orationi.

Iusti à maledicis & mundis impugnātur.

de mundo transfuga te recepisti; continuò permulti obtrectatores, ac maledici in te virulentas distringunt linguas, atque tibi inuidiam infamiámque inflammare conantur. Sed felix eris si patienter feras hominum praua iudicia, & verbera acutissima verborum.

S.Paulinus.

Non enim (scribit S. Paulin. *Epistol.* 5.) metuenda est offensio talium, quæ quidem optanda nobis est; quorum de hominum opprobriis, atque maledictis nascitur illa merces, quam copiosam Deus promisit de cælis.

Optanda pro Deo maledictio hominum.

Beati estis cum maledixerint vobis homines, & exprobrauerint, &c. Matth. 4. hæc S. Paul. Ad quem locum egregiè colligit S. Hieron.

Matth. 4.
D. Hieron.

Vbi ergo Christus in causa est, ibi & optanda maledictio est, &c. Quia verò homines honorati cupiunt, iccirco indignantur, cum sese vident impeti maledictis, & opprobriis dehonestari.

Vbi non est ambitio, nec dolor est.

B quare optimè aduertit idem Hieron. Eleganter in quodam volumine scriptum legi: ne quæras gloriam & non dolebis, cum inglorius fueris. sic ille. Quoniam verò hunc locum attigimus, in quo humana infirmitas, dum hominum potiùs opinioni, quàm Dei voluntati, & obsequio studet, frequentibus solet naufragiis perire; illud ex S. Petr. Dam. *serm. de spir. certam.* monendum censeo:

S.Petr.Dam.

Nulla (scilicet) infirmitas humanæ conditionis obsistat, vbi ad confligendum diuinæ visionis autoritas roborat. Ille tenetur ex promissione victoriæ, qui dux & autor est pugnæ. sic Damian.

Deus in pugna, cuius autor est, roborat.
Iusto non curandum de linguis irridentium.

Ab incepto igitur studio virtutis ne desistas, quicquid homines perditi obloquantur: quantò illi C magis increpabunt ac persequentur, tantò vehementiùs tu pietati insiste; ac Deum clamando implora: sic pietas vincit, sic fides triumphat. Non pudet cæcum inter sibilos prætereuntium, inconditis, vt putabant, Deum clamoribus fatigare: non enim locus est impudentiæ, vbi tota ratio est pietatis.

Solius Dei iudicium verendum.

Quid verba hominum curas, siue adulentur, siue obmurmurent, cum Deum præsentem habes, cuius tantum iudicium reuereri debes? Deum respice, atque inania stultorum dicta contemnito. Hoc insignis prudentiæ, pietatísque consilium scripsit S. Gregor. ad Pallad. refértque & inculcat S. Hildebert. *Epist.* 5 a. hisce verbis.

S.Gregor.
S.Hildebert.

Inter verba laudantium, & vituperantium, ad mentem semper recurrendum est.

Non curandum de iudiciis hominū.

Etsi in ea non inuenitur bonum, quod de nobis dicitur, magna tristitia generari D debet. Et rursum si in ea non inuenitur malum, quod de nobis loquuntur homines, in magnam debemus lætitiam prosilire. Item si nobis est testis in cœlo, si in corde, dimitte stultos foris loqui, quod volunt. hæc ille. Quæ si diligenter obseruentur à viro iusto, nihili omnino habebit, quicquid mundus garriet, ac maledici, & vaniloqui obstrepent, & obloquentur. Quem enim moueant verba vermiculorum, si iudicio Dei maximi, & optimi confirmatur?

3. *Fac misericordiam cum domino meo Abraham.*] Expertus multos per annos fuerat seruus omnia in domo Abrahæ, felicius oratione ad Deum suppliciter emissa, quàm omni hominum adhibita in- E dustria successisse: atque ideo precatur Dominum admirabili quadam humilitate, & prudentia, quas oratio nostra si secum deferat, haud dubiè, quod petet, à Domino impetrabit.

Humilis & prudens oratio.

Non enim modestus homo merita sua exponit, quæ nulla in se agnoscit, sed Domini sui obsequia vno verbo comprehendit, quæ tot, ac tanta fuerint, vt Dei gratiam, & familiaritatem promeruerint, cum Deus appellatur Deus Abraham. Deinde licet Abrahæ merita insinuet; multo magis tamen spem suam ponit in Dei misericordia, cum beneficium, quod efflagitat, non vti debitum, sed vti puram gratiam, &

A misericordiam Dei exposcit: ait enim: *Domine Deus domini mei Abraham occurre mihi hodie, & fac misericordiam cum domino meo Abraham*: quasi dicat (exponit Procop.) Tu Domine Deus meus, quamuis ego sim indignus, quem in tua sceptra reponas, respice herum meum; nec peto, vt quasi ex debito huic sis obstrictus: absit, misericordiam tuam imploro, quam in negotio heri mei fac aspiciam. Nam qui plurima bona opera facit, gratia non ex operibus saluatur. hæc Procop.

Procop.
A Deo gratia, non debitum exposcitur

Dei misericordiam submissè, ac perpetuò veneremur: ab ea quippe tanquam à fonte manat quicquid boni habemus; cum & merita nostra non sint aliud, quàm ipsius Dei dona.

Dei misericordia fons nostrorum bonorum.
Nostra merita Dei dona.

Vnde licet regius Propheta magnis esset, & multis ditatus maximo- B rum operum meritis, æternum tamen cælestis gloriæ præmium soli misericordiæ diuinæ, imò & multitudini misericordiarum refert acceptū; cum ait. *Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam.* Psal. 5. Nec id mirum videri debet. Homines enim (inquit ibi S. August.) perfectos, & beatos rectè dici multitudinem miserationis Dei quis negat, cum verissimè dictum sit: *Quid est homo quia memor es eius, aut Filius hominis, quia visitas eum?* Ps. 8. Introibo in domum tuam, tanquam lapis (credo) in ædificium. hæc S. Aug.

Psalm. 5.
S. August.
Psalm. 8.

In medium adducit seruus herum suum Abraham, cuius gratia summa erat apud Deum: nouerat enim quantum momenti, ac præsidij in postulationibus Sanctorum constitutum sit, vt quod possibilitas no- C stra non obtinet, eorum intercessionibus donetur. Nam iis à Domino dictum est: *Dabo vobis os.* Matth. 23. vbi S. Euseb. Emiss. Sancti non armis pugnant, sed voce, &c. Hi sunt illi, qui regno cælorum vim inferunt, & violenti rapiunt illud. Quæ autem maior vis, quæ violentia magis cœlorum, diuinique pectoris expugnatrix, quàm Sanctorum deprecatio?

Matth. 23.
Euseb. Emiss.
Matth. 11.
Potens & expugnatrix oratio Sanctorum.

4. At supra omnes, cum Angelos, tum Sanctos illa potentissima, & efficacissima est in petendo, atque impetrando, quæ Deum ipsum, qui rogatur, suis e visceribus natum Virgo peperit.

B. Mariæ intercessio potentissima.

Enimuerò quid filius matri pro filiis deneget obsecranti? Minoris multò valent reliqua omnia, quæ homo assequi poterit, quàm ipsamet æterna salus D animæ: hanc tamen ille proculdubio assequetur, pro quo Virgo parens piè, ac dulciter Filium inuocabit.

Suis seruis vitam æternam impetrat B. Maria.

O verè beatum, qui Virginem Matrem ardenter diligit, sanctè colit, iugiter inuocat, corde atque ore veneratur: qui denique suauissimam dominam deuoto, ac pio animo semper gestat! scilicet ipsa est illud Dei tabernaculū, cuius prærogatiuam ita ipse Omnipotens prædicauit. *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abiiciet vos anima mea.* Leuit. 26.

B. Maria tabernaculum, & arca Dei.
Leuit. 26.

Sæpius hoc idem recurrit argumentum, quo (vt sperare licet ex Dei bonitate) concludimus, magnum esse prædestinationis signum in homine erga Dei Matrem Virginem hominis pietatem singularem. At peccator est, ac reus mortis: fuerit ita, sed aliquando tandem è E peccatore iustus fiet, & vita dignus sempiterna; quia beatissimæ Virginis obsequio se deuouit. in cuius rei symbolum dixit Salomon Abiathari: *Equidem vir mortis es; sed non te interficiam, quia portasti arcam Domini Dei.* 3. Reg. 2.

3. Reg. 2.

Ex vtroque loco rectè colliges, tabernaculum Dei hominibus multū profuisse ad omnia diuinæ bonitatis beneficia consequenda: Deúmque ibi esse, vbi tabernaculum eius stetisset: Arcam etiam tam salutarem haberi, vt vel reum capitali morte dignum absoluerit, eo quòd aliquando illam humeris deportasset. Planè hæc omnia in figuris contingebant: at

Signum prædestinationis pietas in B. Mariam.

A veritas est, semper Virginem Dei Matrem tanta gratia valere apud Deum, vt ille nunquam reiiciat, nunquam condemnet hominem in quo videat Matris suæ nomen, ac notam, affectum, ac pietatem residere. Denique perbeatum illum censendum, qui Virginis portet obsequia, in seruum se Reginæ cœli addixerit. Etenim in suæ Matris gratiam clementissimus Iudex peccatorem conuertet, absoluet, ac sempiterna gratia, & gloria donabit.

5. *Puella, cui dixero, Inclina hydriam, &c.*] Diuino instinctu impulsus Abrahæ seruus, magna Dei confidentia plenus signum inquirit puellæ, quam Isaaco desponsandam sanctissimus Abraham vti promerebatur, ita confidenter sperabat. Et quidem veraciter (inquit Rupertus) seniorem hunc

Rupertus.

B suprà nominauit scriptura. Nam quod seniore dignum fuit, nec ipse petendæ puellæ iudicium suis commisit oculis, qui solam faciem, non etiam mores, aut virtutem prouidere possent; sed secundùm berilem fidem credens, quòd Domini sui curam haberet Deus, totam in illo posuit electionis spem. hæc Rupert. Malè fiunt nuptiæ, infelicitérque interdum succedunt, cum eliguntur coniuges ad solum iudicium oculorum: quod quàm sæpe falli solet, nemo est, qui nesciat. Verè de se ipsis multi hodie malo suo edocti, cum sera iam est sapientia, & barathrum videtur, sed euitari nequit, inclamant illud Poetæ.

Non eligatur coniux ad iudicium oculorum.

Virgil. Ægl. 8.

Vt vidi, vt perij; vt me malus abstulit error!

C Itáne verò tanta audacia, & amentia tibi erit, vt solum quia placuit oculis ille, vel illa, illi nubas, vel illam ducas? vidisti faciem, sed de ingenio, de indole, de moribus nihil certi habes. Et quidem fortassè pulchra erit facies, sed ingenium ferox, indoles absurda, mores perditi, vitáque profligata. Quid igitur tali coniugio infelicius? Credidit suis oculis fortis ille viribus, sed non ita mente prouidus Samson, qui relictis de sua gente, tribúque puellis, Philistæam adamauit: duxitque infidelem secta, natione barbaram, ingenio perfidam, eò tantum, *quia* (inquit) *placuit oculis meis*. Iud. 14. En ô Samson tempus erit, cum isti tui oculi, qui malè nunc iudicant, atque eligunt tibi vxorem, in pœnam peruersi iudicij, & infaustæ electionis occæcabuntur! Sed quodnam signum eligendæ

Non facies, sed ingenium & mores quærenda in coniuge.

Iudic. 14.

Samsonis oculi decepti & eruti.

D puellæ seruus adeò prudens exposcit? nempe ingenium mite, affabile, perhumanum, beneficum, & hospitalitatis studiosum: vt illa sponso futuro similis esse videretur. quod ita S. Chrysost. euoluit. vide serui prudentiam. Nam quia sciuit Patriarchæ hospitalitatem: & quia virginem inde ducendam congruebat iisdem esse præditam moribus, quibus iustus; nullam aliam coniecturam inquirit; sed characterem virginalis animi ab hospitalitate colligere vult: & inquit: Si quando ego aquam ab ea petiuero dicens: Inclina mihi hydriam, non solum faciet quod, petiui, sed & candorem, ac liberalitatem mentis suæ declarabit, & dicet: Etiam camelos tuos aquabo, morum suorum mititatem satis ex aquæ præbitione ostendendo. Illa (inquit) sic explorata, & hoc indicio

D. Chrysost.

Pietas vxorem commendat.

E deprehensa, domini mei moribus conueniens digna erit, quæ filio eius sit vxor. hæc S Chrys. Quibus similia sunt, quæ Procopius effatur in hunc modum. Quod diuinæ subiiciat misericordiæ satis magnum signum est, quòd non voluptatem, non diuitias sectatur: sed inuestigat virtutem, & Virginis hospitalitatem. Sciens siquidem Abrahamus illam familiam hospitalitate ornatam inde vxorem filio suo hospitalitate insignem quærere in animum induxit. Et cum illa esset educata in

Vxor bona soceri mores sequatur.

Procop.

A tam liberali familia, non dubitabat, quin & ipsa aduentura esset hospitalitatis virtute decenter imbuta. sic Procop. Discant ex Abrahamo parentes, cum filiis penes illorum curam, & prudentiam, quærenda sibi matrimonia dimittunt, tales inquirere coniuges, quibus bona ingenia, pulchrique mores insint, vnde solet enasci, & conseruari pax, fides, amórque, & omnis felicitas coniugalis.

Parentes filiis coniuges pulchra moribus quærant.

6. Animaduertit etiam peracute Procop. quàm benè colligit Abraham ex liberali familia puellam fore liberalem in pauperes: naturæ quippe sequitur semina quisque suæ, maxime verò puellæ, quæ sicut domi se continent, nec externis sese admiscent gentibus, faciliùs domesticos paternæ familiæ mores imbibunt, ac tenaciùs retinent. Sed

Puella parentum sequitur mores.

B quæ tanta isthæc est vtilitas Isaaco ex sponsa liberali, benigna, & hospitalitatis studiosa? Nimirum ad felicitatem coniugij, & amplitudinem illius familiæ constituendam oportebat illa virtute sponsam induci. quod idem Procop. sic obseruat. Hospitalitatem quoque nouerat non minimam esse suæ felicitatis causam. Cum enim apposuisset cibum Deo sub imagine humana terras lustranti accepit filium: cum commiscuisset farinam, vt inde placentæ fierent, audiuit nepotes suos fore innumerabiles instar stellarum cœli. hæc ille. At erunt tamen multi qui benignas, & pauperum alendorum amantes fœminas hoc ipso quod tales sint, aut reiiciant à coniugio, aut in illo malè accipiant indignabundi, quod prodigæ, ac totius

Procopius.

Vxor pia in pauperes viro & familiæ perutilis.

C substantiæ labes & pernicies esse videantur. O cæci, ô miseri! nullum ditius patrimonium, nullam opulentiorem dotem portabitis domũ, quàm si vxorem in illam benignitate in pauperes, & misericordia insignem importetis. Thesaurus viro suo est mulier pia, & misericors. O felices, qui terrena, & vilia pauperibus erogando thesaurizatis vobis thesauros in cœlo; & in agro cœlesti gloriam vobis æternam seminatis! in quam sententiam eleganter scripsit S. Paulin. *Epist.* 30. his verbis. Non modica animis credentium voluptas est, promissa fidelibus bona dulci cogitatione præsumere, & in paradiso iam animis deambulare. Si agricolam iuuat spem messis in segete mirari, dum à messe fructum laboris expectat; faciliúsque fert

Felix pietas in pauperes.

S. Paul.

Per eleemosynam seritur in cœlo.

D moram temporum; auaritia votorum, si pascat oculos, dum sperat euentus: Quantò maiorem nos capere possumus voluptatem licet peccatores, at tamen fideles famuli, quibus sparsi seminis non apud dubiam terræ fidem, sed apud incommutabilem Dei veritatem ratio mandata est, qui hoc speramus, quod veritas ipsa promisit? hæc S. Paulin. Suorum planè veniam delictorum, cuius est inæstimabile pretium misericordia pauperes, quàm securè, tam feliciter peccator elucratur. Illius enim (inquit S Petr. Chrysol.) gemitus Deus non requirit, qui pro se gemitus pauperum sic redemit, *serm.* 164. Vices quippe gerit pœnitentiæ ipsa, quæ in pauperes impenditur misericordia. Cum ergo Dominus venerit, vt rationem ponat

Eleemosyna redimuntur peccata.

S.P. Chrysol.

Eleemosyna vicem pœnitentiæ gerit.

E cum seruis suis, rogabit peccatorem. En hæc & alia commisisti crimina; quibusnam illa operibus expiasti? quos gemitus, quas lachrymas? quæ ieiunia, quam vitæ asperitatem, quam corporis nuditatem, quas vigilias, famem, sitim, frigora, miseriásque patienter exantlatas offers? Planè Domine (respondebit) hæc omnia mecum habeo, non quia pertuli, sed quia per eleemosynam mihi coëmi; meæ sunt omnes illæ pauperum miseriæ, & afflictiones, quas ego ab illis, ne miseri paterentur, mihi comparaui, pane famem, aqua sitim, veste nuditatem, tecto & lecto illorum orbitatem,

Per eleemosynam coemuntur afflictiones ad pœnitentiam.

&

S.Prosper. De terrena substantia cælum emitur.

& solitudinem depellendo. Denique vt hunc locum concludamus, satis illa sit S Prosperi *lib.3. de vit.cont.cap.*14. sententia: De terreno censu regni cælestis hæreditas comparatur.

SECTIO III.

Ecce Rebecca egrediebatur, filia Bathuel, filij Melcha vxoris Nachor fratris Abrahami, habens hydriam in scapula sua: puella decora nimis, &c. vsque ad finem,

Isaiæ 65. Daniel. 9. D. Hieron.

1. Ecce Rebecca egrediebatur.] Vix ita secum cogitando disseruerat de puella seruus Abrahæ, cum illa ipsa occurrit. Vide quàm citò suos Deus exaudiat. Vnde Isaias: *Eritque, antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus ego exaudiam*, cap. 65. Et Daniel. 9. *Adhuc me loquente in oratione ecce vir Gabriel, &c.* Vbi S.Hieron. Grandis orationis effectus est, impletáque promissio Domini, qui ait: Adhuc te loquente dicam: Ecce adsum. sic Hieron. Non solùm oratio à Deo exauditur, sed citò impetrat, qui à S.Hieron. meritò vocatur grandis orationis effectus. vtinam & nos adeò prompti, paratíque essemus, vt loquente nobis Domino confestim diceremus: Ecce adsumus, quid vis Domine? Egrediebatur puella; nec enim otiosam, mollem, atque elãguidam sponsam Isaaco peti oportebat: nec illa dotes animi, virtutúmque ornamenta, quibus emineret, vlla profectò haberet, si otio bonorum omnium exitio difflueret. Enimuerò diabolus semel ab anima expulsus aliquandiu foras peruagatus est, donec ad priorem domum rediit inuisurus, quis tandem illius animæ status foret: atque vt legimus: *Inuenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam.* Matth. 12. Sed quænam isthæc munditia? quis ornatus? Audi S. Eusebium Emiss. ad eadem verba: Inuenit (inquit) eam malis scopis mundatam & malis ornamentis ornatam. Malæ scopæ, quæ virtutes pellunt, & vitia relinquunt. Malæ scopæ, quæ pauimenta dissipant & puluerem non eiiciunt, luxuria, superbia, discordia, auaritia, omnísque immunditia, ornamenta diaboli sunt. hæc Euseb. Vides hunc tam fœtidum, & impurum ornatum animæ, quam sibi diabolus domum elegit? totus ille ab otio instructus est. Ideo enim anima virtutibus mundata, & vitiis ornata inuenitur, quia vacabat, otiosa elanguebat. Quocirca Paralytico illi, qui triginta & octo annos in piscina iacuerat, vt sanitatem & recuperaret, & conseruaret deinceps, hoc vnum demandauit Dominus: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Ioan. 5. Hoc est, vt ibi explicat S. Euseb. Emiss. Non sis otiosus, otiositas enim animæ inimica est, quæ & vitia nutrit, & virtutes necat. sic ille. Igitur (inquies) damnatur otium animæ contemplantis, quæ non operibus externis, aut pœnitentiæ, aut vtilitatis proximorum piis & salutaribus exercetur. Non planè ita res habet. Nunquam enim viri sancti etiam contemplando otiantur. Vnde iure optimo S Prosp. *lib.1. de vit.cont.cap.*8. admonet virum iustum, vt amet (inquit) otium sanctum in quo exerceat animæ suæ negotium. sic ille. Quia nimirum, & in otio isto sancto cum Deo agens mens ipsa operatur; & in contemplatione sese instruit ad actionem. Vtraque simul insignem habet laudem, cum & Rebecca domi aliquando se continet, & foras inde egreditur cum hydria ad præbendam aquam sitientibus. Quare optimè idem Prosper *lib. 3. cap.* 28. ita scribit. Sicut otium studiosum ineffabilem

Oratio citò impetrat.

Otium virtutum pestis.

Matth. 12. Euseb. Emiss.

Vitia ornamenta diaboli.

Ioan. 5. Euseb. Emiss. Otium necat virtutes.

S.Prosper. Otium sanctum contemplationis.

S.Prosper.

A suauitatem sapientiæ cælestis infundit à carnalibus otioso: ita spiritualis occupatio laborum sanctorum multiplices affert fructus humanæ societatis vtilitatibus occupato. hæc S.Prosper.

Actio & contemplatio coniuncta.

2. Expendi etiam potest huius puellæ humilitas, quæ ad tam seruile munus cum hydria foras egreditur ad hauriendam scilicet aquam; sed vbi magis se humiliauit, ibi magis exaltata sponsum, ac domum inuenit diuitem, illustrem, & omni sanctitate præclaram: & quod omnem felicitatem in terris superat, electa est in auiam Dei hominis in mundum venturi; scilicet figura extitit illius Virginis, quę Virginitate placuit, & humilitate Deum ipsum vtero suo Virginali concepit. Quamobrem licet exclamare cum S.Laurent. Iustin. *lib. de humil.* B *cap.* 8. O mira dignatio Conditoris, qui cum esset omnipotens, summè bonus, plenus sapientia, beatus de se in se, matrem tamen elegit humilem, quatenus in illa omnes instrueret quantum illi esset accepta humilitas! Matrem tantùm vnam voluit habere, de qua carnem sumeret, & in qua tanquàm verus homo humiliter decubaret: multas cupit habere in spiritu, quæ illum in se commorandum humilitate alliciant. Præstò semper est accersitus humiliter in humilium corde recumbere, quanquam ipse sit summus. hæc Iustin. Aduerte, quod in vulgata vertitur, *Hydria.* Hebr. esse *Chaddab ghal xicmah* כדה על שכמה *& cantharus super humerum eius.* Hydria verò super caput deferri solet: atque id apud nos maiorē arguit C humilitatem; nihil enim abiectius in ancillarum genere ducimus, quàm cantharo assuetam famulam, *moca* de cantharo: innuit etiam fortem viribus, & laboribus exercitam puellam, quæ tantùm soleat humeris portare onus. Quæ quidem duo mirificè cohærent cum decore, ac pudore, à quibus statim Rebecca valde commendatur. Coniungi cum humilitate castimoniam quid attinet probare, cum Deí Matrem æqualiter humilem ac Virginem admiremur: nec vlla sit, aut fuerit in terra castitatis sublimitas, nisi subnixa fundamento humilitatis: vt certum omnino sit tanto sublimiùs ferri pudicam animam, quantò profundiùs in humilitatem deprimitur: vti arborum rami, & truncus tantùm assurgunt in auras, quantò radi- D ces in terræ viscera depressiùs reconduntur? Contra verò superbia, & impuritas infausto quodam vinculo societatis inuicem copulantur; quod & sæpenumero demonstratur in sacra scriptura, & in verbis illis Domini (quæ nunc sese offerunt) *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos.* Luc. 9. perspicuum fiet. Nimirum vtrobique dæmones per volucres superbi; per vulpes immundi, atque libidinosi significantur: superbi quidem leuitate gaudent, & in sublime inaniter efferuntur: at libidinosi vulpinum exhalant fœtorem, atque in terræ cauernas perosi auram, & pulchritudinem cæli sese immergunt. Sic enim S.Euseb. Emiss. ad eundem locum explicat. Maligni spiritus in peccatoribus foueas, & nidos faciunt, quoniam in E eorum cordibus malas cogitationes, & iniquitatum germina pariunt. sic ille. Virile robur, & membra laboribus exercita cum castitate miram habent connexionem; vt magno etiam soleat esse pudicitia corporibus, atque animis adiumento. Rem dico notam omnibus, & quam quotidianis experimentis contestamur. Vnde pulcherrima illa legitur sententia S. Paulini *Epistol.* 33. Anima, quantò castior membris, tantò viuacior sensibus: & quantò mundior corde, tantò capacior Christi est. sic Paulin. Et quidem castitas corpora vegetat, non solùm quia omnem concupiscentiam expellit,

Humilitas exaltatur.

S. Laur. Iust. B. Maria humilitate Deo gratissima.

Humilitas Deū accersit.

Humilitas cū castitate.

Castitas nititur in humilitate.

Luc. 9. Luxuria & superbia copulantur.

Euseb. Emiss.

Castitas corpus sanum & vegetum reddit.

S.Paulin.

A pellit, qua viros debilitantur, flos iuuenilis deperit, vigórque omnis elanguescit: sed etiam, quia sedes est Christi Domini, qui castis corporibus, & animis quandam quasi vernantis æternitatis auram afflare consueuit. Quod autem Rebecca vigorem istum præ se tulerit, in historia habetur,

D. Chrysost. *Virtus cum exercitatione corporum.*

Virgo enim tenera (inquit S. Chrysost.) & seruo petenti aquam dedit, & camelos omnes adaquauit, effundens hydriam in canalibus recurrit ad puteum: quo monstratur puellæ indicibilis alacritas. hæc S. Chrysost. Vno verbo egregiè rem conficit ita Procop.

Procop.

Sedulitas illa digna fuit domo Abrahami. sic ille. In qua vt sæpiùs iam ostensum est, nulla erat ignauia, & socordia, sed corporum exercitatio, & studium infatigabile animorum.

Ornamenta Virginitatis

B Humilitatem etiam ac modestiam virginalem præstitit puella, cum petenti peregrino homini aquam respondit: *Bibe Domine, &c.* Cogita obsecro (ait S Chrysost.) quanta fuerit modestiæ eminentia, &c. Cum scilicet humiliter, ac modestè respondit seruo, dominum illum suum appellans: sunt enim egregia Virginitatis ornamenta, gemmæque, humilitas, & modestia.

3. *Virgo pulcherrima, &c.*] Vide qoàm sit officiosus Dominus in seruos suos, vt puellam adolescenti optimo, & castissimo, non solùm moribus pulchram, sed etiam perleganti specie formosissimam delegerit, vt pulchrâ eum & sanctâ faciat sobolè parentem. Tria nomina hoc capite inueniuntur de Rebecca, quod fuerit נער *Naghara*, hoc est, *puella*, vt puellaris ætas describatur; deinde C בתולה *Bethulah* virgo, sed quia non virginem interdum significat, nè quid supersit dubij, sed fœmina puella, virgóque omnino, & opinione hominum, & re ipsa, corpore scilicet, & animo ostendatur virgo; denique ponitur infra *ghalmah* עלמה *Virgo abscendita, intactáque, & incognita viro, expers omnis commercij virilis.*

Pulchrior castitas in corpore pulchro.

At quorsum tam diligenter commendatur pulchritudo huius virginis? nimirum vt pulchrior cum pulchritudine corporis coniuncta virginis pudicitia demonstretur. quod ita effatur Procop.

Procopius.

Virginis liberalem formam graphicè describit, vt magis puellæ admiremur castitatem, & temperantiam. Nam licèt formæ elegantia facilè omnes excelleret, nullius tamen viri concubitu compressa, & inquinata est. D Nec pulchritudo formæ semper impudicitiæ causa est; vt nec castitatis formæ turpitudo; non enim corpus, sed animus, & vitæ institutum causantur sobriam castitatem. sic ille.

Pulchritudo vana & lasciua.

Solet elegantia formæ ipsam quoque fœminam, in qua est, in superbiam, atque animi leuitatem euehere, dumque sese prodère cupit, & quasi venalis omnium saltem aspectibus fieri, omnes in periculum adducit: maximè verò ipsa, quæ pulchritudinem suam, & magni

Periculosa pulchritudo.

æstimat, & nihili venditat, non periclitator modò, sed in oculis suis perit, & cæsarie Absalonis è trunco suspensa dæmonum, ac vitiorum lanceis transfigitur. Profectò non ad perniciem animæ à Deo depicta, & donata est corporis elegantia, E sed vt per eam tam qui possidet, quàm qui conspicit, ad infinitam Dei Conditoris speciem, & contemplandam, & amandam, & desiderandam deducatur. Qua de re præclara extat sententia, Clem. Alex. *strom* 4. ad hunc modum.

Clem. Alex. *Vera pulchritudo est in mente.*

Qui per casta aspicit dilectionem non carnem, sed animam pulchram esse existimat; corpus admirans tanquam statuam, per quam pulchritudinem ipse quoque seipsum transmisit ad artificem, & id quod est verè pulchrum, sanctum signum, lucidum iustitiæ characterem, ostendens Angelis, qui præsunt assensui, vnctionem dico benè compo-

A sitæ, & quæ Deo placet mentis, qualitatem affectionis inditam animæ, quæ gestit, & exultat propter inhabitationem Spiritus sancti. hæc ille. Gratum, & iucundum spectaculum Angelis præbet anima casta, & cæteris virtutum ornamentis conspicua: hæc vera est pulchritudo, quæ (vt cætera corporis desint) mulierem formosam reddit, & viro suo, si prudens est, summè amabilem.

Virtus pulchram & amabilē reddit vxorem viro.

quod idem Clem. eodem libro ante præmiserat, ita scribens:

Clem. Alex. *Castitas amabilis.*

Vxores nostras ad id, quod bonum est, corrigamus: amabiles mores castitatis ostendant: puram & sinceram suæ mansuetudinis demonstrent voluntatem: linguæ suæ moderationem silentio efficiant manifestam: charitatem suam omnibus, qui timent Dominum sanctè præbeant æqualem. B ita Clem. Atque, vt coniuges sciant in quo maximè felicitas coniugij collocetur, adiungit in eodem libro idem Alex.

Felix virtute coniugium.

Oportet autem felix matrimonium, neque vnquam diuitiis, nec pulchritudine censeri, sed virtute. sic ille. Multa ex hac doctrina Clementis expendi possent, cuiusmodi est illud: *amabiles esse mores castitatis.* Quid enim æquè hominibus, Angelis, Deoque ipsi charum, & amabilem reddit hominem, quàm ea virtus, quæ supra humanam facultatem, & naturam est, quæ lutum nostrum commutat in cœlum?

Castitas lutū mutat in cœlum.

Clem. Alex.

Quapropter nullum adire maius periculum solet, qui eam possidet, quàm, vt optimè idem monet, qui est carne castus: non insolescat, sciens esse alium, qui ei suppeditat continentiam.

Casto superbia timeatur.

Quo maiori cognitione C dignî sumus habiti, eò maius subimus periculum. Venerabilis ergo, & casta institutio, &c. hæc ille.

4. Communis ea ratio doctorum habetur, quare Christus Dominus tam inusitatis amoris sui testimoniis Ioannem suum dilectum inter cæteros Apostolos magnificè donarit: quia nimirum insigni virginei pudoris laude cunctos antecelloit.

Ioannes Apostolus virgo & dilectus Deo.

Beatus ille mundo corde, quod Diuinæ bonitatis fonti appositum abditissima mortalibus mysteria ebibit, vt nobis effunderet. Atque (vt bene scribit S. Paulin. *Epist.* 5. *ad Amandum*) supercæleste tradidit Euangelium, vltimus auctor in libri tempore, sed primus in capite sacramenti: quippe solus è quatuor fluminibus, ex ipso summo Diuini ca-

S. Paulin. *Ioannes Euāgelium supercæleste.*

D pitis fonte decurrens, de nube sublimi tonat: *In principio, &c.* Ioannes (inquam) Dominici pectoris accubator inebriatus Spiritu sancto. hæc Paulin.

Ioan. 1.

Vt videas quàm appositè Clem. Alex. cognitionem cum castitate coniunxerit. Quod etiam clariùs infrà contestatur.

Clem. Alex.

Castitatem (inquiens) in corpore & anima is persequitur, qui est cognitione præditus. sic Alex. Solus igitur ille insigniter sapiens est, qui virginitatem nouit amare, colere, & tota vita conseruare.

Sapit qui virgo est.

Amabilem dixi etiam Angelis, quibus cognatus est, hominem castum: quia (vt idem S. Paulin. *Epistol.* 15. scriptum reliquit) sanctos spiritus intemeratata virginitas in sacri corporis templo tenet, vt in visceribus pudicis requiescente Christo hospites faciat. sic ille.

S. Paulinus. *Castus templum & requies Christi.*

E Neque verò caret mysterio illa repetitio: *Virgo, & incognita viro.* Scilicet (explicat Procop.) vt corpore, & animo eam virginem sinceram extitisse constet.

Procopius.

Est enim & illa virgo parum casta, cuius cum corpus integrum sit, animus tamen fœdo libidinis æstu ardet. ita Procop.

Perfecta corporis & anima castitas.

Quod quidem elegantiùs tradit Clem. Alex. indicato libro ad hunc modum.

Clem. Alex.

Pulchrè sapientissimus Moses repetitione vsus significauit corporis & animæ incorruptionem, describens in Rebecca hoc modo: *Virgo erat pulchra, vir non cognouit ipsam.* Rebecca autem exponitur Dei gloria: Dei autem gloria, est incor-

ruptio

Puritas Dei gloria. ruptio. Hæc est vera iustitia, nolle rei alterius plusquam par sit habere, sed totum esse templum Domini sanctificatum. hæc Alex. Similiter Orig. *Origen.* Quia (inquit) Rebecca virgo erat, sancta corpore, & spiritu, icirco eius duplicat laudem: *Virgo erat, & vir non cognouerat eam.* sic ille. Quod verò attinet ad significationem nominis, Rebecca, non video vnde ea deducatur: cum magis obuia sit radix *Rabaq* רבק, *saginare.* è qua videtur deriuari *Ribqah* רבקה, *saginata*, videlicet, vt coniicere par est, diuino Spiritu impinguata, qui corpus illius & animam pariter sanctificauit. Sed ô admirabilem istius virginis pudicitiam, quæ non domi reclusa, & quasi consepulta, vt nostra ætate complures viuunt, sed extra domus cancellos, & parentum custodiam, procedens, imò itans in publicum ad hauriendam aquam, nihilominùs virgo extitit corpore & animo, cum tamen esset peregrina quadam pulchritudine nimibus in spectaculum ac penè miraculum. Non hoc latuit Procopium, cuius hæc sunt verba: Rebecca, quæ tanta formæ coruscabat elegantia, nec domi desidebat, sed in publicum egrediebatur, & sola aquatum prodibat: non tamen fucum sensit, sed virginitatis florem conseruauit. sic Procop. At ô castam illam ætatem, ac gentem, prodibat e parentum domo virgo pulcherrima sine arbitro, sine custode ad fontem, nec tamen vllus hominum extitit, qui puellam speciosam ita incustoditam, vel dicto saltem, atque aspectu offenderet! O canes venaticos gehennæ, florem, & odorem carnis malè subodorantes! ô porcos etiam flores, gemmásque fætore, ac luto polluentes, quorum impuri greges passim per vrbes, atque oppida nostro tempore peruagantur! Quæ nunc Rebecca corpore, & animo esse contendit, publicum fugitet, domi se teneat, ac sepeliat, nesciatur omnino à viris necesse est.

Virginis pulchræ & non reclusæ castitas rara.

Procop.

Prisca ætas, quàm præsens castior.

5. *Occurrit ei seruus, & ait, &c.*] Quàm pulchra virgo tam modesta fuit Rebecca: etsi enim hospitalitatis amica, nec eo tamen prætextu vitum peregrinum vel verbo salutauit. At rogata, sedulò accurrit, & potum petenti tribuit. Tam hospitalitas (inquit Procop.) quam castitas in illa emicabant. Castitatis erat, quòd non accurrebat, & virum prior compellabat: hospitalitatis erat, quòd tanto studio, & alacritate hauriebat aquam, vt gratificaretur hospiti, nec castitati hospitalitas, nec hospitalitati castitas obstitit. Dicto, & facto mutam expeditæ hospitalitatis speciem præbuit. Imitatur Abraham, qui inuitans hospites prætmittebat nomen, *Domine*: nec percontatur, qui sint, vnde venerint: idem & illa factitabat, nihil percontans, sed magna promptitudine, & alacritate ad rem conferens quod petebatur. hæc Procop. Femina & puella erat, non tamen de numero illarum, quæ facile cum quouis obuio serunt sermones: & curiosa quadam indagine omnia inuestigant, & inquirunt. Rectè S. Ephrem modestiam & humilitatem puellæ admiratus ait: Hic animæ eius virtutem contemplare: nihil enim segniter, nihil superbe, nihilque arroganter factum comperies. Hominem peregrinum appellabat dominũ, & viatori tanquam vera ancilla ministrabat, *serm. de pat. & comp.* Cætera ferè, quæ sequuntur in hoc eodem capite, adeò sunt perspicua, vt sigillatim commentari opus non sit: perstringam tamen vbi commodiùs videbitur aliqua insigniora.

Proco.

Modestia, pia, & prudens virgo.

S Ephrem.

Virgo humilis.

Delicate S. Ambros. in sensu mystico repræsentari dicit Ecclesiam in Rebecca. Vbi (inquit) inuenitur Ecclesia, nisi in Mesopotamia? inde quæritur, ibi accersitur, ibi duobus stipatur fluminibus, lauacro gratiæ, & fletu pœnitentiæ. Etenim si specie propria fleueris, nisi gratiam baptismatis acceperis, non tibi acquiritur Ecclesiæ fides, & quædam coniugalis copula. Virgo speciosa, soli Christo debita, hydriam habens super humerum, qua lauat actus hominũ. *Samaritana non impleuit hydriã.* Ioann. 4. non enim habet vnde actus suos lauaret. Hæc sola descendit, hæc sola cognouit fontem verum vitæ æternæ; ideóque habuit, quod daret sitientibus: habuit vnde non solùm puerum, sed etiam camelos adaquaret, quæ non solùm iustos rigare consueuit, sed etiam iniustos replere. hæc S. Ambr. Vtinam, qui in hac Ecclesia sumus, illius lauacro pœnitentiæ sic nostras maculas abluamus, vt pulchræ, puræque sine ruga, næuóque vllo animæ nostræ Diuino sponso coniungantur! Admiratus Abrahæ seruus virginis speciem, officiositatem, sedulitatem, charitatémque, iam domino suo dignam vxorem iudicabat. Sed vt certior adhuc fieret, de genere sciscitatur, esse tandem esse illam ipsam, quam quærebat. Genus illa suũ aperuit & addidit: *Palearum quoque, & fœni plurimum est apud nos, & locus spatiosus ad manendum.* Quòd sanè miram arguit charitatem, & studium hospitalitatis certè proprium illius familiæ; atque icirco puella, quam domi suæ parata sint, & instructa hospitibus omnia, fideliter, & officiosè, non rogata, sed vltrò exponit. Non id moris habetur in auarorum familiis, vbi à parentibus instructi filij, ac famuli negare solent esse apud illos, quæ à vicinis petuntur. sic etiam in barbara illa & luxuriosa domo diuitis epulonis nullus est repertus, qui vel micas, quæ cadebant de mensis, vlceroso, ac mendiculo Lazaro ad ianuam iacenti porrigeret: scribitur: *Et nemo illi dabat.* Luc. 16. Officiosæ puellæ gratum vt se ostendat seruus, simul vt ad domini sui amorem, & sponsalia inuitaret puellam incipiat, inaures, & armillas, ex auro illi attribuit. Cæterùm vnaquæque viriola erat aureorum duorum plus minus. De siclo aureo hic habes multam eruditionem apud nostrum Delrio.

D.Ambros.

Rebecca typus Ecclesiæ.

Baptismus & pœnitentia Ecclesiæ flumina.

Mundantur in Ecclesia peccatores.

Mira ergo hospites pietas.

Luc. 16.

6. Sed quid inaures istæ recondunt mysterij? Primò sese offert per inaures fidem, quæ est ex auditu, & per armillas opera significari. Hæc duo sunt ornamenta fidelium animarum. Cæterùm inaures sine armillis dedecent Rebeccam; & fides in Christiano sine operibus mortua est. Quin etiam (vt verè, & catholicè testatur S. Saluian.) hoc ipso Christiani deteriores sunt, qui meliores esse deberent. Non enim probant, quod confitentur, & impugnant professionem suam moribus suis. Magis enim damnabilis est malitia, quam titulus bonitatis accusat, & reatus impij est pium nomen. *lib. 4. de vero iudicio, & Dei prouidentia.* At hæretici nostro seculo cum armillas respuant, solisque delectentur inauribus, vtrasque perdiderunt. De doctrina explicat S. Ambros. cum ait. Inaures Rebeccæ ornamenta factorum sunt. Has habebat inaures, quæ non grauarent aurem, sed demulcerent: has virias, quæ manum non materiali auro onerarent, sed spiritali actu leuarent. Ideò & fratri, & parentibus in hoc placuit ornatu. Et tu sume inaures, quas tibi Abraham reliquit: sume, quas transmisit virias. Audi verba Domini Dei tui, exequere iussa. hæc S. Ambros. Adnotarim S. Ambros. virias vsurpare pro armillis, cum tamen illæ de auribus pendentia ad collum vsque, istæ autem manuum, & brachiorum ornamenta habeantur. Allegoria est optima: pretiosum quidem donum à Deo datur hominibus, quibus, & docilitatem audiendi, & alacritatem benè operandi concedit. In illis inauribus (inquit S. Aug.)

Fides sine operibus accusat Christianum.

S. Saluian.

Hæretici nec fid. nec opera habent.

S. Ambros.

Doctrina ornatus Ecclesiæ.

Viria quanam sint.

D. August.

Verba, & opera sancta.

aureis significabantur verba Diuina, in illis armillis aureis opera sancta; quæ quidem Christus per suam gratiam, & per suos Apostolos contulit. sic Aug. Similem allegoriam in armillis deprehendit S. Hieron. sic effatus: Armillæ significant bona opera, quales Rebecca accepit in sponsalibus. sic ille. *in 3. cap. Isaiæ. Cucurrit itaque puella.* Num præ pudore ac modestia, qood tandio sola cum viro virgo loqueretur? Certè prudens, & honesta puella defert ad matrem quicquid à viro audierat, ne fortè vllum adiret periculum puella cum viro loquuta, quod ampliùs laudatur in matre Samsonis. Ea quidem (vt scribit S. Ambros.) non passa sine viro scire vel Diuinitatis secretum, insinuauit marito visum sibi hominem Dei præclara specie futuræ sobolis ferentem oracula. *Epist.* 23. ex *lib.* 3. Adeò fidelis marito, & pudica mulier etiam ab Angeli aspectu sermonéque sibi cauit! Festinanter puella redit domum matri omnia renuntians Etsi enim haberet patrem adhuc viuum, mater tamen illius seorsim in vna parte totius domus cum puellis degebat, more Hebræorum, & Orientalium, quibus in vna domo virorum, ac feminarum distinctæ habitationes visebantur: qui mos etiam apud illas gentes, vt ex nostria rerum Indicarum historiis constat, obseruatur. vide Serat. nostrum in Hester. Volunt alij maternam hic domum referri; quia inter barbaras illas gentes, qui plures habebat vxores, distinctas illis domos assignabat, atque vnaquæque mulier in sua cum filiis degebat, vir autem, cum qua maluisset, manebat. Duo deinde præstitit egregia seruus: Inuitatus enim ad hospitium, atque ad mensam, noluit accumbere priusquàm rationem redderet sui aduentus, mandatáque exponeret domini sui Abrahæ; ac pabulo camelos, & comites suos lotione pedum recrearet. quæ quidem serui erga dominum suum amorem, alacritatem, diligentiam, & studium in illius exequendis mandatis, suæ denique vtilitatis incuriam, & contemptum euidenter indicant. Felix sanè Patriarcha, cui tam fidelem, atque impigrum seruum Dominus concesserit, vt post tam longum, & arduum iter, non priùs quiescere, & comedere voluerit, quàm domini sui negotia ad integrum expedire! hinc optime Procop. Admiratione (inquit) dignus est seruus, quòd tanta religione mandatum exequitur. Priusquam cibum capiat, domini mandatum expedit. hæc ille. Dicit religionem, scrupulo vulgò dicimus: quasi reputet seruus, non leue delictum, si priùs ac potiùs suo corpori reficiendo, quã obedientiæ adimplendæ operam dabit. O si serui, ac famuli ab hoc vno debita suæ conditionis munera studiosè addiscerent, atque diligenter, & alacriter exequerentur!

D. Hieron. — *Puella cauta timet.* — D. Ambros. — Iud. 13. — *Mulier cauta in aspectu Angeli.* — Serat. — *Boni serui commedatio.* — *Bonus seruus à Deo datur.* — Procopius. — *Quid bono seruo præstādum erga herum.*

7. Non est prætereunda charitas Labani hospitem inuitantis: *Ingredere benedicte Domini, cur foris stas? præparaui domum, & locũ camelis.* En quo sunt nomine compellandi, quo excipiendi honore pauperes, qui ad nostras ianuas accedunt: benedicti sunt à Domino: Benedicti ad nos veniunt in nomine Domini: cum plauso, & palmis, & acclamatione, vti Dominus ipse ingrediens in Hierusalem à nobis excipiantur oportet: ad magnum nobis compendium aduentant: tale scilicet, vt liberaliter nostra effundentes pauperibus insignem geramus cupiditatem. quod S. Paulin. ostendit, *Epistol.* 12. de huiusmodi misericordibus ita scribens: Liberales habentur, qui auarissimi esse conuincuntur; & quidem tantò auariores cupidissimis terræ fœneratoribus, quantò amplius est cælestia de terrenis, & beata de miseris; egenísque rebus emere; quàm terrena terrenis, & labentibus lapsura mercari; & Dominum, quàm hominem, fœnerare. Auari nos, qui terram vendimus, vt tributum, & immunitatem regni cum æternitate coemamus. Fragilem arenam iacimus, vt domum fundemus æternam; & de vilibus attingamus astra cœmentis. hæc S. Paulin. Illud etiam in seruo admirandum pariter est, atque imitandum; qoòd sermonem exorditur ab insigni quadã commendatione domini sui Abraham. *Seruus* (inquit) *Abraham sum: & Dominus benedixit domino meo valde, magnificatúsque est, &c.* O seruum admirabilem! quid quæso conatur? Nimirùm (vt peracutè obseruat Procop.) incolis videri Abrahamum regem, & prorsus Numini illum virum curæ esse. Eius rei signum proponit diuitias, & mirandum Saræ partum. hæc Procop. Nouerint serui ac famuli magnũ sibi redundare honorem, si dominos suos apud extraneos commendent. An non iste seruus haberi debuit, & vocari princeps, quippe Regi clarissimo, quem Deus magni faceret, inter omnes alios gratus, & acceptus deseruiebat? Abiectus planè, ac rusticus, qui dominum suum manifestare erubescit, & illum inter alienos mille iniuriis, probrísque dilacerat, & contemptibilémque reddit. Neque verò solùm verbis laudat, & commendat herum suum, sed multò efficaciùs facto ipso idem demonstrat. scribitur enim: Cum audisset puer Abraham procidens adorauit in terram Dominum. Qua re (vt obseruat Procop.) declarat se re vera pij heri esse ministrum. Nihil enim prius gratiarum actione pius habere debet, qua ostendat se non esse ingratum apud Deum. sic ille. Pietas seruorum insigni præconio pietatem domini sui contestatur. Qualis enim rector, tales & subditi, ac ministri illius.

Grande lucrum ex pauperib. — S. Paul. — *Eleemosyna insigne lucrum est.* — *Bonus seruus herum extollit.* — Procopius. — Procop. — *Bonus seruus à bono hero.*

8 *Ecce Rebecca coram te est, tolle eam.*) Laban frater Rebeccæ, penes quem à parentibus demandatum hoc stabat negotium, post molta vltrò citróque habita, sororem suam pollicetur futuram vxorem Isaac: pater enim Bathuel fortè iam senex, robusto filio curam totius familiæ commiserat, vt Caiet. Lyppom. Delrio, bene obseruarunt. Igitur seruus oblatum munus arripit, illico profectionem maturat. Cum enim (inquit Procop.) viri cognosceret inconstantiam, vt bonus minister festinat, ne is sententiam mutet. sic ille. Commendatur in seruo, ac famulo diligentia, & promptus in obsequium animus: vt negotio impigrè, ac strenuè confecto ad dominum suum festinatò recurrat, quid factum sit maturè denuntians. Proh quàm multæ sæpiùs omittuntur rerum maximarum in quocunque negotio gerendo occasiones opportunissimæ; quibus temere, atque stultè deperditis irreparabilia deinceps lugentur dispendia! sumpto igitur maturè grauitérque consilio, nihil subinde immorandum. *Accelera* (clamat Isaias 8.) *festina prædari, &c.* Quo sanè consilio vsus est Dominus IESVS, de quo isthæc est prophetia; vbi enim conceptus, natúsqoe est, primam ipsam arripuit occasionem vt Reges ab Oriente traheret. Magnus scilicet, (vt aliquando vocauit S. Bern.) prædator Christus, videlicet, cordium, & animarum gentilis populi, nec distulit tantum suæ virtutis facinus ad virilem ætatem in qua crucifixus omnia traxit ad se ipsum. Decem tamen dies Laban, mater, ac domestici retinere ampliùs volebant puellam ad mutuos scilicet amplexus, & longum vale dicendum. Non acquiescit seruus, sed redeundum è vestigio clamat ad herum suum, ne longa expectatione dubius, anxiúsque hæreret. Et dixerunt: *Vocemus puellam, & quæramus ipsius*

Procop. — *Opportuna occasio non omittenda.* — Isaiæ 8. — S. Bernard. — *Christus gentium prædator.*

Volunt

A *voluntatem*. Non quidem voluntatem ad sponsalia, quibus iam simul cum parentibus assensum dederat, atque adeo munera pro arraboне acceperat; sed ad repentinam (vt putabant) profectionem. Sic enim egregie subnotauit S. Ambros.

S. Ambros. *Puella non quærant sed accipiãt maritum à parentibus.*

Consulitur puella non de sponsalibus (illa enim iudicium spectat parentum, non est enim virginalis pudoris eligere maritum:) sed iam desponsata viro, de profectionis consulitur die. hæc S. Ambros. Quod quidem seriò puellis expendendum est, & religiosè, sanctéque obseruandum: indecés enim est, atque inuerecundum, vti puella de nuptiis, de marito, de filus loquatur. Status quidem matrimonij sanctus, sed non temere deligendus: temere autem eligitur, cum à filia, non à parentibus decernitur. B Sed audi hac de re vlteriùs loquentem S. Ambros.

S. Ambros.

Adolescentula nubat, sed electionem mariti parentibus deferat, ne appetentiæ procacioris æstimetur autor, si ipsa de nuptiis suis electionem sibi vendicet. Expetita enim magis debet videri à viro, quàm ipsa virum expetisse. Verecundiam præmittat antequam nubat, quo ipsum coniugium plus commendet verecundia. sic Ambros.

Verecundia necessaria mulieri.

Quæ sanè doctrina puellis erat identidem inculcanda. Nouerint illæ nullam gratiorem sponsis, quos ambiunt, dotem se allaturas, quam modestiam, & verecundiam: nihil solent postmodum haberi, quin etiam probris, & contumeliis diuexari, si fortè ante contractum matrimonium, etiam vt sponsis morem gererent impatienter amantibus, quicquam minus verecundum, ac modestum præstiterunt. C Vilipenditur hæc merces, si leuiter, faciléque tradatur. Cæterùm constitutis sponsalibus, ad matrimonium illico festinandum, ne interim periculum incontinentiæ adeant sponsi; quod quidem, & certum est, & quotidianis infamiis comprobatur.

Gratissima viro dos fœmina modestia. *Inuerecũdia vilem reddit mulierem.* *Sponsis properandum ad matrimoniũ.*

Nec immeritò (inquit S. Ambros.) illa dilationem non attulit: iure enim properare debuit ad maritum. sic ille.

S. Ambros.

9. Fortè alicui minùs indecorum videbitur, quòd puella, vbi de sponso, de nuptiis, de profectione interrogatur, vno statim verbo responderit: *Vadam*, & quidem a paterna domo, à patria, relinquens patrem, & matrem, & cognatos, in regionem longinquam, & ignotam abducta à seruo, D quem semel nunc vidit, ad maritum de ingenio, de habitu, de facie prorsus ignotum: quod planè arguit immoderatam nubendi cupiditatem, quæ fœminis ingenita esse consueuit. Nubant illæ quidem tandem aliquando, & aliud nihil attendunt. Nihilominus hoc Diuino fiebat instinctu. Deus quippe virginem illam cum ad nuptias, tum ad profectionem tam celerè permouebat: simul, vt mysterium significaretur. Quod ita euoluit S. Ambros.

Nimia nubendi cupido in fœminis.

S. Ambros.

Vocata, non fecit moram, & ideo acceptior Domino, quia congregatio gentium simul vt accersiri se vidit, occurrit. Denique vt scias non sine mysterio esse, cum veheretur camelo venit ad sponsum, eo quod populus nationum belluina quadam horridus meritorum deformitate, E qui formæ suæ nullum haberet decorem, fidem esset, atque consessum Ecclesiæ recepturus. hæc S. Ambros. Communis hæc in mystico sensu apud Patres circumfertur significatio de Ecclesia è gentibus ad Christum congregata. Et quidem Isaac Christum Dominum, seruus Abrahæ Apostolos gentium conuertendarum operi destinatos significat.

Gentiles camelo figurantur.

Procopius.

Hanc verò Rebeccam (inquit Procop.) siue Ecclesiam ex gentibus, vbi conspexere discipuli, aurium, & manuum ornamentis ipsam exornarunt. ornamenta sunt Dei notitia, & sedula virtutis operatio. Annuntiarunt discipuli huic Dei Patris diuitias, scilicet spem, vitam, sanctificationémque. Vnicus dicitur Christus Filius, quia solus est Filius Dei naturalis, & vniuersorum Dominus, & hæres. Rebecca interrogata an parata esset ad iter capessendum, haud grauatè annuit. Sic quoque Ecclesia ex gentibus conflata promptissimè ad Christum confluxit: De qua Dauid: *promptitudinem cordis eorum audiuit auris tua*. Psal. 20. hæc Procop.

Gentiũ cõuersio ad Christum.

Psalm. 20.

Sed ad literam redeamus. *Igitur Rebecca, & puellæ illius, ascensis camelis, secutæ sunt virum, &c.* Ac pulchrè quidem hic adnotauit S. Chrys. quàm generosa, virilique robore, & animo prædita extiterit Rebecca, qualem scilicet in vxorem Patriarchæ sanctissimi Diuina prouidentia B comparauerat. Vides (ait) qualem sponsam ducat Patriarcha? aquantem, & hydriam super humeros ferentem, & nunc iterum ascendentem super camelos. Nusquam mulæ argento fulgentibus ceruicibus, neque famulorum turba, neque magna mollities, quæ nunc fieri solent: sed tantum erat priscarum mulierum robur, vt & in camelos suos ascenderent, & sic iter facerent. ita Chrysost.

D. Chrysost.

Antiquæ mulieres generosa, ac viriles.

Similia obseruat Procop. etsi pro camelo asinum ponat. sic infit: Virgo vehitur asino, nullas expetens more delicatarum delicias molles. Solido corpore & bene compacto prædita, asino portatur naturalem habens non fucatam pulchritudinem. sic ille.

Procopius.

Scilicet cum illa ætate adhuc naturæ humanæ vigor, & viror efflorescerét, corpora robustiora erant, quàm vt mille (quæ nunc visuntur) C lecticularum, & quadrigarum adminiculis indigerent: tanta verò pulchritudo fœminis puellari maximè flore tunc inerat, vt infinita, quæ hodie visitur, ornamentorum supellectili, fuco, minio, calamistris, atque omni alia sanè quàm ridicula muliebris ornatus varietate ad venustandam faciem, ornandúmque reliquum habitum nequaquam opus esset.

Antiquæ mulieres pulchriores.

Ornatus muliebris in antiquis minor.

10. *Deambulabat Isaac, &c.*] Vicinus erat locus, in quo deambulabat Isaac, deserto Sur, prope puteum, de quo mox fit mentio capite sequenti, vbi etiam bis Agar ab Angelo confortata legitur. Sed quid maximè agebat deambulando? meditabatur vtique, vt bene vertit noster interpres. Nam *Suach* D *loqui ore, & corde meditari, orare* significat. Vnde etiam Hebræorum aliqui vertunt: *ad orandum.* Quo in sensu ita loquitur Procop.

Procopius.

Iter illud conueniebat Isaaco, vt quod non multis frequentaretur hominibus, & ab omni strepitu esset segregatum. Et per illud incedens, & speculationi rerum diuinarum incumbens peruenit ad fontem visionis. Quidam aiunt fontem illum visionis nomen obtinuisse, quòd Isaac, & Rebecca ibi primùm se mutuò aspexerint. Is, qui vult in Diuinarum rerum speculatione versari, de corpore exeat. Meritò non adiectum est, cui rei intentus fuerit. Siquidem nec cum homine, vel alia cum terrena re colloquium habuit: sed totus speculationi Numinis fuit deditus, vel alicui rei intentus, quæ ad E Deum attinere visa est. hæc ille.

Contemplatio rerum Diuinarum tēpus & locũ exigit.

Orandi studium.

Quæ omnia breui compendio ita complectitur S. Hieron. *de quæst. Hebr.* Isaac egressus fuerat ad meditandũ in agro. Heb. *vt loqueretur*: alij. *vt exerceretur*. Egressus est domo vir iustus ad orationem, & spirituales Deo victimas obtulit. sic Hieron.

D. Hieron.

Vide quanta sedulitate bonus adolescens orationem ineat; locum enim opportunum eligit, videlicet solitarium, & ab arbitris remotum, tempus etiam percommodum captat inclinata iam die: vt noueris nihil non moliendum, vti orandi officium, quo nullum, aut pretiosius, aut suauius, rite, sanctéque possis obire.

Oratio sanctè obeunda.

Qui

Qui autem à rebus sensibilibus mentem non auocat, & totam in Deum colligit, contemplari Deum vti oportet; etiam in ipso deprecandi situ, habitúque nequaquam poterit. Certum enim illud est

S. Hildebert. *Quies animi ad orandum.* Caietan.

S. Hildeberti *Epistol.* 37. Non fieri potest, vt aliquando loquatur cum Deo, qui etiam silens cum toto mundo fabulatur. sic ille. Caietan. explicat egressum esse ad loquendum in agro, causa nimirum officij, vt alloqueretur agricolas, disponerétque de exercendo agro. Cæterùm communis ex-

D. August.

plicatio est, significari (vt bene aduertit S. August. *in quæstion.*) animi affectum studiosissime aliquid cogitantis cum delectatione cogitationis. Difficultatem soluit, quæ solet esse omnium enodatrix, Chaldaica versio, quæ sic habet: *Egressus est ad orandum in agro.* Sanctus planè, ac prudens iu-

Oratio præmitti debet ad negotia.

uenis, qui statum coniugalem initurus in oratione prius cum Deo familiariter agens se exercebat. Magnum, firmum, solidúmque iacitur fundamentum ad omnia omnino rerum, quæ occurrent, negotia, in rerum Diuinarum contemplatione, in precibus ad Deum submissè. piéque fusis, per quas clementissimus Dominus se vult obligatum reddere, vti prosperum, felicémque rebus euentum

Ab oratione auspicandum coniugium. D. Chrysost.

præbeat. Ab oratione igitur, à pietate, à Deo coniugium auspicandum est, non verò à lusibus, & impuritatibus. Vnde optimè S. Chrysost. Considera hic (inquit) quomodo nosquam superflua il-

Quali modestia celebrandæ nuptiæ.

la, & inutilia, nusquam diabolica pompa, nusquam tibiæ, & choreæ, & satanica illa conuiuia, & scommata omni obscœnitate plena: sed omnis honestas, omnis sapientia, omnis mititas. ita Chrysost. Conspicatur venientem ex aduerso hominem Rebecca, quærítque à seruo, *quis ille?* Vbi resciuit esse sponsum, illico descendit de camelo. Vide (in-

D. Chrysost.

quit S. Chrysost.) puellæ generositatem, descendit pedes. Haud dubie insinuatur puellæ quidam virilis vigor, cum ad conspectum sponsi non delicatam, & mollem, atque ex itinere lassam, viribúsque effœtam se ostenderit, sed potius robustam, impigram, & alacrem; quippe quæ non expectato ancillarum, aut seruulorum officio, ipsa vltro' ex camelo desiliit, ac pedes constitit, simul etiam, vt sponso deferret honorem. Facile mihi est cre-

Virile robur mulierum in Lusitania.

dere tam virilem animum, róbúrque, ac nullum fœmineæ mollitudinis in Rebecca signum extitisse, cum passim in Lusitania videantur mulieres adeò generosæ, ac robustæ, vt virorum laboriosissima exerceant officia: cuiusmodi ventitant Olisiponem ex pagis, & viculis circunuicinis, quæ gentes exteras non minùs Christiano pudore, quàm masculo robore in stuporem sui adducunt.

Alex. Appia. *Lusitanæ mulieres in bello pugnaces.*

Vt hinc Appiano Alexandr. credamus scribenti, mulieres, & virgines etiam olim Braeharæ insidentes equis, & armatas contra Romanos Agrippa ducetam fortiter depugnasse, vt vulneratæ, ne gemitum quidem ederent.

11 *Tollens citò pallium operuit se,* certior facta illum esse Isaac suum sponsum. Hebr. צעיף *cagbiph.* Græcè θέριστρον Latinè *peplum*, Lusitan *manto.* & quidem in Arabia, & Mesopotamia (vt etiam nunc apud Turcas mos obseruatur) fœminæ velamento quodam oblongo vtebantur à capite vsque ad pedes contecto, maximè ad velandam faciem, vt

Procopius. *Verecundia & modestia feminarum viris commendat.*

obseruat Procop. Peplum (inquiens) nominat velamen, quo vultum suum obnubebat. Vt nimirum puella honestissima verecundiam, & modestiam, qua nihil gratius esse apud maritos consueuit, sponso nuptura præferret. Quod ita dispun-

S. Ambros.

git S. Ambros. Caput suum obnubere cœpit, docens verecundiam nuptias præire debere, inde enim, & nuptiæ dictæ, quod pudoris gratia puel-

A læ se obnuberent. Discite ergo virgines, quemadmodum seruetis verecundiam, ne intecto capite prodeatis ante extraneos, cum Rebecca iam desponsata designatum maritum aperto capite non putarit videndum. hæc S. Ambros. & quidem pu-

Virgines nuptura obuelabantur.

det virginem ipso etiam naturæ ductu, tradi viro ad maritalem congressum, quo desinit esse virgo: atque ideo pulcherrimum virginitatis honorem, ac decorem amissura velamento expanso tota

Virginitati defunctæ sita exequiæ.

contegitur, vt & pudoris interitum lugeat, & se in corpore defuncto, ac sepulto delicias matrimonij excepturam esse obtestetur. Pulchre idem S.

S. Ambros.

Ambros. *lib.* 5. *de Virginibus*, pudorem commendans, quo puellaris ornatur ætas, Rebeccæ adducit exemplum, ita effatus. An mediocre pudoris B exemplum est, quod Rebecca, cum veniret ad nuptias, & sponsum vidisset, accepit velamen, ne prius videretur, quàm iungeretur? Et vtique pul-

Puella potior pudor, quàm decor.

chra virgo non decori timuit sed pudori. sic Ambros. Profectò nullum puellæ, quæ ad nuptias ducitur, maius studium inest, quam vt viro suo placeat; & quidem placituram se putat, si pulchra censeatur: ad pulchritudinem verò ostendendam post mille comendi, ornandi, & colorandi artificia prodit in publicum sponso suo visenda, velut elaborati quoddam decoris spectaculum. At non ita prudentissima pariter, atque honestissima Rebecca: non enim vult pulchra, sed pudica videri: non ostentat decorem, sed pudorem exhibet; nec ideò timet despici, sed magis commendari, ac pla-C cere credit, quòd virgo, & verecunda videatur. Virginem enim (inquit eodem lib. S. Ambrof.) gra-

S. Ambros. *Virginum ornamenta.*

uitas sua nuntiat, pudore obuio, gradu sobrio, & vultu modesto, & prænuntia integritatis antecunt signa virtutis. hæc ille. Discant ab hac cæteræ puellæ; quibus nihil prius, ac potius est, quam vt pulchræ videantur; ac dispendio pudoris speciem decoris student comparare, timendum omnino suo pudori esse, non decori. Neque verò putet quis pallium istud ad ornandum assumi, sed ad operiendum. Dicitur enim: *& operuit se.* Quòd si virgo nuptura coram sponso non deliciosè, ac splendide se induit, quid mulier, quid etiam vir elegantiam vestium ostentat ambitiosius? Bene S.

S. Petr. Dam. *Ex vestitu mens colligitur.*

Petr. Damian. *Apolog.* 15. Cum nitor (inquit) in-D dumenti ad intuendum se oculos prouocat, linguas etiam ad carpendum hunc, qui induitur, derogationum spiculis armat. Quæ enim sit mens ex veste colligitur, & iuxta exteriorem cultum, quæ sit interioris species indicatur. sic ille. Quid verò de sacris dicam virginibus, quarum omnis gloria ab intus (vt regius Vates admonet) esse debet? Velatæ, obtectæ, clausæ, ac penè consepultæ,

Psalm. 44.

nihil de mundo curent; videre pariter ac videri; amare, atque amari prorsus abhorreant. Nam vt verè S. Ambrof. decernit ibidem, sacra virgo si

S. Ambros. *Virginum sacrarũ pudor interior, & exterior.*

amet, animo peccat; si amatur, & facto, &c. Nouerint illæ animo corrupto virginitatem deperdi, etsi reparabiliter, corruptámque apud Deum re-E putari, quæ licet ab impuro abstineat opere, turpibus tamen desideriis inquinatur. Igitur ô infelix (si quæ es) vbi amasti, amarique turpiter voluisti, ibi virgo esse desiisti, & corrupta esse cœpisti. Multa in hanc sententiam Patres congerunt: illud vnum ex Tertull. commemoro. sic enim scri-

Tertull. *Modestia puellæ ad nuptias.*

bit *lib. de veland. virg. c.* 11. Rebecca, cum ad sponsum ignotum adhuc ignota perduceretur, simul ipsum cognouit esse, quem de longinquo prospexerat, non sustinuit dexteræ collactationem, nec osculi congressionem, nec salutationis communicationem, sed confessa quod senserat, id est, spiritu nuptam, negauit virginem velata. ibidem.

O mu

O mulierem iam de Christi disciplina! ostendit A enim etiam nuptias de aspectu, & animo fieri, quemadmodum stuprum. hæc Tertul. Denique Rebecca significat animam, quæ à diaboli seruitute ad Deum suum transfugit. Pallio autem (inquit S.Greg. 1.*Moral.*14.) se operire curauit, dum confessionis tegumento peccata sua cooperuit, & abstulit, vt sponso cœlesti præsentaretur purgata. sic ille. Itaque nuptias animæ iam perpurgatæ cum Deo Sponso suo intelligimus fieri in communione sacrosancti Corporis, & Sanguinis Domini, ad quam præmittitur confessio delictorum. Pulchrè autem confessionem pallio significari dicitur: qui enim ritè sua confitetur delicta, dum illa ministro Christi aperit, omnino operit, ac sepelit; animáque ipsa per confessionem non abluitur modò, ac purgatur, sed ornatur etiam, stoláque mundissima gratiæ cælestis induitur, vt dignissimè ad nuptias diuini Sponsi in sacrosancto Eucharistiæ sacramento inducatur.

S.Greg.

In confessione ornatur anima.

In Eucharistia sunt nuptiæ animæ cum Deo

12. *Introduxit eam in tabernaculũ Saræ, &c.*] Hinc patet. quod superiùs adnotauimus, aut seorsim viros, seorsim feminas habitasse: aut cũ plures erant vxores vnamquamque cum suis filiis in peculiari domo à cæteris seiunctam vixisse. Quo in sensu dixit sponsa suo dilecto: *Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ.* Cant 8. Qui mos etiam apertè constat ex 2. *Reg.cap.*13. vbi distinctas domos Thamar, & Amnon legimus. At Saræ cum suo Isaac diuersum erat domicilium ab illo, in quo Agar cum Ismaële priùs habitauerat. Et quidem Abraham filio Isaac tarbernaculum matris cum bonis eius tradiderat inhabitandum. In hoc introductam Rebeccam Isaac duxit vxorem, tantóque eam amore prosecutus est, *vt dolorem, qui ex morte matris acciderat, temperaret.* Hebr. וינחם *Et consolatus est*, siue *consolationem accepit Isaac post matrem suam.* Interpres *sensum retulit.* Pulchrè animaduertit Lyra: *Temperaret* (inquiens) *& non totaliter auferret.* Ex quo patet magna affectio ipsius Isaac ad matrem suam, quæ iam obierat tribus annis antè. sic ille. Locus optimus ad commendandum filiis amorem erga parentes; & perstringendam illorum duritiem, ac barbariem, qui vbi primùm ducunt vxores, velut ab omni natura prorsus alieni, atque è syluis & cautibus orti, parentes obliuiscuntur, ac nesciunt: viuis honorem denegant, mortuis Christianam pietatem. At Isaac tribus annis mortem suæ matris defleuit, & pulcherrimæ sponsæ nuptiis potitus, non aboleuit quidem, sed temperauit tantummodò mœrorem, ac dolorem de matris obitu. Ac duo quidem in Rebecca videbantur, quibus virum suum insigniter oblectaret, vt magnum de matre mœrorem valde mitigaret. quæ Procop sic apponit: Non abs re Isaacus eam summo amore complexus est: afferebat enim potentissimum philtrum, quo amor conciliatur, scilicet virtutem. Et amicè conuersans cum Isaaco, ex eius animo abolebat matris Saræ desiderium. hæc ille. Duo igitur potentissima sunt in vxore amuleta ad conciliandum, & quasi dementandum maritum; scilicet virtus, & amor. Et si ille sit ingenio ferox, vultu, & voce iracundus, ac furiosus, & (quod acriùs misera vxor dolet) vaga libidine scortator infamis; quotidie tamen fit, & memini sæpiùs me videre, si pia mulier sit, patiens, mansueta, Deique amans, si maritum nihilominus amet, atque illi officiosè, humiliterque obsequatur, ferocem denique emolliri. mansuescere iracundum, furiosum tranquillari, libidinosum ad coniugalis fidei, & castimoniæ sanctitatem reuocari.

Cant. 8.

2.Reg.13.

Lyran.

Amor filij erga matrem insignis

Procop.

Virtus & amor in fœmina virum conciliant.

13. Communis allegoria hinc elicitur de Christo Domino, qui Ecclesiam e gentibus collectam duxit pro synagoga derelicta, & defuncta. Quo in sensu ita S. Isidor. Rebecca Ecclesia ex gentibus ad Christum properans etiam verecundata pallio velatur, quia coram eo de erroribus prioris vitæ confunditur. Isaac viso descendit, quia Deo agnito vitia sua gentilitas deseruit, & ab elatione celsitudinis viam veræ humilitatis petiuit. hæc Isidor. At S. Cyrillus vlteriùs ita progreditur, dolorem, &c. ita Christum mœrore affectum intelligamus, cum Iudæorum conuentus, ex quibus carnem ipse assumpserat, ob nimiam incredulitatem, mortem quasi obiret, sed cum Ecclesiam sibi desponsasset, eo certè mœrore se relaxauit. ita enim B Prophetæ ad Ecclesiam clamitant: Et erit, sicut lætatur sponsus super sponsam, sic lætabitur Dominus super te. hæc S.Cyrill.Alex.*libr.*8.*in Genes.* Similia leges apud Procop. qualia sunt: Christus coniunctus Ecclesiæ de gentibus obliuia fecit synagogæ Iudæorum mortuæ, vt Isaac obliuiscebatur defunctæ matris. Synagoga Mater Christi dici potest, quia Christus ex hac secundùm humanam naturam natus est. Propheta Ecclesiam appellat hoc modo: Et erit, vt lætatur sponsus propter sponsam, sic lætabitur Dominus propter te. hæc Procop. Itaque Christum Dominum significabat Isaac, Ecclesiam Christianam de gentibus congregandã Rebecca, Sara verò demortua synagogam Iudæorum prorsus extinctam. Hanc Ecclesiam (inquit Rupert.) Dominus in tantum dilexit, C vt dolorem qui ex morte matris accesserat, temperaret; quia ex lucro sanctæ Ecclesiæ Redemptor noster eam, quæ ex perditione synagogæ accedere potuit, tristitiam detersit. Deinde Isaac & Rebecca iunguntur, id est risus & patientia permiscẽtur, quia fit in sancta Ecclesia hoc quod scriptũ est: Spe gaudentes, in tribulatione patientes. hæc Rupert.

S.Isidor.

Conuersio gentium ad Christum.

Cyril. Alex.

Christi gaudium ex conuersione gentium.

Procopius.

Synagoga mortem obijt.

Ecclesia Christiana felicitas.

Rupert.

14. Chald. hoc loco multum deuiat à communi lectione: sic enim habet: *Et introduxit eam Isaac in tabernaculum & vidit: & ecce opera eius recta erãt, sicut opera Saræ matris suæ. Et accepit Rebeccam, & fuit ei in vxorem, &c.* Hæc etiam optima ratio est, ob quam Isaac Rebeccam miro amore complectitur, & præ illo dolorem de matris interitu mitiD gat, quia prudens ista, & sancta puella non modò patrios exuit ritus, sed etiam totam se efformauit in mores, ingenium, ac virtutem socrus suæ, quam certè fama vbique peruulgata, & celebri notam habebat. O quantum sibi suum maritum deuinciret mulier, si domum patris sui oblita statueret secum matrem iam deinceps suam esse, quæ sui mariti est. Grande beneficium Dominus contulit Isaaco, cum illi dedit vxorem indole ac virtute persimilem matri Saræ, vt si hæc adhuc superstes viueret, mira foret pax, & concordia in illo tabernaculo, in quo non tã nurus cum socru (inter quas commune, & irreconciliabile solet esse dissidium) quàm filia obsequentissima cum matre vnanimiter moraretur. Sed quid de nuru ad socerũ Abra-E ham? Talem profectò Dominus illam elegit, quæ (si mores, virtutem, atque ingenium spectes) potiùs filia, quàm nurus Abrahæ diceretur: vt scilicet Patriarcha in extrema senectute magnum hoc solatium, ex tam admirabili pariter, atque amabili nuru haberet. Benè igitur seruus hospitalitatis, & mansuetudinis signum in fœmina diuinitùs positum exposcens aiebat: *Per hoc intelligam, quòd feceris misericordiam cum domino meo Abrahã.* Sed quam misericordiam fecit Dominus Abrahæ, cum illi hanc nurum adduxit? Audi Theodoret. *q.*73. Signum erat non pulchritudo corporis, nec aliud quicquam

Optima nurus quæ sit.

Inter socrum & nurum dissidia

Theodor.

quicquam ex iis, quæ splendida putantur; sed hospitalitas, affabilitas, & animi mansuetudo. Cum enim tam insignibus ornamentis cumulatus esset Patriarcha, volebat & sponsam congruere moribus soceri, ne contentionem aliquam, aut controuersiam parerent mores contrarij. sic Theod. *Bonum felicitas ex bonis genero, ac nuru.* Quia verò Abrahę vita in peregrinando tota agebatur, iccirco, & peregrinam socero nurum Deus allegit; quod ita subnotauit Rupert. *Rupert.* dixit Rebecca: *Vadam.* superno quidem nutu præuenta, peregrinari cum fideli Abraham, & Isaac, & futuram inquirere, quàm præsentem habere ciuitatem malebat. hæc ille. Insignem planè misericordiam senibus Deus confert, cum ad illorum subleuandam senectutem generos, nurúsque attribuit, ita efformatos, vt filij charissimi, non hostes (quod plerunque fit) truculentissimi esse videantur.

B. Maria typus Rebecca. 15. Non omittam dicere ad finem huius commentarij, Rebeccam, quæ fuit insignis figura beatissimæ semper Virginis Deiparæ, vocari a seruo Abrahæ, Hebr. עלמה *Ghalmah.* à LXX. vertitur, παρθένος Latinè *Virgo*, quod nomen ponitur ab *Isaia 7.* Isaia 7. *Dabit vobis Dominus ipse signum: Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, &c.* Vbi Iudæi qui Christo Iesu, & Matri eius Virgini aduersantur, ineruditè, atque impiè transferunt: *Adolescentula.* *S. Hieron.* Sed acerrimè instat S. Hier. ad eundem locũ: quando dicitur: *Dabit Dominus ipse vobis signum*: nouum debet esse atque mirabile. *B. Mariæ virginitas in conceptu & partu.* Sin autem iuuencula, vel puella, vt Iudæi volunt, & non Virgo pariat, quale signum poterit appellari, cum hoc nomen ætatis sit, non integritatis? hæc S. Hier. Maximè, quia istud signum, quod à Domino promittitur, adeò mirabile intelligitur, vt superet quidquid in excelsum supra, & in profundum inferni à Deo expeti potest. Ridiculum autem esset opinari hoc nihil aliud esse, quàm mulierem adolescentulam, & iam nubilem ex virili concubitu concipere, ac parere. Quamobrem rudes meritò vocat, & præstigiatores Procop. *Procop.* ad verba Isaiæ, quòd negent sanctam Virginem hac prophetia denotari. *Signum omnium maximum Virgo Deũ pariens.* Hoc enim signum (inquit) est paradoxum verè, atque incredibile, & signum maximum in profundum simul, & excelsum: è supernis enim,

A & ex Deo Patre secundùm naturam genitus Filius vnigena exinaniuit seipsum, & ex vtero virginali editus est secundum carnem, non humano conceptu, & generatione, sed vi, & efficientia diuini Spiritus. hic ille. Quia verò radix est *Ghalam* עלם *latere, abscondere, occultare*; iccircò עלמה *Ghalmah* non quælibet Virgo est: sed (vt bene aduertit S. Hieron.) non solùm *puella*, vel *Virgo*, sed *Virgo abscondita* dicitur & *secreta*, quæ nunquam virorum patuerit aspectibus, sed magna parentum diligentia custodita sit. *S. Hieron.* Lingua quoque Punica, quæ de Hebræorum fontibus manare dicitur, propriè *Virgo alma* appellatur, & nostro quoque sermone *alma sancta* dicitur. *Virgo Hebraicè qualis sit.* Et quantum cum mea pugno memoria, nunquam me arbitror (*Alma*) in muliere nupta legisse, sed in ea quæ Virgo est, vt non B solùm Virgo sit, sed Virgo iunioris ætatis, & in annis adolescentiæ. Potest enim fieri, vt virgo sit vetula; ista autem Virgo erat in annis puellaribus; vel certè Virgo non puellula, & quæ adhuc virum nosse non posset: sed iam nubilis, &c. hæc S. Hieron. cuius (vtpote Hebrææ linguæ peritissimi) autoritas vniuersam Rabbinorum scholam mutam omnino reddit, atque elinguem. Similis ferè interpretatio, & argumentatio fit à S. Basil. *S. Basil.* *concion. de Natiuit.* vbi inter alia sic ait: Nemo peruertatur Iudæorum calumniis, qui aiunt non Virginem, sed puellam dictam esse à Propheta. *Virgo Mater summum miraculum.* Primum quidem omnium absurdissimũ est, id, quod à Domino pro signo datum est, id ipsum commune, & ab omni natura confessum esse videri. Quandoquidem enim non petiuit Achaz neque in pro- C fundum, neque in altum signum, ipse Dominus signum dedit, atque ipsum signum mirabile quiddam, ac monstrosum, & multùm à communi natura varians, ac diuersum. Eadem mulier, & Virgo, & Mater, & in sanctitate Virginitatis manens, & benedictionem generationis sortita. hæc S. Basil. ac similia repetit ad *cap. 7.* Isaiæ. Nec enim decebat vti Dei filius sibi ad vnionem hypostaticam assumeret carnem ex virili concubitu, & ardore concupiscentiæ generatam. *Decuit Verbum ex Virgine carnem assumere.* Ex sanctitate igitur (adiungit idem Basil.) compacta caro digna erat, *S. Basil.* vt Deitati Vnigeniti vniretur. sic ille.

CAPVT VICESIMVMQVINTVM.

1. ABraham verò aliam duxit vxorem nomine Ceturam:

2. quæ peperit ei Zamran & Iecsan, & Madan, & Madian, & Iesboc, & Sue.

3. Iecsan quoque genuit Saba, & Dadan. Filij Dadan fuerunt, Assurim, & Latusim, & Loomim.

4. At verò ex Madian ortus est Epha, & Opher, & Henoch, & Abida, & Eldaa: omnes hi filij Ceturæ.

5. Deditque Abraham cuncta quæ possederat, Isaac:

6. filiis autem concubinarum largitus est munera, & separauit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viueret, ad plagam orientalem.

7. Fuerunt autem dies vitæ Abrahæ, centum septuaginta quinque anni.

8. Et deficiens mortuus est in senectu- D te bona, prouectæq; ætatis, & plenus dierum: cõgregatúsq; est ad populum suum.

9. Et sepelierunt eum Isaac & Ismael filij sui in spelunca duplici, quæ sita est in agro Ephron filij Seor Hethæi, è regione Mambre,

10. quem emerat à filiis Heth: ibi sepultus est ipse, & Sara vxor eius.

11. Et post obitũ illius benedixit Deus Isaac filio eius, qui habitabat iuxta puteũ nomine Viuentis & videntis.

12. Hæ sunt generationes Ismael filij Abrahæ, quem peperit ei Agar Ægyptia, famula Saræ:

E 13. & hæc nomina filiorum eius in vocabulis & generationibus suis. Primogenitus Ismaelis Nabaioth, deinde Cedar, & Adbeel, & Mabsam,

14. Masma quoq; & Duma, & Massa,

15. Hadar,

15. Hadar, & Thema, & Iethur, & Naphis, & Cedma.

16. Isti sunt filij Ismaelis: & hæc nomina per castella & oppida eorum duodecim principes tribuum suarum.

17. Et facti sunt anni vitæ Ismaelis centum triginta septem, deficiénsq; mortuus est, & appositus ad populum suum.

18. Habitauit autem ab Heuila vsque Sur, quæ respicit Ægyptũ introeuntibus Assyrios, corã cunctis fratribus suis obiit.

19. Hæ quoq; sunt generationes Isaac filij Abraham: Abraham genuit Isaac:

20. qui cùm quadraginta esset annorũ, duxit vxorem Rebeccam filiã Bathuelis Syri dè Mesopotamia, sororem Laban.

21. Deprecatúsq; est Isaac Dominũ pro vxore sua, eò quòd esset sterilis: qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ.

22. Sed collidebantur in vtero eius paruuli; quæ ait: Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? Perrexítque vt consuleret Dominum.

23. Qui respondens, ait: Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populúsque populum superabit, & maior seruiet minori.

24. Iam tempus pariendi aduenerat, & A ecce gemini in vtero eius reperti sunt.

25. Qui prior egressus est, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus: vocatúmque est nomen eius Esau. Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu: & idcirco appellauit eum Iacob.

26. Sexagenarius erat Isaac, quando nati sunt ei paruuli.

27. Quibus adultis, factus est Esau vir B gnarus venandi, & homo agricola: Iacob autẽ vir simplex habitabat in tabernaculis

28. Isaac amabat Esau, eo quòd de venationibus illius vesceretur: & Rebecca diligebat Iacob.

29. Coxit autem Iacob pulmentum: ad quem cùm venisset Esau de agro lassus,

30. ait: Da mihi de coctione hac rufa, quia oppidò lassus sum. Quam ob causam vocatum est nomen eius Edom.

C 31. Cui dixit Iacob: Vende mihi primogenita tua.

32. Ille respondit: En morior, quid mihi proderunt primogenita?

33. Ait Iacob: Iura ergo mihi. Iurauit ei Esau, & vendidit primogenita.

34. Et sic accepto pane & lentis edulio, comedit, & bibit, & abiit; paruipendens quòd primogenita vendidisset.

SECTIO PRIMA.

Abraham verò aliam duxit vxorem nomine Cethuram: quæ peperit ei Zamran & Iecsan, & Madan, & Madian, &c. vsque ad *pro vxore sua,*

1. MORTVA Sara, & fortè etiam Agara, cum iam Isaac hæres totius familiæ simul cum vxore sua Rebecca in matris Saræ tabernaculo, quod pater libens concesserat, moraretur: nouis deinde nuptiis Abraham intendens animum duxit vxorem Cethuram nomine, genere ignotam nobis; aut ergo Chananæam, aut vnam ex ancillis Saræ scilicet Ægyptiam, aut ex vicina alia gente. Quòd autem Cethura non fuerit Agar, vt falsò confingunt Rabbini, multis argumentis conuincitur: nam & modus loquendi (& addidit, & accepit vxorem) nouitatem insinuat nuptiarum; deinde nomen proprium ponitur, Cethura, cum tamen hoc eodem capite Agar suo nomine commemoretur: denique adiungitur Abraham habuisse concubinas, E vtique duas Agaram, & Cethuram: accedit, Agaram post obitum Saræ, aut iam vetulam fuisse, aut in ætate prorsus effœta, in qua non tot filiorum, qui hîc memorantur, mater esse posset Sed mirari non desino quid sit, cur Abraham in extrema senectute, videlicet centesimum quadragesimum annum agens, cum iam filio Isaac vxorato vniuersalem domus suæ assignauerit hæreditatem, in quo vno benedictum, & sanctum, atque diuinitus promissum Abrahæ semen vocandum esset: nihilominus ille nouas celebrarit nuptias, aliámque sobolem relinquere voluerit, quæ non esset diuinis benedictionibus potitura? Sed audire præstat, quàm priùs quicquam definire, S. Au- D gustinum 16. *de ciuit. cap.* 34. vbi sic exorditur. Absit, vt incontinentiam Abrahæ suspicemur, præsertim in illa iam ætate, & in illa fidei sanctitate. An adhuc procreandi filij quærebantur, cum iam Deo promittente tanta multiplicatio filiorum ex Isaac per stellas cæli, & arenam terræ fide probatissima teneretur? Sed quid si & hoc prouisum est contra hæreticos futuros secundarum aduersarios nuptiarum, vt in ipso patre multarum gentium post obitum coniugis iterum coniugari demonstraretur non esse peccatum? hæc S. August. cuius coniectura, & grauis, & percommoda videtur: nec enim putandum est Abraham in illa ætate, & sanctitate nisi Diuino impulsu his nuptiis operam dedisse. Oportebat autem in sacra scriptura memorabile aliquod referri exemplum, quo secundæ nuptiæ post obitum prioris coniugis licitæ, ac diuinitus concessæ, imò & aliquando imperatæ intelligerentur. Et quidem Abraham, licet admodum senex, viuidam adhuc, & vegetam facultatem generandi habebat. Nonnulli enim (inquit S. August. *quæst.* 70.) donum, quod accepit Abraham velut reuiuiscentis corporis ad filios procreandos diu permansisse asserunt, ita vt posset & alios procreare. sic August.

Nuptiæ secundæ post obitum coniugis licent.

Abraham à libidine alienus.

D. August.

Vigor Abrahæ senis.

D. August.

2. Adde multos deinde populos per Cethuram à Patriarcha ortos deduci, vt in sacro textu narratur, ex quibus multi proculdubio à Deo sunt electi ad vitæ sanctitatem, & æternæ beatitudinis gloriam. Aliter enim sine grandi mysterio sanctissimus vir cum Deo familiariter agens non se con-

iugalium negotiorum æstu sineret agitari. Sunt enim nuptiæ (vti expertus scribit S Gregor. Nyss.) studiorum inanium semen, atque principium. sic ille, *lib. de Virg cap.* 7. Præmiserat autem *cap* 6. Fieri (inquiens) non potest, vt cuius animus multarum rerum curis distrahitur, is in Dei contemplationem, cupiditatémque planè totus incumbat. hæc Nyss. Hac de turba solicitudinum non semel effatur Apostolus præsertim 1. *Corinth.* 7. Vbi leges illud: *Mulier, si dormierit vir eius, à lege liberata est.* Tertull. *lib. de Virg.* legit: *Euacuata est a lege viri.* Et quidem emphaticè: Nam mulier nupta videtur esse nauis infinitis onusta curis, ac solicitudinum ponderibus (hæ sunt enim merces matrimonij) dum in pelago colluctatur cum procellis molestiarum: at viro demortuo subintrat nauis portum viduitatis, in quo multiplices, ac permolestas curarum, ac solicitudinum exacti coniugij merces exonerat. At senex morti vicinus de profectione ad Deum, non de nuptiis contrahendis, captandáque voluptate carnis curam habere debet. Perstrinxi voluptatem: quia (quicquid isti dicant) hanc vnam ob causam effæminati homines etiam in ætate senili de nuptiis agunt. Sanctum (loquiunt) est matrimonium. Bene: sed vos sanctitatis vmbram malè prætenditis: non vobis sanctitas, sed voluptas matrimonium commendat. Voluptas enim ipsa (adiungit idem Gregor. Nyss. *cap.* 7.) ostendit se acertimum matrimonij patrocinium suscipere. sic ille. Cæterùm cum ea sit humana infirmitas, vt difficiliùs ab assuetis, iisque ad naturalem carnis illecebram compositis abstineat: *melius est nubere, quàm vri*, ex consilio Apostoli. Vnde non minùs verè, quàm eleganter virginum integritatem ac viduarum continentiam vicissim comparans Tertull. *lib.* 1. *ad vxorem cap.* 5. ita concludit: In virginibus licet integritas solida, & tota sanctitas de proximo visura sit faciem Dei, tamen vidua habet aliquid operosius; quia facile est, non appetere quod nescias, & auersari quod desideraueris nunquam. Virgo felicior habetur, at vidua laboriosior: in illa gratia, in ista virtus coronatur. sic Tertull. Vtrobique autem multæ, atque acerrimæ fiunt pugnæ, innumeri perferuntur labores, vt victoria comparetur: summáque laus est, aut virginem integram seruari, aut viduam à continentia non recidere; quod quidem licet in fœminis sit gloriosum, longè tamen gloriosius in viris esse statuit idem Tertull. *lib. de velan Virg. cap.* 9. his verbis. Præter sexus autoritatem, etiam ipsius continentiæ nomine masculos potiùs honorari oportet: quòd quantò sexus auidior & calidior in fœminas, tantò continentia maioris ardoris laboratior, ideoque dignior hæc Tertull. Magna quidem gloria Ecclesiæ Christianæ, in qua non modò fœminæ, sed viri omnis ætatis, & conditionis numero comprehendi non possunt, qui medio in æstu carnalium tentationum omnibus momentis impugnati admirabile victricis continentiæ trophæum mundo erigunt. Sed multò etiam præstantius, ac diuinius est, quod Deus homo natus è Virgine secum in terras admirabile hoc donum adduxit, vt homines in carne viuentes Angelicam puritatem imitati perpetuò immaculatam integritatem conseruarent. Per Virginem ergo in mundum Deus descendit: Quoniam (vt inquit S. Gregor. Nyss.) quæ Dei aduentum demonstraret, sola Virginitas idonea est. Tanta porrò vis est Virginitatis, vt Deum ipsum sua vi ad humanæ vitæ communionem ducat, hominémque rursus ad cœlestium rerum cupiditatem excitet. Virginitas enim est hominis cum Deo familiaritatis vinculum. ita S. Nyssen. *lib. de Virgin. cap.* 2. quæ summa laus est Virginitatis.

S. Greg Nyss. *Nuptiæ curis inanibus plenæ.*

1. Cor. 7.

Tertull. *Mulier nupta nauis onusta molestijs.*

Viduitas portus est.

Voluptatis carneæ perstringitur affectus.

S. Greg. Nyss.

1. Cor. 7. *Vidua & virgo comparantur.*

Tertull.

Laboriosior in vidua, quàm in virgine castitas.

Tertull. *Laboriosior in masculo, quàm in fœmina, castitas.*

Deus homo virginitatem in terras adduxit.

S. Greg. Nyss.

Virginitatis laus.

3. Plures Abraham suscepit filios ex Cethura, è quibus deinde nationes, & populi propagati: aliquorum nomina deinceps retenta inter gentes viguerunt. Cæterum concubinæ, hoc est secundariæ, tametsi legitimæ vxores, cum non in bonorum omnium societatem adscribi consueuerint, munera tamen a viro accipiebant, bonáque aliquot mobilia, vt sibi, & filiis ad vitam sustentandam haberent: quod hic legimus de Agara, deque Cethura, illarumque filiis. Verùm vxor primaria habebatur domina, & mater totius familiæ, atque in bonorum omnium, vniuersæque hæreditatis communionem admitti solebat, quibus deinde ipsius filij potiebantur. Talis extitit Sara, illiúsq; vnicus filius Isaac, à quo pater Abraham reliquos filios procul seiunxit, ne litigium fortasse aliquod, si coniuncti viuerent, inter illos oriretur, & ne promissæ à Deo regionis hæreditatem, quæ soli Isaac eiúsque posteritati debebatur, ingrederentur: ac denique ne si gentium impietatem illi sequerentur, sanctissimo Isaac, illiúsq; soboli benedictæ labes aliqua inspergeretur. His demum, & aliis ritè, prudenter, sanctéque compositis Abraham in extrema senectute perbeatam vitam finiuit, nimirùm, vt scribitur, *Fuerunt dies vitæ Abrahæ centum septuaginta quinque anni. Et deficiens mortuus est in senectute bona, prouectæ ætatis, & plenus dierum, congregatúsque est ad populum suum.* Singula breuiter, dilucidè tamen explanabo. Atque in primis contexenda erit chronographia, vti diligentissimè deducitur à nostris Perer. & Delrio, aliísque primariæ eruditionis viris. Igitur Abraham natus fuit anno post diluuium ducentesimo nonagesimo secundo: post confusionem linguarum, Babylonicæque machinæ destructionem, anno fermè centesimo nonagesimo. Mortuus autem fuerat Noe anno Abrahæ quinquagesimo octauo. Cum ageret ætatis suæ quinquagesimum quintum, apparuit illi Deus, iubens vti ex Chaldæa discederet, profectúsque est in Haran. Anno deinde octogesimo quinto duxit Agaram, & sequenti, nimirum sexto, natum suscepit Ismaelem. Nonagesimo fuit circuncisus, atque in eodem excidium contigit Sodomorum. Centesimo natus est illi Isaac, quinto deinde ablactatus (simul etiam eiectus Ismael) quem postea centesimo vigesimo quinto ad immolandum deferre iussus est. Centesimo trigesimo quinto Abrahæ mortuus est pater Thare. Anno illius centesimo trigesimo septimo mortua est Sara. Centesimo quadragesimo filiom Isaac, cum esset hic quadragenarius, cum Rebecca in matrimonium copulauit. Centesimo sexagesimo nati sunt illi nepotes Esau & Iacob, com esset Isaac sexagenarius. Denique Abraham decessit è vita ætatis anno centesimo septuagesimo quinto expleto, & inchoato iam sexto, quando erat Isaac septuaginta quinque annorum, & Iacob quindecim: Ismael verò octoginta nouem; filij Cethuræ annorum plus minus triginta trium.

Plurium vxorum ordo antiquitus.

Chronographia Abrahæ.

4. *Deficiens mortuus est in senectute bona.*] Hebr. ויגוע *ignach*, radix est גוע *gauagh.* Secundum Rabbi Dauid est *leniter mori, non longa, & graui ægritudine consumi.* Secundū Abenez. & alios est *obire ob defectum humidi naturalis.* Melius tamen à S. Hieron. vertitur *deficere*: inutilis enim esset repetitio, mortuus est, & mortuus est, etsi negandum non sit tam *gauagh*, quàm apud nos *deficere*, idem sæpiùs esse atque mori. Profectò suauitas quædam in obitu Abrahæ significatur, cum sine vlla violentia, sed vltro defecerit, vti lucerna consumpto pabulo

Suauis mors Abrahæ.

bulo leniter extinguitur, aut pomum tempore iam vietum sine vllo flatu sponte ex arbore decidit; aut denique vt dulci quispiam somno correptus caput in lectum molliter inclinat. Hoc enim plerosque seruorum suorum Dominus singulari beneficio, etiam in hac vita remunerat, vt facili, ac leni morte discedant, iuxta illud: *Cum dederit dilectis suis somnum.* Psalm. 126. quæ verba S. Hier. de vita potiùs interpretari videtur: *Dilecti* (inquiens) sancti sunt, qui post somnum præsentis vitæ, hîc dormitare videntur, vt in resurrectione ad vitam æternam mereantur peruenire. sic ille. Itaque hoc donum quàm maximum suis amicis Dominus confert, somnum præsentis vitæ videlicet; vt ita se gerant in vita, ac si dormiant; & quicquid in vita, vel aduersum, vel prosperum successerit, vt mera insomnia reputent; nec aliter moueantur quocunque euentu, quàm si dormiant, somniéntque. Pulchrè quidem, ac verè Tertull. scripsit *lib. de corona milit. cap.* 13. Omnia imaginaria in seculo, & nihil veri. sic ille. Quod si somnium pro morte ipsa, vt aptiùs videtur, accipias, mortis mira quædam suauitas insinuatur, quæ non timetur à iustis, sed votis omnibus expetitur dum abest, summa cum alacritate admittitur, & amatur cum adest. Quo in argumento egregiè scribit S. Bern. *Epistol.* 105. ad hunc modum. Volo te mortem, etsi non effugere, certè vel non timere. Iustus quippe mortem, etsi non cauet, tamen non pauet. Denique si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Moritur quidem iustus, sed securè; quippe cuius mors vt præsentis est exitus vitæ, ita introitus melioris. Non solum autem, sed & succedit iucunditas de nouitate, ac de æternitate securitas. Bona proinde mors iusti, propter requiem; melior propter nouitatem, optima propter securitatem. *O quam pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius!* Psal. 115. Quid si conscideri t mors saccum corporis tui, dum te subinde circundet lætitia? O quàm *beati mortui, qui in Domino moriuntur!* Apocal. 14. hæc S. Bern. Qui quidem dolent in vita, non secùs, ac parturiens affligitur, atque eiulat; cum alacritate verò à vita discessum expectant, vti gaudio immenso exultat, quæ doloribus partus expedita masculum parit filium: quæ similitudo, & à Christo Domino, & a Prophetis adducitur. Iusti ergo (vt loquitur S. Greg. Nyss. *orat. de mortuis*) mortem tanquã partus dolores, quasi obstetricem asciscunt, vt in alteram vitam homines educantur, & ad cælestem lucem procedant, & purum spiritum hauriant. sic ille. Egregie mors gerit obstetricem iusto parienti vitam æternam, quam viuus in spe, atque in merito, plenus Deo gestabat. Denique, vt euidentiùs ostendatur, quàm dulcis, & suauis est Dominus ergà suos amicos, ac seruos, quibus somnum pro morte concedit, aduertendum est in verbis paulò antè adductis, *Cum dederis dilectis suis somnũ*, Hebr. legi. לידידו *lidido*, à radice ידד *iadad*, quæ peritioribus est *proycere*: vnde potest egregiè verti, *proiecto suo*, nimirùm, vti mater proiicit filiũ suum adhuc infantulum in cunam, vt molliter, ac suaniter dormiat: ita Dominus dabit somnum mortis proiecto, ac dilecto suo. sic etiam de Beniamin dixit Moyses: *Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo; quasi in thalamo tota die morabitur.* Deut. 33. Hebr. *Iedid Iehouah*, ידיד יהוה; *Proiectus Domini.* Quem ille proiicit in lectum ad quiescendum, aut proiectus in cunam, vel in brachia Domini. Quid ergo hac morte suauius?

Suauis mors Dei donum est. — Psalm. 126. — D. Hieron. — Tertull. — S. Bernard. — *Iusti mortem appetunt.* — *Felix mors iustorum.* — Psalm. 115. — Apocal. 14. — S. Greg. Nyss. — *Mors vitam iustis parit.* — *Matrem erga iustos in morte Deus se exhibet.* — Deuter. 33.

5. *Mortuus est in senectute bona.*] Primus mortalium Abraham senex appellatus est, *c.* 18. supra, *Ben. Fernand. in Genes. tom.* 2.

Abraha senectus.

A & mortuus in senectute, vt non tam illius longæuitas, quàm sapientia, & virtus significaretur, qua nimirum reliquos anteactorum temporum homines superauit. Hæc sententia disertis verbis explicatur à S. Hieron. *in Psalm.* 91. vbi sic ait. Diligenter attendo in scripturis, vbi primum legerim senectutem: Primus Abraham senex dicitur: quoniam senectus ipsius inuncta fuit oleo vberi. scriptũ est: *Mortuus est Abraham nutritus in senectute bona, plenus dierũ.* Propterea *in senectute bona.* Omne enim tẽpus vitæ ipsius dies fuerunt, & non nox. sic Hier. Sic idem *in cap.* 3. *Isaiæ*, hoc modo: *Gloria senum canities.* Quæ est ista canities? haud dubium quin sapientia. *Sap.* 4. Cúmque nongentos, & eo ampliùs annos ab Adam vsq; ad Abraham vixisse B homines legamus, nullus alius priùs appellatus est presbyter, id est, senex, nisi Abraham, qui multò paucioribus annis vixisse conuincitur. hæc S. Hier. Presbyterum dicit Abraham, nempe senem, siue seniorem: quia pro eodem significato sumuntur in scriptura presbyteri, ac senes, siue seniores. Etenim senex dicitur presbyter, quia etsi gradu, officióque talis non sit, vita tamen, & prudentia, & morum grauitate sacerdos videri debet. Presbyter autem dicitur senex, quia sacerdotem, etiam non ætate prouectum, decet sapientia, & matura quædam vitæ senectus, qua Deum ipsum cum quo intimè, familiaritérque agit, sæpiùs cano capite ac senectute venerabilem Prophetis ostensum imitetur. Hinc idem Hieron. *in* 24. *Isaiæ*, C ad Abrahæ canitiem ita recurrit. Qualis senex fuit Abraham, quales iubetur Moyses presbyteros eligere. Cani enim hominis sapientia eius; qui imitantur vetustum dierum. *Dan.* 7. Cuius capitis describitur candida cæsaries, vt ætatis longitudo monstretur. Potest & hoc de Ecclesiastico gradu intelligi, si tamen non destruant operibus dignitatem. sic Hieron. Locus autem Danielis sic habet: *Throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, &c.* Vt ostendat, neque sacerdotem in sede Ecclesiæ; neque Regem in solio regni sedentem debere esse iuuenem, sed ætate grandæuum, canitie venerandum, & longa rerum experientia, multáque proinde sapientia spectabilem. Periculosa est autem (obseruat S. Greg. Nyssen. *lib. de Virg. cap.* 23.) ple- D rumque vel in omni negotio consiliorum moderatrix adolescentia; neque facilè quispiam aliquid earum rerum, quæ studio dignæ sunt, rectè ab eo factum comperit, à quo non est senectus in consilij societatem adhibita. hæc Nyssen. Væ regno cuius Princeps puer est: Væ Regi, cuius consiliarij sunt adolescentes. Et Roboam (inquit S. Hieron. *ad* 3. *Isaiæ.*) filius Salomonis, ideo perdidit regnum, quia noluit audire presbyteros. 3. *Reg.* 12. sic ille. Sit quidem princeps iuuenis, sed habeat tamen secum viros ætate grandæuos, & sapientia conspicuos. Hæc optima iuuentutis cum senectute connexio, ad res benè gerendas, & feliciter conficiendas. Nam vt seniores (inquit S. Ambros. 2. *offic.* 20.) consilio præualent, ita iuniores ministe- E rio. Plerumque etiam virtutibus pares, dispares ætatibus, sui delectantur copula, sicut delectabantur Petrus, & Ioannes. sic ille. Id ipsum ostendit in Moyse, & Iosue. Vterque (ait) Diuina subnixus gratia vltra humanam processit conditionem. Ille mari, hic cælo imperauit. Pulchra itaque copula seniorum, atque adolescentium. hæc S. Ambros. Cæterùm huiusmodi adolescens ætate, senectutem moribus præferat, qualis Iosue, qualis & Ioannes. Erat enim in hoc (addit S. Ambros.) senectus venerabilis morum, & cana prudentia. Vita enim immaculata bonæ senectutis stipendium est. sic

D. Hieron. — Sap. 4. — *Vera senectus in moribus est.* — *Grauitas & mores sacerdotis.* — D. Hieron. — Dan. 7. — *Senectus in rege, & in sacerdote.* — *Adolescens regimini & consilio ineptus.* — S. Greg. Nyss. — D. Hieron. — 2. Reg. 12. — *Senes, & iuuenes simul bene gubernant.* — S. Ambros. — *Iuuenis cum grauitate morum.* — S. Ambros.

Iuuenis ad regendum ineptus.

ille. Atque vt cætera omittam minùs idoneus præfecturæ censetur iuuenis, eo quòd præ feruido ingenio, atque immatura ætate inclementior, & seuerior omnia vi potiùs, quàm ratione, atque humanitate molitur; solet enim dignitas, non mitigare ingenium, sed ferocius reddere. Quod satis aliquando expertus in adolescente præproperè ad Ecclesiasticam dignitatem euecto Nebrod, vel S. Hildeb. *Epist.* 80. ita scribit. Ingenium tuum non tam mitatum felicitate, quàm manifestatum apparet. Multorum siquidem vitia, quæ imbecillitate latent, dum eis instrumenta explicandæ nequitiæ desunt, cum illis suæ vires placuerint, felicitas aperit. Sic pestifera serpens secure tractatur, dum riget frigore, non desunt tunc illi venena, sed torpent. hæc ille. Nihil animi cuiusque affectum, statúmque ita euidenter patefacit, quantumuis anteà delituerit, quam honor, quam felicior conditio, cuius accessu, & quasi ardore, vel emortuus sub cineribus ignis accenditur, atque passiones animi velut hyberno gelu concretæ viperæ subitò in rabiem excandescunt.

S. Hildebert.

Dignitas vitia latentia prodit.

6. At erunt, qui suam immoderatam seueritatem non excusare modò velint, sed etiam diuino testimonio probatam, & laudabilem ostendere; quippe cum ab Æterno Patre mandatum Filius veniens in mundum acceperit: *Reges eos in virga ferrea.* Psal. 2. Quid enim rigidius ferro? quid æquè timendum, ac virga ferrea, qua Christus armatus orbis totius regimen auspicatur? Benè virga ferrea Christo committitur, non quia rigida, sed quia (vt occurrit S. Hilar.) validissima, & pro naturæ suæ soliditate firmissima. sic ille. Sed liberè dictum iudices, cum nihil appareat, quod ferri duritiem temperet. Est planè apud Isaiam, quod ferrum emolliat: *Ecce* (inquit) *virga de radice Iesse.* cap. 11. En virga de radice, quæ ferrea dicta est. Cæterùm adhuc radix, si non ferrum adæquet, at certè duritiem non minimam præ se fert. Igitur addit Propheta: *Et flos de radice eius ascendet.* O admirabilem Dei clementiam! Virgam dixit ferream, vt soliditatem, & integritatem iustitiæ demonstraret: sed radicem attulit, vt aliquantulum de rigore ferri detraheret: florem denique apposuit, vt nihil suauius, & fragrantius, quàm Christi Domini disciplinā esse intelligeres. Quod subtiliter ita subnotauit S. Hilar. Ecce virga de radice Iesse, ac ne tyrannicam in eo seueritatem per virgæ nuncupationem auderet quisquam opinari, continuò Propheta adiecit: *Et flos de radice eius ascendet*; vt virgæ seueritatem floris suauitas temperaret. hæc S. Hilar. *in Psalm.* 2. Ad pium, blandum, & sanctum redeo senem, qui *mortuus est in senectute bona*: Pulchra etiam pulchrè verti potest. Hebr. enim טובה *Tobah*, hanc potiùs importat significationem: *In senectute pulchra mortuus est*, nimirùm, si ætatem spectes, maturè, cū iam penè decrepitus vltrò, ac sine violentia in mortem incidit; quod si gratiam respicias, plenus meritis. O pulchram mortem! ô formosum ex hac vita in alteram transitum! Lusitani dicimus, *Marè de rosas*: Cum leni quodam aquarum refluxu molliter impellente Tagum quieti, ac securi traücimus. Plenus dierum obiit, eo quòd (vt interpretatur S. Hier. *de quæst. Hebr.*) luce, & operibus diei plenus occubuit, &c. Nihil enim vnquam iuuenile, hoc est leue, inconcinnum, atque intemperans in Abrahamo visum est. Sed si morum grauitatem spectes, semper in eo extitit illa, quam in Achosio commendauit S. Ambros. benedicta senectus. Verè enim (inquit) senectus illa venerabilis, quæ non canis, sed meritis albescit. Ea est enim reuerenda canities quæ est canities animæ in canis cogitationibus, & operibus effulgens. Quæ est enim vere ætas senectutis, nisi vita immaculata, quæ non diebus, aut mensibus, sed seculis propagatur, cuius sine fine est diuturnitas, sine debilitate longæuitas? quo enim diuturnior, eò fortior, (eo quòd diutius eam vitam vixerit) in virum perfectum excrescit. hæc S. Ambros. *Epist.* 6 0 *de Acholio.* quæ mirificè cadunt in Abrahamum, qui vitæ splendore semper senex extitit, ac demum obiit, plenus dierum. Hanc verò plenitudinem (inquit hoc loco idem S. Ambros.) vita iustorum habet, inanes verò sunt dies malorum. Nimirum iusti rebus seriis, grauibus, veris, vtpote cælestibus, ac diuinis intenti, vitam viuunt plenam opibus meritorum ad præmium sempiternæ gloriæ: at impij sola huiusce vitæ bona consectantur, quæ vana, falsa, & nihili sunt: atque (vt S Gregor. *lib. de Virg. cap.* 3. obseruat) speciem aliquam præbent, ita vt est videri; sed omnia ex opinionis errore diuersa sese nobis ostendunt, spe illudunt, occultant sese specie quadam eorum, quæ videntur. sic ille. Habent quidem (vt ita loquar) esse non quidem verum, sed falsò confictum: vt non iam opiniones errantium, sed insanientium errores meritò queant nuncupari. Plenus dierum: nemo, qui vacuus (ait Procop.) esset, confirmatus est diuinæ scripturæ testimonio plenus esse dierum: illis hæc confirmatio dedit, qui vere dicere possunt: Et de plenitudine eius nos omnes accepimus. sic ille.

Psalm. 2. — S. Hilarius. — Isaiæ. 11. — *Christi regimen firmum, & suaue.* — S. Hilarius. — *Pulchra mors iustorum.* — D. Hieron. — S. Ambros. — *Senectus merito commendabilis.* — *Vita quò sanctior, eò diuturnior.* — S. Ambros. — *Bona mundi falsa, & inania.* — S. Greg. Nyss. — *Iusti dicuntur pleni.* — Procopius.

7. *Plenus dierum.* Hebr. שבע *sabeagh*, propriè *satietatem* significat, vertique potest *satur dierum.* Satur, scilicet, vitæ præsentis, vt iam dissolui cupierit, & esse cum Deo; nec plures optarit vitæ longioris dies. Ah! saturentur demum aliquando senes præsentis vitæ diebus, nec in æternum viuere desiderent: parent se ad mortem grandi virtutum, & meritorum viatico instructi, sit illis viuere Christus, & mori lucrum: pudor est enim, hominem Christianum, senio decrepitum, immoderatiùs vitæ productioris amantem esse, atque studiosum. Optimè S. Bernard. *serm. 2. de SS. Petr. & Paul.* admonet. Studeamus viuere vita iustorum, sed morte eorum mori multò magis desideremus. Omnino necesse est vitæ præsentis finem futuræ cohærere principio. Quantumlibet enim extiterit conuersatio spiritualis, si carnalis fuerit consummatio nostra, vitæ illi spirituali penitus non cohæreret: nec caro, & sanguis regnum Dei poterunt possidere. hæc S. Bernard. Mors nostra cohærere debet vitæ illi cælesti, quā speramus post illam adipisci: cæterùm, vt talis mors existat, necesse omnino est, vt morti vita etiam, quam in mundo viuimus, cohæreat. Solet enim mors suum statum (qualis qualis fuerit) ex anteacta vita mutuari. O quis ita felix, vt illa verè possit dicere, quæ Basilius Magnus hæretico præfectui mortem minitanti respondit, vti refert S. Greg. Nazianz. *orat.* 20. *de illius laudibus.* Mors (aiebat) beneficij mihi loco erit: citiùs enim me ad Deum transmittet, cui viuo, & munere meo fungor; maximaque ex parte mortem obij, & ad quā iam pridem propero. sic ille. Cohæreat etiam finis vitæ, scilicet senectus, & morti proximæ, & cælesti regno, quod sancta ambitione affectamus: vt senex dicat, *Exaltabitur sicut vnicornis cornu meum, & senectus mea in misericordia vberi.* Psal. 91. Vbi plura cum S. Hier. adnotari debent: ait enim: Semper cornu pro regno ponitur. In te inimicos nostros ventilabimus cornu. Nullum animal in templo immolatur Domino, nisi quod cornu habet. Tria immolantur, Taurus, Aries, Hircus, vniuersa cornuta sunt. Nisi enim

Senes vitæ productioris amantes. — S. Bernard. — *Mors iustorum desideranda.* — *Mors vitæ respondet.* — S. Greg. Naz. — *Tota vita moritur iustus.* — *Bona senectus vitæ cælesti proxima.* — Psalm. 91. — D. Hieron.

enim aliquis habuerit cornu in quo inimicos ventilet, non est dignus immolari Deo. Propterea & Dominus cornu dicitur iis, qui credunt in eum. Et in cornibus Crucis suæ ventilauit inimicos; ibi confudit diabolum, & omnem eius exercitum. Christus quidem crucifixus erat in corpore, sed verè crucifigebat ibi dæmones. non fuit crux, sed triumphus fuit, sed vexillum fuit. hæc S. Hieron.

Crux Domini trophæum.

Itaque fortes, generosos, ac violentos, qui diabolum excutiant, mundum vti paleam ventilent, cæloque vim inferant, ac regnum æternum diripiant, Dominus in suam militiam, & obsequium requirit: molles autem, ignauos, & effœminatos execratur: crucifixum sequantur crucifixi, ac triumphantem pariter triumphantes. Deinde expendendum: *Et senectus mea in misericordia vberi.* Plenam Dei misericordia senectutem suam dicit Propheta, vt in opera misericordiæ, ac pietatis redundet. Quomodo enim (declarat S. Hieron.) corpora nostra quando laborant, non reficiuntur nisi vnctione olei: quomodo lumen lucernæ, nisi oleum miseris, extinguitur: sic & lumen senectutis meæ oleo, & misericordia Dei indiget, vt crescat. sic Hieron. Oportet enim vt senectus multo effulgeat lumine doctrinæ atque exempli, est enim pius senex lucerna in domo Dei. opus igitur est oleo misericordiæ Diuinæ, & suauis, & bene olentis vnctionis (vocamus deuotioné.) vtramque suis dilectis Dominus infundit, quos in senectute cælestibus replet gratiis, & gaudiis, vti infantulos lactentes: hoc est enim: *Nutritus in senectute bona*: quod S. Hieron. apposuit. Congruit mirificè exequiis Abrahæ, quas in præsentia cum Isaac filio celebramus, illa sententia eiusdem Gregor. Nazianz. *Orat. 19. de obitu sui patris, quem vocat Abrahā, ad matrem suam Nonnam, quā appellat Saram, seque illorum Isaacum nominat.* sic igitur ait ad finē: Absurdè & præpostere affecti esse videmur, qui ea, quæ minimè horrenda sunt, æstimemus; quæ autem metuenda sunt, vt optabiliora complectamur. Vna vita est ad vitam respicere. Vna mors, peccatum. Est enim animæ interitus. Alia autem, ob quæ nonnulli animis efferuntur, insomniorum visio sunt veris rebus illudens, & fallacia animæ spectra. Si hac mente fuerimus, ô mater, nec ob vitā animos attollemus, nec ob mortem nimiùm angemur. Quid igitur graue nobis accidit, si hinc ad veram vitam migrauimus, si conuersionibus, vertiginibus liberati, cum stabilibus rebus, minimeque fluxis, & caducis parua lumina futuri sumus, circum lumen illud magnum tripudiantes? hæc Nazianz. Mortuus igitur est Abraham senex, & satur, hoc est (exponit Caiet.) non solum habuit senectutem incolumem, & vilem vsque ad finem, sed etiam obiit satiatus omnibus bonis, vt nihil ei desiderandum superesset.

Fortitudo seruorum Christi.

D. Hieron.

Senectus eget oleo Diuinæ misericordiæ.

Doctrina & exemplum in senibus.

S. Greg. Naz.

Decipimur falsitate bonorum.

Insomnia mundi bona.

Caietan.

8. *Congregatusque est ad populum suum.*] Hebr. *ghammau* עמיו *populos*, quia iustorum cœtus in limbo ex multis gentibus, ac populis coalescebat. Euidenter hinc colligitur animæ immortalitas, æternáque altera post præsentem vita: quippe Abraham secundùm animam tantummodo (nam totum compositum morte fuerat dissolutum, & corpus humi sepeliebatur) adiungi dicitur ad populum, qui non in terra, sed in altero æuo, orbéque ex abeuntibus hinc post mortem animabus conflabatur. Magnum porrò solatium filio Isaac fuit, quòd parente sancto, & sui peramante vsque ad extremam senectutem, diebus, & meritis, & omni felicitate, vt hic legimus, pleno, ac saturo frui licuit. Quod S. Hieron. *Epistol. 27.* de nobili sanctaque matrona Paula ad consolandum luctum filiæ scripsit: Non mœremus (inquiens) quòd talem amisimus, sed gratias agimus, quòd habuimus, imò habemus. Deo enim viuunt omnia. sic ille. En alia causa leuandi mœroris; quòd Abraham congregatus est ad populum suum, quòd viuit adhuc vitam longè securiorem, & feliciorem. Cæterùm id ipsum nunc in lege gratiæ potentius est ad luctum viuorum temperandum, cum iam Christi Domini sanguine in cruce, & ascensu eiusdem in regnum suum nobis reseratum cælum pateat. Quapropter ex misericordia Domini speramus, & nostros qui in Domino mortui sunt, ad sempiternam beatitudinem transmigrasse, & subinde nos paulò post ad illorum societatem aggregandos. Hæc duo S. Gregor. Nazianz. proponit *orat. 19. ad consolandam matris suæ viduitatem.* sic ait. At disiunctio te angit? spes te oblectet. At grauis res est viduitas? sed marito non grauis. Vbi porrò charitatis bonum erit, si faciliora quispiam sibi ipsi dans, asperiora proximo tribuat? Imò quid est omnino, quod ei graue videri debeat, quæ paulò post dissoluenda est? Instat præstitutus dies: diuturna molestia non erit. Magnis rebus priuati sumus: at etiam iis nobis frui contigit. Priuari porrò omnium est: frui paucorum. Quare ne mentem nostram illud deiiciat, verum hoc potiùs consoletur. Æquius enim est, vt quod melius est, vincat. hæc S. Nazianz. Mortem idcirco suam miris votis expetebat Propheta; putredinem, & cineres consolabatur, eò quòd in eam vilitatem redacto corpore anima in æternam requiem concessura, & iustorum societati erat adscribenda: ait enim. *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat: vt requiescam in die tribulationis: vt ascendam ad populum accinctum nostrum.* Abac. 3. LXX. vertunt. *ad populum peregrinationis meæ.* Atque vt intelligas quàm felicem sperabat interitum Propheta, qui vitam cum cæteris iustis pro peregrinatione habuerit, sic interpretatur D. Hieron. Ascendam deorsum positus: & quasi de valle ad sublimiora nitens tota auiditate contendam: vt tempore quo cæteri in tribulatione sunt, & angustia, mihi cura sit de ascensu, quomodo cum populo peregrinationis meæ requiescam in altioribus locis. hæc S. Hieron. Itaque alij morte afflicti æstuant, at Propheta gaudio exultat: illi grauiter ad eam horam premuntur, iste lætus posito onere subsistit, ac quietem captat: illi iactantur dolorum procellis, iste de salo in portum diues, atque hilaris ingreditur: illi cadunt in terram, at eorum multi in gehennam detruduntur: iste ascendit ad cœtum iustorum, vbi dicitur: *Intra in gaudium Domini tui.*

Populus iustorū in limbo.

D. Hieron.

Ben. Fernand. in Genes. tom. 2.

Felix, qui cum iusto vixit.

Felix mors iustorum post Christum.

S. Greg. Naz.

Qui ferenda mors nostrorum.

Solatium viduæ in obitu viri iusti.

Spe mortem suam iustus consolatur.

Abac. 3.

D. Hieron.

Dispar iusti, atque iniusti mors.

9. Ac illud quidem in morte iusti lucrantur, quod à malorum conspectu, & sensu eripiuntur, quæ mortales aut perpetrant, aut perferunt: quæ fuit potissima ratio, quare Propheta hoc loco mortem, & sepulturam corporis sui tantopere cupiebat, ne scilicet Iudæorum flagitia, & irati contra sacrilegos vltionem Dei viuus spectaret. Hoc enim sensu ita locum istum explicat S. Cyrillus Alex. cognoscens visionem fore in tempora, & quæ prænuntiarentur, dilatum iri propemodum iam ex ingenti tristitia recreatus: Requiescam (inquit) in die tribulationis, vt ascendam ad populum peregrinationis meæ. Non enim talium malorum pondere premar: nec, cum hæc mala euenient, ego in hac vita reperiar. Ascendā enim hinc, & emigrabo, &c. hæc S. Cyrill. Tanto quidem zelo inardescunt viri iusti erga Dei sui honorem vt ægerrimè ferant contra illum intueri hominum delicta. Mori malunt, quàm videre Deum

S. Cyrill.

Iusti ob zelum Dei cupiunt mori.

S.Cyrill.

ab hominibus offendi; quod idem S. Cyrill. vlteriùs hoc modo colligit: Dignum igitur admiratione Sanctorum consilium, qui nec minima videre sustinent, quibus Deus ad iram prouocari possit: qui proinde ex hoc mundo discedere ipsa vita iucundius sibi duxerunt, nisi Dei gloria sarta tecta à nobis seruaretur. sic ille. Quia verò sacra scriptura simili verborum ambitu declarat mortem Ismaelis, quo descripserat obitum Abrahæ; nimirum: *Ismael deficiens mortuus est, & appositus ad populum suum*: meritò Hebræi, & alij ex nostris colligunt Ismaelem ad cœtum iustorũ, atq; in sinum patris Abrahæ concessisse defunctum in gratia Dei; quod iustum est credere spectata Domini benignitate, & meritis sanctissimi Abrahæ: præsertim, quia supradicta verba non inueniuntur scripta, nisi de sanctis viris, qui in Domino mortui sunt. Additur de Ismaele: *Coram cunctis fratribus suis obijt. Ghal pene col echaũ naphal* על פני כל אחיו נפל *supra facies omniumq; fratrum suorũ cecidit.* quod variè solet exponi. Nimirum: *possessio ac sors obuenit illi coram, in conspectu fratrum suorum*, vel *supra fratres suos*, quòd locupletior, & multiplicatior, quàm reliqui, extiterit, vt ex ipsa serie tam numerosæ, nobilitatæque sobolis potest colligi. L X X. & Chald. legunt, *habitauit*. Cæterùm נפל *naphal* ab interprete nostro vertitur, *obijt*, vnde boni autores interpretantur: *Iunior omnibus fratribus suis obijt*, siue *paucioribus annis vixit*. Caietan. explicat: *habitando super facies omnium fratrum suorum cecidit è vita*. Eminentia siquidem habitatæ ab Ismaele regionis super facies eorum significatur. sic ille. Longè aliud à S. Hieronymo apponitur *de quæst. Hebr.* sic infit. *Coram omnibus fratribus suis occubuit*, id est, in manibus omnium filiorum suorum mortuus est, superstitibus liberis, & nullo priùs morte perempto. Fratres autem pro filiis appellari, Iacob quoque ad Laban demonstrat dicens: *Quod est peccatum meum, &c. ponatur coram fratribus meis, & fratribus tuis, & diiudicent inter nos.* Genes. 35. Nec enim possumus credere, vt scriptura commemoret, quod Iacob exceptis liberis secum fratres aliquos habuerit. ita S. Hieron. Ita videtur Lyrano, & Gloss. interlin. Hæc enim habet: *Coram fratribus*, id est, *adhuc viuentibus filiis*. Quod si ita est, miror, quàm præclarum, quàm amabile, dulcéque illa ætate nomen extiterit fratris, vt eo etiam filius, quo parentibus nihil & propinquius, & charius est, nominari consueuit.

Ismaelis mors in gratia Dei.

Ismaelis numerosa proles.

Caietan.

Ismael nullius filij mortem vidit.

D. Hieron.

Genes. 35.

Filij dicuntur fratres.

Dulce nomen fratris.

10. Emphasim reperio in præpositione Hebræa *ghal* על *super*, quasi in amplexibus, & osculis fratrum, aut filiorum Ismael mortem oppetierit. Quocunque modo locus iste declarabitur, non possum mihi non persuadere Ismaelem in Dei gratia tandem excessisse: nam etsi aliquando nequam fuerit attamen eiectus, & exul, & errabundus per solitudinem cum matre, atque adeo in mortis periculum ex ardore sitis adductus omnino abluisse videtur, quicquid priùs mali admisisset. Nam Dei clementia sic iustitiam attemperat, vt corpus plerumque acerrimè puniat, animam verò, & purificet, & venia, præmioque donet sempiterno: quod quidem in Anania, & Saphira subitò peremptis factum ita considerat S. Petr. Damian. *Apolog. cap.* 3. Illi quidem, vtpotè rudes, & ad fidem paulò ante adducti, necdum fortasse ad plenum euangelica præcepta didicerant, necdum sacri nouæ doctrinæ codices ad publicum in commune processerant: attamen qui in ipso fidei tyrocinio quodammodo simpliciter peccauerunt, districto quidem, sed pio iudicio, sola (vt credimus) sunt corporis morte mulctati. hæc ille. Quod

Ismaelis pœnitentia, & salus.

Ananias & Saphira mortui in gratia.

S. Petr. Dam.

Actor. 5.

Deus punit corpus, & saluat animam.

A si hoc testimonium alicui non placuerit, illud aliud profectò non reiicietur de Nabuchodonosor, quem Diuina iustitia graui supplicio percussit, sed satis perculsum misericordia vindicauit. *Dan.* 4. In quam sententiam ita scribit S. Pacian. Barcin. *in parænes. ad pœnit.* Hæc illum Deo pœna commendat, & in sua regna restituit. Quem horrebant homines, Deus recipiebat, ipsa illa malæ tractationis calamitate felicem. sic ille. Multos ergo infelicitas felices reddidit: multis profuit cecidisse: multi per afflictionem violentam corporis, ad salutem animæ suauissimam perducti sunt. Rogandus ergo instanter à nobis Dominus est: Hic ô bone Deus, vre, hîc seca, hîc occide, vt in æternum serues, ac viuifices. Affligatur corpus, B vt seruetur anima: fatiscat, dissoluatur, pereat caro, vt spiritus è salo euadat, & in portum subintret æternæ felicitatis. Facile siquidem (ait S. Saluian.) est, quicquid in præsenti seculo nocet: illud graue, illud perniciosum est, quod in æternitate iugulabit. sic ille, *lib. 2. ad Eccles. Cath.* Ac pro cælesti quidem vita nihil non quantumuis acerbum & molestum in terra, patienter, spontéque subeundum est. At dura hæc sunt (occurrit idem Saluian.) Sed quid facias? nisi duris non itur ad regnum. Indignum Apostolus *Rom.* 8. esse ad futuræ gloriæ comparationem omne opus dicit humanum. Et ideo nihil durum Christianis videri debet, quia quantalibet pro sempiterna beatitudine Christo offerant, vile est quod datur, vbi tam C grande est, quod accipitur. hæc ille, *lib. 4. ad Eccles. Cathol.* Igitur amore, spéque cœlestis beatitudinis facilè bona huius vitæ contemni, patienter mala perferri solent. Nihil enim (colligit idem) magnum in terris ab hominibus Deo soluitur, vbi quod est in cælo maximum comparatur. hæc Saluian.

Nabuchodonosor punitus & saluus.

Dan. 4.

S. Pacian.

Prodest ad animæ salutem pœna corporis.

S. Saluian.

Pro cæli gloria nihil non subeundum.

S. Saluian.

Vile, quicquid pro cælo datur.

S. Saluian.

11. *Deprecatúsque est Isaac Dominum pro vxore sua.*] Præmiserat diuinus auctor post obitũ Abrahæ benedictũ Isaac à Domino fuisse: videlicet non solùm diuitiis, honore, & gloria inter homines magnificatum, sed multo magis fidei, ac virtutum omnium charismatibus, vt rectè aduertit Lyppoman. Cæterùm quod optabile homini erat, adhuc deerat; vndeuiginti enim annis sine liberis vixit D in summa vxoris suæ infœcunditate. Certus erat in se ipso vocatum esse Abrahæ semen benedictum, sed num illud pariendum à Rebecca, num verò potiùs ab alia, hoc incertum habebat; & quia Rebeccam ardenter amabat, malebat ex illa, quàm ex alia semen diuinitus promissum. At Deus omnipotens statuerat nasci Iacob ex Rebecca; cur ergo tandiu illa sterilis fuit? Volens Deus (respondet Theod. *quæst.* 29.) componere genus Israeliticum, ostendit illud non naturali successione, sed gratia, & fauore multiplicandum. Hanc autem prouidentiam adeptum est genus illud, quia Christus Dominus vnigenitus Dei filius inde secundùm carnem nasci debebat. hæc Theod. E Itaque sterilitas debuit interuenire, vt Dei potentia, & misericordia ostenderetur, ad illustriorem Hebrææ gentis gloriam, quæ scilicet, non tam à natura, quàm à Dei gratia propagari censeretur. Quòd si Deus iam statuerat, vti ex Rebecca Iacob nasceretur, atque adeo prædestinatus ille fuerat; non iccirco preces, ac pia opera parentum ad impetrandum à Deo filium superuacanea esse iudicantur. Vt enim docet D Thom. 1. *p. quæst.* 23. *art.* 8 etsi diuina prædestinatio in se nullo modo iuuetur precibus, ac piis operibus iustorum: iuuatur tamen quoad suos effectus. Prædestinatur enim à Deo salus alicuius, vt etiam sub ordine prædestinationis

Lyppom.

Hebræorum genus propter Messiam est propagatum.

Theod.

Oratio & operatio effectus sunt prædestinationis.

S. Thom.

nationis cadat, quicquid hominem promouet in salutem, vel orationes propriæ, vel aliorum, vel alia bona, vel quicquid huiusmodi, sine quibus aliquis salutem non consequitur: vnde prædestinatis conandum est ad bene operandum, & orandum: quia per huiusmodi prædestinationis effectus certitudinaliter impletur. Propter quod dicitur 2.Petr.1. *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionē faciatis.* hæc S.Thom.

Per bona opera impletur, & certa fit status.

2. Petr. 1.

S.Chrysost. *Mira vis orationis.*

Optimè colligit ex hoc loco S.Chrys. quanta sit vis orationis, & quantum in illa præsidium habeamus. Annis viginti (inquit) Isaac perseuerauit orans Deum, & vterum Rebeccæ inutilem generationi, idoneum fecit. Vidisti orationis vim, quòd & naturam superet. Hunc omnes imitemur, B & ita in precibus simus assidui, & humiliata mente iuxta Paulum leuantes sanctas manus. 1. *Tim.* 2. &c. ita S.Chrys. ac magna cum fiducia Deum rogando indeficienter instemus. Est enim Dominus (inquit S.August. *medit.* 36.) solum confugium, & vnica spes miserorum, cui nunquam sine spe misericordiæ supplicatur. sic Aug.

1. Tim. 2.

Oratio exauditur à Deo. D.August.

S.Chrysost.

12. Aliud etiam egregiè subinfert S.Chrys. ex eo, quod iusti fuerint, & liberis tandiu caruerint Patriarchæ. Quando, (inquiens) videris, pios, & religionis studiosos non habere liberos, ne tribuas hoc peccatis. Multi enim Diuinæ dispensationis sermones sunt nobis arcani: & pro omnibus gratias agere oportet, & solos illos miseros dicere, qui in peccato viuunt, non eos, quibus filij desunt. Quippe sæpenumerò multa Deus vtiliter dispensat, quorum nos causam nescimus. Ea propter C vndequaque sapientiam eius admirari oportet, & glorificare ineffabilem misericordiā hæc S.Chrys.

Negat Deus iustis filios.

Rupert.

Benè Rupert. ex præstantia generis, per Isaacum, & Rebeccam multiplicandi colligit appositam esse naturæ sterilitatem, vt hac tandem euicta donum Dei ostenderetur, & cum gratiarum actione ab hominibus susciperetur. Quia (inquit) donum Dei erat, & non ex hominibus, vt in semine Abrahæ omnes gentes benedicerentur, decebat sic ad dandum extendi manum Dei, vt ad cognoscendum non dormitaret ingratitudo hominis. Quid autem in re huiusmodi meliùs erudiret fidem, vel obstrueret os omnium, quam vel sterilitas fœminarum? Bene igitur præparauit Rebeccam prouidentia Dei talem, in qua non possit omnis caro, sed sola fides coram Deo gloriari: sterilem namque vterum prouidit. hæc Rupert. Porrò autem iuxta Theod. hæc sterilitas à Deo sic ordinabatur; quia ex illo semine Dei Filius erat nasciturus. Quæ ratio nimium pulcherrima disertissimè à S.Chrys. sic explicatur. Quænam est causa, propter quam mulieres illæ, Sara, Rebecca, Rachel, steriles fuere? vt cum videris Virginem Dominum nostrum parientem, ne sis incredulus. Exerce hìc tuos sensus in vulua sterilium, vt cum videris ligatam, & emortuam vuluam diuina virtute ad procreationem aperiri, inde copiosis argumentis acceptis, non admireris audiens, quòd Virgo peperit: imò admirare, & obstupesce, sed ne sis incredulus. Sterilitas igitur iam viam parat virginitati. & propter hoc steriles priùs fuerunt, vt credatur Virginis partus, & ipsæ nos manu ducant ad fidem promissionis. hæc S.Chrys. Similiter S. Ambros *lib. de Isaac. cap.* 1. Et sterilis (inquit) peperit, vt crederemus, quòd potens est Deus facere, vt possit Virgo generare. sic ille. Quæ quàm vera sint, apertè ostenditur ex ipsa legatione Archangeli, qui turbatam Virginem in sermone eius exemplo Elizabethæ voluit tranquillare. Nunciauit ille Virgini partum: Virgo respondet: *Quomo-*

Hebræorum genus ex Diuina gratia

D

Theod.

S. Chrysost.

Steriles pariunt, vt Virginem parere credamus.

E

S.Ambros.

Virgo Deum peperit.

A *do fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Satiè (inquit S.Chrys.) propter hoc erit, quoniam virum non cognoscis. Nam si cognosceres virum, non fuisses habita digna, vt huic ministerio seruires. Itaque quamobrem dubitas, eam ob rem crede: non quia malum nuptiæ, sed quia melior virginitas. Hunc autem ingressum nostri omnium Domini digniorem esse oportet, quàm nostrum. Regius enim fuit introitus. sic ille, *homil. 49. in Genes.* Decuit enim, vti Deus homo in mundum adueniens, nouo quodam, & supra omnem naturam conceptu, partúque e Virgine Matre nasceretur, quo statim Diuinitatem suam in humanitate ostenderet. Nihil autem ita euidenter Deum deB monstrat, quàm nouus ex Virgine Matre conceptus, partúsque Dei hominis.

Lucæ 1. D.Chrysost.

Nasci de Virgine Diuinitatem Christi commendat.

13. Decebat etiam, vt Deus homo mortalibus proderetur illis persimilis, & illis dissimillimus: conceptus quidem in vtero fœminæ, & natus de fœmina, vt homo: conceptus sine opere virili, & natus de Virgine, non soluens, sed conseruans, atque perficiens integritatem Matris, vt Deus. Oportebat autem (adiungit Chrys.) & partim cum nostra natiuitate communicare, & partim alienum esse; & vtraque hæc fuerunt. Nam de vtero prodire commune habet nobiscum: absque noptiali autem congressu nasci, supra nostram est natiuitatem. Naturale est conceptum fieri in vtero, supra naturam humanam est absque commixtione esse prægnantem. ita S.Chrys. Sed quonam exemplo Angelus Virginem ad tam insigne Dei hominis C de Virgine nascituri miraculum sperandum excitauit? *Et ecce* (inquit) *Elizabeth sterilis in senectute concepit; vterumque iam semestrem gestat.* Vides (addit Chrys.) quod sterilis propter Virginem? Non in memoriam ei reducit Saram, Rebeccam, Rachelem, steriles, quia erant antiquæ narrationes; adducit eam ad hoc quod nuper contigerat, vt mentem eius ad credendum prouocaret. sic ille. Solent enim recentiorum euentuum exempla, quàm rerum iam obsoletarum vehementiùs permouere. Quando igitur (colligit S.Chrysost.) tibi dicit Iudæus: Quomodo peperit Virgo? dic ei, Quomodo peperit sterilis, & vetula? duo impedimenta illic erant; & ætas intempestiua, & natura vitiata: in D Virgine autem vnum impedimentum fuit, quòd non esset particeps concubitus. Itaque sterilis Virginem ducit ad fidem partus. hactenus S. Chrys. Ne tamen hinc putes colligi maius fuisse miraculum in partu vetulæ sterilis, quàm in partu Virginis adolescentulæ. Etsi enim illic duo inueniat Chrys. impedimenta, longè tamen ambo faciliùs euincuntur, quàm vnum in virgineo partu. Nihil enim tam supra naturam extitit, quàm Virginem sine virili semine concipere, parereque Filium. Exclamemus igitur in Christi Domini honorem: *Beatus venter qui te portauit!* Beatus quidem (inquit S.Gregor. Nyssen. *lib. de Virg. cap.* 19.) prædicatur sanctæ Virginis vterus; qui immaculato partui ministrauit; quia neque partus Virginitatem dis-E soluit, neque Virginitas huic partui impedimento fuit. sic ille. Atque, vt Filio Virginis gratos nos, atque idoneos seruos exhibeamus; illius, & Matris puritatem munditia nostrorum corporum, & mētium, quoad fieri possit, imitemur. Diuinum hoc munus (ait idem Gregor. *cap.* 2.) perpetuò colamus, quod incorporeæ, diuinæque naturæ proprium quidem, ac præcipuum est, Dei tamen benignitate iis etiam, qui è carne & sanguine effecti huius vitæ vsura fruuntur, datum & tributum est; vt Virginitas, quasi manum munditiæ participem porrigens, hominum naturam vitiosa af-

Christi Natiuitas nostra partim similis, partim dissimillima. D. Chrysost.

D. Chrysost.

S. Chrysost. *Summum miraculum ex Virgine nasci.*

Beatus Virginis vterus S.Greg. Nys.

Puritas Deo propria.

fectione abiectam rursus erigat, & ad cæleſtium A contemplationem perducat. ita S.Greg.Nyſſ. Scilicet hæc virtus eſt, & gratia virginei pudoris, vt hominem natura ſua pecudibus ſimilem, ideóque ad ventris concupiſcentiam, ſordéſque abiectum; ſupra terram eleuet ad Angelorum conſortium, & quandam velut participationem Diuinæ puritatis. Hoc tam admirabile donum, per Virginem Matrem adueniens in mundum Deus ipſe attulit, & conceſſit hominibus. Hæc eſt illa potiſſima gratia, quam Angelus in Virginis ſalutatione venerarus eſt. Hanc nos etiam reuerentes pariter, & cupientes dicamus ad Virginem (vt loquitur S. Athanaſ. *ſerm. de ſanctiſſ. Deip.*) Ad te clamamus: recordare noſtri, ſanctiſſima Virgo, & retribue nobis pro exiguis iſtis eloquiis magna dona ex diuitiis tuarum gratiarum. ſic Athan.

Puritatem Chriſtus ad homines attulit.

Mira gratia Virginitatis.

S.Athan. Inuocanda B.Virgo Maria.

B

SECTIO II

Qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Sed collidebantur in vtero eius paruuli; quæ ait: Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere? &c. vſque ad ſeruiet minori.

1. MAgna vis precum, ſi multiplicentur, quod vox hic poſita importat עתר ghatar, eſt enim ſecundùm peritiores Hebræos *multiplicare preces*. Primò quidem orationem aggredimur, eum aliquo mentis ardore; dein verò elangueſcimus, ſi non exaudimur; atque ita defeſſa, & refrigerata oratione obmuteſcimus, & tantùm non indignamur, eo quòd ſurdo cælo inclamauerimus. Pudeat ita deſides, ac frigidos eſſe ad conſpectum Iſaaci, qui totos quadraginta annos inſtando, & clamando, etiam diuinitus promiſſam ſobolem expoſcit. Dixi, diuinitus promiſſam: quia Dei promiſſio non niſi precibus hominum erat adimplenda; imò & Diuinæ prædeſtinationis effectus maximè ſolet ipſorum, qui prædeſtinati ſunt precibus adimpleri, quod iam paulò ſuperiùs cum D.Thom. ſtatuimus, & nunc ſatis luculenter comprobat S. Gregor. *libr.1 dialog. cap.*8. his verbis. Notandum quòd obtineri nequaquam poſſunt, quæ prædeſtinata non fuerunt; ſed ea, quæ ſancti viri orando efficiunt, ita prædeſtinata ſunt, vt precibus obtineantur. Nam ipſa quoque cæleſtis regni prædeſtinatio, ita eſt ab omnipotente Deo diſpoſita, vt ad hanc electi ex labore perueniant, quatenus poſtulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante ſecula donare diſpoſuerat. hæc ille. Quam doctrinam de orationis efficacia ſtatim probat exemplis hoc modo: Abrahæ namque Dominus ait: *In Iſaac vocabitur tibi ſemen.* Geneſ.21. Ex qua re apertè conſtat, quod omnipotens Deus ſemen Abrahæ per Iſaac multiplicari prædeſtinauerat, & tamen ſcriptum eſt: *Deprecatus eſt Dominum Iſaac pro vxore ſua, eo quòd eſſet ſterilis, qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ.* cap.25. Si ergo multiplicatio generis Abrahæ per Iſaac prædeſtinata fuit, cur ſterilem accepit? ſed nimirum conſtat, quia prædeſtinatio precibus impletur, quando is, in quo Deus multiplicare ſemen Abrahæ prædeſtinauerat, oratione obtinuit, vt filios habere potuiſſet. hæc Pontifex. Itaque vt bene poſt Greg. adnotauit S. Hildeb. ſi Rebeccæ clauſus eſſet vterus, fruſtra Dominus in Iſaac multiplicandum ſemen Abrahæ promiſiſſet. Legitur autem precibus Iſaac datum Rebeccæ conceptum; vt generis multiplicatio, quæ prædeſtinata in eo

Orationi inſtandum.

C

S.Gregor. Oratione cõpletur prædeſtinatio in effectu.

D

Geneſ.21.

E

S.Hildebert.

Vis orationis ad effectum prædeſtinationis.

fuerat, precibus impleta monſtraretur. ſic ille. *Epiſt.*60. Iccirco enim Dominus ad orandum nos excitans, nobis indicit, dicamus: *Adueniat regnum tuum.* Continua quippe (vt obſeruat S.Cyprian. *de orat. Domini.*) oratione, & prece opus eſt, ne excidamus a regno cæleſti. ſic Cyprian. Ac panem dicimus: cur ergo tam ſolicite oramus? ſcilicet cum patris affectu ſolicitudo, & induſtria filij coniungatur neceſſe eſt. benè S.Paulin. Domini (inquit) recognoſce affectum, quo ſemper ita ſpem noſtram fouet, vt ſolicitudinem non relaxet: ita infirmæ carni conſulit, vt ſpiritus promptus eſſe non deſinat. hæc Paulin. *Epiſtol.*35. Tantò autem gratior, & acceptior eſt oratio, quantò cum patientia, & charitate magis coniuncta, & veluti communita in cælum aſcendit: qualis profectò erat oratio iſtius Patriarchæ. Nam iccirco ferè omnes patres inculcant myſterium, quod in nominibus (Iſaac, & Rebeccæ) includitur: illud enim riſum, iſtud patientiam ſignificat. O egregiam ſocietatem riſus, ac patientiæ! En quam pulchra oratio illa in domo fiebat, cum patientia videlicet, & riſu copulata! Carebant filiis iuſti coniuges, qua pœna fortè acerbior nulla eſt in coniugio: at cum patientia, & riſu perferebant, & carere liberis, & tot per annos inſtando ad Deum precibus, nihilo tamen minùs non exaudiri. Cæterùm in aduerſis nollum viri iuſti excellentiorem, ac dulciorem fructum ſibi putant colligere, quàm ipſam, quæ iuſtos coronat, patientiam. Hinc illud S.Proſper. *lib.3. de vit. cont. cap.*29. Prudentes non putant vlla eſſe mala niſi ea, quæ malos efficiant: ſcientes non ſe damnari aduerſis præſentibus, ſed probari ex ipſa tolerantia paſſionum: occaſionem comparandæ ſibi patientiæ viriliter agentes arripiunt. ſic ille.

S.Cyprian. Oratio ad ſalutem animæ neceſſaria.

S.Paulinus.

Oratio cum patientia coniungatur.

Lætitia patientiam commendat.

Patientia iuſtorum corona.

S.Proſper.

2. Sed quid de charitate dicam, quæ orationem huiuſmodi adornabat? habetur in Hebr. *lenocach iſxto,* לנכח אשתו *è regione vxoris ſuæ.* Senſus videtur eſſe: Iſaac, & Rebecca Deum aſſiduè precabantur, alter ex aduerſo alteri, ambo in Deum defixis animorum, atque oculorum obtutibus: ita inuicem in orandi ardore ſeſe iuuabant, atque excitabant, vnanimiter (quod poſtmodum viſum, & ſcriptum eſt) perſeuerantes in oratione Dei. Erat vtriuſque cor vnum, & anima vna, eoque precantium ardor erat vehementior, quò mutua ſeſe caſtè amantium charitas ardentior videbatur. O ſanctum, ô Deo gratum, ô felix ſpectaculum, coniuges pari habitu, & ſitu corporis, pia quadam æmulatione ſeſe prouocantes in ſtudium orandi ante Deum procumbere! Felix domus, quam pietas, & oratio coniugum fecit templum Dei, in qua ſimul exercetur (quin alterum alteri ſit impedimento vt S.Bern. loquitur *ſerm.2. de Aſſumpt.*) & Marthæ negotium, & Mariæ non otioſum otium. ſic ille. Felix domus, in qua neuter coniugum de altero queritur, aut etiam detrahit, eò quòd orationi tempus impendat, quaſi hoc ſit elangueſcere otio, atque ignauia diffluere. Carnalis eſt enim (ait idem Bernard *ferm.1. de Aſſumpt.*) & omnino non percipit, quæ ſunt ſpiritus Dei, ſi quis fortè vacantem animam ſua de vacatione redarguit. ſic ille Quod ſi æmulatio ſancta Martham ſtimulet, non ad carpendum contemplantis Mariæ otium, ſed ad inuidendum potiùs, atque ardenter etiam expetendum; nihil eſſe poterit in ea familia iucundius, nihil glorioſius. Addit enim optime S.Bern. loco indicato. Felix domus, & beata ſemper congregatio eſt, vbi de Maria Martha conqueritur. Nam Mariæ Martham æmulari prorſus indignum, prorſus illicitum eſt. Abſit, abſit, vt

Charitate oration.m adornat.

Coniunges orationi ſimul inſtantes.

S.Bernard.

Adiuuat & orationi felix facietas.

S.Bernard.

Religioſis aſpirandum ad contemplationem.

vt qui Deo vacat, ad tumultuosam aspiret fratrum officialium vitam. hæc ille. Igitur tam multiplicatas per tot annos, & cum tam insigni pietate effusas preces, Deus exaudiuit, dedirque conceptum Rebeccæ: à Deo quippe dantur liberi, à Deo negantur: vtrumque Dei beneficium est.

Dei beneficio liberi dãtur, & negantur.
S. Hildebert.

Cæterùm multis coniugibus (vt verè scribit S. Hildebert. *Epistol.66.*) Sterilitas carnis, animæ quæstus est, non dispendium; gloria, non confusio; beneficium, non flagellum. sic ille. Quod quàm certum sit, nemo non videt: nec enim aliunde, quàm ex filiis maior, & grauior pullulat seges molestiarum: vbique luctus, vbique dolor parentum inconsolabilis.

Ex filiis summus dolor.
S. Greg. Nyss.

Enimuerò (quod bene obseruat S. Gregor. Nyssen. *lib. de Virgin. cap. 3.*) vnus quidem filij mortem, alter verò vitam luget.

B

Huic mortuus est filius suauissimus, illi verò in vita est filius perditus: vterque sanè commiseratione dignus. Dolorem enim filij nati æque important, ac non nati: & rursus tam viui, quàm mortui. hæc Nyss. quæ ne longiùs eamus in hoc eodem capite perspicua, testataque fient. Non quidem facile, ac frequens est bonum esse parenté, quod in Dauide nemo non videat.

Optima gubernandi ratio in Dauide.

Quis enim illo, aut rege, aut domino, siue in gubernando regno, siue in regenda familia, cœtúque famulorum prudentior, & felicior? *Perãbulabam* (inquit) *in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.* Psalm. 100.

Psal. 100.

En dominus vigilantissimus in perscrutandis famulorum vitiis: circuibat quippe, vel abdita quæque domus, nihil non oculis, & auribus subnotabat.

C

Dein quos in vitio deprehenderat, iusto iudicio correptos procul amouebat. *Non habitabit* (inquiens) *in medio domus meæ, qui facit superbiam, qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum.* Psalm. 100

Psal. 100.

Et superbos, & loquaces, ac linguosos in palatio secum viuere non sinebat. *Ambulans* (ait) *in via immaculata, hic mihi ministrabat.* Non quidem famulum admittebat, qui castis non esset moribus. At patre cum filiis Dauide nullus vnquam infelicior:

Infelix Dauid in filijs.

fœdam sanè, luctuosámque tragœdiam Dauidis filij mundo exhibuerunt. Quocirca in omni vitæ statu, atque in omni rerum euentu petendum est, vt Dei voluntas fiat. In illius paternam curam cogitatus nostri iaciantur, & ipse nos enutriet, vt mater nimirum infantulum, cuius tota solicitudo in matrem iacta est.

D

Si terram, terræque rationes tantùm respicimus, malè de nobis meremur, perperam aut dolendo, aut lætando.

Cæli contuitu vita bene dirigitur.
S. Greg. Nyss.

In cælum igitur (monet idem Gregor. Nyssen. *cap. 4.*) solum contuendo, hunc vitæ cursum tanquam aliquis gubernator conficies. sic ille. At ô insignem, ac memorabilem erga vxorem huius viri amorem! non pro seipso deprecatus legitur, sed pro Rebecca vxore. Certus quidem erat ex Diuina promissione (*In Isaac vocabitur tibi semen*) filios se habiturum:

Isaac filium ex Rebecca propter Messiam repetit.

at cum vnicè Rebeccam diligeret, de ipsa, non de alia fœmina benedictum istud semen habere cupiebat: nec aliam, quàm Rebeccam regis Messiæ ex sanguine patris Abrahæ in mundum venturi fore auiam volebat;

E

icciroo viginti annorum sterilitatem in vxore pariter tulit, non aliam, vti pater Agaram, superinduxit coniugem; sed soli Rebeccæ hanc felicitatem cupiens, sperans, & orans tandem obtinuit.

3. *Collidebantur in vtero eius paruuli.*] Hebr. ויתרצצו *vait oçeçu*, à radice רצץ, vt peritiores astruunt, *quassare*, non omnino tamen, vt confringatur; est enim discrimen inter רצץ *raçaç*, & שבר *xabar*; quod *raçaç* est quidem non penitus frangere & conterere: at *xabar* est prorsus confringere. Id colligitur apertè ex 42. Isai. vbi vertimus *calamum*

Isaiæ 42.

A

quassatum non confringes. Hebr. רצוץ לא ישבר *raçuç lo ixbbor.* Hinc fit varietas lectionum. Vertút enim S. Ambros. *exultabant.* S. August. *gestiebant.* S. Hieron. *ludebant, siue calcitrabãt.* Symmachus *colluctabantur, siue fluctuabant*, sicut in superficie maris (declarat S. Hieron.) solet nauigium. Aquila, *confringebantur.*

D. Ambros.
S. August.
D. Hieron.
Symmachus.
D. Hieron.
Aquila.

Itaque pueri (quod in lucta fieri videmus) sese inuicem collidebant, impellebant, propulsabant, ac dum vterque gestit, & nititur prior exire, sese inuicem impediendo coarctabant.

Lucta fœtuũ in vtero Rebeccæ.

Lusitanè, *apertauanse, episauanse, ou esmagauanse.* Qualis verò cumque motus esset, non poterat non matri esse non molestissimus. Sentiebat quidem intra sua viscera motum quendam violentum, inusitatum, & prætetnaturalem; quo miserandum

B

in modum exæstuans exclamare cœpit: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit cócipere?* Hebr. *im-chen lammah zeh anochi* אם כן למה זה אנכי. *Si sic, quare hoc ego?* Sensus est, si tale quid, molestum, & arduum mihi erat perferendum, cur infelix tantopere exoptabam concipere? Si mihi abortiendum, atque vna cum fœtu moriendum, vtinam sterilis permansissem (proh quantùm multis nocet sua fœcunditas!) vipereus mihi, sicut aliis interdum, contingit partus. Dixisset etiam percommodè: Si sic mihi, cur necesse fuit nubere? Conceptum vehementer expetiui, instanter petiui, cum incredibili gaudio impetraui: mira cum alacritate partum meæ prolis expectabam.

Post gaudiũ dolor.

Sed heu me! quæ tanta rerum mihi euenit commutatio? ita ille

C

meus in luctum desiit risus? Optimè S. Ambros. expendens in 15. Luc. vitam illam liberam, lætam, & luxuriosam filij prodigi subitò in custodiam, & pastum porcorum mutatam, colligit hanc sententiam: Diuturna oblectamenta esse non possunt. sic ille.

D. Ambros.

Meritóque exclamat S. Saluian. O mundi breuis, atque vmbratilis voluptas! *lib. 2. ad Eccles. Cathol.* potiùs enim voluptatum vmbræ, atque insomnia, & haberi, & vocari debent, cum nihil illis sit fugacius, quàm voluptates, quæ à mundo, & à carne percipiuntur.

S. Saluian.
Bonorum mundi fugacitas.

En quò tandem recidit coniugij voluptas! Rectè S. Gregor. Nyss. *lib. de Virg. cap. 13.* concludit. Ex coniugio proficiscuntur omnium calamitatum nomina. sic ille. Nam omnia quæ infaustum gerunt nomen miseriæ,

S. Greg. Nyss.
Coniugium fons calamitatum.

D

molestiæ, calamitatis, doloris, ab hoc vno fonte deriuantur. At illa clausis oculis mellita quidem deuorant mortales illicium, & fucus, quo teguntur, voluptas est, qua inescati durissimum matrimonij hamum deglutiunt. Videant quæso exitum, & subdolis initiis non capientur. In quam sententiam egregiè ita scribit *eodem cap.* idem S. Gregor. Nyss. Vt gladij capulus, politus ille quidem, tactu facilis, & ornatu vndique cinctus apparet: reliquum verò ferrum mortis est instrumentum: formidolosum hoc certè est videre; illud tamen formidolosius multo est, si ad aliquem, vel pugnæ, vel cædis vsum adhibetur.

S. Greg. Nyss.
Coniugium gladio persimile.

Hoc in genere nuptiæ sunt, quæ quasi capulum aliquem artificioso opere illustratum, politam scilicet quandam

E

voluptatis speciem gestui, contrectationique nostræ præ se ferunt. Cùm verò in manibus eius sunt, qui illas attigerit, luctus, miseriarúmque ipsæ mortalibus cum effectrices existant; rerum omnino grauium, quæ secum connexæ sunt, aditum aperuerunt. nuptiæ miserabilia spectacula lacrymarúmque plena edidere, viduitatem, diuortium, &c. hæc S. Gregor. Nyss.

Ex coniugio miseranda spectacula.

4. Habet igitur coniugium primo quidem aspectu & ingressu voluptatum illecebram, qua mortales illiciuntur, sed splendentem aciem, qua mẽtes, & corpora sæpiùs enecantur, demum exerit.

Nullum

Nullum ſanè nec pluribus, neque magis tritis, & quotidianis experientiæ teſtimoniis comprobatum tractari poteſt argumentum. Nulla eſt planè domus, nullum coniugium in quo non ſit luctus, & dolor, & plurima mortis imago. Denique, vt hanc rem alioqui per ſe ſatis euidentem hoc vno verbo concludam, ſubtiliter idem Gregor. Nyſſ. eodem lib. cap. 12 animaduertit extremum omnium pœnarum, & calamitatum, quibus noſtri primæui parentes fuerunt à Deo propter peccatum damnati, vnum fuiſſe tandem conſummatum matrimonium. Noſtræ (inquit) in paradiſo vitæ ſeparationis poſtremò fuit coniugium. ſic ille. Enimuerò hæc omnia mala miſeri poſt peccatum ſunt perpeſſi. Pudore nimio confuſi ſunt, cum ſuam inuicem nuditatem dignoſcerent; fugerunt & in latebras ſe abdiderunt; diuinis clamoribus perterriti contremuerunt; in iudicium vocatis delicti grauitas, & fœditas palam eſt, & perſpicuè reuelata; damnationis ſententiam exceperunt, vt morian-tur, vt exulent priùs, vt terram vir maledictionibus perculſam ſubigat, mulier ſubiecta dominatui, & ſæpè tyrãnidi mariti, grauem plus moleſtiis, quàm fœtu vterum geſtet, & cum extremo periculo mortis inter intolerabiles artuum dolores pariat, laborioſeque filium enutriat. Expulſi deinde à paradiſo terreſtri, & ad iugem, vehementémque cruciatum è regione ſiſtuntur, vt perpetuò miſeri habeant in oculis, è quo exciderunt, felicitatem. Grauiſſima ſunt, & moleſtiſſima hæc omnia in peccati vltionem; ſed vltimum tamen malorum fuit amborum coniugium, quod extra paradiſum ſtatim eſt conſummatum; quaſi nihil illo moleſtius, & calamitoſius ſit, atque omnia diuinæ vindictæ ſupplicia, non niſi per coniugium, & in illo pariter queant exerceri. O felix, ô pulchra Virginitas, quæ à tam grandi calamitatum ſeminario immunem reddis hominem! Etenim (inquit idem Gregor. Nyſſ. cap. 13.) Virginitas futuræ beatitudinis imago quædam eſſe videtur, cum multa ſecum ſigna illorum bonorum afferat. ita Nyſſ.

Nullum ſine luctu coniugium.

S. Greg. Nyſſ. Coniugium poſt pœnas peccati extremum.

Calamitates Adæ & Euæ poſt peccatũ.

Diuina vindicta per coniugium exercetur.

S. Greg. Nyſſ. Virginitatis felicitas.

5. Hanc omnium virtutum maximè admirabilem pariter, atque amabilem non ipſa natura conſequitur, non terra profert, ſed ipſe Dei Filius, qui è Virgineo, atque puriſſimo Æterni Patris pectore, in æternitate Deus de Deo, lumen de lumine procedit, cum Verbum caro factum eſt, in terras attulit, vt illius ſerui, & filij, omnibus (inquit S. Saluian.) immunditiis bellum ſanctum indicamus, voueamúſque Domino nouam vitam lib. 6. de vero Iud. & prouid. Idcirco de Virgine Matre naſci voluit. Sola enim Dei Mater admirabile hoc ſupra omnem naturam à Deo ſuo habuit priuilegium, vt Virgo conciperet, Virgo in partu, & poſt partum in æternum permaneret. Hoc illud eſt ſignum, quod Achaz, ac verè Iudaicus in eo populus figuratus, noluit petere à Deo, datúmque nihilominus, & iam toto mundo conſpicuum, ac per gentes omnes, ætatum omnium decurſu percelebratum infidus ille, & inuerecundus credere non vult, de quo Iſai. 7. *Dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Ecce Virgo cõcipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Rem quidem prænuntiat admiratione dignam, in quam oculi, mentéſque mortalium ſtupentes intendantur; quæ vti eleuatum, explicatúmque in alto vexillum, ita ſupra omnes naturæ leges, ordinéſque emineat; hoc enim omnia ſignum importat. Quæ tandem illa res eſt ita prodigioſa? *Ecce Virgo concipiet.* Signum (declarat ibi Procop.) vobis ô Iudæi, etiam inuitis, ſignum (inquam) quod omniom ſuperat opinionem, cuiuſmodi ne natura quidem ipſa nouit,

Deus homo Virginitatem attulit.

S. Saluian. Bellum ſanctum indicetur immunditiis.

Iſaiæ 7.

Virgo Dei Mater ſummum miraculum.

Procopius.

A Deus elargitur; Deus enim ex Virgine nullo nuptiali congreſſu naſcetur. Iudæi dicunt puellam nuptam; ſed quomodo ſignum vel quicquam poteſt eſſe admirabile? eſt enim ſignum prodigioſæ cuiuſdam rei, & ab hominum conſuetudine remotæ demonſtratio. Signum igitur datum eſt, naſci illum Emmanuelem ex ſancta Virgine. ſic ille. Concepit quidem Virgo beatiſſima ſine vllà impuritatis, vel tenui vmbra, peperitque Deum hominem ſalua, & diuinitus aucta integritate, nullam Virgo Mater, vel in vtero, vel in partu moleſtiam ſenſit, quæ infinitis cæleſtis gratiæ voluptatibus exuberabat; at nulla tamen mater grauiores poſtea cum Filio, & pro Filio ſuo dolorum

B cruciatus perpeſſa eſt. Vno verbo comprehendit omnes. *Faſciculus* (inquit) *myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Cantic. 1. En qualẽ iam enatum Mater Filium in ſinu fouebat, vberibus lactabat, & ſoper cor ſuum ad captandum ſomnum reclinabat, videlicet faſciculum myrrhæ, faſciculum amaritudinum, in quem iugiter intuebatur futuræ paſſioni iam deſtinatum. Planè totos illos triginta & tres annos, vſque ad reſurrectionem Filij ſui, in qua illius labores, & paſſiones omnino deſierunt, beatiſſima Virgo, incomprehenſibili martyrio exercitam vitam tranſegit. Ad luctam redeamus. Iam tunc antè bellatores, quàm nati, adhuc in vtero fœtus illi malè concordes ſeſe impellebant, & collidebant, ob futuram primogenituram, & cum ea ſimul paternam ſubſtantiam, decertantes. Impatiens quippe homi-

C num cupiditas conſortij, eos in iurgia, lites, ac bella diſiungit. Perbeata eſt religioſorum vita, in qua cum nihil proprium quis poſſideat, nulla eſt litigandi, & diſſidendi occaſio. Qua de re ita ſcribit S. Proſp. lib. 2. de vita contempl. cap. 17. Quibus ſub vnius ordinatione viuentibus omnia communia fiunt, iis vna ſit vita, ſicut vna ſubſtantia: & nulla ſit in eis diuerſitas animorum, quibus eſt communio facultatum: quia vt fieret, & eſſet animorum ſancta coniunctio, neceſſaria eſt facultatum iudicata communio. Cæterùm quid eis prodeſt, quòd facultates ſuas abiecerint, qui voluntates proprias non relinquunt. hæc S. Proſper. Et quidem ſi etiam inter religioſos vlla vnquam diſ-

D ſenſio apparet, inde oritur, quia licet omnia ſint ad vſum vitæ communia, voluntates tamen mutuò diſcrepant; nec eſt illis vnum cor, & anima vna. At prima radix huiuſmodi ſeditionum ambitio dignioris loci, & gradus eſſe ſolet. Tolle ambitionem, & nulla erit inter fratres colluctatio. Sed heu nos miſeros, quos alioqui dignos honoribus ſola ipſa reddit ambitio indigniſſimos! Nam & cæli honor ambitioſè petitus ideo negatur, quia per ambitionem petitur. Acceſſit enim mater filiorum Zebedæi petens: *Dic vt ſedeant, &c.* Matth. 20. Nimirum (vt exponit Euſeb. Emiſſ. homil. in Quinquag.) cum ambitione loquitur mater, & carnali affectu ambitioſis filiis primas in cælo cathedras poſtulat. Vnde & meritò eis à Do-

E mino dicitur: Neſcitis quid petatis, neque enim ita petere, neque ita dare conuenit primas ſedes. ita Euſeb.

6. Pulchrè S. Auguſt. ad illa verba Pſalm. 126. *Ecce hæreditas Domini filij merces fructus ventris.* Eccleſiam in Rebecca repræſentari ſic oſtendit. In Eccleſiæ ventre culus typum gerebat Rebecca, duo illi gemini, tanquam duo populi luctabantur. Vna mater in viſceribus ſuis diſſentientes fratres nondum natos continebat. Pulſabant materna viſcera diſcordiis internis, gemebat illa, vim patiebatur: ſed pariens diſcernebat, quos gemino

B. Maria multis afflictata doloribus propter Filium.

Cant. 1.

Ambitio litium, & odiorum cauſa.

S. Proſper. Religioſis vna communitas, nulla cupiditas.

Ambitio reddit indignos honoribus.

Matth. 20. Euſeb. Emiſſ.

Ambitioſis etiam calum petentium negatur.

D. Auguſt.

Boni & mali sunt in Ecclesia.

nos prægnans pertulerat. Sic & modò fratres, quamdiu gemitus datus est Ecclesiæ, quamdiu parturit Ecclesia, ipsi sunt intus & boni & mali, fructus autem ventris in Iacob erat, quia ipsum dilexit mater. *Iacob dilexi*, dicit ei Deus, *Esau autem odio habui*. Ambo de vtero processerunt: vnus amari meruit, alius reprobari. In dilectis ergo eius fructus erit: Ergo *merces fructus ventris* hæc S. Aug. Simul quidem cum Catholico & hæreticum gestauit in vtero Ecclesia; quippe, & iste in sacramento baptismatis Christum, Christique fidem professus, sed vtrumque re ipsa negauit (quicquid deliret veram se Christi fidem tenere) cum Ecclesiam Catholicam relinquens, vt ille matri exosus

Hæreticus in Esau significatur.

Esau per agros, & siluas deerrans ferarum venationi sese totum addixit. Proh quantum aberrat, qui ab Ecclesia desciuit! quàm ludicra, quàm inania, quam rustica, & veluti bestiis cognata insectatur, qui spreto matris Ecclesiæ domicilio ad hæreticorum, & dæmonum lustra, & tesqua se

Hæreticorum absurda dogmata.

confert! Egregie cum quocumque, vel hæresiarcha, & non minùs stulto, quàm impudenti nouorum errorum, qui quotidie ab Orco repullulant, magistro potero nunc expostulare, quemadmodum cum simili quodam monstro sui temporis S.

S. Hildebert

Hildeb. *Epistol.* 52. expostulabat, ita inquiens. Forsitan reuelatum est tibi desuper Ecclesiam Christi, vsque ad tua tempora desipuisse, atque Apostolicum illud in te completum: *Si quid aliter sapitis, id quoque nobis Deus reuelauit.* ad Philipp. 3.

adPhilipp. 3.

Felix, qui solus factus es Ecclesiæ cælestium interpres secretorum. Credebam tantùm Paulum raptum in paradisum, & audisse arcana verba, quæ

Impudentia, & stultitia hæreticorum.

non licet homini loqui. Sed & tu forsan raptus es illuc, & inde attulisti hæc verba, quæ non licet homini loqui. Sed quod signum ostendis, vt credamus tibi? Quis Sanctorum tuæ huic adstipulatur doctrinæ? nunquid tibi est autoritas, qua mihi silentium imponas? hæc Hildebert. Quid verò ille dixisset, si modò viuus patriæ suæ (Anglus erat) prodigiosas, & exitiales hæreses videret? Duo quidem (obiter attingam) hæreticorum genera iam pridem ego ipse deprehendi: vtrum verò impudentius, ac stolidius, non facilè definiam. Sunt enim, qui errores suos dictitant esse contestata dogmata SS. August. Ambros. Hieron. Greg. Basil. Chrys. Nazianz. & reliquorum Patrum Ecclesiæ,

Imperitia & inuerecundia hæreticorum.

mira sanè impudentia, mira stoliditas, quasi persuadeant sibi agere se cum viris imperitissimis, qui aut libros Patrum non habeant, non intelligant, aut eruditionem nullam calleant linguarum, syllogizandi, & philosophandi ne nomen quidem teneant, nedum omnem peritiam; qui Theologiæ apices indefesso studio, certóque fructu iugiter non perscrutentur. Alterum genus est belluarum, quæ vsque adeò insaniunt, vt dicant, & inter canones suos percelebratum habeant, Vnum præstare Lutherum, aut Caluinum mille Augostinis, & mille Ambrosiis. Papè, ne dæmones quidem ipsi adeò inuerecundi aut bestiæ adeo stolidæ, hæc monstra effutirent! Mirabitur fortasse aliquis, quid sit, quod ego (cum occasio se offert) in hæ-

S. Greg. Naz.
Cum hæreticis asperius agendum.

reticos asperiùs inuehar? Illud S. Gregor. Nazianz. *orat.* 12 respondeo. Hic etiam, qui aliis in rebus æquissimos, & facillimus est, feruentissimus existit; ac mansuetus verè pugnax efficitur, cum se per lenitatem Dei iacturam facere, imò, vt rectiùs loquar, per prolapsionem suam Deum qui nos, & pro diuitiis habet, & diuites reddit, damno afficere conspicit. hæc Nazianz. Scilicet necesse omnino est, vti hostes Ecclesiæ Catholicæ, dæmonum administri, & satellites, orcíque furiæ comprimantur, abiiciantur, dedecorentur; quò ab stultitia sua resipiscant, inuerecundiam suam deponant, cæcitatem suam curari, & illuminari sinant. Vbi res agitur Dei, ipsiúsque Ecclesiæ, mortalium nemini parcendum.

7. *Perrexit Rebecca, vt consuleret Dominum.*] Vteri violentiis afflicta mulier, & ignara quid sibi vellet illa fœtus inusitata fluctuatio, non sicut mulierculæ stultissimæ consueuerunt, ab ariolis, à veneficis, à pythonissis, consilium expetiuit. benè S. Chrys. Vide (inquit) obsecro mulieris pietatem, & religionem; non enim fecit, sicut mulieres multæ, quæ negligenter viuunt, facere consueuerunt. Non ad humanum confugit subsidium, neque se exposuit deceptioni curiosorum aut ariolorum vanitati, & eorum qui polliceri audent, quæ supra humanam sunt naturam; sed abiit, vt consuleret Dominum: hoc est cucurrit ad veram scientiam. hæc S. Chrys. Ægrotabat Ochozias Rex Israel, misitque nuncios dicens: *Ite, consulite Beelzebub Deum Accaron, vtrum viuere queam de infirmitate hac.* 4. Reg. 1. Cæterùm Elias rei totius per Diuinā reuelationem certior factus, occurrit nuntiis regis, dixitque: *Nunquid non est Deus in Israel, vt eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron?* quam ob rem hæc dicit Dominus: *De lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris, &c.* Procop. ad hunc locum iure optimo, insaniam gentilium, atque Ochoziæ perstringit, qui relicto vero Deo turpissima idola venerabantur: nam Beelzebub muscam referebat. sic ait: Meritò deplotanda est impiorum insania. Etenim non solùm magna animalia, sed minima etiam, & odiosa pro diis coluerunt. Quid enim odiosius, & contemptibilius musca? Nihilominus tamen relicto Conditore Vniuersi, muscæ simulachrum de vita consulebant. Porrò ex Eusebio, & Philo. colligere licet, dæmonem hoc nomine appellatum fuisse. Vel potiùs aniculam quandam, quam in dearum numerum retulerunt. hæc Procop. Quod si propter nomen de musca potius voles intelligere: dices idolum illud fabrefactum esse ex auro, vel argento, aut alio metallo ad similitudinem muscæ, in quo diabolus responsa gentilibus reddebat. Et quæ maior infelicitas, quàm vt ille Angelus antea lucis in cælo creatus, ad minutæ, turpisque bestiolæ imaginem sese efformauerit? Scilicet hæc erat (ô nequam & stulte spiritus!) illa tua ambitio, & ascendendi in montem, & sedendi in throno, tam insana cupiditas! En à monte, atque à throno Dei, quod affectaras, in muscam descendisti! Vide quæso vnde, & quò superbus demittitur. Ac solet quidem Dominus elatos, & superbos animos rerum minimarum abiectissimo instrumento assumpto deprimere, ac flagellare. Quod S. Hieron. luculentè dispungit ad illa verba Psal. 91. *Quàm magnificata sunt opera tua Domine.* ita inquiens: In hoc loco Marcion, & Manichæus dicunt: Si Deus omnia fecit, & in vtilitatem hominum fecit, quid necesse fuit cimicem facere, & pulicem? Ego tibi breuiter respondeo: Vt ostenderetur, ô homo, fragilitas tua. Qui enim cogitationem tuam in cælum ponis, respice, morderis à cimice, & contremiscis. Quid erigeris in cælum, & cogitatio tua transcendit in cælum? Ecce à pulice vulneraris. sic Hier.

D. Chrysost.
Deus, non arioli consulendus.
4. Reg. 1.
Procop.
Beelzebub idolum musca.
Ambitio dæmonis turpissimè lapsa.
Rebus vilissimis superbia hominis deprimitur.
D. Hieron. Psal. 91.

8. Sed quò perrexit Rebecca? Festinauit (inquit S. Chrys.) ad Sacerdotem Dei ministrum, per quem latentium scientiam volebat discere, & enarrans omnia, quæ sibi contigerant, didicit diligenter omnia, misericorde Deo per sacerdotis linguam detegente ei omnia manifestè, & alacrio-

D. Chrysost.
Magna dignitas sacerdotis.

rem

rem eam reddente. Vide quanta & tunc erat sacerdotum dignitas: dixit enim Dominus per sacerdotem, &c. ita S. Chrys. quod & alij sequuntur. Est quidem sacerdos mediator inter Deum, atque homines: magnúmque solet esse momentū in precibus sacerdotis causam populi ad Deum agentis. Ac proinde mouebat Ferrandus Diaconus Reginum comitem *reg.* 5. in hunc modum. Sacerdotum postulationibus libenter patescat aditus, frequentetur oratio Si piè sapis, Ecclesiam consulas; sine sacerdotum consilio nihil geras; quorum precibus adiuuaris. Consule piè quærendo, non violenter, quod respondeant, imperando. sic ille Deinde quis ille sacerdos? respondent plerique, Melchisedech. At nulla horum, quæ dicuntur apparet, coniectura. Dicam hoc loco, quod S. Bernard. *lib. 5 de consideras. cap.* 14. scriptum reliquit. Deus orando, quàm disputando, digniùs quæritur, & inuenitur faciliùs. sic ille. Digniùs plane Rebecca quæsiuit, faciliùs Deum inuenit, non cum hominibus agendo, & sua secreta conferendo, sed orando, & plorando ante Dominum. Nam cum Patriarchæ (respondet Theodor.) consueuissent in locis, in quibus habitabant, construere Deo altaria quædam, verisimile est, illam ad vnum ex his ingressam, supplicasse Deo, & ita nouisse, quæ futura erant. ita Theodor. Idem Procop his verbis reddit: Locum quietum, & à strepitu hominum sequestratum petiuit, in quo incumbebat precibus, quibus poscebat sibi significari, quid sibi vellent illa in vtero infantium tripudia. hæc ille. Similiter Theodorus: Perrexit (ait) hoc est secessit ab aliis, vt mentem suam colligeret, vt faciliùs Dei auxilium sibi compararet. Qui verò ad Melchisedech illam perrexisse tradunt, hi magis coniectura, quàm veritate nituntur. hæc Theodor. Enimuerò, qui sunt in aliqua constituti angustia, vt faciliùs, ac citiùs opem Dei, quam summè necessariam sibi exposcunt, impetrare queant, non modò assiduis instent precibus; sed etiam simul depositis, si qua habent, vitiis mentem purificent, aut certè à minus perfecto ad perfectiorem statum virtutis assurgant, vt digniores fiant, quibus Dei gratia infundatur.

Oratio sacerdotum efficax. — Ferrand. — *Rogandus pie sacerdos.* — S. Bernard. — *Deus orando inuenitur.* — Theodor. — Procopius. — Theod. — *Cum puritate vita coniungatur oratio.*

9. Quod quidem fuit egregium consilium Rebeccæ bello illo intestino viscerum excruciatæ, vti subtiliter Origen. in hæc verba disserit. Quò abiit Rebecca? nonne vbique est Deus? Quò ergo abiit, vnde non isset ad locum vbi esset Dominus? Ego puto quòd non de loco ad locum abierit, sed de vita ad vitam, de actu ad actum, de bonis ad meliora transierit, de vtilibus ad vtiliora pertexerit, de sanctis ad sanctiora properauerit. sic ille. Quam doctrinam, & interpretationem præsentis loci probat egregiè, ex consimili loco Exod. 3. ita progreditur. Sic Moyses cum vidisset rubum ardere, & non exuri, admiratus visu, dixit: *Transeam, & videbo visum hoc.* Non vtique & ipse significabat, se aliquod terræ spatium transiturum. propè ipsum erat visio, in ore, & in oculis eius; sed dicit: *Transeam*, vt ostendat se commonitum visione cælesti, ad superiorem vitam debere conscendere ab his, in quibus erat, ad meliora transire. Igitur Sancti non de loco ad locum, sed de vita ad vitam, de institutis primis abeunt ad instituta potiora. hæc Orig. Percelebris iste transitus est inter sanctos viros, vt perpetuò bonis operibus insistentes semper transeant, semper abeant, semper proficiant de virtute in virtutem. Nec illorum honor vlla ratione minuitur, eo quod, aut deteriora relinquant, aut in meliora crescant: imò vnusquisque de seipso dicere meritò potest, quod de se scripsit Tertull. *lib. de pudicitia*, his verbis: Non suffundor errore, quo carui; quia caruisse delector, quia meliorem me, & pudicitiorem recognosco. Nemo proficiens erubescit. Habet & in Christo scientia ætates suas, per quas deuolutus est Apostolus: *Cum paruulus* (inquit) *essem, tanquam paruulus loquebar; at vbi vir sum factus, ea quæ paruuli fuerunt, euacuaui.* 1. Cor. 13. hęc Tertull. Quę non ad scientiam tantummodo, sed ad mores etiam æquè pertinent: habet enim & in Christo virtus hominis ætates suas, primò infantiam, deinde paulatim crescit, & maturescit, ac tandem senescit. Hæc etiam incrementa Deus ipse, qui bonum omne in nobis operatur, in excolendo, ac perficiendo homine habere voluit, vti eleganter scribit S. Prosper *lib. 3. de vit. cont. cap.* 26. hoc pacto: Deus tanquam verus agricola in agro suo, sic in corde nostro proficit, vt quicquid in eo fides plantat, deuotio rigat, ipse ad incrementum consummatæ maturitatis adducat. hæc S. Prosp. Quare, obsecro, pueri Christo Domino tam grati semper fuerunt, vt illos exciperet, amplexaretur, & benediceret? Profectò (vt reliqua prætercam) hoc vnum maximè in causa fuit, quia puerorum ætas nondum statum fixit, sed paulatim statis à natura incrementis perenniter augescit. Quo quidem virtus iustorum, & perfectio Sanctorum perbellè innuitur. Nec enim virtus, aut fessa labore, aut tædio, fastidióve bene operandi succumbens vnquam prosternitur, vt quæ Dominum illum suum sequatur, qui pertransiit benefaciendo. Iccirco sponsæ quærenti: *Dic mihi, vbi pascas, vbi cubes.* Cantic. 1. responsum est: *Egredere, & abi, &c.* vt præcursorem scilicet sequeretur, qui non quiescit, non cubat. Pulchrè ibi S. Bern. Currentem (inquit) video, cubantem non video, &c.

Origen. — *Emendatio, & perfectio vita.* — Exod. 3. — *Semper in melius proficiendum.* — Tertullian. — *Non erubescendum de profectu.* — 1. Cor. 13. — *Virtus habet ætates suas.* — S. Prosper. — *Cur grati Christo pueri.* — *Semper in virtute crescendum.* — Cantic. 1. — S. Bernard. — *Christus currit, non cubat.*

10. *Duæ gentes sunt in vtero tuo, &c.*] Rectè S. Ambros. *cap. 3 lib. de Isaac.* venientem de Mesopotamia ad nuptias Isaaci Rebeccam contemplatus, ait: Veniebat Rebecca iam cælestibus dotata mysteriis. sic ille. Planè dotem egregiam, & opulentam secum portabat mulier, quam Deus ipse elegerat, vt rerum futurarum abditissimis, & grauissimis mysteriis, tanquam illorum officina, inseruiret. Hæc autem iam nunc incipiunt explicari. Angelus itaque Domini deprecantem Rebeccam Diuino responso recreauit. Aperuit enim illi in vtero geminos inesse fœtus, qui futuri erunt duo capita duorum populorum inter quos lucta esset, & concertatio futura, quam iam nunc gemini ipsi fratres antè hostes, quàm nati, inter se colluctantes præsignificabant. Chald. hoc loco verbis aliquantulum discrepat ab interprete, sed tamen sensum eundem apprimè sic reddit. *Duo populi sunt in visceribus tuis, & duo regna de vtero tuo diuidetur, & regnū regno fortius, & maior seruiet minori.* Sed quinam isti duo populi? Verosimilius est intelligi Iudæos, & Idumæos. vt vult S. Aug. *q.* 73. Hi enim ab Esau, illi à Iacob ortum habuerunt. Decertarunt inuicem multos per annos, sed tandem Idumæi, qui à maiore fratre Esau (prior enim in lucem editus est) propagati, à Iudæis Iacobi nepotibus bello victi, & subiugari stipendia Dauidi, & Salomoni, cæterísque Hebrææ gentis Regibus vsque ad Ioram soluerunt. Rabbini putant Iudæos & Romanos significari. Illi enim maiores quidem ætate, diuinísque muneribus præstantiores, Romanis, qui multò inferiores tempore, virtutéque videbantur, subiecti, atque stipendiarij fuerunt. Sed præstat prior expositio S. Aug. vti moris habet, mysterium aliud in his duobus populis in

S. Ambros. — *Quid significet lucta geminorum in vtero.* — D. August. — S. August.

vtero

vtero Rebeccæ colluctantibus ita erunt. Isaac Christum, Rebecca Ecclesiam figurauit. Concepit de Isaac Rebecca corporaliter, quia conceptura erat spiritualiter de Christo Ecclesia. Sed sicut in vtero Rebeccæ duo paruuli collidebantur, sic in vtero Ecclesiæ duo sibi populi iugiter aduersantur. Inueniuntur enim boni, & mali in Ecclesia; humiles scilicet, & superbi; casti, & adulteri; mansueti, & iracundi, benigni, & inuidi; misericordes, & cupidi. sic ille. Sed quænam isthæc est inter bonos & malos mystica concertatio? Progreditur idem hoc modo: Boni lucrari volunt malos; mali extinguere cupiunt bonos. Bonorum desiderium est, vt mali corrigantur; malorum studium est, vt boni consumantur. Genus piorum ad cælum erigitur per humilitatem, genus impiorum ad infernum demergitur per elationem. In Esau carnales intelliguntur; in Iacob spirituales. hæc S. August. *serm. 78. de tempore.* Sed in hac perpetua, & irreconciliabili concertatione, quonam sese pacto gerere debent boni, & iusti simul cum suo patre Iacob? nimirum vti decet dilectos à matre Rebecca, quam solent doctores interpretari patientiam: illi persequuntur, isti patienter ferant, & gaudeant, beatósque se reputent, quod odio à malis habeantur, quod malorum linguis perstringantur: iuxta illud Domini; *Beati estis cum maledixerint vobis homines, &c.* Matth. 6. Hanc secutus doctrinam S. Paulin. laudat Aprum quendam nobilem, qui vale dicens seculi pompis, religiosam, humilem, atque asperam vitam est amplexatus: atque iccirco in signum positus est obtrectationibus, iniuriis, & irrisionibus hominum stultorum, & carnalium: quæ omnia vir sapientissimus patienti, ac læto vultu, animóque excipiebat. Sic igitur scribit S. Paulin. *Epist.* 27. Iam hanc gratiam meteris à Domino, vt te piè gloriantem oderint homines, quod non fieret, nisi vetus imitator Christi esse cœpisses. Non enim odisset hic mundus, nisi quod iam à se alienum, & sibi videret aduersum. Gaude & exulta iam in rudimentis tuæ virtutis, perfectionis operator. hæc ille. Fremant ergo filij Esau aduersus filios Israel: isti resistant vitæ potius, quàm linguæ præsidio. Talium quippe (adiungit S. Paul.) vel odia, vel conuicia viuendo meliùs, quàm loquendo arguimus. sic ille.

Lucta inter bonos & malos. — *Patienter, & hilariter mali tolerandi.* — Matth. 6. — S. Paulin. — *Virtutis signum est pati odia malorum.* — S. Paulin.

11. Quia verò impiorum verba veneno sunt illita, & ferali quodam acumine penetrant aures, animósque lancinant: nec est aliud tentationis genus grauius, & periculosius ad subruendum, vel firmissimum statum virtutis: ideo sanctissimus pater communiendum hominem admonet Dei consiliis, ac præceptis, quibus inimicorum tela facillimè perstringuntur, ita progrediens. *Nos aures nostras spinis* (vt scriptum est *Ecclesi.* 28.) *sepiamus*, id est Dei verbo, & fide Verbi: quæ vitæ nostræ segetem firmissima innocentiæ, atque potentiæ sepe defendunt, & diabolo dolis suis aditus in præcordia nostra captanti, quasi futibus spinæ resistunt, & viscera inimicorum regis, id est amatores hostium Christi, hos videlicet obtrectatores vitæ nostræ, atque constantiæ contemplatione compungunt. sic ille. In tuto nauigat, quem morum innocentia tegit, ac regit. Et quia confusio, quam maledicorum, & sycophantarum irrisiones ingenerant, vehementer solet hominis animum pertentare, concludit egregiè: Inconfusibilem operarium, sicut hilarem datorem diligit Deus. ita S. Paulin. In Dei quippe obsequio nihil est, quod erubescas. Bene maior populus, seu numerosior impiorum dicitur; quia vti animaduertit Origen. semper plures sunt mali, quàm boni, & vitia numerosiora virtutibus. sic ille ad hunc locum. quod identidem repetit S. August. loco superiùs apposito. At quid illud: *Maior seruiet minori?* Nempe (vt occurrit Procop.) qui affectat maior esse, & se maiorem esse iactat, subiicietur illi, qui humilia de se sentiendo, minor habetur. sic ille. Quod apertè impletum est in Esau, & Iacob, eorumque posteris. Deinde præter explicationem positam de Esau & Idumæis, quæ literalis est, mysticam illam suam, aut secundariò literalem S. August. prosequitur ita quæstionem dissoluens. Quomodo populus maior seruiet minori? Quo (inquit) ordine? illo vtique, quo mali seruiunt bonis, non vtique obsequendo. Quomodo ergo mali seruiunt bonis? quomodo persecutores martyribus? quomodo limæ, vel mallei auro? quomodo molæ seruiunt tritico? quomodo panibus coquendis fornalia, vt illi coquantur, ista consumantur? quomodo in fornace aurificis palea seruit auro, vbi sine dubio palea consumitur, aurum probatur. hæc S. August. Itaque mali seruiunt bonis; dum illos persequendo, ipsi meritorum segetem efficiunt, patientiæ fructum excolunt, & cælestis gloriæ palatium ædificant, & regni coronam moliuntur. Hîc iusti (militia enim est hominis vita super terram) impugnantur, nec à bello quiescent, donec in patriam æternæ quietis ingrediantur. Ibi quidem (ait S. Prosper *lib. 1. de vit. cont. cap. 1.*) recepturi sunt præmium, vbi non solum deuictis, sed etiam finitis hostibus triumphabunt: ibi triumphabunt, vbi vlteriùs aduersarium non habebunt. sic Prosp. Spe igitur cœlestium præmiorum excitati malorum iniurias, odiáque pro magno solent pretio habere, vt quibus sempiterna lucra comparent: nec proinde illis mouentur velut iniuriis, quarum vel ipsum nomen ignorant. Ignorant quidem sancti homines ipsum iniuriarum nomen; maledictionem quippe improborum egregiam reputant benedictionem. Beati sunt, cum ab hominibus maledicuntur. Non proinde tamen desinit esse detestanda impiorum maledicentia, etsi iustos exerceat, poliat, & coronet. Audiant Apostolum, ac timeant: *Maledici regnum Dei non possidebunt.* ad Ephes. 5. & 1. Corinth. 6. ad quæ verba sic effatur S. Saluian. Hinc intelligere possumus, quàm grauis sit, & perniciosa maledictio, quando etiamsi alia bona adfuerint, sola excludit à cælo. *lib. 3. de vero iudicio & prouid.* O miseros, qui bona omnia linguæ vitiis, & polluunt, & perdunt! Porrò ab irato & inhumano peccatore, atque ab ignauo, & imbecilli animo solent expromi maledicta. quod ita S. Saluian. ostendit. Prima semper tela irarum maledicta sunt: & quicquid non possumus imbecilli, optamus irati: at sic in omni animorum indignantium motu votis malis pro armis vtimur. Vnde vnusquisque hominũ euidentissimè probat, quicquid fieri aduersariis suis optat, totum se velle facere, si posset. hæc ille citato loco. Lingua scilicet maledicorum exprimit, quæ lateant intus odia, & quanta in visceribus exæstuet humani sanguinis libido. At viri sancti non modo patienter ferunt maledicorum iniurias, sed illas quoque ignorant, immò potius gemmas, flores, honores reputant. Hinc illa egregia sancti Prosperi *lib. 1. de vit. cont. cap. 12.* sententia percelebratur: Vir perfectus offensas, quibus pulsatur, nec omnino concutitur, ignorare magis paratus est, quàm donare. sic ille.

Ecclesi. 28. — S. Paulin. — *Quomodo malorum iniuriis, & dolis diaboli resistendum.* — *Pro Deo libenter ignominia ferenda.* — Origen. — *Maior malorum, quàm bonorum numerus.* — S. August. — Procopius. — *Superbus humili subiacet.* — D. August. — *Iustis prosunt persecutores.* — S. Prosper. — *Pro cæli præmio labores sustinentur.* — *Iusti nomen iniuria ignorant.* — ad Ephes. 5. 1. Corinth. 6. — S. Saluian. — *Detestanda est maledicentia.* — S. Saluian. — *Maledicta infirmorum tela.* — *Lingua cordis virus expromit.* — S. Prosper. — *Iustus iniurias potius ignorat, quàm donat.*

12. Celebris etiam est inter patres illa expositio de Iudæis tempore maioribus, qui deuicti à Christianis sunt, illisque seruiunt, etsi nos ætate minores videamur. Quo in sensu ita S. August.

D. August.

Iudæi seruiūt Christianis. *ferm. cit.* Maior (inquit) & senior populus Iudæorum iuniori, id est, populo Christiano seruire probatur, dum per totum mundum libros Diuinæ legis ad instructionem omnium gentium portare cognoscitur; ideo enim Iudæi per omnem terram dispersi sunt, &c. Hæc & alia multa S. August. Neque verò soli populo Christiano seruiunt illæ, quæ post commune excidium superstites fuerunt reliquiæ Israel, vt videmus, sed omnibus etiam penè gentibus: qua miseri Iudæi per orbem dispersi à patrio solo extorres, sine templo, sine rege, sine republica, sine Deo, seruilem, atque infelicem trahunt vitam. *Translata quippe est gloria Israel.* 1. Reg. 4. *Egressus est Dominus de loco suo: In scelere Iacob istud, &c.* Mich. 1. Nimirum (vt declarat S. Hieron.) propter iniquitates Iudæ egressus Dominus dixit ad Iudæos: *Ecce relinquetur domus vestra deserta.* Matth. 23. & ascendit super excelsa terræ, id est super eos, qui ex gentium humilitate credentes excelsi esse meruerunt. ita S. Hieron. Quamobrem, vt prædictum est ab Amos 5. *In omnibus viis erit planctus, quia pertransibo in medio tui, dicit Dominus.* Haud dubiè vaticinatur extremam illius populi euersionem, in qua omnes domus, omnes familiæ, omnes vrbes, atque oppida, omnes denique tribus (cuncta hæc vineis significantur) suum exitium complorarunt. Hæc verò (inquit S. Hieron.) omnia patientur, quia pertransibit per medium eorum Dominus, vt non habitet eos. sic Hieron. Vbi est ergo Dominus? *Ecce (inquit ad Christianos) vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Matth. 28.

Seruitus & exilium Iudæorum. 1. Reg. 4. Mich. 1. D. Hieron. Matth. 23. Amos 5. *Christus à Iudæis ad Christianos transiuit.* D. Hieron. Matth. 28.

SECTIO III.

Iam tempus pariendi aduenerat, & ecce gemini in vtero eius reperti sunt. Qui prior egressus est, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus, &c. vsque ad finem.

1. Hebr. *Et impleti sunt dies, vt pareret.* וימלאו ימיה ללדת *Vaimleu iamcha laledeth.* Impletio autem dierum (vt notat Orig.) ortum perfectæ sobolis indicat. Qui sermo nunquam ferè D nisi de sanctis mulieribus scribitur. ita Origen. Iam geminos esse fœtus, & colluctatio illa tam insolita, & reuelatio diuinitus facta matri demonstrarat: instante autem partu, ipsoque è maternis visceribus egressu gemini se prodiderunt. Prior apparuit inusitato quodam habitu horribilis; glabri enim infantes enascuntur; iste autem non capite solùm, sed reliquo fere corpore pilis horridus; & pili quidem rubei, ac sanguinei coloris videbantur: Vnde *seir*, שער *seghar* Hebr. hoc est, *pilosus*, & *Idumæus*, id est, sanguineus est nuncupatus: Esau verò, quia fortis, siue perfectus: illa enim pilositas adulti hominis signum erat. Alterum adhuc maius prodigium in partu Rebeccæ sese prodidit, cum alter infantulus prioris è vulua emi- E cantis plantam manu prehendens egrediebatur, ex quo miraculo nomen accepit Iacob à radice *ghaqab* עקב *supplantare*, seu *supplantando decipere*; quo prodigio significatur adimpletio illius vaticinij paulò ante diuinitus edicti: *Maior seruiet minori.* Quod ita euoluit Procop. Hoc prodigium significat Iacobum dominaturum in Esau, eiusque opera, vt ministri & serui vsurum. Calx enim, vel planta propriè denotat seruitutem & laborem. Vel significatur fore, vt supplantet Iacob fratrem suum Esau præripiendo ius primogenituræ, & benedictionem, quibus adiutus dominium in fratrem esset habiturus. Qui enim in certamine luctæ calcem, vel plantam colluctatoris apprehendit, is citra omnem dubitationem victoria potitur. hæc Procop. Hanc pugnam Oseas commemorat, vt beneficia Dei in patrem Iacob collata filios ad pietatem paternam imitandam hortentur, cum ait: *In vtero supplantauit fratrem suum, &c.* Oseæ 12. Vbi S. Hieron. Exponit (inquit) quanta bona Iudas, hoc est Iacob acceperit: & in patre filius nominatur, veterisque recordatur historiæ, vt & Dei misericordia erga Iacob, & illius contra Dominum duritia cognoscatur. Dum adhuc esset in vtero, supplantauit fratrem; non vtique fortitudine propria, qui sentire non poterat, sed misericordia Dei, qui cognoscit, & diligit eos, quos prædestinauit. ita Hieron. Pulchrè hunc eundem locum expendens S. Petr. Chrysol. *serm.* 70. Priùs (inquit) didicit zelare, quàm nasci: ante triumphare, quàm vincere. sic ille. Liceat dicere ad infantes istos ante ortum in vtero colluctantes illud, quod à Marone fictum ad animas Iulij, & Pompeij dicitur ab Ænea *lib.* 6. *Æneid.*

Origen. *Rebecca partus prodigiosus.* Procopius. *Iacob dominatum in Esau habet.*

A B Oseæ 12. D. Hieron. S. Pet. Chrys.

Ne pueri, ne tanta animis assuescite bella,
Neu matris primas in viscera vertite vires.

Virgil. lib. 6.

Alia tamen longè gloriosior victoria fuit, quam Iacob de Esau reportauit; nimirum veri Israelitæ, de gentibus suis terreno affectu, & nomine armatis; iuxta illud: *In Idumæam extendam calceamentum meum: alienigena mihi subditi sunt.* Psal. 59. Refer- C tur quidem ad triumphos Dauid, quos de subingata Idumæa extulit, in figura tamen eorum, quos Christus Dominus de gentibus ad fidem conuersis erexit. sic enim interpretatur S. Hieron. Vsque in regionem Esau Apostolorum pedes dirigendos esse pronunciat; quia in calceamentis pedes, in pedibus verò gressus Apostolici intelliguntur, iuxta illud: *Quam speciosi pedes euangelizantium pacem?* Rom. 10. Idumæa interpretatur sanguinea, siue terrena; si dicat: In istos tales ostendam calceamentum meum, id est mea exempla. hæc S. Hieron. Itaque Apostoli Euangelium toti mundo prædicantes gentium animos feritate motum, & rituum impiorum horribiles pet victimas diabolo iugiter mactatas, sanguinéque rubentes, ac metuendas, ad placidam, ac suauem, & pulchram Christi fidem traduxerunt. Cæterùm cum, & doctrinam Domini admirabilem de regno cœlesti, & facta illius denuntiarent: victoria tamen ascribitur potius exemplo, quàm doctrinæ, calceamento enim gentium regiones, aut verius pectora, & corda peragrata, complanata, & omnino subiugata sunt.

Iacob vincit Esau. Psalm. 59. *Christus de gentibus triumphat.* S. Hieron. Rom. 10. *Apostoli gentium victores.* *Exemplo conuersio ad Christum mundus.*

2. At S. Aug. non de gentibus ad fidem Christi conuersis, sed de fidelibus malè tamen in Ecclesia viuentibus præsentem locum sic intelligit. Ecclesia loquitur: Sæuiant tribulationes, bulliat scandalis mundus, extendam calceamentum Euangelij, vsque ad ipsos, qui terrenam vitam diligunt. Nonne seruiunt & ipsi terreni? Etsi cupiditatibus terrenis obligantur, Christum tamen adorant. Hodie videmus, quàm multi terreni committunt pro lucro fraudes, pro fraudibus periuria, &c. Omnes isti Idumæi terreni; & tamen omnes isti adorant Christum, sub calceamento ipsius sunt. hæc S. August. En quo in loco, & gradu sunt mali Christiani, qui fidem habent sine operibus! Fide Christum norunt, & colunt; vita Christum nesciunt, Christum blasphemant: idola verò, ac dæmones imitantur, & venerantur, terra ipsa, & lutum sunt sub calceamento Christi. *Quid proderit, si fidem quis se dicat habere, opera autem non habeat?* nunquid

S. August. *Fides sine operibus decolorosa.*

Iacob. 2. *Opera contestãtur fidem.*

nunquid poterit fides saluare? Iacob. 2. profectò ex hac sententia S. Apostoli videtur absque iniuria & fraude posse dici fidem non esse, vbi desunt opera: nec esse Christianum, qui malè viuit, cum vita fidem contestetur. Quis enim tibi credat, quod probare non valeas? Quare optimè in hanc sententiam ita scripsit S. Saluianus: Quia Christianus, nisi opera bona fecerit, fidem suam penitus approbare non possit; ac per hoc, quod probare non valeat quia sit, sic omnino habendum est quasi non sit. sic ille *libr. 4. de prouident.* Quid plura? *Fides sine operibus mortua est.* Iacob. 2. quòd si mortua in malo Christiano est, profectò iam nulla est; atque adeò non Christianus, sed infidelis haberi, & vocari potest. Rectè siquidem præmiserat S. Saluianus: Iudicat Apostolus actus B bonos, Christianæ fidei quasi testes esse: sic illè. Iacob manu pedem Esau tenens aduersus illum contendit, feroque, & breui tempore subiugauit: at Christus Dominus pede, quin calceo ipso pedis gentium nationes deuictas liberè peruagatus est; vt videas Domini virtutem supra omnem Patriarcharum, & Prophetarum industriam conatúmque; atque intelligas, non vi, sed vitæ exemplo animos mortalium vehementiùs permoueri. Et quidem admirabilis ostenditur Ecclesiæ Christianæ virtus, cum gentes impietate sacrilegas, ferocitate barbaras, & nefando vitiorum cæno pollutas aggressa, innumerabiles inde filios omni puritate, & pietate, mansuetudinéque conspicuos sibi aggregauit. Icirco enim toties *in Cant.* decora, & formosa, & pulchra nominatur. Nam vt rectè S. Ambros. obseruat de Isaac cap. 3. decora Ecclesia quæ ex inimicis gentibus filios acquisiuit. sic ille. At, quod omnem excedit admirationem, non istos Idumæos terrenos, carnales, ad mundi honores, ad terræ opes, ad carnis voluptates, quibus suam explerent cupiditatem, inuitauit. Non enim (vt ait Tertull. *lib. 1. ad vxorem, cap. 1.*) tam friuola, & spurca Deus suis pollicetur. sic ille. Calceamento Christi, vt cum Augustino vidimus, improbi Christiani subiiciuntur: ex quibus tamen complures Diuina gratia erigit abluitque omni deterso turpitudinum cæno, per pœnitentiam, in qua solent quotidie admirabiles effici animarum metamorphoses. Etenim Dominus in sacramentali D pœnitentia (vt verè scribit S. Petr. Damian. *libr. de omnipot. cap. 3.*) abluit maculas turpitudinis, & ad florem reuocat redolentissimæ castitatis. De prostibulo virginem, de corruptione reddit integritatem. Vnde etiam plerosque nouimus vtriusque sexus homines, post abominabiles voluptatis illecebras, ad tantam religiosæ vitæ peruenisse munditiam, vt non modò castos, atque pudicos quoslibet in sanctitate præcederent: sed & multorum virginum merita superarent. hæc Damian. Et ne longiùs abeamus, satis ad confirmandam pœnitentiæ virtutem peccatrix illa fuerit, quæ ad Domini pedes suas eluit detersitque sordes vitiorum; indéque surrexit adeo pura, sanctáque, vt post Virginem Dei Matrem fœminarum genus E omne superauerit, vel teste S. Vincentio Ferreira, *serm. de ead. Sancta*, prope finem. Expende obsecro seriò illa verba; quibus redolentissimæ castitatis odor insinuatur nulla enim virtutum inter homines æquè habetur commendabilis, vti castitas; quippe, quæ, vel in ipsa carne mortali, nescio quid immortale ac diuinum exhalat: contra verò nihil fœtidius, quàm (ita vocat Tertull. *lib. 1. ad vxorem, cap. 1.*) dedecus voluptuosum.

S. Saluian. *Christianus sine operibus quasi non sit.*

Iacob. 2.

S. Saluian.

Vita exemplo permouentur animi. *Mira gentium ad Christum conuersio.*

S. Ambros. *Christi fides non promittit mundi bona.*

Tertull.

Per pœnitentiam miræ fiunt mutationes.

S. Petr. Dam.

Peccatores per pœnitentiam supra Virgines puri sanctique.

Castitas virtutum laudatissima. *Voluptas carnis fœtidissima.*

Tertull.

3. *Sexagenarius erat Isaac, &c.*] Patet hinc Abraham vixisse post ortum nepotum adhuc quinde-A cim annos, vti Procop. & Caietan. obseruarunt, etiam si mors Abrahæ per anticipationem (vt sæpius fit in scriptura) iam superiùs fuerit commemorata. Mirum sanè videri debet, cur Isaac quadraginta annis cælibem, & castam vitam egerit, deinde vxorem habens sterilem ferè vndeuiginti, nihilo tamen minùs aliam, ex qua filios, semen Abrahæ benedictum, posset producere, nequaquam duxerit: maximè quia tunc licitum erat ex Diuina dispensatione pluribus simul vxoribus copulari, quod in patre suo Abraham & viderat Isaac, & poterat subinde imitari. Respondet in primis Lyra ex Hebræis: Postquam voluntariè se obtulit, vt immolaretur, fuit consecratus Domino; & non fuit ei licitum habere nisi vnam tantùm vxorem, vt de Episcopo dicit Apost. 1. Timot. 3. *Oportet esse vnius vxoris virum.* sic ille. Nihil planè consecratis hominibus, præsertim sacerdotibus, æquè necessarium est, atque puritas mentis, & corporis, vt rite accedant ad altare Domini, sanctéque immaculati Agni purissimum corpus contrectent, & manducent. Quoniam (inquit S. Gregor. Nyss. *de Virg. cap. 21.*) non potest quispiam ad Dei puritatem accedere, nisi talis ipse priùs factus sit; illud certè necessarium est, vt se magno aliquo, firmóque interiecto muro, à voluptatibus remoueat, vt nullo quidem pacto hac appropinquatione cordis inquinetur mundities. Murus verò firmissimus est quædam ab affectuum imperio abalienatio. hæc ille. Rectè affectibus tribuit imperium, seu tyrannidem potiùs. Nullum enim inter omnia vitia sic infirmo homini dominatur, atque libido carnis. Nulli parcit ætati, etiam canos inquinat, & senectutem incendit. Sunt enim haud pauci (inquit S. Saluian.) qui ab vsitata impuritate nec vitæ extremitate reuocantur. Esto enim quosdam, aut stulta præsumptio longæ vitæ, aut spes quandoque agendæ pœnitentiæ consoletur: nonne nouum hoc monstri genus est esse aliquos etiam in morte vitiosos? sic ille. *de prouid. lib. 7.* Prodigium quidem est senex luxuriosus; qui iam vicinus morti, & sepulchrale intuens pheretrum adhuc in carne lascinit, & in luto sordescit. Sed ad munditiem sacerdotum redeamus. A nobis quidem hanc puritatem exigit & ipsa nostræ vitæ ratio, & ministerium, quod in sacrorum operatione quotidie exhibemus Deo. Sed heu me, quàm longè distamus ab hac munditie, consequentérque à Deo, licet eius sacramenta manibus tractemus! Quidnam quæso nos detinet, ne Deo propiùs accedentes, vnus spiritus cum illo efficiamur? Profectò vitiosa illecebrarum sarcina, qua prægrauamur. In quo argumento hæc inter alia ediderit S. Greg. Nyssen. *lib. de vita Moys.* Induto (inquiens) sacerdoti nullum calceamentum imponitur, ne tardior ad currendum sit, aut vix mobilis, pelles secum attrahens animalium mortuorum. Nam impedimento calcei fuerant Moysi, cum ad ardentem rubum accederet. quod si in primo statim aditu reprobantur, multo magis à sacerdotis pede reiiciuntur. ita Nyssen. Quod si Dominus, vt videam figuram rei sacrosanctæ, à me puritatem vti debitam exposcit; quid quæso, vt videam oculis, & manibus tractem, & ore conficiam, & pectore suscipiam rem ipsam sacrosanctam, Corpus videlicet, & Sanguinem Christi Domini? Si tanta in pedibus mundities requiritur, quanta in manibus, quanta in ore, quanta in corde, quanta in anima sacerdotis requiretur?

Isaac vnius vxoris vir.

Lyran.

1. Timot. 3. *Sacerdotibus necessaria puritas mentis, & corporis.*

S. Greg. Nyss.

Grauissima tyrannus libidinis.

S. Saluian. *Luxuries vsque ad mortem.*

Monstrum est senex luxuriosus.

S. Greg. Nyss. *Sacerdos à terrenis expeditus.*

Exod. 3. *Moyses calceos iubetur deponere.* *Magna puritas exigitur à sacerdotibus Christi.*

4. Ita verò necessaria est hæc à voluptatibus carnis temperantia, & munditia in obeundis rerum sacrarum muneribus, vt etiam æmulus Dei

diabolus, sua nefaria, flagitiosáque templa, & sacrificia carnis puritate voluerit ergæ homines, quò illos faciliùs deciperet, commendare. Idcirco enim vestales esse virgines, aliásque gentium barbararum sacrificulas castam agere vitam inuiolabili ritu sancitum decernebat. Qua de re ita egregiè disputat Tertull. *lib. 1. ad vxorem.* Hæc diabolus præcipit, & auditur: prouocat nimirum Dei seruos continentia suorum, quasi ex æquo. O continentiam gehennæ sacerdotem! Nam inuenit quomodo homines etiam boni sectationibus perderet: & nihil apud eum refert, alios luxuria, alios continentia occidere. Nobis continentia ad instrumentum æternitatis demonstrata est à Domino salutis Deo, ad testimonium fidei, ad commendationem carnis istius exhibendæ superuenturo indumento incorruptibilitatis. ita Tertull. *cap. 4. & 5.* Perbelle grauissimus Doctor tria in laudem continentiæ attingit: nimirum, quod illa sit instrumentum ad cælestem gloriam comparandam; deinde Christiana fides ea maximè virtutum inter homines commendetur: denique iam nunc per illam corpora nostra purificentur, excolantur, ornentúrque ad suscipiendam immortalitatis stolam, qua beati amicientur in resurrectione vniuersali. Quicquid Hebræi dicant, aut confingant; hoc mihi certum est admirabili præditum pudicitia fuisse Isaac, quam exhibuit ante coniugium, & in ipso coniugio. Et (si credere fas est S. Gregor. Nyss.) post susceptam prolem à coniugali commercio ad mortem vsque abstinuit, diuinarum rerum intentus contemplationi. sic enim scribit *lib. de Virg. cap. 8.* Isaac non florescente ætate, vt affectioni coniugium seruiret, sed exhausta iam adolescentia ob Dei in semine benedictionem, Rebeccam in matrimonium duxit. Cui cum vsque ad partum operam dedisset, rursus in rebus, quæ oculis non cernuntur, totus fuit, clausis corporis sensibus. id autem mihi significare videtur historia, quæ grauem illius Patriarchæ oculorum obtutum commemorat. hactenus S. Gregor. O admirabilem in Isaac continentiam! vir diues, ac nobilis, cum licitum esset pluribus iungi vxoribus, vna tamen contentus post longam ætatem coniugio dat operam: susceptóque vno geminorum partu, ab vxore deinceps abstinet, vt expeditiùs diuinarum rerum studio, & contemplationi addicatur. Quo sanè multorum in lege gratiæ, quæ tota in mentium, & corporum puritate consistit, vaga, & effusa impudicitia damnatur. Quotus enim (inquit S. Saluian.) quisque est diuitum connubij sacramenta obseruans, quem non libidinis furor rapiat in præceps? cui non domus, ac familia sua scortum sit? & qui non in quamcunque personam cupiditatis improbæ calor traxerit, mentis sequatur insania? hæc ille, *lib. 4. de prouid.* Benè insaniam vocat intemperantiam istam libidinis: insano quippe, cæco, ac brutali impetu in suam turpitudinem abripitur libidinosus. Probat assumptum ita progrediens. De talibus dicitur: *Equi insanientes in fœminas facti sunt.* Hier. 5. Quid enim aliud, quàm de se dictum hoc probat, qui totum peruadere vult concubitu, quicquid concupierit aspectu? hactenus S. Saluian. Hic furor est nebulonum, vt illis videre, & concupiscere, idem omnino sit. O turpes oculi, turpissima corda, in quibus exæstuat flamma gehennæ! Verba porrò Hieremiæ sic habent in vulgata; *Equi amatores in fœminas, & emissarij facti sunt mihi.* c. 5. vbi S. Hier. Tantam (inquit) ostendit insaniam libidinis, vt non solùm appetitum voluptatis, sed & hinnitum vocet, & feruet equorum furentium ad libidinem metaphoram. sic ille. O miserrimam hominis conditionem! Siccine animal ratione præditum, cælo, Deóque natum in pecudem, eámque fœtidam, & luti, sordiúmque peramantem deiniit?

Tertul. — *Sacerdotes etiam dæmonum casti.* — *Triplex laus castitatis Christianæ.* — *S. Greg. Nyss.* — *Mira castitas Isaac.* — *Isaac post susceptos liberos abstinuit ab vxore.* — *S. Saluian.* — *Insana diuitum libido.* — *Furit vaga libido.* — *Hierem.* — *Lasciuia in oculis.* — *D. Hieron.* — *Libidinosus in pecudem desinit.*

5. Magna quidem laus Isaac, & Rebeccæ ex continentia, sed vmbra tamen fuit ad pudicitiam Christianæ Ecclesiæ, quàm egregiè vocat Tertull. *lib. de pudicitia*, principalem Christiani nominis disciplinam, &c. Hanc enim virtutem, non è terris natam, sed beatis spiritibus congenitam Deus è cælis in terras descendens attulit. Nam qui fratribus suis per omnia voluit assimilari, nasci tamen vt illi noluit, sed purissimam, atque integerrimam Virginem elegit, ex cuius vtero immaculato nasceretur: quod primum, ac summum ingrediens in mundum edidit miraculum, atque per omnes generationes hominum illud prædicari in sui, matrísque suæ honorem, non modò vult, sed gaudio gestit incredibili. Certe piæ illæ in Canticis animæ, licet alia multa Virgini Matri laudationum ornamenta, & fabricare, & offerre possent; hoc vnum tamen virginalis fœcunditatis, & fœcundæ virginitatis pulcherrimum monile illi præ omnibus obtulerunt: aiebant enim: *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Cant. 1. Cuius loci hæc est apud Rupert. elegantissima paraphrasis. O Virgo Virginum, quomodo factum est illud, quia nec primam similem visa es, nec habere sequentem? Laxa vocis iter, & collum tuum silentio communitum pande interdum, & tutis auribus amicorum fidelium, vel breuiter eloquendo committe secretum, vt dicas nobis, quo, vel per quid Altissimo placueris, qualis ille tibi fuerit primùm in corde, siue in vtero, deinde in conuictu, dum gestares eum vlnis? Sumus enim fidei artifices, argentarij fideles, & ad laudem illius, qui tibi hæc magna fecit, faciemus murenulas veritatis, ornamenta benedictionis, & gratiarum actionis, benedicendo, & gratias agendo; quia sic fecit tibi, ita vt non sit locus, vbi vox laudis huius non audiatur, vox sonora, laus altisona, quæ tuum nomen concelebrans iugiter te ambiat, & quodammodo de collo tuo dependeat. hæc Rupert. Hoc igitur ornamentum ex auro & argento fabrefactum offerebant adolescentulæ; hoc est, perpetuam laudationem Mariæ Virginis Matris Dei: auro quippe significatur Mater Dei; argento autem intemerata semper Virgo.

Tertull. — *Castitas virtutum principalis in Christi Ecclesia.* — *Primum & summum Christi miraculum nasci ex Virgine.* — *Cantic. 1.* — *Rupertus.* — *Vbique celebratur Virgo Dei Mater.* — *Mater & Virgo summum ornamentum.*

6. *Quibus adultis factus est Esau, &c.*] Adoleuerunt fratres, & magno quidem discrimine vitæ studia palàm sub iisdem parentibus ad eundem focum, & larem exhibuerunt. Nam Esau, vt corpore hispidus, hirsutus, & horridus, ita moribus agrestis, & inurbanus venationi animum intendit, per agros & syluas iugiter peruagando. Iam alibi apposuimus illud S. Ambros. Nullum inuenimus Diuinarum in serie scripturarum de venatoribus iustum. *serm. 8. in Psalm.* 118. eo quòd per venatores significantur homines duri, atque intractabiles, ferísque moribus, qualis ille fuit Nabuchodonosor gentium euersor, labes, ac pernicies mortalium: sed suæ tandem ferocitatis pœnas debitas exoluit, è regno pulsus in syluas, vbi ferinam ageret vitam: nec enim inhumanus alibi, quàm in syluis cum bestiis sui similibus debet viuere. Atque, vt eleganter obseruat S. Paulinus *Epist. 4.* iuba leonem, vnguibus vulturem, sensu, & pabulo bouem referebat; ne vnius tantùm belluæ similitudinem ferret in pœnis, qui multarum similis fuisset in moribus. sic Paulin. A syluis quidem per quas decurrabat; à feris, inter quas viuebat, & quarum venatione delectabatur Esau, agrestes

Duri & agrestes Esau mores. — *S. Ambros.* — *Nabuchodonosor feritas & supplicium.* — *Daniel. 4.* — *S. Paulin.*

Inueterata peccandi consuetudo.

stes illos, & ferinos mores imbibit, quibus per totam vitam infectus fuit. Quid autem difficilius, quam longo tempore prauam consuetudinem adhærentem animo, aliquando tandem euellere? Recte philosophatur in eam sententiam S. Chrysost.

D. Chrysost.

homil. 11. *in* 1. *Corinth* 4. Et mala (inquiẽs) & bona, quantò diutius in nobis immorantur, eò vehementiora fiunt. Igitur qui nondum vitiis se subdiderunt, his ego ne capiantur suadeo: faciliùs enim casum cauere possumus, quàm post casum resurgere.

Difficile à casu resurgere.

sic Chrysost. a primis quidem annis, imò ab ipsomet interno, & ingenito naturæ habitu Esau ferox, immitis, atque adeo propter primogenituram, & propensiorem patris Isaac affectum superbus, liberiorem vitam agebat. Vbi autem abest moderatio, effrænis vitæ libido ad obstinatam vsque peccandi licentiam prolabi consueuit. Quod ita vno verbo complectitur S. Ambros. *lib. de Isaac cap.* 2.

S. Ambros.

Inclinatur anima ad voluptates, & ad impœnitentiam, dum mensuram rerum non tenet. sic Ambros.

Libertas peccandi illecebra.

Libertate quidem abutentes praui homines, dum rerum caducarum, ac sæpiùs turpium venationi dant operam, præda capta exultant; & quò felicius iniquitatis vota succedunt, eò mens illorum flagitiosior fit, & iniquitas fortiùs roboratur. Bene illis consultum erit, si decidant à cogitationibus suis, si confundantur, si debilitentur, ne omnino pereant. Hinc illa perbelle dicuntur à S Saluiano *lib.* 1. *de proud.*

S. Saluian.

Quicunque mali sunt, successu rerum deteriores fiunt, gaudentes sibi nequitiæ studium bene succedere. Miserrimi esse debent, vt mali esse desistant. Minùs sunt miseri, quàm merentur: quia in quibuslibet miseriis constituti, non sunt tamen tam miseri, quàm mali: ita Saluian.

Exitialis peccantium felicitas.

Et quidem optimè de iis, qui etiam in pœnis, quas exoluunt, adhuc nequitiam semel imbibitam retinent. Etenim (vt vere scribit S Gregor. Nyssen. *lib. de Virginit. cap.* 9.) in omni re difficilis est, quæ expugnetur, consuetudo.

S. Greg. Nys. *Consuetudo peccãd. difficile exuitur.*

7. Emphaticè dicitur Esao. Hebraicè *ix sadeh* איש שדה *homo agri, homo terræ.* Quasi totus ab agro, totúsque à terra possessus, & seruus agri, terræque dicatur: in quo deplorandus peccatoris status exprimitur, qui cæli, Deique oblitus ad fœdum rerum terrestrium abiectarúmque amorem, curámque deiicitur, ac si foret de numero pecudum, quas natura ad pastum, coitúmque proiecit. In quem illud egregie traditur à S. Greg. Nyssen. *lib. de Virginit. c. p.* 5.

S. Greg. Nys. *Homo velut porcus in terram, lutumq; abiectus.*

Vt porcorum oculi natura in terram conuersi rerum cælestium aspectum non habent; sic animus corporis luxo perditus, cum ad ea, quæ sunt pecudũ, inclinatus sit, non cœlum amplius, neque reliquarum rerum conuenientiam, & decorem cernere poterit. hæc Nyssen. *Homo agri. homo terræ*, vt & homo peccati, ac venundatus sub peccato; quæ omnes, ac similes loquendi formæ firmam quandam voluntatis deprauatæ obstinationem, quam à sanctis viris necessitatem (non tamen ineuitabilem, atque inuoluntariam) video interdum appellari, solent importare: quæ quidem non in primo peccatore inuenta est, sed in nobis, qui assuetudine inueterata peccandi iam callum obduximus, vsque ad cauteriatam conscientiam.

Obstinatio in peccato.

In quo argumento præstat audire S. Prosperum, cuius hæc sunt verba, *lib* 3. *de vit. cont. cap.* 1.

S. Prosper. *Difficiliùs nos, quàm Adam, peccato resistimus.*

Non eo modo iam possumus peccato resistere, sicut Adam potuit, cui nihil aliud fuit non peccare, quàm nolle. Illum ad non peccandum etiam iuuare poterat adhuc sana natura; nos iam impulit vitiata: & illum peccare fecit sola peccandi voluptas; nos etiam cogit

A plerumque peccati iam facta necessitas. propter quod Deo clamamus: *De necessitatibus meis libera me.* Psalm. 24. hæc ille.

Psalm. 24.

Tam multa sæpiùs in deteriorem partem referuntur in sacra scriptura de Esau, vt mirandum non sit illud à Domino dictum: *Esau odio habui.* Malach. 1. & ad Rom. 9.

Malach. 1. ad Rom. 9. S. Hieron. *Esau odiosus Deo ex vitiosis moribus.*

Luculentè S. Hieron. ad locum Malach. differit de Esau quem Dominus odio habuit (vt loquitur) ex operibus, quia hispidus est, & sanguinarius: venationibus, syluis, & bestiis delectatur. Deus fines Idumææ, hoc est terrenæ; & sanguinariæ ponit in solitudinem, & nihil de terra crescere sinit, & esse perpetuum: & impudens malitia destruitur. hæc ex S. Hieron. Verba Domini per Malachiam hæc sunt: *Dilexi Iacob, Esau autem odio habui, & posui* B *montes eius in solitudinem, & hæreditatem eius in dracones deserti.* cap. 1.

Esau terræ affixus. Cyrill. Alex.

Quidni Deo sit exosus Esau, qui (vt animaduertit S. Cyrill. Alex.) idem est atque Latinè, *quercus*? fuit enim durus, & inflexibilis instar quercus. *Edom* appellatur, hoc est terrenus, scilicet terrenis affixus, & qui temporanea, ac pereuntia spiritualibus bonis stultè anteposuit. hæc ille. Meritò etiam terra vastatur Esau, qui terram ipsam cœlo prætulit. Posita est in cubilia draconum hæreditas hominis truculenti, & sanguinarij, vt suo etiam in prædio, domíque suæ plures offendat dracones, à quibus discerptus, suæ feritatis pœnas luat.

Malus simili culpa luit pœnam.

Qui enim gladio perimit, gladio peribit. Huius etiam odij signum est, quòd in genealogia Christi Domini Matth. 1. nul-C la Esau mentio fiat: posset enim Euangelista de Isaac dicere: Isaac autem genuit Esau, & Iacob; quemadmodum paulò inferiùs subdidit: Iudas genuit Phares, & Zaram, licet nec Zaram, nec Esau in seriem Auorum Christi Domini fuerit ingressus.

Matth. 1.

Huius tamen discriminis nulla ratio reddi potest aptior, quàm Domini vox: *Esau odio habui*, nimirùm propter mores abiectos, qui de homine commemorantur: at nihil simile de Zaram scribitur. Præterea Esao iuxta S. August. 16. *de Ciuit.* & S. Ambros. *in cap.* 9. *ad Roman.* typum gerebat populi infidelis, atque à Deo, eiúsque fidelibus separati; vnde inter maiores Christi computari non debuit: at Zaram cum fratre suo Phares in eundem populum coadunatus est.

S. August. S. Ambros. *Esau à genealogia Christi proiectus.*

D 8. *Iacob autem vir simplex, &c.*] Hebr. איש תם *Tham* à radice *Thamam* תמם *perficere, consummare.* vnde à nonnullis vertitur: Vir perfectus, iustúsque. Sic etiam Chald. *Iacob erat vir perfectus, minister domus doctrinæ.* L X X. vt & noster: *Vir simplex* ἄπλαστος *sine dolo, fucóque*, siue *qui nulli nocet.* Sic etiam Matth. 10. *Estote simplices sicut columbæ; prudentes sicut serpentes*, hoc est, habete serpentum prudentiam, sed ea tamen nolite in damnum aliorum abuti.

Matth. 10. ad Rom. 16. *Candor & sinceritas morum Iacob.* D. August.

Sic ad Rom. 16. *Volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo.* Nimirùm vt probè noueritis, quid vobis, & aliis expediat, nulli autem sciatis, aut velitis damnum inferre. S. August. approbat simplicem dici, quia sine dolo; sed tamen addit. Quomodo per dolum accepit benedictionem, E qui erat sine dolo? sed ad figurandum magnum aliquid hæc scriptura præmisit. Hinc enim maximè cogimur ad intelligenda isto loco spiritualia, quia sine dolo erat, qui dolum fecit. hæc S. August. *quæst.* 74. *in Genes.*

Procop.

Procop. ad sinceritatem morum refert, quos nec proprius dolus, & fictio, nec aliorum praua consuetudo infecerat. Simplex (inquit) Iacob, id est, nullo laborabat, vel proprio vel aliunde ascititio malo. Pectore aperto omnia, nec quicquam per simulationem faciebat. Non vult Moyses, vt intelligamus Iacobum fuisse stultum, dum simplicitatem ei tribuit. Quo ore enim

dicto consequitur, quòd moribus quoque eius delectaretur; sicut de Iacob necessariò conceditur, quem absolutè Rebecca dilexisse narratur. sic ille. Itaque Iacob verè, ac directè amabatur, quia virtus per se expetenda, & amabilis est, etsi ab ea nullum foret humanum emolumentum capiendum: at Esau, vti quilibet alius eiusdem notæ, si quando amatur, non nisi ex aduerso, atque indirectè, ob aliquem inde prouentum diligi potest. Quis enim directò diligat agrestem, ferum, inurbanum, & terræ filium? quod ita Procop. dispungit. Bonus per se expetitur: sed malus ob commoda, quæ ab ipso proueniunt, amatur. Sic Isaac dilexit Esau, non ipsum per se, sed ob venationem, quia pascebat, & oblectabat grandæuum patrem. hæc ille.

Bonus per se amatur, malus ob aliud.

Procopius.

12. Ita vsu plerumque venit, vt senes, ægri, quique suam carnem delicatiùs curant eos vel filios vel famulos, præcipuo in amore habeant, quos sibi vident ad curandum corpus studiosiùs, ac vigilantiùs inseruire. Quod quidem potiùs est amor sui, quàm alterius. Hac etiam ratione fit, vt verus amor non sit in eo qui libidinosè mulierem deperit; seipsum enim ille, & corpus suum, & carnis suæ voluptatem amat, quam ex consortio mulieris captat: non verò illam, quam polluit, quam reddit vilem, atque infamem, & quam solius voluptatis sordidæ causa ambit, persequitur. Denique Isaac diligebat filiũ Esau, ob solum cibi ministerium: at ipse Deus amabat seruum suum Iacob alius quoque cibi ministrum, vt obseruat S. Cyril. Alex. hisce verbis: Israel superna, Diuináque dilectione dignus habitus est, cum legis obseruantiam veluti quendam cibum Deo offerret. sic ille, *lib. 9 in Genes.* Nostris enim Deus obsequiis, vti epulis, recreatur. Quæ verò fuerit in Esau ad recreandum patrem diligentia, ex verbis Hebræis optime colligitur: sic enim habent: *chisaid bephiu* כי ציד בפיו *quoniam venatio in ore eius*, ac si dicat: Quotidie Isaac carnes ferinas habebat, quibus libenter vescebatur, & quas Esau venabatur portans ad os patris. Forte non modò venando captabat carnes sed eas quoque, vel sua, vel aliena cura paratas in cibos, in patris ora inferebat. Cæterùm licet ex hoc aliqualem Esau laudem mereatur, quòd patri alendo, & recreando studium adhiberet, quia tamen in cæteris vitiosus erat, ideo carnalium hominum, vti Iacob spiritualiũ, exemplar extitit. Qua de re ita S. Greg. 5. *moral.* 7 Quid per venationem Esau, nisi eorum vita figuratur, qui in exterioribus voluptatibus fusi carnem sequuntur? Qui etiam agricola describitur, quia amatores huius seculi tantò magis exteriora colunt, quantò interiora sua inculta derelinquunt. Iacob verò vir simplex in tabernaculis, vel in domo habitare perhibetur, quia omnes, qui in curis exterioribus spargi refugiunt, simplices in cogitatione, atque conscientiæ suæ habitatione consistunt. In tabernaculis enim, aut in domo habitare, est se intra mentis secreta restringere; & nequaquam exteriùs per desideria dissipare, ne dum ad multa foris inhiant, à semetipsis alienati cogitationibus recedant. hæc S. Greg. Proh infelicem, qui sui oblitus aliena insectatur, & à se alienus ad aucupanda, quæ saluti propriæ sunt aliena foris peruagatur: longè verò felicem qui illud diligenter exequitur! Attende tibi.

Amor commodorum, aut voluptatem propriã quærens, non est verus amor.

Amor meretricius non est verus amor.

Cyrill. Alex.

Hominis obsequiis Deus pascitur

S. Gregor.

Exterioribus dediti sui obliuiscuntur.

... curæ ...

13. *Coxit Iacob pulmentum, &c.*] En qualem fructum ex sua venatione, & continuo discurrendi, vagandique per agros, & saltus studio collegit Esau. Rediit domum ab agro fessus, & fame confectus. Malo autem (inquit Procop.) defectio illa noxia est. Videlicet, quia se gerit impatienter dum

Malus est impatiens.

Procopius.

A vel tantulam corporis molestiam ferre non vult; sed vt illam defugiat, nihil pensi habet quodcunque aliud licet honoris, & virtutis dispendium subire. Contra vero iusti in fame, & siti, in frigore, & nuditate constantes, ac læti vitam trahunt, vt in sua patientia possideant animas suas. Esau non curat patientiæ lucrum, sed ventris edulium. Vide hominis voracitatem. Hebr. habetur: הלעיטני נא מן האדם האדם הזה; *Fac me vorare de ruffo, ruffo isto.* Nesciebat fortasse, quænam illa coctio, quam ruffam appellat, aut quia lenticulæ Ægyptiæ erant rubicundæ, aut quia pulmentum illud rubro pigmento conditum fuerat. Duplicatio autem illa de ruffo, ruffo isto, vehementem insinuat appetentiam. Hinc etiam vocatus est

Bonus est patiens & constans.

Ingluuies Esau.

B Edom, quòd rubedinem significat. Benè Procop. figuræ arcanum explicat, hoc modo: Esau exemplar extitit Iudaici populi. Esau nomen designat quercum, quo nomine illius durities rigidum quoque, & intractabile significatum est ingenium. Proinde dominus ad Israelitas ait: *Noui quòd durus es, & neruus ferreus est ceruix tua, & frons tua est ænea.* Esau præterea Edom dicitur: rubedo siquidem significat iram, & feruorem. Erat hirsutus, & hispidus, quo referebat imaginem belluæ. Iudaicus enim populus erat ferociæ, & truculentiæ deditus, qua impulsus Sanctos, & Prophetas violauit, postremò contrucidauit quoque vitæ Auctorem. hæc ille. Ingluuiem suam ampliùs indicat in verbo לעט *lagat*, quo ferinum quoddam come-

Procopius.

Iudæorum durities.

Isaiæ 48.

Iudæorum crudelitas.

C dere significatur: nec enim aliter quàm bestia ad pastum abiecta, intemperanter, ac fœde cibos vorabat. At ab helluone quid mali timendum non est? Cæterùm quod attinet ad illam etymologiam nominis Esau, non video vnde Procop. quercum eliciat. Non enim alia radix apparet, quàm *ghasah* עשה *facere, operari*; atque adeò Esau videtur esse *faciens, operans.* Sed quid est, quod primogenituram Esau vendidit, & Iacob emit? Dicam in primis, quodnam fuerit ius primogenituræ. Et quidem non constat simul cum primogenitis sacerdotium connexum inueniri; nec illud astruentes ex Diuinis literis possunt confirmare. Videmus enim Abelem, & Abrahamum sacerdotes, & Deo sacrificasse, cum tamen primogeniti non fuerint:

Sacerdotium non erat annexum primogenituræ

D deinde Manue iussum ab Angelo sacerdotis ritu sacrificare, cum tamen esset de tribu Dan, non autem ex Iuda, in qua residebat ius primogenituræ. Boni quidem autores arbitrantur primogenitis ius sacerdotij competiisse, sed nullo persuadent alio fundamento, quàm quòd ita legunt in traditionibus Hebræorum, quæ non semel vanæ, & futiles, vt hoc loco per sacerdotium Abelis, & Abrahæ refelluntur. Quapropter illa etiam euanescit quæstio. Num Iacob simoniam admiserit, cum rem spiritualem, hoc est, sacerdotium annexum primogenituræ coëmerit. Itaque priuilegia primogenituræ in lege naturæ tantùm hæc ex sacra Scriptura colliguntur. Pimò, in mensa locus dignior, vt constat ex *cap.* 43 *Genes.* Secundò, ciui-

Priuilegia primogeniti.

E lis principatus in fratres, & successio in patriam dignitatem, qua primogenitus cæteris erat loco patris, ita vt coram eo se inclinarent. infra *cap.* 27. & eum vocarent dominum, quo nomine Iacob fratrem suum maiorem Esau compellat. *infra* 32. Qua prærogatiua spoliatur Ruben, & ea transfertur in Iudam. *infra* 49. Tertiò, vt vult Theodor. *q.* 77. in patris hæreditate primogeniti primam, & duplicem portionem capiebat. Quartò, pater moriturus primogenito benedictionem impendebat. *infra cap.* 27.

14. Statuo igitur vt certum non peccasse Iacob cum

A

cum primogenituram coëmit; nouerat enim ex matre ibi a Deo constitutum primogenituræ priuilegium; quod oraculum neuter Isaaco reuelauerat, ne mœrore pater filium Esau tenerius diligens, afficeretur; nec etiam Esau, quem timebant iræ impotentem aduersus fratrem sibi diuinitus prælatum exemplo Caini insurrecturum. Nunc verò Iacob opportunitatem nactus vindicandi, confirmandique iuris sui per spontaneam fratris cessionem, diuinitus oblatum auxilium non neglexit. Vnde nulla fuit iniustitia suum ius repetere, & à violento retentore, etiam adhibito pretio ad redimendam sui vexationem, primogenituræ sibi à Deo concessæ pacificam possessionem comparatam extorquere. Ex quo ampliùs sequitur, cum propriè, ac formaliter (vt vocant) coëmptio

Iacob nec iniustus, nec simoniacus.

B

non extiterit, etiamsi cum primogenitura, quicquam spirituale coniunctum esset, nulla ratione simoniam intercessisse. Addit vlteriùs peregregiè Procop. non modò non iniustum fuisse Iacobum in fratrem Esau, cum illi primogenituræ ius præripuit, sed illi etiam magnopere profuisse. sic ait. Non vt malus, & fraudulentus quispiam, Iacob primogenituræ priuilegia mercatur. Nouerat enim fratrem illo priuilegio esse indignum, quod adeo despexit, & vilipendit, vt illi præferret pultem lentium. sic ille. O mortalium dedecus, ac labem: ipsam planè stultitiam! Tantum bonum nihili pendit! amplissimam dignitatem simul cum opum exuberantia coniunctam vno, vilique cibo stultissimus venditor commutat! Hanc in fratre stul-

Procopius.

Esau stultissimus venditor.

C

titiam iam satis expertus Iacob, bene ipsi consuluit primogenituræ, cum eam ab indigno, & stulto vendicauit. Alteram quoque subiicit causam in hunc modum: Deinde sciendum est diuitias, maximum esse momentum malo ad peccata committenda. Maximè igitur necessarium arbitratus est Iacob illum bonis exuere, vitiorúmque materiam, & fomenta subtrahere, animúmque ferocem, & intractabile ingenium corrigere, & ad meliores reducere mores. Non igitur obsuit fratri, sed magis profuit. Quòd verò cessit Esau iure primogenituræ oblectatus lentium esca, magnum satis argumentum est, ipsum meritò excidisse primogenituræ beneficiis. hæc Procop. Grande be-

Stultitia primogenit.

Procopius.

Diuitia vitiorum fomenta.

D

neficium misericors Deus illi confert, quem nouit indignum gradu aliquo, & dignitate, si illum obtento iam honore spoliat, aut ne obtineat, omnino impedit: videlicet gladium puero adimit, quo se interficiet. Quid enim infelicius, atq; prælatum (de principe, de iudice idem dicendum) tali munere indignum præfici? Nihil est enim (scribit S. Hildebert. *Epist.* 38.) ei cum prælati officio, cui nec, mores ad exemplum, nec ad doctrinam scientia suffragatur. Cæteris præsidet ad dispendium sanctimoniæ, non ad iudicium culpæ. sic ille. Profuit Iacob stulto fratri, cum ab eo dignitatem subripuit; nihil enim periculosius dignitate, ac felicitate seculi, quam etiam iustus ac prudens sibi timet. Vnde illud optimè dictum est à S. August.

Remouendus à prælatura indignus.

In prælato virtus & doctrina exigitur.

S. Hildebert.

D. August.

E

magnæ virtutis est cum felicitate luctari, ne illiciat, ne corrumpat, ne ipsa subuertat felicitas. Magnæ inquam virtutis est cum felicitate luctari; magnæ felicitatis est à felicitate non vinci. *serm.* 13. *de verbis Domini cap* 6. In hac lucta victi, & collapsi perierunt Saul, Salomon, Roboam, aliique plures; & fortè de ipsa conquestus Dauid ait: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Psal. 68. Esau autem stultitia planè fuit insignis: etsi enim bona fide putaret Ius suum se posse vendere; detestanda tamen hominis est imprudentia pariter atque impudentia, quòd rem tantam, tam

Felicitas hominis periculosa.

Psalm. 68.

A

spectabilem, tam pretiosam ita contempserit, vt & vili pretio vendiderit, & vendidisse nihil pensi habuerit. Bene S. Chrysost. Ingratus (inquit) erat, atque indignus ea, quam sibi natura dederat, dignitate: abiit paruipendens, quòd primogenita vendidisset: hoc factum est, vt illius demonstraretur ingratitudo. Hæc autem audientes discamus, nunquam negligere dona à Deo nobis data; neque perdere magna propter parua, & vilia, vt regnum cælorum propter hæc momentanea. hæc S. Chrysost. Meritò Deus primogenituram abstulit Esau, vtpote indigno; nec enim pro illa gratias agebat, nec illam qualis erat, æstimabat. Contra verò primogenitum Iacob nasci Deus noluit, sed illi postmodum illam dignitatem est elargitus, vt ille non

D. Chrysost.

Ingratus Deo ipsius dona negligit.

Stultus cælo terram præfert.

B

huiusmodi beneficium naturæ, sed Dei esse intelligeret, Deoque se gratū semper exhiberet: atque adeo pluris faceret, quod cum aliquali sua industria, maioréq; ope Diuinæ gratiæ comparauerat.

15. Iure optimo Apostolus vocat Esau profanum. *Ne quis* (inquiēs) *fornicator, aut profanus, sicut Esau, qui propter vnam escam vendidit primogenita sua.* Ad Hebr. 12. Græcè βέβηλον quod propriè significat arcendum à sacris propter impuritatem. Quid enim magis profanum, atque impurum eò homine, qui lentis edulium primogenituræ anteposuit? *En morior* (inquit) *quid mihi proderunt primogenita?* Hebr. additur *zeh* הז *hæc primogenita.* Quod quàm emphaticè dicatur, ita dispungit Procop. Non simpliciter dicit: *Quid mihi cum primogenitu-*

Pluris fiunt, quæ cum labore acquiruntur.

ad Hebr. 12.

Procopius.

C

ra? sed addit: *Quid mihi cum primogenitura hac?* scilicet, quæ ad virtutem ducit, & beatitudinem elargitur. Sunt mihi alia his multò (quasi diceret) excellentiora bona: voluptas, cupiditas mala, intemperantia, & auaritia, & quæcunque his sunt affinia. hæc ille. Carnalis Esau, vt vocatur à sanctis Patribus, qui vnius cibi tam vilis tam breuem voluptatem tanti æstimat, eos significat (inquit S. August.) qui carnaliter viuunt, carnaliter credunt, carnaliter sperant, carnaliter diligunt. *serm.* 44. *de diuersis, cap.* 13. iccirco bene de stultitia Iacob ita Procopius progreditur. Quapropter & infertur: *Et contempsit ceu rem malam Esau primogenituram.* auersatur verò hanc, vt ciuilis agrestem, & vicissim, vt agrestis ciuilem, quorum nec consilia, nec

Odium bonorum cælestiū in peccatoribus.

Carnales in Esau figurantur.

D. August.

Procopius.

Non conueniunt spiritualia, & carnalia.

D

facta conuenire possunt. Nulla enim societas harmoniæ est cum eo, quod harmoniam fugit. Hinc primogenituram, ceu rem promercalem fœdè nundinatus est. Igitur acceptis carnalibus, tradidit spiritualia, scilicet primogenituram Iacobo. hæc Procop. Dicit spiritualia, quia licet ipse ignorauerit, cum primogenitura multæ erant coniunctæ benedictiones rerum spiritualium. Hæc est improborum stultitia: cum viuant vitam moribus pecorinam, quicquid supra carnem & carnis illecebras assurgit, aut nesciunt, aut execrantur. Cæterùm (vt bene S. Ambros. *lib. de Isaac. c.* 1. animaduertit) segregare se à voluptatibus carnis, & eleuare mentem, hoc est, se hominem cognoscere. sic Ambros. Hominis enim portio nobilior est ani-

Carnalis spiritualia vel nescit, vel odit.

S. Ambros.

E

ma immortalis, cognata Angelis, & nata videndo, fruendóque Deo; vilior pars est corpus à natura, & affectionibus bestiarum nihil discrepans. Vide quàm dispares ingenio, vitáque fuerint gemini isti fratres? Esau enim (vt bene obseruat idem Procop.) ruri agebat, & venatu gaudebat: Iacob erat ciuilioris vitæ studiosus, aditu facilis, amicus, & beneuolus omnibus, sincerus, domum inhabitans: ille erat intemperantiæ obnoxius, & parua solebat comparare magno: hic verò erat insatiabilis amator ipsius boni, & ea, quibus quotidie euaderet melior, summo inquirebat studio. Vendebat

Procop.

Esau & Iacob moribus dispares.

hic

rem eam reddente. Vide quanta & tunc erat sacerdotum dignitas: dixit enim Dominus per sacerdotem, &c. ita S.Chrys. quod & alij sequuntur. Est quidem sacerdos mediator inter Deum, atque homines: magnúmque solet esse momentũ in precibus sacerdotis causam populi ad Deum agentis. Ac proinde monebat Ferrandus Diaconus Reginum comitem *reg.* 5. in hunc modum. Sacerdotum postulationibus libenter patescat aditus, frequenteturque oratio Si piè sapis, Ecclesiam consulas; sine sacerdotum consilio nihil geras; quorum precibus adiuuaris. Consule piè quærendo, non violenter, quod respondeant, imperando. sic ille Deinde quis ille sacerdos? respondent plerique, Melchisedech. At nulla horum, quæ dicuntur apparet, coniectura. Dicam hoc loco, quod S.Bernard. *lib.* 5. *de consideras. cap.* 14. scriptum reliquit. Deus orando, quàm disputando, dignius quæritur, & inuenitur faciliùs. sic ille. Dignius plane Rebecca quæsiuit, faciliùs Deum inuenit, non cum hominibus agendo, & sua secreta conferendo, sed orando, & plorando ante Dominum. Nam cum Patriarchæ (respondet Theodor.) consueuissent in locis, in quibus habitabant, construere Deo altaria quædam, verisimile est, illam ad vnum ex his ingressam, supplicasse Deo, & ita nouisse, quæ futura erant. ita Theodor. Idem Procop his verbis reddit: Locum quietum, & à strepitu hominum sequestratum petiuit, in quo incumbebat precibus, quibus poscebat sibi significari, quid sibi vellent illa in vtero infantium tripudia. hæc ille. Similiter Theodotus: Perrexit (ait) hoc est secessit ab aliis, vt mentem suam colligeret, vt faciliùs Dei auxilium sibi compararet. Qui verò ad Melchisedech illam perrexisse tradunt, hi magis coniectura, quàm veritate nituntur. hæc Theodor. Enimuerò, qui sunt in aliqua constituti angustia, vt faciliùs, ac citiùs opem Dei, quam summè necessariam sibi exposcunt, impetrare queant, non modò assiduis instent precibus; sed etiam simul depositis, si qua habent, vitiis mentem purificent, aut certè à minus perfecto ad perfectiorem statim virtutis assurgant, vt digniores fiant, quibus Dei gratia infundatur.

Oratio sacerdotis efficax. — Ferrand. — *Rogandus pie sacerdos.* — S.Bernard. — *Deus orando inuenitur.* — Theodor. — Procopius. — Theod. — *Cum puritate vitæ iungatur oratio.*

9 Quod quidem fuit egregium consilium Rebeccæ bello illo intestino viscerum excruciatæ, vti subtiliter Origen. in hæc verba disserit. Quò abiit Rebecca? nonne vbique erat Deus? Quò ergo abiit, vnde non esset ad locum vbi esset Dominus? Ego puto quòd non de loco ad locum abierit, sed de vita ad vitam, de actu ad actum, de bonis ad meliora transierit, de vtilibus ad vtiliora perrexerit, de sanctis ad sanctiora properauerit. sic ille. Quam doctrinam, & interpretationem præsentis loci probat egregiè, ex consimili loco Exod. 3. ita progreditur. Sic Moyses cum vidisset rubum ardere, & non exuri, admiratus visu, dixit: *Transeam, & videbo visum hoc.* Non vtique & ipse significabat, se aliquod terræ spatium transiturum. propè ipsum erat visio, in ore, & in oculis eius; sed dicit: *Transeam*, vt ostendat se commonitum visione cælesti, ad superiorem vitam debere conscendere ab his, in quibus erat, ad meliora transire. Igitur Sancti non de loco ad locum, sed de vita ad vitam, de institutis primis abeunt ad instituta potiora hæc Orig. Percelebris iste transitus est inter sanctos viros, vt perpetuò bonis operibus insistentes semper transeant, semper abeant, semper proficiant de virtute in virtutem. Nec illorum honor vlla ratione minuitur, eo quod, aut deteriora relinquant, aut in meliora crescant: imò vnusquisque de seipso dicere meritò potest, quod de se scripsit Tertull. *lib. de pudicitia*, his verbis: Non suffundor errore, quo carui; quia caruisse delector, quia meliorem me, & pudiciorem recognosco. Nemo proficiens erubescit. Haber & in Christo scientia ætates suas, per quas deuolutus est Apostolus: *Cum paruulus* (inquit) *essem, tanquam paruulus loquebar; at vbi vir sum factus, ea quæ paruuli fuerunt, euacuaui.* 1. Cor. 13. hæc Tertull. Quæ non ad scientiam tantummodo, sed ad mores etiam æquè pertinent: habet enim & in Christo virtus hominis ætates suas, primò infantiam, deinde paulatim crescit, & maturescit, ac tandem senescit. Hæc etiam incrementa Deus ipse, qui bonum omne in nobis operatur, in excolendo, ac perficiendo homine habere voluit, vti eleganter scribit S.Prosper *lib.* 3. *de vit.cont.cap.* 16. hoc pacto: Deus tanquam verus agricola in agro suo, sic in corde nostro proficit, vt quicquid in eo fides plantat, deuotio rigat, ipse ad incrementum consummatæ maturitatis adducat. hæc S.Prosp. Quare, obsecro, pueri Christo Domino tam grati semper fuerunt, vt illos exciperet, amplexaretur, & benediceret? Profectò (vt reliqua prætercam) hoc vnum maximè in causa fuit, quia puerorum ætas nondum statum fixit, sed paulatim statis à natura incrementis perenniter augescit. Quo quidem virtus iustorum, & perfectio Sanctorum perbellè innuitur. Nec enim virtus, aut fessa labore, aut tædio, fastidiove bene operandi succumbens vnquam prosternitur, vt quæ Dominum illum suum sequatur, qui pertransiit benefaciendo. Icciro sponsæ quærenti: *Dic mihi, vbi pascas, vbi cubes.* Cantic. 1. responsum est: *Egredere, & abi, &c* vt præeuntem scilicet sequeretur, qui non quiescit, non cubat. Pulchrè ibi S. Bern. Currentem (inquit) video, cubantem non video, &c.

Origen. — *Emendatio, & perfectio vitæ.* — Exod. 3. — *Semper in melius proficiendum.* — Tertullian. — *Non erubescendum de profectu.* — 1. Cor. 13. — *Virtus habet ætates suas.* — S. Prosper. — *Cur grati Christo pueri.* — *Semper in virtute crescendum.* — Cantic. 1. — S.Bernard. — *Christus currit, non cubat.*

10. *Duæ gentes sunt in vtero tuo, &c.*] Rectè S. Ambros. *cap.* 3. *lib. de Isaac.* venientem de Mesopotamia ad nuptias Isaaci Rebeccam contemplatus, ait: Veniebat Rebecca iam cælestibus dotata mysteriis. sic ille. Planè dotem egregiam, & opulentam secum portabat mulier, quam Deus ipse elegerat, vt rerum futurarum abditissimis, & grauissimis mysteriis, tanquam illorum officina, inseruiret. Hæc autem iam nunc incipiont explicari. Angelus itaque Domini deprecantem Rebeccam Diuino responso recreauit. Aperuit enim illi in vtero geminos inesse fœtus, qui futuri erunt duo capita duorum populorum inter quos lucta esset, & concertatio futura, quam iam nunc gemini ipsi fratres antè hostes, quam nati, inter se colluctantes præsignificabant. Chald. hoc loco verbis aliquantulum discrepat ab interprete, sed tamen sensum eundem apprimè sic reddit. *Duo populi sunt in visceribus tuis, & duo regna de vtero tuo diuidetur, & regnũ regno fortius, & maior seruiet minori.* Sed quinam isti duo populi? Verisimilius est intelligi Iudæos, & Idumæos, vt vult S. Aug. q. 73. Hi enim ab Esau, illi à Iacob ortum habuerunt. Decertatunt inuicem multos per annos, sed tandem Idumæi, qui à maiore fratre Esau (prior enim in lucem editus est) propagati, à Iudæis Iacobi nepotibus bello victi, & subiugati stipendia Dauidi, & Salomoni, cæterisque Hebræa gentis Regibus vsque ad Ioram soluerunt. Rabbini putant Iudæos & Romanos significari. Illi enim maiores quidem ætate, diuinisque muneribus præstantiores, Romanis, qui multò inferiores tempore, virtutéque videbantur, subiecti, atque stipendiarij fuerunt. Sed præstat prior expositio S. Aug. vti moris habet, mysterium aliud in his duobus populis in vtero

S. Ambros. — *Quid significet lucta geminorum in vtero.* — D. August. — S.August.

A vtero Rebeccæ colluctantibus ita erunt. Isaac Christum, Rebecca Ecclesiam figurauit. Concepit de Isaac Rebecca corporaliter, quia conceptura erat spiritualiter de Christo Ecclesia. Sed sicut in vtero Rebeccæ duo paruuli collidebantur, sic in vtero Ecclesiæ duo sibi populi iugiter aduersantur. Inueniuntur enim boni, & mali in Ecclesia; humiles scilicet, & superbi; casti, & adulteri; mansueti, & iracundi, benigni, & inuidi; misericordes, & cupidi. sic ille. Sed quænam isthæc est inter bonos & malos mystica concertatio? Progreditur idem hoc modo: Boni lucrari volunt malos; mali extinguere cupiunt bonos. Bonorum desiderium est, vt mali corrigantur; malorum studium est, vt boni consumantur. Genus piorum ad cælum erigitur per humilitatem, genus impiorum B ad infernum demergitur per elationem. In Esau carnales intelliguntur; in Iacob spirituales. hæc S. August. *serm. 78. de tempore.* Sed in hac perpetua, & irreconciliabili concertatione, quonam sese pacto gerere debent boni, & iusti simul cum suo patre Iacob? nimirum vti decet dilectos à matre Rebecca, quam solent doctores interpretari patientiam: illi persequuntur, isti patienter ferant, & gaudeant, beatósque se reputent, quod odio à malis habeantur, quod malorum linguis perstringantur: iuxta illud Domini; *Beati estis cum maledixerint vobis homines, &c.* Matth. 6. Hanc secutus doctrinam S. Paulin. laudat Aprum quendam nobilem, qui vale dicens seculi pompis, religiosam, humilem, atque asperam vitam est amplexatus: C atque iccirco in signum positus est obtrectationibus, iniuriis, & irrisionibus hominum stultorum, & carnalium: quæ omnia vir sapientissimus patienti, ac læto vultu, animóque excipiebat. Sic igitur scribit S. Paulin. *Epist.* 27. Iam hanc gratiam mereris à Domino, vt te piè gloriantem oderint homines, quod non fieret, nisi verus imitator Christi esse cœpisses. Non enim odisset hic mundus, nisi quod iam à se alienum, & sibi videret aduersum. Gaude & exulta iam in rudimentis tuæ virtutis, perfectionis operator. hæc ille. Fremant ergo filij Esau aduersus filios Israel: isti resistant vitæ potius, quàm linguæ præsidio. Talium quippe (adiungit S. Paul.) vel odia, vel conuicia viuendo meliùs, quàm loquendo arguimus. sic ille.

Lucta inter bonos & malos.

Patienter, & hilariter mali tolerandi.

Math. 6.

S. Paulin.

Virtutis signũ est pati odia malorum.

S. Paulin.

11. Quia verò impiorum verba veneno sunt illita, & ferali quodam acumine penetrant aures, animósque lancinant: nec est aliud tentationis genus grauius, & periculosius ad subruendum, vel firmissimum statum virtutis: ideo sanctissimus pater communiendum hominem admonet Dei consiliis, ac præceptis, quibus inimicorum tela facillimè perfringuntur, ita progrediens. *Nos aures nostras spinis* (vt scriptum est *Eccles.* 28.) *sepiamus*, id est Dei verbo, & fide Verbi: quæ vitæ nostræ segetem firmissima innocentiæ, atque potentiæ sæpe defendunt, & diabolo dolis suis aditus in præcordia nostra captanti, quasi furibus spinæ resistunt, & viscera inimicorum regis, id est amatores hostium Christi, hos videlicet obtrectatores vitæ nostræ, atque constantiæ contemplatione compungunt. sic ille. In tuto nauigat, quem morum innocentia tegit, ac regit. Et quia confusio, quam maledicorum, & sycophantarum irrisiones ingenerant, vehementer solet hominis animum pertentare, concludit egregiè: Inconfusibilem operarium, sicut hilarem datorem diligit Deus. ita S. Paulin. In Dei quippe obsequio nihil est, quod erubescas. Bene maior populus, seu numerosior impiorum dicitur; quia vti animaduertit Origen. semper plures sunt mali, quàm boni,

Eccles. 28.
S. Paulin.

Quomodo malorum iniuriis, & dolis diaboli resistendum.

Pro Deo libenter ignominia ferenda.

Origen.

& vitia numerosiora virtutibus. sic ille ad hunc locum. quod identidem repetit S. August. loco superiùs apposito. At quid illud: *Maior seruiet minori?* Nempe (vt occurrit Procop.) qui affectat maior esse, & se maiorem esse iactat, subiicietur illi, qui humilia de se sentiendo, minor habetur. sic ille. Quod apertè impletum est in Esau, & Iacob, eorumque posteris. Deinde præter explicationem positam de Esau & Idumæis, quæ literalis est, mysticam illam suam, aut secundariò literalem S. August. prosequitur ita quæstionem dissoluens. Quomodo populus maior seruiet minori? Quo (inquit) ordine? illo vtique, quo mali seruiunt bonis, non vtique obsequendo. Quomodo ergo mali seruiunt bonis? quomodo persecutores martyribus? quomodo limæ, vel mallei auro? quomodo molæ seruiunt tritico? quomodo panibus coquendis fornalia, vt illi coquantur, ista consumantur? quomodo in fornace aurificis palea seruit auro, vbi sine dubio palea consumitur, aurum probatur. hæc S. August. Itaque mali seruiunt bonis, dum illos persequendo, ipsi meritorum segetem efficiunt, patientiæ fructum excolunt, & cælestis gloriæ palatium ædificant, & regni coronam moliuntur. Hic iusti (militia enim est hominis vita super terram) impugnantur, nec à bello quiescent, donec in patriam æternæ quietis ingrediantur. Ibi quidem (ait S. Prosper *lib. 1. de vit. cont. cap. 1.*) recepturi sunt præmium, vbi non solum deuictis, sed etiam finitis hostibus triumphabunt: ibi triumphabunt, vbi vlteriùs aduersarium non habebunt. sic Prosp. Spe igitur cœlestium præmiorum excitati malorum iniurias, odiáque pro magno solent pretio habere, vt quibus sempiterna lucra comparent: nec proinde illis mouentur velut iniuriis, quarum vel ipsum nomen ignorant. Ignorant quidem sancti homines ipsum iniuriarum nomen; maledictionem quippe improborum egregiam reputant benedictionem. Beati sunt, cum ab hominibus maledicuntur. Non proinde tamen desinit esse detestanda impiorum maledicentia, etsi iustos exerceat, poliat, & coronet. Audiant Apostolum, ac timeant: *Maledici regnum Dei non possidebunt.* ad Ephes. 5. & 1. Corinth. 6. ad quæ verba sic effatur S. Saluian. Hinc D intelligere possumus, quàm grauis sit, & perniciosa maledictio, quando etiamsi alia bona adfuerint, sola excludit à cælo. *lib. 3. de vero iudicio & prouid.* O miseros, qui bona omnia linguæ vitiis, & polluunt, & perdunt! Porrò ab irato & inhumano peccatore, atque ab ignauo, & imbecilli animo solent expromi maledicta. quod ita S. Saluian. ostendit. Prima semper tela irarum maledicta sunt: & quicquid non possumus imbecilli, optamus iratiat sic in omni animorum indignantium motu votis malis pro armis vtimur. Vnde vnusquisque hominũ euidentissimè probat, quicquid fieri aduersariis suis optat, totum se velle facere, si posset. hæc ille citato loco. Lingua scilicet maledicorum exprimit, quæ lateant intus odia, & E quanta in visceribus exæstuet humani sanguinis libido. At viri sancti non modo patienter ferunt maledicorum iniurias, sed illas quoque ignorant, immò potius gemmas, flores, honores reputant. Hinc illa egregia sancti Prosperi *lib. 1. de vit. cont. cap. 12.* sententia percelebratur: Vir perfectus offensas, quibus pulsatur, nec omnino concutitur, ignorare magis paratus est, quàm donare. sic ille.

Maior malorum, quàm bonorum numerus.
S. August.
Procopius.
Superbus humili subiacet.

D. August.

Iustis prosunt persecutores.

S. Prosper.
Pro cæli præmio labores sustinentur.

Iusti nomen iniuriæ ignorant.

ad Ephes. 5.
1. Corinth. 6.
S. Saluian.
Detestanda est maledicentia.

S. Saluian.
Maledicta infirmorum tela

Lingua cordis vitia exprimit.

S. Prosper.
Iustus iniurias potius ignorat, quàm donat.

12. Celebris etiam est inter patres illa expositio de Iudæis tempore maioribus, qui deuicti à Christianis sunt, illisque seruiunt, etsi nos ætate minores videamur. Quo in sensu ita S. August.

D. August.

Iudæi seruiūt Christianis.

serm.cit. Maior (inquit) & senior populus Iudæorum iuniori, id est, populo Christiano seruire probatur, dum per totum mundum libros Diuinæ legis ad instructionem omnium gentium portare cognoscitur; ideo enim Iudæi per omnem terram dispersi sunt, &c. Hæc & alia multa S. August. Neque verò soli populo Christiano seruiunt illæ, quæ post commune excidium superstites fuerunt reliquiæ Israel, vt videmus, sed omnibus etiam penè gentibus: qua miseri Iudæi per orbem dispersi à patrio solo extorres, sine templo, sine rege, sine republica, sine Deo, seruilem, atque infelicem trahunt vitam. *Translata quippe est gloria Israel*, 1. Reg. 4. *Egressus est Dominus de loco suo: In scelere Iacob istud, &c.* Mich. 1. Nimirum (vt declarat S. Hieron.) propter iniquitates Iudæ egressus Dominus dixit ad Iudæos: *Ecce relinquetur domus vestra deserta.* Matth. 23. & ascendit super excelsa terræ, id est super eos, qui ex gentium humilitate credentes excelsi esse meruerunt. ita S. Hieron. Quamobrem, vt prædictum est ab Amos 5. *In omnibus vineis erit planctus, quia pertransibo in medio tui, dicit Dominus.* Haud dubie vaticinatur extremam illius populi euersionem, in qua omnes domus, omnes familiæ, omnes vrbes, atque oppida, omnes denique tribus (cuncta hæc vineis significantur) suum exitium complorarunt. Hæc verò (inquit S. Hieron.) omnia patientur, quia pertransibit per medium eorum Dominus, vt non habitet cos. sic Hieron. Vbi est ergo Dominus? *Ecce* (inquit ad Christianos) *vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Matth. 23.

Seruitus & exitium Iudæorum. 1. Reg. 4. — Mich. 1. — D. Hieron. — Matth. 23. — Amos 5. — *Christus à Iudæis ad Christianos transiuit.* — D. Hieron. — Matth. 23.

SECTIO III.

Iam tempus pariendi aduenerat, & ecce gemini in vtero eius reperti sunt. Qui prior egressus est, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus, &c. vsque ad finem.

1. HEbr. *Et impleti sunt dies, vt pareret.* וימלאו ימיה ללדת *Vaimleu iameiha laledeth.* Impletio autem dierum (vt notat Orig.) ortum perfectæ sobolis indicat. Qui sermo nunquam ferè nisi de sanctis mulieribus scribitur. ita Origen. Iam geminos esse fœtus, & colluctatio illa tam insolita, & reuelatio diuinitus facta matri demonstrarat: instante autem partu, ipsoque è maternis visceribus egressu gemini se prodiderunt. Prior apparuit inusitato quodam habitu horribilis; glabri enim infantes enascuntur; iste autem non capite solùm, sed reliquo fere corpore pilis horridus, & pili quidem rubei, ac sanguinei coloris videbantur: Vnde *Seir*, שעיר *seghar* Hebr. hoc est, *pilosus*, & *Idumæus*, id est, sanguineus est nuncupatus: Esau verò, quia fortis, siue perfectus: illa enim pilositas adulti hominis signum erat. Alterum adhuc maius prodigium in partu Rebeccæ sese prodidit, cum alter infantulus prioris è vulua emicantis plantam manu prehendens egrediebatur, ex quo miraculo nomen accepit Iacob à radice *ghaqab* עקב *supplantare, seu supplantando decipere*; quo prodigio significatur adimpletio illius vaticinij paulò ante diuinitus editi: *Maior seruiet minori.* Quod ita euoluit Procop. Hoc prodigium significat Iacobum dominaturum in Esau, eiúsque opera, vt ministri & serui vsurum. Calx enim, vel planta propriè denotat seruitutem & laborem. Vel significatur fore, vt supplantet Iacob fratrem suum Esau præripiendo ius primogenituræ, & benedictionem, quibus adiutus dominium in fratrem esset habiturus. Qui enim in certamine luctæ calcem, vel plantam colluctatoris apprehendit, is citra omnem dubitationem victoria potitur. hæc Procop. Hanc pugnam Oseas commemorat, vt beneficia Dei in patrem Iacob collata filios ad pietatem paternam imitandam hortetur, cum ait: *In vtero supplantauit fratrem suum, &c.* Oseæ 12. Vbi S. Hieron. Exponit (inquit) quanta bona Iudas, hoc est Iacob acceperit: & in patre filius nominatur, veterisque recordatur historiæ, vt & Dei misericordia erga Iacob, & illius contra Dominum duritia cognoscatur. Dum adhuc esset in vtero, supplantauit fratrem; non vtique fortitudine propria, qui sentire non poterat, sed misericordia Dei, qui cognoscit, & diligit eos, quos prædestinauit. ita Hieron. Pulchrè hunc eundem locum expendens S. Petr. Chrysol. *serm.* 70. Priùs (inquit) didicit zelare, quàm nasci; ante triumphare, quàm vincere. sic ille. Liceat dicere ad infantes istos ante ortum in vtero colluctantes illud, quod à Marone fictum ad animas Iulij, & Pompeij dicitur ab Ænea *lib. 6. Æneid.*

Origen. — *Rebeccæ partus prodigiosus.* — *Procopius.* — *Iacob dominium in Esau habet.* — Oseæ 12. — D. Hieron. — S. Pet. Chrys. — Virgil. lib. 6.

Ne pueri, ne tanta animis assuescite bella,
Neu matris primas in viscera vertite vires.

Alia tamen longè gloriosior victoria fuit, quam Iacob de Esau reportauit; nimirum veri Israelitæ, de gentibus terreno affectu, & nomine armatis; iuxta illud: *In Idumæam extendam calceamentum meum: alienigenæ mihi subditi sunt.* Psal. 59. Refertur quidem ad triumphos Dauid, quos de subiugata Idumæa extulit, in figura tamen eorum, quos Christus Dominus de gentibus ad fidem conuersis erexit. sic enim interpretatur S. Hieron. Vsque in regionem Esau Apostolorum pedes dirigendos esse pronunciat; quia in calceamentis pedes, in pedibus verò gressus Apostolici intelliguntur, iuxta illud: *Quam speciosi pedes euangelizantium pacem!* Rom. 10. Idumæa interpretatur sanguinea, siue terrena; ac si dicat: In istos tales ostendam calceamentum meum, id est mea exempla. hæc S. Hieron. Itaque Apostoli Euangelium toti mundo prædicantes gentium animos feritate morum, & rituum impiorum horribiles per victimas diabolo iugiter mactatas, sanguinéque rubentes, ac metuendas, ad placidam, ac suauem, & pulchram Christi fidem traduxerunt. Cæterùm cum, & doctrinam Domini admirabilem de regno cœlesti, & facta illius denuntiarent: victoria tamen ascribitur potiùs exemplo, quàm doctrinæ, calceamento enim gentium regiones, aut veriùs pectora, & corda peragrata, complanata, & omnino subiugata sunt.

Iacob vincit Esau. — Psalm. 59. — *Christus de gentibus triumphat.* — S. Hieron. — Rom. 10. — *Apostoli gentiū victores.* — *Exemplo conuersus ad Christum mundus.*

2. At S. Aug. non de gentibus ad fidem Christi conuersis, sed de fidelibus male tamen in Ecclesia viuentibus præsentem locum sic intelligit. Ecclesia loquitur: Sæuiant tribulationes, bulliat scandalis mundus, extendam calceamentum Euangelij, vsque ad ipsos, qui terrenam vitam diligunt. Nonne seruiunt & ipsi terreni? Etsi cupiditatibus terrenis obligantur, Christum tamen adorant. Hodie videmus, quàm multi terreni committunt pro lucro fraudes, pro fraudibus penuria, &c. Omnes isti Idomæi terreni; & tamen omnes isti adorant Christum, sub calceamento ipsius sunt. hæc S. August. En quo in loco, & gradu sunt mali Christiani, qui fidem habent sine operibus! Fide Christum norunt, & colunt; vita Christum nesciunt, Christum blasphemant: idola verò, ac dæmones imitantur, & venerantur, terra ipsa, & lutum sunt sub calceamento Christi. *Quid proderit, si fidem quis se dicat habere, opera autem non habeat?*

S August. — *Fides sine operibus dedecorosa.*

nunquid

Iacob. 2.

Opera contestatur fidem.

nunquid poterit fides saluare? Iacob. 2. profectò ex hac sententia S. Apostoli videtur absque iniuria & fraude posse dici fidem non esse, vbi desunt opera: nec esse Christianum, qui malè viuit, cum vita fidem contestetur. Quis enim tibi credat, quod probare non valeas? Quare optimè in hanc sententiam ita scripsit S. Saluianus: Quia Chri-

S. Saluian.

Christianus sine operibus quasi non sit.

stianus, nisi opera bona fecerit, fidem suam penitus approbare non possit; ac per hoc, quod probare non valeat quia sit, sic omnino habendum est quasi non sit. sic ille *libr. 4. de prouident.* Quid plura? *Fides sine operibus mortua est.* Iacob. 2. quòd si mortua in malo Christiano est, profectò iam nulla est; atque adeò non Christianus, sed infidelis haberi, & vocari potest. Rectè siquidem præ-

Iacob. 2.

S. Saluian.

miserat S. Saluianus: Iudicat Apostolus actus bonos, Christianæ fidei quasi testes esse. sic ille. Iacob mano pedem Esao tenens aduersus illum contendit, feroque, & breui tempore subiugauit: at Christus Dominus pede, quin calceo ipso pedis gentium nationes deuictas liberè peruagatus est; vt videas Domini virtutem supra omnem Patriarcharum, & Prophetarum industriam conatúmque; atque intelligas, non vi, sed vitæ exemplo animos mortalium vehementiùs permoueri. Et quidem admirabilis ostenditur Ecclesiæ Christianæ virtus, cum gentes impietate sacrilegas, ferocitate barbaras, & nefando vitiorum cæno pollutas aggressa, innumerabiles inde filios omni puritate, & pietate, mansuetudinéque conspicuos sibi aggregauit. Idcirco enim toties *in Cant.* decora, & formosa, & pulchra nominatur. Nam vt rectè S. Ambros. obseruat de Isaac cap. 3. decora Ecclesia quæ ex inimicis gentibus filios acquisiuit. sic ille. At, quod omnem excedit admirationem, non istos Idumæos terrenos, carnales, ad mundi honores, ad terræ opes, ad carnis voluptates, quibus suam explerent cupiditatem, inuitauit. Non enim (vt ait Tertull. *lib. 1. ad vxorem, cap. 1.*) tam friuola, & sputca Deus suis pollicetur. sic ille. Calceamento Christi, vt cum Augustino vidimus, improbi Christiani subiiciuntur: ex quibus tamen complures Diuina gratia erigit abluítque omni deterso turpitudinum cæno, per pœnitentiam, in qua solent quotidie admirabiles effici animarum metamorphoses. Etenim Dominus in sacramentali pœnitentia (vt verè scribit S. Petr. Damian. *libr. de omnipot. cap. 3.*) abluit maculas turpitudinis, & ad florem reuocat redolentissimæ castitatis. De prostibulo virginem, de corruptione reddit integritatem. Vnde etiam plerosque nouimus vtriusque sexus homines, post abominabiles voluptatis illecebras, ad tantam religiosæ vitæ peruenisse munditiam, vt non modò castos, atque pudicos quoslibet in sanctitate præcederent: sed & multorum virginum merita superarent. hæc Damian. Et ne longiùs abeamus, satis ad confirmandam pœnitentiæ virtutem peccatrix illa fuerit, quæ ad Domini pedes suas eluit detersítque sordes vitiorum; indéque surrexit adeo pura, sanctáque, vt post Virginem Dei Matrem fœminarum genus omne superauerit, vel teste S. Vincentio Ferreira, *serm. de ead. Sancta*, prope finem. Expende obsecro seriò illa verba; quibus redolentissimæ castitatis odor insinuatur nulla enim virtutum inter homines æquè habetur commendabilis, vti castitas; quippe, quæ, vel in ipsa carne mortali, nescio quid immortale ac diuinum exhalat: contra verò nihil fœtidius, quàm (ita vocat Tertull. *lib. 1. ad vxorem, cap. 1.*) dedecus voluptuosum.

Vitæ exemplo permouentur animi.

Mira gentium ad Christum conuersio.

S. Ambros.

Christi fides non promittit mundi bona.

Tertull.

Per pœnitentiam miræ fiunt mutationes.

S. Petr. Dam.

Peccatores per pœnitentiam supra Virgines puri sanctique.

Castitas virtutum laudatissima.

Voluptas carnis fœtidissima.

Tertull.

3. *Sexagenarius erat Isaac, &c.*] Patet hinc Abraham vixisse post ortum nepotum adhuc quinde- A cim annos, vti Procop. & Caietan. obseruarunt, etiam si mors Abrahæ per anticipationem (vt sæpius fit in scriptura) iam superiùs fuerit commemorata. Mirum sanè videri debet, cur Isaac quadraginta annis cælibem, & castam vitam egerit, deinde vxorem habens sterilem ferè vndeuiginti, nihilo tamen minùs aliam, ex qua filios, semen Abrahæ benedictum, posset producere, nequaquam duxerit: maximè quia tunc licitum erat ex Diuina dispensatione pluribus simul vxoribus copulari, quod in patre suo Abraham & viderat Isaac, & poterat subinde imitari. Respondet in primis Lyra ex Hebræis: Postquam voluntariè se obtulit, vt immolaretur, fuit consecratus Domino; & non fuit ei licitum habere nisi vnam tan- B tùm vxorem, vt de Episcopo dicit Apost. 1. Timot. 3. *Oportet esse vnius vxoris virum.* sic ille. Nihil planè consecratis hominibus, præsertim sacerdotibus, æquè necessarium est, atque puritas mentis, & corporis, vt rite accedant ad altare Domini, sanctéque immaculati Agni purissimum corpus contrectent, & manducent. Quoniam (inquit S. Gregor. Nyss. *de Virg. cap. 21.*) non potest quispiam ad Dei puritatem accedere, nisi talis ipse priùs factus sit; illud certè necessarium est, vt se magno aliquo, firmóque interiecto muro, à voluptatibus remoueat, vt nullo quidem pacto hac appropinquatione cordis inquinetur mundities. Murus verò firmissimus est quædam ab affectuum imperio abalienatio. hæc ille. Rectè affectibus tribuit im- C perium, seu tyrannidem potiùs. Nullum enim inter omnia vitia sic infirmo homini dominatur, atque libido carnis. Nulli parcit ætati, etiam canos inquinat, & senectutem incendit. Sunt enim haud pauci (inquit S. Saluian.) qui ab vsitata impuritate nec vitæ extremitate reuocantur. Esto enim quosdam, aut stulta præsumptio longæ vitæ, aut spes quandoque agendæ pœnitentiæ consoletur: nonne nouum hoc monstri genus est esse aliquos etiam in morte vitiosos? sic ille. *de prouid. lib. 7.* Prodigium quidem est senex luxuriosus; qui iam vicinus morti, & sepulchrale intuens pheretrum adhuc in carne lasciuit, & in luto sordescit. Sed ad munditiem sacerdotum redeamus. A nobis quidem hanc puritatem exigit & ipsa nostræ vi- D tæ ratio, & ministerium, quod in sacrorum operatione quotidie exhibemus Deo. Sed heu me, quàm longè distamus ab hac munditie, consequentérque à Deo, licet eius sacramenta manibus tractemus! Quidnam quæso nos detinet, ne Deo propiùs accedentes, vnus spiritus cum illo efficiamur? Profectò vitiosa illecebrarum sarcina, qua prægrauamur. In quo argumento hæc inter alia edisserit S. Greg. Nyssen. *lib. de vita Moys.* Indoto (inquiens) sacerdoti nullum calceamentum imponitur, ne tardior ad currendum fit, aut vix mobilis, pelles secum attrahens animalium mortuorum. Nam impedimento calcei fuerant Moysi, cum ad ardentem rubum accederet. quod si in primo statim aditu reprobantur, multo magis à E sacerdotis pede reiiciuntur. ita Nyssen. Quod si Dominus, vt videam figuram rei sacrosanctæ, à me puritatem vti debitam exposcit; quid quæso, vt videam oculis, & manibus tractem, & ore conficiam, & pectore suscipiam rem ipsam sacrosanctam, Corpus videlicet, & Sanguinem Christi Domini? Si tanta in pedibus mundities requiritur, quanta in manibus, quanta in ore, quanta in corde, quanta in anima sacerdotis requiretur?

Isaac vnius vxoris vir.

Lyran.

1. Timot. 3.

Sacerdotibus necessaria puritas mentis, & corporis.

S. Greg. Nyss.

Grauissima tyrannis libidinis.

S. Saluian.

Luxuries vsque ad mortem.

Monstrum est senex luxuriosus.

S. Greg. Nyss.

Sacerdos à terrenis expeditus.

Exod. 3.

Moyses calceos iubetur deponere.

Magna puritas exigitur à sacerdotibus Christi.

4. Ita verò necessaria est hæc à voluptatibus carnis temperantia, & munditia, in obeundis rerum sacrarum muneribus, vt etiam æmulus Dei

A diabolus, sua nefaria, flagitiosáque templa, & sacrificia carnis puritate voluerit erga homines, quò illos faciliùs deciperet, commendare. Iccirco enim vestales esse virgines, aliasque gentium barbararum sacrificulas castam agere vitam inuiolabili ritu sancitum decernebat. Qua de re ita egregiè disputat Tertull. *lib. 1. ad vxorem.* Hæc diabolus præcipit, & auditur: prouocat nimirum Dei seruos continentia suorum, quasi ex æquo. O continentiam gehennæ sacerdotem! Nam inuenit quomodo homines etiam boni sectationibus perderet: & nihil apud eum refert, alios luxuria, alios continentia occidere. Nobis continentia ad instrumentum æternitatis demonstrata est à Domino salutis Deo, ad testimonium fidei, ad commendationem carnis istius exhibendæ superuenturo B indumento incorruptibilitatis. ita Tertull. *cap. 4. & 5.* Perbelle grauissimus Doctor tria in laudem continentiæ attingit: nimirum, quod illa sit instrumentum ad cælestem gloriam comparandam; deinde Christiana fides ea maximè virtutum inter homines commendetur: denique iam nunc per illam corpora nostra purificentur, excolantur, ornentúrque ad suscipiendam immortalitatis stolam, qua beati amicientur in resurrectione vniuersali. Quicquid Hebræi dicant, aut confingant; hoc mihi certum est admirabili præditum pudicitia fuisse Isaac, quam exhibuit ante coniugium, & in ipso coniugio. Et (si credere fas est S. Gregor. Nyss.) post susceptam prolem à coniugali commercio ad mortem vsque abstinuit, diuinarum re- C rum intentus contemplationi. sic enim scribit *lib. de Virg. cap.* 8. Isaac non florescente ætate, vt affectioni coniugium seruiret, sed exhausta iam adolescentia ob Dei in semine benedictionem, Rebeccam in matrimonium duxit. Cui cum vsque ad partum operam dedisset, rursus in rebus, quæ oculis non cernuntur, totus fuit, clausis corporis sensibus. id autem mihi significare videtur historia, quæ grauem illius Patriarchæ oculorum obtutum commemorat. hactenus S. Gregor. O admirabilem in Isaac continentiam! vir diues, ac nobilis, cum licitum esset pluribus iungi vxoribus, vna tamen contentus post longam ætatem coniugio dat operam: susceptóque vno gemino- D rum partu, ab vxore deinceps abstinet, vt expeditiùs diuinarum rerum studio, & contemplationi addicatur. Quo sanè multorum in lege gratiæ, quæ tota in mentium, & corporum puritate consistit, vaga, & effusa impudicitia damnatur. Quotus enim (inquit S. Saluian.) quisque est diuitum connubij sacramenta obseruans, quem non libidinis furor rapiat in præceps? cui non domus, ac familia sua scortum sit? & qui non in quamcunque personam cupiditatis improbæ calor traxerit, mentis sequatur insania? hæc ille, *lib. 4. de prouid.* Benè insaniam vocat intemperantiam istam libidinis: insano quippe, cæco, ac brutali impetu in suam turpitudinem abripitur libidinosus. Probat assumptum ita progrediens. De talibus dicitur: *Equi insanientes in fœminas facti sunt.* Hier. 5. Quid E enim aliud, quàm de se dictum hoc probat, qui totum peruadere vult concubitu, quicquid concupierit aspectu? hactenus S. Saluian. Hic furor est nebulonum, vt illis videre, & concupiscere, idem omnino sit. O turpes oculi, turpissima corda, in quibus exæstuat flamma gehennæ! Verba porrò Hieremiæ sic habent in vulgata; *Equi amatores in fœminas, & emissarij facti sunt mihi.* c. 5. vbi S. Hier. Tantam (inquit) ostendit insaniam libidinis, vt non solùm appetitum voluptatis, sed & hinnitum vocet, & seruet equorum furentium ad libidinem

Tertul.
Sacerdotes etiam damnum casti.
Tertul.
Triplex laus castitatis Christianæ.
S. Greg. Nyss.
Mira castitas Isaac.
Isaac post susceptos liberos abstinuit ab vxore.
S. Saluian.
Insana diuitum libido.
Purit vaga libido.
Hierem.
Lasciuia in oculis.
D. Hieron.

metaphoram. sic ille. O miserrimam hominis conditionem! Siccine animal ratione præditum, cælo, Deóque natum in pecudem, eámque fœtidam, & luti, sordiúmque peramantem degenerit?

5. Magna quidem laus Isaac, & Rebeccæ ex continentia; sed vmbra tamen fuit ad pudicitiam Christianæ Ecclesiæ, quàm egregiè vocat Tertull. *lib. de pudicitia*, principalem Christiani nominis disciplinam, &c. Hanc enim virtutem, non è terris natam, sed beatis spiritibus congenitam Deus è cælis in terras descendens attulit. Nam qui fratribus suis per omnia voluit assimilari, nasci tamen vt illi noluit, sed purissimam, atque integerrimam Virginem elegit, ex cuius vtero immaculato nasceretur: quod primum, ac summum ingrediens in mundum edidit miraculum, atque per omnes generationes hominum illud prædicari in sui, matrisque suæ honorem, non modò vult, sed gaudio gestit incredibili. Certe piæ illæ in Canticis animæ, licet alia multa Virgini Matri laudationum ornamenta, & fabricare, & offerre possent; hoc vnum tamen virginalis fœcunditatis, & fœcundæ virginitatis pulcherrimum monile illi præ omnibus obtulerunt: aiebant enim: *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Cant. 1. Cuius loci hæc est apud Rupert. elegantissima paraphrasis. O Virgo Virginum, quomodo factum est istud, quia nec primam similem visa es, nec habere sequentem? Laxa vocis iter, & collum tuum silentio communitum pande interdum, & C tutis auribus amicorum fidelium, vel breuiter eloquendo committe secretum, vt dicas nobis, quo, vel per quid Altissimo placueris, qualis ille tibi fuerit primùm in corde, siue in vtero, deinde in conuictu, dum gestares eum vlnis? Sumus enim fidei artifices, argentarij fideles, & ad laudem illius, qui tibi hæc magna fecit, faciemus murenulas veritatis, ornamenta benedictionis, & gratiarum actionis, benedicendo, & gratias agendo; quia sic fecit tibi, ita vt non sit locus, vbi vox laudis huius non audiatur, vox sonora, laus altisona, quæ tuum nomen concelebrans iugiter te ambiat, & quodammodo de collo tuo dependeat. hæc Rupert. Hoc igitur ornamentum ex auro & argento fabre- D factum offerebant adolescentulæ; hoc est, perpetuam laudationem Mariæ Virginis Matris Dei: auro quippe significatur Mater Dei; argento autem intemerata semper Virgo.

6. *Quibus adultis factus est Esau, &c.*] Adoleuerunt fratres, & magno quidem discrimine vitæ studia palàm sub iisdem parentibus ad eundem focum, & larem exhibuerunt. Nam Esau, vt corpore hispidus, hirsutus, & horridus, ita moribus agrestis, & inurbanus venationi animum intendit, per agros & syluas iugiter peruagando. Iam alibi apposuimus illud S. Ambros. Nullum inuenimus Diuinarum in serie scripturarum de venatoribus iustum. *serm. 8. in Psalm.* 118. eo quòd per venatores significantur homines duri, atque intractabiles, ferísque moribus, qualis ille fuit Na- E buchodonosor gentium euersor, labes, ac pernicies mortalium: sed suæ tandem ferocitatis pœnas debitas exoluit, è regno pulsus in syluas, vbi ferinam ageret vitam: nec enim inhumanus alibi, quàm in syluis cum bestiis sui similibus debet viuere. Atque, vt eleganter obseruat S. Paulinus *Epist.* 4. iuba leonem, vnguibus vulturem, sensu, & pabulo bouem referebat; ne vnius tantùm belluæ similitudinem ferret in pœnis, qui multarum similis fuisset in moribus. sic Paulin. A syluis quidem per quas deerrabat; à feris, inter quas viuebat, & quarum venatione delectabatur Esau, agre-

stes

Libidinosus in pecudem desinit.
Tertull.
Castitas virtutum principalis in Christi Ecclesia.
Primum & summum Christi miraculum nasci ex Virgine.
Cantic. 1.
Rupertus.
Vbique celebratur Virgo Dei Mater.
Mater & Virgo summum ornamentum.
Duri & agrestes Esau mores.
S. Ambrof.
Nabuchodonosor ferrus & supplicii.
Daniel. 4.
S. Paulin.

stes illos, & fetinos mores imbibit, quibus per A totam vitam infectus fuit. Quid autem difficilius, *Inueterata peccandi consuetudo.* quam longo tempore prauam consuetudinem adhærentem animo, aliquando tandem euellere? Recte philosophatur in eam sententiam S.Chrysost. *D.Chrysost.* *homil. 11. in 1. Corinth 4.* Et mala (inquies) & bona, quantò diutius in nobis immorantur, eò vehementiora fiunt. Igitur qui nondum vitiis se subdiderunt, his ego ne capiantur suadeo: facilius *Difficile à casu resurgere.* enim casum cauere possumus, quàm post casum resurgere. sic Chrysost. à primis quidem annis, imò ab ipsomet interno, & ingenito naturæ habitu Esau ferox, immitis, atque adeo propter primogenituram, & propensiorem patris Isaac affectum superbus, liberiorem vitam agebat. Vbi autem abest moderatio, effrænis vitæ libido ad obstinatam vsque peccandi licentiam prolabi consueuit. Quod ita vno verbo complectitur S.Ambrof. *S. Ambrof.* *lib. de Isaac cap. 2.* Inclinatur anima ad voluptates, & ad impœnitentiam, dum mensuram rerum non tenet. sic Ambrof. Libertate quidem *Libertas peccandi illecebra.* abutentes praui homines, dum rerum caducarum, ac sæpiùs turpium venationi dant operam, præda capta exultant; & quò felicius iniquitatis vota succedunt, eò mens illorum flagitiosior fit, & iniquitas fortiùs roboratur. Bene illis consultum erit, si decidant à cogitationibus suis, si confundantur, si debilitentur, ne omnino pereant. Hinc illa perbelle dicuntur à S Saluiano *lib. 1. de prouid.* *S.Saluian.* Quicunque mali sunt, successu rerum deteriores fiunt, gaudentes sibi nequitiæ studium bene succedere. Miserrimi esse debent, vt mali esse desistant. Minùs sunt miseri, quàm merentur: quia in *Exitialis peccantium felicitas.* quibuslibet miseriis constituti, non sunt tamen tam miseri, quàm mali: ita Saluian. Et quidem optime de iis, qui etiam in pœnis, quas exoluunt, adhuc nequitiam semel imbibitam retinent. Etenim (vt verè scribit S.Gregor. Nyssen. *lib. de Virginit. cap. 9.*) in omni re difficilis est, quæ expugnetur, consuetudo. *S.Greg.Nyss. Consuetudo peccandi difficile exuitur.*

7. Emphaticè dicitur Esau. Hebraicè *ix sadeh* איש שדה *homo agri, homo terræ.* Quasi totus ab agro, totusque à terra possessus, & seruus agri, terræque dicatur: in quo deplorandus peccatoris status exprimitur, qui cæli, Deique oblitus ad fœdum rerum terrestrium abiectarúmque amorem, D curámque deicitur, ac si foret de numero pecudum, quas natura ad pastum, cottidiéque proiecit. In quem illud egregie traditur à S. Greg. Nyssen. *S.Greg.Nyss.* *lib. de Virginit. c. p. 5.* Vt porcorum oculi natura in *Homo velut pecus in terram, lutumq. abiectus.* terram conuersi rerum cælestium aspectum non habent; sic animus corporis luxu perditus, cum ad ea, quæ sunt pecuariæ inclinatus sit, non cœlum ampliùs, neque reliquarum rerum connenientiam, & decorem cernere poterit. hæc Nyssen. *Homo ag i, homo terræ*, vt & homo peccati, ac venundatus sub peccato; quæ omnes, ac similes loquendi formæ firmam quandam voluntatis deprauatæ obstinationem, quam à sanctis viris necessitatem (non tamen ineuitabilem, atque inuoluntariam) video interdum appellari, solent importare: quæ quidem non in primo peccatore inuenta est, sed, in nobis, qui assuetudine inueterata peccandi iam callum obduximus, vsque ad cauteriatam conscientiam. In quo argumento præstat audire S.Prosperum, cuius hæc sunt verba, *Obstinatio in peccato.* *lib 3. de vit. cont. cap. 1.* Non eo modo iam possumus peccato resistere, sicut Adam potuit, cui nihil aliud fuit non peccare, quàm nolle. Illum ad non peccandum etiam iuuare poterat adhuc sana natura; nos iam impulit vitiata: & illum peccare fecit sola peccandi voluptas; nos etiam cogit *S.Prosper. Difficilius nos quam Adamus peccato resistimus.*

pleruumque peccati iam facta necessitas. propter quod Deo clamamus: *De necessitatibus meis libera me.* Psalm. 24. hæc ille. Tam multa sæpius in deteriorem partem referuntur in sacra scriptura de Esau, vt mirandum non sit illud à Domino dictum: *Esau odio habui.* Malach. 1. & ad Rom. 9. Luculente S.Hieron. ad locum Malach. differit de Esau quem Dominus odio habuit (vt loquitur) ex operibus, quia hispidus est, & sanguinarius: venationibus, syluis, & bestiis delectatur. Deus fines Idumææ, hoc est terrenæ; & sanguinariæ ponit in solitudinem, & nihil de terra crescere sinit, & esse perpetuum: & impudens malitia destruitur. hæc ex S.Hieron. Verba Domini per Malachiam hæc sunt: *Dilexi Iacob, Esau autem odio habui, & posui* B *montes eius in solitudinem, & hæreditatem eius in dracones deserti.* cap. 1. Quidni Deo sit exosus Esau, qui (vt animaduertit S.Cyrill. Alex.) idem est atque Latinè, *quercus?* fuit enim durus, & inflexibilis instar quercus. *Edom appellatur*, hoc est terrenus, scilicet terrenis affixus, & qui temporanea, ac peritura spiritualibus bonis stultè antepostuit. hæc ille. Meritò etiam terra vastatur Esau, qui terram ipsam cœlo prætulit. Posita est in cubilia draconum hæreditas hominis truculenti, & sanguinarii, vt suo etiam in prædio, domique suæ plures offendat dracones, à quibus discerptus, suæ feritatis pœnas luat. Qui enim gladio perimit, gladio peribit. Huius etiam odij signum est, quòd in genealogia Christi Domini Matth. 1. nulla Esau mentio fiat: posset enim Euangelista de C Isaac dicere: Isaac autem genuit Esau, & Iacob; quemadmodum paulò inferiùs subdidit: Iudas genuit Phares, & Zaram, licet nec Zaram, nec Esau in serie Auorum Christi Domini fuerit ingressus. Huius tamen discriminis nulla ratio reddi potest aptior, quàm Domini vox: *Esau odio habui*, nimirum propter mores abiectos, qui de homine commemorantur: at nihil simile de Zaram scribitur. Præterea Esau iuxta S.August. *16. de Ciuit.* & S.Ambrof. *in cap. 9. ad Roman.* typum gerebat populi infidelis, atque à Deo, eiúsque fidelibus separati; vnde inter maiores Christi censeri non debuit: at Zaram cum fratre suo Phares in eundem populum coadunatus est.

Psalm. 24.

Malach. 1. ad Rom. 9. S. Hieron. *Esau odiosus Deo ex vitiis moribus.*

Esau terra affixus. Cyrill. Alex.

Malus similis culpa luit pœnam. Matth. 1.

S.August. S.Ambrof. *Esau à genealogia Christi proiectus.*

8. *Iacob autem vir simplex, &c.* Hebr. איש תם D. *Tham* à radice *Thamam* תמם *perficere, consummare.* vnde à nonnullis vertitur: Vir perfectus, iustúsque. Sic etiam Chald. *Iacob erat vir perfectus, minister domus doctrina.* LXX. vt & noster: *Vir simplex* ἄπλαστος *sine dolo, fucóque*, siue *qui nulli nocet.* Sic etiam Matth. 10. *Estote simplices sicut columbæ, prudentes sicut serpentes*, hoc est, habete serpentum prudentiam, sed ea tamen nolite in damnum aliorum abuti. Sic ad Rom. 16. *Volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo.* Nimirùm vt probè noueritis, quid vobis, & aliis expediat, nulli autem sciatis, aut velitis damnum inferre. S.August. approbat simplicem dici, quia sine dolo; sed tamen addit. Quomodo per dolum accepit benedictionem, E qui erat sine dolo? sed ad figurandum magnum aliquid hæc scriptura præmisit. Hinc enim maximè cogimur ad intelligenda isto loco spiritualia, quia sine dolo erat, qui dolum fecit. hæc S.August. *quæst. 74. in Genes.* Procop. ad sinceritatem morum refert, quos nec proprius dolus, & fictio, nec aliorum praua consuetudo infecerat. Simplex (inquit) Iacob, id est, nullo laborabat, vel proprio vel aliunde ascititio malo. Pectore aperto omnia, nec quicquam per simulationem faciebat. Non vult Moyses, vt intelligamus Iacobum fuisse stultum, dum simplicitatem ei tribuit. Quo ore enim

Matth. 10.

ad Rom. 16. *Candor & sinceritas morum Iacob.*

D. August.

Procop.

illum stultum dices, qui tanta solertia paternam benedictionem sibi procurauit? hæc ille. Nec mirum, cur Dominus dixerit: *Iacob dilexi.* Malach. 1. *Est enim cum simplicibus sermocinatio eius.* Prouerb. 3. Vbi venerab. Beda. Sermocinatio Domini cum simplicibus est, quia illos cœlestis sapientiæ secretis illustrat, quos terreni fastus, ac duplicitatis nihil habere considerat. Hinc etenim dicit: *Abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Matth. 11. sic Beda. Iuxta hanc doctrinam simplex, & paruulus idem est in scriptura, atque humilis, qui suis est in oculis paruulus, & simplex, non duplici corde, non inflatus, non tumidus, sed pauper spiritu, atque nihil suo iudicio. Hæc prima virtus inter alias refertur in sanctissimo Iob: Nimirum *vir simplex, & rectus, ac timens Deum* cap. 1. Deinde: *Soror nostra paruula est,* dicebant Angeli de Virgine Dei Matre. Cantic. 8. Non eam quidem paruulam meritis, aut gratia, quibus omnem creaturam superabat, sed paruulam in suis oculis, atque humilem, quæ ancillam se nominabat. *Ecce ancilla Domini.* quam humilitatem Deus ita respexit, ita quodammodo reueritus est, vt ad illam ipso momento descenderit; feceritque magna qui potens est in ea, quæ se paruulam, & ancillam profitebatur. *Ecce* (inquit) *ancilla Domini.* Sed ecce Virgo concipit, & parit Filium Deum pariter, & hominem, qui de ancilla dignatus est facere Dei Matrem, rerum omnium Dominam, & Reginam. Igitur ò Virgo Deipara (vt loquitur S. Athanas. *in Enang. de sancta Deipara*) decet te Matrem regeneratricem Dominam, atque heram cognominari; eo quòd ex te prodiit Rex Dominus, ac Deus noster: assistentem illi nobis quidem terribili, tibi autem dulci, omnémque gratiam largienti. Qua de causa factum est, vt gratia plena appellata sis: vtpote, quæ omni gratia abundares: ideoque *vultum tuum deprecantur omnes diuites plebis.* Psalm. 44. ditati scilicet istiusmodi bonis, & spiritualibus contemplationibus hæc S. Athanas. Mira hæc omnia debemus humilitati Virginis Deiparæ, quæ fundamentum est omnium diuinarum gratiarum, quæ in illam infusæ, dein ex illa in nos perenniter effunduntur: nam de plenitudine Matris Dei omnes nos accipimus.

Prouerb. 3. Beda. Matth. 11. Gratia Dei humilitas. Iob. 1. Cant. 8. Virginis humilitatem Deus est reueritus. Luc. 1. S. Athan. Virgo Mater plena gratiarum. Psalm. 44.

9. *Habitabat in tabernaculis.*] LXX. *οἰκῶν οἰκίαν, inhabitans domum.* Hoc est, rarò foras progrediens, nec venationi, vti frater, dans operam; sed rei domesticæ curam gerens. Hebr. *ioxeb* יֹשֵׁב, *habitans, sedens*; habitare autem accipitur hîc, & alibi frequenter pro manere, & continuò esse. Hinc igitur illa simplicitas, & candor morum, vt bene colligit Procop. ad hunc modum: Causam probitatis, quæ in illo reluxit, imputat viri sinceris, & incorruptis moribus: non enim externas quærebat amicitias: intra suam se continebat domum. Proinde nihil inquinabatur contagiosa reliquorum familiaritate, quę plurimùm etiam generosos mores inficere consueuit. hæc Procop. Typus quidem peregregius religiosorum hominum Iacob habitans in tabernaculis, & non vago progressu per fora, & mortalium consessus passim discurrens. Pudeat nos, qui valere iussimus mundum, & pompas illius, iterum ad laqueos, ad cœnum, ad scopulos remeare, vbi illaqueamur, polluimur, & religiosæ vitæ opes facto naufragio dissipamus. Optime scribit S. Petr. Damian. *Apolog. de cont. secul. cap.* 20. Dauid (inquiens) respexit in solario domus suæ, &c. Si ergo tam sublimis cæli columna propter solam oculorum vagationem grauissimè corruit; quid de nobis infirmis, & paruulis sentiendum, qui per seculum discurrentes nos extra nosmetipsos prorsus educimus? Et visum, atque auditum, omnesque sensus nostros hauriendis mundi vanitatibus occupamus! hæc Damian. Et Græcum etiam Poetam non latuit hæc veritas: canit etiam Hesiod. οἴκοι βέλτερον εἶναι ἐπεὶ βλαβερὸν τὸ θύρηφι *Domi esse melius, damnosum verò foris vagari.* Quocirca celebre illud est, & experientia comprobatur: οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος, *domus amica, domus optima.* At infelicius multo adhuc est, si religiosi, e claustro, è cellula, in principum aulas se conferant pro ambiendis honoribus. Contra quos ita scribit S. Saluian. Illi nouorum honorum religiosi ambitores, & post acceptum pœnitentiæ nomen, amplissimæ, ac prius non habitæ potestatis emptores: adeo non seculares tantùm, sed plus etiam, quàm seculares esse voluerunt, vt non sufficeret eis, quod ante fuerant, nisi plus essent quàm fuissent. sic ille, *lib. 5. de prouid.* Detestãda omnino est in religioso viro, qui cruci Dei sui militat, Episcopatus, præfecturæ, & cuiuscumque honoris ambitio: vt velit in religione assequi, quod in seculo non obtinuisset. Quasi verò pauper, & ignobilis, ad hoc reliquerit seculum, vti diues, & honoratus in seculum redeat, & per humilitatem religionis vanitatem seculi elucretur. Et ne longiùs etiam vagemur ex hoc eodem loco probat idem S. Petr. Damian. *cap.* 2. benedictionem deinde paternam fructum fuisse istius habitationis Iacob in tabernaculis; quam tamen Esau amisit propter illam suam per agros, syluásque euagationem. Sic infit. Iacob nisi in tabernaculis resedisset, proculdubio primitiuæ benedictionis immunis existeret. Esau, nisi peruagus se in exteriora proiiceret, primatus sui priuilegio non careret. Ille domesticæ quietis otium renuit, & Diuina largiente gratia in aliena iura subsiluit: iste venandi labore cõfectus, & hoc quod sibi iure competebat amisit. hæc ille. Discant à Iacobo iuuene quidem nobili parentibus charo, in domo perquam diuite, qui tales sunt conditione, tales esse modestia, & probitate. Domi se teneant, ament secretum, vbi rara est peccandi occasio: ne foras passim egressi hac illac discurrant; vbique enim illecebræ, atque irritamenta scelerum: vbique seditionum, rixarúmque, & sæpius mortis offenduntur pericula. In salo fluctuat, cum procellis, & ferè naufragiis colluctatur, qui passim, ac temerè extra domum vagatur. Deinde quicumque error, culpáve foris admittitur, cum in multorum oculis fiat, & multos habeat testes, turpissime hominem polluit, infamátque grauissimè. Vitat hæc omnia, qui secretum amat. quòd si aliquando, & hic in culpam incidat; famæ vtique periculum haud incurrit. Solet enim (inquit S. Saluian.) res flagitiosa, quando agitur occultè, fidem facinoris non mereri. sic ille *lib. 7. de prouid.* Accipere quoque possumus in mystico sensu Iacobum virum fuisse (vt quilibet iustus esse solet) inuestigatorem sui, ac discussorem: iuxta illud, quod teritur:

Tecum habita, vt noris quam sit tibi curta supellex:

Contrà verò Esau à se prorsus alienum, suique immemorem foràs euagari aliorum erratis studiosè venandis occupatum. De hoc argumento illud tantum hîc subiiciam ex S. Prosp. *lib. 2. de vit. contempl. cap. 6.* Tandiu quis peccata sua, quæ nosse ac deflere debet, ignorat; quandiu curiosè aliena considerat. Quòd si mores suos, ad seipsum conuersus, aspiciat, non requirit, quod in aliis specialiter reprehendat; sed in seipso, quod lugeat. sic ille. Sunt qui dicant Iacobum adiisse literarias scholas sub rege, sacerdotéque simul Melchisedech,

Procopius. Amãs secreti vir religiosus. Periclitatur extra claustrum religiosus. S. Petr. Dam. Periculosus mundi aspectus. Hesiod. S. Saluian. Honorũ ambitio dedecet religiosos. Religione mundum lucrari. S. Petr. Dam. Claustrũ religiosis vtile. Modestia & secreti amor in iuuenibus. Periculosus per vrbem discursus. In secreto casus rarus, & nulla infamia. S. Saluian. Sui immemor aliorum vitas discutit. S. Prosper. Deflens propria non inquirit aliena vitia.

dech, sed nullo fundamento. Malim conijcere senis Abrahæ, & patris Isaac disciplinæ operam dedisse, quod fortasse innuit Chald. qui exponit vt præmisimus, fuisse ministrum domus doctinæ, hoc est, auditorem sapientiæ. Nec mirum, si mores habuerit ita compros, & suaues, qui politissimo excolendi animum disciplinis studio vitam addixisset. Quod si verum est, hæc summâ vtique scholarum, & gymnasiorum antiquitas habetur.

Iacob doctrinæ studiosus.

Antiquitas scholarum.

10. *Isaac amabat Esau, &c.*] Ita plerumque fit, vt parentum amor erga filios diuidatur, dū alter alterum impensius diligit. Sic Isaac propensior erat in Esau filium; Rebecca verò in Iacob: sed Matris amor multò sanior extitit, quippe cum illa teneriùs filium diligeret, eo quòd meliùs moratum videret, & moribus valde amabilem, tum (B) etiam (vt S. Cyrill. obseruat.) propter assiduam cum ea consuetudinem, quia domi commorabatur; tum propter diuinas promissiones ei factas. sic ille. Quod etiam Procop. ita inculcat. Rebecca amore prosequitur Iacobum; eum amorem generabat assidua familiaritas. Iacobus enim nunquam deserebat domum: sed vsque cum matre in domo conuersabatur. Prætereà Rebeccæ amorem quoque mouebant oracula, quæ de Iacobo prolata erant; cum ipsa Deum consuleret grauida. Præcipuè verò fuit causa, quam iustis adesse semper confitendum est, id scilicet euenisse Numinis voluntate. hæc Procop. Ita quotidie videmus, vti matris, quàm patris, in filiuoi amor prudentiùs, (C) & sanctiùs collocetur; mater enim indolem, mores, pietatem, modestiam filij respicit: Pater secularia studia, corporis habitum, bellicos animos, industriam, & curam rei familiaris, & pecuniæ in filio quærit, & commendat. Mater hæc in delicijs habet filium, quem domi secum retinet, vitæ prorsus inculpatæ laude conspicuum. Sic in religione, qui claustrum amant, ac domi manere potiùs, dulciúsque habent, vti puriùs & sanctiùs viuunt, ita pluris æstimantur, quàm qui domesticum perosi secretum, & septum, foras egredi, & circumcirca cursare gestiunt. Enimuerò illorum absentium, & latentium fama religionem egregiè commendat: istorum in publica prodeuntium præsentia, & consuetudo nonnunquam ipsam religionem infamat, aut saltem minùs commendabi- (D) lem reddit. Quin etiam hoc idem vni eidémque aliquando viro iusto & religioso contingit, vt disertè scribit S. Petr. Damian. *Apolog. de cont. secul. cap. 26.* in hunc modum. Apud quosdam absentis monachi autoritas grauis est: si autem præsens affuerit, nullius iudicatur esse momenti. Sæpè cuiuspiam venerabilis viri literis reuerentiæ honor impenditur, personæ, si adsit, indeuotiùs exhibetur. Ita Damianus: probátque egregia similitudine, ita progrediens Apud seculares, religiosus veluti pictura est: pictura, si procul assistat, inbianter, & cum auiditate perspicitur; si iuxta sit, con- (E) temptibilis iudicatur. Et spiritualis quisque carnalibus, absens quidem timori, præsens autem videtur esse despectui: quod & Apostolus sibimet contigisse testatur, cum ait: *Epistolæ graues sunt, & fortes: præsentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis.* hæc Petr. Damian. Quod etiam probat euenisse Christo Domino apud Herodem, *qui* (vt scribitur) *erat cupiens ex multo tempore videre eum, eo quòd audiret multa de eo* Vbi autem illum ante se vidit, spreuit, & illusit veste indutum. sic ex Damian. Etiam ad nominis, ac virtutis famam valde conducit religioso viro domi se continere, rarò, aut ounquam egredi, & videri; absentis enim fama solum euulgat, quod sanctum, & commendabile narratur; at præsentia deteguntur, & videntur, siqui defectus in homine insunt. Et (quæ hominum est malignitas) vehementius offendit quodlibet, vel tenue vitium, quam virtutum multarum ornamenta conciliant.

S.Cyrill.

Procop. *Matris, quā patris amor in filium amnior interdu.*

Religiosi domi manentis commendatio.

Extra claustrum periclitatur religiosus.

S Petr. Dam. *Religiosi famæ, quàm aspectus laudabilior.*

Pluris fit interdum absens, quàm præsens.

1.Cor. 10.

Christus ab Herode spretus.

Lucæ 23.

Præsentia deteguntur vitia.

11. Sed cur Isaac Iacobum, tam egregijs splendentem moribus non præcipuè adamauit? Respondet perquàm apposite Procop. Vt Iacob (inquiens) emicans probitas non educationi patris accepta ferretur; sed appareat, eum sua sponte æqui, iustíque fuisse amantem, hæc accidere voluit Deus, vt cognosceretur tandem, etiam ipsam benedictionem non paternæ educationis, sed Diuinæ prouidentiæ fuisse opus. Hinc factum est, vt Isaac ignarus doli, qui parabatur, benedictione (B) euexerit Iacobum. hæc Procop. Vide hic patrem incuriosum educationis filiorum, matrem verò ita studiosam, vt magna ex parte adscribi debeat morum integritas Iacobi bonæ, & diligenti institutioni matris Rebeccæ. Simul etiam expende, quantum conferat ad honestam filij vitam piæ matris cura, & instructio: etiamsi absit, aut præsentia patris, aut diligentia. In quem sensum videtur loqui regius Vates, cum Domino ita inquiens: *O Domine, quia ego seruus tuus sum; ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Psalm. 115. vbi S. Hier. Grande meritum esse seruum Dei. sic ille. Quod beneficium Propheta Deo acceptum refert, & calicem, & inuocationem, & gratiarum actionem pro illo pollicetur. Profitetur enim (obseruat Ca- (C) iet.) supra sua merita Diuinum beneficium; dum profitetur bis se seruum Dei, nec solùm seruum, sed filium seruæ Dei: vt etiam se natum seruum profiteatur; partus enim sequitur ventrem. ita Caietan. Ac fortasse idcirco, tam gratum se Deo præstat, quia talem sibi diuinitus concessam matrem habuerit, quæ serua Dei esset, monitisque & pijs institutionibus Filium Dei seruum effecerit. Ergo in laudes Domini totum sese, commemorans hoc beneficium, effundit: contra verò de patre Iesse mentionem faciens, omninò etiam in laudes Domini, & cantus solitos conticescit: sic enim concludit psalmum septuagesimū primum, qui postremus omnium putatur: *Defecerant laudes David filij Iesse.* Quasi dicat: Mea lyra, cantus mei, (D) mea rerum Diuinarum cognitio, mea in Deum propensio, & amor, parum quidem, aut nihil debent patri meo, multum verò matri; non ille, sed ista me in seruum & Prophetam Dei instituit. Quare mei psalmi, cantúsque defecerunt, non quia filius ancillæ Domini, sed quia filius Iesse patris fuerim. Sed quid est, quod Isaac teneriore affectu filium Esau dilexerit? Respondet Procop. Homo profectò erat Isaac, licet fuerit iustus. idem ita S. Cyrillus subnotauit. Isaac præcipuè diligebat Esau, vt hinc discamus viros illos, quamuis pios, tamen homines fuisse, &c. Quasi dixerint, Isaac non inductum prudentioribus, & sanctiori- (E) bus rationibus ad hunc amorem, sed humanis tantùm, ac minùs laudabilibus; nimirùm quia non respiciebat mores, nec ingenium filij planè indignum teneriore illo affectu, sed tantummodo, quia primogenitum, & quòd edulia sibi grata ministraret impensiùs illum amabat. Hoc ipsum videtur subnotasse diuinus scriptor, vt subtiliter Rupertus colligit hisce verbis: Notandum, quia differt vtriusque dilectionis enunciatio: absolutè namq; scriptura dicit: *Rebecca diligebat Jacob.* coniunctè verò, *Isaac* (inquit) *amabat Esau*: subnectit enim causam; *eo quòd de venationibus eius vesceretur.* ergo idem est, ac si hoc solū diceretur: Isaac de venationibus Esau libenter vescebatur. Nec hoc

Procop. *Iacob virtus Deo, non patri debetur.*

Potens institutio filij à matre.

Psalm. 115. D. Hieron.

Caietan. *Magna laus esse Dei seruum.*

Deo donum bona mater.

Psalm. 71.

Dauid suam matrem non patrem commendat.

Procop.

S. Cyrill.

Rupertus.

dicto consequitur, quòd moribus quoque eius delectaretur; sicut de Iacob necessariò conceditur, quem absolutè Rebecca dilexisse narratur. sic ille. Itaque Iacob verè, ac directè amabatur, quia virtus per se expetenda, & amabilis est, etsi ab ea nullum foret humanum emolumentum capiendum: at Esau, vti quilibet alius eiusdem notæ, si quandoamatur, non nisi ex aduerso, atque indirectè, ob aliquem inde prouentum diligi potest. Quis enim directò diligat agrestem, ferum, inurbanum, & terræ filiumque quod ita Procop. dispungit. Bonus per se expetitur: sed malus ob commoda, quæ ab ipso proueniunt, amatur. Sic Isaac dilexit Esau, non ipsum per se, sed ob venationem, quia pascebat, & oblectabat grandæuum patrem. hæc ille.

Bonus per se amatur, malus ob aliud.

Procopius.

12. Ita vsu plerumque venit, vt senes, ægri, quique suam carnem delicatiùs curant eos vel filios vel famulos, præcipuo in amore habeant, quos sibi vident ad curandum corpus studiosiùs, ac vigilantiùs inseruire. Quod quidem potiùs est amor sui, quàm alterius. Hac etiam ratione fit, vt verus amor non sit in eo qui libidinosè mulierem deperit; seipsum enim ille, & corpus suum, & carnis suæ voluptatem amat, quam ex consortio mulieris capeat: non verò illam, quam polluit, quam reddit vilem, atque infamem, & quam solius voluptatis sordidæ causâ ambit, persequitur. Denique Isaac diligebat filiũ Esau, ob solum cibi ministerium: at ipse Deus amabat seruum suum Iacob alius quoque cibi ministrum, vt obseruat S. Cyril. Alex. hisce verbis: Israel superna, Diuinàque dilectione dignus habitus est, cum legis obseruantiam veluti quendam cibum Deo offerret. sic ille, *lib. 9. in Genes.* Nostris enim Deus obsequiis, vti epulis, recreatur. Quæ verò fuerit in Esau ad recreandum patrem diligentia, ex verbis Hebræis optime colligitur: sic enim habent: *chisàid bephiu* כִּי צַיִד בְּפִיו *quoniam venatio in ore eius*, ac si dicat: Quotidie Isaac carnes ferinas habebat, quibus libenter vescebatur, & quas Esau venabatur portans ad os patris. Fortè non modò venando captabat carnes sed eas quoque, vel sua, vel aliena cura paratas in cibos, in patris ora inferebat. Cæterùm licet ex hoc aliqualem Esau laudem mereatur, quòd patri alendo, & recreando studium adhiberet, quia tamen in cæteris vitiosus erat, ideo carnalium hominum, vti Iacob spiritualiũ, exemplar extitit. Qua de re ita S. Greg. 5. moral. 7. Quid per venationem Esau, nisi eorum vita figuratur, qui in exterioribus voluptatibus fusi carnem sequuntur? Qui etiam agricola describitur, quia amatores huius sæculi tantò magis exteriora colunt, quantò interiora sua inculta derelinquunt. Iacob verò vir simplex in tabernaculis, vel in domo habitare perhibetur, quia omnes, qui in curis exterioribus spargi refugiunt, simplices in cogitatione, atque conscientiæ suæ habitatione consistunt. In tabernaculis enim, aut in domo habitare, est se intra mentis secreta restringere; & nequaquam exteriùs per desideria dissipare, ne dum ad multa foris inhiant, à semetipsis alienati cogitationibus recedant. hæc S. Greg. Proh infelicem, qui sui oblitus aliena insectatur, & se alienus ad aucupanda, quæ saluti propriæ sunt aliena foris peruagatur: longè verò felicem qui illud diligenter exequitur! Attende tibi.

Amor commodum, aut voluptatem propriã quærens, non est verus amor.

Amor meretricius non est verus amor.

Cyrill. Alex.

Hominis obsequio Deus pascitur.

S. Gregor. *Exteriorib. addictus sui obliuiscitur.*

Inutiles curæ abijciantur.

13. *Coxit Iacob pulmentum, &c.*] En qualem fructum ex sua venatione, & continuo discurrendi, vagandique per agros, & saltus studio collegit Esau. Rediit domum ab agro fessus, & fame confectus. Malo autem (inquit Procop.) defectio illa noxia est. Videlicet, quia se gerit impatienter dum vel tantulam corporis molestiam ferre non vult; sed vt illam defugiat, nihil pensi habet quodcunque aliud licet honoris, & virtutis dispendium subire. Contra vero iusti in fame, & siti, in frigore, & nuditate constantes, ac læti vitam trahunt, vt in sua patientia possideant animas suas. Esau non curat patientiæ lucrum, sed ventris edulium. Vide hominis voracitatem. Hebr. habetur: הַלְעִיטֵנִי נָא מִן הָאָדֹם הָאָדֹם הַזֶּה *Fac me vorare de ruffo, ruffo isto.* Nesciebat fortasse, quænam illa coctio; quam russam appellat, aut quia lenticulæ Ægyptiæ erant rubicundæ, aut quia pulmentum illud rubro pigmento conditum fuerat. Duplicatio autem illa de russo, russo isto, vehementem insinuat appetentiam. Hinc etiam vocatus est Edom, quòd rubedinem significat. Benè Procop. figuræ arcanum explicat, hoc modo: Esau exemplar extitit Iudaici populi. Esau nomen designat quercum, quo nomine illius durities rigidum quoque, & intractabile significatum est ingenium. Proinde dominus ad Israelitas ait: *Noui quod durus es, & neruus ferreus est ceruix tua, & frons tua est ænea.* Esau præterea Edom dicitur: rubedo siquidem significat iram, & feruorem. Erat hirsutus, & hispidus, quo referebat imaginem belluæ. Iudaicus enim populus erat ferocior, & truculentiæ deditus, qua impulsus Sanctos, & Prophetas violauit, postremò contrucidauit quoque vitæ Auctorem. hæc ille. Ingluuiem suam ampliùs indicat in verbo לעט *lagat*, quo ferinum quoddam comedere significatur: nec enim aliter quàm bestia ad pastum abiecta, intemperanter, ac fœde cibos vorabat. At ab helluone quid mali timendum non est? Cæterùm quod attinet ad illam etymologiam nominis Esau, non video vnde Procop. quercum eliciat. Non enim alia radix apparet, quàm *ghasah* עשה *facere, operari*; atque adeò Esau videtur esse *faciens, operans.* Sed quid est, quod primogenituram Esau vendidit, & Iacob emit? Dicam in primis, quodnam fuerit ius primogenituræ. Et quidem non constat simul cum primogenitis sacerdotium connexum inueniri; nec illud astruentes ex Diuinis literis possunt confirmare. Videmus enim Abelem, & Abrahamum sacerdotes, & Deo sacrificasse, cum tamen primogeniti non fuerint: deinde Manue iussum ab Angelo sacerdotis ritu sacrificare, cum tamen esset de tribu Dan, non autem ex Iuda, in qua residebat ius primogenituræ. Boni quidem autores arbitrantur primogenitis ius sacerdotij competiisse, sed nullo persuadent alio fundamento, quàm quòd ita legunt in traditionibus Hebræorum, quæ non semel vanæ, & futiles, vt hoc loco per sacerdotium Abelis, & Abrahæ refelluntur. Quapropter illa etiam euanescit quæstio. Num Iacob simoniam admiserit, cum rem spiritualem, hoc est, sacerdotium annexum primogenituræ coëmerit. Itaque priuilegia primogenituræ in lege naturæ tantùm hæc ex sacra Scriptura colliguntur. Primò, in mensa locus dignior, vt constat ex *cap. 43 Genes.* Secundò, ciuilis principatus in fratres, & successio in patriam dignitatem, ita qua primogenitus cæteris erat loco patris, ita vt coram eo se inclinarent. *infra cap. 27.* & eum vocarent dominum, quo nomine Iacob fratrem suum maiorem Esau compellat. *infra 32.* Qua prærogatiua spoliatur Ruben, & ea transfertur in Iudam. *infra 49.* Tertiò, vt vult Theodor. q. 77. in patris hæreditate primogeniti primam, & duplicem portionem capiebat. Quartò, pater moriturus primogenito benedictionem impendebat. *infra cap. 27.*

Malus est impatiens.

Procopius.

Bonus est patiens & constans.

Ingluuies Esau.

Procopius.

Iudæorum durities.

Isaiæ 48.

Iudæorum crudelitas.

Sacerdotium non erat annexum primogenituræ.

Priuilegia primogeniti.

14. Statuo igitur vt certum non peccasse Iacob cum

cum primogenituram coëmit; nouerat enim ex matre sibi a Deo constitutum primogenituræ priuilegium; quod oraculum neuter Isaaco reuelauerat, ne mœrore pater filium Esau tenerius diligens, afficeretur; nec etiam Esau, quem timebant iræ impotentem aduersus fratrem sibi diuinitus prælatum exemplo Caini insurrecturum.

Iacob nec iniustus, nec simoniacus.

Nunc verò Iacob opportunitatem nactus vindicandi, confirmandique iuris sui per spontaneam fratris cessionem, diuinitus oblatum auxilium non neglexit. Vnde nulla fuit iniustitia suum ius repetere, & à violento retentore, etiam adhibito pretio ad redimendam sui vexationem, primogenituræ sibi à Deo concessæ pacificam possessionem comparatam extorquere. Ex quo ampliùs sequitur, cum propriè, ac formaliter (vt vocant) coëmptio non extiterit, etiamsi cum primogenitura, quicquam spirituale coniunctum esset, nulla ratione simoniam intercessisse. Addit vlteriùs peregregiè

Procopius.

Procop. non modò non iniustum fuisse Iacobum in fratrem Esau, cum illi primogenituræ ius præripuit, sed illi etiam magnopere profuisse. sic ait. Non vt malus, & fraudulentus quispiam, Iacob

Esau stultissimus venditor.

primogenituræ priuilegia mercatur. Nouerat enim fratrem illo priuilegio esse indignum, quod adeo despexit, & vilipendit, vt illi præferret pultem lentium. sic ille. O mortalium dedecus, ac labem: ipsam planè stultitiam! Tantum bonum nihili pendit! amplissimam dignitatem simul cum opum exuberantia coniunctam vno, vilique cibo stultissimus venditor commutat! Hanc in fratre stultitiam iam satis expertus Iacob, bene ipsi consuluit primogenituræ, cum eam ab indigno, & stulto vendicauit.

Stultitia primogenit.

Alteram quoque subiicit causam

Procopius.

in hunc modum: Deinde sciendum est diuitias, maximum esse momentum malo ad peccata committenda. Maximè igitur necessarium arbitratus est Iacob illum bonis exuere, vitiorúmque materiam, & fomenta subtrahere, animúmque ferocem, & intractabile ingenium corrigere, & ad meliores reducere mores. Non igitur obsuit fratri, sed magis profuit. Quòd verò cessit Esau iure primogenituræ oblectatus lentium esca, magnum satis argumentum est, ipsum meritò excidisse primogenituræ beneficiis. hæc Procop.

Diuitiæ vitiorum fomenta.

Grande beneficium misericors Deus illi confert, quem nouit indignum gradu aliquo, & dignitate, si illum obtento iam honore spoliat, aut ne obtineat, omnino impedit: videlicet gladium puero adimit, quo se interficiet.

Remouendus à prælatura indignus.

Quid enim infelicius, atq; prælatum (de principe, de iudice idem dicendum) tali munere indignum præfici? Nihil est enim (scribit S. Hildebert. *Epist.* 38.) ei cum prælati officio, cui nec, mores ad exemplum, nec ad doctrinam scientia suffragatur. Cæteris præsidet ad dispendium sanctimoniæ, non ad iudicium culpæ. sic ille.

In prælato virtus & doctrina exigitur.
S. Hildebert.

Profuit Iacob stulto fratri, cum ab eo dignitatem subripuit; nihil enim periculosius dignitate, ac felicitate seculi, quam etiam iustus ac prudens sibi timet. Vnde illud optimè dictum est à S. August. magnæ virtutis est cum felicitate luctari, ne illiciat, ne corrumpat, ne ipsa subuertat felicitas. Magnæ inquam virtutis est cum felicitate luctari; magnæ felicitatis est à felicitate non vinci. *serm.* 13. *de verbis Domini cap.* 6.

D. August.
Felicitas homini periculosa.

In hac lucta victi, & collapsi perierunt Saul, Salomon, Roboam, aliique plures; & fortè de ipsa conquestus Dauid ait: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Psal. 68.

Psalm. 68.

Esau autem stultitia planè fuit insignis: etsi enim bona fide putaret Ius suum se posse vendere; detestanda tamen hominis est imprudentia pariter atque impudentia, quòd rem tantam, tam spectabilem, tam pretiosam ita contempserit, vt & vili pretio vendiderit, & vendidisse nihil pensi habuerit. Bene S. Chrysost. Ingratus (inquit) erat, atque indignus ea, quam sibi natura dederat, dignitate: abiit paruipendens, quòd primogenita vendidisset: hoc factum est, vt illius demonstraretur ingratitudo. Hæc autem audientes discamus, nunquam negligere dona à Deo nobis data; neque perdere magna propter parua, & vilia, vt regnum cælorum propter hæc momentanea. hæc S. Chrysost.

D. Chrysost.
Ingratus Deo ipsius dona negligit.
Stultus cælo terram præfert.

Meritò Deus primogenituram abstulit Esau, vtpote indigno; nec enim pro illa gratias agebat, nec illam qualis erat, æstimabat. Contra verò primogenitum Iacob nasci Deus noluit, sed illi postmodum illam dignitatem est elargitus, vt ille non huiusmodi beneficium naturæ, sed Dei esse intelligeret, Deoque se gratū semper exhiberet: atque adeo pluris faceret, quod cum aliquali sua industria, maioréq; ope Diuinæ gratiæ comparauerat.

Pluris fiunt, quæ cum labore acquiruntur.

15. Iure optimo Apostolus vocat Esau profanum. *Ne quis (inquiēs) fornicator, aut profanus, sicut Esau, qui propter vnam escam vendidit primogenita sua.* Ad Hebr. 12. Græcè βέβηλον quod propriè significat arcendum à sacris propter impuritatem.

ad Hebr. 12.

Quid enim magis profanum, atque impurum eò homine, qui lentis edulium primogenituræ anteposuit? *En morior* (inquit) *quid mihi proderunt primogenita?* Hebr. additur *zeh* זה *hæc primogenita.* Quod quàm emphaticè dicatur, ita dispungit Procop. Non simpliciter dicit: *Quid mihi cum primogenitura?* sed addit: *Quid mihi cum primogenitura hac?* scilicet, quæ ad virtutem ducit, & beatitudinem elargitur. Sunt mihi alia his multò (quasi diceret) excellentiora bona: voluptas, cupiditas mala, intemperantia, & auaritia, & quæcunque his sunt affinia. hæc ille.

Procopius.
Odium bonorum cælestiū in peccatoribus.

Carnalis Esau, vt vocatur à sanctis Patribus, qui vnius cibi tam vilis tam breuem voluptatem tanti æstimat, eos significat (inquit S. August.) qui carnaliter viuunt, carnaliter credunt, carnaliter sperant, carnaliter diligunt. *serm.* 44. *de diuersis, cap.* 13. iccirco bene de stultitia Iacob ita Procopius progreditur. Quapropter & infertur: *Et contempsit ceu rem malam Esau primogenituram.* auersatur verò hanc, vt ciuilis agrestem, & vicissim, vt agrestis ciuilem, quorum nec consilia, nec facta conuenire possunt. Nulla enim societas harmoniæ est cum eo, quod harmoniam fugit. Hinc primogenituram, ceu rem promercalem fœdè nundinatus est. Igitur acceptis carnalibus, tradidit spiritualia, scilicet primogenituram Iacobo. hæc Procop.

Carnales in Esau figurātur.
D. August.
Procopius.
Non conueniunt spiritualia. & carnalia.

Dicit spiritualia, quia licet ipse ignorauerit, cum primogenitura multæ erant coniunctæ benedictiones rerum spiritualium. Hæc est improborum stultitia: cum viuant vitam moribus pecorinam, quicquid supra carnem & carnis illecebras assurgit, aut nesciunt, aut execrantur.

Carnalis spiritualia vel nescit, vel odit.

Cæterùm (vt bene S. Ambros. *lib. de Isaac. c.* 1. animaduertit) segregare se à voluptatibus carnis, & eleuare mentem, hoc est, se hominem cognoscere. sic Ambros. Hominis enim portio nobilior est anima immortalis, cognata Angelis, & nata videndo, fruendóque Deo; vilior pars est corpus à natura, & affectionibus bestiarum nihil discrepans.

S. Ambros.

Vide quàm dispares ingenio, vitáque fuerint gemini isti fratres? Esau enim (vt bene obseruat idem Procop.) ruri agebat, & venatu gaudebat: Iacob erat ciuilioris vitæ studiosus, aditu facilis, amicus, & beneuolus omnibus, sincerus, domum inhabitans: ille erat intemperantiæ obnoxius, & parua solebat comparare magno: hic verò erat insatiabilis amator ipsius boni, & ea, quibus quotidie euaderet melior, summo inquirebat studio. Vendebat

Procop.
Esau & Iacob moribus dispares.

hic

hic cibaria, quibus venter pascerentur, & saturaretur: ille emebat. Quapropter non abs re inuenit nomen Esau, vtpote terrenus existens. Hinc motus Apostolus non dubitat eum appellare scortatorem, & prophanum hominem. hæc ille. Sunt autem egregia, viuáque exemplaria, Esau carnalium, & improborum; Iacob bonorum, & spiritualium hominum: illi spreta re omni seria, honesta, & sancta, quicquid ludicrum, inane, voluptuosum, turpéque est, amplectuntur: isti terram cum omnibus bonis suis cælo, & saluti æternæ posthabere summam ducunt prudentiam. De hoc discrimine disserens S. Ambros. arbitratur Esau ignauia & stultitia iacturam fecisse sui principatus: at Iacobum illum emeruisse, quia virtutis exercitatione sese commendarat. *lib. 1. de Abel, cap. 4.* Docet (inquit) scriptura Esau cognomine stultitiæ virum cessisse patienter primatus suus fratri suo Iacub, vt diceret: Vt quid mihi primatus? Sed quos iste posthabuit, hos vir cognumento exercitationis præditus quæsiuit mereri. Nónne tibi videtur Esau tanquam in agone victus, & propriæ mentis infirmitate imparem se existimans, cessisse victori coronam, quem videbat nullis passionum illecebris inflecti, quarum ipse puluerem sustinere non poterat? Apud ignauos enim nulla sunt insignia virtutis. hæc S. Ambros.

Discrimē inter carnales & spirituales. — S. Ambros. — *Ignaui virtutē Deumque amittūt.*

16. En quantum vel tenuis esca auidiùs concupita intemperanti homini nocuit! Hinc illud S. Aug. *Epist. 86.* Esau nepotem scil. Abrahę vsque ad contemptum sacramenti, quod in primatu suo habuit, concupita esca damnauit. sic August. Videas etiam vitium gulæ interdum in vilioribus cibis immoderatiùs appetendis deprehendi. quod S. Gregor. *lib. 30. moral. cap. 27.* sic euoluit. Aliquando abiectum est, quod gula desiderat, & tamen ipsu desiderij æstu deteriùs peccat. Hinc Esau primogenita amisit, quia magno æstu despicabilem cibum, id est, lenticulam concupiuit, quam dum vendendis etiam primogenitis, quo in illam appetitu anhelaret indicauit; neque cibus, sed appetitus in vitio est. Hinc diabolus, quia non cibum, sed concupiscentiam causam esse damnationis intellexit, primum hominem non carne, sed pomo subdidit, & secundum pane tentauit. hæc S. Greg. Et quidem abiectiùs, ac turpiùs vincimur, quem vilioris cibi appetentia deprimit; quemadmodum (vt alibi ex S. Chrysost. retulimus) fœdior ebrietas est vino pessimo pessundari, & damnabilior libido deformis, abiectæque mulierculæ amoribus inquinari. Quòd si tantùm nocuit vna lanx pultis lenticularum; quid non malorum timeri potest, ex mensa multarum, & lautissimarum dapum: vbi conuiuium (inquit Clemens Alex. 2. *pædag. cap. 4*) est ebrietatis theatrum? Vbi (vt scribit S. Cyprian. *Epist. 2. ad Donat.*) impletur in succum cibis fortioribus corpus, & animæ toris membrorum moles robusta pinguescit, vt saginatus in pœnam carnis pereat. sic Cyprian. O egregiam primæuo tempore Christianæ gentis temperantiam! Scribit enim Tertul. *Apolog. 39.* Editur (inquiens) quantum esurientes capiunt: bibitur, quantum pudicis est vtile. Ita saturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse. sic ille. Sic planè comedendum; tam parce, tam temperanter, tam purè, sanctéque, vt cōmodissimè à mensa ad templum, à cibo ad orationem assurgere possimus. Enimuerò Manna in vnumquemque diem tantummodo colligi poterat: nimirùm (quod obseruat S. Gregor. Nyss.) vt probè teneamus vnam esse communem in omnibus edendi mensuram, diurnam sufficientiam. ita Gregor. in vita Moys. Itaque edendum est, & quidem parcè, quantum sat erit ad sustentandam vitam vno die: non autem sic voracitati plurium epularum incumbendum, ac si semel ederetur in totam vitam: aut nunquam ampliùs esset edendum iuxta illarum pecudum consilium: *Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur.* Isaiæ 22. Denique (vt concludamus cum S. Ambros.) à temperantia profectus Iacob, sanctus, primatus à fratre, quos non habebat, accepit; eiúsque prælatus assensu docuit in reliquum intemperantes propriu sibi viles esse iudicio. sic S. Ambros. *lib. 1. de Iacob & vita beata cap. 2.* Nihil magnum, & serium expectari potest de helluonibus.

D. August. — S. Greg. — *Nō cibus, sed appetitus in vitio est.* — *Turpiùs à vilioribus vincimur.* — D. Chrysost. — Clem. Alex. — *Conuiuiū periculosū corpori & animæ.* — S. Cyprian. — Tertul. — *Qualis temperantia Christiani in mensa.* — S. Greg. Nyss. — *Mensa, qualem necessitas exigit.* — Isaiæ 28. — S. Ambros. — *De helluonibus nihil magnum expectandum.*

CAPVT VICESIMVMSEXTVM.

1. Orta autem fame super terrā, post eam sterilitatem quæ acciderat in diebus Abrahā, abiit Isaac ad Abimelech regem Palæstinorum in Gerara.

2. Apparuítque ei Dominus, & ait: Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra, quam dixero tibi.

3. Et peregrinare in ea, eróque tecum, & benedicam tibi: tibi enim & semini tuo dabo vniuersas regiones has, complens iuramentum quod spopondi Abraham patri tuo.

4. Et multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli: dabóque posteris tuis vniuersas regiones has: & BENEDICENTVR in semine tuo omnes gentes terræ,

5. eò quòd obedierit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta & mandata mea, & ceremonias legésque seruauerit.

6. Mansit itaque Isaac in Geraris.

7. Qui cùm interrogaretur à viris loci illius super vxore sua, respōdit: Soror mea est. timuerat enim cōfiteri quòd sibi esset sociata cōiugio, reputans ne fortè interficerent eum propter illius pulchritudinē.

8. Cúmque pertransissent dies plurimi, & ibidem moraretur, prospiciens Abimelech rex Palæstinorum per fenestram, vidit eum iocantē cū Rebecca vxore sua.

9. Et accersito eo, ait: Perspicuum est quòd vxor tua sit: cur mentitus es eam sororem tuam esse? Respondit: Timui ne morerer propter eam.

10. Dixítque Abimelech: Quare imposuisti nobis? potuit coire quispiam de populo cum vxore tua, & induxeras super nos grande peccatum. Præcepítque omni populo dicens:

11. Qui tetigerit hominis huius vxorem, morte morietur.

12. Seuit

12. Seuit autem Isaac in terra illa, & A inuenit in ipso anno centuplum: benedixitque ei Dominus.

13. Et locupletatus est homo, & ibat proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est:

14. habuit quoque possessiones ouium & armentorum,& familiæ plurimum. Ob hoc inuidentes ei Palæstini,

15 omnes puteos, quos foderant serui patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt, implentes humo:

16. in tantum, vt ipse Abimelech diceret ad Isaac: Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valdè. B

17. Et ille discedens, vt veniret ad torrentem Geraræ, habitarétque ibi:

18. rursum fodit alios puteos, quos foderant serui patris sui Abraham, & quos, illo mortuo, olim obstruxerãt Philistiim: appellauitque eos eisdem nominibus quibus ante pater vocauerat.

19. Foderúntque in Torrente, & repererunt aquam viuam.

20. Sed & ibi iurgium fuit pastorum Geraræ aduersus pastores Isaac, dicentiũ: Nostra est aqua. quam ob rem nomen putei, ex eo quod acciderat, vocauit Calumniam. C

21. Foderunt autem & alium: & pro illo quoque rixati sunt, appellauítque eum, Inimicitias.

22. Profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt: itaque vocauit nomen eius, Latitudo, dicens: Nunc dilatauit nos Dominus, & fecit crescere super terram.

23. Ascendit autem ex illo loco in Bersabee,

24. vbi apparuit ei Dominus in ipsa nocte, dicens: Ego sum Deus Abrahã patris tui, noli timere, quia ego tecum sum: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum propter seruum meum Abraham.

25. Itaque ædificauit ibi altare: & inuocato nomine Domini, extendit tabernaculum: præcepítque seruis suis, vt foderent puteum.

26. Ad quem locum cùm venissent de Geraris, Abimelech, & Ochozath amicus illius, & Phicol dux militum,

27. locutus est eis Isaac: Quid venistis ad me, hominem quem odistis, & expulistis à vobis?

28. Qui responderunt: Vidimus tecum esse Dominum, & idcirco nos diximus: Sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus,

29. vt non facias nobis quidquam mali, sicut & nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus quod te læderet: sed cum pace dimisimus auctũ benedictione Domini.

30. Fecit ergo eis conuiuium, & post cibum & potum

31. surgentes manè, iurauerunt sibi mutuò: dimisítque eos Isaac pacificè in locum suum.

32. Ecce autem venerunt in ipso die serui Isaac, annunciantes ei de puteo quẽ foderant, atq; dicentes: Inuenimus aquã.

33. Vnde appellauit eum, Abundantiam: & nomen vrbi impositum est Bersabee, vsque in præsentem diem.


34. Esau verò quadragenarius duxit vxores, Iudith filiam Beeri Hethæi, & Basemath filiam Elon eiusdem loci:

35. quæ ambæ offenderant animum Isaac & Rebeccæ.

SECTIO PRIMA.

Orata autem fame super terram, post eam sterilitatem quæ acciderat in diebus Abraham, abijt Isaac ad Abimelech, &c. vsque ad *vxore sua.*

Terra tentationum locus.

1. ERRA (vt experimur) perpetuę luctæ, ac tentationis locus est; ne quis miretur eam, in qua Abraham, & Isaac sanctissimi commorabãtur, seuerissimo flagello famis diuinitus torqueri. Duplex quippe fames fuit tempore Abrahæ, vt ex *cap.* 12. *&* 21. constat: & post secundam intercesserunt centum ferè anni, vsque ad istam, quæ successit tempore Isaac, de qua nunc sermo est. Non casu hæc, & similia contingunt; cum ne folium quidem arboris citra Dei prouidentiam, aut moueatur, aut decidat; habet enim mundus vigilantissimum, & sapientissimum rectorem Deum de quo ita eleganter scribit S. Saluianus. *lib.* 1. *de prouid.* Sicut nauigans gubernator nunquam manum suam à gubernando, sic nunquam penitus curam suam Deus tollit à mundo. Ac sicut ille, & auras captans, & D saxa vitans, & astra suspiciens totus est simul tam corporis, quàm cordis officio operi suo deditus: ita Deus noster ab vniuersitate omnium rerum, nec munus dignantissimæ visionis auertit, nec regimen prouidentiæ suæ tollit, nec indulgentiam benignissimæ pietatis aufert. hæc ille. Inuigilat quidem inconniuenti oculo Deus, in bonum istius, quam regit, Reipublicæ mortalium, primáque illius cura, & studium est beneficentiam suam in curandis, sustentandísque suis creaturis exprimere: *Pertransijt enim benefaciendo.* Act. 10. *Et transiens ministrat illis.* Luc. 12. Quod sponsa demirata eleganter ita expressit: *Oculi eius sicut* E *columbæ, super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima.* Cant. 5. meritò hic locus sublimiorem, quàm vt quis explicare possit, intelligentiam includere videtur S. Gregor. Nyssen. Sic enim profitetur: Horum verborum sententia

Tribulationes in terra diuinitus contingunt.

S. Saluian. Dei prouidentia circa mundum.

Actor. 10.

Lucæ. 12.

S. Greg. Nyss.

tentia perceptione quidem nostra sublimior est, qui inferius esse ipsa veritate arbitramur, quicquid de eis cogitauerimus. sic ille. Nihilominus pij doctorum & interpretum conatus in rimandis Diuinæ scripturæ mysteriis non deficiunt: ac fortasse simplicior, & facilior, & accommodatior sensus est, de Diuina prouidentia, quam oculos Dei appellati censemus, super aquas, hoc est, super populos, vt communis est interpretatio, iuxta illud Apocal. 17. *Aquæ populi multi, &c.* Columbæ dicuntur oculi Dei propter candorem, mansuetudinem, & beneficentiam. Non enim Deus noster, aut seueris, & sanguinolentis oculis mundum aspicit, sed benignissimis, & planè paternis; non dolos intentat, non felle, & amaritudine aquas huiusmodi gentium, & creaturarum inspergit: sed columbina quadam lenitate clauum, & sceptrum mundi inflectit. Tanta porrò fœcunditate diuitem exerit beneficentiam, vt lacte omnia non modò alantur, sed abluantur etiam: nulla est enim creatura, cui Conditor, & gubernator benignissimus, & prouidentissimus necessarium, imò & superabūdantissimum lac suæ misericordiæ non infundat; *aperit enim manum suam, & implet omne animal benedictione.* Psalm. 144. O Deum, veram mundi, & maximè mortalium matrem largifluis lactentem vberibus! Vtinam tam bonæ matris, tam boni filij essemus!

Apocal. 17.

Benigna & blanda prouidentia Dei.

Psalm. 144. Deus matri lactenti similis.

Beda

2. Rectè autem (declarat hoc loco Beda) lactis nomine dona supernæ largitionis, & pietatis indicantur: quia nimirum matres, quæ paruulos nutriunt fœtus, gratuitò eis, ac naturali causa dilectionis alimentum lactis ministrant. sic ille. Agimus de re vsque adeo contestata, vt nihil homini constet euidentiùs. Hinc Clem. Alex. *stromat.* 5. optime concludit dignum esse supplicio quærere probationes, an sit prouidentia. Nam ne conari quidem oportet probare, cum sit manifesta Diuina prouidentia ex aspectu omnium, quæ videntur effectorum. Est autem (addit *strom.* 7.) prouidentia, priuatim, publicè, & vbique. ita Clem. Quam quidem summæ benignitatis prouidentiam maximè spectare dicit penes Verbum Patris, (cui Pater dedit omnia in manus) quod propter eosdem carnem humanam induit. Aut enim (argumentatur ibidem) omnium hominum curam non gerit dominus; idque ei accideret, quod non possit, quod quidem est nefarium cum sit signum imbecillitatis; aut quòd nolit cum possit: non est autem boni affectio. Non est ergo socors ob delicias, qui propter nos carnem accepit patibilem. Aut curam gerit vniuersorum; quod quidem pertinet etiam ad eum qui est Dominus vniuersorum, & seruator est omnium. Et igitur id, quòd verè regit, & præest Diuinum Verbum, & eius prouidentia, quæ omnia quidem respicit: nullius autem ex iis, qui ad eam pertinent, despicit curationem. Hæc Alex. Atque vtinam aliqua saltem in nobis esset prouidentia, ne contra Deum peccaremus, cuius singularem iugiter prouidentiam experimur, vt benè omnia nobis eueniant, & ne quid mali contingat. Quocirca illud ad præcauenda omnia in Deum delicta, & vbi se obtulerint declinanda, consilium salutare mihi videtur: quod ad peculiarem concupiscentiæ in fœminas pestem euitandam S. Cyprian. scribit *de singul. cler.* sic effatus. Præoccupandus est aditus cunctis insidiis, ne hostilitas prior obrepens occurrat improuidis. Salutare remedium est præuenire potiùs, quàm præueniri, & anticipare potius, quàm anticipari viris fortibus congruit. Vbicunque fuerit prouidentia, frustantur vniuersa contraria:

Clem. Alex.

Euidens comprobatio prouidentiæ Dei.

Clem. Alex. Prouidentia Verbi erga homines.

Cauendum & prouidendum circa vitiorū tentamina.

S. Cyprian.

A vbi autem prouidentia negligitur, omnia contraria dominantur. Ante famem certamus, ante inopiam laborando satagimus. Sic per omnia calamitatibus cunctis tollimus locum, dum gerimus prouidentiam temporum futurorum. hæc S. Cyprian. Hanc prouidentiam, quam Isaac (vt statim videbimus) non habebat, Deus misericors erga hominem ostendit, cum illi fortè de profectione in Ægyptum cogitanti; aut etiam ne cogitaret quidem, occurrit: Ne descendas (inquiens) in Ægyptum. Erat enim ortum periculum in ea regione, in qua libido, & omnis immunditia dominabatur, nec mater Sara potuit effugere lasciuientes Ægyptiorum oculos, & penè extremum subiit suæ pudicitiæ, famæque discrimen. Itaque contestata, & manifesta est hominibus Dei circa mun-

B dum prouidentia. Soli autem Epicurei (vt disertè obseruat S. Saluian. *lib.* 1. *de prouidem.*) sicut voluptatem cum virtute, sic Deum cum incuria, ac torpore iunxerunt. sic ille. Longè quippe abest virtus à voluptate carnis, & intimè adest rebus creatis ipsius Creatoris indefessa, summéque inuigilans prouidentia. Ab hac fames, cæteræque nomina calamitatum inducuntur, vt improbi meritis afficiantur pœnis; iusti autem, vel ad detegendam aliquam vitiosæ labis notam, vel ad explicandum patientiæ, constantiæ, humilitatisque thesaurum; atque adeo illustriorem comparandam segetem meritorum ad gloriam exercecantur. Sic enim quotidie videmus iustos pluribus in vi-

C ta miseriis afflictari, sed & cum Apostolo ipso in infirmitatibus suis gloriari. Enimuero (vt scribit S. Saluian. *lib. indicato*) infirmi sunt, & volunt esse. Quia ideò sancti viri infirmiores se esse faciunt; quia si fortes fuerint, sancti vix esse possunt. ita Saluian. loquitur enim de voluntariis afflictationibus, quibus viri iusti carnem macerant, & per eas aut dubiè mortem festinantiùs accersunt; vt sola (adiungit Saluian.) exultet anima, læta corpore affecto, & quasi aduersario subiugato. hæc ille.

Epicureorum dementia.

S. Saluian.

Virtus voluptati carnis inimica. Dei prouidentia rebus creatis inuigilat.

Tribulatio prodest iusto & vtilis.

S. Saluian. Infirmitas ad sanctitatem conducit. Mortificatio carnis.

S. Saluian.

3. *Abiit Isaac, &c.*] Non legimus Abraham nec Isaac grauiter tulisse, & impatienter conquestos esse, quòd fame afflicti cogerentur antiquum mutare solum, & sublatis cum immenso labore

D tentoriis, asportatáque omni familia per alienas regiones emendicando peruagari. Et, quod mihi non leuem efficit admirationem, non lego Isaac pro depellenda famis illius calamitate Deum impensius inuocasse, sed inclinato capite ad Dei iudicia veneranda, & quicquid acciderit aduersum constanti, ac læto animo subeundum non suæ defuisse industriæ, nimirùm ad Regem ignotæ gentis, apud quem faciliùs vitam sustentaret, adiisse. Et quidem Isaaci constantia communem mortalium temeritatem arguit; qui, quocunque sese in effectibus verterit Conditoris prouidentia, inconsideratè conqueruntur. Quod eleganter ita effatur S. Saluian. *Sine querela nos Deus noster esse præcepit* ad Ephes. 2. quando hæc in genere huma-

E no non fuit? Si æstus est, de caliditate causamur; si pluuia, de inundatione conquerimur. Si infœcundior annus est, accusamus sterilitatem: si fœcundior, vilitatem; adipisci abundantiam cupimus, & eandem adepti accusamus hæc ille, *lib.* 3. *de prouid.* Nihil sanè magis quotidianum, ac frequens, quàm huiusce sententiæ contestata veritas. Querulum est, ac morosum, & nullius, quàm aueat, habeatque fortis constanter amans genus mortalium. Illud desiderat, inquirit, implorat, magni æstimat, quo quidem caret: id ipsum vbi possidet, fastidit illicò, execratur. Mutantur anni, alter

Constantia in aduersis.

Iugis querimonia hominis de Dei prouidentia.

S. Saluian. ad Ephes. 2.

Querulum & morosum genus hominum. Sperata desiderio sunt, possessa fastidio.

alternant, aut variant saltem datam sibi à natura ipsa sortem, nunc læti arrident, nunc tristes lugent: at mortales tamen nulla sorte, ac statu contenti, semper quicquid obuenerit tristi vultu, querulo, & ingrato excipiunt. Quid (colligit optimè

S. Saluian.

idem Saluian.) dici hac de re improbius, quid contumeliosius potest? Etiam in hoc de misericordia Dei querimur, quia tribuat quod rogamus. hæc

Ingrati sumus Dei misericordia.

Saluian. Heu nos miseros, quid nobis fieret, si nobis non esset Deus magnus, & patiens? Deo ita disponente, hæc tam grauis vndique hominum necessitas ●eturgebat, vt (quod subnotauit S.

D. Chrysost.

Multam Dei curam sentiunt iusti.

Chrysost.) multam ille Dei curam senserit, propter promissionem Abrahæ factã, & propter virtutem propriam. sic ille. Voluit enim Dominus instituere Isaacum verum ac legitimum hæredem non promissionum tantummodo paternarum, sed etiam fidei, patientiæ, continentiæ, tentationumque & profectuum patris Abrahæ: iccirco fame inducta cogit illum ad exemplum parentis mutare sedem, & peregrinari.

4. At quisnam iste Abimelech? Certius mihi est regum Palæstinæ hanc fuisse nomenclaturam, vt quisque appellaretur אבימלך *Abimelech*. quæ vox Hebræa componitur ex אבי *Abi*, & מלך *melech*, *patre meo rege*. Vt videas etiam apud barbaros insigne regiæ dignitatis hoc esse, vt pater sit,

Rex, paterque idem.

& rex: sic enim esse debent, qui populis præficiuntur; primò quidem patres, deinde reges: vt regiam potestatem pietas paterna mitiget: ac subditi patris nomine inuitati regem subinde imperantem filiali quodam amore prosequantur. Sed nulli hæc nomenclatura aptiùs cõuenit, quàm Christo Domino, qui licet Rex regum sit, & Dominus dominantium, pietatis tamen affectu, amorisque teneritudine non modò pater, sed dulciùs adhuc mater dicitur, & lactans illa quidem, ad vbera filium enutriens, qua suauitate delinitæ animæ dixerunt: *Bona vbera tua super vinum, & odor vnguentorum tuorum super aromata*. Cant. 4. Aspirat enim (vt exponit S. Ambros. *lib. de Isaac cap. 3.*) in verbo odor gratiæ, & remissio peccatorum, quæ in totum diffusa mundum omnia tanquam exinanito repleuit vnguento. *Curremus* (aiunt) *in odorem vnguentorum tuorum*. Bona quidem prudentia, sed dulcis misericordia: illam enim pauci assequuntur, hæc ad omnes peruenit. Vbera verò Domini, hoc est dogmata, & interioris sapientiæ disciplinæ: quibus anima capta dicit vberiorem esse iucunditatem Diuinæ cognitionis, quàm lætitiam omnis corporeæ voluptatis. hæc S. Ambros. Vberum verò lac non modò suauitatem Euangelij, sed pietatis etiam, amoris, & beneficentiæ Domini insinuare patribus & doctoribus videtur. Portò iste rex alius erat ab illo, qui Saram olim ante natum Isaac comprehendit. Non defuit abeunti, & peregrinanti, ac laboranti Dominus Isaac; sed præstò adfuit, ne tanto malo succumberet. Nam (vt

Deus vti mater nutriens ad vbera.

Cantic. 4.

S. Ambros.

Venia delictorum vti vnguentum.

Dulcis misericordia Dei.

Lac Domini beneficentia.

S. Ambros.

egregiè scribit S. Ambros. *loco citato*) deponitur sarcina, quibus manus Domini fulcro est, & oleũ Domini infunditur. sic ille. Nam etsi laboret, in laborando tamen suauitatem sentit, quam Dei gratia auxiliatrix homini patienter sanctéque agenti infundit. Prohibuit Dominus, ne Isaac in Ægyptum se conferret patris exemplum secutus: periclitaretur enim proculdubio (vt cœpimus dicere) pudicitia Rebeccæ inter impudicas, & libidinosas illas gentes; qua infamia semper laborauit Ægyptus. Vnde factum esse arbitror, vt inter cæteros gentium infidelium mortales, turpissima, summéque nefanda & ridicula Deorum monstra coluerint Ægyptij, boues nimirum, oues,

Iustus extra tra Dei suauiter operatur.

Infamis libidine Ægyptus.

Turpissima Ægyptiorum idola.

Ben. Fernand. in Genes. tom. 2.

& capras, feles, lacertos, & spurcissima quæque alia brutorum animantium genera. Solet quippe libidinis vitium, cum effracto omni pudore, & iure, ac timore, sese profundit intemperantiùs, hominis sensum sic hebetem reddere, & rationis lumini ita cymmerias tenebras offundere, vt paulatim infelix rerum spiritualium, ac diuinarum sensu, nominéque ipso abolito, nihil aliud amet, nihil cogitet, quam ipsa pecudum volutabra. Igitur ô miseri, qui vos carni mancipia addixistis; resipiscite quæso; ad cor, ad mentem, ad rationem, ad vos ipsos redite! Iis verò, qui nondum iacent in cœno, sed ad illud instigante dæmone impelluntur, Apostolus inclamat: *Fugite fornicationem*: & Dominus hoc loco: *Ne descendas in Ægyptum*.

Libido sensum & mentem adimit.

1. Cor. 6.

Vultis nosse periculum? Audite S. Gregor. Nyss. *de Virginit. cap. 8.* ita disserentem. Periculum non leue est, ne voluptatum vsu, quasi esca deceptus homo nihil aliud in bonis esse putet, quàm illud, quod cum suauitate quadam carnis percipitur sensibus: néve cum à rerum corpore carentium cupiditate suam mentem planè auerterit, in rebus sanè corporeis totus omnino sit, rerúmque harum voluptatem omni tempore indaget, quasi potiùs voluptatis sit, quàm Dei amator. hæc S. Gregor. Itaque carnis voluptatibus deditus, in eam opinionem paulatim ducitur, vt credat nullam esse, nisi carnis voluptatem; deinde non esse aliam creaturam nisi corpoream ac sensibilem; vanáque proinde circumferri nomina spirituum corpore carentium, & consequenter hominis animam non esse à materia secretam: denique nec aliam esse post hanc immortalium mentium vitam, nec vllum in mundo Deum. Hac via permulti hæreticorum nostri temporis (faxitq; Deus ne similes aliqui inter Catholicos viuant) in atheismum deciderunt.

S. Greg. Nyss.

Libido in perfidiam, & atheismum impellit.

Hæreticorum atheismum.

5. Monetur Isaac, id est vir iustus, ne descendat in Ægyptum, vbi libidinosa consuetudo vel ferreas mentes emollire consueuit. Atque adeo vniuersim (vt consulit S. Cyprian. *de sing. cler.*) ante præuenienda est omni præuisione calamitas fœminarum, cuius cupido si admittitur incipere, nunquam prorsus accipit finem. hæc S. Cyprian. tam pertinax est carnis intemperantia. Et mirabitur fortasse hanc Ægyptiæ gentis infamiam, qui legerit Ægyptias fœminas, non formæ splendore conspicuas haberi; ex quo euenit, vt vna Sara pulchrior ingrediens vniuersam Ægyptum commouerit. Cæterùm famelico nullus vel mucidus nauseam panis mouet; ac sitientem turbida aqua recreat. Quocirca S. Cyprian. *lib. de singul. cleric.* monet viros Ecclesiasticos, defugiant consortium quarumlibet fœminarum, à quibus æquale intentatur periculum. sic infit. Cum clerico fœmina nulla commaneat, non despecta, non vetula, sine affinitate peculiariter suscipienda ad domesticum obsequium: quia magis illic citò delinquitur, vbi sine suspicione securum potest esse delictum: maximè, quia cupidini nulla deformitas, nulla despectio fastidij, vel vilis existit, quia diabolus pingens speciosum efficit, quicquid fœdum, vel horridum fuerit. hæc Cyprian. Quod quàm sit verum, satis ipsa experientia quotidiana comprobat. Videmus enim sæpenumero vtriusque sexus mortales despecta forma egregia coniugum in abiectissimorum, ac turpissimorum corporum amores prolabi. Despicitur quidem domina pulchrior Helena, & ancilla Æthyopissa tenebroso, fœdóque vultu & habitu miserandum in modum diligitur; nimirum pingente diabolo pulcherrima insano amatori apparet ancilla, quam mentis com-

S. Cyprian.

Libido saturari nescit.

Libidinoso nulla deformis.

S. Cyprian.

Periculosa consuetudo cum fœminis.

Pulchram pingit diabolus etiam deformem.

Coniunx despicit coniugem pulchrã, & fœdos amores deperit.

pos non sine fastidio ac nausea contuebitur. *Ne descendas in Ægyptum* dicitur vero religioso; quod si iustis de causis descendere cogaris, ne diutius in Ægypto moreris: addit enim grauissimè idem Cyprianus: Qui hostes effugit, ad tempus pro salutaribus causis procedat ad faciem, & iterum citò discedere de conspectu festinet. Vbique gustanda est cum mulieribus, non continuanda præsentia, sed quasi transeunter fœminis exhibenda est accessio quodámodò fugitiua. Proteruitatis enim iam cœpta sunt, repræsentari semper in medium: & perditionis meditatio est frequentantium inter mulieres celebrare processum, &c. Hæc tam eleganter quàm verè S.Cyprian. loco citato, quæ si obseruarentur, non tot, ac tam miseranda pudicitiæ, famæque naufragia lugeremus. Quia verò proximorum saluti ex officio, & obedientia studentes, cum fœminarum, & impudicarum nonnunquam, vt eas à cœno illo suo, ad Christianæ castimoniæ puritatem traducant, agere coguntur: icc irco qua ratione sibi cum illis agendum sit, ab eodem Cypriano ita edocentur. Sic igitur ambulate, sic agite, vt semper in clericis Ecclesiæ senatus candidus constet. Seueritas in vobis circa fœminas vigeat, autoritas polleat, vigor teneatur, grauitas veneretur. hactenus S. Cyprian. Profectò vno in sacerdote vniuersus Ecclesiæ senatus, vno in religioso totus religionis status continetur: atque adeo, si vnus ille ceciderit, vniuersus planè videtur ordo corruisse.

S. Cyprian.

Rara & breuis conuersando cum fœminis.

S. Cyprian. *Cum fœminis grauiter agendum.*

Totus ordo in sacerdote vno periclitatur.

6. *Sed quiesce in terra, &c.*] Prohibet Dominus Isaac descendere in Ægyptum, sed iubet quiescere in terra Palæstinorum: descensus enim ille futurus homini esset valde laboriosus, ac molestus. Nolo (commentatur S.Chrysost.) inquit Dominus te longam viam proficisci, sed hîc manere volo; neque permitto, vt angustiam experiaris, sed promissionem patri tuo factam implebo; & quæ illi promissa sunt, in te euenient, & tu illius promissionum, quæ illi factæ sunt, impletionem accipies. hæc S. Chrysost. Periclitante nimirum extra promissam Abrahæ patri regionem, viderentur promissiones Dei, aut non complendæ in Isaac, aut vanæ omnino, ac ridiculæ fuisse. Itaque noluit Dominus, vt seruus suus Isaac, tam graui labore afflictaretur, promittitque illi futuram quietem, & prosperè omnia euentura, si maneret in terra promissionis; cuncta verò aduersa timere poterat, si pro libito, & non ex diuino præscripto regionem aliam peteret. Etenim (vt bene obseruat Procop.) quandiu Dominus permiserit, habitabit quis in terra. Si verò quis moratus fuerit, vbi non oportet, Deus ipsum deserit, & auertit suas benedictiones. sic ille. Quod in religioso statu quotidie cernitur. Sæpius enim aut habitatio, aut occupatio pro libito extra obedientiæ præscriptum cupita, & possessa magnum homini periculum, aut certè molestiam, importat. At fœcundior semper fuit Ægyptus; atque icc irco vtiliùs sibi consuleret Isaac, si à Palæstina, vbi summa erat frugum inopia, leuandæ famis, ac sustentandæ familiæ causa in Ægyptum se conferret. Bene id quidem; sed nihilominus manendum in Palæstina, vbi fames grassatur, Dominus decreuit, vt ostenderet, se vel in rerum omnium inopia, & sterili solo suos alere posse: quod si patrem Abrahamo in Ægyptum descendere permisit, non id impotentiæ, sed Diuinæ sapientiæ pro bono aliquo fine rem ipsam ordinanti adscribendum esse. Vtrumque ita complectitur Theod. *quæst. 76.* Dominus Deus per omnia demonstrat sapientiam suam, atque prouidentiam. Etenim permisit Pa-

D.Chrysost.

Procopius. *Obedienti adest Diuina benedictio.*

Suos Dominus etiam in aduersis recreat.

Theod.

A triarcham Abraham ingredi Ægyptum, non quòd eum alere non posset: sed vt Ægyptiis patefaceret viri pietatem, & religionem, & prouocaret illos ad imitandam Patriarchæ virtutem. Filium autem eius manere iussit, eique rerum necessariarum copiam suppeditauit: demonstrans, quòd hæc etiam patri largiri poterat, quæ filio abunde præbuit. Cum enim omnes in summa inopia, & necessariorum penuria constituti essent, & terra nihil produceret, multiplicem ille fructum accepit. hæc Theod. Quod planè Isaac manens in Geraris apud Abimelech regem expertus est: nec enim a rege quicquam iniuriæ, molestiæve accepit, sicuti pater acceperat à principibus, & rege Ægypti, cum se vidit charissima vxore violenter, ignominiosé que spoliatum: quin, vt credere par est, regis beneuolentia subleuatus steriles illos annos optimè transegit. Non quidem iste Abimelech, qui meritò pater, & rex nominatur, inopia, & calamitate subditorum suas opes auxit, & regnum amplificauit, quod tamen legimus de Pharaone.

Malè erudiuntur exemplo iustorum.

Deo obediens vbique securus.

B

Rex non ex calamitatibus subditorum ditescat.

7. Insignis profectò gloria regum, principum, & magistratuum est, non proprus inhiare emolumentis, sed suo dispendio alere subditos, & rempublicam amplificare: quod quidem de primæuis illis Romani populi magistratibus, Fabiis, Fabriciis, Cincinnatis, &c. memoriæ proditum est. At S. Saluian. *lib. 1. de prouidentia,* hisce verbis concelebrat. Tunc illi pauperes magistratus opulentam rempublicam habebant: nunc autem diues potestas pauperem facit esse rempublicam. Illi cura imperij propagandi contemptum propriæ facultatis ad publicas opes conferebant: & licet priuatim pauperes essent, diuitiis tamen abundabant communibus. Quæ rogo insania est, aut quæ cæcitas, vt egestuosa, ac mendicante republica diuitias posse credant stare priuatas? sic Saluian. O quàm felicia nostra forent secula, si hæc priscorum Romæ magistratuum frugalitas, & tam eximium in rempublicam studium in principibus vigeret! O si multus vbique Abimelech pater & rex dominaretur! Sed heu miseros, qui quotidie nouis & grauibus tributorum exactionibus opprimuntur! At principes (vt lamentatur Ferrand. Diacon. *ad Regin. com. reg. 3.*) imponendo grauiora onera succumbere faciunt populos fatigatos; nec relinquunt successoribus suis præter luctus, & lacrymas. sic ille. En qualem illi post mortem posteris memoriam sui relinquunt? tributa, scilicet, prædæ, latrocinia, iniustitiæ, violentiæ demortuis illis, ac sepultis, viuunt adhuc, & vigent in regnis. Bona regum opera illorum famam commendant, illorũ mortua corpora longè meliùs quàm quodlibet vnguentum ac balsamum condire, conseruare, abstersoque fœtore nitida, & beneolentia reddere consueuerunt: vt in Valentiniani obitu ita contestatur S. Ambros. Cui mors obesse non potuit, eo quòd odor prædicationis vniuersorum ore celebrabilis fœtorem omnem mortis aboleuit. sic ille, *orat. de obitu Valent.* Suauissimum quidem odorem spirat bonorum principum memoria. Cæterùm hoc malum non tam adscribendum est principibus, quorum ingenium plerumque solet esse generosum, beneficum, ac pium; quàm inquieto, mendaci, ac truculento hominum generi, qui principum gratiam anhelantes de amplificando illorum ærario, etiam cum grauissimo damno, & luctu subditorum consilia huiusmodi subingerunt. Pulcherrimè in hanc sententiam ita scribit idem Diaconus. Execrabiles iudica prouinciæ totius accusatores. Accusatores eius sunt ambitores, quibus vt potestas detur opprimere pauperes

Principes propriis commodis intenti.

S. Saluian.

C

Frugalitas primoris Romanorum.

Tributis plebs opprimitur.

Ferr. Diac.

D

Defunctorũ commendatio ex bonis operibus.

S. Ambros.

E

Tyrannis tributorum à malis consiliariis suadetur.

Ferr. Diac.

Consiliarij principum mendaces, ac fures.

peres, impossibilia pollicentur, & perditis regionibus statuon pristinæ stabilitatis ascribunt, adhuc vigere cuncta mentientes; adhuc posse non functiones solitas, sed noua quoque si adiiciantur, tributorum pondera sustinere. Promittunt falsa, vt vera surripiant: euertere cupiunt, non gubernare: laudant fertilitatem terrarum. O miseri *quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum, dextera iniquitatis*! Psal. 43. Hæc ille: quæ nemo quidem non laudet; vtinam vt à minoribus deplorantur, sic à sublimioribus, ne fierent, vetarentur! Fuit hoc inter alia Imperij Romani flagitium, quod Diuina iustitia inmissis Gothis, VVandalis, aliisque barbaris gentibus, vindicauit, debellatis, & euersis, qua late patebat imperium, prouinciis, vti scribit S. Saluian. Plurimi (inquiens) proscribuntur à paucis, quibus exactio publica peculiaris est præda, qui fiscalis debiti titulos faciunt quæstus esse priuatos. sic ille, *lib. 5. de prouid.* Itaque sub nomine regiæ substantiæ, & publici ærarij à priuatis infanda exercentur latrocinia. Priuatos dico, qoi quærunt quæ sua sunt, & cum principibus pauperum exactiones suadeant, hoc vnum moliuntur, vt exigentes à miseris tributa suam cupiditatem expleant, non principum necessitati subleuandæ occurrant. Naoi (addit Saluian.) quæ sunt non modò vrbes, sed etiam municipia, atque vici, vbi non quot curiales fuerint, tot tyranni sint? quis locus est, vbi non à principalibus ciuitatum, viduarum, & pupillorum viscera deuorentur? hæc ille. Cum ergo tanta sit impietas, tanta inhumanitas, quid mirum si Diuina iustitia in profligandis regnis, & regum, diuitúmque fauubis deseuite videatur?

Psalm. 43.

Romani euersi à barbaris ob tributorū tyrannidem.

S. Saluian.

Aulicorum auaritia & sæuitia.

S. Saluian. *Plebs à primoribus oppressio.*

8. Vt igitur Isaac animum Dominus confirmet, repetit benedictiones illas sæpius factas Abrahæ patri, quas in ipso filio Isaac complendas fore pollicetur, memorans iterum obedientiam, fidémque & iustitiam Abrahæ, cuius virtutes, ac merita in honorem, & vtilitatem filij redundaut. Hinc Procop. illud rectè obseruat. Collaudatur & filius, vt dignus paterna nobilitate. Nequaquam enim paternas benedictiones confirmasset filio per iurisiurandum religionem, nisi filium vidisset iisdem, quibus & patrem præditum virtutibus. sic ille. Illud admirandi præconij de Abrahamo inculcat Dominus: *Ego sum Deus Abraham patris tui.* At, ô Domine, numquid non tu es Deus rerum omnium? Quid ergo ita ad vnum hominem coarctas amplissimum tuum dominium? respondet egregie S. Chrysost. Ita (inquit Deus) Abrahamum mihi feci proprium, vt apud me reputetur tantus, quanti alij omnes. sic Chrysost. Quid quæso ad commendationem Abrahæ illustrius dici, ac fingi potest? Affert igitur in medium Dominus Abrahæ patris merita, vt videns filius se tam multa consequi ob patris merita, speret se, ob propria mercedem pinguiorem consecuturum. quod S. Chrys. his verbis adnotauit. Vide Dei sapientiam, quomodo erigit mentem iusti, & alacriorem reddit, vt & patris imitator fiat, efficit. Nam si ille (inquit) quia meæ obediuit voci, tanta pollicitatione dignus habitus est, & propter illius virtutem in te, qui ex eo natus es, sum impleturus, si & ipse illius imitator fueris, & eadé qua ille via incesseris, cogita quantam apud me beneuolentiam habiturus sis, & quanta mea cura te dignaturus sim. Nam si cui ob alterius virtutem bene futurum est, si & ipse virtute præditus fuerit, multo maiore dignus habebitur cura. hæc S. Chrys. Nota obiter verbum *samah, non audire*, verti optimè ab interprete, *obedire*. Quod quidem in Abrahamum aptissimè congruit, cuius obedientia sic extitit prompta, alacris & expedita, vt illi hoc fuerit obedire, quod vel semel præceptum Domini, aut simplicem illius vocem audire. Vt verò etiam Dominus ostendat, quanti faciat hominis obedientiam, præter illam paternam, cuius merito Isaac dignus censetur Diuinis benedictionibus, alteram ab ipsomet exigit, vt promissa patri obedienti filius obediens in se adimplenda suscipiat. Quod subtiliter S. Chrysostom. adnotauit, ita ex persona Domini vlterius progrediens. Eapropter, quia in omnibus pater tuus declarauit magnam obedientiam, propterea te ex illo natum promissionum, quæ illi factæ sunt, facio hæredem. Imitare igitur illius obedientiam, & his quæ à me dicta sunt, crede, vt multò pluribus remunerari dignus habeare, & pro patris tui virtute, & pro tua obedientia: ne igitur descendas in Ægyptum, sed hic mane. hæc S. Chrysost. Itaque tanti meriti est obedientia, támque Deo grata, vt insignia Dominus beneficia homini daturus, ab eodem exigat, quæ nihil non mereatur, obedientiam.

Patris in filium redundant merita.

Procopius. *Sancto patre dignus filius.*

S Chrysost. *Abraham Deo instar omnium.*

D. Chrysost. *Pluris sunt merita propria.*

Mira obedientia Abraha.

D. Chrysost.

Obedientia exigitur ad grandia beneficia.

9. *Soror mea est, &c.*] Mansit Isaac, vt videtur in ipsomet oppido, Geraris, benè à rege, atque incolis acceptus. Cæterùm vti pater olim, sic ille nunc timuit sibi a Chananæis propter insignem vxoris pulchritudinem: qui locus superiori similis haud nouis indiget commentationibus. Videas hic tameo, quod in Sara iam vidisti, quàm sit periculosa mulieris pulchritudo: nocet enim ipsimet fœminæ, cum propterea impetiùs ab aliis appetitur, & instantiùs impugnatur, & animæ sæpenumero decorem dedecorat, & in gehennam interdum post vitiorum barathrum deducit. Non est enim facile sanctitatem animæ cum insolita corporis formositate coniungere. Nocet pulchritudo mulieris non modò extraneis, quorum oculi, atque animi hoc maxime illicio capiuntur: verùm etiam ipsi marito, quem vxoris forma perpetuò in zelum accendit, suspicionibus exedit, curis discruciat, in quem riuales armat, incitátqoe; denique infamiam, ac mortem interdum inducit. Quænam quæso strages, quæ corporum, animarúmque exitia ob hanc vnam fœmineæ formæ pulchritudinem inter mortales passim edantur, quis vti luget, ita dicendo recensebit? Satis hoc loco sit nefandum illud, atque exitiale bellum, quod per fœminas ad omnem lasciuiam compositas Moabitæ Hebræis intulerunt, *Numer. 25.* De quo ita S. Greg Nyss. *in vita Moysis.* Qui viros armatos vicerunt, mulieribus peruincuntur. Nam simul atque mulieres apparuerũt formosa pro telis corpora obiicientes, fortitudinis statim obliti ad voluptates deuoluti sunt. ita Gregor. Et quidem benè ad eũdem locum animaduertit Procop. Nulla contra hominem est potentia, ni prius sibi ipse damnum intulerit; quemadmodum isti, qui libidine capti Dominum obliuioni mandarunt, vti & Salomon, qui in mulierum gratiam idolis templa extruxit. Porrò Moabitæ edocti, quòd nullis aliis insidiis, quàm Dei offensione possent comprehendi Israelitæ dictitione Balaam laqueum illis per mulieres pro arbitrio extenderũt. sic Procop. Successit Moabitis turpe illud, quod parauerant, stratagemá; nihil enim ita emollit, eneruat, constringitque miseros hominum animos, atque ista, vt vocat Clem. Alex. *stromat 7.* voluptas vitiorum metropolis. Hic est ille hamus fœmineæ pulchritudinis esca illitus, quo generis humani teterrimus hostis innumeras in hoc mari magno animas ad inferni sui flammas expiscatur.

Periculosa omnibus fœmina pulchritudo.

Exitialis mundo fœminea pulchritudo.

Numer. 25.

S. Greg. Nyss. *Triumphant de viris formosa fœmina.*

Procopius. *A se priùs quam à diabolo vincitur homo.*

Clem. Alex. *Pulchritudo hamus diaboli.*

coin (inquit) Rebeccæ non tacitum est, & eam per notiuimam propinquitatem sororem eius fuisse manifestum est. Propinqua enim erat ei, &
Isaac defenditur à mendacio.
paterno, & materno sanguine. Vt autem taceret vxorem quid mirum, aut quid prauum, si imitatus est patrem, cum eadem iustitia defendatur, qua pater eius de simili obiecto inculpatus inuentus
Abulens.
esse sic August. Colligit hoc loco Abul. apud Chananæos magis detestabile fuisse adulterium quam homicidium, quod aliis displicet. Illud ergo perquam indignum iudico, quod quis adnotauit expendendam videlicet esse continentiam sanctorum Patrum, qui tam facile permittebant vxores cum aliis consortium habere. Ita loquitur ille.
Custodienda vxoris pudicitia à viro.
Enimuero huiusmodi labem ignominiæ viris illis sanctissimis aspergi mihi omnino displicet, vt vxores suas mariti ab aliis sinerent violari: veriùs multò, & castiùs dicam certos illos, ac securos extitisse ex Diuina bonitate, vt nunquam, etiam in extremis periculis constituta vxorum suarum pudicitia pollueretur. Qua de re satis longam suprà instituimus commentationem. Et quæ ista quæso continentia est, non autem turpissima incontinentia, lenonúmque infamia vxorem propriam sinere cum adulteris consortium habere; hoc est, contra omne fas, & ius à mœchis constuprari? Maritus custos est vxoris, non prostitutor.

Caietan.
13. *Vidit eum iocantem cum Rebecca, &c.*] Caiet. arbitratur hoc loco significari actum coniugalem, sed non assentior. Nam Hebr. verbum צחק *çachag*, propriè *ridere, iocari, ludere*, quod supra positum est, cum Sara risit audiens se parituram filium. Quare non incongruè aliqui hoc loco vertunt, *ridentem*. Incredibile autem est tam sanctos, & honestos coniuges actui illi operam dedisse, sic in propatulo, vt aliunde conspici possent. Caietan. cum esset, vt ingenue fatetur ad primũ cap. Ge-
Rabbini finxerũt indigna.
nes. expers Hebræi sermonis, à Rabbino suo didicit eam significationem verbi צחק *çachag*, quam falsò confingunt Iudæi, qui vt bene hic obseruat Lyppom. fere semper indigniora comminiscuntur, & turpiora scribunt. Vide etiam Delrio. Quid igitur vidit rex? profectò Isaac licentia maritali liberiùs agentem, quàm cum aliena viri graues
D. August.
solerent. Quod quidem ita explicat S. August. *loco citato.* Rex alienigena Rebeccam viri sui coniugem tunc esse cognouit, quando cum illa ludentem vidit: quod non cognouisset, nisi cum coniuge illa sic luderet; quomodo cum ea, quæ coniux non esset, ludere non deceret. sic August. Lusus ille decens, ac licitus inter coniuges erat; attamen inter non coniugatos illicitus, & indecens foret. Sed adhuc incusabit quis hunc talem,
Lusus inter coniuges ad amorem licitus.
ac tantum virum, quod ad ridiculos illos, & fœmineos lusus sese abiecerit. Cæterùm huiusmodi lusus, cum amorem coniugalem demonstrent, & conseruent, quibus scilicet vxores illectæ, & amari se putant à viris, & in virorum amorem certiùs, ac vehementiùs inuitantur, liciti, decentésque in eo statu haberi debent, ac solent. Quare optimè in hanc eandem sententiam ita subiicit idem
D. August.
Viri blanditia erga vxorem.
August. Quod cum sancti coniugati faciunt, non inaniter faciunt, sed prudenter. Descendunt enim quodammodo ad fœminei sexus infirmitatem, vt aliquid blanda hilaritate vel dicant, vel faciant, non eneruantes, sed temperantes virilem rigorem; quod tamen ei, quæ vxor non est, qui dixerit, aut fecerit, turpis est. hæc August. Sed cur Abimelech ex illo ioco subintulit matrimonium,
Incestus antiquis inauditus.
non verò incestum? An quia vel inter illas barbaras gentes insolitum, & inauditum, vt præscripto naturæ sic esse deberet, habebatur illud facinus incestuosi concubitus inter fratrem & sororem? An quia rex continentiam & sanctitatem Isaac ita perspectam habebat, vt nequaquam incestuosum hominem suspicaretur: nec verò etiam cum alia, quæ non foret vxor sua, licentius acturum: sed potius mentitum argueret, quippe cum mendacium, & simile quid leuioris vitij etiam in vitos sanctos nonnunquam obrepat? Meritò Pro-
Procopius.
cop. ad hunc locum: Hinc concluditur (inquit) non licitum esse viro cum sorore sua, nec patri cum filia sua, vbi adoleuerit, ludicra exercere. sic ille. Quocirca viri prudentes cum filiabus iam nubilibus agere seriò consueuerunt: ne, licet cum
Pater cum filia nubili seriò agat.
patre nullum timeatur periculum, saltem liberiore illo ioco assuescant puellæ virorum sese amoribus irretire.

14. Hinc etiam colliges quàm sit periculosum in eodem domicilio virum cum fœmina cohabitare. Nam etsi illi duo coniuges ad honorem salutémque tuendam omni opere contenderent, vt coniugium celarent, nec Philistæis vllam præberent occasionem de illo suspicandi: nihilominus
Graue periculum ex cõuictu fœminæ.
non ita se continere potuerunt in mutuo illo conuictu, quin communi appetitu instigati licentiores illos iocos exercerent, & alienis obtutibus vel inuiti proderent. Pulcherrimè S. Cyprian. *lib.*
S. Cyprian.
de singul. Cler. in hoc argumento ita disserit: Si singulares penè omnes vix durant carnales insidias sustinere, quid faciunt illi qui ex vtroque latere gladiis impendentibus non cunctantur incumbere? Si mariti & vxores desideria coniugalia quotidie gerentes sibi non sufficiunt, quid agunt illi, qui ad augendas impugnationes fœminis sociantur? Ex improuiso, vel transeunter ad horam fœ-
Fœminæ aspectus vulnerat.
mineus aspectus occurrens, velut sagittas alienis oculis iactat. Omnis inconueniens sodalitas mu-
Consuetudo fœminæ laqueus diaboli.
lierum gluten est delictorum, & viscus toxicatum, quo diabolus aucupatur. hæc S. Cyprian. In quibus multa seriò possent expendi, qualia sunt, carnis insidias assiduitate sua permolestas, & vi quadam acerrima perpungentes, nulli etiam à fœmi-
Nemini parcit tentatio carnis.
narum consortio aspectuque remotiùs viuenti parcere, sed iis omnes omnino impugnari, ita vt etiam perpetuis resistendi laboribus durati vix vnquam possint tam periculosum certamen sustinere, nisi Diuina gratia confirmentur. Ex quibus bene argumentatur, neminem tam audacem, tam amentem, tam impudentem esse debere, qui præter carnis propriæ domesticum, & intestinum bellum, sibi alterum multò perniciosius in seipsum concitet, vt alienæ carnis consortium quærat, quo longè vehementius incendium suscitetur. Quod
Libido extra coniugium diffusa.
autem adeo sit intemperans, effrænisque concupiscentia, vt nec ipso coniugali commercio restinguatur, sed vsu nonnunquam irritata in alienos, ac nefarios concubitus accendat etiam coniugatos quotidiana experientia contestatur. Denique iacula, venenum, tenacitatémque illam delictorum ex aspectu & consortio fœminarum non tam confirmat sententia S. Cypriani, quàm ob deplo-
S. Cyprian.
randos iugiter euentus hominum genus lamentatur. Addit enim eodem libro sanctissimus Pater:
A fœminis cuncta periculis plena.
Casuale (inquiens) est omne, quod fœminæ est, & copulatio eius semper infesta est. Fœdere suo magnas molestias præstat, & cui adhæserit contra fas insanabilem ingerit plagam. sic ille. Pulchrè dicit casuale, hoc est ruinosum, casui, ruinæque proximum, quicquid fœminam pertingit: rectè insanabilem dicit plagam, quæ viro infligitur à temerario ausu, quo sese in intimam mulieris familiaritatem immiscet. Quod ita comprobat: De carbonibus scintillæ dissiliont, de ferro rubigo

Fœmina ex casto delibatum. nutritur: morbos aspides sibilant, & mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam, quam Salomon sic comparat dicens: *De vestimentis procedit tinea, & a muliere iniquitas viri.* Ecclef. 42. ita S. Cyprian. *Eccles. 42.*

B. Maria puritate vincit Angelos. 15. Cæterùm ab vna muliere putiras, & sanctitas viris prouenit, quæ nitidiore ac sublimiore puritate, quàm ipsis cæli spiritibus insit, prædita Deũ hominem factum Virgineis suis visceribus, concipere, ac portare meruit. Benedicta illa inter mulieres, & benedictus fructus ventris illius. Illam, *B. Mariam iusti & mitissi colunt.* vt sordidi omnem labem abluant, vt puri & conseruentur, & puriores adhuc euadant; viri, fœminæque intueri, alloqui, amare, oréque, & corde gestare perenniter student, quos nimirum, ita misericors Deus amauit, vt Matri suæ semper Virgini officiosissimos addixerit. Exclamant illi cælestibus gaudiis delibuti beatissimam Virginem alloquentes: *Exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum. Recti diligunt te.* Cant. 1. Vbi sic Rupert. Hæc est materia, ô Virgo, vel causa exultationis, & lætitiæ nostræ in te: memoria vberum tuorum: quia Virgineis vberibus lactasse illum prædicaberis, qui creauit te. Dicemus enim: Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti, Christe. Huius rei semper memores super vinum, id est, super omne quod in hoc seculo dulce videtur, aut iocundum. Hæc Rupert. Nihil planè pias animas tanto perfundit gaudio, quàm cum internis oculis contemplantur, semper Virginem Dei Matrem ore illo suo pulcherrimo, atque festiuissimo omnia serenantem; maximè cum Deum infantulum gestare in brachiis, atque Virgineo lacte alere conspicitur. *Recti* (sequitur) *diligunt te*, qui scilicet iusti habentur & recto ad cælum itinere gradiuntur; Dei Matrem præcipuè diligunt. est quippe officiosi hominis in Virginem Deiparam pietas, magnum Diuinæ prædestinationis argumentum. En ô Virgo Mater prædestinati diligunt te, in ore, & in corde te gestant, tibi suas preces, & omnia obsequentissimæ pietatis studia offerunt. Contrà verò, Domina rerum, qui à Diuina gratia sunt repulsi, à tua pariter memoria, & pietate, iam nunc viuunt separati.

Cantic. 1. Rupertus. Fructus contemplatio B. Mariæ Dei lactantis.

Signum prædestinationis pietas in B. Mariam.

Reprobi B. Mariæ non meminerunt.

SECTIO II.

Et accersito eo, ait: Perspicuum est quòd vxor tua sit: cur mentitus es eam vxorem tuam esse? Respondit: Timui ne morerer propter eam, &c. vsque ad *habitaret ibi.*

1. Certò iam demum tenet Abimelech coniugium inter Isaac, & Rebeccam. Iccirco expostulat cum homine, quærens ab eo causam ob quam sororem dixerit, quæ coniux esset. In Hebr. non est *mentitus*, sed *amarta* אמרת *Dixisti*, quod quidem opinione regis mendacium erat, quippe cum cognationis eorum ignarus erat. Tanta verò erat vtriusque laus, existimatióque apud regem, vt inter illos incestum nullo modo suspicaretur; nec enim integra illorum fama, & honesta maturitas sinebat turpiora in suspicionem assumi; quod etiam in laudem probitatis, & sinceritatis regis cedit, qui vel deprehensis inter virum, & fœminam licentioribus iocis, nihil omnino mali exinde conniecit. Pudeat hominem Christianum aliorum dicta, factáque seueriùs, atque iniquiùs disquirere, in deteriorem partem cuncta semper accipere, ac ptoinde temerariam plerumque in proximorum caput ferre sententiam. En

A rex barbarus natione, sed prudentia, & comitate politissimus, videt virum, & fœminam speciosissimam liberius colludentes, at sinistram tamen haud inde colligit opinionem, nihil illicitum, atque inhonestum suspicatur: fratrem, & sororem esse ab iisdem accepit, sed ex iocis non incestum, sed legitimum coniugium deprehendit. Valeat ergo apud nos fratrum nostrorum bona existimatio, vt ad illorum vituperationem non ita proiecti, audaces, atque impudentes irruamus. Cæterùm à Christiano viro, id amplius exigitur, vt aliorum errata non prodat, non prædicet, sed sepeliat, sed defleat. Quod quidem ita consulit S. Prosper. *lib. 2. de vita cont. cap. 6.* Fratrũ nostrorum vitia non facilè debemus accusare, sed gemere: vt

Aliorum defectus non inquirendi, notandique.

Aliorum defectus deflendi, ac tegendi. *S. Prosper.*

B inuicem onera nostra portantes legem Christi possimus implere. *Ad Galat. 6.* qui vtique non accusant peccata nostra sed tulit. *Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi.* Ioan. 1. hæc ille. Itaque optimè argumentatur à Christi Domini pietate ac mansuetudine. Nam si iudex cum esset, ac Deus ipse, infinitis hominum sceleribus offensus, ea nihilominus accusare, propalare, punireque noluit, sed illorum omnium chirographum cruci secum affixit, suóque sanguine abluit, secum in sua morte, ac sepulchro consepeliuit: cur nos fratrum nostrorum errata non tolerabimus, non tumulabimus? Rectè igitur colligit sanctus Pater: Itaque, si ille, qui sine peccato fuit, nos peccatores inestimabili pietate sustinuit, & sustinere nun desinit, non

ad Galat. 6. *Ioan. 1.*

Christus non accusauit, sed sepeliuit hominum delicta.

S. Prosper. Ad Christi exemplum tolerandi proximi.

C interitum nostrum desiderans, sed profectum, nec mortem peccantium; sed salutem; quare nos exemplo nostri Saluatoris, & Domini, non sustineamus infirmos, cum, & ipsi, aut infirmi sumus, & volumus à Deo portari; aut si sani sumus, possumus adhuc, vt fragiles infirmari: hæc S. Prosp. Damnatur, qui æterni iudicis officium in diiudicandis aliorum defectibus assumit; sed non minori iudicio subiacet, qui aliis, vt iudicent, & obloquantur, occasionem præbet. Iniquus eris, si virum cum muliere loquentem intuitus, turpe illico agi negotium apud teipsum statuas: sed longè iniquior eris, si liberè, ac temere vir cum muliere verseris. Enimuero optimè S. Cyprian. *de sing. cler.*

Non diiudicandi temere aliorum defectus.

S. Cyprian.

D ita viros admonet. Separamim à contagione pestifera. Quantumcunque fuerit vnusquisque longiùs ab aduersis, tantum non sentit aduersa. Non aliter tentationibus subiacet, qui iunctus est fœminæ: in qua nihil est aliud, nisi quod feriat proximantem: Aculeus peccati facta est forma fœminea; & mortis conditio non aliunde surrexit, nisi de muliebri substantia. Quod Salomon ad nostram sollicitudinem memorat dicens, *A muliere factum est initium peccati, & propter hanc omnes morimur.* Ecclef. 25. Inde mortales tenemur, nec teneri timemus. Vnde adhuc morimur, formidare debemus. hæc S. Cyprian. Quibus nihil

Vitanda cum fœminis consuetudo.

Ecclef. 25.

E aptius, ac verius dici potest, ad auertendam familiaritatem viri cum fœmina, in qua nihil est aliud, quàm periculum animæ, cuius etiam forma peccatum exhalat; de cuius substantia mors in mundum inducta est.

Mulier plena periculis.

Mulieris forma peccatum afflat.

2. Querimoniæ regis putat se Isaac ex integro satisfacere, timorem mortis prætendens. Forte (inquit S. Chrysost.) edoctus erat, quòd & pater talem actum instruxerat, & se saluarat, cuius viam & ipse secutus est. ita Chrysost. De hoc timore mortis, quem Abraham prætexens pudicitiam vxoris his in discrimen adduxit, suis iam locis non pauca diximus. Non omittam quid S. Ambros. *lib. de Isaac. cap. 4.* in sensu mystico subnotarit his verbis. Rebecca non immeritò soror magis, quam

D. Chrysost.

S. Ambrof.

vxor

vxor appellatur; eo quòd miris, atque pacifica anima communis magis pietaris, quam specialis copulæ nomen accipiat; & quia vniuersis magis, quam vni se existimet alligatam. hæc Ambros.

Charitas ad multos diffusa.

Vxor quippe viro vni suo est alligata: soror autem liberiùs in plures fraterno iure deuinctos amorem extendit. Ingeminat deinde rex querelam, & increpationem, iustam illam quidem (vt homini videbatur) sed non acriorem quàm decebat, & regem qui arguebat, & virum iustum qui arguebatur.

Qualiter subditi obiurgandi.

Sunt quidem subditi, quando errauerint, monendi, & obiurgandi, verùm cum ea tamen dexteritate ac mansuetudine, vt salubriter confundantur, & emendentur, non vt exacerbentur, & impudentiùs subinde frontem porrigant meretriciam, quo malorum extremo subnotantur sæpiùs Israëlitæ. In hoc argumento ita disserit S. Prosp. *de vita contemp. lib. 2. cap. 3.*

S. Prosper. Actor. 20.

Docet Apost. *Actor* 20. vt ipsi, qui docentur, sapiant; qui increpantur, vt saltem obiurgati proficiant. Qui sustinentur, vt de suis aliquando criminibus erubescant, & gaudium suis doctoribus, quorum patientia blandè tractantur, de vtilitate suæ correctionis exhibeant. hæc S. Prosper. Ac de increpatione quidem idem Apostolus alibi disputans inter alia vno hoc verbo increpantē instruit. *Argue, obsecra, increpa, in omni patientia.* 2. Timot. 4.

2. Tim. 4. S. Prosper. *Aspera increpatio nocet.*

Quem locum idē S. Prosp. expendens *cap.* deinde 4. *In omni* (obseruat) *patientia*, quia leniter castigatus exhibet reuerentiam castiganti: asperitate autem nimiæ increpationis offensus, nec increpationem recipit, nec salutem. sic ille.

S. Prosper.

Rationem horum omnium hanc statim subiicit: Ad omnem (inquiens) peccandi impudentiam, si fuerint exacerbati, prosiliunt: & quicquid mali occultè faciebant, publicè perpetrabunt, io tantam vesaniam reparandæ salutis desperatione prolapsi, vt salutaria verba corripientium in iocos exitiales impudenti vrbanitate conuertant, ac maledicaces in se ex ipsa iactatione turpitudinis suæ, turpiter viuentium maleuolas lætitias pascant. hactenus ille.

Ex nimia increpatione graue damnum sequitur. *Prodest increpatio prudens.*

Prudenti ergo, & opportuna, & ex charitate facta obiurgatione nihil salubrius: contrà verò illa imprudenti, importunata, & aculeata nihil solet esse perniciosius, vt quæ impudentiam generet, & inducta semel inuerecundia liberè iam iam inde ad omne facinus impellat, cum contemptu pariter, & irrisione increpantis, increpationis. & omnium salutarium consiliorum. Quæ omnia facta ab imprudenti, & nimiùm seuero ac rigido in venenum, in pestem, in mortem conuertuntur.

3. *Potuit coire quispiam, &c.*] Hebr. *Chimghat xachab achad hagham eth ixteca* כמעט שכב אחד העם את אשתך, *sicut parum*, vel *quasi parum, iacuit, dormiuit*, hoc est, parum abfuit, qoin aliquis dormierit, penè dormiuit. *xacab* שכב *iacere*, *& dormire*, ac deinde (vt iam in aliis linguis eadem significatio terirut) *coire*. *achad hagham* אחד העם, *vnus populi*. Quo (vt volunt nonnulli) intelligitur vnus, siue primus, & summus in populo, qualis ipsemet rex erat, cuius in mentem venerat Rebeccam accipere in concubinam. Quasi dicat: Minimum abfuit, quin illam in genialem lectum iure matrimonij assumerem. Rex erat Abimelech in aula regia inter delicias enutritus, cui (vt mos illorum temporum, & gentium) concubinarum greges aderant; & adhuc tamen insaturabilis libido ad peregrinam mulierem poterat adhinnire.

Libido insaturabilis.

Sic in carnis cænum deliciæ magis ac magis hominem suæ nobilitatis immemorem, ac Diuinarum voluptatum contemptorem detrudunt.

Deliciæ in luxum detrudunt.

Circuncidendæ igitur erunt deliciæ, quæ mentem sic

A eneruant, & sensus ita hebetant, vt nihil sublime, ac Diuinum, sed turpe tantummodo, ac sordidum cogitet. vnde S. Prosp. *lib. 2. de vit. cont. cap.* 22. egregiè subnotauit:

S. Prosper. Libido mentem hebetat.

Sensus (inquiens) quos dicuntur crassos efficere, vel grauare congestæ deliciæ, consuetudo parcitatis exonerat, & velut quadam politura religiosæ exercitationis attenuat. sic ille. Vide quid agat abstinentia, quid elaboret castimonia? Crassitudinem carnis dedolant, corporis membra poliunt, sensúsque reddunt nitidiores, ac vegetiores.

Castitas mentem carnemque polit.

En habitus animæ nobilioris, quem planè Deus ipse in carne, quam sibi aduniuit, purissima, hominibus demonstrauit. Etenim pulcherrima illa est sententia S. Maximi monachi *serm. exhortat*: Deus homo factus politiam

S. Maxim. Politiā Christus docuit.

B Diuinæ vitæ nobis ostendit. sic ille. Contrà verò quanta rusticitas, ac fœditas in vitiosa carnis voluptate sordescit? Iccirco castimonia reges, ac principes decet, vt acutiùs videant, sapientiùs prouideant, feliciùs moderentur: nec enim vlli mortalium sublimior ad imperandum facultas diuinitus concessa legitur, quam Eliæ, idque ob Virginitatis meritum, vt S. Greg. Nyss. *de Virginit. c. 6.* his verbis contestatur.

Regem decet castitas.

S. Greg. Nyss. Eliæ summa imperandi facultas ob virginitatē.

Elias ob virginitatem Dei munerum quæstor aliquis, cum ex potestate quadam cæli administrationem haberet, illius, & peccatoribus obstruendi, & iis qui pœnitentiam agendo resipiscerent, aperiendi potestatem habuit: non profectò ad eam magnitudinem peruenisset, si nuptiæ eum corporis oblectamentis molliuissent.

C hæc S. Greg. Nyss. Meritò io cælum potestatem accipit, qui nouit, voluit, potuitque domare nescium fræni, impatientem suam ipsius carnem cohibere, & gubernare.

Cælum potest regere, qui carnem cohibet.

4. Sed quid est, quod rex inter delicias aulæ regiæ, etsi parum abfuerit, quin pulchram illam fœminam assumeret, nihilo tamen minùs suæ cupiditati potuerit temperare? Non occurrit vlla mihi ratio melior, quam quòd iste rex alterius (fortè patris) cui successerat, exemplum meminerit, qui scilicet Abrahæ Saram sub eodem sororio velamento ignotam ducens vxorem. moltis propterea, & grauibus fuerit a Deo calamitatibus flagellatus, vt iam in superioribus visum est. Sapientissimus plane Rex, qui malo alieno edoctus simi-

Sapit qui alieno periculo cautior est.

D le non est ausus adire periculum. Cum igitur frequentia sint, & non satis deploranda multorum & grauium quidem virorum propter amores fœminarum exitia, quis erit tam audax, tam demens, tam impudens, qui se in voluntarium proiiciat discrimen, in quo videt constitutos alios miserrimè periisse?

Exitiales fœminarum amores.

Hoc idem argumentum pertractans S. Cyprian. *de singul. Cler.* ita nobis sapienter consulit.

S. Cyprian.

Nolumus vos experiri præcipitia ruinarum, metuite quantum potestis eiusmodi casus exitia, & in ista subuersione labentium vos experimenta perterreant. Nimiùm præceps est, qui transire contendit, vbi alium conspexerit cecidisse: & vehementer infrænis est, cui non incutitur timor alio pereunte.

Doceant nos aliorum casus.

Amator verò est salutis suæ, qui euitat E alienæ mortis incursum: & ipse est prouidus, qui solicitus fit cladibus cæterorum. hæc S. Cyprian. Non alibi, quàm in hoc loco, frequentiora, & magis deploranda inter homines exempla quotidie produntur, nec tamen cauemus, nec aliorum congestis funeribus perterriti nobis ad honorem, & vitam corporis, animæque prouidemus. Profectò alienæ clades, & ruinæ prouidos nos, ac solicitos facere debuissent, non enim alius naturæ, conditionísque sumus, atque illi, quorum clades & ruinas historiæ gentium prodiderunt. Et rex barbarus, ne præceps rueret in flagitium alieno malo

Imprudens aliorum ruinis non docetur.

A edoctus insanum cohibet appetitum: at nos hodie post tot, tàmque fœdas toto orbe strages ob libidinem editas non timemus, non concupiscentiam in corporum, animarúmque exitia irruentem prudentiæ, ac prouidentiæ frænis cohibemus? Benè S.Hieron. exclamat: Quid mihi, & voluptati, quæ breui perit? Quid cum hoc dulci, & mortifero carmine Sirenarum? noli illi subiacere sententiæ, qua in hominem est illata damnatio: In doloribus, & anxietatibus paries. S.Hier. *ad Eustoch. de Virgin.* Eadem sanè voluptas in viris dolorum, & morborum, ac mortis etiam solet esse feracissima.

Exitialis libido.

D.Hieron.

Voluptas dolorum ac mortis fœcunda.

5. Ad regem hucusque verba supradicta retulimus. LXX. verò videntur ad principes regis filios, aut cognatos referre; vertunt enim ἐκ τοῦ γένους μοῦ, *aliquis ex genere meo.* Hoc enim genus hominum, cum inter delicias fuerit enutritum ac delicatiùs viuat, ardentiore cupiditate in quascunque voluptatum illecebras fertur. Nam si etiam cum huiusmodi aduersario colluctans procul à deliciis, a lenociniis, ab epulis, à cantibus lasciuis, à fomentis, à corporis denique indulgentiore cura inter asperiora religiosæ vitæ studia difficile tamen victor euadit: quid de nobilibus, delicatis, aulicis, principibus sperandum erit, qui perpetuis affluunt omnium carnis voluptatum irritamentis? Non nisi cum pelle Eliæ eiusdem spiritus, & virginitas, qua in sublime triumphaturus assurgit, coniungi potest, quam duplicatam hæreditarè discipulo in terris adhuc agenti, & in certamine carnis luctaturo abiens in cæC lum reliquit. Hoc enim sensu scripsit S. Gregor. Naz. de S. Basil. Laudas (inquiens) Elisæi præclaram hæreditatem, melotem inquam illam, quam Eliæ spiritus comitatus est: sublimitus Elisæo datam pellem, nimirum carnis extenuationem, & maciem. sic Nazianz. Profectò Dei legem obseruare (quo nihil illi gratius) non poterit, qui carnis appetitiones seueritate Christianæ mortificationis non coërceat. Quod illa Virgo, & sponsa præstabat, dicens: *Messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Cant. 5. Vtique myrrha mortificationem, aromata nostræ erga Deum pietatis obsequium significant. In qua explicatione locum expendens D Theod. ad hunc modum colligit. Qui enim carni, & mundo sensum mortificauerunt, eum spiritui dicant, Deóque veloti quendam aromatum fructum præceptorum offerunt obseruationem. hæc ille. Hæc sunt aromata castitatis; contra verò libidinis fomenta sunt, quos isti effœminati exhalant odores. Meritò exclamat S. Cyrill. Hierosol. *catech.* 12. Exterminetur suffimentum voluptatis inescatiuum. sic ille. Alij simpliciùs, & fortè accommodatiùs intelligunt, non quidem de rege, aut principibus, sed de quocunque viro ex populo, qui audiens Rebeccam sororem esse Isaac, sine vllo timore in amorem eius exardescit; cumque sit triplex incendij fomes, fœmina, & pulchra, & peregrina, certum est obuio cuique periE culum patrandi flagitium. Ipsa enim quotidiana experientia comprobat, quàm vera sit illa sententia S. Cyprian. quæ habet: O quàm inordinabilis fœminæ propinquitas iaculatur, cuius vicinia est delictorum latrocinium! Non est in hac societate sinceritas approbabilis, quæ collisiones habet velut quibusdam fluctibus turbulentas. Fecit quidem viro Dominus mulierem adiutricem, sed serpentis inuidia personam sumpsit hostilem. hæc S. Cyprian. *de singul. Cler.* Tam certum igitur est, hominem cum serpente habitare, atque cum fœmina versari; cuius consortium egregiè dicitur de-

Deliciis in luxuriem detrudunt.

Etiam mortificati pertentantur à carne.

4. Reg. 2.

Castitas cum mortificatione carnis.

Eliæ Virginis pallium.

S.Greg.Naz.

Mortificatio Christianis necessaria.

Cantic. 5.

Theod.

Odores libidinem fouēt.

S.Cyr. Hier.

Periculosa fœmina propinquitas.

S. Cyprian.

Mulier viro serpens.

A lictorum latrocinium. Illic enim vitia veluti prædones, non tam in insidiis latent, quam in aperto viam obsident, & viatorem ad prædam, ad iaculum, ad necem operiuntur. Hæc mortalium generi communis est Scylla, & Carybdis, hæc virorum frequens vorago infinitis, ac fœdissimis nobilitata naufragiis.

Exitialis consuetudo mulierum.

6. Addit Rex: *Induxeras super nos peccatum grande.* Non est in Hebr. *grande*, sed tantùm אשם *axam*, quo significatur *peccatum*, itémque *pœna*, siue *desolatio*: quæ omnia rectè conueniunt adulterio. Cæterùm hac de re in superioribus sæpe, multúmque disseruimus. Est autem Hebraismus: *Inducere super aliquem peccatum*: hoc est, præbere aliB cui occasionem peccandi. Denique Regis edictum statuitur: *Qui tetigerit hominis huius vxorem, morte morietur.* Hebr. הנגע באיש ובאשתו; *Qui tetigerit virum istum, & vxorem eius*: Nam violatio vxoris insigniter virum illius lædit, ac dehonestat. Tam antiqua lex est, quæ pœnam præscribit pro adulterio, & iustè quidem, quia vti rex vocauit *axam* desolationem; iure optimo timeri potest extrema regni vastitas diuinitus irroganda, vbi contra Diuinum, humanúmque ius adulteria perpetrantur. Quàm verò sit iste ignis eradicans, vt vocatur apud Iobum *cap.* 31. & consumens omnia, velut incendium gehennæ, contestantur ipsæ gentium clades, & prouinciarum, regnorúmque excidia, quibus effusas mortalium impuritates expiari, & puniri voluit Deus omnipotens. Ac de Imperij Romani extrema vastitate ob istud flagiC tium à Gothis, VVandalis, aliisque barbaris inducta latè disserit S. Saluian. illius temporis oculatus, & integer testis. Colligit ergo: Et miramur si miseri, qui tam impuri sumus, miramur si ab hoste viribus vincimur, qui honestate superamur! Miramur si bona nostra possident, qui mala nostra execrantur? hæc ille, *lib. 7. de prouid.* Quod autem barbari honestatem, qua Romani carebant, præ se ferrent, sæpius idem eodem inculcat libr. videlicet: Ecce (inquit) inter Gothos non licet scortatorem Gothum. Fornicatio apud illos crimen, atque discrimen est, apud nos decus. ita Saluian. de Gothis, qui simplicem fornicationem, quam Romani tunc temporis non culpæ, sed hoD nori tribuebant, capitali pœna mulctabant. Sed quid de VVandalis? ita loquitur. Ab VVandalis remota est omnis carnis impuritas. sic ille. Subinfert demum: Nec illos naturale robur corporum facit vincere, nec nos naturæ infirmitas vinci. Nemo sibi aliud persuadeat: Sola nos morum nostrorum vitia vicerunt. hæc S. Saluian. Gentes quidem illæ nec viribus, nec militari peritia, nec armorum apparatu Romanis præstiterunt, sed quia honestiùs viuebant. Romanos vbique tunc impuritate infames facilè superarunt. Obiter videas male quosdam gloriari de sanguine Gothorum; barbari erant, infirmi erant, propter aliena peccata vicerunt.

Adulterium toti regno exitiale.

Iob. 31.

Romani ob impuritatem victi à barbaris.

S.Saluian.

Gothorum pudicitia.

Vuandali casti.

S.Saluian.

Romani ob delicta victi à gentibus.

Gentes castæ vicerunt Romanos luxuriosos.

Non gloriandum de sanguine Gothorum.

7. *Seuit autem Isaac, &c.*] Quia famem, & pereE grinationis suæ molestias Isaac patienti animo tulit, nec de Domino conquestus est, ideò vberrimam, & quæstuosissimam frugem collegit. Nunquam enim suo fructu priuatur iustorum patientia. Sic etiam (vt benè obseruauit S. Ambros. *de Isaac. cap.* 4.) concepit Rebecca, & patientia sua nodum sterilitatis absoluit, &c. Ac vir quoque illius patientia sua nodum sterilitatis in tellure absoluens ingentem copiam frugum comparauit. Semper enim (vt ibidem adiungit) virtutis labor quærit victoriam, &c. adde, & assequitur. Contrà verò mortalium ignauia multorum bonorum iacturam

Patientia fructu non caret.

S.Ambros.

Virtus laborat cum fructu.

ćturam induerit: præsertim hoc cernitur in dispendio spiritualium opum. Hinc illa sententia, & vera & cóprobata quotidie a S. Ephrem *serm. de pat. & comp.* apponitur: Desidia telum est inimici, quo multos vulneratos deiicit, &c. Vide benignitatem Domini, & viri iusti industriam. Anno illo, in quo fames totam Palæstinam penè depopulabatur, non dubitauit Isaac Diuina ope subnixus afflicto, & sterili solo sementem committere: nec vana spes, irritúsque labor: inuenit enim (vt legitur) in ipso anno centuplum. Bene Procopius obseruat: Præsens (inquiens) locus nos admonet viro bono agriculturam, & cætera vitæ studia ex animi sententia succedere: & subinde omnia vberiùs prouenire, vltimo successu semper antecedentem excellente instar hordei, quod Isaac centuplum recepit. Quapropter inquit Dauid: *Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur.* Psalm. 36. hæc Procop. Cæterùm in verbis Psalmi sensum spiritualem agnoscit S. Hieron. de iustis, qui de Dei (inquit) gratia saturantur. Hæc satietas iostotum interna est in ipsa conscientia diuinis affluente consolationibus, vti placuit D. August. quam Paulus habebat, cum diceret: *Gloriamur in tribulationibus*, ad Rom. 5. Nam ille (inquit S. August.) vnde gloriaretur, si egestatem intus pateretur? Videbantur foris angustiæ, sed intus latitudo erat. Quid autem facit malus, cum cœperit tribulari? foris nihil habet: ablata sunt omnia; in conscientia nullum solatium est: non est quò exeat, quia dura sunt: non est, quò intret, quia mala sunt. Meritò ei fit, quod sequitur: *Quoniam peccatores peribunt.* Consolatio non est in externis. hæc S. August. Peribunt autem impij, quando (vt subnotauit S. Hieron.) erunt vacui. Quare iustorum animæ cœlestibus gaudiis abundant, qoibus omnino carent improbi, qui lutum auro, terram cælo, carnem spiritui, mundum Deo prætulerunt. Seminarunt beatissimi Apostoli Dei sui verbum in multa patientia, in angustiis, & reliquis molestiarum, afflictationúmque generibus, quæ à Paulo recensentur; sed amplissimos, atque vberrimos diuinarum frugum prouentus collegerunt. quod vno verbo ita perstringit S. Ambros. *lib. de Isaac. cap.* 4. Apostoli fœcunditate prædicationis suæ totius orbis terrarum spatia referserunt: & quamuis in corpore constituti, nulla tamen cursus spiritualis sensere dispendia. sic Ambros. Homines quidem erant corporea mole prægrauati; attamen spiritus agilitas iisdem tanta inerat, vt supra totam naturæ sarcinam, Dei verbum disseminantes vniuersum orbem peragrarent Euro ipso (vt ita loquar) velociores. Grauat autem spiritum corporis moles, sed multò magis corporis passiones, animam ad lutum illecebrarum, opum, & honorum terræ deprimentes; quibus tamen liberæ videbantur Apostolorum mentes ad diuina tantùm anhelantes.

S. Ephrem. Desidia telum diaboli.
Iustus in virtutibus augescit. Procop.
Psalm. 36. D. Hieron. *Satietas ex bona conscientia.*
ad Rom. 5. D. August.
Vera consolatio iusti, non iniusti est.
D. Hieron.
Apostoli sine virtutis damno mundum conuerterunt.
S. Ambros. *Apostoli animis & corporibus expediti.*
Grauat animam terra cupiditas.

8. Noster interpres vertit *Centuplum.* Hebr. *xegharim* שערים *æstimationes, mody, mensuræ.* Itaque collegit Isaac centum modios, siue mensuras tritici: quod etsi parum videatur, tamen in tanta infœcunditate soli, ac cæli ariditate, apud Chananæos illos instar fuit miraculi: qui sensus videtur insinuari, cum scribitur: *Seminauit Isaac in terra illa*, scilicet infœcunda, & ferè desolata, & inuenit in ipso anno centuplum; in quo anno summa erat sterilitas, & Palæstini populante fame non mœrebant modò, sed passim moriebantur. Ac fortasse hæc fames, mœror & congestus passim mortalium interitus in causa fuit; ne principes viri, aut plebei, etiam in tanta mortium corru-

Rerum inopia auertit à libidine.

A ptela stimulati libidine in formosissimam illam fœminam oculos inijcerent. Ad venerem quidem baiulorum instar deducunt, saturitas, risus, lusus, & cantus lasciui, vanaque spes vitæ cum mortis obliuione. At infirmitas carnis (vt bene obseruat S. Saluian. *de prouid lib.* 1.) vigorem mentis exacuit, vt affectis artubus vires corporum in virtutes transferantur animarum. sic ille. LXX. legentes, *xogharim* שעורים *hordea*, transtolerunt κριθήν, *centuplicatum hordeum*: quasi tanta fuerit vbertas messis, tantúmque Isaac collegerit, vt granis centuplicatis segetem area centuplo superaret. Cæterùm S. Hieron. non *xogharim*, hoc est, *hordeum* recipit; Nec puto (inquit) quod tanta ei fertilitas hordei

B fuerit, &c. Sunt, qui accipiant indefinitè *centuplum* pro valde magno prouentu. Quasi dicat: Collegit frugem satis copiosam Centum enim pro plotinis frequens est in scriptura Hebraismus. Præmittit deinde Moyses Dei benedictionem in Isaac effusam, vt diuitiarum opulentia, pecorum amplissimi greges, familiæ splendor, cum numerosa famulantium multitudine, famæ denique, ac nominis per totam Palæstinam dignitas, & amplitudo; quibus nobilitatus mirandum in modum excreuit Isaac, Deo beneficentissimo adscribantur. Nimirùm (quod egregiè aduotatur ab *Aug. q.* 76. *in Genes.*) vt sana fide intelligamus etiam ista temporalia dona, nec dari posse, nec sperari debere, etiam cum ab infirmioribus appetuntur, nisi ab vno Deo; vt qui in minimis fidelis est, etiam in magnis fidelis sit. hæc S. August. Hoc etiam be-

C neficium (quod homines tanti æstimant) bonorum terrestrium, quæ maximè ad tuendam vitam conducunt, suis seruis misericors Dominus interdum confert: quod apud Aggæum illustrius inuenitur. Differebant Hebræi reædificationem templi post babylonicum exilium, nec Prophetarum oraculis, & imperio Domini ad sacratum illud opus accingebantur; sed colendæ telluri, serendæ, ac plantandæ omnem operam, conatúmque adhibebant. Occurrit ergo Dominus: *Seminastis multum, & intulistis parum: comedistis, & non estis satiati.* cap. 1. Vbi optimè occurrit S. Cyrill. Alex. Atqui melius erat, Deo benedicente semi-

D nare pauca, & colligere multa. Sed quia defuit quod necessarium erat, multi quidem labores, perexigui autem fructus. hæc ille. Itaque mira describitur rerum omnium calamitas, eáque haud dubiè in supplicium: quod de suis potius commoditatibus, quàm de pietate, debitóque obsequio erga Deum, non minùs rustici, quàm impij eurabant.

Carnis infirmitas fouet castitatem. S. Saluian.
D. Hieron.
D. August. *A Deo bona temporalia sperari, petique debent.*
Aggæi 1.
Cyril. Alex. *Fructus terra à benedictione Dei.*
Inopia rerum ex defectu pietatis in Deum.

9. Igitur proprio malo edocti manus operi admouent; & quidem mense Decembri (cum summa viget hyems, terráque ad fœtus producendos inepta est) tam alacri omnes studio, vt illico Dei promissionem acceperint in hunc modum: *A die, qua fundamẽta iacta sunt templi Domini, ponite super cor vestrum: Nũquid iam semen in germine est, & adhuc vinea, & ficus, & malogranatum, & lignũ oliuæ*

E *non floruit? Ex die ista benedicam. &c.* Aggæi 2. Vbi egregia D. Hieron. paraphrasis ita se habet: Vtique nono mense, scilicet Decembri, futurarum nulla sunt signa frugum. Ecce nulla signa sunt, & tamen ego prædico vobis, quia cœpistis ædificare templum meum, ad benedictionem meam frugum omnium fœcunditatem. Vinea quoque, ficus, malogranatum, & lignum oliuæ, quæ prius vestro vitio non afferebant fructus, quia mihi nec dum cœperatis ædificare templum, tanta vuarum & pomorum abundantia curuabuntur, vt manifesta fœcunditas manifestam indicet benedictionem,

Aggæi 2. D. Hieron. *Ob pietatem dantur interdum bona terræ.*
Vitio nostro tellus infœcunda.

nem. hæc S. Hieron. Multa hic possent expendi, cuiusmodi sunt; vitio nostro sæpius terram ipsam sterilescere, nobisque in Creatorem peccantibus iusto supplicio suos denegare fructus, ita vt spes (inquit idem Hieron.) sit in oculis, luctus in manibus. sic ille. Deinde cum Dei obsequio potiùs intendimus, quàm lucro nostro, nos dignos effici, quibus Dei beneficio etiam terrestrium bonorum felicitas circumfluat iuxta illud Domini: *Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Luc. 12. Benè S. Cyrill. Alex. ex hoc loco prior. cap. Aggæi colligit. Inanis igitur eorum cogitatio, studium, labor, quoniam non potiùs ad Diuinam voluntatem exequendam se dediderunt, & rerum inhonestatum, ac terrenarum curam, ac solicitudinem studio sanctiùs viuendi potiorem duxerunt. hæc ille. Sæpius fit, vt qui terram cælo præfert, & terram & cælum perdat: & qui cælum priùs quærit, terræ bonis abundantiùs potiatur!

D. Hieron.

Luc. 12.
Cyrill. Alex.
Pij erga Deũ bonis circumfluunt.

Terram cælo præferens vtrumque perdit.

10. *Ob hoc inuidentes ei Palæstini, &c.*] Creuit Isaac rerum omnium felicitate, ac magnitudine, nec mirum, cur magnam illarum gentium sibi conflarit inuidiam. Summa enim petit liuor: nec solet aliquid inter homines eminere, quod inuidentium, & maleuolorum iaculis non impugnetur. Malum profectò non quotidianum modò, sed insolitum etiam, atque hominum corruptæ naturæ ab ipsis incunabulis ingeneratum: nec est alia pestis, quæ latius serpat, vehementiùs grassetur, maioréque, ac fœdiores edat strages animarum, quam inuidia; cuius descriptio sic proponitur à S. Gregor. Nyssen. *de vita Moysis.* Inuidia malorum princeps, mortis mater, prima peccati ianua, vitiorum radix, doloris initium, calamitatis parens, inobedientiæ causa, ignominiæ principium. Inuidia mortifer stimulus, mucro reconditus. naturæ morbus, bilis venenosa, tabes sponte adhibita, telum amarum, figens animam clauus, flamma cordis, intestinorum ignis. hæc Nyss. Pulchrè inuidia dicitur naturæ morbus. Tam latè scilicet peruagatur hæc lues, & naturam ipsam destruit, ac rationem ipsam mentis peruertit. Enimuero quando in peccatum homo rapitur, vtique bonum aliquod saltem apparens sibi comparare studet: Inuidus autem alienum malum in bonum suum computat: nec alio bono affici curat, quàm quòd alius malo afficiatur. *Venit inimicus homo, & superseminauit zizania in medio tritici patrisfamiliàs.* Matth. 13. Vt quid? (rogat optimè S. Petr. Chrys.) vt periret dominica messis? Et hoc ad lucrum quid pertinet inimici? hæc ille. Inuidit itaque homo nequam patrifamiliàs succrescentem segetem; nititur ergo illam corrumpere? quorsum verò? Quid ille ex isto alterius damno elucratur? si fortè illa ex segete fructum esset collecturus, nihil mirum si domino agri moliretur insidias. At si fructum non colligit, cur illum destruit? Nimirum diabolus, qui per inuidum significatur (vti addit S. Petr. Chrys.) inuidiæ spiritus hominum damna suum computat lucrum, & quod perierit hominibus, hoc se existimat acquisisse. hæc ille *serm.* 97. Inuident Palæstini felicitatem Isaac tam magnificè augescere. Quid hoc mali quæso in Isaac, donis Dei hominem amplificati? Sic inuidi (scribit S. Prosper. *lib.* 3. *de vit. cont. cap.* 9.) sanctè viuentium merita, sua faciunt inuidendo peccata. De bonorum malis gaudent, de profectibus lugent, ad gaudenda anxii, ad plangenda læti. hæc Prosp. Ac nascitur quidem ex superbia liuor; graue quippe superbo est videre alium se superiorem: vnde stimulatus inuidia carpit, extenuat, atque infamat, quicquid in alio videt eminere. Profectò si proximum sicut teipsum diligeres, bona illius, tanquam tua complexus gaudio gestires, non furiali cruciatu doleres. Pulchrè à S. Ambros. *lib. de conflictu vitior. ac virtut. cap.* 6. inter inuidiã, & charitatem pugna describitur. sic infit. Inuidia dicit: In quo illo, vel isto minor es? Cur ergo eis, vel æqualis, vel superior non es? quanta vales, quæ ipsi non valent? Non ergo aut superiores, aut etiam æquales esse debent. sic inuidia apud Ambros. Et quidem verè apponitur inuidiæ radix immoderatus amor, quo se, ac sua quisque exosculatur; ex quo etiam propriæ gloriæ cupiditas inardescit. Sed quid ex aduerso charitas? procedit Ambros. Verùm dilectio fraterna respondet: Si cæteros, ô homo, virtutibus antecellere te existimas, tutiùs in infimo, quàm in summo loco temetipsum seruabis. Semper enim de alto peior fit ruina. Quòd si tibi vt asseris, quidam superiores, alij æquales sunt, quid te lædit? quid tibi nocet? Caue ne dum aliis locum celsitudinis inuides, illum imiteris de quo scriptum: *Inuidiâ diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Sap. 2. hæc S. Ambros. Ah quàm multis nocuit humanæ celsitudinis fastigium: & quàm feliciter multis euenit; vt in infimo loco, ac penè luto iacentes æqualiter à culmine, & à casu distarent! Itaque siue superior, siue æqualis tibi sit proximus, charitatem accendere, non inflammare inuidiam debet.

Felix ab inuidis petitur.

S.Greg.Nyss.
Inuidia pestis mortalium.

Descriptio inuidiæ.

Inuidia extra omnem rationem.

Matth. 13.
S.Pet.Chrys.

Inuidi ex damno alterius nihil accrescit.

Diabolus hominum damna ducit suum lucrũ.
S.Pet.Chrys.

Inuidia infelicitas describitur.
S.Prosper.

S.Ambros.
Inter inuidiam & charitatem conflictus.

S.Ambros.

Sap. 2.
Tutior locus infimus.

11. Vide quò processit Chananæorum inuidia? puteos tempore Abrahæ fossos (vt clarè colligitur ex serie verborum, etsi LXX. videantur dissentire) nunc in odium Isaac, cui in dies magis succrescenti inuidebant, obturauerunt. Bene illud:

Inuidus alterius rebus macrescit opimis.

Improbi homines, qui sibi tantùm bona omnia arrogant, ac simul inuidi, qui aliis bona obstruunt: io illo fugiendi. in isto præcauendi iuxta consilium D. Ambros. 2. *offic. cap.* 30. quod sic habet. Fugite improbos, cauete inuidos. Inter improbum, & inuidum hoc interest: Improbus suo delectatur bono, inuidus torquetur alieno. Ille diligit mala, hic bona odit; vt propè tolerabilior sit, qui sibi vult bene, quàm qui malè omnibus. ita S. Ambros. Superat quidem omnem improbitatem inuidia. Illa enim in bonum aliquod (vt paulò antè monuimus) fertur, ista malo tantùm pascitur. Insignis planè istorum malitia. qui non modò opes, & greges, & familiam, & famæ gloriam inuident, sed etiam ipsammet, quam bibimus, aquam. Hoc enim subnotauit S. Chrysost. Considera (inquiens) quanta illorum malitia, qui & aquas iusto inuident. ita Chrysost. Sed ô stultitiam incredibilem, atque stuporem, vel ipsis indignum bestiis! Obstruunt puteos, aquam auertunt, qua etiam ipsimet priuentur, ne alium illa frui conspiciant: cum potiùs immortales debuissent habere gratias homini, qui communi prouidens commodo puteum omnibus ad hauriendam aquam proprio labore, atque expensis aperuisset. Cæterùm (vt Procopius animaduertit) affectibus nimiùm dediti, beneficiorum memoriam penitus abolent: potiúsque damnum pati, quàm ab his, quos oderunt, beneficia accipere velint. Illi putei etiam patebant Palæstinis inde haurire volentibus, nec soli sibi eos asserebat Isaac. hæc Procop. Quasi dixerint: Pereamus pariter omnes, modò ille non bibat; nec enim nobis aqua, vel ipsa vita dulcis erit, si ille simul aut bibat, aut viuat. O intolerabilem insaniam!

Tormentum inuidi.

S.Ambros.

Excedit omnem improbitatem inuidia.

S.Chrysost.

Procopius.
Inuidorum stupor & stultitia.

Inuidorum dicta & facta insana.

12. Obstruunt humo limpidam, ac viuam aquam

aquam Palæstini, typum gerentes inuidorum; qui A
cum iustorum virtutes ac recte facta negare non
possunt, ea calumniis dicteriisque solent pol-
S. Prosper. *Inuidorum lingua.*
luere. Nimirum (vt pereleganter scribit S. Prosper.
lib. 3. de vit. cont. cap. 9.) opinionem bonorum men-
daciis decolorant, in spiritualibus carnalia lau-
dant, vt spiritualia bona eis deesse persuadeant.
Mali doctores Iudai. Origen.
ita S. Prosp. Palæstini malos Iudaicæ legis do-
ctores significant, qui (vt loquitur Origen. *homil.*
13. in Genes.) aquas oderunt, terram diligunt; qui
in lege terrenam & carnalem intelligentiam po-
nunt, & spiritalem, ac mysticam claudant, vt ne-
que ipsi bibant, neque alios bibere permittant.
sic Orig. Hos sequuntur, & imitantur hæretici
talium scilicet genimina viperarum: Per quos B
Rupertus.
(inquit Rupert.) diabolus, quia non poterat vi
persecutionum extirpare Euangelium, veritatem
Heretici deprauant scripturam.
corrumpere conatus est scripturarū. Puteos enim,
hoc est scripturas, quantum in ipsis fuit, hæretici
obturauerunt, vt non facile inueniri posset, vbi-
nam esset doctrina veritatis. sic ille. Sed heu nos
miseros! Itáne verò, vt nobis hæretici limpidam,
& viuam aquam scripturarum congestis errorum
& mendaciorum cespitibus, ac sordibus auertant?
Psalm. 2. Rupertus.
At *qui habitat in cœlis, irridebit eos.* Psalm. 2. Addit
enim optimè Rupert. Sed rursum fodit Isaac alios
puteos, & quos etiam Philisthiim obstruxerant.
Doctorum scientia contra hæreses.
Semper enim quæcumque hæresis expurgatur,
semper vtique, & præstò Christus adest, & de suis
aliquos præparat scientia & sermone ornatos mu-
nere suo, qui stare valeant aduersus loquaces hæ-
reticos, & mera veritate scripturarum sitientes C
potare paruulos. hæc Rupert.

13. *Recede à nobis, &c.*] Ne Rex quidem à vitio
suæ plebis alienus est. Sic regum, & populi fa-
uor instabilis, quem paulò antè omnes admira-
bantur, & honorabant, subitò nunc inuidentiæ
telis consauciant, & violenter abire compellunt.
Inuidia etiā rex contabescit. D. Chrysost.
Et neque Rex (inquit S Chrys.) qui in tanta pote-
state erat, inuidiam continere potuit; sed dicit:
Recede à nobis, quia potentior nobis factus es valde.
Magna maleuolentia. Cuius gratia abigis iustum?
Num aliqua in re tibi nocuit? sed ita se habet in-
Magna infelicitas inuidorum.
uidia; nihil cum ratione operatur. Ita agere solet
inuidentia; non potest benigniter videre aliorum
felicitatem, sed felicitatem proximi suam putat D
infelicitatem, & tabescit bonis proximi. hæc S.
Monstrum est inuidus homo.
Chrys. Monstri planè instar est, hominem ab om-
ni prorsus alienum ratione, ita in seipsum desæ-
uire, vt aliorum bonis torqueatur, & contabe-
scat. Itáne verò, vt aliena salus, mea sit pernicies?
hoc vno moriar infelix quod alium viuere in-
Inuidus commiserationē haud meretur. S. Prosper.
tuear? O morbum immedicabilem! Quis enim
(ait S. Prosper, *lib. . de vit. cont. cap. .*) ei poterit
subuenire, qui se sibi exhibet inuidendo carnifi-
cem? Vnde sibi parabit salutem, qui de salutis ma-
teria facit perniciem? Ac Deum quidem vehemen-
tius quàm hominem offendit inuidus: quippe Dei
dona in homine odit, atque impugnat. *Recede* (in-
Inuidus Deum offendit, & irritat. S. Chrysost.
quit Rex) *à nobis, quia potentior nobis factus es.* Quia
videlicet (exponit S. Chrys.) supernum habes præ- E
sidium in omnibus, dexteráque Dei munitus es.
Imò oportebat eum spectare, & attendere, quem
omnium Deus tanta gratia prosequebatur, & Dei
exemplo magis fouere, ei seruiendo, vt honore
in illo collato, etiam ipsi Diuinum sibi fauorem
Inuidus Dei dona odit & persequitur.
conciliarent. At expellunt, &c. hæc S. Chrys. Id-
circo Dominus mirandum in modum execratur
hoc vitium. quo inuidus in illum, illiúsque dona
suam omnem virulentiam distringit. Inuidus enim
S. Prosper.
(vt rectè animaduertit S. Prosper, *lib. eodem. cap. 5.*)
odio hominis persequitur Diuinum munus in ho-
A mine: cum potiùs amari homo debeat etiam pro
sui meriti sanctitate. Tantos inuidus habet pœna
iusta tortores, quantos inuidiosus habuerit lau-
datores. Siquidem inuidiosum facit excellentia
meriti, inuidiam pœna peccati. hæc ille. Quare *Felix est, cui inuidetur.*
sicut summa est infelicitas inuidere, sic arguit fe-
licitatem inuideri. Nisi enim succreuisset Isaac,
nisi felicitate sua Palæstinis, regique illorum te-
nebras offudisset, non istiusmodi homuncionum
aduersus gigantem (vt ita loquar) inuidia exar-
desceret.

14. At ô Rex, qui fieri potest, vt teipso poten- *Miseria regis, qui inuidet.*
tiorem reputes hominem peregrinum, & agrico-
lam, & fruge sua, quam ipse excoluit, & gregibus,
B quos pascit, abundè contentum? Vbi fasces regij,
vbi corona, sceptrum, aula, regnum, quæ tu om-
nia possides? Miror infelicitatem inuidentis, &
arrogantis. Quicquid ille peregrinus habet, quod
suum Rex non iudicat; maius & illustrius, quàm
vniuersa regni censet insignia. Sic ille non minùs *Inuidus sua non æstimat videns aliena bona.*
inuidus, quam superbus Aman cum magnitudi-
nem suarum opum, filiorum numerositatem, gra-
tiam super omnes regni principes apud regem As-
sueru, denique spectabilem toti orbi gloriam
suam amicis exposuisset: adiecit tamen miser: *Et*
cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quādiu
videro Mardochæum Iudæum sedentem ante fores re-
gias. Ester 5. O deploranda hominis miseria! cum Ester. 5.
tam incredibili bonorum affluat amplitudine, ni-
hili omnia reputat, nihil se habere indicat, quan-
diu captiuum ante fores palatij sedentem videat.
C Hoc vnum, nempe sedere ad fores regias, quod in
captiuo videt, suis opibus & gloria putat esse lon-
gè felicius, & optabilius. Hæc fuit infelicitas *Achab ver vineam pauperis concupiuit.*
Achab, qui regno Israelitarum potitus in lectum
decidit, & inedia vsque ad mortem se confecisset;
eò quòd vnius pauperis vineam, quam concupie-
rat, non possideret. 3. *Reg.* 21. etiam pauperi tenue 3. Reg. 21.
peculium rex inuidet; veluti gazam regiis the-
sauris opulentiorem. Certum est enim quod ce-
cinit Poeta.

Fertilior seges est alieno semper in aruo:
Vicinumque pecus grandius vber habet.

Admirabilis plane Isaac maximarum virtutum
splendoribus illuxit: audiens enim tam iniquum
D regis edictum, non iratus, non indignatus, non
conquestus verbum vllum respondit, sed patienti *Mira patientia Isaac.*
animo humilis, & mansuetus, inde sublato tento-
rio, cum tota familia demigrauit: sequitur enim:
Et ille discedens, vt veniret ad torrētem Gerara, habi-
taretque ibi. benè Procop. Intuere (inquit) sinceri- Procopius.
tatem, & probitatem Isaaci. Nam cum primùm *Litigare noluit Isaac.*
audiuisset esse discedendum, continuò discessit:
nec in ius ambulare instituebat cum his, à quibus
fuerat affectus. sic ille. Abiit igitur Isaac, & hu-
militate, ac patientia flagrantem Palæstinorum,
regisque inuidiam sedauit. Pulchrè ad filium ac-
commodes illud de Abrahamo patre dictum à S.
Ambros. *lib. 2. de Abraham. cap. 4.* Grande virtutis S. Ambros.
mysterium, cui citò inuidetur. Et ideo vt inuidiam *Humilis inuidiam sedat.*
E reprimat, humiliorem se præstare debet. ita S.
Ambros. Auget modestiam, & humilitatem Isaac
certa, & firma illius in Deo fiducia, & maxima ab
ipso accepta dona, quibus se longè videbat bar-
baro rege superiorem: sed tamen ita se gessit, ac
si non Diuinæ beneficentiæ opem, nec vlla Diui-
næ bonitatis munera in seipso expertus esset.
quod S. Chrys. ita subnotauit: Vide iusti magnam S. Chrysost.
mansuetudinem, quomodo non superbiuit; neque *Isaac humilis & mansuetus.*
videns reipsa Diuinam sibi gratiam assistere con-
tra regem, fretus commilitantis virtute insurre-
xit: sed quasi vir omni patrocinio carens, & nul-
lum

A. lum auxilium aliunde expectans, multa cum mansuetudine, ne verbis quidem resistens, fecit quod sibi à rege præceptum est, & statim illinc discessit. hæc S.Chryſ. Admiranda ſane humilitas, quam sancti viri præferunt, vt diuinis ornati muneribus, Deique gratia perenniter sibi assistente potiti, nihilo tamen minùs ita laborent, ita se humilient, ita malorum iniurias perferant; ita parui, & nihili sint in oculis suis, ita sibi (quod maius est) timeant, ac si donorum suorum, virtutúmque nullo pacto conscij forent.

Mira iustorum humilitas.

15. Huius humilitatis fastigium, seu abyssum potiùs profundissimam in nullo mortalium (post Christum Dominum humilitatis doctorem) reperimus, præterquam in beatissima semper Virgine

B. Dei Matre: nam etsi alij sancti humilitatem exhibuerint, inter Dei munera, quibus erant affecti; nullus tamen extitit illorum, qui vitio, labéque omni caruerit. Humiles quidem sunt, sed inter Dei beneficia, nonnihil vitiosum ex seipsis agnoscunt, quo quidem confusi humiliantur. At Virgo Mater videns se Deo plenam, Deum Virginali vtero gestare, intemeratóque partu Deum parturire, Deum in vlnis, & ad vbera fouere; inter hæc tamen, vel ipsis Angelis incomprehensibilia mysteria tacet Virgo modestissima, humilitatísque velamine præcellentissimam dignitatem suam occultat, vt cum sit vera Dei Mater, ac proinde rerum omnium Domina, & Regina, ita se tamen gerat, ac si tantùm esset ancilla; quem vnum suorum titulum libens & gaudens prædicabat.

Nemo iustus sine vllo vitio.

Incomprehensibilis humilitas B. Mariæ.

C. Student mulieres ornatui suo, vt præcipuè faciem colorent, ac venustent: & collum pulcherrimis ex auro, & margaritis adornatum monilibus ostentent. Quæ duo in sponsa illa sæpiùs laudantur in Cant. 1. & 2. *Cuius facies decora, & collum sicut monilia.* Qui locus vti à S.Ambroſ. *lib. de Isaac. cap. 3.* exponitur de anima, sic optimè in Virginem Matrem conuenit. Laudatur (inquit) quòd speciosa, quòd pulchra sit, quæ vultu præferat castitatis decorem; & redimicula ceruicis attollat, in qua sunt patientiæ, & humilitatis insignia. hæc S.Ambroſ. Pretiosissima quidem, & pulcherrima pariter Deiparæ Virginis ornamenta virginitas, & humilitas. O Virgo Virginum, ô benedicta inter mulieres; & te talem cognoscis, & vides; attamen inter postremas te reputas, ad seruiendum ancilla constituta ceruicem deprimis humilitate, ac patientia sic exornatam, vt non minùs quia Virgo, quàm quia humilis, Dei oculos, amorémque tibi deuinxeris.

Muliebre studium formæ.

Cant. 1. & 2.
S.Ambroſ.

Duo ornamenta B. Mariæ.

D. Enimuerò *Deus omnipotens humilia respicit, & alta à longè cognoscit.* Psalm. 112. Non enim (declarat S.Laurent. Iustin.) patitur superbos appropinquare sibi, nec secum aliquod vult habere consortium; cognoscit quidem illos, sed à longè, vt redarguat, vt corripiat, vt emendet, & ipsi cognoscant se, erubescant de se; compungantur in se, & displiceant sibi. hæc Iust. *lib. de humilitate cap. 8.* Sed quæres adhuc, vnde hæc tanta sit superborum à Deo distantia; vt, qui rebus omnibus intimè præsens est, superbos

Psal. 112.
S.Laur Iust.
Humilitatē à suis Deus exigit.

E. tamen de longè cognoscat? respondet idem Laurent. De cordis habitaculo humilem Redemptorem repellunt, reddúntque animam ignobilem, contemptibilem, & Dei copulatione indignam. sic ille. Contra verò summus ille atque altissimus Deus, qui se humiliauit, & exinaniuit, humilibus se intimè ac familiariter inserit; & quia Virgo Mater omnium creaturarum rationalium humillima extitit, ideirco sola ipsa tantam cum Deo coniunctionem habere meruit, vt vera illius Mater efficeretur.

S.Laur. Iust.
Superbi Deū à se repellunt.

B. Maria Deo coniunctissima, quia humillima.

SECTIO III.

Rursum fodit alios puteos, quos foderant serui patris sui Abraham, & quos, illo mortuo, olim obstruxerant Philistym: appellauitque eos, &c. vsque ad *super terram.*

1. Pulsus à rege, atque ab aulicis ob inuidiam rixarum, & odiorum matrem Isaac, venit ad torrentem Geraræ. Hebr. נחל *nachal.* L.XX. vertunt *vallem.* Vtrunque significat vox Hebræa; si Iosepho credimus, dicta est hæc vallis Pharan, per quam decurrebat exiguus torrens. Igitur Isaac in primis aggressus est puteos effodere, ad familiæ suæ, gregúmque omnium commodum; nec enim illa regio plerunque fontibus scatuit: tum etiam in vtilitatem Palæstinorum, à quibus malè affectus fuerat; vt inuidos, & inimicos grandi illo beneficio emolliret, ac sibi redderet obligatos: tum etiam, vt manifestò demonstraret mitem, ac pacatum animum, in quo, licet iniuriis appetito, nulla tamen vel tenuis remaneret iniuriarum recordatio. quod ita refert Procop. Quidam inquiunt Isaacum, vt omnibus esset beneuolus, nec ampliùs iniuriarum recordaretur, fontes illos obturatos refodisse, & repurgasse, affectans beneficiis illorum iniurias superare. sic ille. Et adhuc tamen non audierat Isaac, quod nobis à Domino sæpiùs iniunctum est; *Diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderũt vos.* Matth. 5. Diligite nimirum, quia si quis amore Dei, ac proximi communitum pectus habet; iræ, quamuis lacessitus, indignationi, odio, & vindictæ, atque adeo cuicunque impatientiæ aditum non præbet. Hoc ipsum S. Paulin. familiariter scribens ad amicum eleganti verborum vrbanitate concludit: sic enim ait, *Epistola* 18. Abutimur patientia vestra, & ita repletum pectus vestrum nostri amore confidimus, vt offensam nostri non capiat: etiam si faciamus iniuriam, qua mereamur offendere, si vos vnquam à nobis vel merentibus possitis offendi. hæc S. Paulin. Vide quàm sit vir iustus animo generoso, qui nullis iniuriarum offensis se reputet offendi: quippe cum hoc vnum sciat, quòd diligat proximum. At est inimicus; quî ergo & tolerari, & amari debet? ne inimicum respicias, sed hominem, ac proximum consideres, subtiliter Dominus admonet in parabola zizaniorum, cum adiungit: *Inimicus homo hoc fecit.* Quem locum expendens Euseb. Emiss. in S.Matth. sic animaduertit. Inimicus homo est, inimicus, quia peccator; amicus, quia homo: dilige hominem; habe odio peccatorem. Quare quando dicitur: *Dilige proximum tuum,* naturam hominis intellige. sic ille. Illud etiam mihi videtur insinuari verbis illis: *Inimicus homo:* vt vnusquisq; admoneatur, quòd ipse homo sit, multáque proinde habeat vitia, quæ aliis materiam præbeant patientiæ. Quare ô homo, tolera homines, si vis te hominem ab hominibus tolerari: iuxta consilium Apostoli. *Alter alterius onera portate.* ad Galat. 6.

Isaac beneficus erga inimicos.

Iniuriarum oblivio.

Procopius.
Bono malum rependere.

Matth. 5.
Iustus iniurias remittit, imò non sentit.

S.Paulin.

Diligendus est inimicus.

Euseb. Emiss. Matth. 5.

Vnusquisque alijs patientiæ materiā præbet.

ad Galat. 6.

2. Et quidem homo patiens dignus esse solet, quem homines æquo animo patiantur: quod Ferránd. *reg. 6. ad Reginum,* sic ad verba Pauli dispungit: Nullus onus portans per patientiam fit importabilis omnibus. ita Ferrand. Diacon. Hoc idem Apostoli consilium de mutuis oneribus portandis D.Aug. pulchra ceruorum similitudine sic exponit *lib. 83. quæst.* Nunc cum in hac via, id est, in hac vita sumus, onera nostra portemus, vt ad eam vitam, quæ caret omni onere, perueniamus.

Ferrand.

Mutuò sæpius tolerandi.

D.Hieron.

Sicut

Mirum ceruorum ingenium.

Sicut enim de ceruis nonnulli scripserunt, cum fretum ad insulam transeunt pascuorum gratia, sic se ordinant, vt onera suorum capitum, quæ gestant in cornibus, super inuicem portent: ita vt posterior super anteriorem ceruice proiecta caput collocet. Et quia necesse est, vnum esse, qui cæteros præcedens non ante se habeat, cui caput inclinet, vicibus dicuntur id agere: vt lassatus sui capitis onere ille, qui præcedit post omnes redeat, & ei succedat, cuius ferebat caput, cum ipse præiret. Ita inuicem onera sua portantes fretum transeunt, donec veniant ad terræ stabilitatem. hæc S. August. Psalmum quartum composuisse videtur Dauid de coniuratione principum, & magnatum Israel simul cum Absalone. At quid de illis ingratis, & infidis suo regi, qui filium armatum in patrem secuti regem à Deo constitutum subrogato alieno, imputo, & parricida regno spoliarunt, & in fugam compulerunt? O admirabilem patientiam! ô charitatem nullis iniuriarum, & persecutionum procellis succumbentem! *In tribulatione* (inquit) *dilatasti mihi.* Legunt alij: *In angustijs constitutum educis in latitudinem.* Nimirum cum essem vndique periculis circundatus, tua ope, Deus meus, in apertum ac liberum campum subitò sum eductus, vbi respirare, ac discurrere possem securus. Ab angustiis (declarat S. August.) tristitiæ in latitudinem gaudiorum me duxisti, vt ille ait: *Gaudemus in tribulationibus, &c. quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Rom. 2. & 5. non habet cordis angustias, quamuis extrinsecùs à persequentibus ingerantur. sic August. videlicet, quia charitas illa diffusa in corde, animam educit in latitudinem: dilatantur etiam spatia charitatis, vt alibi notat idem August.

Patientiam mutuam docent cerui. — Psalm. 4. — *Patientia & charitas erga inimicos.* — D. August.

3. Hunc eundem Apostoli locum cum Psalmi verbis coniungens ita S. Chrysost. *in* 4. *Psalm.* explicat. Vt discas etiam ex voce Apostoli, quàm latus, & liber campus oriatur ex afflictione, audi ipsum Paulum dicentem fructum afflictionis: *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem, spes autē non confundit.* ad Rom. 5. Ineffabilem vidisti latitudinem; vidisti portum lætitiæ; patientiam efficit afflictio. Quid enim homine fortissimo, & qui omnia facile ferre potest, patientius? quid probato autem fuerit fortius? quid autem conferri potest cum ea, quæ hinc oritur, delectatione? hæc S. Chrysost. Itaque Dauid inimicorum persecutionibus vndique constrictus in latitudinem charitatis adductum à Domino se dicit; vt vinceret in bono malum, carbones iniiceret super capita suorum hostium, benefaceret iis, à quibus odio, belloque oppugnabatur; qua deinde charitate munitus, non modò iram cohibuit, vltionique restitit; sed ex eo cepit incredibilem voluptatem, quòd hostes illos, & proditores suos videret omni bonorum copia prædiuites. Sic enim à nonnullis explicantur verba sequentia: *Dedisti lætitiam in corde meo, à fructu frumenti, vini & olei sui multiplicati sunt.* seu, vt alij vertunt: *à tempore quo frumentum eorum, atque mustum eorum aucta sunt.* Hac sua Dauid patientia, & amore aduersus inimicos, planè omnium animos sibi vehementiùs vicit, & astrictiùs deuinxit: semper enim in copiosos exuberat fructus patientia. Et qui amat, ad amorem vtique cogit. Bene S. Gregor. Nazianz. amorem suum, quo ciues suos prosequebatur, commodatæ pecuniæ similem esse dixit. Qua mensura (inquiens) charitatem eam metiar, qua vos mihi charitas mea tanquam ære alieno constrinxit? *Apolog.* 2. Qui enim pecuniam accipit mutuam, tenetur creditori tantundem red-

D. Chrysost. — ad Rom 5. — *Mira vtilitas patientia* — *Mira charitas Dauid erga inimicos.* — *Patientia fructibus abundat.* — *Amor amorē extorquet.* — S. Gregor. Nazianz.

A dere: vbi quidem amaris, vt pariter ames debitum contraxisti. Admirabile profectò ingenium, ac virtus amoris, vt aliunde, quam à se vinci nequeat! ad amandum non compellit, nisi amor. Amorem solus amor allicit, suauitérque extorquet.

4. *Appellauitque eos iisdem nominibus.*] Vir sanè omni æuo memorandus, & quem sibi, quicunque filius est, ad imitandum proponere debeat. Eadem nomina (inquit Procop.) imponuntur puteis, quod quidem defertur honor parentis. Nec vllum locum inuidiæ apud sese reliquit. sic ille. Ingrati plerumque filij euadunt parentibus, qui horum memoriam vti à suis animis, sic ab illorum monumentis, solent abolere. Tollunt, commutant, abradunt, aut certè emendant ædificia, hortos pen- B siles, & quæcumque patrum ingenium inuenit, industriáque ac sudor elaborauit: totum etiam regendæ familiæ ordinem, ipsosque seruos, & famulos, atque omnem statum paternæ domus exterminant, quin etiam longe alia vitæ studia, quàm quæ patribus potiora fuerant, sequuntur: nimirum, vt se patribus sapientiores esse ostendant; & quasi pudeat aliorum vel parentum vestigiis insistere, nouam vt ipsi sibi viam adaperiant. Profectò non sic obseruant mandatum Domini: *Honora patrem tuum, vt bene sit tibi.* Deuter. 5. Vbi eleganter Procop commentatur: Deus (inquiens) qui omnia producit, & creat, post leges, quæ ad ipsum pertinent, meritò secundas tribuit parentibus, qui post Deum secunda, vt simus, causa sunt. C Plurimo parentes digni sunt honore: nemo tamen ipsos præferat Deo secundùm hoc oraculum: *Qui diligit patrem, aut matrem supra me, non est me dignus.* Reuerentiam deferendam esse genitoribus exemplo est Christus, qui è cruce pendens, commisit fidei discipuli spectatissimi matrem. hæc Procop. Honorandi quidem sunt post Deum, sed non plusquam Deus parentes. Porrò autem pulcherrimum exemplum pietatis erga Matrem Christus Dominus iam in cruce moribundus reliquit, cum illam dilectissimo discipulo cōmendauit, *Ecce mater tua.* Ioan. 19. hoc est (declarat S. Laur. Iustin. *lib. de triumphali Christi agone, cap.* 8) indissolubili charitatis fœdere te illi, & ipsam copula- D bo tibi. *Ecce mater tua:* illi famulare, illam honora. Quicquid exhibebis illi, siue obsequij, siue reuerentiæ, seu iniuriæ adscribam mihi. sic ille. Simile quid scripsit S. Arnoldus Carnot. Abb. ad eadem verba hoc modo: Christus in Matre ampliùs, quàm in se pati videbatur: nec dissimulans, quòd humano pungeretur affectu, circa nouissima expressit, quantam Matri vellet reuerentiam à mundo exhiberi, cui in vltimis tam officiosum reliquit dilectionis indicium. hæc Abb. *tract. de laudibus Virgin. tom.* 6. *bibliot. Patrum.* Non enim solum à Ioanne Apostolo, sed ab omnium gentium futura Ecclesia, quæ per Ioannem significatur, Dominus Matrem suam beatissimam semper Virginem ad finem vsque mundi, quin verò etiam per omnem æternitatem voluit honorari, atque sum- E mis omnium laudum præconiis celebrari: quod Virgo ipsa Deipara certissimè intelligens immortales propter hoc beneficium gratias Deo habuit prophetãdo: *Magnificat anima mea Dominum, &c.* Luc. 1. Ad quem locum ita Euseb. Emissen Dominum magnificat, qui Domini magnificentiam prędicat: magnificat & ille Dominum in cuius bonitate magnificatur, & laudatur Dominus. Sic enim in discipulis magistri, sic in operibus suis singuli artifices laudantur, & magnificantur. *Beatam me dicent* (inquit) *omnes generationes.* Vera est prophetia, quam Veritatis Mater de se ipsa pro-

Procopius. — *Ingrati fily memoriā, & studia patrū abolent.* — Deuter. 5. — Procopius. — *Honorãdi, & amandi post Deū parētes.* — Matth. 10. — *Christus Matrem Ioanne commēdauit.* — Ioan. 19. — S. Laur. Iust. — *B. Maria & Ioannes miro charitatis nexu coniuncti* — S. Arnoldus. — *Christus Matrem à gentibus iubet honorari.* — Luc. 1. — Euseb. Emiss. — *B. Maria Deum magnificat.*

a ce- lo Vir- Deipa-

phetat. Nulla enim ex eo tempore generatio fuit, quæ eius beatitudinem non prædicarit. Semper eius beatitudinem Ecclesia concinit, in qua simul omnes generationes continentur. hæc S. Euseb. Summam igitur, atque studiosissimam honorandi, & prædicandi Matrem suam Virginem Dominus curam habuit, cui per omnes gentium regiones, infinita delubra, templa, sacella, altaria, aras, sacrosanctásque imagines erigi, & omnium penè catholicorum pia vota, & obsequia deferri, atque illam ab omnibus implorari, & innumera miracula in omni rerum genere perenniter ab illa edi

Mria Christi cura honorādi Matrem.

Filius Matris suæ amantissimus curauit, vt per omnes gentes, ætatésque, & vbique locorum semper Virgo Dei Genitrix Maria honoretur, & officiosissima mortalium pietate, cultúque (post Deū) deuotissimo perceletretur. Ac iure quidem

S. Io. Damasc.
Post Deum summè colenda B. Maria.

optimo alloqui possumus cum S. Ioanne Damasc. admirabilem, & superexcellentem Virginem Dei Matrem his verbis: Aue ô templum Dei, animatus loculus & arca: Creatorem ô Deipara intemerata hominibus conciliasti. Et meritò te omnia operà laudant, & superexaltant in secula seculorum. sic Damascen. *in Cant. ad od. 9. de S. Trinit.*

Honori Patris Æterni Christus studet.

5. Maximè verò admiranda Christi Domini pietas erga Æternum suum Patrem enituit, pro cuius manifestando nomine, amplificanda gloria, illustrandóque apud homines honore (hæc fuit prima, & potissima ratio Incarnationis Verbi Diuini) venit in mundum. Iccirco Pater de Filio suo in mundum mittendo loquens apud Ezechiel. 34.

Ezech. 34.

sic ait: *Suscitabo eis germen nominatum.* Legunt alij: *Plantationem in nomen.* Vtique in mei nominis famam, & supremam meæ gloriæ demōstrationem:

Incarnatio Verbi in Patris gloriam.

ac deinde in vtilitatem, & honorem mortalium aduentus Dei redundabit. Sequitur enim: *Et non erunt vltra imminuti, siue pereuntes fame in terra, neque portabunt amplius opprobria gentium.* Ergo fames (exponit S. Hieron.) audiendi sermonem Dei,

S. Hieron.

quæ sub pastore bono, & germine nominato, atque omnium sermone celebrato, & plantatione pacis, nequaquam erit vltra, neque amplius opprobriis gentium subiacebunt, vt dicant: *Vbi est Dominus Deus eorum?* Scient quòd non solùm Dominus ipse sit Dominus, sed cum additamento, quòd Dominus omnium propriè Deus eorum sit cum eis, qui dicit in Euangelio Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* hæc S. Hieron.

Matth. 28.

Desiderium audiēdi verbum Dei.

Proprium id quidem, & velut naturale homini Christiano est, vt Diuini verbi desiderio, faméque pungatur. Quòd si erunt aliqui, quos theatra mimorum, & impuritatum, aut certè vanitatum potiùs delectent, quàm sacri templorum conuentus, ac Diuini verbi conciones; illi quidem nec verè Christiani, sed nec homines censendi sunt. Quo in argumento rectè colligit Clem.

Clem. Alex.
Asinus, aut porcus est, qui respuit verbū Dei.

Alex. Si non est omnium cognitio; asinus ad lyram, vt dicunt. Et sues quidem magis delectantur luto, quàm aqua munda. sic ille, *strom.* 1. Contra verò qui Dei verbo audiendo animos, sensúsque oblectant, & pascunt, non sues in luto sordescunt, sed velut spiritus à concretione terrena liberi ad cognatum sibi cælum euehuntur. Adiungit enim:

Commeatum fert ad calū qui libenter audit verbū Dei.

Qui in verbis veritatis germanè, & sincerè sunt educati, accepto vitæ æternæ viatico, sublimes in cælum feruntur. ita Clem *strom.* 1. Qui ergo inter Diuinas laudes, & sacras Ecclesiæ conciones optimè instituti vitam agunt, securi ad æternitatem gloriæ commeatum ferunt. Quod Pater per Ezechielem promiserat; hoc idem per Zachariam Fi-

Zachar. 2.

lius io seipso adimpletum dixit: *Hæc dicit Dominus exercituum. Post gloriam misit me ad gentes.* c. 2.

A Vbi S. Hieron. Vox (inquit) Saluatoris: Missus est à Patre, post gloriam Diuinæ maiestatis. sic ille.

D. Hieron.

Etsi autem prior sensus sit: Filius Dei postquam ab omni æternitate infinitam Diuinitatis suæ gloriam cum Patre possedit; ab eodem, illam quidem retinens, missus est humana carne indutus, & exinaniuit semetipsum vsque ad ignominiam crucis: admitti tamen potest alter sensus, vt præpositio *post* ad futurum tempus pertineat: videlicet, missum à Patre Filium post gloriam, hoc est, pone gloriam, ad comparandam gloriam Patris sui apud homines (Lusitane *apos a gloria*) quibus (vt ipse ait) clarificauit nomen Patris.

Verbi incarnatio propter gloriā Patris.

6. Scilicet Æternus Pater paruum, ac tenue habebat tabernaculum (Ecclesiam dico) in quo vti

Christus Patri de gētibus Ecclesiam ædificauit.

B Deus coleretur: ergo Filius venit in terras, vt templum Patri extrueret, tam amplum, tam splendidum, vt ex omnibus Orbis totius gentibus viui, & sancti lapides illuc ad fabricam importarentur. Icirco apud Aggæum ædificator templi ponitur Zorobabel, nimirum (vt optimè dispungit S. Hieron. *in* 1. *Agg.*) typus est Christi, qui verè destructum ædificauit templum, id est, Ecclesiam, & reduxit populum de captiuitate; & tam de veteris templi lapidibus, quàm de nouis, qui priùs fuerant impoliti, ædificauit Ecclesiam: id est, & de reliquiis populi Iudaici, & de gentium multitudine Deo Patri extruxit tabernaculum. hæc ille. Nec fabrica modò templi, sed etiam nomine ipso suo præfigurauit Zorobabel Christum Dominum.

D. Hieron.

Zorobabel typus Christi.

C Addit enim S. Hieron. Zorobabel interpretatur fluxus expositus: Iesus enim nobis expositus est ad bibendum, & largissimo fonte se præbet. *Qui sitit, veniat ad me.* Ioan. 7. hæc S. Hieron. Nimirum

D. Hieron.
Ioann. 7.
Christus fons & mare in cruce.

in cruce positus, & expositus, fons est, aut fluuius, aut etiam mare potius immensam gratiarum, donorúmque cœlestium copiam mortalibus exhibens. Nostrum verò deinde est, accedere excipere, honorari pariter, ac locupletari, expleri deoique, ac satiari. Porrò quia Filius Dei videbat Pa-

Christus debita hominū exoluit.

trem suum innumeris, & grauissimis humani generis offensum delictis, libens ipse se obtulit, vt suo sanguine scelera hominum expiaret, & illorum debita Patri offenso exolueret, læsámque Diuinitatis maiestatem infiniti valoris sacrificio, &

D obsequio suo honoraret. Hæ sunt illæ diuinæ vindictæ, atque humanarum pro delictis calamitatum procellæ, quas Dei Filius in suum caput desæuire intuitus ad Patrem ita loquebatur per Io-

Ionas typus Christi.

nam sui typum egregium, dum in bestiæ vtero haustus teneretur. *Omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt.* Ionæ 2. Legunt LXX. *Omnes eleuationes tuæ, &c.* Nimirùm (vt explicat S. Hier.)

Ionæ 2.
D. Hieron.

vniuersæ persecutiones, & turbines, quibus genus humanum vexabatur, super meum detonuerunt caput. Ego sustinui tempestates, & fregi turbines

Passio Christi procella.

sæuientes, vt cæteri securiùs nauigarent. hæc S. Hieron. Sed quid illud, *transierunt?* nimirum tempestates, & maria passionis non absorbuerunt Dominum Iesum: etsi enim mortuus fuerit, citò ta-

Resurrectio Christi gloriosa.

E men viuus, & summè gloriosus resurrexit. Etsi opprobriis saturatus sit, surgens tamen, & in cœlum conscendens omnia traxit ad seipsum. Vnde hic, optimè S. Hieron. animaduertit: Gurgites, & fluctus non oppresserunt Iesum: sed transierunt per eum, minantes tantùm naufragium, non inferentes. sic Hieron.

D. Hieron.

7. Ac *Pater* quidem (vt prædixit Isai. 53.) *posuit in eo iniquitates omnium nostrum.* LXX. habent: *Dominus tradidit eum iniquitatibus nostris.* In Hebr. legitur: *hiphguiagh bo eth gheon* הפגיע בו את עון *incurrere, seu irruere fecit in eum:* videlicet, vt omnia

Isaiæ 53.

delicta

delicta humani generis in Christum velut in petram durissimam impacta, itáque omnino collisa euanescerent; atque adeo Diuina iustitia integram, ac plenam de illis vltionem sumens cum hominibus rediret in gratiam. Est enim Christus Dominus mediator Dei & hominum; venitque (vt ait Clem. Alex. *ad Gent.*) in terram, vt Deum insipientibus hominibus ostenderet, interitum compesceret, & inobedientes filios Patri reconciliaret. sic ille. Atque (vt pie, verèque loquutur S. Arnol. Carnot.) Christus Iudex, & Aduocatus, qui nequaquam crudeliter iudicat, qui semper interpellat. Merces quippe mortis eius salus est hominum. Nec illud sibi perire facile patitur, pro quo, & sanguinis pretium magnum datum est; & tantum reconciliationis humanæ studium fuit, vt B sua dispendia non attenderet, dum erroneum lucraretur. hæc ille, *tract. de laud. Virg.* O lætum, ô felicem aduentum Filij, qui verè Isaac, hoc est risus, & gaudium Patri suo extitit, atque seruis suis, quos ipse suo Sanguine redemit! planè Dei Filium in carne venientem ad redemptionem humani generis, & immensam Patris sui gloriam festiuissimus cæli, ac terræ plausus excepit: iuxta illud Prophetæ: *Educet lapidem primarium, & exequabit gratiam gratia eius.* Zach. 4. ex Hebræo legitur, *thexuoth chen chen lah* [Hebrew] *Et clamores gratia, gratia illi, Dei Filio homini facto.* quod Isaias 44 his verbis explicat: *Laudate cæli quoniam misericordiam fecit Dominus: iubilate extrema terræ, resonate montes laudationem, saltus, & C omne lignum eius; quoniam redemit Dominus Iacob, & Israel gloriabitur.* Sensus est ex S. Hier. Tu Israel reuertere ad me, & age pœnitentiam, quia redimendus es pretioso Sanguine; quod si feceris, scias in salute tua, cœlos, terrámque lætari, & omnia elementa conclamare. sic ille. Tantum bonum, támque admirabile opus est hominem saluari, vt cum plausu totius naturæ celebretur.

Christus expiator & redemptor hominum. — Clem. Alex. — S. Arnol. — *Amat Christus hominum salutem.* — *Incarnatio Verbi plausibus excepta.* — Zachar. 4. — Isaiæ 44. — D. Hieron. *Homines salus cum plausu totius naturæ.*

8. *Repererunt aquam viuam.*] Ac inuidi quidem effossos illos Abrahæ tempore puteos obturarunt: etiam ad minima, si nequeant ad magna pertingere, conspurcanda pertinaciter obnituntur. Cæterùm Deus omnipotens, & inuidos acrius distorquere, & æquo animo patientes potioribus D in dies augere donis consueuit. Enimuerò Palæstini stimulante inuidia fossos puteos aquæ pigræ, atque emortuæ obturant; quod malum mansuetissime fert Isaac, etiam inter iniurias, vt nomine suo præfert, ridens, & gaudens; ergo Dominus aperienti nouum alium puteum, elargitur aquam viuam, siue scaturientem: vocant enim Hebræi aquam viuam, quæ defluit, quasi motum habeat vitæ indicium. Vberrimus quidem est fructus patientiæ: aquam enim viuam, hoc est, Diuinam consolationem sibi erumpentem acquirit, qui patientem se gerit in aduersis. *Fortissimum solatium habeamus,* dicit Apostolus ad Hebræos 6. Quo ex loco rectè colligit S. Ambros. Est ergo fortis, qui se in dolore aliquo consolatur: & re- E vera iure ea fortitudo vocatur, qua vnusquisque seipsum vincit sic Ambr. *lib. 1. de offic. cap. 36.* Solet enim Dominus in præmium patientię suam infundere consolationem, qua exercitur anima, ad grauiora molestiarum onera leo vultu sustinenda. Quid autem maiorem inituit constantiam, & fortitudinem, quàm iniuriis appeti, & non frangi, rerum aduersarum procellis oppugnari, & non obrui? fortissimum in Deo solatium habemus, quo nimirum fortes, & alacres efficimur ad omnem huius vitæ agonem feliciter consummandum. O quam expeditè, velociter, atque in-

Inuidos deprimit, patientes eleuat Deus. — *Largus patientiæ fructus.* — ad Hebr. 6. S. Ambros. — *Nihil illustrius patientia in aduersis.*

defessò cursu in via mandatorum Domini progreditur, quem diuini Spiritus vnctio, & leniuit pariter, & communiuit! Sic illa Domini Sponsa aiebat: *Anima mea liquefacta est, vt Dilectus locutus est.* Cant. 5. Scilicet vocem Dilecti pro interna visitatione posuit, quæ tam dulcis erat, vt ad illam confestim anima liquesceret; signúmque istius liquefactionis solent esse piissimæ illæ, ac suauissimæ lacrymæ, quæ ab anima intus liquefacta per oculos emittuntur. Legunt alij: *Anima mea exiuit, cum ille loqueretur.* Ad vocem quippe Domini anima sui prorsus immemor, & Diuinis consolationibus separata, è corporis sensibus euolans, dilectissimum Spōsum suum sequitur, currens in odorem vnguentorum illius. Sed præstat audire commentantem Bedam. Quantò (inquit) suauiùs vocem, atque vicinam Dilecti mei accepi, tantò suauius quicquid in me erat frigidum, incaluit: quicquid rigidum, liquefactum est, adeò, vt nihil nisi in lacrymas resolui, dulce habuerim, & quem me ad punctum sua gratia contingentem retinere nequiueram, abscedentem iam fletu requirere, gemitúque delector. hæc ille. Sic Dominus animas interdum iustorum in hac vita dulcissimis perfundit lacrymis, quæ illis sunt panes, & exquisitissimæ dapes, cum scilicet præ amore, ac desiderio Dei sui effunduntur.

Cantic. 5. *Lacryma ab anima liquefacta.* — *Ardor amoris erga Deū.* — Beda. — *Dulces ex amore Dei lacrymæ.*

9. Non dissimilia ponit S. Gregor. etsi vberiùs ita loquatur. Ad verbum sponsi liquefactam se dicit; quia dum Christus se per spiritum suum animæ desideranti infundit, omnem duritiam cordis mox dissoluit, & aliquando mentem in tantas lacrymas liquefacit, vt vix capere possit hoc quod se capere intra se exultat; & intus nitetur, quid fuerit, & quid factum subito seipsam videat. Quem liquorem dum sentit, perfectiùs apprehendere concupiscit: & aliquando dum hoc ipsum cogitat, hoc quod modò sentiebat, iam non sentit: vnde solicitatur ad quærendum, vt hoc idem inueniat. hæc Pontif. Illapsu quidem diuini Spiritus in animam, istius duritia omnis in primis emollitur, & vrente intus Diuini amoris flamma liquefactum quicquid erat veteris hominis in lacrymas expiatur. A corporeis igitur sensibus euocata præ desiderio sui dilecti sponsa, non fastidiens modò, sed à tergo relinquens, vt vana, vt ridicula, vt nihili omnia, quæ in terris pretiosa, & in mundo speciosa habentur, in altum vbi Sponsus habitat, & quò inuitat sponsa, aduolat, inquiens: Sustuli (vti declarat Psellus) animam ad cœlum, vt de dilecto meo intelligerem. O pulcherrimam Virginis progressionem! sic illa. Pulchrè dicitur Virgo illa anima, quæ totum suum amorem Christo vnico Sponso consecrauit, in quem suspirat, cuius beatissimam visionem ardentissimè concupiscit; qualis illa videbatur, quæ proclamabat: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Psalm. 83. Ac duo quidem desiderat Propheta, & tabernacula, & atria Domini: tabernacula sunt temporaria, & mutari solent; atria iam vicina domui cum illa pariter stant immobilia: prius enim Dauidis desiderium fertur ad virtutes, & bona opera; deinde ad ingressum æternæ beatitudinis, quod ita S. Hier. exponit: Alij desiderant possessiones, alij istius seculi diuitias, alij gloriam aliquam habere apud homines: mihi hoc solum desiderium est videre tabernacula Domini; illa mihi dilecta sunt, vbi congregatio virtutum est, non vitiorum. *Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* hoc est solum desiderium, hic solus amor meus, vt videam atria tua; de atrio enim

S. Gregor. — *Mira operatur Dei amor in anima.* — Psellus. — *Virgo anima solius Dei amans.* — Psalm. 83. — *Desideranda virtus, dein præmium illius.* — D. Hieron.

Fœmina occasio delictorum.

nutritur: morbos aspides sibilant, & mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam, quam Salomon sic comparat dicens: *De vestimentis procedit tinea, & a muliere iniquitas viri.* Ecclef. 42. ita S. Cyprian.

Ecclef. 42.
B. Maria puritate vincit Angelos.

15. Cæterum ab vna muliere puritas, & sanctitas viris prouenit, quæ nitidiore ac sublimiore puritate, quàm ipsis cæli spiritibus insit, prædita Deū hominem factum Virgineis suis visceribus, concipere, ac portare meruit. Benedicta illa inter mulieres, & benedictus fructus ventris illius. Illam, vt sordidi omnem labem abluant, vt puri & conseruentur, & puriores adhuc euadant; viri, fœminæque intueri, alloqui, amare, oréque, & corde gestare perenniter student, quos nimirum, ita misericors Deus amauit, vt Matri suæ semper Virgini officiosissimos addixerit. Exclamant illi cælestibus gaudiis delibuti beatissimam Virginem alloquentes: *Exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum. Recti diligunt te.* Cant. 1. Vbi sic Rupert. Hæc est materia, ô Virgo, vel causa exultationis, & lætitiæ nostræ in te: memoria vberum tuorum: quia Virgineis vberibus lactasse illum prædicaberis, qui creauit te. Dicemus enim: Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti, Christe. Huius rei semper memores super vinum, id est, super omne quod in hoc seculo dulce videtur, aut iucundum. hæc Rupert. Nihil planè pias animas tanto perfundit gaudio, quàm cum internis oculis contemplantur. semper Virginem Dei Matrem ore illo suo pulcherrimo, atque festiuissimo omnia serenantem; maximè cum Deum infantulum gestare in brachiis, atque Virgineo lacte alere conspicitur. *Recti* (sequitur) *diligunt te*, qui scilicet iusti habentur & recto ad cælum itinere gradiuntur; Dei Matrem præcipuè diligunt. est quippe officiosi hominis in Virginem Deiparam pietas, magnum Diuinæ prædestinationis argumentum. En ô Virgo Mater prædestinati diligunt te, in ore, & in corde te gestant, tibi suas preces, & omnia obsequentissimæ pietatis studia offerunt. Contrà verò, Domina rerum, qui à Diuina gratia sunt repulsi, à tua pariter memoria, & pietate, iam nunc viuunt separati.

B. Mariam iusti & iniusti colunt.

Cantic. 1.
Rupertus.
Prædulcis contemplatio B. Mariæ Deū lactantis.

Signum prædestinationis pietas in B. Mariam.

Reprobi B. Mariæ non meminerunt.

SECTIO II.

Et accersito eo, ait: Perspicuum est quòd vxor tua sit: cur mentitus es eam vxorem tuam esse? Respondit: Timui ne morerer propter eam, &c. vsque ad *habitaret ibi.*

1. CErtò iam demum tenet Abimelech coniugium inter Isaac, & Rebeccam. Iccirco expostulat cum homine, quærens ab eo causam ob quam sororem dixerit, quæ coniux esset. In Hebr. non est *mentitus*, sed *amarta* אמרת *Dixisti*, quod quidem opinione regis mendacium erat, quippe cum cognationis eorum ignarus erat. Tanta verò erat vtriusque laos, existimatióque apud regem, vt inter illos incestum nullo modo suspicaretur; nec enim integra illorum fama, & honesta maturitas sinebat turpiora in suspicionem assumi; quod etiam in laudem probitatis, & sinceritatis regis cedit, qui vel deprehensis inter virum, & fœminam licentioribus iocis, nihil omnino mali exinde coniecit. Pudeat hominem Christianum aliorum dicta, factáque seuerius, atque iniquiùs disquirere, in deteriorem partem cuncta semper accipere, ac proinde temerariam plerumque in proximorum caput ferre sententiam. En rex barbarus natione, sed prudentia, & comitate politissimus, videt virum, & fœminam speciosissimam liberiùs colludentes, at sinistram tamen haud inde colligit opinionem, nihil illicitum, atque inhonestum suspicatur: fratrem, & sororem esse ab iisdem accepit, sed ex iocis non incestum, sed legitimum coniugium deprehendit. Valeat ergo apud nos fratrum nostrorum bona existimatio, vt ad illorum vituperationem non ita proiecti, audaces, atque impudentes irruamus. Cæterùm à Christiano viro id amplius exigitur, vti aliorum errata non prodat, non prædicet, sed sepeliat, sed defleat. Quod quidem ita consulit S. Prosper, *lib. 2. de vita cont. cap. 6.* Fratrū nostrorum vitia non facilè debemus accusare, sed gemere: vt inuicem onera nostra portantes legem Christi possimus implere. *Ad Galat. 6.* qui vtique non accusauit peccata nostra sed tulit. *Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi.* Ioan. 1. hæc ille. Itaque optimè argumentatur à Christi Domini pietate ac mansuetudine. Nam si iudex cum esset, ac Deus ipse, infinitis hominum sceleribus offensus, ea nihilominus accusare, propalare, puniréque noluit, sed illorum omnium chirographum cruci secum affixit, suóque sanguine abluit, secum in sua morte, ac sepulchro consepeliuit: cur nos fratrum nostrorum errata non tolerabimus, non tumulabimus? Rectè igitur colligit sanctus Pater: Itaque, si ille, qui sine peccato fuit, nos peccatores ineffabili pietate sustinuit, & sustinere non desinit, non interitum nostrum desiderans, sed profectum, nec mortem peccantium; sed salutem; quare nos exemplo nostri Saluatoris, & Domini, non sustineamus infirmos, cum, & ipsi, aut infirmi sumus, & volumus à Deo portari; aut si sani sumus, possumus adhuc, vt fragiles infirmari? hæc S. Prosp. Damnatur, qui æterni iudicis officium in diiudicandis aliorum defectibus assumit; sed non minori iudicio subiacet, qui aliis, vt iudicent, & obloquantur, occasionem præbet. Iniquus eris, si virum cum muliere loquentem intuitus, turpe illico agi negotium apud teipsum statuas: sed longè iniquior eris, si liberè, ac temere vir cum muliere verseris. Enimuero optimè S. Cyprian. *de sing. cler.* ita viros admonet. Separamini à contagione pestifera. Quantumcunque fuerit vnusquisque longiùs ab aduersis; tantum non sentit aduersa. Non aliter tentationibus subiacet, qui iunctus est fœminæ: in qua nihil est aliud, nisi quod feriat proximantem: Aculeus peccati facta est forma fœminea; & mortis conditio non aliunde surrexit, nisi de muliebri substantia. Quod Salomon ad nostram sollicitudinem memorat dicens, *A muliere factum est initium peccati. & propter hanc omnes morimur.* Ecclef. 25. Inde mortales tenemur, nec teneri timemus. Vnde adhuc morimur, formidare debemus. hæc S. Cyprian. Quibus nihil aptius, ac verius dici potest, ad auertendam familiaritatem viri cum fœmina, in qua nihil est aliud, quàm periculum animæ, cuius etiam forma peccatum exhalat; de cuius substantia mors in mundum inducta est.

Aliorum defectus non inquirendi, notandique.

Aliorum defectus desendi, ac tegendi.
S. Prosper.

ad Galat. 6.
Ioan. 1.

Christus non accusauit, sed sepeliuit hominum delicta.

S. Prosper.
Ad Christi exemplum tolerandi proximi.

Non diiudicandi temere aliorum defectus.

S. Cyprian.

Vitanda cum fœminis consuetudo.

Ecclef. 25.

Mulier plena periculis.

Mulieris forma peccatum afflat.

2. Querimoniæ regis putat se Isaac ex integro satisfacere, timorem mortis prætendens. Forte (inquit S. Chrysost.) edoctus erat, quòd & pater talem actum instruxerat, & se saluarat, cuius viam & ipse secutus est. ita Chrysost. De hoc timore mortis, quem Abraham prætexens pudicitiam vxoris bis in discrimen adduxit, suis iam locis non pauca diximus. Non omittam quid S. Ambros. *lib. de Isaac cap. 4.* in sensu mystico subnotarit his verbis. Rebecca non immeritò soror magis, quam

D. Chrysost.

S. Ambros.

vxor

vxor appellatur; eo quòd mitis, atque pacifica anima communis magis pietatis, quam specialis copulæ nomen accipiat; & quia vniuersis magis, quam vni se existimet alligatam. hæc Ambros. Vxor quippe viro vni suo est alligata: soror autem liberiùs in plures fraterno iure deuinctos amorem extendit. Ingeminat deinde rex querelam, & increpationem, iustam illam quidem (vt homini videbatur) sed non acriorem quàm decebat, & regem qui arguebat, & virum iustum qui arguebatur. Sunt quidem subditi, quando errauerint, monendi, & obiurgandi, verùm cum ea tamen dexteritate ac mansuetudine, vt salubriter confundantur, & emendentur, non vt exacerbentur, & impudentiùs subinde frontem porrigant meretriciam, quo malorum extremo subnotantur sæpiùs Israelitæ. In hoc argumento ita disserit S. Prosp. *de vita contemp. lib. 2. cap. 3.* Docet Apost. *Actor* 20. vt ipsi, qui docentur, sapiant; qui increpantur, vt saltem obiurgati proficiant. Qui sustinentur, vt de suis aliquando criminibus erubescant, & gaudium suis doctoribus, quorum patientia blandè tractantur, de vtilitate suæ correctionis exhibeant. hæc S. Prosper Ac de increpatione quidem idem Apostolus alibi disputans inter alia vno hoc verbo increpantē instruit. *Argue, obsecra, increpa, in omni patientia.* 2. Timot. 4. Quem locum idē S. Prosp. expendens *cap* deinde 4. *In omni* (obseruat) *patientia*, quia leniter castigatus exhibet reuerentiam castiganti: asperitate autem nimiæ increpationis offensus, nec increpationem recipit, nec salutem. sic ille. Rationem horum omnium hanc statim subiicit: Ad omnem (inquiens) peccandi impudentiam, si fuerint exacerbati, prosiliunt: & quicquid mali occultè faciebant, publicè perpetrabunt, in tantam vesaniam reparandæ salutis desperatione prolapsi, vt salutaria verba corripientium in iocos exitiales impudenti vrbanitate conuertant, ac maledicaces in se ex ipsa iactatione turpitudinis suæ, turpiter viuentium malenolas lætitias pascant. hactenus ille. Prudenti ergo, & opportuna, & ex charitate facta obiurgatione nihil salubrius: contrà verò illa imprudenti, importunata, & aculeata nihil solet esse perniciosius, vt quæ impudentiam generet, & inducta semel inuerecundia liberè iam iam inde ad omne facinus impellat, cum contemptu pariter, & irrisione increpantis, increpationis, & omnium salutarium consiliorum. Quæ omnia facta ab imprudenti, & nimiùm feruento ac rigido in venenum, in pestem, in mortem conuertuntur.

Charitas ad multos diffusa.

Qualiter subditi obiurgandi.

S. Prosper.
Actor. 20.

2. Tim. 4.
S. Prosper.
Aspera increpatio nocet.

S. Prosper.

Ex nimia increpatione graue damnum sequitur.
Prod. si increpatio prudens.

3. *Potuit coire quispiam, &c.*] Hebr. *Chimghat xacbab achad hagham eth ixteca* כמעט שכב אחד העם את אשתך, *ficut parum*, vel *quasi parum, iacuit, dormiuit*, hoc est, parum abfuit, quin aliquis dormierit, penè dormiuit. *xacab* שכב *iacere, & dormire*, ac deinde (vt iam in aliis linguis eadem significatio teritur) *coire. achad hagham* אחד העם, *vnus populi.* Quo (vt volunt nonnulli) intelligitur vnus, siue primus, & summus in populo, qualis ipsemet rex erat, cuius in mentem venerat Rebeccam accipere in concubinam. Quasi dicat: Minimum abfuit, quin illam in genialem lectum iure matrimonij assumerem. Rex erat Abimelech in aula regia inter delicias enutritus, cui (vt mos illorum temporum, & gentium) concubinarum greges aderant; & adhuc tamen insaturabilis libido ad peregrinam mulierem poterat adhinnire. Sic in carnis cænum deliciæ magis ac magis hominem suæ nobilitatis immemorem, ac Diuinarum voluptatum contemptorem detrudunt. Circumcidendæ igitur erant deliciæ, quæ mentem sic

Libido insaturabilis.

Deliciæ in barathrum detrudunt.

A eneruant, & sensus ita hebetant, vt nihil sublime, ac Diuinum, sed turpe tantummodo, ac sordidum cogitet. vnde S. Prosp. *lib. 2. de vit. cont. cap. 22.* egregiè subnotauit: Sensus (inquiens) quos dicuntur crassos efficere, vel grauare congestæ deliciæ, consuetudo parcitatis exonerat, & velut quadam politura religiosæ exercitationis attenuat. sic ille. Vide quid agat abstinentia, quid elaboret castimonia? Crassitudinem carnis dedolant, corporis membra poliunt, sensúsque reddunt nitidiores, ac vegetiores. En habitus animæ nobilioris, quem planè Deus ipse in carne, quam sibi aduniuit, purissima, hominibus demonstrauit. Etenim pulcherrima illa est sententia S. Maximi monachi *serm. exhortat*: Deus homo factus politiam
B Diuinæ vitæ nobis ostendit. sic ille. Contrà verò quanta rusticitas, ac fœditas in vitiosa carnis voluptate sordescit? Iccirco castimonia reges, ac principes decet, vt acutiùs videant, sapientiùs prouideant, feliciùs moderentur: nec enim vlli mortalium sublimior ad imperandum facultas diuinitus concessa legitur, quàm Eliæ, idque ob Virginitatis meritum, vt S. Greg. Nyss. *de Virginit. c. 6.* his verbis contestatur. Elias ob virginitatem Dei munerum quæstor aliquis, cum ex potestate quadam cæli administrationem haberet, illius, & peccatoribus obstruendi, & iis qui pœnitentiam agendo resipiscerent, aperiendi potestatem habuit: non profectò ad eam magnitudinem peruenisset, si nuptiæ eum corporis oblectamentis molliuissent.
C hæc S. Greg. Nyss. Meritò in cælum potestatem accipit, qui nouit, voluit, potuítque domare nesciam fræni, impatientem suam ipsius carnem cohibere, & gubernare.

S. Prosper.
Libido mentem hebetat.

Castitas mentem carnemque polit.

S. Maxim.
Politiā Christus docuit.

Regem decet castitas.

S. Greg. Nyss.
Eliæ summa imperandi facultas ob virginitatē.

Cælum potest regere, qui carnem cohibet.

4. Sed quid est, quod rex inter delicias aulæ regiæ, etsi parum abfuerit, quin pulchram illam fœminam assumeret, nihilo tamen minùs suæ cupiditati potuerit temperare? Non occurrit vlla mihi ratio melior, quàm quòd iste rex alterius (fortè patris) cui successerat, exemplum meminerit, qui scilicet Abrahæ Saram sub eodem sororio velamento ignotam ducens vxorem, multis proptereà & grauibus fuerit a Deo calamitatibus flagellatus, vt iam in superioribus visum est. Sapientissimus planè Rex, qui malo alieno edoctus simi-
D le non est ausus adire periculum. Cum igitur frequentia sint, & non satis deploranda multorum & grauium quidem virorum propter amores fœminarum exitia, quis erit tam audax, tam dēmens, tam impudens, qui se in voluntarium proiiciat discrimen, in quo videt constitutos alios miserrimè periisse? Hoc idem argumentum pertractans S. Cyprian. *de singul. Cler.* ita nobis sapienter consulit. Nolumus vos experiri præcipitia ruinarum, metuite quantum potestis eiusmodi casus exitia, & in ista subuersione labentium vos experimenta perterreant. Nimiùm præceps est, qui transire contendit, vbi alium conspexerit cecidisse: & vehementer infrænis est, cui non incutitur timor alio pereunte. Amator verò est salutis suæ, qui euitat
E alienæ mortis incursum: & ipse est prouidus, qui solicitus fit cladibus cæterorum. hæc S. Cyprian. Non alibi, quàm in hoc loco, frequentiora, & magis deploranda inter homines exempla quotidie produntur, nec tamen cauemus, nec aliorum congestis funeribus perterriri nobis ad honorem, & vitam corporis, animæque prouidemus. Profectò alienæ clades, & ruinæ prouidos nos, ac solicitos facere debuissent, non enim alius naturæ, conditionísque sumus, atque illi, quorum clades & ruinas historiæ gentium prodiderunt. Et rex barbarus, ne præceps rueret in flagitium alieno malo

Sapit qui alieno periculo cautus est.
Exitiales fœminarum amores.

S. Cyprian.

Docent nos aliorum casus.

Imprudens aliorum ruinis non docetur.

edoctus insanum cohibet appetitum: at nos hodie post tot, tamque fœdas toto orbe strages ob libidinem editas non timemus, non concupiscentiam in corporum, animarúmque exitia irruentem prudentiæ, ac prouidentiæ frænis cohibemus? Benè S. Hieron. exclamat: Quid mihi, & voluptati, quæ breui perit? Quid cum hoc dulci, & mortifero carmine Sirenarum? noli illi subiacere sententiæ, qua in hominem est illata damnatio: In doloribus, & anxietatibus paries. S. Hier. *ad Eustoch. de Virgin.* Eadem sanè voluptas in viris dolorum, & morborum, ac mortis etiam solet esse feracissima.

Exitialis libido. — D. Hieron. — *Voluptas dolorum ac mortis fœcunda.*

5. Ad regem hucusque verba supradicta retulimus. LXX. verò videntur ad principes regis filios, aut cognatos referre; vertunt enim ἐκ τοῦ γένους μοῦ, *aliquis ex genere meo.* Hoc enim genus hominum, cum inter delicias fuerit enutritum ac delicatiùs viuat, ardentiore cupiditate in quascunque voluptatum illecebras fertur. Nam si etiam cum huiusmodi aduersario colluctans procul à deliciis, à lenociniis, ab epulis, à cantibus lasciuis, à suffimentis, à corporis denique indulgentiore cura inter asperiora religiosæ vitæ studia difficile tamen victor euadit: quid de nobilibus, delicatis, aulicis, principibus sperandum erit, qui perpetuis affluunt omnium carnis voluptatum irritamentis? Non nisi cum pelle Eliæ eiusdem spiritus, & virginitas, qua in sublime triumphaturus assurgit, coniungi potest, quam duplicatam hæreditatē discipulo in terris adhuc agenti, & in certamine carnis luctaturo abiens in cælum reliquit. Hoc enim sensu scripsit S. Gregor. Naz. de S. Basil. Laudas (inquiens) Elisæi præclaram hæreditatem, melotem inquam illam, quam Eliæ spiritus comitatus est: sublimitus Elisæo datam pellem, nimirum carnis extenuationem, & maciem. sic Nazianz. Profectò Dei legem obseruare (quo nihil illi gratius) non poterit, qui carnis appetitiones seueritate Christianæ mortificationis non coërceat. Quod illa Virgo, & sponsa præstabat, dicens: *Messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Cant. 5. Vtique myrrha mortificationem, aromata nostræ erga Deum pietatis obsequium significant. In qua explicatione locum expendens Theod. ad hunc modum colligit. Qui enim carni, & mundo sensum mortificauerunt, eum spiritui dicant, Deóque veluti quendam aromatum fructum præceptorum offerunt obseruationem. hæc ille. Hæc sunt aromata castitatis; contra verò libidinis fomenta sunt, quos isti effœminati exhalant odores. Meritò exclamat S. Cyrill. Hierosol. *catech.* 12. Exterminetur suffimentum voluptatis inescatiuum. sic ille. Alij simpliciùs, & fortè accommodatiùs intelligunt, non quidem de rege, aut principibus, sed de quocunque viro ex populo, qui audiens Rebeccam sororem esse Isaac, sine vllo timore in amorem eius exardescit; cumque sit triplex incendij fomes, fœmina, & pulchra, & peregrina, certum est obuio cuique periculum patrandi flagitium. Ipsa enim quotidiana experientia comprobat, quàm vera sit illa sententia S. Cyprian. quæ habet: O quàm inordinabilis fœminæ propinquitas iaculatur, cuius vicinia est delictorum latrocinium! Non est in hac societate sinceritas approbabilis, quæ collisiones habet velut quibusdam fluctibus turbulentas. Fecit quidem viro Dominus mulierem adiutricem, sed serpentis inuidia personam sumpsit hostilem. hæc S. Cyprian. *de singul. Cler.* Tam certum igitur est, hominem cum serpente habitare, atque cum fœmina versari; cuius consortium egregiè dicitur delictorum latrocinium. Illic enim vitia veluti prædones, non tam in insidiis latent, quam in aperto viam obsident, & viatorem ad prædam, ad iaculum, ad necem operiuntur. Hæc mortalium generi communis est Scylla, & Carybdis, hæc virorum frequens vorago infinitis, ac fœdissimis nobilitata naufragiis.

Deliciæ in luxuriem detrudunt. Etiam mortificati pertentantur à carne. — 4. Reg. 2. — *Castitas cum mortificatione carnis. Eliæ Virginis pallium.* — S. Greg. Naz. — *Mortificatio Christiano necessaria.* — Cantic. 5. — Theod. — *Odores libidinem fouët.* — S. Cyr. Hier. — *Periculosa fœmina propinquitas.* — S. Cyprian. — *Mulier viro serpens.* — *Exitialis consuetudo mulieris.*

6. Addit Rex: *Induxeras super nos peccatum grande.* Non est in Hebr. *grande*, sed tantùm אשם *axam*, quo significatur *peccatum*, itémque *pœna*, siue *desolatio*: quæ omnia rectè conueniunt adulterio. Cæterùm hac de re in superioribus sæpe, multúmque disseruimus. Est autem Hebraismus: *Inducere super aliquem peccatum*: hoc est, præbere alicui occasionem peccandi. Denique Regis edictum statuitur: *Qui tetigerit hominis huius vxorem, morte morietur.* Hebr. הנגע באיש ובאשתו; *Qui tetigerit virum istum, & vxorem eius*: Nam violatio vxoris insigniter virum illius lædit, ac dehonestat. Tam antiqua lex est, quæ pœnam præscribit pro adulterio, & iustè quidem, quia vti rex vocauit *axam* desolationem; iure optimo timeri potest extrema regni vastitas diuinitus irroganda, vbi contra Diuinum, humanúmque ius adulteria perpetrantur. Quàm verò sit iste ignis eradicans, vt vocatur apud Iobum *cap.* 31. & consumens omnia, velut incendium gehennæ, contestantur ipsæ gentium clades, & prouinciarum, regnorúmque excidia, quibus effusas mortalium impuritates expiari, & puniri voluit Deus omnipotens. Ac de Imperij Romani extrema vastitate ob istud flagitium à Gothis, VVandalis, aliisque barbaris inducta latè disserit S. Saluian. illius temporis oculatus, & integer testis. Colligit ergo: Et miramur si miseri, qui tam impuri sumus, miramur si ab hoste viribus vincimur, qui honestate superamur! Miramur si bona nostra possident, qui mala nostra execrantur? hæc ille, *lib. 7. de prouid.* Quod autem barbari honestatem, qua Romani carebant, præ se ferrent, sæpius idem eodem inculcat libr. videlicet: Ecce (inquit) inter Gothos non licet scortatorem Gothum. Fornicatio apud illos crimen, atque discrimen est, apud nos decus. ita Saluian. de Gothis, qui simplicem fornicationem, quam Romani tunc temporis non culpæ, sed honori tribuebant, capitali pœna mulctabant. Sed quid de VVandalis? ita loquitur. Ab VVandalis remota est omnis carnis impuritas. sic ille. Subinfert demum: Nec illos naturale robur corporum facit vincere, nec nos naturæ infirmitas vinci. Nemo sibi aliud persuadeat: Sola nos morum nostrorum vitia vicerunt. hæc S. Saluian. Gentes quidem illæ nec viribus, nec militari peritia, nec armorum apparatu Romanis præstiterunt, sed quia honestiùs viuebant. Romanos vbique tunc impuritate infames facilè superarunt. Obiter videas malè quosdam gloriari de sanguine Gothorum; barbari erant, infirmi erant, propter aliena peccata vicerunt.

Adulterium toti regno exitiale. — Iob. 31. — *Romani ob impuritatem victi à barbaris.* — S. Saluian. — *Gothorum pudicitia.* — *Vuandali casti.* — S. Saluian. — *Romani ob delicta victi à gentibus.* — *Gentes castæ vicerunt Romanos luxuriosos.* — *Non gloriandum de sanguine Gothorum.*

7. *Seuit autem Isaac, &c.*] Quia famem, & peregrinationis suæ molestias Isaac patienti animo tulit, nec de Domino conquestus est, ideò vberrimam, & quæstuosissimam frugem collegit. Nunquam enim suo fructu priuatur iustorum patientia. Sic etiam (vt benè obseruauit S. Ambros. *de Isaac. cap.* 4.) concepit Rebecca, & patientia sua nodum sterilitatis absoluit. &c. Ac vir quoque illius patientia sua nodum sterilitatis in tellure absoluens ingentem copiam frugum comparauit. Semper enim (vt ibidem adiungit) virtutis labor quærit victoriam, &c. adde, & assequitur. Contrà verò mortalium ignauia multorum bonorum iacturam

Patientia fructu non caret. — S. Ambros. — *Virtus laborat cum fructu.*

ćturam inducit: præsertim hoc cernitur in dispendio spiritualium opum. Hinc illa sententia, & vera & cōprobata quotidie à S. Ephrem *serm. de pat. & comp.* apponitur: Desidia telum est inimici, quo multos vulneratos deiicit, &c.

S. Ephrem *Desidia telum diaboli.*

Vide benignitatem Domini, & viri iusti industriam. Anno illo, in quo fames totam Palæstinam penè depopulabatur, non dubitauit Isaac Diuina ope subnixus afflicto, & sterili solo sementem committere: nec vana spes, irritúsque labor: inuenit enim (vt legitur) in ipso anno centuplum.

Iustus in virtutibus augescit. Procop.

Bene Procopius obseruat: Præsens (inquiens) locus nos admonet viro bono agriculturam, & cætera vitæ studia ex animi sententia succedere: & subinde omnia vberiùs prouenire, vltimo successu semper antecedentem excellente instar hordei, quod Isaac centuplum recepit. Quapropter inquit Dauid: *Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur.* Psalm. 36. hæc Procop.

Psalm. 36. D. Hieron. *Satietas ex bona conscientia.*

Cæterùm in verbis Psalmi sensum spiritualem agnoscit S. Hieron. de iustis, qui de Dei (inquit) gratia saturantur. Hæc satietas iustorum interna est in ipsa conscientia diuinis affluente consolationibus, vti placuit D. August. quam Paulus habebat, cum diceret: *Gloriamur in tribulationibus,* ad Rom. 5.

ad Rom. 5. D. August.

Nam ille (inquit S. August.) vnde gloriaretur, si egestatem intus pateretur? Videbantur foris angustiæ, sed intus latitudo erat. Quid autem facit malus, cum cœperit tribulari? foris nihil habet: ablata sunt omnia; in conscientia nullum solatium est: non est quò exeat, quia dura sunt: non est, quò intret, quia mala sunt. Meritò ei fit, quod sequitur: *Quoniam peccatores peribunt.* Consolatio non est in externis. hæc S. August.

Vera consolatio iustis non in iniustis est.

Peribunt autem impij, quando (vt subnotauit S. Hieron.) erunt vacui. Quare iustorum animæ cœlestibus gaudiis abundant, quibus omnino carent improbi, qui lutum auro, terram cælo, carnem spiritui, mundum Deo prætulerunt.

D. Hieron.

Seminarunt beatissimi Apostoli Dei sui verbum in multa patientia, in angustiis, & reliquis molestiarum, afflictationúmque generibus, quæ à Paulo recensentur; sed amplissimos, atque vberrimos diuinarum frugum prouentus collegerunt, quod vno verbo ita perstringit S. Ambros. *lib. de Isaac. cap.* 4.

Apostoli fine virtutu dāno mundum conuerterūt.

S. Ambros. *Apostoli animis & corporibus expediti.*

Apostoli fœcunditate prædicationis suæ totius orbis terrarum spatia referserunt: & quamuis in corpore constituti, nulla tamen cursus spiritualis sensere dispendia. sic Ambros. Homines quidem erant corporea mole prægrauati; attamen spiritus agilitas iisdem tanta inerat, vt supra totam naturæ sarcinam, Dei verbum disseminantes vniuersum orbem peragrarent Euro ipso (vt ita loquar) velociores. Grauat autem spiritum corporis moles, sed multò magis corporis passiones, animam ad lutum illecebrarum, opum, & honorum terræ deprimentes; quibus tamen liberæ videbantur Apostolorum mentes ad diuina tantùm anhelantes.

Grauat animam terra cupiditas.

8. Noster interpres vertit *Centuplum.* Hebr. *xegharim* שערים *æstimationes, modij, mensura.* Iraque collegit Isaac centum modios, siue mensuras tritici: quod etsi parum videatur, tamen in tanta infœcunditate soli, ac cæli ariditate, apud Chananæos illos instar fuit miraculi: qui sensus videtur infirmari, cum scribitur: *Seminauit Isaac in terra illa,* scilicet infœcunda, & ferè desolata, & inuenit in ipso anno centuplum; in quo anno summa erat sterilitas, & Palæstini populante fame non mœrebant modò, sed passim moriebantur. Ac fortasse hæc fames, mœror & congestus passim mortalium interitus in causa fuit; ne principes viri, aut plebei, etiam in tanta morum corru-

Rerum inopia auertit à libidine.

A ptela stimolati libidine in formosissimam illam fœminam oculos inijcerent. Ad venerem quidem baiulorum instar deducunt, saturitas, risus, lusus, & cantus lasciui, vanaque spes vitæ cum mortis obliuione. At infirmitas carnis (vt bene obseruat S. Saluian. *de prouid. lib.* 1.) vigorem mentis exacuit, vt affectis artubus vires corporum in virtutes transferantur animarum. sic ille.

Carnis infirmitas fouet castitatem. S. Saluian.

LXX. legentes, *xogharim* שׂערים *hordea,* transtulerunt *ἑκατοστεύουσαν, centuplicatum hordeum:* quasi tanta fuerit vbertas messis, tantúmque Isaac collegerit, vt granis centuplicatis segetem area centuplo superaret. Cæterùm S. Hieron non *xogharim,* hoc est, *hordeum* recipit; Nec puto (inquit) quod tanta ei fertilitas hordei

D. Hieron.

B fuerit, &c. Sunt, qui accipiant indefinite *centuplum* pro valde magno prouentu. Quasi dicat: Collegit frugem satis copiosam. Centum enim pro plurimis frequens est in scriptura Hebraismus. Præmittit deinde Moyses Dei benedictiooem in Isaac effusam, vt diuitiarum opulentia, pecorum amplissimi greges, familiæ splendor, cum numerosa famulantium multitudine, famæ denique, ac nominis per totam Palæstinam dignitas, & amplitudo; quibus nobilitatus mirandum in modum excreuit Isaac, Deo beneficentissimo adscribantur. Nimirùm (quod egregiè aduotatur ab *Aug. q. 76. in Genes.*) vt sana fide intelligamus etiam ista temporalia dona, nec dari posse, nec sperari debere, etiam cum ab infirmioribus appetuntur, nisi ab vno Deo; vt qui in minimis fidelis est, etiam in magnis fidelis sit. hæc S. August.

D. August. *A Deo bona temporalia sperari, petique debent.*

Hoc etiam be-

C neficium (quod homines tanti æstimant) bonorum terrestrium, quæ maximè ad tuendam vitam conducunt, suis seruis misericors Dominus interdum confert: quod apud Aggæum illustrius inuenitur. Differebant Hebræi reædificationem templi post babylonicum exilium, nec Prophetarum oraculis, & imperio Domini ad sacratum illud opus accingebantur; sed colendæ telluri, serendæ, ac plantandæ omnem operam, conatúmque adhibebant. Occurrit ergo Dominus: *Seminastis multum, & intulistis parum: comedistis, & non estis satiati.* cap. 1.

Aggæi 1.

Vbi optimè occurrit S. Cyrill. Alex. Atqui melius erat, Deo benedicente seminare pauca, & colligere multa. Sed qoia defuit

Cyril. Alex. *Fructus terræ à benedictione Dei.*

D quod necessarium erat, multi quidem labores, perexigui autem fructus. hæc ille. Itaque mira describitur rerum omnium calamitas, eáque haud dubiè in supplicium: quod de suis potius commoditatibus, quàm de pietate, debitóque obsequio erga Deum, non minùs rustici, quàm impij curabant.

Inopia rerum ex defectu pietatis in Deum.

9. Igitur proprio malo edocti manus operi admouent; & quidem mense Decembri (cum summa viget hyems, terráque ad fœtus producendos inepta est) tam alacri omnes studio, vt illico Dei promissionem acceperint in hunc modum: *A die, qua fundamēta iacta sunt templi Domini, ponite super cor vestrum: Nūquid iam semen in germine est, & adhuc vinea, & ficus, & malogranatum, & lignū oliuæ*

E *non floruit? Ex die ista benedicam. &c.* Aggæi 2.

Aggæi 2. D. Hieron. *Ob pietatem dantur interdum bona terræ.*

Vbi egregia D. Hieron. paraphrasis ita se habet: Vtique nono mense, scilicet Decembri, futurarum nulla sunt signa frugum. Ecce nulla signa sunt, & tamen ego prædico vobis, quia cœpistis ædificare templum meum, ad benedictionem meam frugum omnium fœcunditatem. Vinea quoque, ficus, malogranatum, & lignum oliuæ, quæ prius vestro vitio non afferebant fructus, quia mihi nec dum cœperatis ædificare templum, tanta vuarum & pomorum abundantia curuabuntur, vt manifesta fœcunditas manifestam indicet benedictio-

Vitio nostro tellus infœcunda.

nero,

nem. hæc S. Hieron. Multa hic poſſent expendi, A
cuiuſmodi ſunt; vitio noſtro ſæpius terram ipſam
ſterileſcere, nobiſque in Creatorem peccantibus
iuſto ſupplicio ſuos denegare fructus, ita vt ſpes
D. Hieron. (inquit idem Hieron.) ſit in oculis, luctus in ma-
nibus. ſic ille. Deinde cum Dei obſequio potiùs
intendimus, quàm lucro noſtro, nos dignos effici,
quibus Dei beneficio etiam terreſtrium bonorum
felicitas circumfluat iuxta illud Domini: *Quærite
primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia*
Luc. 12. *adijcientur vobis.* Luc. 12. Bene S. Cyrill Alex. ex hoc
Cyrill. Alex. loco prior. cap. Aggæi colligit. Inanis igitur eorum
Pijs erga Deum bonis circumfluunt. cogitatio, ſtudium, labor, quoniam non potiùs
ad Diuinam voluntatem exequendam ſe dedide-
runt, & rerum inhoneſtarum, ac terrenarum cu-
ram, ac ſolicitudinem ſtudio ſanctiùs viuendi po- B
Terram cælo præferens vtrumque perdit. tiorem duxerunt. hæc ille. Sæpiùs fit, vt qui ter-
ram cælo præfert, & terram & cælum perdat: &
qui cælum primò quærit, terræ bonis abundantiùs
potiatur!

10. *Ob hoc inuidentes ei Palæſtini, &c.*] Creuit
Felix ab inuidis petitur. Iſaac rerum omnium felicitate, ac magnitudine,
nec mirum, cur magnam illarum gentium ſibi
conflarit inuidiam. Summa enim petit liuor: nec
ſolet aliquid inter homines eminere, quod inui-
dentium, & maleuolorum iaculis non impugne-
tur. Malum profectò non quotidianum modò, ſed
inolitum etiam, atque hominum corruptæ natu-
ræ ab ipſis incunabulis ingeneratum: nec eſt alia
peſtis, quæ latiùs ſerpat, vehementiùs graſſetur,
maioréſque, ac fœdiores edat ſtrages animarum, C
quam inuidia; cuius deſcriptio ſic proponitur à
S. Greg. Nyſſ. *Inuidia peſtis mortalium.* S. Gregor. Nyſſen. *de vita Moyſis.* Inuidia malorum
princeps, mortis mater, prima peccati ianua: vitio-
rum radix, doloris initium, calamitatis parens, in-
obedientiæ cauſa, ignominiæ principium. Inui-
Deſcriptio inuidiæ. dia mortifer ſtimulus, macro reconditus, naturæ
morbus, bilis venenoſa, tabes ſponte adhibita, te-
lum amarum, figens animam clauus, flamma cor-
dis, inteſtinorum ignis. hæc Nyſſ. Pulchrè inuidia
dicitur naturæ morbus. Tam latè ſcilicet perua-
Inuidia extra omnem rationem. gatur hæc lues, & naturam ipſam deſtruit, ac ra-
tionem ipſam mentis peruertit. Enimuero quan-
do in peccatum homo rapitur, vtique bonum ali-
quod ſaltem apparens ſibi comparare ſtudet: Inui-
dus autem alienum malum in bonum ſuum com- D
putat: nec alio bono affici curat, quàm quòd alius
malo afficiatur. *Venit inimicus homo, & ſuperſemi-*
Matth. 13. *nauit zizania in medio tritici patrisfamiliàs.* Matth.
S. Pet. Chryſ. 13. Vt quid? (rogat optimè S. Petr. Chryſ.) vt periret
dominica meſſis? Et hoc ad lucrum quid pertinet
Inuido ex damno alterius nihil accreſcit. inimici? hæc ille. Inuidit itaque homo nequam
patrisfamiliàs ſuccreſcentem ſegetem; nititur er-
go illam corrumpere? quorſum verò? Quid ille
ex iſto alterius damno elucratur? ſi fortè illa ex
ſegete fructum eſſet collecturus, nihil minim ſi
domino agri molitetur inſidias. At ſi fructum
Diabolus hominis damnum ducit ſuum lucrū. non colligit, cur illum deſtruit? Nimirum diabo-
lus, qui per inuidum ſignificatur (vti addit S. Petr.
Chryſ.) inuidiæ ſpiritus hominum damna ſuum
S. Pet. Chryſ. computat lucrum, & quod perierit hominibus, E
hoc ſe exiſtimat acquiſiſſe. hæc ille *ſerm. 97.* Inui-
dent Palæſtini felicitatem Iſaac tam magnificè au-
geſcere. Quid hoc mali quæſo in Iſaac, donis Dei
Inuidia inſi-letiam deſcribitur. hominem amplificari? Sic inuidi (ſcribit S. Pro-
ſper. *lib. 3. de vit. cont. cap. 9.*) ſanctè viuentium me-
S. Proſper. rita, ſua faciunt inuidendo peccata. De bonorum
malis gaudent, de profectibus lugent, ad gauden-
da anxii, ad plangenda læti. hæc Proſp. Ac naſci-
tur quidem ex ſuperbia liuor; graue quippe ſu-
perbo eſt videre alium ſe ſuperiorem: vnde ſti-
mulatus inuidia carpit, extenuat, atque infa-

A mat, quicquid in alio videt eminere. Profectò ſi
proximum ſicut teipſum diligeres, bona illius,
tanquam tua complexus gaudio geſtires, non fu-
riali cruciatu doleres. Pulchre à S. Ambroſ. *lib. de* S. Ambroſ.
conflictu vitior. ad Simpl. cap. 6. inter inuidiā, & cha-
ritatem pugna deſcribitur. ſic infit. Inuidia dicit: *Inter inuidiam & charitatem conflictus.*
In quo illo, vel iſto minor es? Cur ergo eis, vel
æqualis, vel ſuperior non es? quanta vales, quæ
ipſi non valent? Non ergo aut ſuperiores, aut
etiam æquales eſſe debent. ſic inuidia apud Am-
broſ. Et quidem verè apponitur inuidiæ radix im-
moderatus amor, quo ſe, ac ſua quiſque exoſcu-
latur; ex quo etiam propriæ gloriæ cupiditas in-
ardeſcit. Sed quid ex aduerſo charitas? procedit
Ambroſ. Verùm dilectio fraterna reſpondet: Si S. Ambroſ.
B cæteros, ô homo, virtutibus antecellere te exiſti-
mas, tutiùs in infimo, quàm in ſummo loco te-
metipſum ſeruabis. Semper enim de alto peior fit
ruina. Quòd ſi tibi vt aſſeris, quidam ſuperiores,
alij æquales ſunt, quid te lædit? quid tibi nocet?
Caue ne dum aliis locum celſitudinis inuides, il-
lum imiteris de quo ſcriptum: *Inuidiá diaboli mors*
introiuit in orbem terrarum. Sap. 2. hæc S. Ambroſ. Sap. 2.
Ah quàm multis nocuit humanæ celſitudinis fa- *Tutior locus infimus.*
ſtigium: & quàm feliciter multis euenit; vt in in-
fimo loco, ac penè luto iacentes æqualiter à cul-
mine, & à caſu diſtarent! Itaque ſiue ſuperior, ſiue
æqualis tibi ſit proximus, charitatem accendere,
non inflammare inuidiam debet.

11. Vide quò proceſſit Chananæorum inui-
C dia? puteos tempore Abrahæ foſſos (vt clarè col-
ligitur ex ſerie verborum, etſi LXX. videantur
diſſentire) nunc in odium Iſaac, cui in dies ma-
gis ſuccreſcenti inuidebant, obturauerunt. Bene
illud:

Inuidus alterius rebus macreſcit opimis.

Improbi homines, qui ſibi tantùm bona omnia *Tormentum inuidi.*
arrogant, ac ſimul inuidi, qui aliis bona obſtruunt:
in illo fugiendi, in iſto præcauendi iuxta conſi- S. Ambroſ.
lium D. Ambroſ. 2. *offic. cap. 30.* quod ſic habet. Fu-
gite improbos, cauete inuidos. Inter improbum,
& inuidum hoc intereſt: Improbus ſuo delecta-
tur bono, inuidus torquetur alieno. Ille diligit
mala, hic bona odit; vt propè tolerabilior ſit, qui
ſibi vult bene, quàm qui malè omnibus. ita S. Am-
D broſ. Superat quidem omnem improbitatem in- *Excedit omnem improbitatem inuidia.*
uidia. Illa enim in bonum aliquod (vt paulò antè
monuimus) fertur, iſta malo tantùm paſcitur. In-
ſignis planè iſtorum malitia, qui non modò opes,
& greges, & familiam, & famæ gloriam inuident,
ſed etiam ipſammet, quam bibimus, aquam. Hoc
enim ſubnotauit S. Chryſoſt. Conſidera (inquiens) S. Chryſoſt.
quanta illorum malitia, qui & aquas iuſto inui-
dent. ita Chryſoſt. Sed ô ſtultitiam incredibilem,
atque ſtuporem, vel ipſis indignum beſtiis! Ob-
ſtruunt puteos, aquam auertunt, qua etiam ipſi-
met priuentur, ne alium illa frui conſpiciant: cum
potiùs immortales debuiſſent habere gratias ho-
mini, qui communi prouidens commodo puteum
omnibus ad hauriendam aquam proprio labore,
E atque expenſis aperuiſſet. Cæterùm (vt Procopius Procopius.
animaduertit) affectibus nimiùm dediti, benefi- *Inuidorum ſtupor & ſtultitia.*
ciorum memoriam penitus abolent: potiúſque
damnum pati, quàm ab his, quos oderunt, bene-
ficia accipere velint. Illi putei etiam patebant Pa-
læſtinis inde haurire volentibus, nec ſoli ſibi eos
aſſerebat Iſaac. hæc Procop. Quaſi dixerint: Per- *Inuidorum dicta & facta inſana.*
eamus pariter omnes, modò ille non bibat; nec
enim nobis aqua, vel ipſa vita dulcis erit, ſi ille
ſimul aut bibat, aut viuat. O intolerabilem in-
ſaniam!

12. Obſtruunt humo limpidam, ac viuam
aquam

aquam Palæstini, typum gerentes inuidorum; qui eum iustorum virtutes ac recte facta negare non possunt, ea calumniis dicteriísque solent polluere. Nimirum (vt pereleganter scribit S. Prosper. *lib. 3 de vit. cont. cap 9.*) opinionem bonorum mendaciis decolorant, in spiritualibus carnalia laudant, vt spiritualia bona eis deesse persuadeant. ita S. Prosp. Palæstini malos Iudaicæ legis doctores significant, qui (vt loquitur Origen. *homil. 13. in Genes.*) aquas oderunt, terram diligunt; qui in lege terrenam & carnalem intelligentiam ponunt. & spiritalem, ac mysticam claudunt, vt neque ipsi bibant, neque alios bibere permittant. sic Orig. Hos sequuntur, & imitantur hæretici talium scilicet genimina viperarum: Per quos (inquit Rupert.) diabolus, quia non poterat vi persecutionum extirpare Euangelium, veritatem corrumpere conatus est scripturarū. Puteos enim, hoc est scripturas, quantum in ipsis fuit, hæretici obturauerunt, vt non facile inueniri posset, vbinam esset doctrina veritatis. sic ille. Sed heu nos miseros! Itáne verò, vt nobis hæretici limpidam, & viuam aquam scripturarum congestis errorum & mendaciorum cespitibus, ac sordibus auertant? At *qui habitat in cælis, irridebit eos.* Psalm. 2. Addit enim optimè Rupert. Sed rursum fodit Isaac alios puteos, & quos etiam Philisthim obstruxerant. Semper enim quæcumque hæresis expurgatur, semper vtique, & præstò Christus adest, & de suis aliquos præparat scientia & sermone ornatos munere suo, qui stare valeant aduersus loquaces hæreticos, & mera veritate scripturarum sitientes potare paruulos. hæc Rupert.

S. Prosper. — *Inuidorum lingua.* — *Mali doctores Iudæi.* — *Origen.* — *Rupertus.* — *Hæretici deprauant scripturam.* — *Psalm. 2.* — *Rupertus.* — *Doctorum scientia contra hæreses.*

A B C (marginal section letters)

13. *Recede à nobis, &c.*] Ne Rex quidem à vitio suæ plebis alienus est. Sic regum, & populi fauor instabilis, quem paulò antè omnes admirabantur, & honorabant, subitò nunc inuidentiæ telis confauciant, & violenter abire compellunt. Et neque Rex (inquit S Chrys.) qui in tanta potestate erat, inuidiam continere potuit; sed dicit: *Recede à nobis, quia potentior nobis factus es valde.* Magna maleuolentia. Cuius gratia abigis iustum? Num aliqua in re tibi nocuit? sed ita se habet inuidia; nihil cum ratione operatur. Ita agere solet inuidentia; non potest benigniter videre aliorum felicitatem, sed felicitatem proximi suam putat infelicitatem, & tabescit bonis proximi. hæc S. Chrys. Monstri planè instar est, hominem ab omni prorsus alienum ratione. ita in seipsum desæuire, vt aliorum bonis torqueatur, & contabescat. Itáne verò, vt aliena salus, mea sit pernicies? hoc vno moriar infelix quod alium viuere intuear? O morbum immedicabilem! Quis enim (ait S. Prosper, *lib. . de vit. cont. cap. .*) ei poterit subuenire, qui se sibi exhibet inuidendo carnificem? Vnde sibi parabit salutem, qui de salutis materia facit perniciem? Ac Deum quidem vehementius quam hominem offendit inuidus: quippe Dei dona in homine odit, atque impugnat. *Recede* (inquit Rex) *à nobis, quia potentior nobis factus es.* Quia videlicet (exponit S. Chrys.) supernum habes præsidium in omnibus, dexteráque Dei munitus es. Imò oportebat eum spectare, & attendere, quem omnium Deus tanta gratia prosequebatur, & Dei exemplo magis fouere, ei seruiendo, vt honore in illo collato, etiam ipsi Diuinum sibi fauorem conciliarent. At expellunt, &c. hæc S. Chrys. Idcirco Dominus mirandum in modum execratur hoc vitium, quo inuidus in illum, illiúsque dona suam omnem virulentiam distringit. Inuidus enim (vt rectè animaduertit S. Prosper, *lib. eodem. cap. 5.*) odio hominis persequitur Diuinum munus in homine: cum potiùs amari homo debeat etiam pro sui meriti sanctitate. Tantos inuidus habet pœna iusta tortores, quantos inuidiosus habuerit laudatores. Siquidem inuidiosum facit excellentia meriti, inuidiam pœna peccati. hæc ille. Quare sicut summa est infelicitas inuidere, sic arguit felicitatem inuideri. Nisi enim succreuisset Isaac, nisi felicitate sua Palæstinis, regique illorum tenebras offudisset, non istiusmodi homuncionum aduersus gigantem (vt ita loquar) inuidia exardesceret.

Inuidia etiā rex contabescit. — *D. Chrysost.* — *Magna infelicitas inuidorum.* — *Monstrum est inuidus homo.* — *Inuidus omnis rationi haud mouetur.* — *S. Prosper.* — *Inuidus Deum offendit, & irritat.* — *S. Chrysost.* — *Inuidus Dei dona odit & persequitur.* — *S. Prosper.* — *Felix est, cui inuidetur.*

D E (marginal section letters)

14. At ô Rex, qui fieri potest, vt teipso potentiorem reputes hominem peregrinum, & agricolam, & fruge sua, quam ipse excoluit, & gregibus, quos pascit, abundè contentum? Vbi fasces regij, vbi corona, sceptrum, aula, regnum, quæ tu omnia possides? Miror infelicitatem inuidentis, & arrogantis. Quicquid ille peregrinus habet, quod suum Rex non iudicat; maius & illustrius, quàm vniuersa regni censet insignia. Sic ille non minùs inuidus, quam superbus Aman cum magnitudinem suarum opum, filiorum numerositatem, gratiam super omnes regni principes apud regem Assuerum, denique spectabilem toti orbi gloriam suam amicis exposuisset: adiecit tamen miser: *Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quādiu videro Mardochæum Iudæum sedentem ante fores regias.* Ester 5. O deploranda hominis miseria! cum tam incredibili bonorum affluat amplitudine, nihili omnia reputat, nihil se habere iudicat, quandiu captiuum ante fores palatij sedentem videat. Hoc vnum, nempe sedere ad fores regias, quod in captiuo videt, suis opibus & gloria putat esse longè felicius, & optabilius. Hæc fuit infelicitas Achab, qui regno Israelitarum potitus in lectum decidit, & inedia vsque ad mortem se confecisset; eò quòd vnius pauperis vineam, quam concupierat, non possideret. 3. *Reg.* 21. etiam pauperi tenue peculium rex inuidet; veluti gazam regiis thesauris opulentiorem. Certum est enim quod cecinit Poeta.

Miseria regis, qui inuidet. — *Inuidus sua non æstimat videns aliena bona.* — *Ester. 5.* — *Achab rex vineam pauperis concupiuit.* — *3. Reg. 21.*

Fertilior seges est alieno semper in aruo:
Vicinumque pecus grandius vber habet.

Admirabilis plane Isaac maximarum virtutum splendoribus illuxit: audiens enim tam iniquum regis edictum, non iratus, non indignatus, non conquestus verbum vllum respondit, sed patienti animo humilis, & mansuetus, inde sublato tentorio, cum tota familia demigrauit: sequitur enim: *Et ille discedens, vt veniret ad torrētem Gerara, habitaréque ibi.* benè Procop. Intuere (inquit) sinceritatem, & probitatem Isaaci. Nam cum primùm audiuisset esse discedendum, continuò discessit: nec in ius ambulare instituebat cum his, à quibus fuerat affectus. sic ille. Abiit igitur Isaac, & humilitate, ac patientia flagrantem Palæstinorum, regísque inuidiam sedauit. Pulchrè ad filium accommodes illud de Abrahamo patre dictum à S. Ambros. *lib. 1. de Abraham. cap. 4.* Grande virtutis mysterium, cui citò inuidetur. Et ideo vt inuidiam reprimat, humiliorem se præstare debet. ita S. Ambros. Auget modestiam, & humilitatem Isaac certa, & firma illius in Deo fiducia, & maxima ab ipso accepta dona, quibus se longè videbat barbaro rege superiorem: sed tamen ita se gessit, ac si non Diuinæ beneficentiæ opem, nec vlla Diuinæ bonitatis munera in seipso expertus esset. quod S. Chrys. ita subnotauit: Vide iusti magnam mansuetudinem, quomodo non superbiuit; neque videns reipsa Diuinam sibi gratiam assistere contra regem, fretus commilitantis virtute insurrexit: sed quasi vir omni patrocinio carens, & nullum

Mira patientia Isaac. — *Procopius.* — *Litigare noluit Isaac.* — *S. Ambros.* — *Humilis inuidiam sedat.* — *S. Chrysost.* — *Isaac humilis & mansuetus.*

lum auxilium aliunde expectans, multa cum mansuetudine, ne verbis quidem resistens, fecit quod sibi à rege præceptum est, & statim illinc discessit. hæc S. Chrys. Admiranda sane humilitas, quam sancti viri præferunt, vt diuinis ornati muneribus, Deique gratia perenniter sibi assistente potiti, nihilo tamen minus ita laborent, ita se humilient, ita malorum iniurias perferant; ita parui, & nihili sint in oculis suis, ita sibi (quod maius est) timeant, ac si donorum suorum, virtutúmque nullo pacto conscij forent.

Mira iustorum humilitas.

15. Huius humilitatis fastigium, seu abyssum potiùs profundissimam in nullo mortalium (post Christum Dominum humilitatis doctorem) reperimus, præterquam in beatissima semper Virgine B Dei Matre: nam etsi alij sancti humilitatem exhibuerint, inter Dei munera, quibus erant affecti; nullus tamen extitit illorum, qui vitio, labéque omni caruerit. Humiles quidem sunt, sed inter Dei beneficia, nonnihil vitiosum ex seipsis agnoscunt, quo quidem confusi humiliantur. At Virgo Mater videns se Deo plenam, Deum Virginali vtero gestare, intemeratóque partu Deum parturire, Deum in vlnis, & ad vbera fouere; inter hæc tamen, vel ipsis Angelis incomprehensibilia mysteria tacet Virgo modestissima, humilitatísque velamine præcellentissimam dignitatem suam occultat, vt cum sit vera Dei Mater, ac proinde rerum omnium Domina, & Regina, ita se tamen gerat, ac si tantùm esset ancilla; quem vnum suorum titulum libens & gaudens prædicabat. C Student mulieres ornatui suo, vt præcipuè faciem colorent, ac venustent: & collum pulcherrimis ex auro, & margaritis adornatum monilibus ostentent. Quæ duo in sponsa illa sæpiùs laudantur in Cant.1.& 2. *Cuius facies decora, & collum sicut monilia.* Qui locus vti à S. Ambros. *lib de Isaac. cap.3.* exponitur de anima, sic optimè in Virginem Matrem conuenit. Laudatur (inquit) quòd speciosa, quòd pulchra sit, quæ vultu præferat castitatis decorem; & redimicula ceruicis attollat, in qua sunt patientiæ, & humilitatis insignia. hæc S. Ambros. Pretiosissima quidem, & pulcherrima pariter Deiparæ Virginis ornamenta virginitas, & humilitas. O Virgo Virginum, ô benedicta inter mulieres; & te talem cognoscis, & vides; D attamen inter postremas te reputas, ad seruiendum ancilla constituta ceruicem deprimis humilitate, ac patientia sic exornatam, vt non minùs quia Virgo, quàm quia humilis, Dei oculos, amorémque tibi deuinxeris. Enimuerò *Deus omnipotens humilia respicit, & alta à longè cognoscit.* Psalm. 112. Non enim (declarat S. Laurent. Iustin.) patitur superbos appropinquare sibi, nec secum aliquod vult habere consortium; cognoscit quidem illos, sed à longè, vt redarguat, vt corripiat, vt emendet, & ipsi cognoscant se, erubescant de se; compungantur in se, & displiceant sibi. hæc Iust. *lib. de humilitate cap.* 8. Sed quæres adhuc, vnde hæc tanta sit superborum à Deo distantia; vt, qui rebus omnibus intimè præsens est, superbos E tamen de longè cognoscat? respondet idem Laurent. De cordis habitaculo humilem Redemptorem repellunt, reddúntque animam ignobilem, contemptibilem, & Dei copulatione indignam. sic ille. Contra verò summus ille atque altissimus Deus, qui se humiliauit, & exinaniuit, humilibus se intimè ac familiariter inserit; & quia Virgo Mater omnium creaturarum rationalium humillima extitit, idcirco sola ipsa tantam cum Deo coniunctionem habere meruit, vt vera illius Mater efficeretur.

Nemo iustus sine vllo vitio.

Incomprehensibilis humilitas B. Mariæ.

Muliebre studium forma.

Cant.1.& 2.
S.Ambros.

Duo ornamenta B. Mariæ.

Psal.112.
S.Laur. Iust.
Humilitatē à suis Deus exigit.

S.Laur. Iust.
Superbi Deū à se repellunt.

B. Maria Deo coniunctissima, quia humillima.

A

SECTIO III.

Rursum fodit alios puteos, quos foderant serui patris sui Abraham, & quos, illo mortuo, olim obstruxerant Philistym: appellauitque eos, &c. vsque ad *super terram.*

1. PVlsus à rege, atque ab aulicis ob inuidiam rixarum, & odiorum matrem Isaac, venit ad torrentem Geraræ. Hebr. נחל *nachal.* LXX. vertunt *vallem.* Vtrumque significat vox Hebræa, si Iosepho credimus, dicta est hæc vallis Pharan, per quam decurrebat exiguus torrens. Igitur Isaac in primis aggressus est puteos effodere, ad familiæ B suæ, gregúmque omnium commodum; nec enim illa regio plerunque fontibus scaturit: tum etiam in vtilitatem Palæstinorum, à quibus malè affectus fuerat; vt inuidos, & inimicos grandi illo beneficio emolliret, ac sibi redderet obligatos: tum etiam, vt manifestò demonstraret mitem, ac pacatum animum, in quo, licet iniuriis appetito, nulla tamen vel tenuis remaneret iniuriarum recordatio. quod ita refert Procop. Quidam inquiunt Isaacum, vt omnibus esset beneuolus, nec ampliùs iniuriarum recordaretur, fontes illos obturatos refodisse, & repurgasse, affectans beneficiis illorum iniurias superare. sic ille. Et adhuc tamen non audierat Isaac, quod nobis à Domino sæpiùs iniunctum est; *Diligite inimicos vestros, bene-* C *facite iis, qui oderũt vos.* Matth.5. Diligite nimirum, quia si quis amore Dei, ac proximi communitum pectus habet; iræ, quamuis lacessitus, indignationi, odio, & vindictæ, atque adeo cuicunque impatientiæ aditum non præbet. Hoc ipsum S. Paulin. familiariter scribens ad amicum eleganti verborum vrbanitate concludit: sic enim ait, *Epistola* 28. Abutimur patientia vestra, & ita repletum pectus vestrum nostri amore confidimus, vt offensam nostri non capiat: etiam si faciamus iniuriam, qua mereamur offendere, si vos vnquam à nobis vel merentibus possitis offendi. hæc S. Paulin. Vide quàm sit vir iustus animo generoso, qui nullis iniuriarum offensis se reputet offendi; quippe cum hoc vnum sciat, quòd diligat proxi- D mum. At est inimicus; quî ergo & tolerari, & amari debet? ne inimicum respicias, sed hominem, ac proximum consideres; subtiliter Dominus admonet in parabola zizaniorum, cum adiungit: *Inimicus homo hoc fecit.* Quem locum expendens Euseb. Emiss. in S. Matth. sic animaduertit. Inimicus homo est, inimicus, quia peccator; amicus, quia homo: dilige hominem; habe odio peccatorem. Quare quando dicitur: *Dilige proximum tuum*, naturam hominis intellige. sic ille. Illud etiam mihi videtur insinuari verbis illis: *Inimicus homo*: vt vnusquisq; admoneatur, quòd ipse homo sit, multáque proinde habeat vitia, quæ aliis materiam præbeant patientiæ. Quare ô homo, tolera homines, si vis te hominem ab hominibus tolerari: E iuxta consilium Apostoli. *Alter alterius onera portate.* ad Galat.6.

Isaac beneficus erga inimicos.

Iniuriarum oblinio.

Procopius.
Bono malum rependere.

Matth.5.
Iustus iniurias remittit, imò non sentit.

S.Paulin.

Diligendus est inimicus.

Euseb.Emiss.
Matth. 5.

Vnusquisque alijs patientiæ materiā præbet.

ad Galat. 6.

2. Et quidem homo patiens dignus esse solet, quem homines æquo animo patiantur: quod Ferránd. *reg.6. ad Reginum*, sic ad verba Pauli dispungit: Nullus onus portans per patientiam fit importabilis omnibus. ita Ferrand. Diacon. Hoc idem Apostoli consilium de mutuis oneribus portandis D. Aug. pulchra ceruorum similitudine sic exponit *lib.83. quæst.* Nunc cum in hac via, id est, in hac vita sumus, onera nostra portemus, vt ad eam vitam, quæ caret omni onere, perueniamus.

Ferrand.

Mutuò sumus tolerandi.

D.Hieron.

Sicut

Mirum cervorum ingenium.

Sicut enim de ceruis nonnulli scripserunt, cum A fretum ad insulam transeunt pascuorum gratia, sic se ordinant, vt onera suorum capitum, quæ gestant in cornibus, super inuicem portent: ita vt posterior super anteriorem ceruice proiecta caput collocet. Et quia necesse est, vnum esse, qui

Patientiam mutuam docent cerui.

cæteros præcedens non ante se habeat, cui capur inclinet, vicibus dicuntur id agere: vt lassatus sui capitis onere ille, qui præcedit post omnes redeat, & ei succedat, cuius ferebat caput, cum ipse præiret. Ita inuicem onera sua portantes fretum transeunt, donec veniant ad terræ stabilitatem. hæc S. August. Psalmum quartum composuisse videtur Dauid de coniuratione principum, & magnatum Israel simul cum Absalone. At quid de illis ingratis, & infidis suo regi, qui filium arma- B tum in patrem secuti regem à Deo constitutum subrogato alieno, impuro, & parricida regno spoliarunt, & in fugam compulerunt? O admirabilem patientiam! ô charitatem nullis iniuriarum, &

Psalm. 4.

persecutionum procellis succumbentem! *In tribulatione* (inquit) *dilatasti mihi.* Legunt alij: *In angustijs constitutum educis in latitudinem.* Nimirum

Patientia & charitas erga inimicos.

cum essem vndique periculis circundatus, tua ope, Deus meus, in apertum ac liberum campum subitò sum eductus, vbi respirare, ac discurrere

D. August.

possem securus. Ab angustiis (declarat S. August.) tristitiæ in latitudinem gaudiorum me duxisti, vt ille ait: *Gaudemus in tribulationibus, &c. quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Rom. 2. & 5. non habet cordis angustias, quamuis extrin- C secùs à persequentibus ingerantur. sic August. videlicet, quia charitas illa diffusa in corde, animam educit in latitudinem: dilatantur etiam spatia charitatis, vt alibi notat idem August.

D. Chrysost.

3. Hunc eundem Apostoli locum cum Psalmi verbis coniungens ita S. Chrysost. *in 4. Psalm.* explicat. Vt discas etiam ex voce Apostoli, quàm latus, & liber campus oriatur ex afflictione, audi ipsum Paulum dicentem fructum afflictionis: *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem, spes autē non confundit.* ad Rom. 5. Ineffabilem vidisti latitudinem; vidisti portum lætitiæ; patientiam efficit afflictio. Quid enim homine fortissimo, & qui omnia facile ferre po- D test, patientius? quid probato autem fuerit fortius? quid autem conferri potest cum ea, quæ hinc oritur delectatione? hæc S. Chrysost.

ad Rom. 5. Mira historia patientia.

Mira charitas Dauid erga inimicos.

Itaque Dauid inimicorum persecutionibus vndique constrictus in latitudinem charitatis adductum à Domino se dicit, vt vinceret in bono malum, carbones iniiceret super capita suorum hostium, benefaceret iis, à quibus odio, bellóque oppugnabatur; qua deinde charitate munitus, non modò iram cohibuit, vltionique restitit; sed ex eo cepit incredibilem voluptatem, quòd hostes illos, & proditores suos videret omni bonorum copia prædiuites. Sic enim à nonnullis explicantur verba sequentia: *Dedisti lætitiam in corde meo, à fructu frumenti, vini & olei sui multiplicati sunt.* seu, vt alij vertunt: *à tempore quo frumentum eorum, atque mustum eorum* E *aucta sunt.* Hac sua Dauid patientia, & amore aduersus inimicos, planè omnium animos sibi vehementiùs vicit, & astrictiùs deuinxit: semper

Patientia fructibus abundat.

enim in copiosos exuberat fructus patientia. Et qui amat, ad amorem vtique cogit. Bene S. Gregor. Nazianz. amorem suum, quo ciues suos prosequebatur, commodatæ pecuniæ similem esse dicit. Qua mensura (inquiens) charitatem eam metiar, qua vos mihi charitas mea tanquam ære alieno constrinxit? *Apolog.* 2. Qui enim pecuniam accipit mutuam, tenetur creditori tantundem reddere: vbi quidem amaris, vt pariter ames debitum contraxisti. Admirabile profectò ingenium, ac virtus amoris, vt aliunde, quàm à se vinci nequeat! ad amandum non compellit, nisi amor. Amorem solus amor allicit, suauitérque extorquet.

Amor amorē extorquet. S. Gregor. Nazianz.

4. *Appellauitque eos iisdem nominibus.*] Vir sanè omni æuo memorandus, & quem sibi, quicunque filius est, ad imitandum proponere debeat. Eadem nomina (inquit Procop.) imponuntur puteis, quod quidem defertur honor. parentis. Nec vllum locum inuidiæ apud sese reliquit. sic ille.

Procopius.

Ingrati plerumque filij euadunt parentibus, qui horum memoriam vti a suis animis, sic ab illorum monumentis, solent abolere. Tollunt, commutant, abradunt, aut certè emendant ædificia, hortos pensiles, & quæcumque patrum ingenium inuenit, industriáque ac sudor elaborauit: totum etiam regendæ familiæ ordinem, ipsósque seruos, & famulos, atque omnem statum paternæ domus exterminant, quin etiam longè alia vitæ studia, quàm quæ patribus potiora fuerant, sequuntur: nimirum, vt se patribus sapientiores esse ostendant; & quasi pudeat aliorum vel parentum vestigiis insistere, nouam vt ipsi sibi viam adaperiant. Profectò non sic obseruant mandatum Domini: *Honora patrem tuum, vt bene sit tibi.* Deuter. 5. Vbi eleganter Procop commentatur: Deus (inquiens) qui omnia producit, & creat, post leges, quæ ad ipsum pertinent, meritò secundas tribuit parentibus, qui post Deum secunda, vt simus, causa sunt.

Ingrati filij memoriā, & studia patrū abolent.

Deuter. 5. Procopius. Honorādi, & amandi post Deū parētes.

Plurimo parentes digni sunt honore: nemo tamen ipsos præferat Deo secundùm hoc oraculum: *Qui diligit patrem, aut matrem supra me, non est me dignus.* Reuerentiam deferendam esse genitoribus exemplo est Christus, qui è cruce pendens, commisit fidei discipuli spectatissimi matrem. hæc Procop. Honorandi quidem sunt post Deum, sed non plusquam Deus parentes.

Matth. 10.

Porrò autem pulcherrimum exemplum pietatis erga Matrem Christus Dominus iam in cruce moribundus reliquit, cum illam dilectissimo discipulo cōmendauit. *Ecce mater tua.* Ioan. 19. hoc est (declarat S Laur. Iustin. *lib. de triumphali Christi agone, cap.* 8) indissolubili charitatis fœdere te illi, & ipsam copula- D bo tibi. *Ecce mater tua:* illi famulare, illam honora. Quicquid exhibebis illi, siue obsequij, siue reuerentiæ, seu iniuriæ adscribam mihi. sic ille.

Christus Matrem Ioanni commēdauit.

Ioan. 19. S. Laur. Iust. B. Maria & Ioannes miro charitatis nexu coniuncti.

Simile quid scripsit S. Arnoldus Carnot. Abb. ad eadem verba hoc modo: Christus in Matre ampliùs, quàm in se pati videbatur: nec dissimulans, quòd humano pungeretur affectu, circa nouissima expressit, quantam Matri vellet reuerentiam à mundo exhiberi, cui in vltimis tam officiosum reliquit dilectioois indicium, hæc Abb. *tract. de laudibus Virgin. tom. 6. biblioth. Patrum.*

S. Arnoldus. Christus Matrem à gentibus iubet honorari.

Non enim solom à Ioanne Apostolò, sed ab omnium gentium futurà Ecclesia, quæ per Ioannem significatur, Dominus Matrem suam beatissimam semper Virginem ad finem vsque mundi, quin verò etiam per omnem æternitatem voluit honorari, atque sum- E mis omnium laudum præconiis celebrari: quod Virgo ipsa Deipara certissimè intelligens immortales propter hoc beneficium gratias Deo habuit prophetādo: *Magnificat anima mea Dominum, &c.* Luc. 1. Ad quem locum ita Euseb. Emissen Dominum magnificat, qui Domini magnificentiam prędicat: magnificat & ille Dominum in cuius bonitate magnificatur, & laudatur Dominus. Sic enim in discipulis magistri, sic in operibus suis singuli artifices laudantur, & magnificantur. *Beatam me dicent* (inquit) *omnes generationes.* Vera est prophetia, quam Veritatis Mater de se ipsa pro-

Luc. 1. Euseb. Emiss. B. Maria Deum magnificat.

Per omnia celebratio Virginis Deiparæ.

phetat. Nulla enim ex eo tempore generatio fuit, quæ eius beatitudinem non prædicarit. Semper eius beatitudinem Ecclesia concinit, in qua simul omnes generationes continentur. hæc S. Euseb. Summam igitur, atque studiosissimam honorandi, & prædicandi Matrem suam Virginem Dominus curam habuit, cui per omnes gentium regiones, infinita delubra, templa, sacella, altaria, aras, sacrosanctásque imagines erigi, & omnium penè catholicorum pia vota, & obsequia deferri, atque illam ab omnibus implorari, & innumera miracula in omni rerum genere perenniter ab illa edi Filius Matris suæ amantissimus curauit, vt per omnes gentes, ætatésque, & vbique locorum semper Virgo Dei Genitrix Maria honoretur, & officiocissima mortalium pietate, cultúque (post Deū) deuotissimo percelebretur. Ac iure quidem optimo alloqui possumus cum S. Ioanne Damasc. admirabilem, & superexcellentem Virginem Dei Matrem his verbis: Aue ô templum Dei, animatus loculus & arca: Creatorem ô Deipara intemerata hominibus conciliasti. Et meritò te omnia operà laudant, & superexaltant in secula seculorum. sic Damascen. *in Cant. ad od. 9. de S. Trinit.*

Mira Christi cura honorandæ Matrem.

S. Io. Damasc. Post Deum summè colenda B. Maria.

Honori Patris Æterni Christus studet.

5. Maximè verò admiranda Christi Domini pietas erga Æternum suum Patrem enituit, pro cuius manifestando nomine, amplificanda gloria, illustrandóque apud homines honore (hæc fuit prima, & potissima ratio Incarnationis Verbi Diuini) venit in mundum. Iccircò Pater de Filio suo in mundum mittendo loquens apud Ezechiel. 34. sic ait: *Suscitabo eis germen nominatum.* Legunt alij: *Plantationem in nomen.* Vtique in mei nominis famam, & supremam meæ gloriæ demōstrationem: ac deinde in vtilitatem, & honorem mortalium aduentus Dei redundabit. Sequitur enim: *Et non erunt vltra imminuti, siue pereuntes fame in terra, neque portabunt ampliùs opprobria gentium.* Ergo fames (exponit S. Hieron.) audiendi sermonem Dei, quæ sub pastore bono, & germine nominato, atque omnium sermone celebrato, & plantatione pacis, nequaquam erit vltra, neque amplius opprobriis gentium subiacebunt, vt dicant: *Vbi est Dominus Deus eorum?* Scient quòd non solùm Dominus ipse sit Dominus, sed cum additamento, quòd Dominus omnium propriè Deus eorum sit cum eis, qui dicit in Euangelio Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* hæc S. Hieron. Proprium id quidem, & velut naturale homini Christiano est, vt Diuini verbi desiderio, faméque pungatur. Quòd si erunt aliqui, quos theatra minorum, & impuritatum, aut certè vanitatum potiùs delectent, quàm sacri templorum conuentus, ac Diuini verbi conciones; illi quidem nec verè Christiani, sed nec homines censendi sunt. Quo in argumento rectè colligit Clem. Alex. Si non est omnium cognitio; asinus ad lyram, vt dicunt. Et sues quidem magis delectantur luto, quàm aqua munda. sic ille, *strom.* 1. Contra verò qui Dei verbo audiendo animos, sensúsque oblectant, & pascunt, non sues in luto sordescunt, sed velut spiritus à concretione terrena liberi ad cognatum sibi cælum euehuntur. Adiungit enim: Qui in verbis veritatis germanè, & sincerè sunt educati, accepto vitæ æternæ viatico, sublimes in cælum feruntur. ita Clem *strom.* 1. Qui ergo inter Diuinas laudes, & sacras Ecclesiæ conciones optimè instituti vitam agunt, securi ad æternitatem gloriæ commeatum ferunt. Quod Pater per Ezechielem promiserat; hoc idem per Zachariam Filius in seipso adimpletum dixit: *Hæc dicit Dominus exercituum: Post gloriam misit me ad gentes.* c. 2.

Ezech. 34.

Incarnatio Verbi in Patris gloriam.

S. Hieron.

Matth. 28.

Desiderium audiēdi verbum Dei.

Clem. Alex. *Asinus, aut porcus est, qui respuit verbū Dei.*

Commeatum fert ad cælū qui libenter audit verbū Dei.

Zachar. 2.

A Vbi S. Hieron. Vox (inquit) Saluatoris: Missus est à Patre, post gloriam Diuinæ maiestatis. sic ille. Etsi autem prior sensus sit: Filius Dei postquam ab omni æternitate infinitam Diuinitatis suæ gloriam cum Patre possedit; ab eodem, illam quidem retinens, missus est humana carne indutus, & exinaniuit semetipsum vsque ad ignominiam crucis: admitti tamen potest alter sensus, vt præpositio *post* ad futurum tempus pertineat: videlicet, missum à Patre Filium post gloriam, hoc est, pone gloriam, ad comparandam gloriam Patris sui apud homines (Lusitanè *apos a gloria*) quibus (vt ipse ait) clarificauit nomen Patris.

D. Hieron.

Verbi incarnatio propter gloriā Patris.

6. Scilicet Æternus Pater paruum, ac tenue habebat tabernaculum (Ecclesiam dico) in quo vti B Deus coleretur: ergo Filius venit in terras, vt templum Patri extrueret, tam amplum, tam splendidum, vt ex omnibus Orbis totius gentibus viui, & sancti lapides illuc ad fabricam importarentur. Iccirco apud Aggæum ædificator templi ponitur Zorobabel, nimirum (vt optimè dispungit S. Hieron. *in* 1. *Agg.*) typus est Christi, qui verè destructum ædificauit templum, id est, Ecclesiam, & reduxit populum de captiuitate; & tam de veteris templi lapidibus, quàm de nouis, qui priùs fuerant impoliti, ædificauit Ecclesiam: id est, & de reliquiis populi Iudaici, & de gentium multitudine Deo Patri extruxit tabernaculum. hæc ille. Nec fabrica modò templi, sed etiam nomine ipso suo præfigurauit Zorobabel Christum Dominum. C Addit enim S. Hieron. Zorobabel interpretatur fluxus expositus: Iesus enim nobis expositus est ad bibendum, & largissimo fonte se præbet. *Qui sitit, veniat ad me.* Ioan. 7. hæc S. Hieron. Nimirum in cruce positus, & expositus, fons est, aut fluuius, aut etiam mare potius immensam gratiarum, donorúmque cœlestium copiam mortalibus exhibens. Nostrum verò deinde est, accedere, excipere, honorari pariter, ac locupletari, expleri denique, ac satiari. Porrò quia Filius Dei videbat Patrem suum innumeris, & grauissimis humani generis offensum delictis, libens ipse se obtulit, vt suo sanguine scelera hominum expiaret, & illorum debita Patri offenso exolueret, læsámque Diuinitatis maiestatem infiniti valoris sacrificio, & D obsequio suo honoraret. Hæ sunt illæ diuinæ vindictæ, atque humanarum pro delictis calamitatum procellæ, quas Dei Filius in suum caput desæuire intuitus ad Patrem ita loquebatur per Ionam sui typum egregium, dum in bestiæ vtero haustus teneretur. *Omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt.* Ionæ 2. Legunt L X X. *Omnes eleuationes tuæ, &c.* Nimirum (vt explicat S. Hier.) vniuersæ persecutiones, & turbines, quibus genus humanum vexabatur, super meum detonuerunt caput. Ego sustinui tempestates, & fregi turbines sæuientes, vt cæteri securiùs nauigarent. hæc S. Hieron. Sed quid illud, *transierunt?* nimirum tempestates, & maria passionis non absorbuerunt Dominum Iesum: etsi enim mortuus fuerit, citò taE men viuus, & summè gloriosus resurrexit. Etsi opprobriis saturatus sit, surgens tamen, & in cœlum conscendens omnia traxit ad seipsum. Vnde hic optimè S. Hieron. animaduertit: Gurgites, & fluctus non oppresserunt Iesum: sed transierunt per eum, minantes tantùm naufragium, non inferentes. sic Hieron.

Christus Patri de gētibus Ecclesiam ædificauit.

D. Hieron.

Zorobabel typus Christi.

D. Hieron.

Ioann. 7.

Christus fons & mare in cruce.

Christus debita hominū exoluit.

Ionas typus Christi.

Ionæ 2.

D. Hieron.

Passio Christi procella.

Resurrectio Christi gloriosa.

D. Hieron.

7. Ac *Pater* quidem (vt prædixit Isai. 53.) *posuit in eo iniquitates omnium nostrum.* LXX. habent: *Dominus tradidit eum iniquitatibus nostris.* In Hebr. legitur: *hiphguiagh bo eth gheon* הפגיע בו את עון *incurrere, seu irruere fecit in eum:* videlicet, vt omnia Isaiæ 53.

delicta

delicta humani generis in Christum velut in petram durissimam impacta, vbique omnino collisa euanescerent; atque adeo Diuina iustitia integram, ac plenam de illis vltionem sumens cum hominibus rediret in gratiam. Est enim Christus Dominus mediator Dei & hominum; venitque (vt ait Clem. Alex. *ad Gent.*) in terram, vt Deum insipientibus hominibus ostenderet, interitum compesceret, & inobedientes filios Patri reconciliaret. sic ille. Atque (vt pie, veréque loquitur S. Arnol. Carnot.) Christus Iudex, & Aduocatus; qui nequaquam crudeliter iudicat, qui semper interpellat. Merces quippe mortis eius salus est hominum. Nec illud sibi perire facilè patitur, pro quo, & sanguinis pretium magnum datum est; & tantum reconciliationis humanæ studium fuit, vt sua dispendia non attenderet, dum erroneum lucraretur. hæc ille, *tract. de laud. Virg.* O lætum, ô felicem aduentum Filij, qui verè Isaac, hoc est risus, & gaudium Patri suo extitit, atque seruis suis, quos ipse suo Sanguine redemit! planè Dei Filium in carne venientem ad redemptionem humani generis, & immensam Patris sui gloriam festiuissimus cæli, ac terræ plausus excepit: iuxta illud Prophetæ: *Educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius.* Zach. 4. ex Hebræo legitur, *thexuoth chen chen lah* תשאות חן חן לה; *Et clamores gratia, gratia illi, Dei Filio homini facto.* quod Isaias 44. his verbis explicat: *Laudate cæli quoniam misericordiam fecit Dominus: iubilate extrema terræ, resonate montes laudationem, saltus, & omne lignum eius; quoniam redemit Dominus Iacob, & Israel gloriabitur.* Sensus est ex S. Hier. Tu Israel reuertere ad me, & age pœnitentiam, quia redimendus es pretioso Sanguine; quod si feceris, scias in salute tua, cœlos, terrámque lætari, & omnia elementa concinere. sic ille. Tantum bonum, támque admirabile opus est hominem saluari, vt eum plausu totius naturæ celebretur.

Christus expiator & redemptor hominum. Clem. Alex. S. Arnol. *Amat Christus hominum salutem.* *Incarnatio Verbi plausibus excepta.* Zachar. 4. Isaiæ 44. D. Hieron. *Hominis salus cum plausu totius naturæ.*

8. *Repererunt aquam viuam.*] Ac inuidi quidem effossos illos Abrahæ tempore puteos obturarunt: etiam ad minima, si nequeant ad magna pertingere, conspurcanda pertinaciter obnituntur. Cæterùm Deus omnipotens, & inuidos acriùs distorquere, & æquo animo patientes potioribus in dies augere donis constituit. Enimuerò Palæstini stimulante inuidia fossos puteos aquæ pigræ, atque emortuæ obturant; quod malum mansuetissimè fert Isaac, etiam inter iniurias, vt nomine suo præfert, ridens, & gaudens; ergo Dominus aperienti nouum alium puteum, elargitur aquam viuam, siue scaturientem: vocant enim Hebræi aquam viuam, quæ defluit, quasi motum habeat vitæ indicium. Vberrimus quidem est fructus patientiæ: aquam enim viuam, hoc est, Diuinam consolationem sibi erumpentem acquirit, qui patientem se gerit in aduersis. *Fortissimum solatium habeamus.* dicit Apostolus ad Hebræos 6. Quin ex loco rectè collegit S. Ambros. Est ergo fortis, qui se in dolore aliquo consolatur: & reuera iure ea fortitudo vocatur, quando vnusquisque seipsum vincit. sic Ambr. *lib. 1. de offic. cap. 36.* Solet enim Dominus in præmium patientię suam infundere consolationem, qua excitatur anima, ad grauiora molestiarum onera læto vultu sustinenda. Quid autem maiorem innuit constantiam, & fortitudinem, quàm iniuriis appeti, & non frangi; rerum aduersarum procellis oppugnari, & non obrui? fortissimum in Deo solatium habemus. quo nimirum fortes, & alacres efficimur ad omnem huius vitæ agonem feliciter consummandum. O quàm expeditè, velociter, atque in defesso cursu in via mandatorum Domini progreditur, quem diuini Spiritus vnctio, & leniuit pariter, & communiuit! Sic illa Domini Sponsa aiebat: *Anima mea liquefacta est, vt Dilectus locutus est.* Cant. 5. Scilicet vocem Dilecti pro interna vibratione posuit, quæ tam dulcis erat, vt ad illam confestim anima liquefieret; signúmque istius liquefactionis solent esse piissimæ illæ, ac suauissimæ lacrymæ, quæ ab anima intus liquefacta per oculos emittuntur. Legunt alij: *Anima mea exiit, cum ille loqueretur.* Ad vocem quippe Domini anima sui prorsus immemor, & Diuinis consolationibus separata, è corporis sensibus euolans, dilectissimum Spōsum suum sequitur, currens in odorem vnguentorum illius. Sed præstat audire commentantem Bedam. Quantò (inquit) suauiùs vocem, atque viciniam Dilecti mei accepi, tantò sublimiùs quicquid in me erat frigidum, incaluit: quicquid rigidum, liquefactum est; adeò, vt nihil nisi in lacrymas resolui, dulce habuerim, & quem me ad punctum sua gratia contingentem retinere nequiueram, abscedentem iam fletu requirere, gemitúque delector. hæc ille. Sic Dominus animas interdum iustorum in hac vita dulcissimis perfundit lacrymis, quæ illis sunt panes, & exquisitissimæ dapes, cum scilicet præ amore, ac desiderio Dei sui effunduntur.

Inuidos deprimit, patientes eleuat Deus. *Largus patientiæ fructus.* ad Hebr. 6. S. Ambros. *Nihil illustrius patientia in aduersis.* Cantic. 5. *Lacryma ab anima liquefacta.* *Ardor amoris erga Deū.* Beda. *Dulces ex amore Dei lacrymæ.*

9. Non dissimilia ponit S. Gregor. etsi vberiùs ita loquatur. Ad verbum sponsi liquefactam se dicit; quia dum Christus se per spiritum suum animæ desideranti infundit, omnem duritiam cordis mox dissoluit, & aliquando mentem in tantas lacrymas liquefacit, vt vix capere possit hoc quod se capere intra se exultat; & intus miretur, quid fuerit, & quid factum subitò seipsam videat. Quem liquorem dum sentit, perfectiùs apprehendere concupiscit: & aliquando dum hoc ipsum cogitat, hoc quod modò sentiebat, iam non sentit: vnde solicitatur ad quærendum, vt hoc idem inueniat. hæc Pontif. Illapsu quidem diuini Spiritus in animam, istius duritia omnis in primis emollitur, & vrente intus Diuini amoris flamma liquefactum quicquid erat veteris hominis in lacrymas expiatur. A corporeis igitur sensibus euocata præ desiderio sui dilecti sponsa, non fastidiens modò, sed à tergo relinquens, vt vana, vt ridicula, vt nihili omnia, quæ in terris pretiosa, & in mundo speciosa habentur, in altum vbi Sponsus habitat, & quò inuitat sponsa, aduolat, inquiens: Sustuli (vti declarat Psellus) animam ad cœlum, vt de dilecto meo intelligerem. O pulcherrimam Virginis progressionem! sic ille. Pulchrè dicitur Virgo illa anima, quæ totum suum amorem Christo vnico Sponso consecrauit, in quem suspirat, cuius beatissimam visionem ardentissimè concupiscit; qualis illa videbatur, quæ proclamabat: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini* Psalm. 83. Ac duo quidem desiderat Propheta, & tabernacula, & atria Domini: tabernacula sunt temporaria, & mutari solent; atria iam vicina domui cum illa pariter stant immobilia: prius enim Dauidis desiderium fertur ad virtutes, & bona opera; deinde ad ingressum æternæ beatitudinis. quod ita S. Hier. exponit: Alij desiderant possessiones, alij istius seculi diuitias, alij gloriam aliquam habere apud homines: mihi hoc solum desiderium est videre tabernacula Domini; illa mihi dilecta sunt, vbi congregatio virtutum est, non vitiorum. *Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* hoc est solum desiderium, hic solus amor meus, vt videam atria tua; de atrio enim

S. Gregor. *Mira operatur Dei amor in anima.* Psellus. *Virgo anima solius Dei amans.* Psalm. 83. *Desideranda virtutes, deinde præmium illius.* D. Hieron.

intramus in domum; cum fuerit in atrio, tunc A dicit: *Beati, qui habitant in domo tua.* hæc S.Hier. Constat ex hoc loco, qualem nostra desideria seruare debeant ordinem. In primis tabernacula Dei, deinde atria domus illius desideranda erunt; hoc est, primum studium, curam, & desiderium in virtutes; deinde in ipsarum præmium, sempiternæ scilicet beatitudinis quietem dirigere necesse est.

Felix qui viuit in lacrymis & desiderio cœlestis vitæ.

10. In hanc deinde æternæ beatitudinis contemplationem, desideriúmque suspensus Propheta felicem ac beatitudinis futuræ iam insignitum stemmate illum prædicat, qui vitam in desiderio, & lacrymis ad suprema, æternáque intentus transigit. sic enim adiungit: *Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco quem posuit.* Caietan. legit ex B Hebr. *Beatitudines hominis* (scilicet cui) *fortitudo ipsi in te. Eleuationes* (scilicet erunt) *in corde eorum transeuntes in valle fletus, fontem ponent illam.* Iuxta quam versionem multa possent adnotari; videlicet, *transeuntes* dicantur iusti, qui ad æterna inhiant; non enim in terrenis quietem vllam aut quærunt, aut inueniunt: immò ne gradum quidem sistunt; pedémue figunt, sed affectu ipso citius, quàm vitæ cursu, ad cœlestia transeunt. Hæc autem vera est iustorum fortitudo, quæ & beatitudo; habere scilicet eleuationes in corde: vel enim corda ipsa desiderio eleuantur, vel ipsamet desideria, suspiriaque in cœlum dicuntur eleuationes. Quia verò sermo est de domo Dei, illam isti transeuntes, & eleuati ponunt, siue reddunt fontem: vti sobtiliter Caiet. explicat: Habebunt (inquiens) domum C Dei, vt fontem refrigerij, vt locum consolationum; vt locum ad quem suspirabunt, vt ad fontem gratiarum, & consolationum. sic ille. Potest etiam referri ad vallem, quæ præcessit, vt dicatur vallis reddi fons, pulcherrimo quidem sẽsu, quem ita idem Caiet. colligit: Id est, tanta abundantia lacrymarum affluent, vt fontem, non locum lacrymarum efficiant illam vallem. hæc ille. Vide quàm pulchros, quàm puros, quàm diuites in torrente huius vitæ, atque in hac valle miseriarum sibi effodiant viri iusti puteos aquæ viuentis, & salientis in vitam æternam? effossio quidem laborem, ac dolorem significat; viua verò aqua lætitiam, ac suauitatem quandam importat. Sunt D enim lacrymæ iustorum dolore, gaudióque permixtæ (vti S.Gregor Naz. de suis loquitur *orat. 3.*) ac velut fluminis, ac maris pugna, commixtióque & dissidium inter se contendentium, & coeuntium. sic Nazianz. Sunt quidem istæ piorum lacrymæ, simul amaræ, dulcésque, vtpote stillatæ ab amore, quem antiquis appellatum nemo non experitur, Amarum dulce. Dolet amans cum absentem suspirat dilectum. Sed in ipsismet suspiriis, & lacrymis, quia ab amore sunt, voluptas, & dulcedo inest.

Iusti dicuntur trãseuntes. — *Desiderium cœlestis vitæ.* — Caiet. — Caietan. — *Domus Dei fons dicitur.* — *Lacrymæ piorum dulces & amaræ.* — S.Greg.Naz. — *Amarũ dulce vocatur amor.*

11. Porrò autem solus Isaac, scilicet Christus Dominus, potuit sibi efficere puteum, & aquam viuam reperire, vti suam appellauit matrem dignissimam. *Fons* (inquiens) *hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Cant. 4. E Ad quem locum egregiè disserit S.Gregor. Nyss. *homil. 9. in Cant.* hoc pacto: Verbum Diuinum laudibus ad summum euehit Sponsam, eam nominari puteum aquæ viuæ, & cum impetu fluentis ex Libano. Hoc autem est omnium maximè admirabile. Nam cum omnes putei aquam simul habeant consistentem, sola Sponsa aquam in se habet permeantem adeo, vt putei profundum habeat fluuij perennem motionem. Quis autem pro dignitate verbis possit assequi miracula, quæ ostenduntur per eam, quæ nunc facta est, eius assimilationem? Fortassè non habet amplius, quo altius se extollat, assimilata exemplari pulchritudini. Exactè enim, & accuratè est imitata fonte quidem fontem, vita autem vitam, aqua autem aquam. Hæc S.Greg Nyss. de anima quidem intelligit, quæ potiori cum ratione de Virgine Deipara debent, ac solent accipi. Dicitur quidem *puteus*, vt significetur & immensa profunditas humilitatis ancillæ Dei, & infinita gratiarum omnium plenitudo, quæ à Deo Filio suo in Matrem Dei beatissimam redũdauit. Appellatur verò *fons*, quia non sibi tantum accepit Virgo sanctissima istam gratiarum plenitudinem, sed vt in omnes omnino electos Dei de hoc fonte innumeri cælestium donorum riui effunderentur, vt a Matre vitæ omnibus vita deflueret. Ipsa enim (adiungit idem Greg.) viuum Deum continet, qui influit in puteum; & propterea fit illa promptuarium aquæ illius viuæ, quæ fluit cum impetu. sic ille. Igitur qui salutem, qui cœli gloriam, qui Deum sitiunt, veniant ad fontem, ad puteum aquæ viuæ, ad semper Virginem Dei Matrem: & vitam inuenient, & haurient salutem à Domino. Non est enim qui se abscondat à calore eius, quo nimirum omnes fouet, lætificat, ac vegetat. In quam sententiam ita piè, doctéque scribit Idiota ille antiquus Pater *tom. 3. biblioth. PP in prolog. ad libell. contempl. de beata Virgine.* Cæteri Sancti iure quodam patrocinij pro sibi specialiter commissis plus possunt prodesse in curia Altissimi, quàm alienis. Beatissima verò Virgo Maria, sicut est omnium Regina, sic & omnium patrona, & aduocata, & cura est illi de omnibus. Longè enim positos illuminat radiis misericordiæ suæ; sibi propinquos per specialem deuotionem consolationis suauitate; præsentes sibi in patria excellentia gloriæ. Et sic non est, qui se abscondat à calore eius, id est, à charitate, & dilectione ipsius. hæc ille.

Cantic. 4. — S.Greg.Nyss. — *B. Maria fons aquæ viuæ.* — *Anima Deo pulchro assimilata.* — *Humilitas B. Mariæ.* — S.Greg.Nyss. — *B. Mariæ beneficentia.* — Idiota. — *Sancti orant pro sibi deuotis.* — *Plena in omnes gratiis B. Maria.*

12. *Nomen putei vocauit, &c.*] Effossum ab Isaac puteum Geraritæ pastores, quòd in suo solo esset, violenter, & iniustè sibi vsurparunt, cum tamen illis consentientibus, atque in bonum commune Isaac puteum aperuerit. Noluit vir mitissimus cui nihil potius, ac dulcius erat, quàm pax, & concordia, instructa lite cum Geraritis contendere: sed imponens puteo nomen, inde aliò concessit. Vox Hebræa tres continet literas, עשק, sed modo tamen duplici punctari solet; eadem enim cum quinque punctis, & puncto in sinistro cornu עשק *ghèxeq* significat *litigium*, *calumniam*: qua ratione legit noster Interpres, ad verbum est in Hebræo: *Vocauit calumniam*, quia calumniati eum fuerant: siue *vocauit litigium*, quia litigati cum eo fuerant. Verùm cum *cameths*, *& patac*, punctóque in dextro cornu עשק *ghaxaq* est *vsurpare violenter, bona aliena occupare, opprimere*; vnde nomen *ghoxeq* עשק, *occupatio, detentio rei alienæ, oppressio.* Hoc modo legerunt LXX. Noster vtroque modo potuit legere. Dedit autem Isaac locum iræ, atque vt omnino sopiret discordiarum, litiúmque occasiones, alibi puteum alium aperuit, super quem etiam excitatæ à Palæstinis rixæ vehementer iustum & mansuetum virum afflixerunt. Videbat enim toties iteratam vexationem indicium esse barbaræ cuiusdam violentiæ, atque inueterati odij: Idcirco nomen puteo imposuit, שטנה *sitnah*, noster vertit *inimicitias*, & quidem optimè: nam vox Hebræa est *auersio*, seu *dissensio ab aliquo nata ex odio, & rancore*: quæ omnia importat odiũ, siue inimicitia, siue hostilitas. Hinc deducitur שטן satan, & satanas, quasi hostis, & contrarius. Ac

Iusti ab impiis vexantur.

miranda

miranda quidem apparet mansuetudo Isaac, quem sæpius ab iniustis, & barbaris, tyrannice impetitum; ac puteis, quos suo labore, impensisque aperuerat, expoliatum, nulla vel iniuria, vel damnum potuit ab statu mentis dimouere, & ad iracundiam concitare. Nec enim verbum aliud ab eo prolatum legimus, quàm quòd puteum vocarit inimicitias. Quod S. Chrysost. expendens adiungit: Vide magnitudinem, & mansuetudinem iusti; non ægrè tulit, non obluctatus est, sed in sola aquarum appellatione malitiæ eorum reliquit memoriam. ita Chrysost. O virum admirabilem! ô mansuetudinem omni æuo prædicandam! Nihil aduersus impios, idololatras, inuidos, iniquos, ac tyrannos aut locutus, aut molitus est: in suum puteum tantummodo vocem distrinxit; inimicitias B appellat, quasi cum puteo expostulans, quòd sibi pepererit inimicitias; de hominibus verò quasi nihil offenderint, aut quasi iuste prouocati inimicitias intulerint, ne verbum quidem protulit. Sed ô egregiam vindictam! memoriam inimicitiarum reliquit, non in marmore, aut ære, chalybéve incisam, vt perpetuò apud homines vigeret, sed in aqua, in qua nihil inscribi, permaneréque potest. Planè docens viro iusto, & pacis amanti nullam inesse debere inimicitiarum, & iniuriarum recordationem; scribendásque in aqua iniurias, quo nihil magis delebile, citiúsque solutum euanescere.

Obliuisci iniurias. — S. Chrysost. — *Mira constantia circa iniurias.*

13. Quòd si præter obliuionem iniuriarum addas etiam amorem erga illarum autorem, sanè perquam præclarum edes miraculum diuina C tamen ope adiutus, sine qua fieri non potest, vti homo natura ipsa fragilis ad resistendum, & superbus humiliarique non sustinens diligat inimicos, benefaciat iis, à quibus odio habetur, & iniuriis impugnatur. Hoc in Petro, qui cœpit firmo ingressu per mare incedere, & vento ingruente demergi, nisi manu Domini teneretur, significatum intelligit S. August. sic enim ait in Psalm. 54. Ille calcat fluctus huius seculi, qui diligit inimicos. Christus in mari ambulabat intrepidus, cuius omnino de corde auferri non poterat inimici dilectio; qui pendens in cruce dicebat: *Pater ignosce illis, &c.* Et Petrus voluit ambulare. Iussus est ambulare; & ambulabat gratia iubentis, non viribus suis. Sed cum videret ventum validum timuit: & D mergi cœperat conturbatus in exercitatione sua. A quo vento valido? à voce inimici, & à tribulatione peccatoris. ergo ille clamauit in fluctibus; Domine pereo, salua me. Trăquilla perturbatum, manum extende mergenti. hæc S. August. Verus quidem, & christianus amor, quo nihil firmius, ac fortius, inconcussam tenet animam inter ipsas vndique conspirantes inimicorum iniurias. Enimuero *aquæ multæ* (vt scribitur) *non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Cant. 8. Nimirum, quia (vt explicat S. Ambr.) torrentem transit anima diligentis. sic ille, *lib. 1. de Iacob. c. 7.* Ambulat anima libero, & expedito gressu super maris gurgites, & inundanti aquarum torrenti non succumbit, sed molem ipsam vndarum quasi aperto, & arido campo graderetur, secura pertransit. Hoc eodem sensu viri sancti dicunt: *Torrentem pertransiuit anima nostra.* Psalm. 123. Torrens (declarat S. August.) repentinis imbribus crescit, magnum habet impetum, quisquis incurrerit, trahitur; sed in quo Dominus non est. In quo autem Dominus est, transit torrentem anima ipsius. hæc S. Aug. Amor siquidem Dei, per quem Deus in homine est, sua vi tenet hominē, ne prematur; suis alis hominem portat, vt transeat, vt currat, vt volet. Legit aliter S. Hieron. & explicat: Melius

Miraculū in homine dilectio inimici. — Matth. 14. — D. August. — Luc. 23. — *Dilectio inimici à Dei gratia.* — *Tempestas ab iniuriis inimicorum.* — *Christianus amor inter iniurias.* — Cant. 8. — S. Ambros. — Psalm. 123. — S. August. — *Constatia inter iniurias.* — D. Hieron.

A in Hebræo habet עז, *Torrens pertransiuit super animam nostram.* Quod scilicet multi tentationum turbines super animam eius transierunt, nec potuerunt iustum necare. hæc ille.

14. Tantæ verò virtutis, & magnitudinis est patienter ferre iniurias, atque inimicum charitate Christiana complecti, vt proinde nobis admirabilem huiusmodi gloriam inuidens diabolus, nullum non moueat lapidem, quò nos ad impatientiam concitet, & in vindictam inflammet. Homo enim (adiungit S. August.) hominem vincis humana felicitate; diabolum autem vincis inimici dilectione. Quomodo ergo homo ambit auferre tibi, & detruncare, aut auertere felicitatem, qua vincitur; sic & diabolus hominem vult vincere, B auferendo vnde vincitur; sed cura in corde seruare inimici dilectionem, qua diabolum vincis. Sæuiat homo quantum potest, auferat quicquid potest: si diligitur apertè sæuiens, victus est occultè sæuiens. hæc S. August. Videbat se Dauid angustiis vndique cinctum, cum à Saule illiúsque sequacibus impeteretur. Deum sæpiùs, atque instantiùs inclamauit, qui misericorditer accurrens potenter eruit seruum suum in arcto positum; vnde & ille cecinit: *In tribulatione dilatasti mihi.* Psal. 4. Scilicet angustiam, coarctationem, qua tenebar, dilatasti, cum è salo fluctuantem, cum mari pariter, ac morte colluctantem me eduxisti, scilicet (vt meritò vocat S. Chrysost. *in Psalm. 4.*) in portum lætitiæ patientiam. Non enim gratias Deo agit, C quod à periculis euaserit, sed quòd patientiam ad quæcunque aduersa æquo animo, & silenti ore toleranda latam, & constantem acceperit. Proh quàm felix Dauid foret, si quàm fortiter iniurias tulit, tam benignè iniurias non fecisset! Saulem hostem patientissimè sustinuit: sed Vriam fidelem & innocentem iniquissimè dehonestauit, ac peremit. Iccirco (vt obseruat S. Chrysost. *homil. 45. ad popul. Antioch.*) Dauid iniuriam passus est corroboratus; postea verò iniuriam operatus, infirmior factus est. sic ille. Nihil enim fortius est animo constanter patiente; nihil infirmius nocente, ac vindicante.

D. August. — *Inimici dilectio vincit diabolum.* — Psalm. 4. — *Patientia lætitiæ portus.* — S. Chrysost. — *Fortis qui sustinet, infirmus qui vlciscitur.* — S. Chrysost.

15. *Profectus inde Isaac fodit alium puteum, pro quo non contenderunt.*] Vel quia permittente rege D illum in loco libero, donatóve à rege aperuit; vel quia tam longè distantem à Geraritis, vt ab illis, nec videri, nec præcipi posset. Non legitur expressè, quòd aquam inuenerit; sed certum hoc est, & ex verbis ipsius colligitur. Itaque in hoc puteo, & aquam inuenit, & securitatem in præmium suæ patientiæ, quod S. Chrysost. ita dispungit: Quotidie aduersa ferens ab his, qui regionem incolebant, non grauatim tulit, non abiecto fuit animo, non cogitauit secum, neque dixit: Ecce ne fontis quidem vt sim dominus, mihi datur; an non superna gratia destitutus sum? an non Dominus abiecta cura mei oblitus est? Nihil talium dixit, vel cogitauit; sed omnia magna cum mansuetudine tolerauit; & iccirco dignus fuit habi- E tus, qui ampliore Diuino auxilio adiuuaretur. hæc S. Chrysost. Vocauit nomen eius latitudo. Hebr. *rechoboth* רחבות *latitudines.* quo nomine significatur gratiarum actio; sic enim indicauit Dei beneficio liberiorem nunc sibi, & abundantiorem adaquationem suppetere: sed audiamus hanc eandem sententiam ex D. Chrysost. qui infit. Hic, quia nulla fuerunt obstacula, sed absque omni pauore, laboribus suis frui licuit, totum tribuit Deo. Vocauit enim latifundium, dicens: Propter hoc latifundium voco, quia dilatauit Dominus, & auxit nos super terram. Vidisti piam mentem, quomo-

Patiens nec dicit nec cogitat male. — *Patienti datur vberior gratia.* — D. Chrysost. — *Grati merentur amplioris gratiam.*

A do non facta mentione tam atrocium difficultatum, quæ obstiterant, bonorum tantùm meminit, & pro illis gratiam Deo offert, dicens: quia dilatauit Dominus, &c. ita Chryſ. Amicum ſemper, & quaſi natiuum fuit ſanctis viris Dei beneficiis cum debita gratiarum actione reſpõdere. In quam ſententiam monebat Ozeas *Conuertimini ad Dominum, & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem.* c. 14. Nullum ſanè maius beneficium homini à Deo datur, quàm vt illius miſereatur, illius peccata remittat, illúmque de peccatore iuſtum, & amicum ſibi conciliet. Sed quid retribuemus Domino pro omnibus, quæ retribuit nobis? *Et reddemus* (inquit) *vitulos labiorum noſtrorum.* LXX. *fructus labiorum.* Vituli autem (declarat S. Hieron.) labiorum laudes

Ozeas 14.

Remiſſio peccatorũ ſummum beneficium.

D. Hieron.

B Dei ſunt, & gratiarum actio. ſic ille. Agendo igitur gratias Dei beneficia perſoluimus, & compenſamus. Hic eſt fructus labiorum linguæ, oriſque humani; quaſi ad hoc ſolum, vel maximè homini data ſint inſtrumenta loquendi, vt in laudes Dei, & gratiarum actionem impendantur. quare optimè adiungit S. Chryſoſt. Nihil enim tam gratum Deo, vt anima grata, & gratias agens. Nam pro innumeris beneficiis, quibus nos quotidie proſequitur, nihil aliud à nobis exigit, quàm habere gratias pro illis, quæ nobis facta ſunt, vt pro illa ipſa gratiarum actione ad ampliora danda prouocetur. hæc S. Chryſ. Tam verò barbarum, ac deteſtandum eſt vitium ingratitudinis, vt hoc aliquando ſibi malum, tamquam extremum, inſigniterque infame imprecetur Dauid: *Obliuioni detur dextera mea, adhæreat lingua mea faucibus meis.*

Gratiarum actio fructus oris humani.

D. Chryſoſt.

Gratiarum actio prouocat Deum ad benefaciendũ.

Ingratitudo infame vitium.

C Pſalm. 136. Scilicet, nec ore canam, nec manibus pulſem cytharam in laudes Dei, gratias Deo nequeam ſi velim exterius agere: videat, & habeat ingratus. Verbum *dilatauit* eſt hoc loco, & aliis, idem, quod ex anguſtia eripere; metaphora nimirum ſumpta à redactis in arctum, qui poſtea euadunt in liberiorem auram, & campum, & ſignificat, ex perſecutionis preſſura liberari: iuxta illa verba Prophetæ ſæpiùs repetita: *In tribulatione dilataſti mihi.* Pſalm. 4.

Pſalm. 136.

Pſalm. 4.

S. Chryſoſt.

Cæterùm S. Chryſoſt. arbitratur non habere gratiam Deo Prophetam, quod e periculis liber euaſerit, ſed quòd in medio ipſarum tribulatio-

D num, & patientiam à Deo acceperit, & conſolationem, quibus illius anima omnibus anguſtiis ſuperior, & liberior extitit. Sic enim explicat ad eundem Pſalmum. Non dixit: ſuſtuliſti tentationes, ſed ſtare permiſiſti; iis enim manentibus, eas non toleratu difficiles efficit. Hoc & Dei oſtendit potentiam, quando, & latitudo fuerit, quæ afflictam animam conſolatur, & afflictio non diſſoluitur, quæ & negligentem aſtringit, & ab omni contemptu liberat. Et quomodo in afflictione fuit dilatatio? Quemadmodum in trium puerorum fornace, & in lacu leonum. Non enim extinxit flammam, & leones occidit; & tunc ſecuros eos reddidit: ſed & fornace vehementer ardente, & feris manentibus, iuſti difficultatis moleſtiam non

Deus ſuã potentiam, & ſolatium tribuit in laboribus.

E ſenſerunt, ſed tuti, & ſecuri fuere. ita S. Chryſoſt. Quod etiam nunc abundantiùs præſtat Dominus; cum ſuos iuſtos in tribulationibus conſtitutos, non à flammis, nec à feris conſeruat intactos; ſed longe majore miraculo, à flammis concrematos, & a feris dilaniatos, mira tamen conſtantia fortes, & patientia alacres, & diuina conſolatione ſic reddit animatos, vt de aduerſitatibus, de doloribus, de morte ipſa triumphantes dicant cum Apoſtolo: *Gloriamur in tribulationibus*: & concinant cum regio Vate: *In tribulatione dilataſti mihi.* Hoc eſt, latiorem ô Domine, capacioremque feciſti

ad Rom. 5.

Pſalm. 4.

Cupiditas patiendi in ſanctis.

A nobis animum, vt multò adhuc plura, & grauiora pro tuo nomine pati exoptemus. *Non ſunt* enim *condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: ſed eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, quod tamen æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Itaque tanta eſt iuſtorum in tribulationibus latitudo, vt omnibus (quod in Paulo videmus) carnificum, & dæmonum tormentis expleri nequeat. Deinde verò (vt in alio ſenſu explicat S. Ambroſ. *lib. de Iſaac, & anima cap.* 4.) latitudo dicitur, quia ſine contentione, ſine lite, iam quietus, atque ſecurus eſt, qui mundana hæc, & ſenſibilia fuerit ſupergreſſus. Vnde ſuperatis iam aduerſantibus, & alienigenis cogitationibus (quid enim tam alienum, quàm omnia ſecularia, quæ

ad Rom. 8.

Satiari nequeũt patiendo ſancti.

S. Ambroſ.

Affectu ſuper terrena ferri ad cæleſtia.

B perpetua eſſe non poſſunt?) poteſt ſapiens dicere: Dilatauit Dominus nobis, & auxit nos ſuper terram, quia terrena tranſcendit. hæc S. Ambroſ. Idem dicto cap. nomen iſtud putei exponens hæc adiungit: Moyſes puteum latitudinis dixit: eo quòd a ſolicitudine omni, & anguſtiis ſoluitur, qui mundum hunc pia mente tranſcenderit. ſic ille. O felicem, ac beatum, qui cum mundo pariter ſolicitudinum, curarum, & anguſtiarum turbam reliquit moleſtiſſimam! Euaſit procellas ſeculi, & in portu cum Domino quieſcit. Non prætaribo tacitus, quod ad hunc locum occurrit ad commendandam pacem, & quæcunque illi aduerſantur deteſtanda. Non tam aquis ebullierunt, quàm rixarum, iurgiorum, contentionum, litium, inimi-

S. Ambroſ.

Iurgia & lites omnia ſubuertunt.

C citiarum flammis priores illi putei exarſerunt. Et quidem illa omnia ſolẽt hominem premere, conſtringere, & in arcto tenere concluſum; & quod experientia quotidiana comprobat pecuniam, & ſubſtantiam, atque adeo vitam corporis, & interdum animæ ſalutem non imminuunt modò, ſed euertunt, ac depopulantur: at iis omnino conſopitis vbi pax affulget, quæ exuperat omnem ſenſum, ita omnia dilatantur, & excreſcunt; vt filius pacis dicere poſſit: nunc dilatauit nos Dominus, & fecit creſcere ſuper terram. Nec immeritò: *Beati* enim *ſunt pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Nec myſterio caret poſtremum hunc omnium puteum latitudinis nomine celebrari in typum charitatis; quæ latiore ſinu quoſcunque comple-

Matth. 5.

Charitas lata & larga.

D ctitur; & citato aquarum defluxu ſuam cunctis beneficentiam refundit. Nimirum *eſt fons hortorum, puteus aquarum viuentium, & impetu deſcendens de Libano.* Cant. 4. Quæ verba cum hoc puteo latitudinis coniungens S. Ambroſ. citato loco, ſic ait: Exuberat enim charitas, vt & haurire eam comminus, & rigare eius affluentia hortum tuum poſſis ſpiritualibus fructibus redundantem. Et quia ipſe puteus latitudinis eſt, qui charitatem habet; ideo dixit, quia vbi charitas eſt, ibi impetus magnus deſcendit à Libano. hæc S. Ambroſ. Impetum charitatis nulla ſiſtunt, coërcéntque repagula: nihilque eſt tam vile, abiectúmque (licet herbulæ, maluæ, vrticæ) quod irriguo charitatis flumine non fœcundetur.

Cantic. 4.

D. Ambroſ.

Vim charitatis nihil retardat.

E

SECTIO IV.

Aſcendit autem ex illo loco in Berſabee, vbi apparuit ei Dominus in ipſa nocte, dicens: Ego ſum Deus Abraham patris tui, noli timere, &c. vſque ad finem.

1. ISaac finita fame, tandem eò rediit, vnde propter illam exierat, & vbi cum patre conſue-

uerat

uerat habitare. *Ubi apparuit ei Dominus, &c.* hominémque Diuinis affectum consolationibus mirum in modum recreauit. Hic fructus extitit patientiæ illius, quam in fame, in exilio, in timore apud barbaros, & infidos Geraritas, in iurgiis, in direptionibus, quas pertulit, puteorum, seruauit vir iustus, ac mansuetus admirabilem. Sic enim animaduertit Procop. Quapropter (inquiens) cum eius patientiam plurimum amaret Deus, ei apparet, & promittit terram, ne scilicet tristitia nimia excruciaretur, vt qui omnium iniuriæ, vt peregrinus, & aduena, esset opportunus & expositus. Ita Procop. Hoc idem sic vberius exponit S. Chrys. Vide quomodo iustus ille ob magnam suam gratitudinem iterumsupernè meruerit illustrari: Nam quoniam condignum suæ virtutis specimen exhibuerat, & apud Gerarenos, & cum Rex eum expelleret, & cum pastores puteum auferrent: misericors Dominus veluti confirmaturus eius alacritatem iam ob insignem illam mansuetudinem eum charum habés; postquam ascendit ad puteum iuramenti, visus est ei Dominus. hæc ille. Tam certum, támque copiosum est præmium patientiæ. Apparuit autem ei Dominus in ipsa nocte. Dormientine an vigilanti, & oranti non constat: vtrouis modo solent fieri Diuinæ visiones. Ac noctis quidem tempus opportunius est ad orandum, atque ad accipiendas illustrationes Dei. Sic legimus sanctissimo Iosepho semper Virginis Deiparæ sponso apparuisse in somnis Angelum, & Diuina iussa enunciasse: sic etiam Magos in somnis fuisse admonitos, ne redirent ad Herodem. Hoc idem tempus sibi delegerat Isaias, vt familiarius cum Deo ageret, ac desideria suæ mentis in Deum suum, cuius tantùm vnius fame, sitique æstuabat, vehementius eiacularetur: ait enim: *Nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ; anima mea desiderauit te in nocte. Sed & spiritu meo in præcordijs meis, de mane vigilabo ad te.* Isaiæ cap. 26. Hoc est (declarat S. Hieron.) dormire nequeo, sed omni tempore te desiderans, meo ad te consurgo spiritu. sic ille. Itaque Propheta ferè totam noctem in oratione, & sanctis desideriis transigebat; & siquando præ lassitudine corporis, paululùm dormitabat, statim surgebat, vt antelucana sua oratione solis orientis lucem præueniret. Quod magis mirandum apparet in Dauide, qui tota die summis distentus negotiis, non ad quietem corporis, sed orationem tempus nocturnum quærebat: *Media noctis* (inquiens) *surgebam ad confitendū tibi.* Psal. 118. Opportunum quippe noctis tempus nouerat, ad impetrandum a Deo, quod instanter orando supplicaret. Quod S. Hier. ita subtiliter adnotauit. Scit enim medio noctis tempore præmia se assequi posse: Nam media nocte sapientes Virgines introducuntur ad sponsum; ideò sic eo tempore surgit, vt quod posceret, consequatur. hæc S. Hieronymus.

Patiens Diuinis affuit consolationibus. — Procopius. — S. Chrysost. — *Certum & grande præmiū patientiæ.* — *Oratio in nocte.* — Isaiæ 26. — *Oratio antelucana.* — Psalm. 118. — D. Hieron. — *Nox apta orationi.*

2. Hoc etiam tempus ad deploranda sua delicta maximè elegerat: dicit enim: *Laudabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meū rigabo.* Psalm. 6. Benè S. Hieron. admiratur fletus vbertatem. Quanta (inquiens) multitudo lacrymarum, vt stratum eius lacrimis rigatum sit? &c. Egregiè D. Aug. verbum *rigandi* expendens: Rigatio (inquit) ad interiora permanat, quod significat fletum vsque ad cordis intima. Per singulas noctes dicit, vt tantis lacrymis impetret efficacissimam de Dei misericordia medicinam. sic ille. Sed quinam ille morbus, pro quo sanando medicinam à Deo cum lacrymis exposcebat? Respondet idem August. Delectationem lacrymis lauat, qui sese ab illa conatur extrahere. Videt enim iam se damnare carnales concupiscentias, & tamen delectatione tenetur infirmitatis: vnde resurgere nisi sanatus animus non potest. Lectus autem hoc loco est appellatus, vbi requiescit animus æger, & infirmus: id est, in voluptate corporis, & delectatione seculari. hæc S. Aug. Itaque Rex, etsi iam pœnitens, ac rite dolens præteritum adulterium, ex prauo tamen illo habitu videbat se illicitis, atque obscœnis voluptatum illecebris impugnari, quibus emollita carnis infirmitas haud dubie expugnaretur; nisi Diuinum adesset præsidium, quod singulis noctibus orando, & lacrymando efflagitabat. Hoc enim genus dæmoniorum, non sine lacrymis, & precibus superari consueuit. Iccirco Hieremias peccatricem animam, quæ ab impuritate vitiorum auet resipiscere, inuitans ad pœnitentiam, noctis orationem veluti medicinam præscribit, his verbis: *Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum effunde sicut aquā cor tuum ante conspectum Domini: leua ad eum manus tuas, &c.* Thren. 2. Obiter dixerim, magis commendari Dauidem propter pœnitentiam, quàm apud homines malè audire propter adulterium, & homicidium. Hæc laus pœnitentiæ. Nam (vt bene animaduertit S. Arnold. Carnot. tractatu de verbis Christi in cruce) nisi quis ad antiqua reuertatur contagia, nulli prior præiudicat vita, &c. Cuius etiam illa est sententia, *tract. de laud. Virg.* Pœnitentia omnibus tutus naufragij portus. sic ille. *tom. 6. bibliot. Patr.* Igitur qui tandem è salo vitiorum in portum euasit pœnitentiæ, securitatem adipiscitur (si in portu persistat) non à sceleribus tantùm prioris vitæ, sed etiam ab ignominia, & infamia, quam propter illa sibi conflatat. Persistet autem maximè præsidio orationis suffultus.

Nox apta deflendis sceleribus. — Psal. 6. — S. Hieron. — S. August. — *Instāter orādum & flendum.* — D. August. — *Infirma caro armatur oratione contra delectationē.* — *Tentatio carnis orando & flendo vincitur.* — Thren. 2. — S. Arnol. — *Pœnitentia honor & portus.*

3. *Ego sum Deus Abraham patris tui.*) Loquitur Angelus vicem Dei gerens. Luculēte ad hunc locum S. Chrys. expendit, quàm misericordē, ac beneuolū se Dominus exhibuerit erga Isaac, tot, ac tantis hucusque peregrinationis affectum, & exercitum molestiis, quem non modò solatur, & recreat; sed etiam ad quæcunque alia patienti, & constanti animo toleranda vehementer confirmat. sic ait: Considera Dei solicitudinem, vt illum refocillet, ac fidentiorē faciat, apparet ei, & dicit: *Ego sum Deus Abraham patris tui*, qui patrē tuum glorificaui; & peregrinum, atque aduenā illustriorem omnibus incolis feci. Ego sum ille; qui hunc ita crescere feci, & in omnibus curam eius gessi. Ego sum. Ne igitur timeas, ne te perturbet, & mirum videatur, quòd à rege sis expulsus, quòd à pastoribus sis iniuria affectus. multa talia & pater tuus pertulit, & inde gloriosior effectus est. Interim, & iustum ad æmulationem patris sui prouocauit, monstrando similem illi virtutem. hæc S. Chrys. Vult quidem Dominus, vti Sanctorum exempla reuocemus ad memoriam, quibus inuitati, & virtutes illorum imitemur, & Diuinam misericordiam, quæ illis præstò fuit, sicuti illi, promereamur. Iccirco enim Pontifex duodecim Patriarcharū nomina pretiosissimis insculpta margaritis gestabat, vt illorū patrum rectè facta, & Dei erga illos beneficia, cùm Pontifex, tum populus sacrificio assistens, contueretur. Enimuerò (inquit S. Greg. Nyss. *de vita Moys.*) Patriarcharū nomina lapidibus insculpta, non parum nobis ad virtutis ornamētum conferunt. Præteritorum enim virorum, qui optimè vixerunt, exemplis vita nostra corroboratur. sic Nyssen. Quia verò peregrinum hominem, inter alienigenas, barbaros, ac toties infidos agentem,

S. Chrysost. — *Patiēs à Deo recreatur.* — *Imitanda Sanctorum exempla.* — Exod. 28. — S. Greg. Nyss.

multæ angebant curæ, grauioráque in dies metuentem sollicitudo excruciabat. ideo Dominus, vt seruo suo animos addat, adiungit: *Noli timere, quia ego tecum sum.* Tecúsum, qui sum tui custos, protector tuus; quid autem timeas, eum quo, & pro quo Deus est? Ne igitur (apponit S.Chrys.)te hoc terreat, ego enim tecum sum. Iccirco fieri hæc permitto, simul volens eis declarare tuam virtutem, & manifestare mentis illorum prauitatem, vt & propter hoc te coronem. Tecum enim sum, ideo & inuictus eris, & infestantibus potentior, & inuadentibus fortior. Et tantam tui curam habeo vt inuidiosius illis futurus sis. hæc S. Chrysost. Adest Dominus timentibus, & amantibus eum suáque præsentia inter angustias, curas, omnémque timorem, & tremorem constitutos confortat, ac delectat. Quod experta illa anima dicebat; *Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Cant. 1. Hebr. *ac copher* אשכל הכפר, *Botrus*; quem locum valde obscurum alibi iam enodauimus. Itaque in vineis tentationis floret, pendet, exuberat, stillat, botrus ille balsami suauissimus, euius aspectu, odoréque tentationibus afflictatæ animæ mirum in modum recreantur, atque armantur.

Seruū redditi protectio Dei

D.Chrysost.

Tribulatis præsto est Dei consolatio.

Cant. 1.

4 Verum S.Greg. Cassiod. Beda, Appon. Ansel. Rupert. Bernard. Phil. Carpath. per vineas intelligunt Ecclesias: quo in sensu summa illa Dei misericordia, dulcedóque innuitur. Est enim Dominus Iesus animarum sponsus, medicus, ipsúmmet vnguentum, balsamum, odoris mira suauitas in sacrosancta Eucharistia, quæ in templis Ecclesiæ Catholicæ conficitur, adoratur, & asseruatur, vt Dominus ipse promiserat: *Ecce Ego vobiscū sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Nobiscū est, quin domo Dei, hoc est, in Ecclesia Catholica & Romana, manducamus eum illo, & bibimus: nobis hoc mysterium botrus est Cypri, botrus *copher*, balsami odor ad vitam, hæreticis autem ad mortem. Hæ sunt bestiæ, quæ odore moriuntur; fœtore autem viuunt, & in stercore volutantur. Iterum illud memoro: *Ego sum Deus Abraham*: quibus in verbis, & immensa Dei charitas erga seruum suum, & istius excellentia perquàm admirabilis demonstratur. Vtrumque pete ex D. Chrys. qui sic animaduertit: Considera misericordiam Dei: *Ego* (ait) *sum Deus Abraham*, ostendens quomodo sibi vendicauerit, & proprium fecerit Patriarcham. Et ita dignatus est Deus, se vocare Deum Abrahæ. Et Dominus Orbis, & Conditor, vnius hominis Deum se dicens, non concludit, & abbreuiat cum Patriarchæ appellatione dominium suum, sed magnam in illum beneuolentiam monstrat. Ita (inquit) eum mihi feci proprium, vt apud me reputetur tantus, quanti alij omnes. hæc S. Chrys. Quocirca, vnum si habeat fidelem, & obedientem seruum, ita contentus est, ita se magnum in mundo reputat, & gloriatur Deus misericors, ac si totum mundum sibi fidelem, atque obedientem haberet. Tanti valet vir iustus apud Deum. Quantò autem pluris apud Deum valeat dignissima Mater ipsius, quis dignè, vel dicere, vel cogitare poterit? Illa est, cuius se Filium, & esse, & vocare Deus omnipotens dignatus est. Talem verò sibi ipse illam fecerat, qualé esse decebat, quæ Dei Mater esset: videlicet (vt vno verbo dicam) cæleste prodigiū, & sacratissimum spectaculum. Sic Virginem Deiparam appellat S.Ignat. *Epist.* 1. At quanti etiam valet apud Deū, vt pro nobis supplicet, & efficaciter oret, atque exoret? Verè ac piè scribit Idiota *in prologo contemp. Virg.* ad hunc modum: Apud Patrem, & Filium beatissima Virgo procurat negotia, & pe-

Euch. vi. Ita vnguentum.

Matth. 28.

Hæretici gratiā Dei oderunt.

S.Chrysost.

Iustus Deo gratior, quam totus orbis.

Quāti Deus faciat vnum iustum.

Præ omnibus Deo grata est B.Maria.

S.Ignat.

Idiota.

Potentissima B. Mariæ intercessio

A titiones nostras: & sæpe quos iustitia Filii potest damnare, Matris misericordia liberat; quia thesaurus Domini est, & thesauraria gratiarum ipsius. sic ille.

5 *Itaque ædificauit ibi altare, &c.*] Promisit insuper Dominus suam benedictionem, qua esset moltiplicaturus Isaacum: *Benedicam* (scilicet) *tibi, & multiplicabo semē tuum propter seruum meum Abraham.* Nunquam satis Dominus Abrahæ virtutem prædicat, maxime obedientiam, quam adhuc ante oculos viuam, & viuidam habens, nouis semper donis afficere contendit. Quasi dicat (inquit S. Chrys.) multas illi debeo retributiones ob suam in me obedientiam: igitur propter illum multiplicabo semen tuum, &c. hæc S.Chrys. Fons quidem est plurium bonorum obedientia; secum enim adducit benedictionem Dei, & cum illa patitet multiplicationem donorum, quibus obedientis anima exornatur; quod in magnificentia bonorum cælestium, ac spiritualium præcipuè ostenditur. Contra verò inobedientia malorum omnium fœcunditissima, non in vitia modò turpiora hominem detrudit, sed (quod summè timendum est) in extremum impietatis, & idololatriæ barathrum aliquando deuoluit inobedientem. Hæc tam detestanda calamitas in populo Hebræo vitulum aureum adorante visa est, vt S. Greg. Nyss. *de vit. Moys.* ad hunc modum obseruat. Imperatum fuit ab Aaron, vt inaures ab auribus vxorum tollerent Hebræi: hæ conflatæ simulachri materiam fuerunt. Igitur Moyses Hebræorum virtutem inauribus exornare voluit; per inaures significatur obedientia; quam tollit Aaron, vt inobedientia ipsorum ostenderet ad cultum idolorum esse peruentum. hæc Nyss. En quo tandem prolabitur inobediens! non multum à Nysseno discrepant verba Procopij, quæ ad illum Exodi locum sic habent: Adempta aurium ornamenta satis indicabant ipsos suo decore esse exutos, qui anteà audiuerant Deum edicentem: *Non sint tibi dij præter me.* Siquis autem deficiat à Deo, hunc continuò sequuntur vitia carnis, quæ recenset Paulus, quibus quoque connumerat fœdam idololatriam. hæc ille. Viuit itaque Abrahæ memoria, & cum laudatione commendatur apud Deum ob vnam obedientiam: & quamuis extremum iampridem obierit diem Patriarcha, sepulchróque abditus, & fortè in cineres redactus, in obliuionem hominum in terra venerit: sic tamen illius obedientia viget adhuc, & prædicatur in cælo, vt Deus ipse Deum Abrahæ se appellarit: *Deus autem non est mortuorum, sed viuorum*, vt Saluator colligit Matth. 22. Scilicet (vt ibi obseruat S. Hier.) ad æternitatem animarum probandam, vt consequenter introduceret & corporum resurrectionem, quæ cum animabus, bona, maláue gesserunt. sic Hieron. Viuit igitur Abrahæ demortui, ac sepulti anima, quæ in Dei gratia mortuur in limbo expectans aduentum Redemptoris; viuunt illius merita, illius opera, obedientia præsertim quæ laudem, & gloriam Abrahæ peperit immortalem, atque adeò ipsimet rerum omnium Conditori, ac Domino cognomen attulit gloriosissimum. Igitur Isaac, vt beneficentissimo Deo dignas pro virili gratias haberet, ædificauit altare, inuocauítque nomen Domini. Quid est autem (inquit S.Chrys.) *ædificauit ibi altare?* Gratiarum actiones illic Domino obtulit, quòd tantam pro se gessérat sollicitudinem. ita Chrys. Extructo autem altari sacrificium Deo immortali obtulit mactatis hostiis, vti verus Dei sacerdos; sed præcipuè internas animæ suæ obtulit victimas.

D.Chrysost.

Fons bonorū obedientia.

B

Inobedientia detrudit etiā in idololatriam.

S.Greg.Nyss.

C

Hebræi idololatræ, quia inobedientes. Exod. 32.

Procopius.

Memoria virtutum Abraha indelebilis.

D

Math. 22.

D. Hieron.

E

D. Chrysost.

Gratiarum actio decentia Deo victima.

mas, videlicet orationis, fidei, humilitatis, & obedientiæ, quæ longe, quam pecudum cæsarum hostiæ Deo sunt gratiores: Deinde linguam, & vocem in Dei laudes, gratiarúmque actiones, pio, ac læto animo, vultuque explicauit. Quod inter alia debita obsequia, vel maxime vnum a nobis expetit Deus noster in beneficiorum suorum aliqualem solutionem. Cæterùm dicet aliquis cum S. Bernard. Itáne aquam petit à riuulo fons indeficiens? respondet ille optime: Petit sine dubio; aut certe repetit magis, ad fontem enim, vnde exeunt, flumina reuertuntur, vt iterùm fluant. Non verò vt minus habens, quod dederat Christus repetit, sed ne tibi pereat, quicquid ad eum referre volueris. Siquidem etiam fluminis aqua, si stare cœperit, & ipsa putrescet. sic ille. Egregia quidem similitudine maris cum fluuiis declarat quid inter Deum, & homines agatur; colligit ergo: sic plànè, sic gratiarum cessat decursus, vbi recursus non fuerit: nec modò nihil augetur ingrato, sed & quod acceperat, vertitur ei in perniciem. Fidelis autem in modico, censetur dignus munere ampliore. hæc S. Bernard. *ferm. 1 in capite ieiunij.*

S. Bernard.

Gratæ Dei beneficia augentur, ingrato pereunt.

Denique securus, & quietus in Domino Isaac extendit tabernaculum, hoc est, papilionem fixit, vt ibi vitam ageret, more quidem patris, vti hospes, & peregrinus, non ædificata domo, quasi semper ibi mansurus; sed temporario præfixo tentorio, instar viatoris ad mandatum Domini, vbi annueret, discessurus; totus quippe pendebat à Domino, admirabilem illam patris sui in papilionibus habitantis, vt ad nutum Domini, facile de loco in locū migraret, erga Deum imitatus obedientiam.

Isaac peregrini vitam egit.

Mira Abrahæ, & Isaac obedientia.

6. Igitur in hoc tandem loco Isaac consistens, quietéque agens puteos, aut quos olim pater iam effoderat, repurgauit, aut de nouo aperuit: tantámque breui in opum, famæque amplitudinem excreuit, vt eò rex cum aulico, & bellico apparatu aduenerit. Pulchrè S. Chrysost. aduertit: Qui dixerat iusto: *Ego tecum sum, & benedicam, & multiplicabo, &c.* ipse simul eum & illustrauit, & omnibus fecit spectabilem. Itaque vide Abimelech, regem illum, qui abigere eum conatus est, nunc ad eum venientem. hæc ille. Vide quàm euidenter in isto rege appareat, quod à S. Cypriano scriptū est, *de simpl. prel.* videlicet: Cui plus dignitatis adscribitur, plus de illo exigitur seruitutis, &c. Rex erat Abimelech, sed abiecta, & seruilia in eo multa extiterunt. Nam in primis tam pusilli animi fuit, vt seruo inuideret; atque illius virtutem, & amplitudinem æquo animo non ferens hominem à se abegit: deinde cogitur absentem, & peregrinantem timere, & sponte ad eum cum regio fastu, & armis, militibúsque instructus venire, vt fœdus cum ipso ineat, amicitiámque, & pacem vltro exposcat ab eo, quem paulò antè à suo consortio repulerat. *Venit* igitur *Abimelech, & Ochozath amicus illius, & Phicol dux militum.* Locus est non parū ambiguus propter duo ista nomina Ochozath, & Phicol; num scilicet propria, num verò sint appellatiua. Et quidem S. Hieronym in priore, nec vnum hominem, aut hominis munus intelligit, sed in illo comitatum amicorum agnoscit, ita exponens in quæst. super Genes. Alia litera habet: *Et Achuzath* ואחזת מרעהו *pronubus eius.* Pro Achuzath pronubo, in Hebræo habetur: *Collegium amicorum eius,* vt non tam hominem significet, quàm amicorum turbam, quæ cum rege venerat, in quibus fuit & Phicol princeps exercitus eius. hæc S. Hieron. Et fauet Chald. qui vertit: *Abimelech abijt ad eum comitatus amicis suis.* Noster Delrio eruditissimum instituit hoc loco commentarium, in quo contendit Ochozath, vel vt scribitur in textu Hebræo, Achuzath, cuius est significatio: *Qui possidet hunc* nomen esse officij in aula regia, nimirum dici principem cohortis amicorum, quasi possessorem gratiæ & amicitiæ regis; cui fortè incumbebat paranymphum agere, vbi de regis ageretur nuptiis. Nam L X X. vertunt: *Pronubus.* quod vnde colligant, non constat; nam *Mereghehu* מרעהו *amicus eius*, siue *socius eius*, nulla ratione vt Lyppom. Eugub. & alij obseruant, reddi potest *Pronubus.* Similiter *Phicol*, hoc est omnis facies, officij ratione appellatiuum nonnulli censent; nam princeps militiæ, omnium primus esse debet in acie, vt suos milites præeat, & ducat; cæterique in eum præcedentem intentis oculis conuersi sequantur, vti facies præit, & corpus illam sequitur. Equidem, vt de me ipso confitear; non video cur tantus labor, ac sudor expendi debeat in eruenda istorum nominum eruditione; ac fortasse iccirco nonnulli vel nimiùm hebraizantes intactam omnino hanc difficultatem præterierunt. Quare facilius mihi, & potius videtur vulgatæ lectioni adhærere, in qua nomina ista non appellatiua officiorum, sed virorum propria esse innuuntur.

S. Chrysost.

Amplificat seruos suos Deus.

D. Chrysost.

S. Cyprian.

Seruile ingenium in rege ambitioso.

D. Hieron.

Delrio.

Dux facies exercitus.

7. *Locutus est* ergo *eis Isaac: Quid venistis ad me hominem, quem odistis, & expulistis à vobis?* S. Chrysost. Non cum superbia, sed magna (inquit) cum lenitate verborum, dixit: Quare censuistis, vt vobis veniendum sit ad me abactum, & odio habitum? sic ille. Nihilominus aliquid aculeorum his verbis inesse, haud potest negari. Vir sanè grandi, & excelso præditus animo, qui regi non modò assentari noluit, sed liberè, atque intrepidè veritatem non sine stimulo est loquutus, quod regi nouum, atque insolitum haud dubiè fuit: principes enim perniciosissimis adulantium fucis, ac lenociniis mirificè capiuntur. Atque (vt optimè scribit S. Prosp. *de vita cont. cap. 12.*) plus de se alienæ linguæ, quàm suæ conscientiæ credunt: affectant videri esse quod non sunt, alienis laudibus, non moribus eximij. sic ille. Rectè Procop. Non vanas (inquit) Isaac regi admiscet laudes. Non enim adulatur vir prudens, verùm huiuscemodi illecebras detestatur. hæc Procop. Abiecti quidem, seruilisque ingenij est adulari. Quo tamen vitio maximè redundant principum palatia. Non possum tamen regem istum non admirari, & laudare, qui cum Abimelech, hoc est pater rex esset, & diceretur, tum amicos plurimos, quibus constipatus incedebat, haberet. Monet optimè Ferrand. Diacon. *reg. 6.* Reginum Comitem qualis esse debeat princeps ad hunc modum: Dux optimus amari eligit, non timeri. Dux amabilis, murus est patriæ. Qui verò in omni tempore, continuato rigore metuendus apparet; omnes subditos efficit infideles, extraneus viuit inter suos; tantum timet, quantum timetur. hæc ille. Vtinam nostro seculo principes, tam prudenti, salutaríque consilio edocti mallent à subditis amari, quàm timeri; patres videri potiùs, quàm domini! Proh quàm admiranda bello, pacéque à subditis in illorum gratiam, & obsequium facinora ederentur! At pro rigido, & austero principe quis vel tantulùm audeat, velitque pedem, aut manum mouere? Volunt reges habere subditos constantia, & fortitudine Alexandros: sint ipsimet reges erga subditos comitate, magnificentiáque Alexandri. Venit ad Isaacum rex Palæstinus, quem à se repulerat, iustum, & dilectum Deo iudicat, quem vti extorrem contempserat; petit ab eo fœdus amicitiæ, quem sæpiùs affligi, & priuari puteis permiserat. Icciroo prudenter consti-

S. Chrys.

Odiosa principibus veritas.

Adulationibus principes delectantur.

S. Prosper.

Procopius.

Laus non ex adulationibus, sed ex moribus.

Ferr. Diac.

Princeps amore, non timore regat.

Principis amor facit fideles & fortes.

stitit

S.Hildebert. *Prudentia in tractandis hominibus.*

A sulit S. Hildeb rt. *Epistol.* 60. Nihil auersare, quod complecti conueniat: nihil ama, quod pudeat confiteri. sic ille. Maximè id oporret caueri in amicis, & inimicis: Illi enim ita sunt tractandi, ac si vnquam fieri possint inimici, isti autẽ, quasi aliquando sint in inimicos commutandi. Sed quorsum ille comitatus, & apparatus regius? Et quid tãdem rex iste molitur? Respondet Procop. Abimelech cum suo comitatu egreditur ad Isaacum, magis speculandi animo id facit, quam gratia pangendi fœderis, bello scilicet, pacique paratus: bello si Isaacum impotẽtiorem cerneret: paci si potentiorem deprehenderet. ita Procopius. Quod & Philoni Hebræo placuit. Nec id à rege barbaro atque infido alienum esse possumus suspicari.

Procopius. *Barbarus, & infidus rex.*

S. Chrysost.

8. Contra verò S. Chrysost. actos formidine illuc aduenisse Palæstinos arbitratur, non ad bellandum, sed ad supplicandum; quæ sententia literæ videtur accommodatior. Sic igitur inquit: Vide quantum mansuetudinis robur, & quãta virtutis potentia. Nam qui pridem abegerant, nunc veniunt ad peregrinum, & non solum satisfaciunt, & excusant se de his, quę commiserãt, sed & peccatorum veniam petunt, & prædicant iustum, & indicant vnde suus metus, & confitentur suam infirmitatem, & iusti magnam testantur virtutem. Quid enim fortius eo, qui secum habet Deum? hæc S. Chrysost. Timore itaque perculsi ad iustũ veniunt. Quis hunc metum illis inieeit? Respondet S. Chrysost. Hoc autem Diuinæ dispẽsationis est opus, quòd mens eorum stupuerit iustum, &c. Diuinitus quidem sunt timore consternati: pugnat enim Deus pro suis seruis, nec sinit diutius (præsertim si ipsi patienter sustineant, & sileant) ab impiis diuexari. Quod in hoc iusto ita idem Chrysost. obseruat: Quare (inquiens) sic timuistis iustum, vidẽtes quod tantam præ se ferat mãsuetudinem erga eos, qui lacessebant? Sed incorruptus Iudex mentem eorum excitauit, & animaduerterunt, quòd erga iustum tam ingrati fuerint, propterea præ timore, & formidine loquuntur, &c. ita Chrysost. Profectò, qui iustum malè affecit, si illum videat patienter ferre iniurias, silentique ore lætum & mansuetum se ostendere; timeat infelix citò aduenturam Dei vindictam, quam ille retribuit, si nõ eam nobis, sed supremo Iudici committimus. Verùm adhuc quæri potest; vnde illis constitit, Deum cum Isaaco esse? profectò (occurrit S. Chrysost.) res ipsæ illos docuerunt. Videbant quòd abactus abigẽtibus fortior factus est, & ex rerum serie contemplati sunt, quòd superno auxilio nitatur iustus. hæc ille. Ac fortasse hoc Dei præsidium, & hanc viri illius peregrini, & afflicti diuinitus datam fortitudinem collegerunt euidentiùs ex admirabili patiẽtia, & mansuetudine, quam inter regis, aulicorũ, & pastorum iniurias, & oppressiones exhibuit; quæ quidem virtus, non humanum, sed Diuinũ quid præ se fert. Quo maximè signo Christus Dominus in passione inter iniurias, opprobria, plagásque patientissimè sustinens, silensque, suam Diuinitatem contestatam esse voluit. Quare optimè Tertull. monet Iudæos: Hinc vel maximè Pharisæi Dominum agnoscere debuistis, patientiam huiusmodi nemo hominũ perpetraret. *lib. de patient. cap.* 3. Est enim hominis infirmitati nihil tã genuinum atque inolitum, quàm irasci, indignari, conqueri, & vindicari. Magna quidem laus patientiæ quæ hominem calamitate omni superiorem efficit: vt meritò de illa in hunc modum differat S. Zeno Veron. Patientia, quid sit altercatio,

Iustum etiã profani venerantur. *Pugnat pro patiẽte Deus.* *D.Chrysost.* *S. Chrysost.* *Patiẽtia quid diuinum est.* *Tertull.* *Christũ patiẽtia Deum contestatur.* *S.Zeno.*

ignorat. Omnes deuitat, aut portat iniurias. Incertum est, vtrum impassibilis iudicetur: cum aliquid passa, quasi nihil passa sit, inuenitur. Postremò impossibile est, eius æstimare virtutem, cuius vinci victoria est. *serm. de patient.*

Patiẽtia omni iniuria superior. *Vincit patiẽs cũ vincitur.*

9. Porrò autem fœdus amicitiæ ab Isaac exposcunt: *Sit iuramentum inter nos: & ineamus fœdus.* Et quidem hoc ex incredibili nascitur metu, quem suorum malefactorum conscientia conuicti conceperant, Diuinam, scilicet, vindictam timentes. Vide (ait Chrysost.) quomodo impellente conscientia semetipsos reprehendere festinant, cum nullus alius cogat, vel facta obuciat! Nam nisi iniuriam fecissetis, quare à iusto petitis, vt componat fœdus vobiscum? Sed ita se habet iniusti-
B tia. quotidie conscientiam mordet, & silente eo, qui offensus est, pœnam, & rationem exigi putant, qui iniustitiam sunt operati, & quotidie anguntur, & quasi sibimetipsis præscribunt peccatorum suorum exquiri rationem; id quod & istis euenit. sic S. Chrysost. Verè quidem & appositè S. Prosp. exclamat: O quantum securitatis habent qui sibi bene sunt conscij! Et quantum perturbatos humiliat perpetratio pudenda peccati! *lib. 2. de vit. cont. cap.* 18. Planè suorum scelerum conscientia humiliantur, vsque adeo, vt à peregino, quem malè affecerant, suppliciter ambiant fœderis amicitiam: atque ita perturbati loquuntur, vt à mansueto, & extero, & afflicto homine viri principes, potentia, armísque instructi timeant. *Ineamus fœ-*
C *dus, vt non facias nobis quicquam mali, sicut & nos nihil tuorum attigimus, &c.* Vide (inquit S. Chrysostom.) quomodo pugnantia inter se præ mentis angore, & turbatione loquuntur, &c. Insigniter mentiuntur, & non illos pudet. Nihil (aiunt) eripuimus rerum tuarum. O impudentiam non ferendam! An non graue damnum est, tot puteos tantis laboribus effossos domino suo innocenti, & iusto per summam iniustitiam ac tyrannidem auferre? En qualis misericordia latronum, cùm non quantum valent, nocent; magnum se præstare beneficium putant, si pauperem quem nonnullis suis spoliant, nudúmque relinquunt, non ferro insuper contrucident. Addunt enim illi: Nec fecimus quod te læderet; videlicet, nec personæ,
D nec rebus tuis nocuimus. At malorum hoc ingenium est, culpam aut non agnoscere, aut certè non fateri; & quod impudentius est, delictum admissum virtutis quadam specie coloratum commendare: idcirco adiungunt: *Sed cum pace dimisimus auctũ benedictione Domini.* Cum pace, hoc est, beneuolè saluum, & integrum sine vlla læsione. O inuerecundi, atque amentes! an non abegistis hominem? an non toties iniuria, damnóque affecistis? Vides (ait S. Chrysost.) quomodo iniustam expulsionem lenire curent, dimissionem in pace nuncupantes?

D.Chrysost. *Conscientia pungit delinquentem.* *Conscientia iniustos exagitat.* *S.Prosper.* *Conscientia humiliat.* *D.Chrysost.* *Conscientia perturbat.* *Latronũ inhumana humanitas.* *Impud^a malorũ ingeniũ.* *S.Chrysost.*

In Hebræo sententiæ disiunguntur: *Et dimisimus te in pace, tu nunc benedictus Domini.* אתה עתה ברוך יהוה *attáh ghattáh. beruch Jehouah.* Sic etiam
E Græcè, & Chald. sensus est: *Idcirco te in pace dimisimus, quia nunc cernimus à Deo amari, & prosperari:* vel gratulantur iusto, quòd illum videant auctum benedictionibus Domini. Nec videri otiosa debet illa particula *ghattáh* עתה *nunc*: admonent enim per illam Palæstini virum iustum, & diuinis affluentem fauoribus, ne insolescat præsenti felicitate: quid enim illa inconstantius? quot enim videmus quotidie ruere ex alto? an non montium culmina feriuntur sæpiùs fulmine, atque cineribus obruuntur? an non turres ariete quassatæ decidunt, proceræque abietes ingruente austro collisæ

Nemo tutus à ruina.

lisæ in humum tandem prolabuntur? Quæ nauis, vel ex nostris Indicis ad instar turrium, aut vrbium assurgit in cælum, lataque aluo insultat Oceano, quæ tuta enauiget, a procella, naufragióque immunis? benè illud ex D. Aug. repetere animus est: Quandiù in salo, tandiu inter naufragia, &c. Quod quidem in statu virtutis potiorem locum habet. Quis enim gratia, qua nunc floret, peccando non potest excidere? sublimes enim gratiarum, & virtutum splendore animas solet impugnare superbia, quæ si semel admittatur, infelicem importat ruinam. Timeant sibi, vel ipsa cæli sydera; nec enim hoc vitio infima, sed summa quæque pulsantur, & præcipitantur. Enimuerò (vt luculente scripsit S.Hildeb. *Epist.31.*) superbia natione cælestis sublimes appetit mentes, & velut ad proprios ortus reuolans in gloriam, & puritatem irrumpit hominum, quæ à gloria, & puritate prorumpit Angelorum. Prima hæc & vltima pernicies, ante omnia vitia, superauit, post omnia superatur. hæc ille. Quod autem à superbia certum, ac solitum sit naufragium virtutibus, mirum id nequaquam videtur. Est enim (vt monet S.Prosp. *lib.2. de vit. cont. cap. vlt.*) iactantia cunctis inimica virtutibus. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei: vestram conditionem, qua nihil infirmius, nihil inconstantius perspicite; aliorúmque naufragia, ruinásq; vobis pertimescite. Est enim egregius virtutum omnium custos, prudens cum vera humilitate timor. Hinc illa perbelle dicuntur à S. Cyprian. Magnum Diuinæ sapientiæ consilium, vt timoris auxilio liberemur. Magna compendia prouidentiæ, vt aliquando fiat virtus, & victoria per timorem. Magna remedia Dominus contulit ad salutem, vt habeat & timidus laudem, sicut Salomon repetit, dicens: *Beatus, qui veretur omnia per metum.* Eccles.25. ita *lib. de sing. Cleric.* Cautior & sanctior esse debet, cui Deus beneficia sua magnifica concessit: vti Dauid, qui de se aiebat: *Exurrexi, & adhuc sum tecum.* Psal.138. vbi S.Chrys. Non est hoc paruum signum virtutis, in rebus secundis virtutem perpetuò seruare. Multi (inquit) cum res secundæ illis euenissent, tui obliti sunt. At non ego; sed etiam cum sum rex, cum sum liberatus à malis, semper ero tecum. ita Chrysost.

[Marg.: D.August. in Psalm. — Sublimes impugnat superbia. — S.Hildebert. — Superbia difficilis superatu. — Superbia virtutum naufragium. — S.Prosper. — Cautus & prudens timet ex aliorum ruinis. — S.Cyprian. — Timor cadendi virtus est & victoria. — Eccles.25. — Psalm.138. — D.Chrysost. — Virtus in prosperis rara est.]

11. Denique Palæstini tam obnixè amicitiam viri iusti expetunt, Dei nimirum formidantes iram, si offensum, atque iratum sibi iustum illum habeant: quod subtiliter S.Chrys. ita colligit: Vides quomodo supernam pœnam timuerint? sciuerunt enim, quòd licet ipse propter humanitatem suam non vlcisceretur, quæ fecerant, sed is, qui eius tantam curam agebat repertiturus esset rationem eorum, quæ contra iustum facta sunt. ea propter placant iustum, & componi cum eo student. simul & pro his, quæ facta fuerant, rationem reddentes, & in futurum securitatem sibi conciliantes hæc S. Chrys. Cum enim viri iusti, & sancti tam sint Deo suo, quem vnicè diligunt, in deliciis, mediatorésque esse soleant inter Deum & homines, quis tam amens, ac temerarius fuerit, vt illos affligere, diuexaréque non dubitet? quantam quæso sibi ipse perniciem asciscet, irato Deo, & oppressis, qui eum placare possent, patronis, atque amicis? Prudenter hæc intelligens Dauid agebat, cum diceret: *Nimis honorati sunt amicici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Psal. 138. Vertit ex Heb. S.Hier. *Mihi quàm honorabiles facti sunt amici tui Deus, quàm fortes pauperes eorum* Caiet. legit. *Et mihi quam chari facti sunt socij tui Deus: quam roborata sunt capita eorum!* Dicit Dauid (explicat idem Caiet.) se amicum amicorum Dei. Socios Dei appellat omnes, qui partes Dei sequuntur: ac per hoc omnes iustos, & ea, quæ Dei sunt, quærentes. Socios (inquit) tuos valde charos habui, & eorum capita, primates, multum roboraui, potentes feci. Optimè regis partes describuntur magni pendere iustos propter Deum, & primates iustorum efficere potentes. ita Caiet. Vide admirabilem regis prudentiam: non apud illum gratia pollebant adulatores, delatores, libidinum, & rapinarum administri, sed soli iusti: nec honorum titulis, dignitatibus, præfecturis decorabat alios, nisi iustos, & iustorum potissimos: qui scilicet vitæ probitate cæteros anteibat, maiore in honore, & amore apud regem habebatur. O Dauidem in toto orbe vt regem eximium, ita in hac prudentia vnicum! Qui enim hodie principibus in amore, in gratia, in fauoribus, in honoribus sunt, nisi qui minùs ad omnia digni videntur, & habentur? Vide num per capita, primatésque iustorum, quos D.Hier. pauperes legit, Propheta intelligat religiosos, qui Deo suo abiectis mundi vanitatibus sese totos emanciparunt: quòd sanè genus hominum, sicut in Ecclesia electius, purius, sanctiúsque habetur, ita regibus, & principibus atque omni plebi Christianæ pluris fieri debet, & magnificentiùs honorari. Quod si istos Dei seruos & amicos, qui tanta pollent apud eum gratia, vt mediatores sint apud Deum, & homines, princeps verò malè afficit, & aliquando persequitur, quid miser boni à Deo in seruis, & amicis suis offenso, atque irato poterit sperare?

[Marg.: Iratum sentiet Deum, qui iustum læsit. — Psalm.138. — D.Hieron. — Caietan. — Iusti sunt æstimandi, & honorandi. — Apud regem valeat vir iustus. — Dauidis eximium regimen. — Religiosi à principibus æstimandi.]

12. Admiror etiam cum S. Chrysostom. eximiam regis erga Deum gratitudinem: qui cum ab illo affectum se videret amplissimis honorum ornamentis, non modò se ad colendum, & venerandum Deum omnino deuouet, sed etiam sibi seruos, & amicos Dei valde honorandos proponit. sic enim inquit S.Chrys. Alius legit: *pretiosi fuerunt familiares tui.* Non est hoc parua virtus, Dei amicos honore afficere. Curam (inquit) mei gessisti; me cum non essem produxisti, me regis & contines: ego autem sanè reddo remunerationem, amicos tuos honorans. hæc ille. Tanti quidem suos seruos deus æstimat, vt hominum officiis, & obsequiis erga illos præstitis, sua, quæ accipimus, beneficia solui, & compensari velit. Quod si seruos suos, & amicos honorari vult à nobis Deus illorum amantissimus, quid, obsecro, de sanctissima, summéque immaculata semper Virgine Dei Matre dicendum erit? Nimirum Deo nihil æquè acceptum, gratúmque est, ac post debita ipsi Diuinitati obsequia, Deiparam Virginem omni officiorum, & obsequiorum, & honorum genere venerari. Idcirco Diuino consilio constitutum est, vt inter omnes eósque euidentiores æternæ prædestinationis effectus hic vnus recenseatur: nimirum debitis Christianæ, propensiorisque pietatis officiis semper Virginem Dei Matrem honorare. Hoc mihi videtur significari verbis illis sapientiæ, quæ iure optimo ab Ecclesia Catholica Virgini Deiparæ accommodantur; *In electis meis mitte radices.* Eccles.24. Dicuntur quidem à Deo ad Virginem Matrem suam: est enim amor, ac pietas erga ipsam in electorum mentibus impressa, támque altis innixa radicibus, vt nulla vi possit euelli. Missas habet Virgo beatissima radices in electis, & iustis, eo quòd ex illius fauore, præsidio, continuísque supplicationibus ad Deum Filium suum omnis virtus, gratiáque iustorum post Christi merita enasci, florere, atque fructus meritorum amplissimos producere videatur. Hinc est

[Marg.: Gratus erga Deum honorat Dei seruos. — S.Chrysost. — Debita Deo soluimus in seruis ipsius. — Post Deum honoranda maximè B. Maria. — Deo gratissima pietas erga B. Mariã. — Eccles.24. — Pietas erga B. Mariã signum prædestinationis. — Gratia iustorum post Deũ debentur B. Mariæ.]

quod

quòd Pater de Filio suo loquens, adiungat: *Thronus eius sicut sol in conspectu meo semper.* Psalm. 88. Quis autem nescit Verbi diuini thronum esse Virginem Matrem, in qua sedit, séque ostendit Verbum Carnem factum? Hic enim thronus est ille, ex auro, eboréque confectus, cui simile in terris nihil repertum est, in quo Salomon rex, nomine, réque ipsa pacificus, & in se pacificans, quæ in cælo, & quæ in terra sunt, confidens decorem suum, & flagrantissimum amorem propter filias Sion, hoc est, animas, demonstrauit. *Cant.* 3. Igitur hunc thronum, Virginem dico Matrem suam, Deus ipse ante se collocauit, vt omnes, siue Angeli siue homines, qui ad Deum adorandum accederent, simul etiam post Deum ipsius Matrem Virginem venerarētur. Et enim (vt scribit Arnol. Carnot.) illa constituta super omnem creaturam; & quicumque IESV curuat genu, Matri quoque pronus supplicat & accliuis; nec à dominatione, vel potentia Filij Mater potest esse seiuncta. Vna est Mariæ, & Christi caro, vnus spiritus, vna charitas: & ex quo dictum est ei: *Dominus tecum:* inseparabiliter perseuerauit promissum, & donum. Et Filij gloriam cum Matre non tam communem iudico, quàm eandem. sic ille, *tract. de laud. Virg. tom. 6. biblioi. Patrum.*

Psalm. 88. *Thronus Dei B. Maria.* Cant. 3. Arnold. *Adorantes Deum simul venerantur B. Mariam.* *Mira cū Deo coniunctio B. Mariæ.*

§ 3. Additur in Psalm. *Et sicut luna perfecta in æternum.* Expende quæso dici lunam, non quæ lumen variat, & maculis interpuncta offunditur; sed quæ in plenilunio. Tota (vt exponit S. Hier.) lucida est, tota perfecta, nil obscuritatis continens in se. Quid autem æquè tritum, scitúmque est in Diuinis literis quàm Virginem Dei Genitricem vocari lunam, & quidem pulchram & perfectam, nulla quidem vel macula, næuóque suffusam, sed sole, Deóque suo plenam? Illius enim conceptio, vsque adeò fuit immaculata, vt primogeniam labem non modò non contraxerit, sed ipsomet momento, quo Virgo beatissima vitam habuit, plena iam extiterit Diuinæ gratiæ fulgoribus, vt luna perfecta in æternum. Huius mihi veritatis non in terra testis adducitur: subiungit enim Propheta: *& testis in cælo fidelis.* Quasi dicat: O tu Deus omnipotens, atque optime, palam contestaris immaculatam sine originali reatu Matrem tuam extitisse tuo quidem beneficio. Hoc enim Matri tuæ dignissimæ præstare poteras, quia omnipotens; & præstare debebas, quia optimus: aliter illius ignominia in teipsum redundasset. Nam quid tibi posset ignominiosius euenire, quàm vt in throno consederis, qui aliquando sorduerit, & in quo priùs ille immundus spiritus, per originale peccatum insederit? Non patiar Domine, non feram hanc tibi, tuæque Matri sanctissimæ ac purissimæ labem, ignominiámque iniuri. Sed hoc in tuis auribus repetam, & vniuersæ creaturæ prædicabo, ac mecum identidem versabo: Benedicta, & laudata sit conceptio immaculata, & immunis ab originali reatu semper Virginis Dei genitricis Mariæ! Quid enim tam indecens, quàm vt benedicta illa terra, quæ vitam ipsam esset paritura, priùs mortem in seipsa habuerit? Itane verò vt terra illa, vbi tandem natus est Deus homo, aliquando fuerit immanissimo tyranno subiecta, & infame soluerit stipendium? Profectò mons est in vertice montium, in quem solùm ob immensam sui altitudinem afflari non potuit originale contagium.

Psal. 88. *B. Maria luna perfecta.* D. Hieron. *Immaculata conceptio B. Mariæ.* Psalm. 88. *Debita Dei honori conceptio immaculata B. Mariæ.* *Ignominia Christo foret originalis reatus in Matre.*

§ 4. *Fecit ergo eis conuiuium, &c.* Antequam fœdus vtrinque adacti iuramento percuterent, Isaac regem, & socios apparatissimo (vti decebat) epulo excepit: vir enim pacis amans, communi illo inter omnes, & amico conuiuio firmitatem voluit addere sanciendo fœderi; & cum esset mitissimus, palam significauit præteritam iniuriarum omnium memoriam suo ex animo aboleri. Hac tandem comitate Palæstinorum ferocitatem edomuit. Bene Procop. hoc idem ita obseruat: Isaacus aduenientes amicè compellat, & comiter inuitat, epulóque excipit. Vbi enim illorum potentiam perspexit, salis, & mensæ eos participes facere festinat. Nam mutuas inter sese timebāt inimicitias. Nunc verò quantum ad pacem satis confirmantur fœdere, quasi ea perpetua futura esset. hæc ex Procop. Hoc eodem consilio Christus Iesus Dominus, ac Deus noster vti voluit, ad fœdus percutiendum, ad pacem confirmandam, ad mutuam amicitiam stabiliendam cum hominibus, vt quos iam per confessionem sacramentalem à vitiorum impuritate ablutos ad se conuerterit, sacrosancto sui corporis, & sanguinis epulo excipiat, atque ita Diuino pasti cibo vnum corpus, vnusque spiritus cum ipso fiant; ac deinde Diuina virtute vegeti, viuidi, armatique contra vitia, vitiorúmque ministros, ac lenones gehennæ cacodæmones alacri animo ferantur. Inuicta cibo stat acies Christianorum; victa cibo cadit acies dæmonum, ac vitiorum. In quam sententiam præstat audire S. Paulinum: sic enim scribit *Epistol.* 9. Christus Dominus in loco pascuæ nos collocauit, quos per aquā refectionis nos sibi genuit, & nutrit epulis salutaribus in eam mensam, quam præparauit nobis, aduersus eos, qui tribulant nos: de qua dicit: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Luc. 14. Quia Christus idem est regnum, & panis est, quo nos saginamur, & serpens tabescit: cuius fames, & pœna est cibus vitæ nostræ Christus, qui factus est nobis in escam, vt eo pane viuentes, & secundum eum ambulantes possimus iuxta Apostolum dicere: *Nostra autem conuersatio in cælis est.* ad Philipp. 3. hæc S. Paulin. Nihil quidem æquè discruciat diabolum, quàm cum videat hominem è luto confectum, sic tamen diligi, honorarique à Deo, vt cum Deo ipso pariter accumbens Diuinitatem, & humanitatem diuini Verbi manducet, & ipsius pretiosissimum Sanguinem bibat. Videt infelix hominem Deo vesci, atque seipsum natura Angelum à Deo extorrem sempiternis incendiis concremari.

Statuenda cōcordia post iurgia. *Mansuetudo ferocitatem domat.* Procopius. *Confessi ad Eucharistiā admittūtur.* *Armantur Eucharistia fideles.* S. Paulin. Lucæ. 14. *Summè diabolus dolet ex communione fidelium.* ad Philip. 3.

§ 5. Perbellè Chrysost. comitatem Isaac admiratur, & commendat in hunc modum: Vidisti benignitatem, quomodo cum eis absque vindicandi cupiditate loquitur: & non solùm obliuiscitur eorum, quæ in se facta sunt, sed magna hospitalitate illos excipit. Conuiuio satis certa dat argumenta, se non fore memorem eorum, quæ in se commiserant. Vidisti quomodo iustus iste, qui nec à lege eruditus fuit, neque ad aliquem virtute præditum respicere potuit; sed patris vestigia secutus, & ductus à conscientia humanæ naturæ insita, tam bonis moribus præditam egit vitam? hæc S. Chrys. Duo quidem attingit, quæ, licet & lex, & doctor abesset, sola sufficerent ad benè hominem ex virtute instituendum: nimirum patris exemplum, & lumen ipsum rationis: quæ quidem Isaac diligenter inspiciens admirabiles potuit exercere virtutes. Verus sanè pater Abraham, qui filio suo, non tam bonorum, & honorum terrestrium, quàm virtutum, & meritorum dignissimam, & amplissimam reliquit hæreditatem. Hoc sanè argumento parentes, amorem suum, & curam paternam erga suos filios maximè demonstrare conentur. quod S. Saluian. his verbis docuit. Omnes ferme parentes plus amant filios, quam

D. Chrysost. *Charitas erga inimicos.* *Pater est magis instituendo, quàm generando filium.* S. Saluian.

quam seipsos. Nihil maius præstare filiis potes,
quam si hoc bonum per te habeant, quod nun-
quam penitus amittant. sic ille, *lib. 1. ad Ecclesiam*
Catholicam. Scilicet bona omnia huius vitæ cum
ipsa pariter fluunt, ac pereunt: at virtutum, & me-
ritorum opes cum anima immortali simul in om-
nem æternitatem perdurabunt. Sed ô pudeat nos
post Euangelium, & exemplar Dei hominis nati,
Patientia in iniurijs. & crucifixi, post infinita Sanctorum exempla non
patienter iniurias perferre, non veniam deprecan-
tibus impertire, non abolita præteritarum simul-
tatum recordatione in pristinam redire amicitiã,
non odio habentibus amorem rependere, sed vel
ipsa benefacta amicorum, & fratrũ odio prosequi,
vt sæpius videmus, plusquam ferino. Sed hac de re
D. Chrysost. audiamus vlteriùs loquentem S. Chrysost. Quæ B
(inquit) ab Isaac facta sunt, non solùm mansuetu-
dinem indicabant iusti, sed & præcepta Christi
suis illum operibus implere ostendebant. Nam id
quod Christus discipulis suis præcipiens dicebat;
ne solos diligerent diligentes, sed & inimicis cha-
ritatem exhiberent: hoc ille nunc multò antè
implet, & tanta hospitalitate tractat eos, qui tanto
odio ipsum prosecuti fuerant: omnémque vindi-
ctæ cupiditatem animo suo exclusit. ita Chrysost.
Isaac conuiuio excipit inimicos, nec tamen audie-
Matth. 5. rat à Christo Domino: *Diligite inimicos vestros, be-*
Rara erga proximos charitas. *nefacite iis, qui oderunt vos.* At nunc (ô pudor!) nec
proximis, nec amicis Christianam veritatem im-
S. Chrysost. pendimus. Qua igitur (demum colligit) venia nos
digni erimus, qui post gratiam, & doctrinã, & Sal- C
uatoris præcepta, neque ad huius iusti mensuram
peruenire valemus? Et quid dico ad eius mensu-
ram? Neq; prope adstare possumus. Tanta enim
nunc malitiæ abundantia obduxit omnia, vt rarum
nunc sit, & diligentes diligere. hæc ille.

16. Porrò Palæstini postera die, celebrato ad
maiorem pacis firmitatem solenni iuramento cum
Isaac, inde profecti sunt in pace. Hebr. בשלום
bexalom. Sunt qui dicant שלום *xalom* integrita-
tem potiùs, quàm pacem significare; vertúntque
proinde *in integritate*, scilicet, neque læsi ab Isaac,
D. Chrysost. neque illum lædentes vlla in re. S. Chrysost. legit;
cum salute; quod in laudem viri iusti sic detruat:
Grandis potentia virtutis. *Abierunt cum salute.* Significauit per hoc Diuina D
scriptura, quòd magno cum timore aduenerant
periculum expectantes: & de salute sua omni (vt
ita dicam) anxij, vt excusarent se, ad iustum con-
tenderunt. Vidisti quomodo nihil fortius virtute?
nihil potentius supernis auxiliis freto? hæc S.
Vis protectionis Diuinæ. Chrysost. Grandis profectò potentia virtutis est;
rex enim militum, & armorum apparatu instru-
ctus timet hominem inermem, peregrinum, in
tentorio morantem, sed iustum tamen, ac pium,
diuinóque præsidio, & fretum, & munitum, qui
dicere posset: *In Domino confido: si consistant ad-*
Psalm. 26. *uersum me castra, non timebit cor meum.* Psal. 26. Ni-
Deus pugnat pro suis. mirùm, quia Dominus bellator fortis, ipse pugna-
bit pro me. ita S. Hieron. Intrepidus contra discri- E
D. Hieron. Theodor. mina consistam, spe in Deum armatus. Theodor.
Idcirco iustus Deo munitus, quem timent omnia,
D. August. nihil timet. Enimuerò (vt hic occurrit S. August.)
castra munita sunt: sed quid munitius Deo, &c.
Cæterum שלום *xalom*, Hebr. *pax* dicitur, quæ
cum inseruiat salutantibus potest etiam verti *salu-*
tatio. Etenim *xalom lachem* שלום לכם *pax vobis.*
Genes. 40. Genes. 40. Sensus igitur est: recesserunt pace v-
trinque data, inuicem salutantes. Et radix quidem
שלם *xalam* importat etiam *salutare*, vt petitio-
res docent. Ac bona quidem omnia hominibus
Vbi pax, ibi omnia bona. prouenire solent ex abundantia pacis. Etenim
quo die pacis fœdus, ac iureiurandum celebrauit

A Isaac cum Palæstinis, eósque amicos, lætos, saluos-
que, & salutatos dimisit, in ipsomet seru, qui an-
tea fossioni putei frustra intenderant, gratulabun-
di ad herum accedunt nuntiantes aquam in pu-
teo ebullire. Ita solet Dominus suorum rectè fa-
cta præsertim charitatis officia, iniuriarum remis-
sionem, atque obliuionem, denique mutuam sese
reconciliantium concordiam nouis insuper bene-
ficiis condonare. Optimè quidem de Deo mere-
tur, diuinámque sibi obligat beneficentiam, qui
diligit inimicos suos, qui benefacit iis, à quibus
odio habetur. Sic enim fit, ac demonstratur Filius
Patris, qui in cælis est. Quòd si filius, & hæres, at- *Mira dignitas diligentis inimicos.*
que adeo in omnium bonorum æterni Patris tan-
quam verus, ac legitimus filius ingreditur hære-
B ditatem. quid etiam ad honorem illustrius, quàm
vt filius Dei quis habeatur, & nominetur? Nam
cui Angelorum vnquam dixit: *Filius meus es tu?* ad
Hebr. 1. cum nomine pariter dignitas conceditur. ad Hebr. 1.
Maior Angelis Filius, quantò scilicet differentius
nomen præ illis hæreditauit. Itaque tanto distat
interuallo Angelus à Filio Æterni Patris, quanto
mercenarius ab hærede, ac seruus à filio. O admi-
rabile præconium charitatis erga inimicos!

17. Nuntio lætus Isaac, donúmque Dei agno-
scens *puteum* vocauit *abundantiam.* Aduerte hic ta-
men sine punctis vnam, eandémque vocem Hebr.
שבעה significare, *septem* & *iuramentum.* Quando
septem, ita punctatur שִׁבְעָה *xin* stridulum, significat
septem, quod & LXX. legerunt, & hodie in Hebr.
C legitur: inde verbum in *Niphal nixbagh* נשבע *iu-*
rare, & *xebughah* שבועה *iuramentum.* At שִׂבְעָה cũ
puncto in sinistro cornu leniùs sonans, scilicet,
abundantiam importat a verbo *sabagh* שבע *satia-*
re, explere. Vnde nomen שבעה *sibghah*, vel *sabagh*
שבע *saturitas, abundantia, copia.* Item שבע *sebagh*,
vt Psal. 16. vbi legimus: *Notas mihi fecisti vias vi-* Psalm. 16.
tæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, &c. Hebr.
ostendis mihi semitam vitæ saturitatem, siue *plenitudi-*
nem lætitiarum ante vultum tuum. Semita enim vi- *In cælo saturitas.*
tæ, hoc est via, per quã bene viuendo, ac rectè ope-
rando ad vitam æternam incedimus, ducit nos ad
vultum Dei, ad visionem beatificam, in qua ple-
na erit nobis saturitas lætitiarum: dicitur enim:
D Intra in gaudium Domini tui. Etenim gaudium
semper erit sine fastidio in illa saturitate lætitia-
rum. Intra (inquit Dominus) in gaudium Domini
tui, veluti significans extra illam Dei visionem in
cœlesti patria verum gaudium esse non posse: etsi *Fallit diabolus specie falsa voluptatis.*
nobis aduersarius noster imponat, vt in terra, 10
cœno vitiorum gaudium quæramus, & ibi illud
inesse credamus. Hinc meritò exclamat, ac deplo-
rat S. Prosper. Heu quàm subtiliter nos ille deci- S. Prosper.
piendi artifex fallit! quanta cæcitate oculos no-
stræ mentis obducit, ne discernamus gaudendi
auidi, vnde iustiùs gaudeamus? hæc ille *lib. 2. de*
vita cont. cap. 13. Nomen igitur vrbs illa sortita est
Beerschebagh בארשבע *in puteo saturitatis*, siue *abun-*
E *dantiæ*, vel *Beerxebagh* בארשבע *in puteo iuramenti*,
siue *septem*: illud quidẽ ab Isaac, istud autẽ ab Abra-
ham. At quænã vnquam felicitas, & abundantia *Felicitas in terra volatilis.*
in terris potuit esse diuturna? Post illam enim in
puteo significatam, & (si liceat dicere) in aqua in-
scriptam, scilicet (vt solet esse) labilem, fluxam, &
volatilem felicitatem statim sequuntur afflictio-
nes domesticæ, quæ plusquàm externæ Isaacum
exulcerarunt. Etenim Esau quadraginta iam an-
nos natus, non vnam, sed duas simul duxit vxores
ex Hethæorum (vt vult Iosephus) parentibus dy- Iosephus.
nastis. Hinc iam futuræ narrationis fundamenta
iaciuntur. Mores enim suos Esau palam ostendit;
cum patris honestatem, qui vna fuerat contentus

Esau plures & malas ducit uxores.

vxore, nequaquam imitatus duas accepit, eásque contra præscriptum patris, & aut Chananæas, atque vt volunt Hebræi idololatras; deinde, vt constat, rixosas, iracundas, superbas. Quare optimè obseruat S. Chrysost. Vt statim in initio Esau suos mores indicet, inconsultis parentibus vxores ducit à gentibus. Et vt sciamus quàm malè moratæ mulieres fuerint, scribitur: *Et erant exasperantes Isaac, & Rebeccam.* Et quid est hac malitia peius, quando illæ, quæ omnem honorem impendere debebant, non solùm hoc non faciunt, sed & ad contentionem paratæ sunt? Hæc autem omnia non sine causa narrantur: sed vt, postea cum videris Rebeccam maiori beneuolentia prosequi Iacob, discas, quod non iniuria rem eam fecerit. hæc S. Chrysost.

D. Chrysost.

Inuisæ nurus socris, & merito nocent.

18. *Offenderant ambæ animum Isaac & Rebeccæ.*] Hebr. *Fuerunt amaritudo spiritus*, id est, *amarum fecerunt, amaritudine repleuerunt spiritum*: nimirùm, amaris, & malis moribus, & contumacia, & idololatriæ impuritatibus. Rara profectò auis in terris, ea nurus, quæ socrum amet, & cum illa concorditer viuat; quod quidem prouenire mihi videtur ex mulierum ingenio; sunt enim natura ipsa in quocunque appetitu furiosæ, præsertim in appetentia propriæ excellentiæ, quod venenum à primæua parente quodammodo per serpentis halitum tabefactæ miseræ hauserunt. Hinc domari, regique nequeunt, ac nurus in domum socrum inductæ subiici nolunt, sed omnia statim suo dominatui cedere volunt. Quod si addantur mali mores ad ingenium muliebre, quàm intolerabilis erit arrogantia, & contumelia nurus cum socru perpetuò rixantis, & miseram vetulam superbe despicientis? Nihil plane filius habere prius, ac potius debet, quam vt nurem, modestam, humilem, bonis præditam moribus, sanctámq; vxorem ducat, ac parentibus non tam nurum, quam filiam inducat. O infelicem Esau, cui tam malè moratæ vxores extremam perniciem attulerunt! Quod si vna vxor permolesti, & amari ingenij est, prorsus intolerabile malum, peiúsque est cum illa, quam cum serpente cohabitare. quid si duplicetur malum? quid si duæ simul cum misero habitent viro? Infernum planè dixeris. Colligit optime S. Chrysost. & quidem optimè: Esau omnia amittit perdens semetipsum propter morum iniquitatem. sic ille. Hinc prima mali labes: rusticus erat Esau, ferus homo, incomptis moribus, & (quod innuit in eo pluralitas vxorum) incontinentia multùm effusa: quid igitur mirum, si tales compatet vxores, eásque sinat erga mitissimos, ac sanctissimos parentes suos tam procaciter, atque ignominiosè desæuire? Ac licet cætera deessent, contentiosum illud Chananæarum ingenium satis erat magnum omnium amaritudinum seminarium. Sic autem Procop. Hebræus habet: *Non cessabant irritare, & ad iram prouocare Rebeccam.* Et qua ratione non commouissent, & exacerbassent eam facientes omnia contentiosè? hæc ille. LXX. vertunt, ἐρίζουσαι, *contendentes.* Chald. habet: *Et fuerunt rebelles, & irritatrices contra mandatum Isaac, & Rebeccæ.* Hæc solita nurus cum socru vita, & cohabitatio.

Rara auis bona nurus.

Fœminis insita cupido excellentiæ.

Nurus superba, & rixosa cum socru.

Filius parentibus non tã nurũ, quàm filiam inducat.

D. Chrysost.

Malus malam habet vxorem.

Procopius.

Amara nurus cum socru vita.

CAPVT VICESIMVMSEPTIMVM.

1. SEnuit autem Isaac, & caligauerunt oculi eius, & videre nõ poterat: vocauitque Esau filiũ suum maiorem, & dixit ei: Fili mi? Qui respondit: Adsum.

2. Cui pater. Vides, inquit, quod senuerim, & ignorem diem mortis meæ.

3. Sume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foras: cúmque venatu aliquid apprehenderis,

4 fac mihi inde pulmentum sicut velle me nosti. & affer vt comedã, & benedicat tibi anima mea antequam moriar.

5. Quod cùm audisset Rebecca. & ille abiisset in agrum, vt iussionem patris impleret,

6. dixit filio suo Iacob: Audiui patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo, & dicentem ei:

7. Affer mihi de venatione tua, & fac cibos vt comedam, & benedicam tibi coram Domino antequam moriar.

8. Nunc ergo fili mi, acquiesce consiliis meis:

9. & pergens ad gregem, affer mihi duos hœdos optimos, vt faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur:

10. quas cùm intuleris, & comederit, benedicat tibi priusquam moriatur.

11. Cui ille respõdit: Nosti quòd Esau frater meus homo pilosus sit, & ego leuis:

12. si attrectauerit me pater meus, & senserit, timeo ne putet me sibi voluisse illudere, & inducam super me maledictionem pro benedictione.

13. Ad quem mater: In me sit, ait, ista maledictio, fili mi: tantum audi vocem meam, & pergens affer quæ dixi.

14. Abiit, & attulit, deditque matri. Parauit illa cibos, sicut velle nouerat patrem illius.

15. Et vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum:

16. pelliculásque hœdorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit.

17. Deditque pulmentum, & panes, quos coxerat, tradidit.

18. Quibus illatis, dixit: Pater mi? At ille respondit: Audio. Quis es tu fili mi?

19. Dixitque Iacob: Ego sum primogenitus tuus Esau: feci sicut præcepisti mihi: surge, sede, & comede de venatione mea, vt benedicat mihi anima tua.

20. Rursúmque Isaac ad filium suum: Quo modò, inquit, tam citò inuenire potuisti, fili mi? Qui respondit: Voluntas Dei fuit, vt citò occurreret mihi quod volebam.

21. Dixitq; Isaac: Accede huc, vt tangam

gam te fili mi, & probem vtrum tu sis filius meus Esau, an non.

22. Accessit ille ad patrem, & palpato eo dixit Isaac: Vox quidem, vox Iacob est: sed manus, manus sunt Esau.

23. Et non cognouit eum, quia pilosæ manus similitudinem maioris expresserant. Benedicens ergo illi,

24. ait: Tu es filius meus Esau? Respondit, Ego sum.

25. At ille: Affer mihi, inquit, cibos de venatione tua, fili mi, vt benedicat tibi anima mea. Quos cùm oblatos comedisset, obtulit ei etiam vinum. quo hausto,

26. dixit ad eum: Accede ad me, & da mihi osculum, fili mi.

27. Accessit, & osculatus est eum. Statimque vt sensit vestimentorũ illius fragrantiam, benedicens illi, ait: Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.

28. Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini.

29. Et seruiant tibi populi, & adorent te tribus: esto dominus fratrum tuorũ, & incuruētur ante te filij matris tuę, qui maledixerit tibi, sit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.

30. Vix Isaac sermonem impleuerat: & egresso Iacob foras, venit Esau,

31. coctósque de venatione cibos intulit patri, dicens: Surge, pater mi, & comede de venatione filij tui: vt benedicat mihi anima tua.

32. Dixítque illi Isaac: Quis enim es tu? Qui respondit: Ego sum filius tuus primogenitus Esau.

33. Expauit Isaac stupore vehementi: & vltrà quàm credi potest, admirans, ait: Quis igitur ille est qui dudum captam venationem attulit mihi, & comedi ex omnibus priusquam tu venires? benedixíq; ei, & erit benedictus.

34. Auditis Esau sermonibus patris, irrugiit clamore magno: & consternatus, ait: Benedic etiam & mihi, pater mi.

35. Qui ait: Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuã.

36. At ille subiunxit: Iustè vocatum est nomen eius Iacob: supplantauit enim me in altera vice: primogenita mea antè tulit, & nunc secundò surripuit benedictionem meam. Rursúmque ad patrem: Nunquid non reseruasti, ait, & mihi benedictionem?

37. Respondit Isaac: Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres eius seruituti illius subiugaui: frumento & vino stabiliui eum, & tibi post hæc, fili mi, vltrà quid faciam?

38. Cui Esau: Num vnam, inquit, tantùm benedictionem habes, pater? mihi quoque obsecro vt benedicas. Cumque eiulatu magno fleret,

39. motus Isaac, dixit ad eum: In pinguedine terræ, & in rore cæli desuper

40. erit benedictio tua. Viues in gladio, & fratri tuo seruies: tempúsque veniet, cùm excutias & soluas iugum eius de ceruicibus tuis.

41. Oderat ergo semper Esau Iacob pro benedictione qua benedixerat ei pater: dixitq; in corde suo: Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrẽ meũ.

42. Nuntiata sunt hæc Rebeccæ: quæ mittens & vocans Iacob filium suum, dixit ad eum: Ecce Esau frater tuus minatur vt occidat te.

43. Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam, & consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran:

44. habitabísque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui,

45. & cesset indignatio eius, obliuiscatúrque eorum quæ fecisti in eum: posteà mittam, & adducam te inde huc. cur vtroque orbabor filio in vno die?

46. Dixítque Rebecca ad Isaac: Tædet me vitæ meæ propter filias Heth: si acceperit Iacob vxorem de stirpe huius terræ, nolo viuere.

SECTIO PRIMA.

Senuit autem Isaac, & caligauerunt oculi eius, & videre non poterat: vocauítque Esau filium suum maiorem, &c. vsque ad *affer quæ dixi.*

1. 
Æc vna inter memorabiles toto hoc opere narrationes censetur de benedictione Isaac, quã Moyses post digamiam Esau statim exorditur, silentio interim inuoluens annos illos triginta septem, qui ab illa digamia vsque ad hanc benedictionem sunt elapsi, vt Abulens. & Delrio adnotarunt. Iam inde, antequam gemelli fratres ex vtero matris prodirent in lucem, Diuino oraculo illa acceperat, iuniori benedictionem, ac primogenituram fore impertiendam. Cæterùm ad executionem huiusce Diuini decreti multa, quæ pugnare videbantur, Dei prouidentia operata est. Enimuerò si decretum habes, ô bone Deus, vti Iacob præponatur fratri, cur vt faciliùs, ac suauiùs hoc idem succedat, non statim à principio ille prærogatiuam huiusmodi enascens prior sortitus est? Nimirum vt Iacob, & primogenituræ dignitatem, & patris benedictionem, non à natura, sed à Deo acceptam eidem adscri-

Deo bona accepta referri debent.

adſcriberet, ac per totam vitam iugi gratiarum actione, debitiſque obſequiis, quoad conari poſſet, vtcunque perſolueret. Deinde voluit Dominus, vti mores vtriuſque fratris decurſu ipſo temporis ſeſe proderent, & cum Eſao, tot, ac tanta bona, quæ iure naturæ videbatur tanquam propria poſſeſſurus, ob ſuorum prauitatem morum, quaſi indigniſſimus præclaro Dei beneficio, amiſiſſe cenſeretur: at verò Iacob ob multas, magnaſque. quibus erat præditus, virtutes, multùm, diúque comprobatas, dignus omnium calculis iudicaretur, quem Deus ad tam eximiam dignitatem ſpreto altero efferret. Igitur Eſau (vt bene obſeruat S. Chryſ.) & ob ætatem, & ob primogenituram, & ob patris erga ſe affectionem primatum ſe habere putans, ſimul deſtitutus omnibus inuentus eſt: quia quæ in ſe erant, afferre noluit: hic autem, quia & domeſtica erat virtute præditus, & virtutem ſupernam habuit ſubſidiariam, etiam inuito patre illius benedictionem arripit. Nihil enim fortius eo, qui dextra Dei adiuuatur. Itaque Iacob illa gratia fretus magnum in omnibus auxilium, & cooperationem adipiſcitur, vt patris in eum transferatur benedictio. Eſau autem omnia amittit perdens ſemetipſum propter morum iniquitatem. hæc S. Chryſ. Sic ignaui, ſic improbi ſe habent. falſa quadam mundi ſpe confiſi, aut ſuam non addunt induſtriam, aut (quod peius multò eſt) de poſtulando Dei præſidio, ſine quo laborat incaſſum natura, nihil omnino curant; quo fit, vt & Diuinis, & humanis deſtituantur bonis.

Ignaui & improbi Diuinis & humanis priuãtur donis.
D. Chryſoſt.

2. Et quidem perquàm appoſitè coniungitur huius capitis hiſtoria cum extrema præcedentis, vbi narratur digamia Eſau cum fœminis Chananæis impiis, atque rixoſis, vt oſtendatur ſuprema pernicies Eſau proueniſſe ex illa conſuetudine Chananæarum. Proh quàm frequens in orbe quotidie ſtrages corporum, & animarum à cæco iſto, ac temerario amore mulierum editur. Samſon ille fortiſſimus mortalium ſuo exemplo ſatis huiuſmodi ſententiam conteſtatur. ſic enim de illo colligit S. Ephrem. *tract. de iudic. & retrib.* Concupiſcentia ſtrenuum atque inuictum illum Nazaræum Samſonem captiuum ſumpſit, qui poſtquam concupiuit cum vipera habitare, illico capilli Nazaræo defluxere, oculiſque ſuis priuatus, miſerabilis, atque ridiculus omnibus ſubitò eſt demonſtratus. ſic ille. Quid mirum, ſi tot, ac tam præclara naturæ priuilegia, Deique beneficia Eſau amiſerit, qui non cum vna tantùm, ſed cum duabus Philiſtæis, atque, adeò viperis iure coniugij habitare non dubitarit? Ah miſera generis humani conditio propagari, ſtaréque non poteſt ſine fœmina, quæ tamen ruinarum, & exitiorum fons ſolet eſſe, atque origo! ſcitum illud eſt, quod à S. Cyprian. ſcribitur *de ſingul. cler.* ad hunc modum: Tempus luctaminis adhuc geritur, & mors per fœminam adhuc vſque graſſatur. Mentior ſi non videmus exinde interitus plurimorum. Quanti, & quales clerici ſimul, & laici poſt confeſſionum, victoriarúmque calcata certamina, poſt magnalia, & ſigna mirabilia vſquequaque monſtrata, noſcuntur cum his omnibus naufragaſſe, cum volunt in naui fragili nauigare? hæc S. Cyprian. Optima quidem ſimilitudo. In ſalo, dum viuimus, iactamur vndis, & ventis quatimur: nauicula, & carioſa, & mirum in modum fragilis, ac leuis, noſtra ſcilicet caro: vndæ paſſionum internarum efferueſcunt, atque in nauim deſæuiunt: venti externarum occaſionum, atque illecebrarum irrugiunt, & hinc inde cymbulam collidunt: denique

Exitialis amor mulierũ.
S. Ephrem.
Samſonis infelicitas ex muliere.
Vipera viro mulier.
Naufragia magnorum per mulieres.
S. Cyprian.
Periculoſa conſuetudo mulierum.

tam vndæ, quam venti, quam ipſa quoque carnis infirmitas in ſcopulos, in vada, in ſyrtes, in carybdes, hoc eſt, in fœcundam concupiſcentiam impellunt. Quid igitur tam certum, tam obuium, tam frequens, quam pudicitiæ, quam corporis, animæque naufragium in hoc mundi pelago, vitæque decurſu eſſe videatur? Sed vndenam quæſo Eſau ad inſanum iſtum amorem alienigenarum mulierum, & digamiam contra præſcriptum conſiliúmque parentum, atque in perniciem ſuæ dignitatis, & primogenituræ ineuitabilem delapſus eſt? Vtique adoleſcens erat, extra paternos lares ſolitus diſcurrere. venationi, & agriculturæ deditus, vt ex capite ſuperiori conſtat, nec matris Rebeccæ, nec patris Iſaac inſtitutionem, & diſciplinam curans: atque adeo paulatim miſer inurbanis, & incomptis moribus aſſuetus, extra parentum domum, curamque diſcurrens Chananææ genti ſe immiſcuit, earúmque mulierum haud dubie laſciuientium aſpectibus, & colloquiis, demúmque amoribus ſeſe irretiuit. Nec enim vitium, nec virtus repentè conſummatur. Et quidem (vt pulchre ſcripſit Quintilianus) innocentia per gradus certos ab homine diſcedit. *orat. 1. pro caco.* Non euolat, non fugit virtus (vt ita loquar) per feneſtras; ſed per ſcalam gradatim deſcendens, qua patet oſtium, foras ſeſe proripit. Paulatim quippe in malorum barathrum deuenitur. Iccirco Dominus ad Iudæos loquitur: *Generatio mala, atque adultera, &c.* Matth. 12 malos vocat, & adulteros improbitatem vtique, non qualemcumque, ſed quæ in adultera muliere inuenitur, ſignificans: non quidem momento temporis, nec vno tantùm auſu, conatúque adulterium mulier committit. Multa hoc facinus præcedunt, multa præparant, & diſponunt ad ruinam. Nimitùm mulier cupit videre, ac videri, ornat, comit, colorat, oſtentat faciem, amari ſtudet, gaudet laudari, libens excipit nuntios, & ne ruſtica habeatur, reſpondet, reſcribit, aſpectum, & colloquium admittit, milléque huiuſmodi per imprudentiam & leuitatem efficit, donec tandem infelix in adulterium proſternatur. Semper ad flagitium per viam inceditur.

Nec virtus, nec vitium repentè conſummatur
Quintil.
Matth. 12.
Vitium paulatim excreſcit.
Apparatus ad adulterium.

3. Quod Samſoni, & Eſau cum fœminis Chananæis contigit, hoc idem euenire ſolet homini, qui paſſiones ſuas non modò non compeſcit, ſed illas etiam fouet, atque nefarium quoddam coniugium videtur contraxiſſe cum illis ad certum proculdubio ſuæ mentis exitium; quale in ſe experta vehementer dolebat illa, cuius eſt comploratio iſthæc: *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Cant. 1. Placet in præſentia, quam huic loco ſic adhibet S. Ambroſ. explicatio. Impugnauerũt me corporis paſſiones, carnis illecebræ decolorauerunt me, ideò dicit: Fuſca ſum. Vineam meam non cuſtodiui. Quia ſpinas, & non vuam attulit, id eſt, faciens peccata pro fructibus. hæc S. Ambroſ. *lib. de Iſaac. cap.* 4. Non ſe præbuit Eſau cooperatorem Diuinæ gratiæ, ſed patris amori credens, ac primogenitura ſua confiſus, quæ in ſe erant (vt ſubnotauit S. Chryſ.) afferre noluit; atque adeò propter ſuam deſidiam, & ignauiam bonis omnibus fuit deſtitutus. Nihil, non rogando, quærendo, vocando, & amando ſponſa illa in Canticis molitur, nec fruſtra quidem: cum enim non deſit gratiæ Dei, nec illi deeſt ipſa Dei gratia; quippe ſubitò læta exclamat: *Vox dilecti mei, ecce iſte venit ſaliens in montibus, &c.* Cant. 2. Ad quę verba egregiè S. Ambroſ. loco iam indicato, ita effatur Quæſitus non ſolùm venit, ſed etiam ſaliens venit. *Vox dilecti mei.* Siqua enim anima multùm requirat, multum merebitur miſericordiæ; quoniam qui

Prauas mentis paſſiones fouere.
Cantic. 1.
S. Ambroſ.
Paſſiones exuberant in vitia.
Ignauia bonorum iactura.
Cantic. 2.
Dei gratia exigit cooperationem.

qui multum requirit, plurimum debetur ei. Siqua A ergo anima eum studiosiùs quærat, longè audit vocem eius: videt eum salientem ad se venire; id est, properantem, atque currentem, & transilientem eos, qui infirmo corde virtutem eius capere non possunt. hæc ille. Non venit Dominus ad ignauos, & desides, quorum inertiam, & somnolentiam execratur, sed per bona opera, sedulámque pietatis industriam, & orationis assiduitatem, quæri, implorari, & quodammodo cogi vult, vt sua beneficia votis, ac meritis nostris rependantur.

4. *Senuit Isaac, & caligauerunt oculi eius, &c.*] Hebr. *Vattichén ghenaú meréoth* ותכהין עיניו מראות *contracti*, vel *corrugati*, vel *restricti sunt oculi eius à* B *videndo.* radix כהה *cahah*, vt peritiores colligũt ex varijs locis scripturæ, significat *contrahi in rugas, restringi, debilitari, remissum esse*; atque adeò in oculis bene vertitur *caligare.* Non enim cæcus omnino erat Isaac, sed ita debilitatam, & remissiorem, vel ex contractione oculorum (vt passim in pluribus cæcorum videmus) vel ex aliquo vitio facultatis internæ, organive sensorij, oculorum aciem habebat, vt ferè cæcus esse videretur. Sed quid hoc mali est, ô Domine, quod sancto, & dilecto seruo tuo, non sine Diuinæ tuæ prouidentiæ consilio successit? Certè ad struendam piæ fraudis historiam, in qua cæcus pater filium, quem nesciebat, ac nolebat, benediceret; filiúsque iunior matris dicto obediens debitam iure naturæ benedictionem C maiori, vtpote indigno, præriperet, multáque alia fierent, quæ narrantur, cæcitas ista, siue caligatio Isaac peropportuna esse videbatur. Ac fortassis quidem senex ipse, ac penè cæcus pater, ita inducitur, vt ostendatur non plenè vidisse, qui filium tam rusticum, tam malè moratum, pelúsque vxoratum, sic impensè diligeret, vt illum iuniori egregiis prædito moribus antepofuerit, illique suam benedictionem impertire conauerit. Nihilominus sanctum virum excusare contendit Theod. qui ad illud quæsitum: Qua de causa volebat Isaac dare benedictionem filio Esau? ita respondet, *quæst. 27.* Hoc volebat secundùm legem naturæ. Esau enim primogenitus erat; primogeniti verò, & primam, & duplicem portionem accipiebant. hæc ille. Itaque diligebat Isaac istum alioqui inurbanum, & D incomptum moribus filium, eò quòd primogenitus erat; mirum enim in modum feruntur patres in amorem filiorum, quos primò genuerunt. Altera deinde huius præcipui amoris extitit causa, & quidem efficax, si respicias come, suauéque ingenium Isaac, qui gratitudinem maximè semper coluit. Qua de re ita Theodot. subiungit: Auxit etiam amoris occasionem, quòd officiosus erat patri: Venatio enim illius erat huic in cibum. Obsequium autem potest etiam crudelissimos quosque mitigare; maximè patrem, & patrem humanissimum. Sic legimus etiam diuinum Apostolum copiosis benedictionibus remunerasse eos, qui illi obsequium præstitissent. hæc Theodot. Et E Deo nos infinitis, & maximis quotidie obligati beneficiis non debitas habemus gratias, non obsequia soluimus, non amorem rependimus, sed ingrati ad beneficia, & obstinati ad supplicia, nec blandimentis Dei patris, nec correctionibus Dei iudicis à peccando inhibemur, ac resipiscimus. Quid peius ac detestabilius? Optimè S. Saluian. ita scribit in hanc sententiam: Solent etiam nequissimos seruos, quos supplicia non correxerunt, blandimenta corrigere: & quos dominis suis verbera non submiserunt, beneficia submittunt, Infantes quoque, & omnes ferè paruulos contumaces; quos morigeros minæ, ac ferulæ non efficiunt, interdum blanditiæ ad obedientiam trahunt. sic ille, *lib. 6. de prouid.* at nostra duricies, & ingratitudo diuinæ in vtramque partem sese versanti prouidentiæ non cedit, non emollitur. Bene igitur colligit: Vnde intelligere debemus nos & seruis nequissimis nequiores, & insipientibus paruulis stultiores esse, quos nec quasi malos seruos tormenta corrigunt, nec quasi infantulos blandimenta conuertunt. hæc ille.

Cæcus amor patris erga filium prauum.

Theodor.

Iustorũ gratus animus erga datorem.

Theodor.

Beneficentia demulcet animos.

Ingrati ad beneficia, & obstinati ad supplicia.

S. Saluian.

Beneficentia vincit & emollit.

S. Saluian.

Ingratitudo est malorum, & stultorum.

5. Magna vis esse solet ad permouendos animos in obsequiis, præsertim si fiant parentibus à filiis, vti iure ipso naturæ, Deique lege debentur: præterea, si senibus, humanáque ope destitutis impendantur. Quid mirum igitur, si nunc Isaac senex, cæcus, & pater filium primogenitum, & officiosum paterna velit benedictione remunerari? Porrò autem dicere quis poterit Isaacum, vt erat insigni virtute, ac prudentia, cum videret Esau corpore hirsutum ac pilosum, moribus præferocem coniugio Philistæarum deturpatum, nequaquam ita dilexisse, vt eum speciosò, miti, ac modesto Iacobo antetulerit; sed tamen, quia pater erat, voluisse filio deteriori, benedictione impensa, opem aliquam ferre, ne miser etiam paterna beneuolentia priuatus in desperationem impelleretur, aut certè tota vita mœrorem contraheret acerbissimum. Fauet huic sensui Philo Hebræus, cum ita discutit hunc locum: Isaac cum duos filios haberet, vnum bonum, alterum peccatorem, peccatorem tamen benedicere voluit; non quia illum bono præferret, sed quia nouerat bonum bonitate propria, sibi ipsi satis auxilio fore, malum filium benedictione adiuuare volebat, sine qua non nisi infelicissimus esse poterat. hæc ille apud Lyppomanum: quæ vera esse secum ipse statuet, qui Isaacum, etsi corpore cæcum, interna tamen mentis acie perspicacissimum, & sapientissimum (vti erat) iudicabit. Profectò hanc eandem cum Philone sententiam de hac cõtrouersia tulit Procop. cuius verba sic habent: Isaac non voluit benedicere Esau, quasi hunc Iacobo præferret (quomodo enim vir bonus peiorem præponeret meliori?) sed cum sciret alterum propria virtute habere Deum beneuolum; & alterum collocare omnem spem in benedictione paterna, cum in hunc modum promouere studebat. hæc ille. Destitutus enim miser Diuina benedictione desperaret vtique, ni saltem paterna benedictione fulciretur. Igitur Isaac, & Rebeccæ studia sic idem conciliat. Cæterùm parentum diuersa studia, & sententiæ, non inter sese discrepant, sed in vnum, eundémque tendunt finem. Rebecca enim laborabat, vt bona, quibus dignus erat, Iacob adipisceretur: verùm Isaac deterioris quoad virtutem, inopiam corrigere conabatur sua misericordia, & commiserationem. hæc Procop. Tantæ virtutis esse benedictionem paternam censebat, vt etiam filio moribus pessimo, Diuináque benedictione indignissimo, aliquid conferret.

Philo.

Virtus per se felicem reddit.

Procopius.

Inops & miser, qui caret virtute.

Procopius.

Mira vis paternæ benedictionis.

6. Etsi autem, vt optimè iudicabat, præsto esset Dei gratia Iacobo, propter eximiam virtutem, & amabilem morum suauitatem simul cum insigni erga Deum pietate coniunctam, ac proinde humanis etiam paternis benedictionibus non egeret: attamen, quia etiam habenti dabitur, & iusto viro in sinum dabunt mensuram bonam, & coagitatam, & supereffluentem: decreuit Dominus, vt suæ Diuinæ benedictioni, humana quoque patris Isaac benedictio accederet, vt Iacobi virtus duplicato præsidio adiuta, & duplicato præmio affecta videretur. Conclusit enim Dominus parabolam

rabolam seruorum, qui ad negotiandum, & fœnerandum mnas acceperunt hoc modo: *Dico vobis, quia omni habenti dabitur: ab eo autem, qui non habet, & quod habet auferetur ab eo.* Luc 19. Docet nimirũ (explicat Beda) & illum posse amittere munus Dei, qui habens non habet, id est, non vtitur; & in eo augeri, qui habens habet, hoc est, bene vtitur. Quæ gratiarum commutatio in hac vita geri solet. Nunc enim fideliter, prudentérque laborantem amplioris gratiæ munere Dominus donat, illum verò desidias molles, & marcida luxu otia sectantem, & eo, quod dederat, priuat. hæc Beda. Quæ apprime conueniunt huic narrationi, quam de Iacob, & Esau commentamur. Et quidem S. Bernard. in verbis illis Domini apud Lucam discrimen poni arbitratur, quod post hanc vitam, inter electos, atque reprobos, intercedet. sic enim loquitur *serm. 72. in Cant.* Quemadmodum olim omni oculo caligante per vniuersam Ægyptũ solus in medijs tenebris clarè videbat populus videns Deum, id est, Israel. *Exod.* 10. sic inter filios tenebrarum in tetra mortis caligine fulgebunt iusti, & videbunt, eo vsque clarius, quo exuti corporum vmbris. Nam & illi ibunt de tenebris in tenebras densiores, vt qui in tenebris sunt, tenebrescant adhuc, & qui vident, videant magis, quia *habenti dabitur, &c.* Ita est, & additur in morte videntibus, & non videntibus demitur. Quò enim hi minus, & minùs, eò illi magis, magísque vident, donec & hos excipiat suspirans nox, & illos aspirans dies; quæ sunt nouissima vtrorumque, extrema videlicet cæcitas, & suprema claritas. hæc ille. Quis ergo non timeat sciens tam graue, támque infinitum discrimen inter eos, qui ex hac vita discedunt, futurum; vt æternum chaos reprobos, sempiterna verò lux prædestinatos sit exceptura?

Luc. 19. Beda.

Ignauus priuatur, industrius augetur donis.

S. Bernard.

Dispar exitus bonorum, & malorum.

Exod. 10.

7. Iam nunc videamus diuersa parentum studia; dum pater fauet maiori filio, mater iuniori; quæ tam ab illo prodigioso geminorum ortu semper inter parentes extiterunt. Quod S. Chrysost. *homil. de Iacob, & Esau,* eleganter ita disputat. Diuidit in amorem vterque parens vtrunque nascentem: sic pater maiorem, sic mater minorem assumit. Pater in vtero victum amore solatur, mater verò victorem diligit, quem pugnantem non vidit. Optat pater victori victum æquari; si victi mores possent a malitia immutari. Sed iam seruatur sententia, quia sententiam prouocauerant causæ, nec in aliquo potuit bonitas in innocente corrumpi; vt malitia in reo non potuit immutari. Igitur properant impleri prædicta: festinant geri, quæ fuerant diuinitus nunciata. hæc S. Chrysost. Cæterum explicari debet sanctissimus Doctor: non enim ponit in malitia Esau necessitatem (vt Logici vocant) consequentis, sed consequentiæ tantum, quæ non tollit hominis libertatem. Ex eo nimirum quod Deus præuidit, ac prædixit Esau fore vitiosum atque indignum primogenitura, & benedictione, nulla illius voluntati inducitur necessitas, (liberè adhuc peccabit, aliàs qui non peccaret, si necessariò, & non liberè ageret) sed supposita Dei cognitione infallibili infallibiliter infertur hæc consequentia. Esau liberè peccabit, liberè erit vitiosus, liberè se faciet indignum omni supra fratrem prærogatiua. Nec est, quòd quis hoc loco incuset tyrannidis Iacobum; non enim præripuit aliena, sed sua recepit, quę non solùm à Deo promissa eidem fuerant, sed etiam virtute propria ipse meruerat, & ab indigno fratre eadem vili quodam edulio vendita coëmerat. Qua de re sic idem Chrysost. adiungit: Adeò

Disparia parentum studia erga liberos.

S. Chrysost.

Præscientia Dei non tollit hominis libertatem.

S. Chrysost.

A Esau primatus desiderio lentis addixit, eosdémque Iacob intemperantia deuorantis accepit; quandiu Esau possidere non potuit, quod in vtero constitutus amisit. Deinque reddit Esau aliena, Iacob recipit sua. hæc ille. Debebatur quidem & ingenio, & virtuti Iacob prærogatiua paternæ benedictionis, quam illi natura præripuerat, in deteriorem, atque indigniorem transferens. Sed tandem & Esau illam, qua erat indignus, sua culpa perdidit, Iacob autem vti eam meruerat, Diuina ope consecutus est. additque optime S. Chrysost. Fit Iacob benedictione iam primus, qui fuerat natura postremus. Primatus reddidit causa, quos negauerat aliquando natura, nec diu eius gratiam indignus potuit vsurpare, quam Iacob meruit, an- B tequam nasceretur, accipere. Interea hæreditaria benedictio à patre in Esau disponitur, & ab eo ciborum delectatio postulatur. hæc S. Chrysost. Itaque Isaac videns se grauem senio ac morti vicinum, noluit à vita recedere, quin prius officio patris probe defunctus maiorem filium sua benedictione solaretur, & confirmaret. Senui (inquit) & ignoro diem mortis meæ, hoc est, breui me scio moriturum, quando id futurum nescio: iccirco nollem, vt mea benedictione tanquam primogenitus à patre morituro priuetur.

Iacob ergo fratrem iniustus non fuit.

D. Chrysost.

Parens ante mortem.

8. En Isaac vir sanctissimus moriturum breui se dicit; nec enim illius sanctitas ab hoc mortis stimulo immunis esse potuit: tributum hoc est, quod Diuina iustitia, post peccatum primorum C parentum, ab eorundem filiis exigit. *Ascende* (ait Dominus ad Moysem) *in montem, & morere.* Deut. 32. quasi dicat: Ad meam beatitudinem viros mihi fideles, iustósque assumam; sed mortis non euadent angustias: per mortem ascendent. S. Gregor. Nazianz. *orat. de S. Basil.* inuertit subtiliter verba in obitu admirabilis huius viri: Sed morere (inquiens) atque ad nos ascende. Et quidem oportet Isaac, Basilium, Ioannem Baptistam, & præstantissimum quemque Sanctorum è terra in cælum migraturum prius emori, vt palam fiat hominem illum esse, qui vitam humana augustiorem vixerat. Quod Cyrus Theod. de Basilij morte loquens Græco sic expressit carmine: *Ni te attigisset mortis atra spiculũ, non visus esses molis huius particeps, &c.* D Quasi tota in vita nihil in Basilio extitisset, quod hominem illũ esse demonstrasset: Cum sublimior mortalibus, par verò angelis visus esset. Necesse igitur fuit mori Basilium, vt hominem esse mors ipsa conuinceret. Porrò mira solet esse viris iustis de morte, quam semper ante oculos habent, & cui se per totam vitam parant, solicitudo; qualis erat illa Prophetæ, qui aiebat: *Locutus sum in lingua mea: Notum fac Domine finem meum, & numerum dierum meorum, vt sciam quid desit mihi.* Psalm. 38. Finem scilicet, ad quem viuendo currit. Iam enim transilini (exponit S. August.) (& adhuc transiliendum est. Non enim hic remanebimus. Finem notum E mihi fac, finem, qui mihi deest, non cursum, qui mihi adest. Momentis transuolantibus cuncta rapiuntur: torrens rerum fluit, de quo torrente ille in via bibit pro nobis, qui iam exaltauit caput. Isti ergo dies non sunt; ante abeunt pene, quam veniant, & cum venerint, stare non possunt, &c. hæc S. August. Ac tam fragili tamen, breui, & volatili vitæ fidimus: de nobis tanquam de immortalibus cogitantes rerum terrestrium, & fluxarum studio, amorique vacamus. Heu cæcitas! heu stultitia! heu insania mortalium! Sed quid hoc est, quòd Propheta mortis suæ præstitutum a Deo, certúmque diem scire vult? *Vt sciam* (inquit) *quid desit mihi.* Ad quem locum egregie ita commentatur

Tributum humani generis mors.

Deuter. 32.

S. Greg. Naz.

S. Basilium mors conuicit hominem.

Iustis de morte solicitudo.

Psalm. 38.

D. August.

Breuis vita & volubilis.

Cæcus amor rerum caducarum.

D.Chrysost. mentatur S.Chrys. *Finem & numerum dierum*, hoc est, temporis longitudinem orat sibi significari, non vt peteret eis aliquid adiici; sed vt sciret, quid sibi desit. Sed quamobrem? vt interea suæ saluti caueret, & prospiceret: & si peccata quidem fecisset, properaret ad pœnitentiam; sin autem iustitiam, vt eam retineret, & confirmaret: vt qui peregre esset profecturus, & coram iusto iudice sistendus. hæc S.Chrys. Vide quàm salutaris homini sit mortis recordatio; vt per pœnitentiam delictorum certam vocationem suam faciat, vt loquitur Apostolus. Hæc erat illa meditatio, & frequens, & vehemens, in qua elaborans Dauid (vt paulò antè præmiserat) ignem, quo exardesceret, eliciebat.

Mortis, & iudicij recordatio.

B Psal. 38. S.Ambros. *In meditatione* (inquiens) *mea exardescet ignis*. Quæ verba ita exponit S.Ambros. Lapis, si ad lapidem teratur, ignem excutit. Ita etiam bona conscientia pudore succéditur, si renouetur ei suorum recordatio delictorum. Et in ipsa meditatione exardescit ignis. Non malus ignis, qui adurat, sed non exurat. Est ergo ignis, qui peccatum minuit, & suo culpam ardore depascit. ita S.Ambros. Mœroris ignem intelligit Theod. haud dubiè veram contritionem significat, quæ consumit omnia delicta, purámque reddit animam.

Contritio scelerum ignis animam purificat.

Theod.

9. O si libidinosus futuræ mortis meditatione ignem istum excuteret; quàm facile suæ concupiscentiæ ardorem compesceret, & gehennale incendium euitaret! Huic peccantium generi maximè necessaria est mortis assidua, Diuiníque iudicij recordatio, vti prænunciabat Sophon. *Quomodo abscondamini in die furoris Domini; Azotum in meridie eycient*. Sophon. 1. Haud dubiè per diem furoris Domini intelligitur vniuscuiusque mors, in qua incorruptus Iudex petit rationem à seruis suis, illorúmque facta examinat seuerissimè, atque integerrimè iudicat. Hoc igitur die Azotus eiicietur in gehennæ clibanum, suarum turpitudinum pœnas luitura. Enimuerò (vti declarat S.Hieron.) Azotus, quæ in lingua nostra ignis generationis, clara luce vastabitur; arsit enim libidine, & generationis incendio debacchata est. sic ille. Prudentissimè, sanctissiméque Isaac & peropportunè molitur ea, ad quę paterno ex officio se putat obligatum: Diem enim (vt adiungit) ignorat mortis suæ: scilicet admonemur animæ saluti consulere, & ad promerendam Dei gloriam diligentissimè incũbere; cum certa nobis mors sit, & mortis dies incertus. Peccarat vnus tantùm ex tota illa penè infinita Hæbræorum multitudine, surripiens de anathemate Hierico; atque iccirco Dei sententia vnus ille publicitus erat supplicio mortis afficiendus: ergo Dominus pridie illius diei mandat Iosue: *Sanctifica populum, & dices: Sanctificamini in crastinum*, &c. Iosue cap. 7. vbi rectè Caiet. obseruat: Proculdubio monentur, vt mondent corda sua contritione peccatorum, & sic seipsos præparent Diuino examini in crastinum. hæc ille. Ac certum tamen erat ex tota illa multitudine non plures, sed vnum tantummodo, & subiiciendum Diuino iudicio, & perimendum: at quid nobis certius est, quàm nos omnes esse Diuinum examen subituros, ac morituros: nec tamen miseri de nostro periculo soliciti ad certum istud exitium paramur, & sanctificamur?

Mortis, & iudicij recordatio libidinem compescit.

C Sophon. 1.

D.Hieron.

Mors certa mortis dies incertus.

D

Iosue 7. Caietan.

Paranda hominis vita Diuino iudicio.

E

10. *Sume arma, &c.*] Igitur Isaac filio iubet, vti sumat arma. Hebr. *Chelecha* כליך, *vasa tua*, hoc est, *instrumenta, & vtensilia*; quæ verò illa sint, statim subdit, *pharetram & arcum*: conferat se deinde in agrum. Hebr. השדה *hassadéh*, noster vertit *foras*: ad venandum scilicet: erat enim Esau venationis studiosissimus, ac peritissimus: deni-

A que de præda sapidissimum patri paret edulium. Hebr. *matghammim* מטעמים, *cibos*. radix *tagham* טעם *gustare*: inde *matgham* מטעם *cibus*, atque vt videtur elici ex radice, *sapidus, gustui suauis, ac delicatus*: Nomen enim טעם *tagham*, est *sapor*, qui non modò ad cibos, sed ad quæcumque alia grata, & suauia refertur, vti Psalm. 118. petit regius Vates. *Bonitatem & disciplinam doce me*. Hebr. *Tub tagham* טוב טעם, *bonitatem, gustum*, vel *bonitatem gustus*, seu *saporis*. Verùm quis iste bonus gustus, vel bonitas gustus, ac saporis dicatur hoc loco, non facilè doctores conueniunt: interim placet, vt intelligam sapientiam cum Genebrardo, eam videlicet, quæ non tam in rerum humanarum, ac Psalm. 118.

B Diuinarum cognitione consistit, quam quæ dicitur pia quædam affectio, & communiore vocabulo, deuotio mentis Diuinam dulcedinem interdum delibantis, cum gustat, & videt, quàm suauis est Dominus. Gustare dicimus cum Propheta, eo quòd in hac vita Diuinarum consolationum dulcedo gustatur potiùs, quàm satiat; nec diutius durat, cum vix gusto ipso libatam excipiat aliqua amaritudo, est enim vita præsens militia, & locus tentationis; ac probationis; quod ille peritissimus vitæ spiritualis magister sic exponit: Est bona consolatio de spe salutis æternæ, in quam homo per Dei gratiam reuiuiscit, & hilarescit. Sed recens gaudium vertitur in mœrorem, & dulcedo boni vix summis (vt ita dicam) labiis attacta in amaritudinem commutatur, ita vt libeat dicere: *Versa est cythara mea in luctum, & cantatio mea in plorationē*. Iob. 30. Plorat ergo amariùs amissam dulcedinem, quàm priùs fleuerat admissam peccatorum amaritudinem: & hoc tandiu facit, donec Deo miserante consolatio redit. Scriptum est enim: *Visitas eum diluculo, & subitò probas illum*. Iob. 30. hæc S.Bernard. *serm. de Cantico Ezechiæ*. Sic Dominus suos tentat, ad probationem quidem, non ad desolationem, deinde probatio est ad eruditionem, non ad destructionem. vti Bernard. idem animaduertens huiusmodi sensum agnoscit in verbis Iobi. Colligit itaque demum: Crebris huiusmodi vicissitudinibus inter gratiæ visitationem, & tentationis probationem in schola virtutum proficit, faciente vtique visitatione

Deuotio dicitur sapientia.

Dulcedo Dei rara & breuis.

S.Bernard.

C Iob 30.

Dulcedo, & amaritudo alternis sentiuntur.

S.Bernard.

Visitatio Dei, & probatio.

D ne deficiat, tentatione ne superbiat. Gustato tamen aliquatenus, quàm dulcis est Dominus, eius etiam cum ad sua redierit, in cordis palato saporem retinet: quo fit vt iam ipsum, non ipsius quæcunque bona, desideret. hæc S. Bern. Tam suauis, dulcísque contemplanti animæ videtur, & sentitur Dominus, vt ad illum tantummodo desiderandum, & amandum inhiet: nec interim aliud extra Deum cupiat, curétque, fellis enim instar iudicat quicquid Deus non est. Petit igitur Propheta edoceri à Deo bonitatem saporis; docet autem Dominus, cum familiariter, ac dulciter animam sibi dilectam affatur loquens (vt in Osea legimus) ad cor eius, hoc est mollia verba, secundum S.Hier. atque, vt communiter dicitur, consolatoria.

Fel est animæ quicquid extra Deū est.

Osee 2.

D. Hieron.

E Huius generis plurima sunt, quæ percipi potiùs, quàm explicari solent: maximè verò illa inexplicabilem hanc in se continent consolationem, quæ ab eodem Bernardo in sententiis recensentur hoc modo: Verba consolationis Dei sunt, ablutio culpæ, restitutio gratiæ, euasio exilij, consecutio regni, consortium Diuinitatis, adeptio æternitatis. hæc ille. O felix, cui talia Deus verba loquitur, qui verè experitur, ac videt, quoniam suauis est Dominus. Quippe mentem illius ab omni reatu, næuóque abluit, in pristinam vtique Diuinam gratiam restituit, per quam Diuinitatis

S.Bernard.

Consolatoria Dei verba.

Felicitas animæ iustæ.

 uinitatis

uinitatis quodammodo particeps ab exilio patris Adam ad consortium beatorum spirituum, imò & Christi assumitur.

11. *Vt benedicat tibi anima mea.*] Hoc est, vt ex animo tibi benedicam. Nimirum patet obsequiis *Cæcus patris amor.* filij delinitus eum teneré diligebat: & quidem amor patris, quàm oculi hac in parte magis cæcutiebat: atque icciro, ne indignus ille filius debitam meritis alterius benedictionem surriperet, Deus patrem, quò pium furtum Iacobi celaretur, prius excæcauit: nec enim Dei, atque hominum *Filij parentũ dilecti.* iudicia plerunque conueniunt. Ea verò parentum conditio est, vt filios etiam malè moratos, deformi facie, ingenióque rustico, velut idola sua venerentur, & ament: atque vt plurimum quos vnus parentum in amore, ac deliciis habet, alter auer- B *Patris solicitudo de filiis.* setur, odióque habeat. Illud etiam solitum, atque innatum parentibus, vt de honorandis, ditandis, ac bene locandis filiis nimium sint soliciti, cum tamen filij de seipsis, dum patrum sub tutela sunt, aut parum, aut nihil curent. Certum enim est *S.Pet. Chrys.* quod obseruat S. Petr. Chrys. *serm.* 1. Ad patrem labor respicit, fructus redundat in filios. Quod in Christo Domino magis eminuit, qui cum Iudex, ac Dominus esset hominum; patrem illorum se exhibuit, vt sibi laboraret, ac moreretur; filiis autem bona omnia luctaretur. *Desideratur Verbi incarnatio.* Huius Diuinæ misericordiæ desideriis exæstuans Deum inclamabat *Psalm. 6.* Propheta, Psalm. 6. *Sed tu Domine vsquequo? Conuertere Domine.* Quæ verba eleganter expendens S.Petr. Chrys. *serm.* 45. sic edisserit. Quousque pa- C teris? quousque non subuenis? vbi est Christus tuus toties repromissus? Veniat, veniat, priusquam pereunte seculo, in seculo nil inueniat, quod re- *Maluit Christus soluere, quam donare hominum scelera.* saluet. *Conuertere Domine.* Vnde de Deo in hominem, de Domino in seruum, de iudice in patrem. hæc ille. Potuisset quidem hominibus absoluta sua benignitate omnia illorum scelera condonare; at Dominum tunc, non se patrem ostenderet. *S Pet. Chrys.* In se igitur (inquit idem *serm.* 29.) sententiam suã iudex retorsit, vt amasse se peccatores proderet magis soluendo debitum, quam donando. ita Chrysolog. Nemo igitur tam pius, tam pater nemo, qui erga filios suos, quos de peccatoribus, & inimicis fecerat, tam se prodigum sui amoris de- D monstrauit. Quòd si à natura insitum est parentibus, vt filios suos vehementer ament, id quidem tum propter educationem prolis; tum vel maximè in significationem Diuini amoris factum esse credimus: ac de bono quidem prolis constat euidenter: de argumento autem Diuini amoris ita *S.Saluian.* egregiè disserit S.Saluian. Totus mundus, & totum humanum genus pignus est Creatoris sui. Et ideo ex hoc quoque affectu, quo amare fecit pignora nostra, intelligere nos voluit quantum ipse amaret pignora sua. hæc ille, probátque ex loco Apostoli ad hunc modum: Sicut enim (vt legi- *ad Rom. 1.* mus) *inuisibilia eius, per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* ad Roman. 1. ita amorem erga nos suum per eum, quem nobis erga nostros dedit, *Amor humanus Diuinum declarat.* amorem voluit intelligi. sic ille. Itaque amore hu- E mano, quem experimur, Diuinus erga nos amor declaratur, & per hominis patris affectum, qualis *S.Saluian.* sit in Deo patre affectus indicatur. Quod ita subiungit: Et sicut *omnem* (vt scriptum est) *paternitatem in cælo, & in terra à seipso voluit nominari.* ad *ad Ephes. 3.* *Patris affectus à Deo est.* Ephes. 3. sic à nobis patris in se affectum imò benignissimi patris voluit cognosci. ita S. Saluian. *lib. 4. de prouid.*

Mala substantiæ ad mortem dispositio. 12. Mortem senex ante oculos habens de filio honorando, atque ditando agit, quod plurimis euenire solet, qui sub mortis horam plus de am- A plissimis filiorum patrimoniis soliciti, quàm de propria salute vix sacramenta necessaria ad vitæ transitum suscipiunt, ac de legandis in pauperes ad subsidium animarum eleemosynis, nec cogitant, nec testamento committunt: faxitque Deus, vt multa, & ingentia, quibus prægrauati vixerant, debita hæredibus persoluenda iubeant. Postulat à filio senex epulum, vt post illud benedictionem accipiat: cæterùm cum ea plena esset Diuinis pro- *Per gulã non dantur Dei dona.* missionibus, indecorum Deus omnipotens esse ostendit, vt per gulam Diuina munera, & com- *Filij erga parentes officiosi.* pararentur, & donarentur. Nihilominùs hinc poterunt filij admoneri, quàm officiosi erga parentes esse debeant, si ab eis paternam benedictionem, & ampliorem hæreditatem aueant impetra- B re. Sed ita plerumque videmus, vt filius nimio *Filius odium patris amori rependit.* patris amori hostile odium rependat, & studium patris in honorem filij desudantis infami dedecore persoluat Quod in Absalone visum est, qui *Absalonis incestus & sæuitia.* (vt loquitur S Saluian.) impurior nescias, an cruentior filius, quia interficere patrem non potuit, fœdauit incestu, *lib. 2. de prouid.* Ac fortassè, *S.Saluian.* *2. Reg. 16.* pœnas luunt parẽtes nimij, quo filios prosequun- *Filij parentũ carnifices.* tur, amoris, vt suæ vitæ atque honoris carnifices, & prædones habeant, & foueant, quos impensius miseri amauerunt. Ament illi quidem filios, sed iustè tamen. & sanctè. Etenim cum Deus (in- *S.Saluian.* quit Saluian.) viuorum sit, & non mortuorum, rectè illa parari filiis iussit, per quæ in æternum viuerent, non per quæ in æternitate morerentur. C sic ille, *lib. 1. ad Eccles. Cathol.* Sanctos studeant ha- *Pater filium non diuitem, sed sanctum habere volt.* bere filios non diuites. Paruit dicto parentis Esau: in agrum se contulit: venationi, qua mirum in modum delectabatur, intentus benedictionem, & hæreditatem amisit. Ah quàm perniciosum nonnunquam est è domo pedem efferre, atque foras etiam iussu maiorum, sed propria tamen leuitate, ac lasciuia instigante, libenter excurrere! Audi obsecro S.P.Damian. *Apolog. de contemp. sec. cap.* 11. *S.Petr. Dam.* *Propria lasciuia dedecoras obedientiam.* hac de re ita loquentem. Quisquis rem, quæ ad vitium pertinet, consuetudine ductus propriæ voluntatis instinctu libenter exequitur, peccat: etiamsi alienis imperiis specie tenus obtemperare videatur. Constat autem, quòd vt Esau patri cibos studio venationis acquireret, non magis D paternæ iussioni per obedientiam paruit, quam inditæ consuetudini quodammodo tributa persoluit. Qui ergo discurrendo per seculum propriæ libidini satisfacit, & tamen obedire maiorum iussionibus asserit, nouerit Dominum de occultis hominum iuxta conscientiam iudicare. hæc Dam. *S. Petr. Dam.* At cogitur (inquies) foras egredi religiosus: be- *Periclitatur religiosus, cũ foras exit.* ne: sed ita tamen (vt statim idem Cardinalis subiicit) morosè (inquiens) & grauiter intra se deliberet, dicens: *Expoliaui me tunica mea; quomodo induar illam? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* sic ille. *cap.* 5. Qui ergo inuitus, ac sibi timens ad *Externa negotia per obedientiam suscepta.* externa se negotia pertractanda ex obedientiæ præscripto egreditur, Diuinæ misericordiæ confidat tam purè sanctéque se ibi acturum, vt nec E iterum secularis vitæ sordidum habitum induat, nec pedes animæ religionis amne ablutos, ac nitentes vllo rerum secularium cœno polluat, ac deturpet.

13. *Quod cum audisset Rebecca, &c.*] Vides (ait S. Chrys.) magnum matris in filium amorem, immò *S. Chrysost.* dispensationem Dei? Ipse enim est, qui ei consilium dedit, & omnia bene agere fecit. sic ille. Recordata scilicet mulier antiqui oraculi; *Maior seruiet minori,* Diuinæ se præbuit egregiam prouidentiæ administram. Credebat enim Diuinum decretum per maternam etiam industriam fore complendum,

Mater solicita de filio.

plendum. At nescio quid humanæ fragilitatis in tam subito istius rei euentu, vtpote anxia, & solicita valde, de filio, quem tenere, atque vnicè amabat, passam illam arbitratur Procopius ita effatus.

Procop.

Rebecca prorsus confidebat promissioni Diuinæ: *Maior seruiet minori.* Cæterùm nonnihil, vt mos hominum est, solicitudine quadam inquietabatur, ne non benedictio iusti parentis mutaret pronuntiatum Diuinum. hæc ille. At dices, iniquè matrem agere, quæ iuniorem filium maiori contra mariti voluntatem, & ætatis prærogatiuam anteponit. Respôdet optimè S. Ambros. *lib. 2. de Iacob, & vita beata cap. 2.* ad hunc modum: Rebecca non quasi filium filio, sed quasi iustum præferebat iniusto. Etenim apud matrem piam mysterium pigriori præponderabat. Illum non tam fratri præferebat, quàm offerebat Domino, quem sciebat collatum sibi munus posse seruare: in quo & alteri consulebat, quem diuinæ subducebat offensæ, ne grauiore implicaretur reatu, si acceptæ gratiam benedictionis amitteret. hæc S. Ambros. In quibus illud parentes expendant seriò, ac diligenter imitentur: videlicet neutrum filiorum alteri præferendum, sed iustum tamen iniusto. Virtuti enim semper primas deferri oportet. Sciant proinde filij se tantò gratiores fore parentibus, quantò fuerint honestiores, & sanctiores. Prudens sanè ac pia mater priuari cupiebat benedictione, ac primogenituræ priuilegio filium deteriorem, vt quæ sciret, illum accepta dignitate arroganter, atque iniquè abusurum. Voluit igitur amenti, atque impudenti fomentum plurium, & grauiorum iniquitatum subducere. Pulchrè idem Ambros. diuersa vtriusque parentis studia sic ab omni calumnia liberat: Accipe tamen bonum certamen inter parentes: mater deferebat affectum, pater iudicium; mater circa iuniorem tenera pietate propenderat; pater circa seniorem naturam honorificentiæ seruet: hic magis honoret, illa plus diligat, dum singuli singulos foueant; non in vnum vterque conspirent, defraudent alterum. Fiat æquitas inter diuersa certamina, & disparibus studiis, par vtrique, & æqualis parentum amor, & gratia conferatur: compenset alter, quod alter imminuit. Sic pio affectu Isaac Patriarcha, & sancta Rebecca certabant, vt neutrum superiorem facerent, sed vtrumque æqualem. hæc S. Ambros. Eximium profectò consilium datur parentibus, vt æqualitatem seruent inter filios: quòd si vnus erga vnum magis in amore inclinet, alter alterum impensiùs complectatur; ne si ambo in vnum, eundémque studiosiùs ferantur; & cæteri doleant, ac desperent, & qui vehementiùs amatur apud alios insignem conflet inuidiam.

Nocet honor indigno. — S. Ambros. — *Iustus filius iniusto præferatur.* — S. Ambros. — *Parentum alter alterum filium magis foueat.* — *Æqualitas inter filios à parentibus seruanda.*

14. Iubet itaque mater filio charissimo, vt quàm citissimè duos de grege selectissimos afferat hœdos, ex quibus ipsa marito sapidissimum paret epulum. Hinc Procopius colligit robustæ senem complexionis fuisse, qui tali ætate ciborum tantum absumeret. Sic enim ait: Ex apparatu huius cœnæ conijcere possumus magnitudinem, & corporis naturalem sanitatem, qua viguit Isaac. Nam si in senectute obsonio vtebatur duorum hædorum, & interim temperans prædicatur, cedo qualis erat in iuuentute? hæc ille. Malunt alij cum Diodoro Tarsensi iubere matrem, vt duos hœdos Iacob afferat, ex quibus in pulmentum pinguiores, ac teneriores partes deligerentur. Oportet quidem, & humana (nec solum Christiana) charitas edicit, vt senibus, atque ægrotis, delicatiores, ac sapidiores parentur cibi: egent enim vtrique, vt suam calamitatem patientiùs ferant, huiusmodi solatiis, ac fomentis. Discant filij obsequi parentum senum solatio; discant etiam vxores maritis officiosius deseruire. Porrò timet Iacob consilium matris exequi, ne forte deprehendatur a patre impostor, & illusor; quasi decipulam cæcitati illius intendisse, quod quidem filio patris amantissimo perquàm indignum censebitur. Vnde Procopius Iacobum sic admiratur, & commendat: Mirabilis est Iacobus ob insignem in vtrumque parentem pietatem. Veretur ne patrem ad iram concitet, tum solicitus est, ne non parum obediens matri videatur. Pulchrè verò inquit: *Super me inducam maledictionem.* Nam etsi pater re cognita secutus patriam charitatem, & lenitatem, me non obiurgabit, tamen conscientia redarguet me, quod maledictione digna commiserim. sic ille. Auet quidem Iacobus benedici, at non per dolum tamen; timétque inde sibi Dei, patrísque maledictionem euenturam. Timenda est enim valde parentum indignatio, & maledictio; sed minimè de illa curandum, cum sine causa contra innocentem filium irascuntur. Rideat filius iram parentum, & illorum maledictionem pro felici benedictione accipiat, siquando indignantur, quòd illis derelictis ad religionem Deo seruiturus transfugiat. At mater metum omnem filio excutit; atque, vt amor solet esse audacissimus, Admirabilis illa (inquit S. Chrysost.) & amans filij omni studio conatur eximere puero metum, & addere animos, vt consilium perficiat. Hæc verè materna dilectio est, vt pro filio parata sit omnia ferre. ita S. Chrysost. Cæterùm Gennad. & alij securam de prospero successu, Diuinæ promissionis fiducia sic locutam censent, atque adeò certiorem factam ex antiqua prophetia Iacobum consecuturum esse benedictionem, nec sibi, nec filio vllum inde damnum futurum. Hoc sensu loquitur Theod. Confidens enim (inquit) Rebecca Propheriæ, quòd maior seruiturus esset minori, omnem mouit lapidem, vt Iacob benedictionem paternam consequeretur. sic ille *quæst. 78.* Vides etiam supposito oraculo sanctam fœminam libenter omni damno, atque maledictioni se obtulisse, modò voluntatem Dei exequatur. Enimuerò pro Dei obsequio, cum illius iussio vrget, nulla humani iuris habenda ratio est. Neque verò etiam admirari non possum, quàm tenax propositi fœmina sit: omnem lapidem mouet, noua, & subtilia ingeniosissimè architectata, nihil mali veretur, modò quæ desiderat, assequatur. Sanè matrem (inquit Procop.) nos admirari oportet ob præclaram beneuolentiam, qua filium tuetur. sic ille.

Procopius. — *Senex & ægrotus delicatiùs comedant.* — *Vigor Isaac in senectute.* — Procop. — *Parentibus & maritis obsequendis.* — *Timenda parentum maledictio iusta.* — *Filius inuitis parentibus ad religionem transfugiat.* — S. Chrysost. — *Amor audacissimus.* — Gennad. — Theodor. — *Mulier audacissima.* — Procopius.

15. Sed S. Ambros. *lib. 2. de Iacob. cap. 3.* mirari non desinit, quàm se multis conspicuum virtutibus hoc vno in facto Iacob præbuerit. Quàm pius (inquit) erga parentes, vt præferri germanò seniori materno affectu mereretur, & paternæ benedictionis munere sacraretur! Quàm religiosus, vt fratrem recusaret lædere! Quàm verecundus, vt patrem timeret fallere! Quàm honorificus, vt matri, quod iubeat, non posset negare! hæc S. Ambros. Ad matrem ego lætus redeo, quæ mihi peregregium typum ostendit illius Virginis, quæ vera Mater Deum peperit, atque homines, vt pia Mater fouet, ac protegit. Rebecca insignem præfert amorem in filium, cum illius quodcumque damnum sibi ipsa deposcit inquiens: *In me sit ista maledictio fili mi.* At quæ mens concipiet, quæ lingua, vel Angelorum comprehendet, & explicabit immensum Virginis Deiparæ amorem, quo Filium, ac Deum suum prosecuta est, tunc maximè cum afflictum, irrisum, flagris laceratum, opprobriis dedeco

S. Ambros. — *Plures in Iacob virtutes eminent.* — *Rebecca typus B. Mariæ.* — *Dolor B. Mariæ in passione filij.*

dedecoratum, atque è cruce pendentem conspexit: *Stabat* quidem (vt legimus, Ioan. 19.) *iuxta crucem Iesu Mater eius*, cum Filio simul Mater compatiens, & pro Filio mille mortes hilari, & constanti animo parata oppetere. Pie quidem, & rectè Virginem iuxta crucem Filij contemplatus S. Arnold. Carnot. *tractat. de verbis Christi in cruce tō. 6. biblioth. PP.* inter alia multa sic effatur: Licet Virgo Mater non ignoret, quid boni conferat mundo passio Filij, tamen Parentis affectu commoritur, & pectus maternum immanitate doloris arctatur. Et (quod difficillimum erat) moriebatur, & mori non poterat. Crux illa animæ, & patibulum spiritus, in quo erat hostia viua, beneplacens Deo, & medullatum holocaustum; quod cum ipsa incenderet, tantùm conscientiæ ministerio vtebatur, ipsáque sine strepitu se ipsam mactans in altari interiori, & ligna, & flammas, & latices congerebat. Altare erat in corpore Filij, Filius carnem, Mater animam immolabat hæc ille. Nam verus amor inter aduersa potiùs, quàm inter prospera illius, qui amatur, suam propriam virtutem exerit, ac demonstrat. At quis Deiparæ Virginis misericordiam in homines effusam, atque illius de salute nostra maternam solicitudinem, & potentissimam pro nobis impetrationem; ac nostram proinde iam nunc ob illius pietatem, ac preces, in Deo fiduciam, vt in seipso quisque nostrum experitur, dignè poterit prædicare?

Ioan. 19.
S. Arnoldus.
B. Maria cōpassio iuxta crucem Filij.
Amor in aduersis demonstratur.
Cura & intercessio B. Mariæ pro nobis.

16. Pulchrè in hanc sententiam idem Arnold. Carnot. *tractat. de laudibus Virgin.* ita scribit: Securum accessum iam habet homo ad Deum, vbi mediatorem causæ suæ Filium habet ante Patrem, & ante Filium Matrem. Christus nudato latere Patri ostendit latus, & vulnera; Maria Christo pectus, & vbera; nec potest vllo modo esse repulsa, vbi concurrunt, & orant omni lingua disertiùs hæc clementiæ monumenta, & charitatis insignia. Maria Christo se spiritu immolat, & pro mundi salute obsecrat: Filius impetrat: Pater condonat. hæc Arnold. Instruxit Rebecca filium, vt à patre benedictionem elucraretur; at Virginis Deiparæ tanta est potentia, vt nobis omnia donorum, ac bonorum genera a Deo impetret. Quid enim Filius Matri supplicanti deneget? Recitò S. Germ. Archid. Constant. *de præsent. Virg. apud Lypp m.* Virginem ita lætus alloquitur: Tu es, ô Domina Dei parens. omnium defensio, omnium lætitia, vehemens omnium gaudium: tu meum refugium, vita, protectio, arma, & gloriatio, spes, & robur meum: habes, sat scio, cum tua voluntate concurrentem potentiam, vt quæ sis Mater Altissimi, & propterea audeo. Ne ergo priuet mea expectatione, ô Domina intemerata, quæ vniuersorum expectationem supra naturam peperisti Deum hæc S German. Iure optimo dicitur *Fons signatus*. Cantic. 4. ex quo, nimirum (vt explicat S. Georgor. Archid. Nicom. *de præs. Virg.*) manant fluenta purissima, & irrigant orbem terræ, in quo limi, qui conturbabat, non sunt deprehensæ reliquiæ, ex quo procedens fluuius gratiarum circuit vniuersam, quæ est sub sole, regionem. sic ille. Nullus quidem est humanæ mentis fons, qui limo, ac luto reatus originalis, non scateat, donec per Diuinam gratiam ab omni fæce depuretur. Sola Virgo Mater (post Filium suum) in ipso suæ immaculatæ conceptionis momento fons signatus extitit; atque ita Diuino munere signatus, & reclusus vt in eum nulla posset labes & macula ab aduersario indici. Nec enim decebat, vt fontem illum, quem sibi candidissimus, ac purissimus Dei Agnus construxerat, prius fœda, tetráque bestia conjecta peccato originali deturparet. Fons hic est, cui adsistit mysticus ille viuicomis, in quo se proluit, de quo bibit, cui suam medicabilem virtutem inspertit, vt pestifer draco non modò nequeat illum attingere, sed potiùs inde procul à conspectu fontis huius propellatur.

S. Arnoldus.
Iesus & Maria pro nobis intercedunt.
S. German.
B. Maria potest & vult benefacere.
Cantic. 4.
S. Georg.
B. Maria sine reatu originali concepta.
B. Maria fōs purissimus Agni Dei.

SECTIO II.

Abijt, & attulit, deditq; matri. Parauit illa cibos, sicut velle nouerat patrem illius. Et vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum. &c. vsque ad *tradidit.*

1. PRimum omnium in hoc matris, & filij stratagemate illud expendi seriò debet, quantam vim habere soleat industria, sine qua paternam benedictionē nequaquam Iacob adipisceretur. Magnum profectò a nobis exigit, etsi validius, & abundantius Diuinæ gratiæ præsidium impendatur: vt simus tantùm cooperatores Dei: illeque licet sine nobis, nos redemerit, nos tamen saluare sine nobis haud velit. Sed hac de re præstat audire S. Chrysost. cuius hæc sunt verba: Considera quomodo omnia superna gratia euenerint. Nam quando quod à nobis est offerimus, largiter Diuinam operationem consequimur. Nam vt ne desides, & supini simus, vult etiam nos aliquid conferre; quò sic sua declaret, & non totum sit superni auxilij, sed oporteat etiam nos aliquid simul afferre. Neque à nobis iterum exigit totum, sciens infirmitatem nostram, sed suam seruans misericordiam, & volens occasionem aliquam accipere, vt suam declaret liberalitatem, expectat, vt afferamus, quæ à nobis sunt. hæc ille. Operanti homini Deus cooperatur. Laborantem hominem Diuina gratia, quæ præstò adest semper, coadiuuat; segnes autem, & desides omnino deserit. Probat igitur S. Chrysost. in præsenti historia suam, & nostram sententiam hoc modo Quare. quia Rebecca, & Iacob fecerunt ea, quæ à se fieri oportebat: & ille quidem obediuit consilio matris; hæc autem omnia, quæ ad se attinebant, impleuit: tunc vltra bonus Dominus perfici fecit magna facilitate, quod omnium erat difficillimum, ne fieret actus istius imposturæ manifestus Isaac. hæc S. Chrysost. Quæ doctrina, & verissima, & optima est: iuxta quam sponsa loquitur: *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Cantic. 1. Scilicet nequit progredi, nedum currere sine Dei gratia: & ideo petit, vt trahatur, non vt portetur, sicut infantulus in sinu, in brachiis gestatur à matre, illa quidem incedente, at ille quietus, sæpéque dormiens. Trahi postulat velut infirma, quæ suo quidem gressu procedit, alterius tamen manu suffulta. Sic verò dicit: Curremus: illa cum Deo, vt gratia Dei, & odore vnguentorum illius mirabiliter attractam, & velut impulsam propria quoque industria, & virtutis operatio commoueat. Sic etiam Dominus admonuit: *Cum ieiunaueris, vnge caput tuum.* Matth 6. Itaque ieiunium commendat, & ieiunium nostrum supponit. Cæterùm, quia quicquid corpus operatur, potiori cum ratione à capite illius prouenit, iubet Dominus: *Vnge caput tuum*, sine quo nec ieiunium, nec aliquod bonum opus efficere potes. *Omne quippe datum bonum, & donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminū.* Hoc sensu verba Domini sic explicat S Bernard. *serm. 1. in cap. ieiun. Vnge caput tuum*, refundens in eum, qui supra te est, quicquid in te est

deuotio

Industria humana exigitur à Deo.
S. Chrysost.
Dei gratia nostrā exigit cooperationē.
S. Chrysost.
Cantic. 1.
Matth. 6.
Iacobi 1.
Dei gratia refertur omne bonum.

deuotionis, quicquid delectationis, quicquid affectionis. *Unge caput tuum*, vt si qua in te est gratia referatur ad ipsum, nec tuam quæras gloriam, sed ipsius. hæc ille.

Diligentia in acquirendis ad gloriam meritis.

2. Laborandum igitur est, vel potiùs collaborandum cum Deo tanta cum diligentia, vt nihil omnino prætermittamus, in quo cooperantes Diuinæ gratiæ hinc inde virtutum, ac meritorum lucrum colligamus. Ne in rebus quidem minutissimis ignauum se, ac desidem ostendebat S.Basil. Icirco de illo scribit S. Gregor. Nazianz. Quæ ab illo velut obiter fiebant, multò præstantiora erant, quàm ea, in quibus alij elaborabant. sic ille, *orat.* 20. Nimirum tanta erat in Basilio sanctitas, vt etiam illius minima facta, dictáque aliorum maximis obscuritatem offuderint. Sed nullum in huiusmodi doctrina S.Chrysost. quam vberiùs explicamus, mihi aliud satius, & gratius occurrit exemplum, quàm quod peti potest ex admirabili Virgine Dei Matre: fuit enim omni creaturæ inexplicabilibus à Deo muneribus dotata, quæ sunt Diuinæ gratiæ beneficia; deinde infinita propemodum, & magnitudine, & numero habuit merita. Vide primum in verbis Archangeli: *Inuenisti gratiam apud Deum.* Luc. 1. At quæ isthæc fuit gratia? Respondet optimè Idiota *tract. de contemp. Virg. cap.* 6. *Inuenisti gratiam*; quia fuerunt in te ab originali culpa præseruatio, Angelica salutatio, Spiritus sancti superuentio, & Filij Dei conceptio. *Inuenisti gratiam*, gratiam corporalem, qua fuisti vas innocentiæ purissimæ, sine macula, & labe; & Virginitatis, sine corruptione fœcunda, sine fastidio grauida, & sine dolore puerpera. sic ille. At secundum, præter internarum virtutum actus, qui excedunt omnem creatam intelligentiam, atque à solo Deo comprehendi explicarique possunt, quanta sit immensitas meritorum in vita actiua Matris Dei, nullus hominum, aut Angelorum complecti poterit.

S Greg. Naz. Perf. in S. Basilij. — D. Chrysost. — *B. Maria gratia & sanctitas omni creaturæ inexplicabilis.* — Luc. 1. Idiota. — *Multiplex gratia in B. Maria.* — *Immensitas meritorum B. Mariæ.*

3. Bene idem pater de hac vita loquens, vti à Deo acceptata, & cælestibus affecta donis in Virgine fuit, ita scribit *cap.* 1. Sicut singularem (ô Virgo Deipara) actiuam a Christo cœpisti vitam; videlicet eius humanam, & Diuinam naturam portare, lactare, lauare, pannis inuoluere, fouere, nutrire, lenire, amplecti, osculari, cæteráque eidem humanitati officia exhibere; sic & dulcedinem suæ Diuinitatis tibi singulariter degustandam indulsit, quia tota pulchra eras, & macula non erat in te. hæc ille. Quæ omnia vitæ actiuæ officia, operáque in suis illis suauissimis, ac modestissimis verbis, *Ecce ancilla Domini*, ipsamet semper Virgo Dei parens dedicauit. In quibus etiam agnosco admiranda maternæ pietatis opera, quæ mortalium generi, pro Dei ipsius obsequio, cuius erat ancilla, vti promisit, sic perenniter impendit. Meritò igitur inclamat S. Ioann. Damasc. *in canon. od. 9. de sancta Trin. tom. 4. biblioth.* O vas luminis verè lucentis; tu sola mortalibus supernaturalium bonorum procuratrix, Dei Mater facta es. Te armaturam infractam hostibus obtendimus, te anchoram, & spem nostræ salutis, ô Mater Dei, habemus. Eos, qui te ex animo Dei Genitricem confitentur, ô Domina mundi, conserua. Te enim Aduocatam inexpugnabilem habemus, quæ verè Dei Genitrix es. sic ille. Quis ergo timeat, si Matris Dei ope suffultum se ac munitum sentiat? Laudemus itaque, votísque omnibus prosequamur Virginem Deiparam cum eodem Damasceno: Castissima Domina, quæ mortalibus gubernatorem Dominum peperisti, tu instabilem, & grauem affectuum meorum turbinem seda, cordique meo se-

Idiota. — *B. Maria Matris officia Christo exhibet.* — Lucæ 1. — *B. Maria pietas erga homines.* — S. Ioã. Dam. — S. Ioã. Dam.

A renitatem affer. Tua puritas, & morum integritas, ô Virgo, sordes, & maculas vniuersi orbis expurgauit. Factáque es causa nostræ cum Deo reconciliationis. Te Creatoris incomprehensibilis receptaculum, immensique loculum magnificamus. Tu fidelium gloriatio es, ô Virgo, tu Aduocata, tu Christianorum refugium, propugnaculum, & portus. Tu omnes, qui te Virginem Dei Matrem in fide, desiderióque cognoscunt, à periculis liberas. hæc omnia S. Damascen. piissimus Deiparæ seruus.

Salutatio & laudatio B. Mariæ.

4. Illud deinde hoc loco discutiendum est, an in toto hoc artificio Rebeccæ, & Iacobi mendacium aliquod inueniatur. Res quidem est valde B controuersa inter Patres, ac doctores. Sunt enim, qui pio affectu patriarcharum facta, & dicta examinantes, non audent quicquam illis maculæ, labisque vitiosæ iniustum arbitrari, sed quid opus est illius, alteriúsque æui etiam viros sanctissimos ita excusare, vt ab omni vel culpa veniali fuisse immunes credantur? Nunquid illi sanctiores Apostolis, qui leuioribus reatibus non caruerunt? Cassæ pietatis, & irriti laboris erit Rebeccam, & Iacobum à mendacio liberare, quorum tota huiusce actionis constructio mera fuit impostora, vt per fraudem illusus, ac proinde inuitus senex ille cæcus benedictionem, quam Esau dare constituerat, Iacobo impertiret. Maximè verò, cum dicat Iacob: *Feci sicut præcepisti mihi*, apertè mentitur ipse, & patrem fallit: illi enim haud tale quippiam pater præceperat: immò tota narrationis se- C rie manifestum est velle Iacobum (idque è matris consilio) persuadere seni filium se esse Esau, non dignitate tantùm, & merito (quod vnum aliqui ad suam sententiam assumunt) verùm etiam persona, quod quidem fraus erat, & mendacium. Quid quod imponit seni, cum illi nititur persuadere se sumpsisse arma sua, pharetram, & arcum, vti pater indixerat, egressum foras in agrum & syluam ad venandum fuisse, feram cepisse; ferinam, quæ hædina erat, carnem in cibos intulisse: quæ omnia sine dubio erant mendacia, si non contra mentem matris & filij, at certè contra mentem patris, cum teneretur ad illius mentem respondere? Igitur satius duco sequi S. Chrysost. D Scot. Lyran. Adrian. Caiet. Lyppom. Delrio, Abul. Honchal. qui omnes asserunt matrem & filium veniali mendacio peccasse. At obiicies mysterium fuisse, ergo non mendacium. Respondeo ex parte quidem Dei fuisse mysterium, ex parte autem matris & filij mendacium. Nec id nouum debet videri, cum similia in sacris literis non pauca videantur: cuiusmodi sunt incestus Thamar, Samsonis fornicatio, immò & adulterium Dauid, secundum allegoriam S. Ambros. S. Gregor. & aliorum, quæ quidem simul, & peccata hominum, & mysteria Dei fuerunt. Porrò autem allatos è grege hædulos matri suæ Iacobus obtulit, vt pararet cibos; quod & illa egregiè præstitit. Mirabilis enim est mulier simulationum, fraudum, menda- E ciorúmque architectatrix tam verbo, quàm opere; quod ingenium à serpente illo animantium omnium callidissimo, cuius colloquio, halitúque delectata pariter, & afflata est, velut imbibitum videtur accepisse. O miseros, qui quotidie ab vxoribus, quarum se in mancipia dediderunt, illuduntur, & excæcantur! Non video huius infelicitatis aptius, atque expressius symbolum, quàm Isaac senem, ac cæcum, aut certè caligantem à Rebecca vxore ingeniosissimè in oculis, in ore, in manibus deceptum. Ah quàm sunt multi, quos alioqui Samsones, ipsæmet quas depereunt mulierculæ

Nullus Sanctorum extra Deiparam caruit culpis venialibus. — *Rebecca & Iacob non excusantur à mendacio.* — *Peccatũ hominis potest esse mysteriũ Dei.* — *Mulier fraudum architectatrix.*

Viri à fœminis illusi, & occæcati.

mierculæ omninò cæcos in pistrinum compegerunt! Fuge serpentem; Euam cum serpente amice loquentem, & serpentis veneno armatam fuge. Enimuerò (vt egregie argumentatur S. Cyprian. *de sing. cler.*) si mulier de viro suo creata vsque hodie ipsum, cui iungitur, tentat: quantò magis illa, quæ copulatur nulla lege coniuncta? Et si illi, qui duo sunt in carne vna coniuncti, tentationibus mutuis inuicem pungunt, quid facient hi, qui in vna carne nec nati, nec iuncti sunt? præsertim, quia nec Deum iam inuocare permittitur, qui charitate alterius auocatur. hæc S. Cyprianus.

S. Cyprian.

Viro serpens mulier.

Amor creaturæ ab oratione auocat.

5. In primis de artificio ciborum illud mirandum valde occurrit? qui potuerit mulier hædinæ carnis saporem, in alium perquam diuersum perdicis, aut lepusculi, aut leporis, & id genus venatici animalis, ita subtiliter transmutare, vt senis palatum deciperet? Gustare senex ratus v.g. perdicem, cum hædus esset, fraudem non deprehendit: atque (vt peracute obseruat Procop.) venationem sentit cibum, vt existimanit Isaacus, ex feris captis paratum, per quem Iacob venatur paternam benedictionem. sic ille. Benè id quidem: sed vnde tamen hic dolus in sapore carnium? Profectò ex condituris, & salsamentis, atque huiusmodi obsonandi artificiis, quorum sunt fœminæ peritissimæ. En quanta vis vxoris ad mitigandum, leniendum & permouendum quocunque velit maritum! Plane si bona, si modesta, si verecunda, si grauis, & solers, si amans mariti; si denique Rebecca sit vxor; vel de saxis (vt aiunt) sapidissima viro suo bellaria conficiet. Probat ipsa quotidiana experientia, pacem & tranquillitatem, lætitiam & amorem totius familiæ maiori ex parte à matre ipsa familiâs prouenire. Sic habet etiam consuetudo innata mortalibus: quæ passim narramus, ita accipiuntur, ita deguftantur, qualem iis narrantis linguæ conditura saporem inducit, non qualem ab ipsa veritate genuinum habent: cuius fraudis egregij sunt artifices, quos ad perniciem mortalium orcus in orbem dimisit, delatores, obtrectatores, maledici, adulatores, sycophantæ.

Procop.

Magna vis in bona vxore erga virũ.

Bonum familiæ ab ip̃a matre.

Impostura maledicorũ.

6. *Igitur vestes Esau.*] חמדת *hachamudoth*, secundùm quosdam apud Hier. *desiderabiles*, Chald. *mundas*. LXX. *pulchras*. Interpres omnia generali voce complectitur, *valde bonas*. Hebræi dicunt fuisse *sacerdotales*, quibus primogenitus vtebatur in sacrificiis; alij nullo id putant niti fundamento: nam Esau rediens si patri cibos intulisset, iis tunc vteretur, sine vlla specie sacrificij, quod Iacob voluit æmulari. Potiùs dixerim has pretiosiores vestes induere solitum primogenitum in festo aliquo, aut die, aut actu celebriore, cuiusmodi nunc erat acceptio paternæ benedictionis. Hinc videtur colligi Iacob, etsi matri esset potior in amore, non similes habuisse vestes. Forte quia virtutem potiùs animæ, quàm corporis cultum curabat Iacob, nihil huiusmodi vestium habebat. Auersantur enim viri iusti, vt loquitur Tertull. *lib. 1. ad vxorem, cap. 3.* vestium tædia. Proh quàm molestum, ac fastidiosum est istud delicatulæ generis studium vestiendi! Amans domestici secreti Iacob lautiorem ad publicam ostentationem non requirebat amictum, sicut Esau quietis impatiens, & vagari assuetus. Sic enim (scribit S. Petr. Dam.) pedes illoti, manus neglectæ, inculta cæsaries, quasi quædam anchora est monachi in cella iugiter permanendi. E diuerso accurata delicati corporis compositio, fomes est & occasio in publicum prodeundi. sic ille, *apolog. de cont. secul. cap. 15.*

Elegantium vestium tædia.

Tertull.

Incuria vestis fouet secretum domus.

S. Pet. Dam.

Vestium cultus publicum amat.

A at in hoc accurato corporis cultu vestium nitor, & luxus priorem locum habet. Eas verò vestes pater Esau, vtpote primogenito donauerat; quod ita Caiet. obseruat. Hinc apparet quanta differentia erat inter Esau, & Iacob. Ille namque primogenitus vestibus vtebatur (vt in Hebræo dicitur) desideratis, quas interpres appellat valde bonas; iste autem vestibus, quæ desiderabiles, vtpote pretiosæ, & raræ, carebat. Et insinuatur mos, qui etiam hodie seruatur in locis, vbi solus primogenitus est hæres. Fratres enim & in vestitu, & in cæteris habentur fere, vt famuli. hæc ille. Sed proh quantum Esau illæ tam delicatæ, ac pretiosæ vestes nocuerunt, quibus nimirum alter amictus, ac veluti armatus primogenituram misero abripuit!

Caiet.

Fratres velut serui ad primogenitũ.

B ratò vnquam huiusmodi vestium luxus grauem perniciem non importat. An non diues epulo ex purpura, & bysso, quibus ad ambitionem, & delicias induebatur, ad infernum sepeliendus descendit? *Luc. 16.* Si enim (quod bene obseruat S. Gregor.) subtilium, pretiosarúmque vestium cultus, culpa non esset: nequaquam sermo Dei hoc tam vigilanter exprimeret: *Induebatur purpura & bysso*. sic Pontifex, *homil. 40. in Euangel.* Inductus quidem est vestium vsus (vt Tertull. loquitur) primùm tegendo homini, quasi necessitas præcessisset: deinde & ornando, immò & inflando, qua ambitio successit. sic ille, *lib. de pallio cap. 3.* Itaque quod subleuandæ necessitati primò est inuentum, auctum subinde fuit ad ornatum, ad ambitionem,

Periculosus vestium luxus.

Lucæ 16.

S. Gregor.

Quorsum vestes inuentæ.

Tertul.

C ad delicias, ad ostentationem, atque adeò ad fœdissimarum turpitudinum fomentum pariter atque incitamentum. Hanc primogeniti excellentiam super omnes fratres quam diximus in Esau extitisse erga Iacobum S. Paulus videtur insinuare, cum sæpius de Christo Domino loquitur, quem appellat Primogenitum omnis creaturæ, & Primogenitum in multis fratribus.

7. Cæterùm, solus ille verè, ac propriè Filius est Dei Patris; at cæteri prædestinati, vt filij tantùm sunt adoptiue Patris, ita fratres Christi non natura, sed adoptione vocantur. Eadem veritas Catholica, & infallibilis procedit in Christo Domino, vt est naturalis Filius beatissimæ semper Virginis Mariæ: est enim Filius vnicus naturalis

Fidelium primogenitus frater Christus.

D Matris suæ; cæteri autem iusti, non nisi per adoptionem filij dicuntur Virginis Matris, habéntque in eo sensu fratrem primogenitum eundem Christum Dominum. Qui verò in Euangelio fratres Domini dicuntur, vti Iacobus, phrasi consuetæ scripturis, sunt cognati illius, quod iam adnotauimus: vnde verò ea fuerit cognatio, non omnino certum est. Hic fortè dicendi modus facilior, ac verosimilior erit. Nimirum Alphæus fuit frater sancti Ioseph sponsi Deiparæ semper Virginis, qui ex Maria filia Cleophæ suscepit Iacobum, Iosephum, Iudam, & Simonem, qui appellantur fratres Domini, scilicet consobrini putatiui, eo quòd Ioseph pater fuit putatiuus Christi Domini. Hæc obseruatio facta post multam, sc

Vnde fratres Domini appellantur.

E námque diligentiam placuit Lyppom. *tom. Sanct.* cum de sermonibus in beatam Virginem editis ageret. Quod autem Alphæus pater fuerit Iacobi, euidens est in Euang. Matth. 10. vbi legitur *Iacobus Alphæi*. Communi quippe Hebraismo pater significatur ille, cuius aliquis dicitur, vti Simon Ioannis, & cæteri, quos recenset Luc. 3. *Qui fuit Heli, qui fuit Mathat, &c.* excepto illo vno loco Luc. 6. in quo Iudas Iacobi dicitur, non quidem filius, sed frater; sic enim se ille consueuerat appellare, vti constat ex illius canonica: *Iudas Iesu Christi seruus, frater autem Iacobi*. Fuisse autem

Lyppom.

Matth. 10.

Lucæ 3.

Lucæ 6.

Iudæ 1.

S. Ioseph sponsus B. Mariæ Virgo extitit.

tem illos filios sanctissimi Iosephi, aut viro huic admirabili plures fuisse vxores est omnino improbabile: quin certum mihi habeo, quod hodie in Ecclesia celebre iam habetur; sanctum Iosephum virginem (vti decebat sponsum purissimæ Virginis Deiparæ & patrem Christi putatiuum) tota vita extitisse; vti docet Abd.Babyl. *in vita SS. Apost. Simonis, & Iudæ.* S.Hieron. *contra Heluid. de perpetua Virginitate.* S.August. *serm.14. de Natiuit. Dom.* Rupert. *in 1. Matth.* Hugo Victor. *in Epist. ad Galat. quæst. 5.* & alij ex antiquis: recentiores sanè omnes. Illa etiam valde probabilia videntur, quæ S. Epiph. aliíque tradunt: scilicet Virginem Deiparam Mariam, Elizabeth matrem Ioannis Baptistæ, Mariam matrem Iacobi, & fratrum, ac Salome matrem filiorum Zebedæi, videlicet Iacobi & Ioannis, consobrinas inter se fuisse, filias nempe sanctissimæ Annæ, & trium illius sororum de oppido Bethleem. Quare Christus Dominus, Ioannes Baptista, Iacobus & Ioannes, Iacobus, Ioseph, Iudas, & Simoo nati ex consobrinis hebraismo consueto fratres vocabantur.

B. Maria tres habuit consobrinas.

8. Sed iam ad vestes Esau reuertamur: asseruabantur illæ à matre in arca sepositæ, non quidem vnguentis delibutæ, vt quidam voluit confingere: luxus enim vnguentorum post Moysem apud Iudæos cœpit; nec illius vestigium inuenitur antiquius: sed (vt etiam vsitatissimum est) inter odoramenta, flores, herbulas, radices suaue olentes tenebantur; agri enim vernantis non vnguentorum, fragrantiam redolere seni cæcutienti visæ sunt, vt infra scribitur: *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, &c.* Mysterium quod in his vestibus significatur, illud inter Patres circunfertur de fide scilicet, & scripturis, quæ fuerant populi senioris Iudæorum, sed eas ex arca, in qua tenebantur absconditæ, iunior populus Christianorum cum benedictione pariter Dei sibi vindicauit. Sic igitur S.Hieron. *Epist. ad Damas.* disserit. Vestes Esau, fides, & scripturæ sunt Hebræorum, quibus gentilium indutus est populus. S.Gregor. *homil. 6. in Ezech.* Quid est, quòd vestimentis fratris maioris induitur Iacob, nisi quòd sacræ scripturæ præceptis, quæ maiori populo data fuerant, in bona operatione vestitus est? & eis iunior in domo vtitur, quæ maior foras exiens, intus reliquit; quia illa gentilis populus præcepta tenet in mente, quæ Iudaicus populus habere non potuit, dum solam in eis literam attendit. hæc S.Gregor. Vberiùs in eodem sensu hæc euoluit S. Ambros. *lib. de Iacob. cap. 2.* Ideò stolam accipit fratris sui, quia senili præstabat sapientia. Ideò iunior frater seniorem fratrem exuit, quia fidei emicuit dignitate. Hanc stolam Ecclesiæ typo Rebecca protulit, & dedit filio iuniori stolam veteris testamenti, stolam propheticam, & sacerdotalem, stolam illam regalem Dauidicam, stolam Salomonis, Ezechiæ, & Iosiæ regum, & dedit populo Christiano. ita S. Ambros. Et quidem meritò ablata est hæc stola fidei, & scripturarum à populo Iudaico, quippe illam indignè gestabat, nec illa misero ad ornatum, sed ad ignominiam ob prauum vsum inseruiebat, data verò est Christiano populo: Qui (adiungit S. Ambros.) vti amictu sciret accepto; quoniam populus Iudæorum eam sine vsu habebat, & proprios nesciebat ornatus. Iacebat hæc stola in vmbra abiecta, atque neglecta: obscurabatur enim tenebrosa impietatis caligine, nec in angusto populi Iudaici latiùs poterat explicari. Induit eam Christianus populus, & refulsit, illuminauit eam suæ fidei claritate, & piorum luce factorum. Hæc S.Ambros.

D. Hieron.

D. Gregor.

Fides & scriptura à Iudæis ad Christianos translata.

S. Ambros.

Indigni scriptura, & lege Iudæi.

9. Magnum sanè ornamentum Ecclesiæ Christianæ afferunt Diuinæ literæ, quas Spiritus sanctus per Apostolos, Doctorésque suos dilucidè, atque euidenter nobis aperuit, easdem Iudæis clausas reliquit, dum miseris infidelitatis velamen oculos tenet obtectos. Neque verò tantùm ad ornatum, sed etiam ad munimẽtum, & medicamentum eas idem Spiritus suis fidelibus proposuit, vti S.Ephrem. *serm. de patient. & comp.* ita effatur. Deus noster infirmitatem mentis nostræ & versutiam aduersarij sibi exploratam habens, sacras nobis donauit scripturas, veluti armentaria, atque thesauros medicamentorum. sic ille. Ac nobis etiam quodammodo sunt reconditæ quoad multa, & subtilia mysteria, quæ in eis latent. Nihil enim (inquit S.Chrys. *homil. 18. in Genes.*) temere, vel fortuitò loquitur scriptura Diuina; sed & syllaba, & apiculus vnicus reconditum habet thesaurum. ita Chrysost. Cæterùm ad medicinam animarum, quæ ex Diuinis scripturis peti solet, illud Ezechielis volumen spectat, *in quo* (vt legimus *cap. 2.*) *scripta erant lamentationes, & carmen, & væ.* Quorsum verò ea volumen, hoc est, Diuina scriptura continet? hoc modo interpretatur Origen. Carmen pro sanctis; lamentum pro peccatoribus non desperatis: væ puniendis. sic ille. Videlicet in Diuinis literis commendantur virtutes, atque illarum studiosi, sanctíque viri & præmiis donantur, & laudum præconiis efferuntur. Deinde peccatores inuitantur ad pœnitentiam, venia illis, & misericordia promittitur, si vitia exuere, melioremque viuendi rationem amplecti velint; denique impiorum contumacia perstringitur, ac Diuini iudicij vltio minabunda, sempiternique supplicij vorax incendium indicitur impœnitentibus.

Scriptura Christianis donata.

S. Ephrem.

S. Chrysost.

Scriptura mysteriis repleta.

Ezech. 2.

Origen.

Vtilissima hominibus scriptura.

10. Vestis etiam, qua tegitur corpus, Diuinam significat protectionem, vt ex illo Exodi colligitur. *Videns Moyses populum, quod esset nudatus; spoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, & inter hostes nudum constituerat.* c. 32. Quæ spoliatio, & nudatio non solùm erat vestium, quibus exuti ante vitulum aureum colludebant, & auri quod ad conflandum idolum libenter dederant; sed potiùs etiam Diuinæ protectionis, qua denudati Hebræi, propter immane illud sacrilegium, inter illas hostiles, & bellacissimas gentes exponebantur Hac veste Diuini præsidij destituta omnino est natio Iudæorum, qui adhuc in sua infidelitate obnixi perseuerant: quo præsidio verus Iacob, hoc est, dilectus Deo populus Christianorum ornatur pariter, ac protegitur. *Ecce relinquetur* (ad Iudæos dictum est) *vobis domus vestra deserta.* Matth. 13. ac de gentibus Dominus ipse per Malachiam testatur: *Magnum est nomen meum inter gentes, & vbique sacrificatur nomini meo.* Malach. 1. Cum Dominum Iesum inter satellites vinctum ante se haberet Caiphas Pontifex, vti scribit S. Marcus: *Exurgens summus sacerdos in medium interrogauit Iesum, &c.* c. 14. & Matth. 26. *Surgens princeps sacerdotum ait illi.* deinde scidit vestimẽta sua secundùm Matth. *Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, &c.* cap. 26. in vtroque miserabile Iudæorum exitium designauit. Sic enim Leo Papa *serm. 6. de Passione,* significauit, cum vestimẽta disrupit, disrumpendum esse sacerdotium Iudæorum, quemadmodum cum è cathedra surrexit adumbrauit solium Iudæorum sacerdotale vacuum absque pontifice deserendum. Meritò vacua est sedes Iudæorum, qui summum Pontificem Christum repudiarunt: plena sacerdotalis sedes Christianorum, quia illum receperunt. hæc S.Leo. Ad

Exod. 32.

Vestis protectionem Dei significat.

Iudæi Diuina protectione destituti.

Matth. 13.

Marc. 14.

Matth. 26.

Caiphas significauit exitium Iudæorum.

S. Leo.

Iudæi absque sacerdotio.

D. Hieron.

eundem etiam locum ita S. Hieron. Vestis Saul, & quem de solio sacerdotali furor excusserat, eadem rabies ad scindendas vestes prouocat. Scidit autem vestimenta sua, vt ostendat Iudæos sacerdotij gloriam perdidisse, & vacuam sedem habere pontifices. hæc S. Hieron. Idem in 14. Marc. *Summus sacerdos scidit vestimenta sua*, hoc est, *Ephod*, in quo habebant honorem Iudæi amiserant. *Sic adest Samuel scisso pallio de manibus Saul*, id est, *regno*. 1. Reg. 15. milites gentiles non scindunt tunicam Christi. hæc S. Hieron. quæ venerabilis Beda vberiùs explicat, sic inter alia adiũgens. Altiore mysterio factum est, vt in passione Domini pontifex Iudæorum sua ipse vestimenta disciderit; cum tunica Domini, nec ab ipsis, qui eum crucifixerunt militibus scindi potuerit. Figurabatur enim quòd

1. Reg. 15. Beda.

B sacerdotium Iudæorum pro sceleribus eorum esset scindendum, & a suæ statu integritatis omnino soluendum: soliditas verò sanctæ vniuersalis Ecclesiæ quæ vestis sui Redemptoris solet appellari, nunquam valeat disrumpi. hæc ille. Vno verbo complexus omnia Dominus edixit Iudæis: *Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius*. Matth. 21. Significat præterea vestis, vti ornat, ac tegit, sanctos ipsos, quorum virtutibus ornatur Ecclesia, & protectione defenditur, ac munitur, quod Dominus eidem promiserat: *Leua in circuitu oculos tuos, & vide: Omnes isti congregati sunt: venerunt sibi. Omnibus his velut ornamento vestieris, & circumdabis tibi eos, quasi sponsa*. Isaiæ c. 49.

Ecclesia Christi perpetua.

Matth. 21.

Isaiæ 49.

Sancti præsidio sunt & ornamento.

C Haud dubiè loquitur de sanctis viris, qui & ornamento, & præsidio sunt Ecclesiæ. Optimè ibi animaduertit S. Hieron. Felix (inquiens) qui tanti meriti est, tantæque virtutis, vt ornamentum dicatur Ecclesiæ. sic ille.

D. Hieron.

B. Maria ornamentum & munimentum Ecclesiæ.

11. At verò nullum nec pulchrius ornamentum, nec firmius, validius, ac potentius munimentum Ecclesia habet, quam (post Deum) Matrem ipsius semper Virginem. Illa est omnium, quæ Diuina sapientia architectata est, & clarissimum, & pulcherrimum, & vtilissimum opus. Filium eius semper excipimus. Meritò illam S. Andreas Cretens. *de annunt.* his verbis salutat: Aue, gaude, ornatissimum Diuinæ gloriæ templum, sacrosanctum regis palatium; thesaure vitæ immortalis; gaudij mater sempiterni; cælum, in quo sol gloriæ splendet; spiritale præcognitionis perspicuæ

S. And. Cret.

B. Maria encomia.

D speculum. Benedicta tu, quæ cælestem thesaurum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei reconditi, in sancto Virginitatis tuæ penu, sine angustia comprehendisti. hæc ille apud Lyppom. *tom. de Sanctis*. Expende quàm sit admiranda Virginitas, vt puellæ vterum reddat latum, & capacem ad habitationem Dei, qui licet toto orbe comprehendi nequeat, in Virginis vtero inclusus non arctam, nec angustam suæ infinitæ maiestati senserit mansionem. Quid pluribus contendam ostendere quale sit mundo ipsa Virgo Dei Mater ornamentum? Satis mihi fuerit dicere, illam esse Virginem, de qua natus est IESVS Deus homo.

Admirabilis B. Mariæ vterus.

E Quid verò clarius constat, & magis quotidianis experimentis comprobatur, quàm quòd illa nobis sit (post Christum) vnicum perfugium, patrocinium, propugnaculum, & munimentum? Est illa nobis (inquit Euthym. de Zona virg. apud Lyppom.) ad indeficientem proposita opem, & salutem. Respice igitur (ô Domina) seruos tuos. in te enim omnem spem nostram collocauimus: & in te viuimus, & gloriamur, & sumus. Scimus autem fore, vt in hac nostra non frustremur expectatione: tua enim sumus hæreditas. O Virgo ad te manè surgere, & confugere nunquam nos piguerit.

Euthym.

Mira fiducia hominum in B. Maria.

A hæc ille. Tam certum quippe in Virgine Matre patrocinium est mortalibus, vt neminem pigeat ad eam confugere, nemo ipsam inuocando, & precibus solicitando confundatur. Nec verò est, quòd quis vereatur accedere ad hoc Diuinæ reconciliationis cum genere humano propitiatorium, licet innumeris, & grauissimis pollutum se videat sceleribus. Idcirco enim illa nobis a Deo data est Mater misericordiæ, vt eam miseris materno affectu largiatur. Non est igitur, quòd illa auersetur, & fastidiat hanc suam, quam à Deo suscepit, colendam, & mundandam, ac ditandam hæreditatem. Pulchrè siquidem dixit Euthym. Tua sumus hæreditas, ô Virgo Dei Mater. Profectò abiens in cœlum Dominus Iesus, qui promiserat fidelibus

Nos sumus hæreditas B. Mariæ.

Euthym.

B suis, *Non vos relinquam orphanos*: nullum nobis maius (post suum Corpus in sacrosancta Eucharistia) patrocinium, & præsidium reliquit, quàm semper Virginis Matris suæ, cui nos commisit, tutelam, ac maternam pietatem. Hoc est illud pallium, quod in altum auolans discipulo suo Helias demisit, cum quo simul accepit Eliseus duplicem spiritum. 4. *Reg. cap.* 2. Et quidem apposite Virginis Deiparæ virtutem pallio Heliæ significatam accipio: quippe (vt Theodor. tradit *q.* 8. *in* 4. *Reg.*) erat pellis ouina scilicet; scilicet ex pelle, velleréque ouis, amiculum instar pallij. O egregium, ô pulchrum, ô pretiosum pallium, quod ex illa candidissima, & mitissima Oue, quæ Agnum Dei peperit, nobis è cælo demissum est simul cum dupli-

Ioan. 14.

Summũ post Christũ in B. Maria præsidium.

4. Reg. 2.

B. Maria pallium Eliæ.

Theod.

C ci spiritu, hoc est, duplicato præsidio Matris Dei ad bona tum corporis, tum animæ, & tam in vita, quàm in morte. Est enim (inquit Euthym. loco indicato) semper perennis scaturigo eius miraculorum. Denique, ne hoc etiam non dicatur: Vestes Esau (ait S. Bernard in sentent.) honestas vitæ, & maturitas disciplinæ. Has Rebecca (vt loquitur Rupert.) hoc est Mater gratiæ apud se repositas tribuit Filio charissimo. Nimirum Virgo Mater gratiæ, immò & gratia ipsa, ac venustas nostræ naturæ, (vt cum S. Damasceno dicamus) cum omnia bona suis fidelibus seruis elargitur, tum maximè duo hæc illorum mentibus imprimit, honestatem scilicet vitæ, & maturitatem disciplinæ: quos ab omni lasciuia castos, & in vera sapientia maturos,

Euthym.

Fon. miraculoris perennis B. Maria.

S. Bernard.

Rupertus.

S. Io. Damasc.

Castos, & maturos B. Maria suos requirit, ac reddit seruos.

D ad suum ipsius obsequium, & Filij sui esse requirit.

12. Quia verò Esau hirsutus, ac pilosus erat, & Isaac, vt cæcorum mos est, haud dubiè accedentem filium, quem oculis dignoscere non posset, manibus erat attrectaturus: idcirco mater hœdinis vsa pelliculis horridum, & setigerum Esau conatur ementiri: nimirum manibus Iacobi pelliculam circumuoluit velut chirothecas, ea tamen ratione, vt exterior manuum, & digitorum pars esset pilosa, interior vola glabra, lenisque maneret. *Simili figmento nuda colli*, vt interpres sequutus LXX. vertit, Hebraicè autem, *molliciem colli*, חלקת *chelqath*, imitata mater, filium muniuit contra cæcutientis attrectationem, aptauitque (vt

Dolus Iacobi pellibus vsi.

E loquitur S. Prosper) eum, qui erat, vt posset videri qui non erat: tanquam iam nobis illum figuratum ostenderet Christum, qui accepit, non carnem peccati, sed similitudinem carnis peccati. sic ille, *lib.* 1. *de prom. & præd. c.* 21. Ac meritò quidem ille pilosus, & hirsutus magis animo, & moribus, quàm corpore benedictionem patris amisit, qui vt suprà visum est, cum suis vxoribus parentes suos impia quadam amaritudine repleuit. Eam verò, vti promeruit, sic adeptus est Iacob leni, & blando animo, & corpore parentum egregius amator, ad pietatis filiorum erga parentes im-

S. Prosper.

Iacob pius in parentes.

mortale

mortale documentum. Qua de re præstat audire

A

S.Cyr.Hier.
Parentibus non sumus soluendo.

S.Cyrill.Hierosf.*catechef.7.* in hunc modum: Christianorum est placida prima pietas honorare parentes, & labores educationis rependere atque omni studio, quæcunque ad quietem illorum pertineant, curare. Quamuis enim eiusmodi plurima illis reddiderimus, sed rursus generare eosdem nequaquam poterimus. Vt ipsi per nos quiete fruentes, benedictiones in nos congerant, quales Iacob prudenter rapuerat. hæc ille. Communis est inter patres mystica interpretatio duorum populorum Iudaici, & Gentilis, aut Christiani potiùs è gentibus congregati; quos Esau, & Iacob fratres præfigurarunt. Quo in sensu præsens

S.Gregor.

mysterium pelliculárum sic euoluit S.Gregor. *homil.6.in Ezechielem.* Quid est, quod Iacob manus,

B

ac brachia, & collum hœdinis pellibus texit, nisi quòd hœdus pro peccato offerri consueuit? Et

Confessio Christiana propria.

gentilis populus carnis quidem in se peccata mactauit, sed coopertum se peccatis carnalibus confiteri non erubuit. hæc Pontifex. Hœdum in manibus portat Iacob, non quidem viuum, sed excoriatum iam, immò & pellem illius tantummodo, cum peccata iam per dolorem compunctionis, & vitæ melioris propositum ad confessionem asportat, pudore omni deposito, qui peccantium ora interdum compescit, mutáque reddit: nam quæ in manibus portamus, publica facimus, & exponimus.

13. Quocirca obluctandum semper est aduersus inimicum, qui pudorem illum importunum,

C

Pudor confessionem impediens.
Perniciosus pudor confitendi.
B.Pacian.

ad præpediendam sacramentalem confessionem semper ingerere conatur. Quàm verò id sit non modò perniciosum, sed planè stultum, sic B.Pacian.*parænes.de pœnit.* ostendit: Peccator erubescet perpetuam vitam præsenti pudore mercari? & offerenti manus Domino vulnera malè tecta subducet? & habet aliquid, quod in illo erubescat, qui Dominum læsit? An sic illi melius est perire, ne tu pudore timidus, sine pudore moriaris, non faciens pudori locum, plus de detrimento eius acquiras, cui pro te melius est perire? hæc Barcin.Episcop. *tom.1. Biblioth.PP.* Hunc tamen pudorem, quem in manibus pœnitens non habet, in collo, & ceruicibus gerat necesse est: pudeat, pudeat hominem, *cuius cicatrices putruerunt, cuius iniquitates*

D

supergressæ sunt caput illius, & sicut onus graue

Psalm.37.
Bonus pudor ad confessionem instigat.

grauatæ sunt super eum. Psalm.37. Hic quidem animæ saluberrimus pudor in vltionem peccati excitatur: hominem ad confessionem instigat, vt peccator confessus, ac ritè expiatus sordes suas abluat, non vt à confessione retardenit. Vide qoid

S.Greg.Nys.

præstet hic pudor, vti eleganter disserit S.Gregor. Nyss.*in Psalm.6* Conscientia mentem pudore sugillat, peccatorem pudor castigat. Inimicorum sensuum, atque cogitationum per pudorem abolitio contingit. Pudor intrinsecus efficit abolitio-

Mirabiles effectus boni pudoris.

nem animi conceptus, & sensus. Pudor ob vitam malè actam, ab homine peccatum veluti muro per sese dirimit, atque discludit. Pudor auertit inimicos, videlicet domesticos hominis, qui ex

E

corde procedunt, & inquinant hominem. hæc ille. Mirabiles sanè sunt affectus huiusmodi pudoris in peccatore, qui rubore suffusus suam ignominiam erubescens, atque icciroo demisso capite faciem humi prouoluens ad confessionem sacramentalem accedit. Præterea geruntur in manibus scelera hominis, vti exuuiæ fœtentium, ac lasciuien-

Cõfessio gratum Deo sacrificium.

tium hædorum, vt in sacramento pœnitentiæ immolentur, quod sacrificium Deo est qoàm gratissimum: cuius figuram gerebat leprosi anti-

Euseb.Emis.

qua immolatio, quam ita explicat S.Euseb.Emiss.

A

in 8.Matth. Præcepit Moyses, vt leprosus quando

Leuit.14.

mundatur, offerat pro se duos passeres viuos; & vnum immolet, alterum in agrum auolare dimittat; qui mundatur, corpus & animam Deo reddat, vt iam non mundi voluptatibus, sed Deo seruiant. Qui bene viui offerri dicuntur, quoniam de morte ad vitam transferuntur. sic ille. Viui passeris, atque in agrum dimissi explicat allegoriam de homine scilicet per gratiam viuo, & corpus, animámque in Dei obsequium offerente. De altero passerculo qui tradebatur in holocaustum, ita disserit. Passer qui immolatur, corpus est. Hic est igitur rectus pœnitentiæ ordo, vt quicunque

Cõfessio cum debita satisfactione.

mundandus ad Deum venit, priùs seipsum totum offerat: carnem, quæ peccauerat, in seruitutem

B

redigat, & affligat: animam verò iam libertate donatam ad cœlestia contemplanda volare dimittat. hæc Euseb. Itaque qui ritè, atque integrè scelera sua confessus fuerit, vt Deo pro culpis aliqua ex parte in hac vita satisfaciat, corpus suum operibus seuerioris mortificationis affligat, & castiget, quod est excoriati hœdi pelles in manibus portare.

14. Symbolum etiam gerit hœdus non in sacris modò literis, sed etiam in profanis, omnis lasciuiæ, atque libidinis; quare summo studio nitendum est, vt petulcæ bestiæ intemperantissimi comprimantur motus, & velut exollitur omnis inuerecundia, quo sacrificio mirum est, quanta cælestium bonorum abundantia Dei benedictio

C

in hominem infundatur. In quam sententiam scitè admodum scribit S.Prosp.*lib.3.de vita cont.c.7.*

S.Prosper.
Numerosa triumphorum seges in tentationibus.

sic inquiens: Exectatione peccati refrænare inquietos carnis affectus, est castitatis consummatæ fastigium; non quòd animus vnquam desinat in hac carne cum vitiis habere conflictum, sed quòd eum alat, ac prouehat, & quantum fieri potest, in præsenti vita perficiat ipsa numerositas triumphorum. ita Prosper. Falluntur, qui cum sese Dei obsequio manciparint, ac studiosiùs ad perfectionem vitæ sanctioris adspirare contenderint, nimia perturbatione anguntur, & tantum non in desperationem demerguntur rati desertos se à Deo esse, quod se videant fœdis, atque importunis libidinosæ tentationis compungi stimulis:

D

sciant se à Deo non deseri, non puniri: amans illorum Dominus, numerosam illis triumphorum segetem attribuit: *Vincenti enim datur manna absconditum: & non coronabitur nisi qui legitimè certauerit.* An non hac via laboriosa, & spinis consita Dominus omnium incessit? *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Idem planè

Apocal.2.
2.Timot.2.
Vita tentationibus plena.
Luc.24.

spiritus (vt testatur S.Petr.1. *Epistol.cap.1.*) prænunciauit eas, quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias. Has nimirum ex illis consequutas. Etenim vbi *abscissus de terra viuentium,*

S.Petr.1.c.1.
Passio Christum reddidit gloriosum.

iuxta Isaiam 53. inde sic in altum exsurrexit, sic

Isaiæ 53.

floruit, sic opacitate ramorum latè diffusa totum occupauit orbem, vt admiratus Propheta dicat: *Generationem eius quis enarrabit?* legunt alij: *resur-*

E

rectionem eius. Igitur quia in passione abscissum germen est, ideo *erit germen in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis.* Isaiæ 4. Exclamat

Isaiæ 4.

ergo ad ea verba S.Aug. Noli contemnere quod

D.August.

abiectum est: inde processit, quod miraris sic Aug. 50.*homil. hom.3.* Itaque passio euehit ad gloriam

Gloria ex passione.

Afflicti, & captiui Hebræi mysterium fortè ignorantes in salicibus organa sua suspenderunt. Etenim inde noui cantus erant futuri, vbi canendi instrumenta suspensa conticuerunt. Salix quippe discissa mirum in modum reuirescit, cui depictæ, vti securibus detruncatur, quidam symbolicè in-

scripsit: *Per damna, per cædes.* Simile quid alius syluam croci depingens adiecit: *Calcata viresco.* Sed illud sacratius symbolum: *Nardus mea dedit odorem suum.* Cantic. 1. Nardus enim, quò magis

Cantic. 1.
Fructus ex mortificatione.

confricatur, & conteritur, eò fragrantiorem spirat odorem. Ne verò quis à me inuentam arbitretur harum pellium significationem, audiat S.Bernard.

S.Bernard.

qui *in fine*. sic ait: Pelliculæ hœdorum Iacob, abiectio noxiæ vetustatis, & mortificatio propriæ voluntatis. hæc ille. Latiore autem typo hœdinas hoc loco pelles accipi pro peccatis omnibus vtriusque populi Iudaici, & Gentilici celebre est apud Patres: iu quo sensu post S. Hippolytum martyrem, & S.Hieron. S.Isidorus ad hunc locum

S.Isidor.
Christus peccata nostra portauit.

ita contestatur: Pelles quæ Iacob brachiis circundatæ sunt, peccata vtriusque sunt plebis, quæ
B
Christus in extensione manuum cruci secum pariter affixit. Ipse enim in corpore suo non sua, sed aliena peccata portauit. hæc Isidor. Pulchrè

D. August.

S.Aug. per hœdos intelligit peccatores, quos venit Dominus vocare ad pœnitentiam. Vocat (inquit) hœdos; sed non vt perseuerent hœdi. Occidit illos Iacob, & præparauit inde epulas patri suo, id est, ad intelligentiam spiritalem, &c. sic ille.

Christus ex hœdis fecit agnos.
Prælatus patienter ferat.
S August.

Scilicet Dominus ex hœdis fecit agnos, ex peccatoribus iustos. Idem in Iacobo Prælatum intelligens, Portat (inquit) aliena peccata, & portat cum tolerantia, quamuis aliena. Hoc est enim habere pelles hœdinas, id est, patienter aliena portat, non hæret suis, &c. hæc Aug. *serm. de Iacob, & Esau 44. de diuersis, cap.* 18. *&* 16. Deoique Re-
C
becca panes, quos ipsamet coxerat, & carnes hœdorum sapidissimo artificio conditas Iacobo filio tradidit, vt senem de venatione Esau expectantem cibos apposita priùs mensa, & pasceret, & illuderet, atque ab eo benè pasto, & illuso benedictionem paternam præriperet.

SECTIO III.

Quibus illatis, dixit: Pater mi? At ille respondit: Audio. Quis es tu fili mi? Dixítque Iacob: Ego sum primogenitus tuus Esau, &c. vsque ad *expresserant.*

1. APponit Iacob patri mensam, inférque cibos, atque blande patris nomen compellans precatur, vt accumbat, & comedat, vt denique post cibum filio suam benedictionem dignetur impertire. Sum enim (inquit) filius tuus primogenitus Esau, qui too iussu abij rus, feram cepi, veni, coxi in cibos. Iam de mendacio horum verborum *sup. sect.* disputauimus. Miratur senex quid sit, cur paulò antè domo egressus iam venatus fuerit prædam, cæteráque ad mensam tam citò parauerit. Respondet ille, Diuina hoc prouidentia factum esse, vt ex animi sententia cuncta è vestigio succederent. Rectè considerat S. Chrysost.

D. Chrysost.
E

Iacobum anxietate metúque plenum patri omnia illa dixisse. Stabat (inquit) Iacob in angustiis, augebatúrque plurimum timor eius. Verùm hæc omnia propterea facta sunt, vt discamus rebus ipsis, quòd non simpliciter Dominus suam declaret solicitudinem, & prouidentiam, nisi viderit & nostrum accedere feruorem. hæc S Chrys. de quo argumento sæpius iam disseruimus. Suaoi enim

Tentatio & probatio præcedunt Dei dona.

Dominus gratiam confert, sed nostram tamen industriam exigit, immò & probationem; vt tentationibus, timoribus, & anxietatibus exerciti, gloriosiùs Diuino munere afficiamur. Decreuerat

A
Dominus suam illam dilectam Sponsam ita sua præsentia recreare, vt illa Sponso inhærens, omnem deinde timorem abiiciens, sed velut nunquam amplius interituto gaudio prorsus delibuta gloriaretur: *Inueni (inquit) quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.* Cantic. 5. At ô bone

Cantic. 5.
Probationibus virtutes & merita resplendent.

Deus, quàm variis illam Sponsos, & quam seueris probationibus exercuit! Noctu euocauit, domo extulit, per vicos, & plateas circumeuntem trahebat desiderio, non manu: fugientem enim dilectum diligens errabunda quærebat: deinde quoquouersum vadentem custodes murorum deprehendunt, spoliant amictu, percutiunt, vulnerant. Paululùm ergo pertransiens inuenit amorem suum. Quorsum hæc omnia? Nimirum (vt

B
S.Ambros.

obseruat S Ambros.) percusserunt eam, vt amplius probaretur, exercentur enim animæ tentationibus. Nudatur pallio, cum eius conscientia manifestatur. Non otiosè autem pallium eius sublatum intelligis, vt aperta meritis & nuda fulgeret. hæc ille, *lib. de Isaac. cap.* 6. His ergo tentamentis probatum, manifestúmque fuit, vèrè illam atque ardenter sui Domini amantem extitisse; Deique singulare beneficium, quo tandem est affecta, puræ conscientiæ, vehementi desiderio, æquabili, & virili patientiæ, magnísque sponsæ meritis donatum fuisse.

Probationibus nostra merita, & Dei iustitia monstrantur.

Solet enim Dominus seruos suos tentationibus exercere ad maiorem ipsorum gloriam. Sic enim fidelium virtus gloriosiùs splendescit, & clariùs demonstratur, quàm iustè Diuina
C
beneficia iustorum meritis, & depræliantium sudoribus debita concedantur.

2. Loqoentem filium audiuit senex, & vocem haud dubiè Iacobi agnouit: & quidem sono illo vtriusque voces nimiùm discrepabant: Iacob enim leniùs, Esau asperiùs loquebatur: quod visum est

D. Chrysost.
Vox interpres animi.

S.Chrys. Etenim (inquit) ob vocem placidiorem dubitabat iustus. sic ille. Nec mirum hoc videri debet, cum vtriusque fuerit dispar ingenium, morésque valde contrarij: at vox animi solet esse interpres. Cæterùm Procopius vt refert ex aliis, sic

Procop.

ipsemet contestatur; senem haud ex sono ipso, sed ex verbis totius orationis vocem Iacob deprehendisse: ita enim effatur: Pater arbitrabatur pia illa verba: *Voluntas Dei fuit, &c.* non ab Esau
D
fero homine esse deprompta; nec ex pronuntiatione, sed ex sensu verborum vtriusque ingenium iudicabat. hæc ille. Fero quippe rusticum, & inamabile pectus, Esau non mite, piúmque, & Diuinum aliquid cogitabat, nec proinde ad linguam, & per illam foras aliud, si loqueretur, quàm impietatem exhalaret: contrà verò Iacobi pectus mansuetum, ac religiosum voce sui administra Dei nomen, Deíque voluntatem eructauit: quod etiam de seipso confessus est regius Vates in Psal. 44. cum sic exorditur: *Eructauit cor meum verbum bonum.* quo loco ita S.Chrys. Quemadmodum in

Psalm. 44.
D. Chrysost.
Cor & lingua iusti pietatem eructant.

eructatione, id quod fit, oritur ex qualitate ciborum: ita etiam in doctrina spiritali. Talia ergo eructabat, qualia comedebat. sic Ezech. volumen
E
comedens: *Fuit* (inquit) *in ore meo tanquam mel dulce.* cap. 3. Quia ergo spiritalem gratiam acceperunt, eis quoque similia eructarunt. Eructat autem Propheta omnia mitia, & mansueta, quoniam cor suum expurgauit. hæc S.Chrysost. Haud

Ezech. 3.
D. Chrysost.
Lingua prodit arcana mentis.

dubiè lingua loquitur, quod intus in anima versatur. Vnusquisque rectè dignoscitur ex ipsis, quos eructat, sermonibus, vti Isaac filium Iacob ex Dei nomine, quod insonuit, cognouit. Addit

Ex lingua dignoscitur anima.

ampliùs: Quemadmodum enim stomachus, quando sordidis succis fuerit plenus, eis cognata, & consimilia eructat: sed quando sanus fuerit, ei

quoque

quoque conuenientem edit eructationem: ita etiam cor Prophetæ, postquam fuit à peccatis liberum, accepit gratiam spiritus, & eructat verbum bonum. ita S. Chrysost. Id ipsum, quod de se Propheta loquitur, vidẽmus in dilecto Domini

Ioan. 13.

discipulo mirabiliter expressum: admouit enim cor suum cordi Dei, & Domini sui, cum recubuit supra pectus eius; repleuítque se totum diuinitatis ipsius abditissimis mysteriis, quæ deinde non eructauit modò, sed io stupore omnium creaturarum detonuit. *In principio erat Verbum, &c.* Ioan. 1. Iccirco adolescentulæ, scilicet animæ fidelium exclamarunt gratulabundæ: *Exultabimus, & lætabimur in te memores vberum tuorum super vinum. Recti diligunt te.* Cant. 1. Delectat planè audire interpretationem S. Gregor. Nyss. quæ sic habet de S. Ioanne Apostolo. Verbi amauit vbera, qui supra pectus Domini in cœna recubuit, & velut quandam spongiam cor suum apposuit fonti, & ex ineffabili quadam traditiooe repletus Christi mysteriis, nobis quoque exhibet mamillam à Verbo impletam; nósque implet bonis, quæ ei à fonte sunt indita, magna voce prædicans: *In principio, &c.* hæc S. Gregor. Nyssen. Collige hinc illa etiam obiter vbera, & pectus Domini Iesu dici vbera, & pectus Ioannis, quia solus ille inter mortales (post Virginem Matrem) tanquã sua ad quietem, & inenarrabilem quandam dulcedinem possedit: præterea rectos, iustósque nominari, qui diuinum hunc Apostolum diligunt, sinistrúmque, & ab ipsa ratione, pietatéque distortum habere ingenium, qui discipulum quem diligebat Iesus, non pio quodam affectu prosequitur.

Ioan. 1.
Cantic. 1.
S. Greg. Nyss.
S. Ioannes supra pectus Domini Iesu.
Recti qui piè colunt S. Ioannem Apostolum.

3. Mitia, & pia loquitur Iacob; dura, & irreligiosa loqui solebat Esau: ô quàm multi hodie, non ingenio tantùm, sed lingua etiam istum inclementem, & impium, Deóque inuisum imitantur! Profectò, ni duriores cautibus sint, & feris truculentiores, abstinere à maledicentia deberent hac vna tantùm ratione, quia solet esse verborum vulnus insanabile. Hac de re non plus dicam, quàm quod ex multis, quæ diuinitus dicuntur à S. Petro Damian. perstriogam. sic infit: *Flagelli plaga liuorem facit, plaga autem linguæ comminuit ossa.* Ecclesi. 28. Ecce lingua ossa non habet, & ossa comminuit: quia cum ipsa per ventosa verba leuiter effluit, fortia atque robusta virtutis nostræ facta corrũpit. hæc ille, *serm. de vitio linguæ.* Cum verò irreligiosum valde sit, teste Apostolo, propriæ linguæ frænos non iniicere; ac religiosos maximè viros dedeceat, quæcunque asperioris linguæ, vel tenuis suspicio: ideò S. Cardinalis ad suos monachos ita conuertit sermonem: Portatis vobiscum clauem cellulæ, portate clauem linguæ: opponitis pessulum ostio, adhibete retinacula salubriter ori vestro. Arcus flexis cornibus frustra nõ intenditur, & rationale os ad effundendum irrationabilia passim reseratur? Parcitur pharetræ, vt ex ea sagitta leuiter non exeat: non parcitur linguæ, vt mordax in quemlibet verbũ, velut ictum vulneris, non infligat. sic Petr. Dam. Meritò igitur primogenituræ dignitatem obtinuit mitis animo, & blandi oris Iacob: ac rigidus ille, quercúsque Esau à domo Abrahæ amouetur: scilicet prælatus matrem affectu, & sermone mitem, dulcémque referat necesse est: qualem se demonstrabat Apostolus, cum aiebat: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* 2. Corinth. 11. vbi rectè S. Chrysostom. occurrit: Non dixit compatior, aut misereor, sed infirmor; tanquam enim ipsa infirmitate circundatus, ita excrucior, & angor. sic ille. *Et ego non vror?* non dicit, non

Maledicorũ vulnus insanabile.
S. Petr. Dam.
Mala lingua peius nihil.
S. Petr. Dam.
Religiosis cõmẽdatur linguæ moderatio.
Prælatus affectu & sermone Mater.
2. Cor. 11.
D. Chrysost.
Eminentia charitatis S. Pauli.

A compatior, sed infirmor, & crucior doloribus; non dicit pungor, affligor, sed vror, ardeo totus, & flammis consumor; quo nihil molestius, nihil grauius, vt eminentiam charitatis demonstret. Vide (inquit S. Chrysost.) quanta excellentia doloris: Accendor, vror, dicit, quod certè omnium maximum est. ita Chrysost. Dulcis quidem charitas in Paulo, io bono prælato erga subditos: aspera & crudelis contra ipsum in quo inest. Carnifex amor amantem ita dilaniat, vt plus doleat, & patiatur aliorum mala cogitans, quàm ipsimet, dum illa facto ipso perferunt.

S. Chrysost.
Amor amãti dirus, aliis dulcis.

4. *Accede huc, vt tangam, &c.*] Vocem Iacobi senex cæcutiens agnouerat: at Esau illum esse eundem qui loquebatur, audiuit, ídque per frau-
B dem, ac mendacium veniale, vt iam statuimus: quamquam D. August. ad profunditatem mysterij recurrens fraudem omnem abesse contendit: ita inquiens: Iste dolus, ne putaretur fraudulentus dolus, & non in eo magnæ rei mysterium quæreretur, superiùs prædixit scriptura: *Erat autem Iacob homo simplex, habitans in tabernaculis.* Quis est in ista benedictione percipienda dolus hominis sine dolo? Quis est dolus simplicis? quæ fictio non mentientis, nisi profundum mysterium veritatis? hæc S. August. 16. *de ciuit.* 37. Idem *quæst.* 74. *in G nes.* fere eadem repetit hoc modo: Erat Iacob sine dolo habitans in domo: vt magna sit quæstio, quomodo per dolum acceperit benedictionem, qui erat sine dolo. sed ad significandum magnum
C aliquid, quod scriptura prætermisit. Hinc enim maximè cogimur ad intelligenda hoc loco spiritualia, quia sine dolo erat, qui dolum fecit. hæc ille. Sed vberiùs hanc sententiam iterum inculcat *serm. 44. de diuersis, cap. 21. & 22.* At nobis, vti præmisimus, cum grauibus nostræ ætatis doctoribus superuacaneum videtur à culpa veniali patres antiquos excusare. Dubius ergo pater experimẽtum vult aucupari à certiore sensu tactus; hoc enim (vt docet Aristoteles) præstat homo cæteris animantibus, quæ in aliis hominem superant. Palpare cœpit, & manus, & collum: atque vtrobique pilosum quid, & hirsutum inuenit. Verè quidem tactus circa suum obiectum versatus est, pilos & asperitatem sentiens: sed similitudo rei tactæ in-
D tellectum io errorem induxit, vt formaret iudicium, tactu scilicet percipi pilosam asperitatem manuum, & colli Esau. Denique iudicat vocem, quam audit, esse Iacobi; manus, & collum, quæ tangit, esse Esau: atque adeo tactui potiùs credens, quàm auditui, statuit secum esse illum Esau, eúmque, vt talem benedicit. Hæc autem deceptio, Diuino consilio, sic inducta est; & ipsi quoque Isaac Dei voluntatem deinde agnoscenti, & reuerenti fuit quàm gratissima: vtrumque ex aliis accipe. Sic enim Procop. Hoc verò (ait) Diuinæ prouidentiæ imputandum reor, quòd nec tactu, nec voce, nec differentia hædorum, & ferarum esu discernere quiuit, & aduertere dolum Isaacus. hæc ille. Loquitur de voce, vt supra retulimus, quoad sonum,
E non quoad verba orationis. Item S. Prosp. *par. 1. de prom. & præd. cap. 23.* Cum pater (inquit) vocem filij minoris agnosceret, palpandum æstimans habitu membra maioris inuenit; turbatúsque in filiis, factus est (vt ait quidam) gratus error parentibus. sic Prosper.

An dolus in Iacob fuerit.
D. August.
Patres antiqui non caruerũt culpis venialibus.
Aristot.
Tactus in homine acutissimus.
Qualis deceptio Isaac.
Procopius.
Gratus Isaac fuit suus error.
S. Pr. ∫per.

5. Egregiè magister vitæ regularis S. Bernard. per Isaacum intelligit prælatum religionis, aut potiùs Deum ipsum religiosorum verum parentem, & rectorem. Itaque Iacob typum gerens subditi cibum prædulcem suo prælato, vel Deo potiùs offert, quem pater libenter suscipiens subdi-

S. Bernard.
Mutua officia inter Deum, & religiosos.

A tum tractat, fouet, dirigit, benedicit. Audi iam S. Bernard. Cibi sunt, hilaris obedientia, & humilis abstinentia. Pater tangit filium apposita probationis manu: osculatur secretæ inspirationis instinctu: benedicit religionis profectu. hæc ille; *in sentent.* Tangit seruos, & amicos suos Dominus, & palpando tentat eorum manus, hoc est, opera, & merita num digni sint illi, quibus Diuinæ benedictiones infundantur. Sic animarum sponsus aiebat: *Descendi in hortum nucum, vt viderem in natiuitate torrentis.* Cant. 6. Ita legit S. Ambros. & interpretatur ad hunc modum. Vbi est Ecclesia, nisi vbi virga, & gratia floret sacerdotalis? Ibi est frequenter, vt in amaritudinibus, & tentationibus probetur. Per nucem amaritudinem intelligimus, B per torrentem tentationes, sed tamen tolerabiles, quia scriptum est: *Torrentem pertransiuit anima nostra.* Psalm. 123. hæc S. Ambros. *lib. de Isaac, cap. 7.* Itaque Dominus libenter inuisit hortum suum nucum, vbi inter amaritudines iusti nascuntur, florent, fructúsque edunt suauissimarum virtutum: non illos ad riuos lacte, melléque manantes desidere patitur, sed in torrentes immittit, quos magna cum difficultate pertranseant. His quidem depingitur laboriosa vita iustorum; quos pericula exercent, labores probant, solidáque virtutum opera dignos faciunt, qui recipiantur in regnum cælorum, in quo non simulata, sed vera, non fucata, sed sincera merita æstimantur, ac donantur. Iccirco enim sponsa illa noctu Dominum suũ quæritans non prius illum inuenit, quàm à murorum C custodibus, quos S. Ambros. aliique Patres interpretantur Angelos, pallio, quo tegebatur, spoliata vlterius procurreret. Ait illa: *Tulerunt pallium meum.* Cant. 5. Cuius loci explicatio hæc est præclara: Tulerunt ei pallium, quærentes si verum decorem nudæ virtutis afferret: vel quia sine integumento quis in illam cælestem ciuitatem debeat introire, nulla deferens secum operimenta fucorum hæc S. Ambros. *lib. de Isaac. cap. 6.* Residebat domi sponsa, quin dormiebat oblita sui, atque Dei; cùm subitò Dominus validè pulsat fores, & clamat validiùs, dormientem excitat, foras educit; vt paulò suprà vidimus; nihil non illa molitur noctu euigilans, & circumcirca omnia obiens; sed irritus omnis labor: tegebatur adhuc inuolucris, D quæ suam miseriam, atque indignitatem nesciebat; quod vnum erat reliquum impedimentum ad inueniendum Deum suum, qui ad humiles respicit, a superbis fugit.

Cantic. 6. *S. Ambros.* *Iusti probantur, & amantur.* *Psalm. 123.* *Cantic. 5.* *Virtus proditur, cum exercetur.* *S. Ambros.* *Cognitio sui.*

6. Iccirco monet Dominus: *Descende, sede in terra virgo filia Babylonis, tolle molam, & mole farinam, denuda turpitudinem tuam, &c.* Isaiæ 47. Loquitur ad animam quam vti filiam quærit, & inuitat. sed tamen arrogantiæ, ac vanitatis Babylonicæ pallio inflatam, quod aduenturæ gratiæ Diuinæ magnum solet esse obstaculum. Denuda (inquit) turpitudinem tuam; vt illam contuita verecunderis, humilitatémque induas. In administratione quippe (occurrit subtiliter S. Petr. Damian.) operis E turpitudo denudatur, dum vilis mens abiectáque in actionis ostentatione cognoscitur, quæ quieta priùs magna putabatur hæc ille, *Apolog. de contemptu seculi, cap. 23.* Videmus enim plerósque, dum vitam priuatam agunt, dum se domi continent, intráque sui lectuli (vt ita dicam) lodices recubant, nec mali quicquam agere, nec vitium aliquod in se prodere; sed egregiam virtutum laudem ac famam apud omnes obtinere. At vsu euenire solet, vt è tenebris in lucem prodeuntes, à quiete in aciem educti, vitam (vt vocant) actiuam ingressi, ac præsertim aliis docendis, regendísque

Isaiæ 47. *S. Petr. Dam.* *Dignitas & actio externa vilitatem hominis prodit.*

A præpositi è vestigio suam turpitudinem denudent, palamque faciant omnibus, quam inopes ingenio, quamque omni virtutum præsidio destituti; atque adeo, quacumque laude indignissimi semper extiterint. Nec illud non attingam: sponsam videlicet male accipi à custodibus murorum, proprióque amictu expoliari, quod domi sedens illæsum retinuit, vt discat religiosus vir vtilius sibi multò esse in claustro suo viuere, quàm foras discurrere. Quod si iustis de causis egredi aliquando cogatur: Hoc suademus (inquit idem Petr. Dam.) vt id tantò parciùs, tantóque rariùs agat: quantò scit, quia vagãdo per seculum, nec spiritualiter viuere, nec ad perfectionis culmen valeat, etiamsi diligenter inuigilet, peruenire. ita Petr. Damian. B En quantum in maligno positus est mundus, vt qui per illum discurret, nec viuere spiritualiter possit, nedum quantumuis conetur, & studeat, consummatæ virtutis perfectionem queat adipisci!

Religiosus domi spiritum retinet, foris deperdit. *S. Petr. Dam.*

7. *Vox quidem vox Iacob, &c.*] Fallitur senex cum manus pertentans Iacobi dicit esse manus Esau; non enim manus, quas tangit, pilos in se habent, sed aliunde ascitis obuelantur pilis: aliena quidem pelle manus pilosas hirsuti Esau ementiuntur. Sic mundus errat dum Christum Iesum crucifixum intuitus maledictum putat hominem, qui pro peccatis suis pendeat in ligno: hallucinantur Iudæi, hallucinantur gentes, dum Christi crucem illi reputant scandalum, isti autem stultitiam. Sed ille passus est, quia voluit, vt delicta, quæ non fecit, C exolueret. Occisus est agnus Dei, vt tolleret peccata mundi; manibus, & collo portabat pilos, & pelles hœdorum, in similitudinem Esau, hoc est, omnia generis humani peccata in similitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum, & exinaniens semetipsum, vsque ad ignominiam, & mortem crucis, sempiternam hominibus benedictionem à Deo Patre impetraret. Hoc sensu etiam sponsa pelles Salomonis meminit, illas nimirum, quas (vt obseruat S. Bernard.) rex forte in vsum tabernaculi soleret assumere, si quando in tentoriis habitare liberet, quas vtique obscuras, & tetras esse necesse fuit, tanquam quæ quotidiano forent expositæ soli, & frequentium iniuriis pluuiarum. Neque id frustra, sed vt is, qui D intus repositus erat, ornatus nitidior seruaretur. hæc ille, *serm. 28. in Cant.* Porrò Salomone Christum, & nigricantium pellium tentorio humanitatem ipsius in passione obscuratam significari; nemo est qui nesciat. Quam sponsi exteriorem nigredinem sponsa inspiciens, vt se Domino suo conformem ostenderet, in seipsa voluit efformare. Quocirca nigram illam adolescentulæ, contuitæ aliquantulam in admirationem hærebant suspensæ. Igitur illa: *Nigra sum, sed formosa, sicut pelles Salomonis.* Cant. 1. Quo exemplo sponsa (inquit S. Bernard.) non negat nigredinem, sed excusat, nec probro ducit qualemcunque habitum, quem charitas formet; iudicium veritatis non improbet. Denique *quis infirmatur, cum quo non infirmetur? quis scandalizatur, & non vritur?* 2. Corinth. E 11. Induit se compassionis næuum, vt morbum in altero passionis leuet, vel sanet. Nigrescit candoris zelo, lucro pulchritudinis. Multos candidos facit vnius denigratio, non cum tingitur culpa, sed cum afficitur cura. hæc Bernard. Nimirum ita se habet vera charitas, vt nigrescere gaudeat, modo ille, qui amatur, albescat. Non dolere, non pati refugit, qui amat, sed curat potiùs, vt semper doleat, iugiter patiatur. quod ita docuit S. Fulg. Ecce quantum boni charitas habet. Ecce quantam laudem corã Deo, & hominibus possidet: vt cum dolet,

Iacob redemptoris crucifixi typus. *S. Bernard.* *Quid significet pelles Salomonis.* *Christi passio* *Cant. 1.* *S. Bernard.* *2. Cor. 11.* *Zelus & compassio animarum.* *Mira vis charitatis.* *S. Fulg.*

dolet; quod accidit illi, quem amat, frequentiùs recordando magis sustineat. hæc ille, *in prolog. lib. ad Monum.* His ergo suum leuare laborem, recreare solitudinem, & quamcunque curarum nigredinem solari debet tam prælatus, qui regit, quàm doctor qui instruit: zelo vterque vritur, & atra quadam fuligine deturpatur externus homo, sed interior, cuius omnis gloria ab intus, magis renouatur, & candidior, pulchiórque efficitur. Quid verò timeat contrahere nigredinem, & de sua specie nonnihil deperdere propter Christum, cum propter se videat illum mortis caligine consepultum, & quod grauius pertulit, peccatorum tetra obscuritate offusum, vbi inter iniquos deputatus est? Quis secum identidem illud sibi dictum non repetat, quod S. Ambros. *de Isaac. cap. 6.* commendat his verbis. Tantum fuit Domino studium tuæ salutis, vt propemodum de suo periclitaretur, dum te lucraretur. Ille propter te dispendia nostra suscepit, vt te Diuinis insereret, cælestibus consecraret. hæc S. Ambros. Ergo pulchrum est periclitari pro Domino, qui propter nos, & honorem suum opprobriis, & vitam doloribus cum ignominiosa morte crucis libenter obtulit.

Pulchrum pro Deo despici, & pati.
S. Ambros.

B

8. Illam quoque fuliginem, quam peccati similitudinem vocat Apostolus, in pellibus hœdinis, quibus Iacob manus circundatæ senem cæcutientem fefellerunt, agnoscit idem S. Bernard. in Christo Domino. sic enim scribit indicato sermone: Agnosco sub pelle hædi (qui peccatum significat) & manum, quæ peccatum non fecit, & collum per quod mali cogitatio non transiuit. Ideóque non est inuentus dolus in ore eius. Noui quod sis lenis natura, mitis, & humilis corde, blandus aspectu, suauis spiritu; & quidem *vnctus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Psalm. 44. Itaque lenitatem suam retinuit Iacob, non amisit; asperitatem alienam tanquam velamentum suscepit, vt hoc artificio benedictionem impetraret. Egregia sanè figura Christi Domini, qui cum Deus esset, formam serui accepit, in similitudinem peccati, vt reputatus, & crucifixus inter iniquos, de peccato damnaret peccatum, & Diuinam hominibus, quorum delicta expianda suo cruore susceperat, benedictionem lucraretur. Iacob erat quidem natura & ingenio; at Esau videbatur amictu. quare optimè adiungit S. Bern. Vnde ergo nunc instar Esau pilosus, & hispidus? cuiusnam rugosa, & tetra imago hæc, & vnde hi pili? mei sunt; nam pilosæ manus similitudinem proximi exprimunt peccatoris. Meos agnosco hos pilos, *& in pelle mea videbo Deum Saluatorem meum.* Iob. 15. & benè in meo habitu; quia mihi benedictio vendicatur, mihi postulatur hæreditas. hæc S. Bern. Itaque infideles Christum contemplati patientem, manus dicunt Esau. hoc est, opera peccatoris: at cæci omnes sunt, errántque impudentissimè: sunt enim illæ manus Iacob, sed similitudine hispidarum manuum Esau obuelantur: Deus homo est, qui delicta hominum, vt suo Sanguine ablueret, suáque morte expiaret, in seipso portauit. Aliud etiam in hoc pellium velamento inuenio mysterium. Enimuerò manus Domini lenes, molles, piæque sunt, misericordiæ distillant oleo, lætitia, vita, gloriáque, & omnes Diuinitatis thesauri in iis videntur, & ab iisdem diffunduntur: at nonnunquam asperæ, graues, & vltrices sentiuntur. sic planè res habet. Verùm hæc seueritas, & durities prorsùs aliena est, quòd pius Pater, seuerus & vltor Dominus sit: nostra est asperitas illa, nostris sceleribus graues, & horribiles Dei manus facimus. Blandum, & misericor-

S. Bernard.
Christus innocens nostra culpa delicta.
C
Psalm. 44.
Christus hominibus Dei benedictionē impetrauit.
D
S. Bernard.
Iob. 15.
Infidelium error erga Christum.
E
Pietatē Dei in seueritatē vertimus.

A

dia plenum Domini pectus nos ipsi tentamus, atque in nostrum supplicium irritamus.

9. Circuiuit ille orbem vniuersum aliquando quærens animam, in qua requiesceret: sed vbique reiectus, ac percussus ad fores dilectæ suæ Sponsæ tandem se recepit; easque sæpius pulsans inclamabat: *Aperi mihi soror mea, quia caput meum plenum est rore.* Cant. 5. Vbi pulcherrimè S. Ambr. Quia (inquit) decurso orbe terrarum plus molestiarum, & offensionis reperi, nec facilè habui vbi requiescerem: ideò tu aperi, vt in te Filius hominis reclinet caput, cui non est requies, nisi super humilem, & mansuetum. *Caput meum plenum est rore*, hoc est, tentationibus secularibus. hæc S. Ambros. *lib. de Isaac. cap. 6.* Nil igitur Dominus orbem totum peragrans, & hospitium ab hominibus expetens inuenit, præter tentationes seculares (vt vocat Ambros.) nimirùm infinita, & grauissima hominum scelera, quibus mitissimus pater ad vindictam sumendam ile perfidis, ac flagitiosis hostibus acerrimè stimulatur. Sunt enim peccata hominum tentationes patientiæ, lenitatis, & misericordiæ Dei. Quare si Deum iudicem seuerum nostris pœnis sentimus, talem nos nostris sceleribus efficimus. Iustus ille est, & iusta iudicia eius, & nos quicquid patimur, iustè meremur. In hanc sententiam multa peregregiè scripsit S. Saluian. cum Christianum populum, toto, qua patebat imperium Romanum, orbe diffusum à barbaris suo tempore affligtari, & miserandum in modum subuerti videret, paucula subscribam, quæ sic habent: Christiani ideò perferre hæc mala patimur, quia meremur, vt ista patiamur. Respiciamus ad flagitia nostra, & intelligemus, si protectionem mereri possumus, cum in tanta impuritate viuamus. hæc ille, *lib. 4. de prouid.* Interest autem Diuinæ prouidentiæ, vti hominum flagitia euidenti quodam supplicio puniat, ne si semper, aut dissimulet, aut differat, aut parcat, illius prouidentia extra cælum sese extendere denegetur. quod ita subiungit S. Saluian. Si in tantis vitiis, in tanta improbitate viuentes fortissimos, florentissimos, beatissimósque esse Deus pateretur, suspicio fortassè aliqua esse poterat, quòd non respiceret scelera Christianorum Deus, qui tam malos, qui tam perditos beatos esse pateretur. sic ille. Soluebat è portu nauis Christiana quidem, sed iniustitiis, violentiis, rapinis, homicidiis plena. At in littore sacerdos ethnicus (*Iogue* dicitur vulgo) manibus & oculis in cælum sublatis exclamat: Si nauis istam patriam salua, & incolumis perueniet; vtique Deus Christianorum, aut cæcus est, aut dormit. Ergo nauis pelago data in patriam non peruenit; haud dubiè fluctibus hausta. Demonstrant quidem nostra supplicia Diuinam in rebus humanis prouidentiam. Colligit itaque: Cùm verò tam vitiosos, tam improbos, infirmos, & miserrimos esse iubeat, euidentissimè patet, & aspici nos à Deo, & iudicari, quia hoc patimur, quod meremur. ita Saluian.

Cantic. 5.
S. Ambros.
Christum delictis propulsamus.
B
Tentant Dei nostra scelera.
Peccatis irrogantur nostra supplicia.
S. Saluian.
C
Publica supplicia Dei prouidentiā testantur.
S. Saluian.
D
Deus Christianorum non dormit. Nauis ob scelera peryt.
S. Saluian.

E

10. Apponit subinde fauum Bernard. quem lætus accipio: non tamen (inquiens) Rebecca sic illum induit, sed Maria, tantò digniorem, qui benedictionem acciperet, quantò sanctior, quæ peperit. sic ille. Itaque, vt nobis Christus Dominus amplissimam Dei patris benedictionem impetraret, nostro illam indutus habitu, & promeruit, & petiuit. Cæterùm illum habitum carnis, quæ passa, & cruci affixa mortem pro nobis obiit, semper Virgini Mariæ debemus. Ex illius enim intemeratis visceribus patientis Domini caro nata est. Benè dicitur: Non Rebecca, sed Maria

S. Bernard.
Rebecca typus B. Mariæ.

B. Maria digna incomparabilis. Arnold.

Deum carne induit. Nam secundùm dignitatem Filij, Matris illius sanctitas requirebatur. Sed quis hanc digne valeat explicare? optimè S. Arnold. Carnot. *de laudib. Virg.* in stuporem huius argumenti sic infit: Si linguis hominum loquar, & Angelorum, nihil dignè, nihil propriè de sanctæ, ac perpetuæ Virginis Matris Christi Mariæ gloria eloqui potero. Quia verè in laudibus eius modulandis non inuenitur conueniens organum, & hebes est cuiuscunque subtilitatis ingenium. Cum enim debitæ venerationis summa ad Christum respiciat, ex cuius plenitudine roratum est desuper, quòd Maria prædicatur gratia plena, manifestum est, indiuiduam esse Matris, & Filij gloriam, & commune esse vtriusque præconium, cuius definitio omnem superat intellectum. hæc Arnold. Nihilo tamen minus Dei Sapientia in laudes Matris suæ dignissimæ, mutorum aperit ora, & linguas infantium facit esse disertas. Quare sanctitatem Virginis Deiparæ, qua se dignam exhibuit, vt à Deo in Matrem eligeretur, etsi difficile sit definire, at certè coniicere aliquo modo ex iis, quæ à sanctis Patribus dicuntur, & possumus, & debemus. Igitur qualem beatissima Virgo carnem suā Deo suo ab ipsa conceptione sua consecrauit, ita S. Greg. Nyss. *serm. de ortu Christi*, exclamando expressit: O beatam illam carnem, quæ propter insignem puritatem animæ bona ad se attraxit! In aliis enim omnibus vix anima pura sancti Spiritus aduentum accèperit: hic autem fit caro Spiritus receptaculum. hæc ille. Quòd si corpus Virginis tantæ puritatis, ac sanctitatis prærogatiua excelluit, vt in immensum superaret omnium animarum quantumlibet sanctarum puritatem, quid quæso, de anima ipsa Virginis dicere necesse est, quæ tum natura, tum habitu, tum admirandis supernaturalium gratiarum ornamentis longè carnem superat?

B. Maria excedit omnē laudationē.

B. Maria gloria indiuisa cum Filio.

B. Mariæ caro purissima. S. Greg. Nyss.

B. Maria caro purior spiritibus.

B. Maria dignitas & puritas.

11. Profectò mihi semper habui persuasum, Virgini Deiparæ sæpiùs in hac vita diuinitus concessum esse, vt illius anima etiam corpori adunita Diuinam essentiam intuita fuerit: testem habeo Rupert. Abbatem, qui ad 4. *Cant.* super illa verba, *absque eo, quod intrinsecus latet*, ita effatur. Si quispiam dixit, & teste Deo, vel conscio, non mentientis dixit raptum se fuisse in paradisum, siue vsque ad tertium cælum, ita vt nesciat, siue in corpore, siue extra corpus raptus fuerit, & audisse arcana verba, quæ non licet homini loqui (2. *Corinth.* 12.) quantò magis tu Regina cælorum persæpe cælestibus interfuisti, quippe quam & circumsteterunt, obstetricum vice, gloriam Deo concinentes Angeli, & inter hæc didicisti, vel assecuta es aliquid, quod latet, & latere nos debet? hæc Abbas. At obiicies illud Ioannis: *Deum nemo vidit vnquam.* cap. 1. Credo equidem nulli mortalium concessum esse hoc priuilegium, nec per arcana illa Pauli rapti ad tertium cælum significari visionem Dei. Sed quid mirum, si, quæ vera Mater Dei est. Diuinitatem illius in Annunciatione, in Præsepi, in Resurrectione, in Ascensione, in Pentecoste, & alibi mentis suæ purissimæ intuitu viderit? Omnia quidem priuilegia, quæ nec fidei, nec rationi repugnant; & maiestatem Deiparæ Virginis decent, mihi certum est, eidem fuisse concessa. quod S. Georg. Archiep. Nicom. seriò, grauitérque expendens ita concludit. Nihil est dubium ex iis, quæ sunt purissimæ Virginis, ex eius magnalibus nihil est, quod non sit conueniens. O donum, quod nullo potest honore, vt par est, affici! O pulcherrima pulchritudo omnium pulchritudinum! ô Dei Genitrix pulchrorum omnium summum ornamentum! hæc ille, *de præsent. Virg.* Atque (vt de me aliquid dicam) illa mihi ratio hanc sententiam sine vlla dubitatione videtur statuere; quod nimirum hoc de visione beatifica in hac vita, & quodcunque aliud priuilegium, infinito interuallo minus, & inferius est hac vna dignitate, quam Virgo habet supra omnem creaturam, vt vera sit Dei mater; ac proinde purissimum, & præclarissimū organum, per quod humano generi bona omnia descenderunt à Deo, vti eleganti verborum ambitu S. Germ. Archiep. Constant. disserit: O Virgo (inquiens) complementum prophetiæ, perfectio pactorum conuentorum Dei, signaculum eius testamenti, finis eius consiliorum, declaratio eius mysteriorum, specula omnium Prophetarum, conciliatrix eorum, qui male dissentiunt, coniunctio eorum, quæ erant malè disiuncta, renouatio eorum, quæ erant inueterata, iubar eorum qui siti sunt in tenebris, donum maximè nouum, & Diuinum. hæc ille *de præsent. Virg.* Si ergo tam incomprehensibilem dignitatem Deus omnipotens Matri suæ Virgini concessit, cur illam prærogatiuam longè inferiorem Matri Filius denegaret? Quicquid Matrem Dei prærogatiuæ decebat, vtique Deus concessit, quia potuit; & voluit, quia Filius.

B. Maria in via vidit essentiam Diuinam. Rupertus.

2. Cor. 12.

Ioan. 1.

B. Maria priuilegia.

D. Georg.

Summa excellentia B. Mariæ, quod sit vera Dei Mater. S. Germ.

B. Maria encomia.

12. Porrò autem cùm in aliis suæ vitæ, ac passionis mysteriis Christus Dominus significatur hoc habitu, & facto Iacobi, tum præcipuè in cruce pendens, ac moriens; & in sacrosancto Eucharistiæ sacramento existens. de vtroque mystyerio nonnihil dicam; nam vtrobique alius videtur; & alius, vt est, creditur. Igitur de primo sic S. Bern. serm. iam indicato. *Vox quidem, vox Iacob; manus autem, manus sunt Esau.* Suum est, quod auditur ex eo: quod in eo videtur, nostrum. Quod loquitur, spiritus & vita est: quod apparet, mortale, & mors. aliud cernitur, & aliud creditur. *Videns Centurio, quia sic clamās expirasset, ait: Vere hic homo Filius Dei erat.* Marc. 15. ergo ad vocem credidit, ex voce agnouit Filium Dei, & non ex facie. ita Bern. Enimuerò Centurio videbat hominem inter latrones cruci affixum, plenum opprobriis, lacerum totis artubus, virum dolorum, sine specie, sine decore, quasi leprosum, & nouissimum virorum. Secutusque homo sensus oculorum indicaret vtique hominem propter delicta propria turpissimæ morti addictum. At oculus errabat; cæterùm audiens cum clamore valido expirantem, verè plusquam hominem, & non peccatorem, sed Filium Dei esse contestatur. Pulchrè igitur infert idem Bern. Auditus inuenit, quod non visus: oculum species fefellit, auri veritas se infudit. Oculus pronunciabat infirmum, oculus fœdum, oculus miserum, oculus morte turpissima condemnatum. Auri Dei Filius, auri formosus innotuit. Sic Centurio ad vnam expirantis vocem sub tot infirmitatis indiciis Dominum maiestatis agnouit. Ideoque non despexit quod vidit, quia credidit, quod non vidit: fides enim ex auditu. hæc S. Bernard. Sæpe (vt vides) ad Passionem Domini recurrimus, nec immeritò: quippe cum nulla peccatoribus salubrior sit medicina. quod piè, luculentérque ita considerat Gaurricus Abbas, *serm. 1. de Epiphan.* Sicut stomachus immoderato vsu dulcium corruptus, potione purgatur amara: sic eorum, qui suauiter vixerunt, nonquam melius quam contrario, id est, vita, & consuetudine curantur austera. Maximè autem si sæpius detur eis bibere vinum myrrhatū Dominicæ Passionis, id est, potentur vino compunctionis, quod quantò amarius est, ex recordatione peccati, tantò salubrius

Christus in cruce alius videtur, alius creditur. S. Bernard.

Marc. 15.

Fides Centurionis ad crucem Domini.

S. Bernard.

Passio Domini medicamentum;

Guarric.

Cur myrrhatum vinum non bibit Dominus.

salubrius est peccatori. hæc ille. Atque vtinam hoc tam salutari medicamento vteremur! profectò hac subamara potione, corruptum ex maligna vitiorum dulcedine pectus sanaretur. Sed videtur nobis interdicta vt inutilis isthæc potio amaritudinis, cum illam Dominus oblatam bibere noluerit, vt in Euangelio habetur. Respondet illico Abbas. Ideo Iesus noluit bibere, quia peccatum non fecerat, quod ei crucifixor imputabat, qui de amaritudine vitis alienæ ei propinabat, qui de genimine vitis veræ vinum nouum cum amicis in regno Patris habebat bibere. sic Abbas. Noluit igitur Dominus in cruce bibere amarã illam potionem, sed illam totam & integram peccatoribus reliquit, quippe quæ significabat compunctionem, & contritionem delictorum, quæ pœnitens homo commiserat, & quorum ne specie quidem Christi Domini licet pro peccatoribus morientis innocentia potuit maculari.

Guarricus. Compunctio peccatoribus potio.

13. Pulcherrimè noster Centurio (gentilis enim fuerat) Christianæ fidei admirabilem facultatem in seipso demonstrauit, quæ aliud videt, & aliud credit. Ex eo enim quòd audiuit hominem illum cruci affixum contra omnem consuetudinem morientium clamore valido expirasse, rectè intulit, & credidit plusquàm hominem esse, vtique Filium Dei, Deum humana carne indutum. Nullus enim (subnotauit Beda *ad Marc.* 15.) habet potestatem mittendi spiritum, nisi qui animarum Conditor est, &c. Vbi etiam Theoph. Videns, quod ita potestatiuè, & dominabiliter expirasset, miratus, & confessus est. sic ille. Subtiliùs autem D. August. 4. *de Trinit.* hunc eundem locum expendens Centurionis admirationem illius ita explicat: Hoc maximè miratus est, quòd post illam vocem in qua figuram peccati nostri edidit, continuò tradidit spiritum. Demonstrauit enim, spiritus Mediatoris, quòd nulla pœna peccati vsque ad mortem carnis eius accesserit, quia non eum deseruit inuitus, sed quomodo voluit, quippe Dei Verbo ad vnitatem personæ coniunctus. hæc S. August. Arcanum aliud in hoc expirantis clamore sic rimatur S. Hilar. *in Mat. Can.* 33. Denique in Ioanne postquam potauerat, dixit: *Consummatum est*; quia omne vitium humanæ corruptionis hausisset. Et quia nihil agendum esset extrinsecus, spiritum cum clamore magnæ vocis emisit, dolens non omnium se peccata potare. Vt autem infidelitatis facinus Israeli accumularetur, Centurio Dei Filium confitetur. hæc S. Hilar. Intelligit Christum Dominum non potasse omnium peccata quoad effectum salutis, quia multi adhuc erant perituri, licet quoad sufficientiam ex parte Redemptoris omnium scelera essent extincta. O immensam Domini Iesu charitatem! Moriens clamat præ dolore inconsolabili: ac fortasse hic vnus dolor acutissimus omnium cruciatuum, quos vnquam pertulit, animam illius tandem à corpore auulsit; quod nimirum non omnibus quoad effectum salutis æternæ sanguinis sui redemptio esset profutura. Proh quantam in charitate Domini Iesu fiduciam debet habere peccator! bene id quidem: sed iudex tamen est, & quis non timeat incidere in manus Dei iudicantis? In hoc argumento audi S. Ambros. de Isaac *cap.* 6. ita loquentem: Sed metus est, ne iudex seuerior sit. Considera quẽ Iudicem habeas: nempe Christo dedit Pater iudicium. Poterit te ergo ille damnare, quem redemit à morte, pro quo se obtulit: cuius vitam suæ mortis mercedẽ esse cognoscit? Nonne dicet: Quæ vtilitas in sanguine meo, si damno quem ipse saluaui? Deinde consideras Iudicem, non consideras aduocatum? Potest iste seueriorem ferre sententiam, qui interpellare non desinit, vt paternæ reconciliationis in nos conferatur gratia? hæc S. Ambros. Confidat igitur peccator in Domini Iesu misericordia, vt eam precetur, amet, & reuereatur tam immensam illius charitatem, vt eiusdem obsequio se totum reddat mancipatum. Abundat mihi redemptio: per me autem inlùm stabit, si non illius fructum in salute mea comparabo, cooperans Diuinæ gratiæ.

Clamat moriens in cruce Dominus.

Beda

Theoph.

D. August.

Innocentia Christi potentis.

S. Hilarius.

Dolor Christi ex perditione reproborum.

Fiducia in passione Domini.

D. Ambros.

Cooperandũ passioni Domini.

A B C D E

14. Sed quid de sacrosancto mysterio diuinæ Eucharistiæ? Indutus Iacob alienis vestibus, nimirum Esau, tectúsque hœdinis pellibus mensam apposuit cæcutienti seni, qui vocem loquentis audiens certissime agnouit verum illum esse Iacobum: at manibus hœdinæ pellis inuolucrum attrectans, falsus omnino est, errorémque deinde subintulit: *Manus sunt Esau.* Quo quid alienius? Manus quidem erant Iacob, alieno tamen velamento amictæ. O egregiam augustissimæ Eucharistiæ figuram! Parat Christus Deus homo mensam fidelibus suis, in qua Corpus, & Sanguinem suum manducandum & potandum apponit. Ergo accedit Dominus Iesus, alieno indutus amictu, scilicet sub speciebus panis, & vini: audiri vult, quia fides ex auditu, palpari non vult: in auditu enim veritas, in tactu error, & falsitas deprehenditur. Loquitur autem: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus.* Quid verius? exclamat fides: Vox quidem vox Dei est, qui mentiri non potest; *dixit, & facta sunt.* Procul hinc visus, qui prorsus caligat, dum panis & vini accidentia cernens substantiam sub illis panis, & vini latere iudicat; cæcutit omnino, errátque in hac mensa oculus Isaac, si secundùm apparens obiectum, prodit iudicium. Similiter tactus aberrat, si quantitatem, ac tangibiles qualitates, quæ priùs panis, & vini fuerant, percipiens, substantiam priorem creatam adhuc ibi latentem colligit: non sunt enim nec pili Esau, nec manus Esau: sed tantum manus Iacob, etsi alieno tectæ amictu. Est quidem Christi Domini corpus, & sanguis sub illis accidentibus, non autem substantia panis & vini. Et palatum senis errat, dum se putat gustare carnes animantis venatici, quæ sunt hœdinæ. Et olfactus etiam hœdi odorem non percipiens, sed leporis, cerui, aut perdicis. Vterque sensus in sacramento decipitur, dum qualitates sibi obiectas hauriens, putat ibi panem, & vinum, vt antea, subsidere. Hæc omnia dulciore stylo, vt qui fauos, & nectar stillet, audies à S. Bernard. qui prædict. serm ita effatur: Aduerte in Isaac quomodo præ cæteris sensibus auditus in iam sene viguerit. Caligant oculi Patriarchæ, palatum seducitur, fallitur manus, non fallitur auris. Quid mirum si auris percipit veritatem, cum fides ex auditu, auditus per verbum Dei, verbum Dei veritas sit? *Vox* (inquit) *vox Iacob est*: nihil verius: *manus autem manus sunt Esau*: nihil falsius. Falleris; manus similitudo decipit te. Nec in gustu veritas, etsi suauitas est. Nam quomodo habet veritatem, qui se putat edere venationem, cum domesticis vescatur hœdorum carnibus? multo minùs oculus, qui nihil videt. Sapiens fuit Isaac, sed tamen errauit in sensibus, solos habet auditus verum, qui percipit verbum. sic ille.

Christus in Eucharistia fide notus.

Sensus in Eucharistia falluntur.

In Eucharistia non substantia sed accidẽtia panis & vini.

S. Bernard

15. Deinde ad Isaac historiam appositè adiungit illam alteram Magdalenæ, quæ repulsa est, ne pedes Domini tangeret: auditu enim in hac vita, non tactu vult Dominus à suis fidelibus cognosci. Procedit igitur in hunc modum: Meritò carnem rediuiuam Verbi tangere prohibetur mulier carnaliter sapiens: plus quippe tribuens oculo, quàm oraculo,

S. Bernard.

Fides, nõ sensus ad Eucharistiã exigitur.

Ioan. 20.

oraculo, id est, carnis sensui, quam verbo Dei. *Noli me tangere* (inquit) hoc est, dissuesce huic seducibili sensui, innitere Verbo, fidei assuesce: fides nescia falli, fides inuisibilia comprehendens, sensus penuriam non sentit. Denique transgreditur fines etiam rationis humanæ, naturæ vsum, experientiæ terminos. hæc ille. Cum igitur Diuina fides, quæ Dei hominis corpus & sanguinem sub speciebus panis, & vini agnoscit, & veneratur in Sacramento altaris, supra omne quod sensibile est, sese in altum efferat, sensum vtique ad hoc mysterium contemplandum non requirit, sed infra montem visionis, vbi Dominus parauit sibi victimam, vbi pater filium offert in holocaustum, vbi agnus in syluis hæret, vbi de cælo voces resonant, quæ gladium teneant, ictum cohibeant, & Diuinarum benedictionum thesauros effundant; infra hunc montem (inquam) vera fides Abrahæ dicit ad seruos, hoc est ad sensus corporis: *Expectate hic cum asino: Ego & puer illuc vsque properantes postquam adorauerimus, reuertemur.* Genes. 22. Quomodo enim corpus animale (vt vocat Apostolus) de terra natum, in terra viuens, in terram conuertendum, terrena tantum sapiens ad eminentissimum Diuini mysterij, & sacrificij montem ascendet? Bene igitur S. Bernard. adiungit: Quid interrogas oculum, ad quod non sufficit? Et manus quid explorare conatur, quod supra ipsam est? minus est quicquid ille, vel illa renunciet: sanè fides pronunciet de me, quæ maiestati nihil minuat. Disce id habere certius, id tutius sequi, quod illa suaserit. Ergo tantæ rei definitionem ne credas sensui fidei reseruato: illa digniùs, illa definiet certiùs, quæ pleniùs comprehendet. hæc omnia S. Bern. verè, piè, catholicè. Verùm nostra fides, non Bernardi, aut alicuius hominis testimonio innititur, sed verbo ipso Dei affirmantis: *Caro mea vere est cibus: & sanguis meus verè est potus, &c.* Ioa. 6. *Fides autem ex auditu.* ad Rom. 10. Vbi S. Chrysost. non simpliciter auditum dicit, neque quòd humana verba audire oporteat, & credere; sed sublimis est hic auditus: Est enim auditus per verbum Dei. Deo autem tam loquenti, quàm mirabiliter operanti æquè credere, & obedire oportet, quandoquidem, & opera illius, & mirabilia ex verbis illius sunt. hæc S. Chrysost. In hac vita per fidem ambulamus, in altera per visum beati erimus. Idcirco Dominus Iesus ab oculis hominum ereptus in cælum ascendit, vt interim crederetur, & speraretur: quod ita S. August *in Psalm. 109.* expendit. Quę enim esset merces fidei, nisi lateret quod credimus? merces autem fidei est, videre quod credimus, antequam videremus. Sic autem scriptura personat: *Iustus ex fide viuit.* Non ergo iustitia fidei, si non esset absconditum, quod prædicatum quæreremus, & credendo ad videndum perueniremus. Mirabile ergo mysterium Christi sedentis in dextera Dei, occultatum est, vt crederetur, subtractum est, vt speraretur. ita S. August.

Fides ad Eucharistiam abigit sensus.

A

B

Genes. 22.

S. Bernard.

Eucharistia fides supra naturam.

C

Eucharistia veritas ex verbis Christi.

Ioan. 6.

ad Rom. 10.

S. Chrysost.

D

Vita præsens fidei est & spes in Christo.

D. August.

Eucharistia mysterium fidei.

16. Hæc autem in diuinam Eucharistiam optimè conueniunt: est enim mysterium fidei, in quo credendo, venerando, & amando, Christiana fides exercetur, & mirabiliter elucet. De matre sua Monica sanctissima scribit S. August. Ad pretij nostri sacramentum ligauit ancilla tua animam suam vinculo fidei. sic August. *lib. 9. confess.* Eucharistiam intelligens: ad quam Catholica Dei Ecclesia ligatam se non vinculo tantùm fidei, sed amoris etiam, & profitetur, & gloriatur. Hæc sanè gloria Lusitanæ genti, hoc aureum immò cœleste ornamentum nostræ fidei, quod innexum collo gestamus: serui vt simus, & nominemur sacrosanctæ Eucharistiæ. Rident hæretici, quòd clausis oculis ante Eucharistiam procumbimus: benè clausos corporis sed mentis adapertos habemus oculos: iuxta illud S. Bernard. Videte quam oculata est fides, quàm lynceos oculos habet: cognoscit Dei Filium lactentem, cognoscit in ligno pendentem. sic ille *serm. 2. de Epiph.* Addo etiam: Cognoscit quoque fides Christum Dominum in Eucharistiæ sacramento latentem. At vos, ó hæretici, circa fidem naufragantes, dum sensui corporis (vtpote carnis amatores) nimium creditis, mente exoculati, sine fræno legis Catholicæ tanquam furiosi ruitis in necum præcipiti lapsu equuleones. Noctem vobis facit perfidia, nobis meridiem fides: vbi enim corporis deficit sensus, ibi mens fidei adiuta præsidio Solem iustitiæ in summa oraculorum, & scripturarum luce refulgentem, suósque fideles propria carne, & sanguine sub pastoris habitu pascentem inuenit, veneratur, apprehendit, epulatur. Rogauerat enim: *Indica mihi, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Cant. 1. Etsi autē cubet sub speciebus panis, & vini absconditus: at fidei meridiem efficit, & mentem regali magnificentia pascit. Nam vt perbellè obseruat S. Ambros. rectè dicit: *Vbi pascis*, quia regale est Dei Verbum. sic ille *lib. de Isaac cap. 4.* Nec enim alibi clariùs, & magnificentiùs demonstrat Dominus verum se Regem esse, quam in regali conuiuio sui corporis, & sanguinis, quo suorum pascit animas fidelium. *Indica* (inquit) *mihi* (exponunt Græci Patres apud Theod.) *vbi pascas virtutis cibū omnibus ratione præditis suggerēs, & aqua viua potum ex perenni fonte præbens.* sic illi. Cubat in meridie, quia etsi lateat sensibus, etsi fidei certitudine, citra euidentiam tamen agnoscetur: nihilominus est in meridie; nam supposita veritate scripturarum, nihil magis euidenter credibile habetur in fide Christiana, quàm mysterium diuinę Eucharistiæ. Qui enim credit Euangelio, necesse omnino est credat Christum Dominum esse verum Deum, deinde neque falli, nec mentiri posse; atque adeo omnipotentem, nec illi quicquam esse, aut fingi impossibile: demúmque dixisse: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*; quod & virtute sua omnipotenti, vti dixit, est operatus: alioqui nec verax, nec potens, nec denique Deus esset. Quare optimè S. Hilar. de hoc mysterio edisserens hæc inter alia subiungit. Ipse Dominus ait: *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Ioan. 6. De veritate carnis, & sanguinis non relictus est ambigendi locus. Contingat plane his verum non esse, qui Christum Iesum verum esse Deum negant. sic ille, *lib. 8. de Trinit.* Quid ais nunc ô hæretice? Christum Iesum verum esse Deum negas, cum illius veram, & realem præsentiam in Sacramento altaris negas: atque adeo infidelem te, non autem Christianum profiteris.

E

S. August.

Ecclesia Christi ligata ad Eucharistiam.

Lusitanorū pietas in Eucharistiam.

S. Bernard.

Fides lynceos vsus.

Hæreticorum cæcitas: & ruina.

Fideles in meridie.

Cantic. 1.

Pastor Christus in Eucharistia.

S. Ambros.

Theodor.

Nil magis euidenter credibile, quàm Eucharistia.

S. Hilarius.

Ioan. 6.

Nulla ratio dubitandi de Eucharistia.

Christianus non est qui Eucharistiā negat.

SECTIO IV.

Benedicens ergo illi, ait: Tu es filius meus Esau? Respondit, Ego sum. At ille: Affer mihi, inquit, cibos de venatione tua, fili mi, vt benedicat tibi anima mea. &c. vsque ad *fragrantiam.*

1. B*Enedicens &c.*] Hebr. *Vaibarachéhu* ויברכהו *& benedixit eum.* intellige dictum per anticipationem; nam benedictio secuta est post illa, quæ statim subiiciuntur. Senex ille mirum in modum propensus in Esau, rogat iterum, an sit Esau,

vt

vt omninò certus sit de persona; iterum etiam illuditur a Iacob. Vnde colligo Isaacum contra intentionem suam benedixisse Iacob, quæ ad Esau solùm dirigebatur: nihilominus hac paterna cæremonia exteriùs exhibita Deus omnipotens benedictionem patris in Iacobum direxit. Nec facilè inuenies aliud simile exemplum; nam apud nos sacerdotis intentio tam necessaria est ad muneris sui executionem, vt si desit illa, opus nequaquam sequatur: dogma est indubitabile. Noluit autem Dominus vt Isaac indigno Esau conferret benedictionem, sed Iacob ob merita sua quàm dignissimo; quod etiam semper voluit obseruari: nunquam enim benedictio sacerdotis indigno proficit, nec ipsum sacrosanctæ Missæ sacrificium, cuius est inæstimabile pretium, pro indigno oblatum eidem valet de rigore iustitiæ, vt loquuntur Theologi. Tametsi hoc certum sit valere pro digno oblatum, quantumuis indignus ac flagitiosus sit ipse sacerdos qui obtulit. Quam omnibus manifestam veritatem eleganti quadam similitudine sic exprimit S.Petr.Damian. *lib.grat.cap.*10. Ponamus, vt mali sacerdotes quodammodo vt lapidei sint canales: in lapideis autem canalibus aqua nihil germinat donec per eos decurrens in fœcundas se areolas fundat. Licet enim plures sacerdotes indigni, & reprobi inueniantur: fons tamen ille viuus non restringitur, quominùs per nemus Ecclesiæ perfluat. sic ille. Adde: & riget, fœcundétque plantas, ad quas aqua permeat. Licet igitur Eucharistiæ sacrificium indigno ipsi sacerdoti, a quo offertur, nihil boni conferat; imò miser iudicium sibi manducet, & bibat; nihilominus tamen etiam ab ipso oblatum toti Ecclesiæ fidelium salutare habetur. Vti aqua per saxa decurrens, nihil quidem in iis procreat; at in hortis, ad quos perfluit, mirabilem florum, & pomorum varietatem producit. Optimum quidem foret, si ferculum mihi aureum, aut argenteum cum exquisitis epulis minister apponeret: at si huiusmodi epulas è ferculo fictili, & fuliginoso assumerem, nonne æqualiter illæ mihi saperent, méque alerent, ac si de aureo catino sumerentur? Nec enim coruus panem Eliæ subministrans, quicquam obfuit, quominus pane illo vir ille sanctus aleretur. Sim ego meritis Iacob, & benedictio Isaac, etiamsi indignus ille minister fuisset, mihi omnino proderit. Hoc de argumento sæpiùs idem Petr.Damian. disserens hæc adiungit *cap.*18. *lib. indicat.* Quis Heli sacerdotem nesciat reprobum, & tam pro lenitate sua, quàm pro liberorum effrænata licentia Diuinæ animaduersionis sententia condemnatum: Eius tamen benedictione non fuit sterilis vterus Annæ; cui nimirum fœcunditatem imprecatus est vuluæ: ait enim scriptura: *Benedixit Heli Elcanæ, & vxori eius, & dixit: Reddat tibi Dominus semen de muliere hac: visitauit ergo Dominus Annam, & concepit, & peperit tres filios, & filias.* sic ille perquàm pulchrè. Caligabat oculis, & mente magis, vtpote remissus pater, & indignus Pontifex Heli; sed quia sacerdos benedictione sua fœcunditatem sterili & impetrauit à Deo, & tanquam ipsius minister impertiuit; nec ministri culpa obesse potuit virtuti Dei per illum operantis. Colligit ergo: Hanc vtique benedictionem efficacem reddidit, non meritum hominis, sed officium sacerdotis: & quod non habebat causa ministri, virtus exhibuit ministerij. hæc S.Petr.Damian.

Intentio necessaria in re sacerdotis. — *...a prodest indigno Eucharistia sacrificium.* — S.Petr.Dam. — *Prodest Eucharistia licet ab indigno ministro.* — 3.Reg.17. — S.Petr.Dam. *Indigni sacerdotis prodest ministerium.* — 1.Reg.1. — S.Petr.Dam.

2. Itaque senex certior (vt putabat) factus, quòd ante se habebat filium suum Esau, mensæ accubuit, de appositis comedit epulis, vinum ebibit, quo hausto petiit à filio osculum sanctum, & veri amoris signum: ad benedictionem demum deceptus accessit. Quærit hoc loco Theod. Quare Deus non reuelauit ipsi Isaac voluntatem suam? Respondet, vt pateficeret prouidentia Dei erga Iacob; quod satis constat ex eo, quod Isaac modis omnibus conabatur benedicere Esau. Sed gratia Dei contra quam putasset Isaac transtulit benedictionem super Iacob; quod etiam intellexit ipse Isaac: nam cum omnem operam dedisset, & misisset Esau venatum, & Iacob illi cibum offerret, sæpiùs interrogabat: *Es-ne tu Esau primogenitus meus?* nec solum rogabat, sed etiam manus corpori admouebat. sic ille. Mirandum in modum Dei prouidentia in bonum Iacob sese explicauit. Nullum enim non mouit lapidem senex, vt Esau non autem Iacobo benedictionem impertiret, sed omnes senis conatus illusi sunt. Quod tandem senex seriò expendens Dei voluntatem in Iacob propensam & intellexit, & approbauit. quo in sensu addit Theodor. Postea Esau ingresso stupefactus Isaac ob id, quod factum erat, non est indignatus quasi à filio deceptus esset: sed intentionem Diuinam agnouit, & quam dederat benedictionem confirmauit. hæc Theod. *q.*79. Sic Dominus, vt suam prouidentiam parenti, ac filio euidenter demonstraret, totam hanc historiam ita disposuit, in qua millies Iacob in discrimen vidit se adductum, ne fortè ipsius dolus detegeretur, dum pater nimio plus rogando, attrectandóque, examen faceret perquàm periculosum. Cæterùm iis omnibus difficultatibus, Diuina prouidentia totum agente negotium superatis, Iacob potuit, ac debuit intelligere admirabilem Dei beneuolentiam, qua sufffultus inter Scyllam, & Carybdim enauigans in portum securò euasit.

Theod. — *Mira Dei prouidentia erga Iacob.* — Theod. — *Gnarus Isaac Diuinæ prouidentiæ erga Iacob.*

3. Porrò beatissimus Papa Damasus nostræ Lusitaniæ columen, & ornamentum longè maximum S. Hieronymo hanc eandem quæstionem proposuit: Cur Isaac vir iustus, & Deo charus, non illi, cui voluit, sed cui noluit deceptus errore benedixit? sic Pontifex ad S.Hier. Plura respondet S. Hier. sed quæ magis commentationi huic inseruiunt, sic habent: Sancti viri, & Deo chari, eá tantummodo sciebant, quæ eis à Domino reuelata sunt: ignorabant verò quæ eis reuelata non fuerant. Vnde non mirum est, & Isaac in suam maximè vtilitatem nescisse quid faceret: cum magis eo tempore erraret, quo filium sanguinariæ deditum voluptati, & eum qui posteà fratrem si posset, occideret, prætermisso illo, qui innocenter habitaret domi, vellet efferre, & suam magis voluntatem faceret, quam Dei. Ego puto Diuinæ dispensationis fuisse, vt oculis cæcaretur: & cum ipse diceret: *Vox quidem, vox Iacob est: manus autem, manus Esau*: tamen non intelligeret minorem esse filium, qui ad benedictionem fratris præreptor astiterat. hæc S.Hier. Itaque profuit seni, vt cæcutiret, vt falleretur, ne contra voluntatem Dei quicquam efficeret, maléque præferret iusto, & sancto filio alterum (vt bene aduertit Procop.) qui totus immersus fuit seculi curis, & ob id alienus à spe in Deum. sic ille. Nihil non molitur Isaac, vt benedicat Esau; idque ita disponente Diuina prouidentia, nimirum quo ostendatur (ait S. Chrys.) quòd vniuersum à Dei gratia erat, quæ efficiebat, vt pater nihil horum attenderet, & Iacob paterna frueretur benedictione. Et quidem pater victus naturali affectione omnia fecit; Deus autem futura præcognoscens, & in virtutum nota seruos suos insignire solitus, rem totam hunc in modum dispensauit. hæc S. Chrys.

S.Damasc. — D. Hieron. *Non omnia Dei arcana patribus patuerunt.* — *Profuit Isaac cæcitas.* — Procopius. — D.Chrysost. — *Nec bonus præmio nec malus pœna priuatur à Deo.*

Et

Etsi autem serò interdum videatur, tandem Dominus seruis suis fert opem, eorúmque virtutes, ac merita Diuinis beneficiis condonat: contra verò scelestum nunquam deseruit pede pœna claudo.

4. *Accessit, & osculatus est eum, &c.*] Non solum, vt esset amoris mutui egregium testimonium, sed vt (quod Diuina prouidentia disposuerat) benedictio donanda in eam personam (quæcunque illa esset) caderet, quæ per mutuum osculum tangebatur, sese pater, & filius osculati sunt. quod S. Chrys. ita obseruat. Vt nequis opinetur, vt in personam Esau benedictionem fecerit, sed in illum, quem osculatus est. hæc S. Chrys.

S. Chrysost.

Osculum Domini purum & dulce.

B

At quantò dulcius illud osculum, quod Dominus Iesus à suis seruis, & amicis expetit, atque illud hospiti suo denegasse vehementer exprobrat Simoni leproso: *Osculum mihi non dedisti?* Luc. 7. Qua de re audi S. Greg. Nyss. *homil. 1. in Cant.* Neminem vult Dominus eorum, qui salui fiunt, expertem esse sui osculi: est enim eius osculum purgamentum huius sordis. Quamobrem mihi videtur exprobrare Simoni leproso: *Osculum mihi non dedisti.* Luc. 7. Reuera enim fuisset mundatus ab ægritudine si ore attraxisset puritatem. hæc Nyss. Nam vt nebulonum, & meretricularum oscula omnem turpitudinem fœtorémque tartareum exhalant, sic per oscula sancta, & pura, quæ anima sponsa Dei carni virginali Christi Domini suauiter imprimit, admirabilem ebibit puritatem. Appropinquat enim (adiungit idem Gregor.) anima fonti vitæ, & sponsa conglutinatur Spiritui, & fit Spiritus. sic ille. Appone hîc illud, quod identidem repetere nunquam fastidio est ex Psal. 2. *Apprehendite disciplinam.* Hebr. *Naxecu bar* נשקו בר *osculamini filium, purum, puritatem, triticum, panem.* De Filio Dei, qui homo factus est, & habitauit in nobis, & in Diuina Eucharistia realiter, veréque continetur, haud dubie sermo est. Hanc osculorum purissimam suauitatem semel prægustantes viri iusti, dum Diuinis in hac vita contemplationibus student, sæpiùs percipere desiderant, ac proinde cum Sponsa repetunt. *Osculetur me osculo oris sui*; seu, vt Græci legunt, *osculis oris sui.* Sic Moyses (inquit idem S. Greg. Nyss.) qui dignus est habitus cum Deo loqui *facie ad faciem*, Exod. 33. vt testatur scriptura, eiusmodi osculorum maiori tenebatur desiderio, postquam ei toties Deus apparuisset, rogans vt videret quem desiderabat, perinde, ac si nunquam eum esset contemplatus. Ita cæteri omnes, quorum Diuinum desiderium insidebat in imis penetralibus, nunquam suum sitierunt desiderium, quicquid eis diuinitus eueniebat, quo fruerentur eo, qui desiderabatur, materiam arripientes & fomitem maioris desiderij, quomodo etiam nunc, quæ Deo coniungitur anima, satiari non potest fruitione, quo copiosiùs fruitione impletur, eo vehementiori vigens desiderio hæc S. Greg. Nyss. Pulchrè à S. Chrysost. (quod alibi iam retulimus) dicitur Pietas insatiabilis. Nec enim anima quæ se totam Deo tradidit, vnquam in illius amore, contemplationéque fastidium sentit; immò quò vehementiùs Deum amat, & familiariùs cum illo conuersatur, maiori adhuc studio, & ardentiore desiderio in illum fertur, ac si primò nunc Deum cognoscere, amaréque inciperet.

Luc. 7.

S. Greg. Nyss.

C

S. Greg. Nyss.

Psalm. 2.

Osculamur Iesum in Eucharistia.

D

S. Greg. Nyss.

Exod. 33.

Deus quò magis gustatur, eò magis desideratur.

E

D. Chrysost.

5. Origen. locum exponit de Incarnatione Verbi, quam Ecclesia incredibili quadam cupiditate, ac solicitudine à Deo Patre precabatur. sic enim ait: Vox Sponsæ deprecantis auditur: *Osculetur me osculo oris sui.* Sensus est, Quousque Sponsus meus mittit oscula per Moysen, mittit oscula per Prophetas? iam ipsius cupio ora contingere: ipse veniat, ipse descendat. Orat igitur Sponsi Patrem, & dicit ad eum: *Osculetur me, &c.* hæc Orig.

Origen.

Incarnatio Verbi expetita ab Ecclesia.

Cantic. 1.

A

Eundem sensum colligit S. Ambros. *lib. de Isaac cap. 3.* Deinde alium adiungit de præsentia Dei per osculum significata, quæ cum admirabilem quandam secum dulcedinem menti ingerat, præsentissimum solet esse remedium contra mendacem, & inuerecundam terrenarum voluptatum suauitatem. Quocirca (vt S. Ambros. *cap. eodem* ait) anima eleuans se à corpore, abdicatis luxuriæ deliciis, voluptatibúsque carnalibus, exuta quoque solicitudine secularium vanitatum, iamdudum infusionem sibi Diuinæ præsentiæ, & gratiam Verbi Saluatoris exoptat, contmaceratur quod serò veniat, & affligitur. hæc ille. Hac tamen Diuinæ præsentiæ dulcedine non perfruuntur, nisi qui carnis illecebras iam prorsus abhorruerint, vt hæc bene aduertit S. Ambros. Video etiam per hæc mutua Dei, & animæ oscula intelligi à patribus, & doctoribus communionem Corporis, & Sanguinis Domini, de qua ipsemet contestatur. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Ioa. 6. In participatione Diuinæ Eucharistiæ Deus communicatur animæ, animáque se totam in Deum transfundit, quod quidem per oscula innuitur, vt idem S. Ambros. sic obseruat: Osculum est, quo inuicem amantes sibi adhærent, & velut gratiæ interioris suauitate potiuntur. Per hoc osculum adhæret anima Deo Verbo, per quod sibi transfunditur spiritus osculantis: sicut etiam ij qui se osculantur, non sunt labiorum prælibatione contenti, sed spiritum suum sibi inuicem videntur infundere. hæc Ambr. *loco iam indicato.* Sed quid de carne ipsa Domini, quam in Sacramento epulamur, nostram in carnem transfunditur? Nimirùm puritas quædam admirabilis ab omni fæce vitiorum, vt nostra caro, quæ priùs fuerat seminarium omnium scelerum, quæque animam cui adhæret, suo soleat cœno polluere, nunc adunita carni purissimæ Dei hominis, instrumentum sit omnis puritatis. audi in hanc sententiam Theoph. Quia prior (inquit) carnis nostræ natura corrupta est à peccato, vitáque destituta est, dedit nobis Christus suam impeccabilem, & omnis peccati expertem, viuacem, & vitæ plenam, similem tamen nobis carnem, vt eam assumentes in ipsam permisceamur, & viuamus citra peccatum, quatenus licet. hæc ille, *in 1. Corint. 10.* Rectè sensus huiusmodi aptantur osculis Domini, quæ Sponsa illa non minùs pura, quàm amans auidissimè expetebat.

S. Ambros.

Dulcedo Diuinæ præsentiæ.

B

Ioann. 6.

Anima Deo communicata.

S. Ambros.

Quorsum à natura osculum.

C

Theoph.

Caro Christi in Eucharistia vita & puritatis fons.

D

6. Sed mihi nec alius æquè literalis, ac proprius, nec ita dulcis videtur sensus horum verborum, quàm quòd in iis significentur desideria, suspiria, preces, lacrymæ, quibus beatissima semper Virgo Maria promissam à Deo sui diuini Verbi incarnationem iugiter precabatur. *Defecit* (aiebat) *caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Psalm. 72. Etsi enim Virgo summè humilis non se reputaret dignam, cui tam supra omnem naturam Deus conferret dignitatem, vt Mater Dei esset: tamen Deo interiùs commouente, & futuri mysterij intermicantem aliqualem fulgorem ostendente, ad hæc verba repetenda identidem ferebatur, quasi iam præsentiens vim diuini Spiritus, quo superueniente caro, & anima sua tam immenso replenda erat gaudio: quippe cum sola ipsa inter omnes creaturas verè possit dicere: Deus cordis mei, pars mea Deus: hoc est, Deus homo fiet pars mea, Filius meus, fructus

B. Maria expetit incarnationem Verbi.

E

Psalm. 72.

Psalm. 72.

B. Maria dulciter de Filio Deo loquitur.

vteri

vteri mei, cato de carne mea, os ex ossibus meis, sanguis de sanguine meo: Deus erit cordis mei, vel animæ meæ, quæ tota exultabat in Deo salutari meo: vel Deus pectoris mei, vbi latet cor: Etenim Filius meus inter vbera mea commorabitur. Hoc idem desiderium exprimebat iam fœta Deo Virgo, antequam pareret, repetens: *Osculetur me osculo oris sui*, vel *ab osculo oris sui*, vel *osculis oris sui*. Sensus est: Vtinam iam aliquando Deus misericors votis Prophetarũ, ac totius generis humani desideriis annueret, mitteréque agnum dominatorem terræ, disrumperentur cæli, & descenderet Saluator, iustus, & ipsa iustitia, sol oriens, abundantia pacis, Emmanuel Deus nobiscum! O me felicissimam, cum diuinitus mihi concessum erit videre, osculari, tractaréque manibus ipsummet Infantulum Dei Verbum ex meis natum visceribus! Traxerunt quidem è sinu Patris ad vterum Matris verbum Dei, & preces, & vota, & gemitus, & lacrymæ Virginis piissimæ. Nam proculdubio vota, & preces iustorum, ipsáque mendicitas humani generis admirabili quadam vi permouerunt Dei Filium, vt in terras tandem veniret, iuxta illud: *Propter miseriam inopũ, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus*. Psalm. 11. Caiet. legit: *A deuastatione pauperum, à suspirio mendicorum nunc consurgam*. Declarat verò ad hunc modum. Significatur amor Diuinus ad releuandos pauperes à desolatione: & similiter ad satisfaciendum desiderio mendicorum. Per deuastationem significatur status humani generis ante Messiam deuastatus quoad bona animæ, per suspirium autem naturale desiderium ad beatitudinem insitum humano generi, quod cecidit à statu innocentiæ, in illis apparens, qui recognoscebant casum suum, quales erant viri iusti, qui suspirabant ad Messiæ aduentum. hæc ille. At his iustorum votis, ac precibus pro deprecanda incarnatione Verbi diuini, quid a Deo redditum est? Sequitur: *Ponam in salutari*. Hebr. אשית בישע *ponam in salute*: declarat Caiet. Dicit: nunc, non in fine mundi, consurgam ad prouisionem faciendam. Et ecce prouisio. Ponam humanum genus in salute, in Messia afferente salutem. hæc Caiet. Vide quam sit efficax gemitus, & supplicatio iustorum.

Cantic. 1.

Desiderat Virgo Maria partum sui.

Preces iustorum pro incarnatione Verbi.

Psalm. 11. Caietan.

Desideria humani generis pro incarnatione Verbi.

Efficax oratio iustorum.

Caietan.

7. Sed longo interuallo potentior fuit vox illius turturis, quæ audita est in terra; nam simul atque illa personuit, diuinum Ver appetiit, floresque apparuerunt, Deus homo natus e Virgine, Virginitas cum fœcunditate Matris, fœcunditas cum Virginitate, infinitæque aliæ gratiæ ad aduentum Dei in prato amœnissimo Ecclesiæ pullularunt. Verùm etsi tanta fuerit efficacia in gemitu precéque Virginis, longè maior extitit in vitæ illius sanctitate, morúmque puritate, vt Deum in vterum suum attraheret. Erant enim Virgini (inquit S. Georg. Nicom. *de præs.*) mores incomparabiles, & erat eius vitæ agendæ ratio composita virtutibus. O summam puritatem! ô ascensum ætatis, quales scalas honestatis statuit ad cælestem altitudinem, per quas Verbum descensu nouo ad nos descendit, per quas quod inferiùs erat situm terrenum naturæ tabernaculum, ascendit ad cælos. hæc ille. Nimirum Virgo Deipara vti est scala, per quam Deus ad nos descendit, ita est etiam, per quam nos ad Deum ascendimus. Hæc est illa ianua, per quam Deus ad nos, & nos ad Deum subintramus. Venerunt nobis omnia bona pariter cum ea. Eat ergo (monet S. Andreas Cretens. *de dormit. Virg.*) prompto, & alacri animo vnusquisque ad thesauri Virginis repositorium; omnes Deo reconciliemur. Ecce fons immortalitatis,

Potentissima supplicatio B. Mariæ.

S. Georg.

B. Maria scala & ianua inter Deum, & homines.

S. Andreas. *Inuocanda B. Maria.*

A qui non potest exinaniri: ecce vitæ fluuij perennes: adeste omnes, efficimini immortales. hæc ille. Sed ad oscula sponsæ redeo. S. Ambros. & alij legunt in plurali. *Osculetur me osculis sui oris*, in quo perseuerantiam amoris indicari certũ est. Cur enim Deus magni faciat vnũ, vel alterum animæ osculum, hoc est, vt semel amet, & statim ab ardore illo desistens, in desidiam, & languorem relabatur? Non vnum ergo (inquit S. Ambros.) osculum quærit, sed plura oscula, vt desiderium suum possit explere. Quæ enim diligit, non est vnius osculi parcitate contenta, sed plura exigit, plura vendicat. & ita se amplius dilectó commendare consueuit. Denique illa in Euangelio sic probata est:
B *Quia non cessauit* (inquit Luc. 7.) *osculari pedes meos, & ideo remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Ergo & hæc anima oscula Verbi multa desiderabat, vt illuminaretur diuinæ cognitionis lumine: hoc est enim osculum Verbi, lumen scilicet cognitionis sacræ. hæc S. Ambros.

Perseuerantia in charitate Dei.

D. Ambros.

Luc. 7.

Cognitio Dei.

8. Fit hæc mutua Dei, & animæ deosculatio in oratione, in qua Deus mentem illustrat Diuinorũ mysteriorum splendoribus, quibus anima veluti Diuino semine fœcundata illico parturit ardentissimos erga Deum suum amores: itaque Deus animam osculatur illuminando: anima verò Deum osculatur amando. Quod idem S. Ambros. ita clarius exprimit: Osculatur nos Deus Verbum quando cor nostrum, & ipsum principale hominis spi-
C ritu Diuinæ cognitionis illuminat, quo anima donata, charitatis pignore nuptiali læta atque ouans dicit: *Os meum aperui, & attraxi spiritum*. Psal. 118. hæc S. Ambros. Potest etiam hic explicatus adiungi, vt per oscula intelligantur Dei beneficia, & animæ officia; ille conferat, ista referat. Porrò vtroque in sensu omnia egregiè conueniunt in Virginem Deiparam. Nulli enim creaturarum nec æqualia beneficia Deus contulit, nec suorum arcanorum thesauros ita largiter commisit, quam Virgini beatissimæ; nec vlla etiam creaturarum, aut pari amore, aut æqualibus obsequiis Diuinam illustrationem complexa, & Diuinam beneuolentiam prosecuta est. Quæ omnia proculdubio ab ipsa Virginis immaculata conceptione, vsque ad
D illius assumptionem in cælos extiterunt; tum vel maximè per totam Christi Domini vitam cum Matre sanctissima agentis considerari possunt. Ab ortu enim Saluatoris (inquit S. Arnold Carnot. *de laud. Virg.*) vsque ad baptismum anni triginta defluxerant, nec toto hoc tempore seiuncta est Mater à Filio, semper indiuidua astitit, & Diuini conscia secreti, humili affectu venerabatur vt Deum, amplectebatur vt Filium. sic ille. Optimè quidem de Matre erga Filium: at de Filio ergo Matrem, quis quod intercesserit explicabit? Illud tamen supremum in morte amoris signum mihi tantum hoc loco sufficiat cum eodem Arnold. Carnot. expendere, qui hæc apponit: Expiraturus Iesus Matrem tanto affectu honorat: quasi sui immemor
E ad Matrem de cruce conuertitur, & colloquitur, intimans, quanti apud eum meriti esset, & gratiæ, quam solam in illo puncto respiceret, cum iam in vltimis esset. Mouebat eum matris affectio, & omnino tunc erat vna Christi, & Mariæ voluntas; vnumque holocaustum ambo pariter offerebant Deo; hæc in sanguine cordis, hic in sanguine carnis. Virgo cum Christo communem in salutem mundi effectum obtinet. hæc Arnold. Gladius quippe doloris animam Virginis iuxta Filij crucem stantis pertransiuit: atque adeo Filius in carne crucifixus, Mater in anima simul confixa cum Filio dolebat, patiebatur, moriebatur. Proh quan-

S. Ambros. *Mera suauitas orationis.*

Psalm. 118.

Gratitudo erga Deum.

B. Maria creaturarum sanctissima.

Qualiter cũ filio viuebat B. Maria. S. Arnold.

S. Arnold. *B. Mariæ affectus, & dolor iuxta crucem Filij.* Ioann. 19.

A tum delicta nostra, & Filio & Matri nocuerunt! Væ tibi (exclamat S. Bernard.) amaritudo peccatorum nostrorum, propter quæ soluenda tanta amaritudo necessaria est! ita Bern. de Passione.

S. Bernard.

9. *Sensit vestimentorum illius fragrantiam.*] Complexus pater filium, ósque ori coniungens percipit odorem vestis, quem non nisi è propinquo percepisset: quo argumento bene concluditur non fuisse vestem vnguentis oblitam: latiùs enim diffunditur vnguentorum odor, & à longè percipitur. Credit Lyppom. vestem illam odorifera quadam materia intertextam pro regionum moribus esse: sed alij non probant, nec morem illum vsquam inueniunt: verosimilius est quod supra iam statuimus. Nihil æquè senem permouit, & oblectauit, atque odor, quem, vt sensit, statim benedictionem impertiuit, immò hanc ab illo peropportunè, suauitérque auspicatus est. Et quidem cum multa in suo sponso anima illa dilecta pariter, & diligens admiraretur, primum tamen omnium illius odorem percelebrauit, inquiens: *Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Cant. 1. Quin etiam, si rectè locum expendas, ante omnia sponsa odorem dilecti sui percepit, denique illo delinita, & excitata in desiderium osculandi prorupit: *Osculetur me osculo oris sui.* Reddit autem rationem horum votorum: *Quia meliora sunt, &c.* Ad quæ verba sic S. Ambros. *lib. de Isaac. cap.* 3. Illa osculum poposcit. Deus Verbum se ei totus infudit, & nudauit ei vbera sua: hoc est, dogmata sua, & interioris sapientiæ disciplinas, & vnguentorum suorum dulci odore fragrauit. Quibus capta iam dicit vberiorem esse iucunditatem Diuinæ cognitionis, quam lætitiam omnis corporeæ voluptatis. Aspirat enim in verbo odor gratiæ, & remissio peccatorum, quæ in totum diffusa mundum, omnia tanquam exinanito repleuit vnguento; quia per vniuersos grauis vitiorum colluuies detersa est. hæc S. Ambros. O odorem, ô odorem! Vnguentum est Dei misericordia, quæ fragrantissimam spirat suauitatem, quà perfusi peccatores, de suo cœno ac volutabro vitiorum ad pœnitentiam accurrunt, in qua misericordiam Domini, & gratiam illius suauissimam consequuntur. Iccirco tam ardenter sponsa Dominum suum dilexit, & cum illa pariter adolescentulæ cucurrerunt ad visendum, amplectendum, amandúmq; Deum suum (qui antea horribili habitu apparebat Moysi, inter fumigantis camini metuendas fulgure nebulas) eo quòd venit tandem vnguento delibutus, & Diuinum spirans odorem. Hinc optimè ad eadem verba Cant. 1 loquitur Origen. Sponsus (inquiens) Christus missus à Patre venit vnctus ad sponsam, iuxta illud: *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.* Psalm. 44. Si me tetigerit sponsus, & ego boni odoris ero, & ego liniar vnguentis, & ad me vsque eius vnguenta peruenient: vt possim cum Apostolo dicere: *Christi bonus odor sumus in omni loco.* hæc ille.

Lyppom.

B

Cantic. 1.

Diuinæ dulcedines ab anima percipiuntur.

S. Ambros.

C

Suauitas Diuinæ misericordiæ.

Venit ad nos Iesus vnguentis perfusus.

D

Cantic. 1. Origen.

Psalm. 44.

2. Cor. 2.

Odor virtutū Christi.

E

10. Significantur etiam per odorem gratiæ, virtutésque omnes Christi, quarum suauitas vbique diffusa incredibili voluptate iustorum animas perfundit. Sed tamen adhuc sunt permulti, qui nomen Christi, & fidem profitentur, at illius odorem non imitantur: imò turpissimum omnium scelerum exhalant fœtorem. quod idem Origen. & animaduertit, & deplorat in hunc modum: Nos autem cum hæc audimus, adhuc peccatis vitiísque fœtemus; de quibus Propheta pœnitens loquitur: *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.* Peccatū odoris est putidi, virtus spirat vnguenta. hæc Origen. Cur ergo suauitatem odoris, quæ in virtutibus est, non amamus, non sectamur, & miseri, turpésque, ac fœtidi computrescimus inter stercora vitiorum? Odorem etiam illum, de quo Apostolus, in iis esse videmus; qui Christi Domini vitam & passionem imitando, in seipsis ita exprimunt, vt Christum ipsum redoleant. Quod subtiliter admodum Propheta ostendit, cum cecinit: *Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo.* Psal. 44. En odores Christi, myrrha, gutta, & casia in vestimentis Christi, vel in ipsa Domini humanitate, vel in Sanctis, qui etiam non semel in sacris literis dicuntur vestimenta Dei. Spirant itaque omnia in Christo virtutum, & gratiarum suauissimos odores, qui deinde excepti in domibus eburneis, ab illis etiam refunduntur. Sed quænam sint hæ domus eburneæ, accipe ex S. Hieron. Domos (inquit) eburneas propter magnitudinem elephantorum, domus amplas accipimus. Sed ebur nisi radatur limis, diuidatur serris, ac subulis perforetur, obscurum, & horribile est: tales & Apostoli erant, antequam vocarentur, & inhabitarentur. Sed postquam vocati sunt, serris secti, vngulis rasi, scalpellis scalpti, flammis igniti, ac diuersis suppliciis elimati, facti sunt domus Dei, in qua ipse Christus dignaretur inhabitare. hæc S Hieron Sunt quidem Apostoli primæ, & amplissimæ domus eburneæ, in quibus omnia Christi vnguenta, & odores asseruantur: indéque emanant in alios Ecclesiæ iustos.

Origen

Fœtet peccatum, virtus redolet.

Psalm. 37.

A

Psalm. 44.

Exēpla Sanctorum.

B

D. Hieron.

Sancti domus Christi.

Apostolorum dignitas,

C

11, Additur enim: *Ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo.* Declarat enim vlteriùs idem Hieron. Horum exempla (inquiens) sequentes martyres, effecti sunt suorum corporum reges: istorum regum sunt filiæ animę sanctæ, quæ Christum delectarunt, honorando nomen maiestatis eius, & præconando misericordiam eius. hæc S. Hieron. Et quidem odor Christi est Paulus dum prædicat, sicuti addit: *In iis, qui salui fiunt, odor vitæ in vitam.* 2. Corinth. 2. Quod vtique de exemplo vitæ in concionatore verbi Dei intelligitur. Hoc autem tam præclarum erat ob admirabilem vitæ sanctitatem in Apostolo, vt illius efficacitate potiùs, quàm doctrinæ verbo, aut miraculis gentes permotæ ad Christi fidem traherentur. Non trahet ad Christum, qui bonus Christi odor non erit, hoc est, qui vitæ suæ moribus Christi vitam non redolebit. Iccirco Moysi, cum ad prædicandum populo mittendus esset, dictum à Domino est: *Solue calceamenta de pedibus tuis.* Exod. 3. Nimirū (quod pulcherrimè obseruat S. Ambros.) vt vocaturus populum ad Dei regnum, priùs carnis exuuias deponeret, & nudo spiritu, vestigióque mentis incederet. ita S. Ambros. *lib. de Isaac. cap.* 4. Vniuersim autem certum hoc est, parum, aut nihil in aliis ad virtutem promouendis proficere, qui vitam gerat vitiis pollutam. In quo argumento multa diuinitus dici consueuerunt: hoc vnum in præsentia mihi sit satis ex Tertul. *lib. de patientia.* sic effatur: Oportet demonstrationem, & commendationem alicuius rei adortos, ipsos priùs in administratione eius rei deprehendi, & constantiam commouendi, propriæ conuersationis autoritate dirigere, ne dicta factis deficientibus erubescant. hæc Tertul. *cap.* 1. Planè si quis sapiet, verecundabitur ea docere alios, quæ ipsemet non obseruat. Dicere bene, & malè viuere summa est impudentia. Neque huiusmodi prædicatoribus deest, vel palma, vel nomen sanctorum martyrum. Magnum quippe (ait S. Laurent. Iustin. *serm. de S. Martin.*) prorsus est hoc martyrij genus vltro se pro Christi honore dare periculis. Audi sine ferro martyrem

D. Hieron.

SS. Martyres in Ecclesia reges.

2. Cor. 2.

S. Paulus exemplo conuertit orbem.

D

Exod. 3.

D. Ambros.

Exemplū vita cum doctrina.

E

Tertull.

S. Laur. Iust.

Martyr est sanctus prædicator.

rem ex sola charitate morientem: *Quotidie* (inquit Paul.) *morior propter gloriam vestram, fratres, quæ est in Christo*. 1. Corinth. 15. hæc ille.

1. Cor. 15.

12. Denique vbera Domini, & Apostolorum, atque eorum, qui veri sunt in Ecclesia prædicatores, dicuntur fragrantia vnguentis optimis: suauissimos enim omnis honestatis, & virtutis odores in audientium animos inspergunt: contra verò dæmones, ac dæmonum satellites, vti pseudoapostoli, hæretici, & mahometanorum magistri, & quicunque alij, etsi Christiani, scelerum tamen administri, retiáque inferni, & volutantur in cœno vitiorum, & alios in eandem spurcitiem compingunt. Ita prodigus ille, ac perditus adhæsit vni hero, qui misero iussit, vt pasceret porcos. *Luc.* 15. vbi Euseb. Emisl. Porci dæmones sunt, qui in fœtore, & stercore vitiorum delectantur. Hos autem porcos illi pascunt, qui eorum voluntari obediunt, eorúmque desideria complent. Quicunque igitur iniquitates operantur, magnam his porcis refectionem parant. hæc ille. O miserandum hominis statum! quid infelicius hoc prodigo, ac perdito adolescente, qui porcos pascit, hoc est, fœtidissimis dæmonibus suorũ scelerum impuritates tanquam siliquas, & abiectissimum cibum subministrat? Sed vnde tantum hoc illi malum? Profectò quia Dei præsentiam à se depulit, & memoriam Dei prorsus excussit. Audi Euseb. verba Euangelistæ commentantem. *Abijt in regionem longinquam*. Omnis quidem regio longinqua est, quæ à Deo longè est: à Deo longè fit, qui vitiis appropinquat. Facta est fames, cœpit egere. Magna egestas est in peccatore illo, vbi verbi Dei memoria nulla habetur: quod quidem posteaquam fit, totus iam homo diabolo traditur, totúsque ab eo possidetur. hæc Euseb. Postremò vt summam odorum Christi suauitatem non percipiamus modò, sed ad illam etiam curramus, iuxta illud: *Trahe nos post te, curremus in odorẽ vnguentorum tuorum*. Cant. 1. haud dubiè vestimenta veri Iacobi, nimirùm Christi, sanctissimam illius humanitatem significant; quod apud Isaiam clarius habetur. sic enim infit: *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, &c.* 63. Illa igitur humanitate indutus Dei Filius Patrem orat in cruce, benedictionémque petit in omne genus hominum impertiendam. Ac quinam illius odores? Certè Domini pendentis in Cruce patientia, oratio, Sanguis ille pretiosissimus, qui vbertim defluebat, merita infiniti pretij, vno verbo secundùm S. Ambros. dulcis misericordia. sic enim loquitur, *lib. de Isaac. cap.* 3. *Attrahe nos, post odorem vnguentorũ tuorum curramus*. Cant. 1. Dulcis quidem misericordia, quæ ad omnes peruenit. Propter hanc (inquit) indulgentiam tuam diligunt te animæ, &c. hæc S. Ambros. Hæc scilicet vnguenta misericordiæ diffusa per omne genus humanum fuerunt, cum fractum est Corporis Dominici alabastrum, & Dominus in Cruce vsque ad mortem exinanitus est. quod S. Bern. alibi considerat de his vnguentis, & odorum suauitate ad sese omnia pertrahentium dixit Dominus: *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*. Ioann. 12. cui consonat dictum Sponsæ: *Trahe nos post te*. Exaltatus enim in Crucem Dominus omnia traxit ad se, cum regnauit à ligno Deus ad exinanitum quippe sanctissimæ illius humanitatis vnguentum, ac latè per omnem mundi machinam diffusos odores tractæ, & illectæ occurrerunt animæ fidelium.

Sancta prædicatorum doctrina.

Ministri malæ doctrinæ.

Lucæ 15.
Euseb. Emis.
Porci dæmones pascuntur à vitiosis.

Peccator Dei oblitus, & diabolo adhæret.
Euseb. Emis.

Humanitas Christi suauissime odoris.

Cantic. 1.

Isaiæ. 63.

Spirat Christus in Cruce odores.
S. Ambros.

Dulcis misericordia Christi.

S. Bernard.

Ioan. 12.
Victor hominum in Cruce Christus.

13. Sic verò anima per Passionem Domini attracta illi crucifixo inhæret, vt nihil frequentius, ac dulcius meditetur, quàm Domini sui Passionem: hac enim sua meditatione concalescit cor ipsius, & amoris exardescit ignis. Iccirco illa (vt obseruat S. Bernard.) precabatur: *Trahe me post te, in odorem vnguentorum tuorum curremus*. Propterea opus habeo trahi; quoniam refriguit in me ignis amoris tui, nec valeo à facie frigoris huius currere. sic ille, *serm.* 21. *in Cant.* 1. O felix anima, cui diuinitus datum est, vt Domini Passionem iugiter in cogitatu, & in affectu habeat, inquiens: *Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi, inter vbera mea cõmorabitur*. Cant. 1. Hoc erat iuge, ac pium S. Bern. studium, vt de se ipse fatetur his verbis: Ego ab ineunte mea conuersione pro aceruo meritorum, quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare, & inter vbera mea collocare curaui, collectum ex omnibus anxietatibus, & amaritudinibus Domini mei. hæc ille, *serm.* 43. *in Cant.* Proh! quanta cum sancti amoris dulcedine repetebat identidem S. Ignatius (vt refert in vita illius Trithem.) Amòr meus crucifixus. Hoc amore inflammati, his vnguentorum odoribus illecti, hac Domini Passione concitati beatissimi Martyres ad supplicia, ad tormenta, ad patibula, ad mortem denique alacri, & constanti animo cucurrerunt. Ex eo enim (inquit S. Greg. Nazianz. *orat.* 42.) quòd passus est Dominus, ad patiendum nos erudit. sic ille. In hanc Domini sui Passionem mente, oculísque intentus Apostolus aiebat: *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum*. ad Philip. 1. Pati enim, & persecutionibus afflictari Paulo, & Sanctis viris pro Christo Domino crucí affixo, tam charum, tam dulce, quàm ipsamet vita semper fuit: quod egregiè adnotauit S. Ambros. *in* 2. *Timot.* 4. ad hũc modum: *In prima* (inquit Apostol.) *mea defensione nemo mihi affuit*. Pressuram, & tribulationes sibi illatas defensionem suam nuncupat: passio enim Christianis vita est, & persecutio defensio. sic ille. Ac pati quidem innocentem pro Dei obsequio à nocentibus, ita gloriosum est, vt hoc maximè titulo primum inter homines sanctum, & Martyrem Deus fecerit Abelem. Ne miremur igitur (inquit S. Saluian.) nunc sanctos homines quædam aspera pati, cum videamus, quòd iam tunc Deus etiam per maximum nefas primum sanctorum Abelem siuit occidi. sic ille, *lib.* 1. *de prouid.* Ita suos Dominus honorat seruos, cum despici, proculcari, & opprobriis sinit illos saturari. Hæc militia, hæc victoria, hic triumphus, & gloria est Christianorum. Sic crucifixo Domino suo confixi, & similes, & conformes imagini eius, & vnus spiritus cum ipso efficiuntur. Qua doctrina fideles in primæua Ecclesia, continuis, & maximis persecutionibus afflictos B. Petrus ita consolatur. *Communicantes Christi passionibus gaudete. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam, quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est eius spiritus, super vos requiescit*. 1. Petr. 4. Passio enim vestra (occurrit hic Caiet.) glorificatio est, vt in præsenti (habetur in Glossa) sitis honorabiles in bonis operibus, & in futuro participes honoris Christi. ita Glossa. Ita etiã recreat Dominus seruos, & amicos suos, cũ eos non tam ad patiendũ, quàm ad bibendum; non tam ad angustias, & dolores, quàm ad calicem dulci nectare plenum inuitat. Iccirco enim passionem calicis nomine frequenter admodum significauit. Ac morti denique iam vicinus *sciens Iesus quia omnia iam consummata sunt, vt consummaretur scriptura, dixit: Sitio*. Ioann. 19. Nimirum exactis omnibus vnum restabat in cruce tolerandum hausti fellis tormentum; cumque satellites illud propinare obliuiscerentur, clamat Do-

Meditatio Passionis Domini vtilissima.
S. Bernard.

Cantic. 1.
S. Bernard.

S. Ignat.
Passio Domini excitat ad martyrium.

S. Greg. Naz.

ad Philip. 1.
Dulce iustis pro Christo pati.

S Ambros.
2. Tim. 4

Gloriosum est pro Deo pati.

S. Saluian.

Primus Sanctorum Abel occisus.

1. Petr. 4
1. Caietan

Potionem fellis Christus in Cruce sitit.

Ioann. 19.

minus, Sitio. quasi dicat: hoc minus fecistis, date quod estis. ait S. Aug. Propinate fel: hoc vnum restat, hoc vnum sitio, huius tam mihi grata, & dulci potione ardentia corporis viscera refrigerabo, & fugientem vi mortis animam recreabo.

D. August.

SECTIO V.

Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, & vini. &c. vsque ad *repleatur.*

1. *Ecce odor,&c.*] Hebr. *reeh reách beni* ראה ריח בני, *vide odorem filij mei.* Noster, Chald. & LXX. *Ecce*: neq; impropriè cum semper vtantur Hebræi imperatiuis pro aduerbiis demonstrandi. In Hebræo non est *pleni*, sed apponitur a LXX. Sensus est: Sentio fragrantiam odoris ex vestibus filij mei persimilem illi suauitati, quam ex se verno tempore ager odoriferis pictus floribus exhalat; cui scilicet omnipotens Conditor, & gratiam florum, & fructuum fœcunditatem præstando amplissimam, & gratissimam suam benedictionem effudit. De odore Iacob, & Christi Domini, cuius ille typum gerebat, *in præced. sect.* latè disseruimus: nunc de illo eodem, vt comparatur cum agri vernantis fragrantia, nonnihil subnotabimus. Ac belle quidem Isaac odorem filij cum agro comparat. Erat enim (inquit S. Ambros.) perfectus in omni flore virtutum, & sacræ benedictionis, atque cælestis, redolebat gratiam. Ipse est enim ager, quem benedixit Dominus. hæc S. Ambros. *de Iacob, lib. 2. cap. 1.* De quo etiam inferiùs aliquantò concludit: licet dulcis, & suauis odor sit agri, quia est odor naturæ, tamen in sancto Patriarcha virtutum spirabat gratia. sic ille. Verius de S. Paulo, & reliquis Apostolis, atque adeò de perfectissimis omni genere virtutum illis viris, quibus Christi fides abundat, quam de Iacob, dicendum hoc ipsum est. Verisimile est enim (inquit Procop.) singulos habere bonum odorem, nempe virtutis, quæ est quasi complementum eorum, quæ sunt in agro. Contra verò vitia sunt teterrimi odoris, iuxta eum, qui canit: Fœtuerunt, & computruerunt vomicæ meæ à conspectu stultitiæ meæ. Conuenit autem Domino benedicere agrum virtutis optimos producentem odores. hæc Procop. Mira mihi sensuum varietas ex agro isto redditur. Atque in primis virtutes iustorum floribus agri comparantur, ob industriam, quam ab homine culture requirunt. Etenim Hebr. *sadeh* שדה *ager ei, qui colitur*; vt Genes. 25. איש שדה *vir agri*, id est, agricola dicitur. Præterea radix שדד *sadad* est *arato agro contundere glebas.* Quod autem ager in hoc sensu hic accipiatur, testem habeo S. Ambros. *lib. de Isaac, cap. 7.* vt numero sequenti referam. Accedente autem arte, atque industria hominum, variis consitus herbis ager, varium, ac suauem spirat odorem. Ergo virtutes humana egent cultura, nec sine labore acquiruntur: iccirco nunquam ab opere cessandum, & labor omnia vincit improbus: nimirum, quia industrium hominem, ac pro virili iugiter laborantem Diuina semper gratia iuuat: tantúmque aliquando proficitur. vt videas, quod S. Ambros. egregiè obseruat: Minimum (inquiens) studij plerumque pro maximo habetur. In studio enim sunt omnia. hæc ille, *lib. 1. de Iacob, cap. 3.* Vincit enim omnia labor; industriæ cuncta cedunt; nihil non perficitur spiritus feruore: contra verò segnes, tepidi, supini, somnolenti non plus multos per annos, quam vno die in virtutum, & salutis studio proficiunt.

Vir sanctus vti pratum vernans. — *D. Ambros.* — *Virtutum fragrantia.* — *Procopius.* — *Fœtens, vitia.* — *Virtutes flores agri.* — *Genes. 25.* — *Virtus laboris & industriæ fructus.* — *D. Ambros.* — *Ignaui nihil proficiunt.*

2. Hoc autem studium, ex quo fœtura virtutum, ac meritorum redundat, sic est viro iusto veluti congenitum, vt nullum tempus, nullam rerum, ac negotiorum occasionem, nullúmque locum abire patiatur, quin omnes industriæ contendat neruos, vt Diuinæ gratiæ cooperator, ingentia lucra consequatur. Quem etiam (apponit optime idem Ambros.) quiescentem virtus propria non reliquit: qui non minùs otiosus, quam cum operatur, beatus: nec minus dormiens, quam vigilans, gloriosus. Quando feriatus videri potest, cuius mens semper operatur? quando abiectus, cuius conuersatio est in cælo? hæc ille, *cap. 8 eiusdem libri.* Anima quippe viri iusti, ac de salute sua diligenter curantis, vbique locorum, quocunque tempore, nulla non ex occasione, industriè, auide, demúmque insatiabiliter in exercendis virtutum actibus, comparandísque ad gloriã meritis, occupatur. Culto in agro virtus producitur; nec enim sponte nascitur, nec inuito homini datur in manus, atque in sinum infertur: quia sponte amittitur, & non nisi Diuina ope in voluntatem humanam se ingerit. Qua de re præstat audire S. Prosper. *lib. 3. de vita contemp. cap. 16.* Virtus in animo habitat, sed animum corpusque sanctificat. Ad quam nullus accedit inuitus, quam nullus amittit nisi propria voluntate deceptus: nemo eam sibi conferre potest, cum possit auferre; alteri autem nec conferre præualet, nec auferre. hæc S. Prosper. Intellige doctrinam Catholicam viri sanctissimi, & doctissimi. Penes hominem cura est, labor, industria ad colendum agrum: at Deus, bonorum omnium solus Conditor, virtutes ipsas in animum hominis inducit, immò (vt ait Apostolus) *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* 1. Cor. 3. Ad quem locum concinnè admodum ita scribit S. Hier. Nisi Deus incrementum dederit, sine causa laboramus. Nos mercenarij sumus in alieno agro: alienis vtimur ferramentis: nihil habemus proprium, nisi mercedem nostri laboris. Sequitur: *Dei enim sumus adiutores, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.* Non enim in potentia, sed in verbo adiuuamus coli Dei agrum, & extrui templum. hæc S. Hier. Duo etiam obiter in Apostoli verbis expendi possunt. Primò quidem Paulum, & cæteros, quos Diuina gratia ad id muneris instruxit, non labori, ac solicitudini parcere debere, quin in commune proximorum bonum sanctè, diligentérque incumbant. Nam, vt sapienter colligit S. Prosper *lib. illo 3. cap. 22.* non nobis tantùm, sed etiam generi humano nos natos esse credamus. Siquidem belluarum est sibi viuere, nec suas vtilitates in commune conferre. hæc ille. Alterum est, nec Apostolum, nec Apostolico munere fungentes, ita se habere, vt verborum spargant flores ad suam eloquentiam ostentandam; sed agricolarum aratrum capiant, tellurem proscindant, altisque, ac profundis terræ inaratæ sulcis sudando ipsi sementem iaciant. Nec enim doctor verbi Dei est (vt alio Paulus vtitur nomine) *æs, aut cymbalum tinniens.* 1. Cor. 13. quod est quorundam in Ecclesia rabularum leuissimum, ac vanissimum officium. Qui videlicet (vt idem Prosper, *cap. 14.* eleganter describit) studiosiùs eloquentiam volunt curare, quàm vitam: dicta sua magis cupiunt laudari, quàm fieri. Non sunt de sanctitate operis, sed de sermonis elucubrati venustate soliciti. Qui in modum tinnientis æramenti, aut cymbali præclara magis

Diligens cooperator Diuinæ gratiæ. — *S. Ambros.* — *Virtus non nascitur, sed acquiritur.* — *S. Prosper.* — *Qualis natura virtutis.* — *1. Cor. 3.* — *D. Hieron.* — *Zelus boni communis.* — *S. Prosper.* — *1. Cor. 13.* — *S. Prosper.* — *Vani doctoris loquacitas.*

magis quæque appetunt ſonare, quàm facere. hæc S. Proſper. Culpantur doctores, quod vanitati ſtudeant verborum; culpantur & auditores, quòd illam ament, & aueant audire. Iſti enim magiſtros quærunt prurientes auribus, vt loquitur Apoſtolus, non verò mentibus pietatem, & compunctionem inferentes. Heu miſerum ægrotum, qui vaſculum potionis à picturis, & emblematis laudat quidem; at potionem in eo ſalutarem non accipit, ſed execratur! ſic habet cribrum, excutit quidem farinam, & furfures retinet. Salutaria igitur monita, & conſilia, & exempla, & rerum ſolidarum momenta, in concionatoribus quærite, amatéque: hic cibus animæ, hoc eſt curandis morbis medicamentum, hic fructus vitæ Chriſtianæ. Verborum autem picturas, folia, furfures, paleas, vanitatis argumentum non curate.

Vanitas auditorum verbi Dei.

Quid in Christiano prædicatore quærendum.

3. Agro deinde comparantur iuſti propter vbertatem virtutum, ac meritorũ: quæ fœcunditas typo columbæ inſinuatur; ob eam enim rationem anima illa Deo dilecta ab ſponſo ſuo vocata audiuit: *Veni columba mea. Vna eſt columba mea, &c.* Vtrũque locum ſimul expendens S. Ambroſ. *lib. de Iſaac, cap. 7.* ita effatur: Eſt anima columba, atque perfecta, fœcunditatis laudatur anima, non ſolum, quod ſit fœcunda virtutibus, ſed etiam, quod nihil habeat in ſe mali. Decora dicitur: ſpecioſa enim fœcunditas eſt bonorum operum; quod autem malum, hoc ſterile, & infœcundum hæc S. Ambroſ. Videas pulchritudinem animæ in eo conſiſtere, quod fœcunda ſit meritis: vbi autem ſterilitas eſt meritorum, ibi veram, & germanam rationem mali, atque deformitatis videri. Cæterùm ſuæ doctrinæ ponit illico egregium teſtimonium hiſce verbis: Cuius rei quod euidentius indicium, quàm natura eſt? Terra enim, quæ bona eſt, fertilis, atque fœcunda: quæ autem mala, & ieiuna, atque ſterilis: quæ verò fertilis, hæc decora. Quid enim pleno agro pulchrius, cum ſeges fluctuat? cum poma irrutilant? vel cum vuarum ſerta dependent? aut baccis onuſta olea curueſcit; vel viridanti gramine montium vertices, vallium humilia veſtiuntur? hæc S. Ambroſ. Quam doctrinam probat ex hoc, & ex aliis Diuinæ paginæ locis, ita progrediens. Et vt Scripturæ vtamur teſtimonio, Iacob decorus erat, & ideo erat odor agri pleni: Eſau hiſpidus erat, & indecorus, & ideo agreſtis erat, qui fructus illos habere non poſſet. De ipſo quoque Domino poſteaquam Eccleſiæ fœcunditatem fecit aſſurgere, pulchrè dictum eſt: *Dominus regnauit, decorem induit.* Pſal. 91. & Pſal. 103. Confeſſionem, & decorem induiſti. ſic ille. Concluditque egregiè, quod aſſumpſerat, pulchritudinem videlicet animæ, in bonorũ operum, ac meritorum fœcunditate ſitam eſſe, ita inquiens: Liquet igitur decorum id eſſe, quod fœcundum; indecorum, quod infœcundum. Similis eſt cauſa animæ ſoli, quia ea decora anima, quæ fœcunda ſit meritis; ea indecora, quæ ſterilis. hæc S. Ambroſ. Probantur omnia illo vno verbo Domini appellantis terram bonam, & optimam, quæ accepto ſemine centuplum reddidit. *Luc.* 8. Eſto autem (vt bene interpretatur S. Cyrillus) terra pinguis, & ferax, anima boneſta, & bona, quæ in profundo ſuſcipit verbi ſemina, & retinet, & fouet; dicitur autem: *Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum* Cum enim in mentem mundam ab omnibus perturbationibus verbum Diuinum infunditur, tunc immittit radices in profundum, & germinat tanquam ſpica, & conuenienter perficitur. ita Cyrill. in catena.

Agro ſimiles iuſti.

S. Ambroſ. *Vbertas meritorum.*

Pulchra anima, quæ fœcunda meritis.

S. Ambroſ.

Pſalm. 91. & 103.

S. Ambroſ.

Anima ſimilis telluri aut ſterili, aut vberi.

Lucæ 8. S. Cyrill.

Anima fœcunda, quæ munda.

4. Hæc autem profunditas, quam terra bona, hoc eſt, anima dicitur habere, ad ſuſcipiendum, retinendum, & fouendum diuini verbi ſemen, in quo illud altas agit radices, & vnde pullulat in vbertimam ſegetem bonorum, eſt haud dubie humilitas animæ, quæ quidem primũ, altum, & ſolidum eſt virtutum omnium fundamentum. *Abyſſus abyſſum inuocat*: ſcribitur Pſalm. 41. Nimirum abyſſus, & profunditas humilitatis attrahit ad ſe abyſſum cœleſtium gratiarum. Deus enim humilia reſpicit: humilibus dat gratiam, cum humilibus libenter, ac familiariter agit. *Abyſſus abyſſum inuocat*: quodammodo enim cum omnipotentia Dei contendit humilitas hominis, vt quantò illa ſe magis extendit ad benefaciendum, tantò ſe iſta deprimat in profundum, tantò ſe aperiat, capacémque ſe magis efficiat ad recipiendum. Item abyſſus Diuinæ miſericordiæ inuocat, quærit, immò efficit etiam in homine abyſſum humilitatis. Humilium enim (inquit S. Cyprian.) mentibus ſe Deus infundens dilatat humani cordis anguſtias. ſic ille, *de Natiuit. Chriſti.* Diximus profunditatem, quia licet humilitas in exteriori etiam ſpecie demonſtrari debeat, præcipuè tamen in corde reſidet: typus enim humilitatis Chriſtus Dominus, vt ipſe ſe propoſuit imitandum; humilis corde eſt. Cæterùm humilitatem cordis nullam plerique habent, & foris tamen inanem illius ſpeciem oſtendunt: contra quos ita ſcribit S. Petr. Dam. *de contemptu ſecul. cap.* 18. Sunt nonnulli, qui vnde ſe humiliter in publico deprimunt, inde in occulto elatiùs intumeſcunt David autem, vt extrinſecùs ſe humilem præbeat, dicit: *Ludam, & vilior fiam pluſquam factus ſum.* Vt verò humilitatem mentis oſtendat, adiungit: *& ero humilis in oculis meis.* 2. Reg 6. ac ſi patenter dicat: Et exteriùs humiliabor, vt aliis exemplũ ſalutis exhibeã: & intus humilis ero, vt in eiuſdem ſalutiferæ humilitatis radice & ipſe perſiſtam. hæc Petr. Dam. Cape obſecro, & expende, quàm appoſitè dicatur humilitas ſalutifera, vt quæ ſit mater ſalutis, primuſque ſoleat eſſe gradus ad vitam animæ; nec enim peccator à caſtris ſuperbiæ ad pœnitentiæ aſylum transfugit, quin priùs peccatorem ſe fœdum, atque abiectum recognoſcens ſalutari quodam pudore ſuffundatur, atque humilians ſe ſub potenti manu Dei, & veniam ſuorum ſcelerum & Diuinæ gratiæ reconciliationem ardenter deſideret.

Humilitas fundamentũ virtutum.

Pſalm. 41.

Humilitas cum Dei potentia contendit.

S. Cyprian.

Humilitas cordis præcipua.

S. Petr. Dam.

Humilitas cordis prælata foris.

2. Reg. 6.

Humilitas ſalutifera.

Humilitas peccatorem reuocat.

5. Luculentè etiam agri typo ſignificantur iuſti, quippe cum Diuinis exculti beneficiis in magnam exuberent fœcunditatem ſemper in omnibus cum Apoſtolo gratias agentes Deo: deinde reddunt in pauperes ad obſequium Dei ſui, ex iis quę ab illius magnificentia acceperunt. At non ſic impij, non ſic. Quid enim magis impium, quàm quæ pietatis viſcera occludit, auaritia? Enimuerò auaritia (vt obſeruat S. Petr. Damian. *ad Dominici*, *cap.* 1.) in manu accipientis viſcus eſt, quæ quicquid apponitur, excuti non permittit; ſed more picis hærere compellit. ſic ille. Auari ergo ſunt terra illa in Euangelio ſaxis & ſpinis horrida, omnino infœcunda, quæ recipit quidem ſementem patrisfamilias, ſed nullum inde fructum reddit. Tolle igitur, quiſquis talis es, oculos in Deum tuum de cruce pendentem. Extenſæ quippè (ait S. Hildebert. *Epiſt.* 48.) ſunt in cruce manus Domini, vt extenderentur inopi manus contractæ, manus tuæ. ſic ille. Præterea Iacob electum e gentibus populum, qui Dei benedictionem deſpecto Eſau, hoc eſt, Iudaico præripuit, apud Patres præfigurat. Sic enim loquitur S. Gregor. *homil.* 6. ſuper Ezechiel. Iacob Gentilis populi figuram tenet, cui dicitur in benedictione. *Ecce odor filii mei, ſicut*

Terra & ventus auaritia.

S. Petr. Dam.

Auaritia tenax, & ſterilis.

S. Hildebert.

Christus in cruce commendat eleemoſynam.

D. Gregor.

Iacob, typus populi Christiani ſ. g. ...

Ben. Fernand. in Geneſ. tom. 2

B. Maria dignitate incomparabilis. Arnold.

Deum carne induit. Nam secundùm dignitatem Filij, Matris illius sanctitas requirebatur. Sed quis hanc dignè valeat explicare? optimè S. Arnold. Carnot. *de laudib. Virg.* in stuporem huius argumenti sic infit: Si linguis hominum loquar, & Angelorum, nihil dignè, nihil propriè de sanctæ, ac perpetuæ Virginis Matris Christi Mariæ gloria eloqui potero. Quia verè in laudibus eius modulandis non inuenitur conueniens organum, & hebes est cuiuscunque subtilitatis ingenium. Cum enim debitæ venerationis summa ad Christum respiciat, ex cuius plenitudine roratum est desuper, quòd Maria prædicatur gratia plena, manifestum est, indiuiduam esse Matris, & Filij gloriam, & commune esse vtriusque præconium, cuius desinitio omnem superat intellectum. hæc Arnold.

B. Maria excedit omnē laudationē.

B. Maria gloria indiuidua cum Filio.

B

Nihilo tamen minus Dei Sapientia in laudes Matris suæ dignissimæ, mutorum aperit ora, & linguas infantium facit esse disertas. Quare sanctitatem Virginis Deiparæ, qua se dignam exhibuit, vt a Deo in Matrem eligeretur, etsi difficile sit definire, at certè coniicere aliquo modo ex iis, quæ à sanctis Patribus dicuntur, & possumus, & debemus. Igitur qualem beatissima Virgo carnem suā Deo suo ab ipsa conceptione sua consecrauit, ita S. Greg. Nyss. *serm. de ortu Christi*, exclamando expressit: O beatam illam carnem, quæ propter insignem puritatem animæ bona ad se attraxit! In aliis enim omnibus vix anima pura sancti Spiritus aduentum acceperit: hic autem fit caro Spiritus receptaculum. hæc ille.

B. Mariæ caro purissima. S. Greg. Nyss.

B. Mariæ caro purior spiritibus.

C

Quòd si corpus Virginis tantæ puritatis, ac sanctitatis prærogatiua excelluit, vt in immensum superaret omnium animarum quantumlibet sanctarum puritatem, quid quæso, de anima ipsa Virginis dicere necesse est, quæ tum natura, tum habitu, tum admirandis supernaturalium gratiarum ornamentis longè carnem superat?

B. Maria dignitas & p[r]emia.

11. Profectò mihi semper habui persuasum, Virgini Deiparæ sæpiùs in hac vita diuinitus concessum esse, vt illius anima etiam corpori adunita Diuinam essentiam intuita fuerit: testem habeo Rupert. Abbatem, qui ad 4. *Cant.* super illa verba, *Absque eo, quod intrinsecus latet*, ita effatur. Si quispiam dixit, & teste Deo, vel conscio, non mentiens dixit raptum se fuisse in paradisum, siue vsque ad tertium cælum, ita vt nesciat, siue in corpore, siue extra corpus raptus fuerit, & audisse arcana verba, quæ non licet homini loqui (2. *Corinth.* 12.) quantò magis tu Regina cælorum persæpe cælestibus interfuisti, quippe quam & circumsteterunt, obstetricum vice, gloriam Deo concinentes Angeli, & inter hæc didicisti, vel assecuta es aliquid, quod latet, & latere nos debet? hæc Abbas.

B. Maria in via vidit essentiā Diuinam. Rupertus.

D

2. Cor. 12.

At obiicies illud Ioannis: *Deum nemo vidit vnquam.* cap. 1. Credo equidem nulli mortalium concessum esse hoc priuilegium, nec per arcana illa Pauli, rapti ad tertium cælum significari visionem Dei. Sed quid mirum, si, quæ vera Mater Dei est. Diuinitatem illius in Annunciatione, in Præsepi, in Resurrectione, in Ascensione, in Pentecoste, & alibi mentis suæ purissimæ intuitu viderit? Omnia quidem priuilegia, quæ nec fidei, nec rationi repugnant; & maiestatem Deiparæ Virginis decent, mihi certum est, eidem fuisse concessa. quod S. Georg. Archiep. Nicom. seriò, grauitérque expendens ita concludit. Nihil est dubium ex iis, quæ sunt purissimæ Virginis, ex eius magnalibus nihil est, quod non sit conueniens. O donum, quod nullo potest honore, vt par est, affici! O pulcherrima pulchritudo omnium pulchritudinum! ô Dei Genitrix pulchrorum omnium summum ornamentum! hæc ille, *de præsent. Virg.*

Ioan. 1.

B. Maria priuil gia.

E

D. Georg.

A

Atque (vt de me aliquid dicam) illa mihi ratio hanc sententiam sine vlla dubitatione videtur statuere; quod nimirum hoc de visione beatifica in hac vita, & quodcunque aliud priuilegium, infinito interuallo minus, & inferius est hac vna dignitate, quam Virgo habet supra omnem creaturam, vt vera sit Dei mater; ac proinde purissimum, & præclarissimū, organum, per quod humano generi bona omnia descenderunt à Deo, vti eleganti verborum ambitu S. Germ. Archiep. Constant. disserit: O Virgo (inquiens) complementum prophetiæ, perfectio pactorum conuentorum Dei, signaculum ejus testamenti, finis eius consiliorum, declaratio eius mysteriorum, specula omnium Prophetarum, conciliatrix eorum, qui malè dissentiunt, coniunctio eorum, quæ erant malè disiuncta, renouatio eorum, quæ erant inueterata, iubar eorum qui siti sunt in tenebris, donum maximè nouum, & Diuinum. hæc ille *de præsent. Virg.* Si ergo tam incomprehensibilem dignitatem Deus omnipotens Matri suæ Virgini concessit, cur illam prærogatiuam longè inferiorem Matri Filius denegaret? Quicquid Matrem Dei prærogatiuæ decebat, vtique Deus concessit, quia potuit; & voluit, quia Filius.

Summa excellentia B. Mariæ, quod sit vera Dei Mater. S. Germ. *B. Maria encomia.*

B

12. Porrò autem cùm in aliis suæ vitæ, ac passionis mysteriis Christus Dominus significatur hoc habitu, & facto Iacobi, tum præcipuè in cruce pendens, ac moriens; & in sacrosancto Eucharistiæ sacramento existens. de vtroque mystèrio nonnihil dicam; nam vtrobique alius videtur; & alius, vt est, creditur. Igitur de primo sic S. Bern. serm. iam indicato. *Vox quidem, vox Iacob; manus autem, manus sunt Esau.* Suum est, quod auditur ex eo: quod in eo videtur, nostrum. Quod loquitur, spiritus & vita est: quod apparet, mortale, & mors. aliud cernitur, & aliud creditur. *Videns Centurio quia sic clamās expirasset, ait: Verè hic homo Filius Dei erat.* Marc. 15. ergo ad vocem credidit, ex voce agnouit Filium Dei, & non ex facie. ita Bern. Enimuerò Centurio videbat hominem inter latrones cruci affixum, plenum opprobriis, lacerum totis artubus, virum dolorum, sine specie, sine decore, quasi leprosum, ac nouissimum virorum. Secutusque homo sensus oculorum iudicaret vtique hominem propter delicta propria turpissimæ morti addictum. At oculus errabat; cæterùm audiens cum clamore valido expirantem, verè plusquam hominem, & non peccatorem, sed Filium Dei esse contestatur. Pulchrè igitur infert idem Bern. Auditus inuenit, quod non visus: oculum species fefellit, auri veritas se infudit. Oculus pronunciabat infirmum, oculus fœdum, oculus miserum, oculus morte turpissima condemnatum. Auri Dei Filius, auri formosus innotuit. Sic Centurio ad vnam expirantis vocem sub tot infirmitatis indiciis Dominum maiestatis agnouit. Ideoque non despexit quod vidit, quia credidit, quod non vidit: fides enim ex auditu. hæc S. Bernard.

C

Christus in cruce alius videtur, alius creditur. S. Bernard.

Marc. 15.

Fides Centurionis ad crucem Domini.

D

S. Bernard.

Sæpe (vt vides) ad Passionem Domini recurrimus, nec immeritò: quippe cum nulla peccatoribus salubrior sit medicina. quod piè, luculentérque ita considerat Gaurricus Abbas, *serm. 1. de Epiphan.* Sicut stomachus immoderato vsu dulcium corruptus, potiùs purgatur amaris: sic eorum, qui suauiter vixerunt, nonquam meliùs quàm contrario; id est, vita, & consuetudine curantur austera. Maximè autem si sæpius detur eis bibere vinum myrrhatū Dominicæ Passionis, id est, potentur vino compunctionis, quod quantò amarius est, ex recordatione peccati, tantò salubrius

E

Passio Domini medicamentum; Guarric.

Cur myrrhatum vinum non bibit Dominus.

salubrius est peccatori. hæc ille. Atque vtinam hoc tam salutari medicamento vteremur! profectò hac subamara potione, corruptum ex maligna vitiorum dulcedine pectus sanaretur. Sed videtur nobis interdicta vt inutilis isthæc potio amaritudinis, cum illam Dominus oblatam bibere noluerit, vt in Euangelio habetur. Respondet illico Abbas.

Guarricus. Compunctio peccatoribus potio.

Ideo Iesus noluit bibere, quia peccatum non fecerat, quod ei crucifixor imputabat, qui de amaritudine vitis alienæ ei propinabat, qui de genimine vitis veræ vinum nouum cum amicis in regno Patris habebat bibere. sic Abbas. Noluit igitur Dominus in cruce bibere amarā illam potionem, sed illam totam & integram peccatoribus reliquit, quippe quæ significabat compunctionem, & contritionem delictorum, quæ pœnitens homo commiserat, & quorum ne specie quidem Christi Domini licet pro peccatoribus morientis innocentia potuit maculari.

13. Pulcherrimè noster Centurio (gentilis enim fuerat) Christianæ fidei admirabilem facultatem in seipso demonstrauit, quæ aliud videt, & aliud credit.

Clamat moriens in cruce Dominus.

Ex eo enim quòd audiuit hominem illum cruci affixum contra omnem consuetudinem morientium clamore valido expirasse, rectè intulit, & credidit plusquàm hominem esse, vtique Filium Dei, Deum humana carne indutum. Nullus enim (subnotauit Beda *ad Marc.* 15.) habet potestatem mittendi spiritum, nisi qui animarum Conditor est, &c. Vbi etiam Theoph. Videns, quod ita potestatiuè, & dominabiliter expirasset, miratus, & confessus est. sic ille. Subtiliùs autem D. August. 4. *de Trinit.* hunc eundem locum expendens Centurionis admirationem illius ita explicat: Hoc maximè miratus est, quòd post illam vocem in qua figuram peccati nostri edidit, continuò tradidit spiritum. Demonstrauit enim, spiritus Mediatoris, quòd nulla pœna peccati vsque ad mortem carnis eius accesserit, quia non eum deseruit inuitus, sed quomodo voluit, quippe Dei Verbo ad vnitatem personæ coniunctus. hæc S. August.

Beda

Theoph.

D. August.

Innocentia Christi patientis.

Arcanum aliud in hoc expirantis clamore sic rimatur S. Hilar. *in Mat. Can.* 33. Denique in Ioanne postquam potauerat, dixit: *Consummatum est*; quia omne vitium humanæ corruptionis hausisset. Et quia nihil agendum esset extrinsecus, spiritum cum clamore magnæ vocis emisit, dolens non omnium se peccata potare. Vt autem infidelitatis facinus Israeli accumularetur, Centurio Dei Filium confitetur. hæc S. Hilar.

S. Hilarius.

Dolor Christi ex perditione reproborum.

Intelligit Christum Dominum non potasse omnium peccata quoad effectum salutis, quia multi adhuc erant perituri, licet quoad sufficientiam ex parte Redemptoris omnium scelera essent extincta. O immensam Domini Iesu charitatem! Moriens clamat præ dolore inconsolabili: ac fortasse hic vnus dolor acutissimus omnium cruciatuum, quos vnquam pertulit, animam illius tandem à corpore auulsit; quod nimirum non omnibus quoad effectum salutis æternæ sanguinis sui redemptio esset profutura.

Fiducia in passione Domini.

Proh quantam in charitate Domini Iesu fiduciam debet habere peccator! bene id quidem: sed iudex tamen est, & quis non timeat incidere in manus Dei iudicantis? In hoc argumento audi S. Ambros. de Isaac *cap.* 6. ita loquentem: Sed metus est, ne iudex seuerior sit. Considera quē Iudicem habeas: nempe Christo dedit Pater iudicium. Poterit te ergo ille damnare, quem redemit à morte, pro quo se obtulit: cuius vitam suæ mortis mercedē esse cognoscit? Nonne dicet: Quæ vtilitas in sanguine meo, si damno quem ipse saluaui? Deinde consideras Iudicem, non consideras aduocatum? Potest iste seueriorem ferre sententiam, qui interpellare non desinit, vt paternæ reconciliationis in nos conferatur gratia? hæc S. Ambros.

D. Ambros.

Confidat igitur peccator in Domini Iesu misericordia, vt eam precetur, amet, & reuereatur tam immensam illius charitatem, vt eiusdem obsequio se totum reddat mancipatum. Abundat mihi redemptio: per me autem solùm stabit, si non illius fructum in salute mea comparabo, cooperans Diuinæ gratiæ.

Cooperandū passioni Domini.

14. Sed quid de sacrosancto mysterio diuinæ Eucharistiæ? Indutus Iacob alienis vestibus, nimirum Esau, tectúsque hœdinis pellibus mensam apposuit cæcutienti seni, qui vocem loquentis audiens certissimè agnouit verum illum esse Iacobum: at manibus hœdinæ pellis inuolucrum attrectans, falsus omnino est, errorémque deinde subintulit: *Manus sunt Esau.* Quo quid alienius? Manus quidem erant Iacob, alieno tamen velamento amictæ. O egregiam augustissimæ Eucharistiæ figuram! Parat Christus Deus homo mensam fidelibus suis, in qua Corpus, & Sanguinem suum manducandum & potandum apponit. Ergo accedit Dominus Iesus, alieno indutus amictu, scilicet sub speciebus panis, & vini: audiri vult, quia fides ex auditu, palpari non vult: in auditu enim veritas, in tactu error, & falsitas deprehenditur.

Christus in Eucharistia fide notus.

Loquitur autem: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus.* Quid verius? exclamat fides: Vox quidem vox Dei est, qui mentiri non potest; *dixit, & facta sunt.* Procul hinc visus, qui prorsus caligat, dum panis & vini accidentia cernens substantiam sub illis panis, & vini latere iudicat; cæcutit omnino, errátque in hac mensa oculus Isaac, si secundùm apparens obiectum, prodit iudicium. Similiter tactus aberrat, si quantitatem, ac tangibiles qualitates, quæ priùs panis, & vini fuerant, percipiens, substantiam priorem creatam adhuc ibi latentem colligit: non sunt enim nec pili Esau, nec manus Esau: sed tantum manus Iacob, etsi alieno tectæ amictu. Est quidem Christi Domini corpus, & sanguis sub illis accidentibus, non autem substantia panis & vini.

Sensus in Eucharistia falluntur.

In Eucharistia non substantia sed accidentia panis & vini.

Et palatum senis errat, dum se putat gustare carnes animantis venatici, quæ sunt hœdinæ. Et olfactus etiam hœdi odorem non percipiens, sed leporis, cerui, aut perdicis. Vterque sensus in sacramento decipitur, dum qualitates sibi obiectas hauriens, putat ibi panem, & vinum, vt antea, subsidere. Hæc omnia dulciore stylo, vt qui fauos, & nectar stillet, audies à S Bernard. qui prædict. serm ita effatur: Aduerte in Isaac quomodo præ cæteris sensibus auditus in iam sene viguerit. Caligant oculi Patriarchæ, palatum seducitur, fallitur manus, non fallitur auris. Quid mirum si auris percipit veritatem, cum fides ex auditu, auditus per verbum Dei, verbum Dei veritas sit? *Vox (inquit) vox Iacob est*: nihil verius: *manus autem manus sunt Esau*: nihil falsius. Falleris; manus similitudo decipit te. Nec in gustu veritas, etsi suauitas est. Nam quomodo habet veritatem, qui se putat edere venationem, cum domesticis vescatur hœdorum carnibus? multo minùs oculus, qui nihil videt. Sapiens fuit Isaac, sed tamen errauit in sensibus, solus habet auditus verum, qui percipit verbum. sic ille.

S. Bernard

15. Deinde ad Isaac historiam appositè adiungit illam alteram Magdalenæ, quæ repulsa est, ne pedes Domini tangeret: auditu enim in hac vita, non tactu vult Dominus à suis fidelibus cognosci. Procedit igitur in hunc modum: Meritò carnem rediuiuam Verbi tangere prohibetur mulier carnaliter sapiens: plus quippe tribuens oculo, quàm oraculo,

S. Bernard.

Fides, nō sensus ad Eucharistiā exigitur.

Ioan. 20.

oraculo, id est, carnis sensui, quam verbo Dei. *Noli me tangere* (inquit) hoc est, disluesce huic seducibili sensui, innitere Verbo, fidei assuesce: fides nescia falli, fides inuisibilia comprehendens, sensus penuriam non sentit. Denique transgreditur fines etiam rationis humanæ, naturæ vsum, experientiæ

Fides ad Eucharistiam abigit sensus.

terminos. hæc ille. Cum igitur Diuina fides, quæ Dei hominis corpus & sanguinem sub speciebus panis, & vini agnoscit, & veneratur in Sacramento altaris, supra omne quod sensibile est, sese in altum efferat, sensum vtique ad hoc mysterium contemplandum non requirit, sed infra montem visionis, vbi Dominus parauit sibi victimam, vbi pater filium offert in holocaustum, vbi agnus in syluis hæret, vbi de cælo voces resonant, quæ gladium teneant, ictum cohibeant, & Diuinarum benedictionum thesauros effundant; infra hunc montem (inquam) vera fides Abrahæ dicit ad seruos, hoc est ad sensus corporis: *Expectate hic cum asino: Ego & puer illuc vsque properantes postquam adorauerimus, reuertemur.* Genes. 22. Quomodo

Genes. 22.

enim corpus animale (vt vocat Apostolus) de terra natum, in terra viuens, in terram conuertendum, terrena tantum sapiens ad eminentissimum Diuini mysterij, & sacrificij montem ascendet?

S. Bernard. *Eucharistia fides supra naturam.*

Bene igitur S. Bernard. adiungit: Quid interrogas oculum, ad quod non sufficit? Et manus quid explorare conatur, quod supra ipsam est? minus est quicquid ille, vel illa renunciet: sanè fides pronunciet de me. quæ maiestati nihil minuat. Disce id habere certius, id tutius sequi, quod illa suaserit. Ergo tantæ rei definitionem ne credas sensui fidei reseruato: illa digniùs, illa definiet certiùs, quæ pleniùs comprehendet. hæc omnia S. Bern.

Eucharistia veritas ex verbis Christi. Ioan. 6. ad Rom. 10. S. Chrysost.

verè, piè, catholicè. Verùm nostra fides, non Bernardi, aut alicuius hominis testimonio innititur, sed verbo ipso Dei affirmantis: *Caro mea verè est cibus: & sanguis meus verè est potus, &c.* Ioa. 6. *Fides autem ex auditu.* ad Rom. 10. Vbi S. Chrysost. non simpliciter auditum dicit, neque quòd humana verba audire oporteat, & credere; sed sublimis est hic auditus: Est enim auditus per verbum Dei. Deo autem tam loquenti, quàm mirabiliter operanti æquè credere, & obedire oportet, quandoquidem, & opera illius, & mirabilia ex verbis illius sunt. hæc S. Chrysost.

Vita præsens fidei est & spes in Christo.

In hac vita per fidem ambulamus, in altera per visum beati erimus. Icirco Dominus Iesus ab oculis hominum ereptus in cælum ascendit, vt interim crederetur, & speraretur: quod ita S. August *in Psalm.* 109. expendit.

D. August.

Quæ enim esset merces fidei, nisi lateret quod credimus? merces autem fidei est, videre quod credimus, antequam videremus. Sic autem scriptura personat: *Iustus ex fide viuit.* Non ergo iustitia fidei, si non esset absconditum, quod prædicatum quæreremus, & credendo ad videndum perueniremus. Mirabile ergo mysterium Christi sedentis in dextera Dei. occultatum est, vt crederetur, subtractum est, vt speraretur. ita S. August.

Eucharistia mysterium fidei.

16. Hæc autem in diuinam Eucharistiam optimè conueniunt: est enim mysterium fidei, in quo credendo, venerando, & amando, Christiana fides exercetur, & mirabiliter elucet. De matre sua Mo-

S. August.

nica sanctissima scribit S. August. Ad pretij nostri sacramentum ligauit ancilla tua animam suam vinculo fidei. sic August. *lib. 9. confess.* Eucharistiam

Ecclesia Christi ligata ad Eucharistiam. Lusitanorũ pietas in Eucharistiam.

intelligens: ad quam Catholica Dei Ecclesia ligatam se non vinculo tantùm fidei, sed amoris etiam, & profitetur, & gloriatur. Hæc sanè gloria Lusitanæ genti, hoc aureum immò cœleste ornamentum nostræ fidei, quod innexum collo gestamus: serui vt simus, & nominemur sacrosanctæ

A

Eucharistiæ. Rident hæretici, quòd clausis oculis ante Eucharistiam procidamus: benè clausos corporis sed mentis adapertos habemus oculos: iuxta

S. Bernard. *Fides lynceum visus.*

illud S. Bernard. Videte quam oculata est fides, quàm lynceos oculos habet: cognoscit Dei Filium lactentem, cognoscit in ligno pendentem. sic ille *serm. 2. de Epiph.* Addo etiam: Cognoscit quoque fides Christum Dominum in Eucharistiæ sacramento latentem.

Hæreticorum cæcitas, & ruina.

At vos, ô hæretici, circa fidem naufragantes, dum sensui corporis (vtpote carnis amatores) nimium creditis, oriente exoculati, sine fræno legis Catholicæ tanquam furiosi ruitis in orcum præcipiti lapsu equuleones.

Fideles in meridie.

Noctem vobis facit perfidia, nobis meridem fides: vbi enim corporis deficit sensus, ibi mens fidei adiuta præsidio

B

Solem iustitiæ in summa oraculorum, & scripturarum luce refulgentem, suósque fideles propria carne, & sanguine sub pastoris habitu pascentem inuenit, veneratur, apprehendit, epulatur. Rogauerat enim: *Indica mihi, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Cant. 1.

Cantic. 1. *Pastor Christus in Eucharistia.* S. Ambros.

Etsi autẽ cubet sub speciebus panis, & vini absconditus: at fidei meridiem efficit, & mentem regali magnificentia pascit. Nam vt perbellè obseruat S. Ambros. rectè dicit: *Vbi pascis*, quia regale est Dei Verbum. sic ille *lib. de Isaac cap.* 4. Nec enim alibi clariùs, & magnificentiùs demonstrat Dominus verum se Regem esse, quàm in regali conuiuio sui corporis, & sanguinis, quo suorum pascit animas fidelium. *Indica* (inquit) *mihi* (exponunt Græci Patres apud Theod.) *vbi pascas*

Theodor.

C

virtutis cibũ ouibus ratione præditis suggerẽs, & aqua viua potum ex perenni fonte præbens. sic illi. Cubat in meridie, quia etsi lateat sensibus, etsi fidei certitudine, citra euidentiam tamen agnoscetur: nihilominus est in meridie; nam supposita veritate scripturarum, nihil magis euidenter credibile habetur in fide Christiana, quàm mysterium diuinę Eucharistiæ.

Nil magis euidenter credibile, quàm Eucharistia.

Qui enim credit Euangelio, necesse omnino est credat Christum Dominum esse verum Deum, deinde neque falli, nec mentiri posse; atque adeo omnipotentem, nec illi quicquam esse, aut fingi impossibile: deinúmque dixisse: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*; quod & virtute sua omnipotenti, vti dixit, est operatus: alioqui nec verax, nec potens, nec denique Deus esset.

D

S. Hilarius.

Quare optimè S. Hilar. de hoc mysterio edisserens hæc inter alia subiungit. Ipse Dominus ait: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Ioan. 6.

Ioan. 6. *Nulla ratio dubitandi de Eucharistia.*

De veritate carnis, & sanguinis non relictus est ambigendi locus. Contingat planè his verum non esse, qui Christum Iesum verum esse Deum negant. sic ille *Lib. 8. de Trinit.*

Christianus non est qui Eucharistiã negat.

Quid ais nunc ô hæretice? Christum Iesum verum esse Deum negas, cum illius veram, & realem præsentiam in Sacramento altaris negas: atque adeo infidelem te, non autem Christianum profiteris.

SECTIO IV.

E

Benedicens ergo illi, ait: Tu es filius meus Esau? Respondit, Ego sum. At ille: Affer mihi, inquit, cibos de venatione tua, fili mi, vt benedicat tibi anima mea. &c. vsque ad *fragrantiam.*

1. B*Enedicens &c.*] Hebt. *Vaibarachéhu* ויברכהו *& benedixit eum.* intellige dictum per anticipationem; nam benedictio secuta est post illa, quæ statim subiiciuntur. Senex ille mirum in modum propensus in Esau, rogat iterum, an sit Esau,

vt

vt omninò certus sit de persona; iterum etiam illuditur a Iacob. Vnde colligo Isaacum contra intentionem suam benedixisse Iacob, quæ ad Esau solùm dirigebatur: nihilominus hac paterna cæremonia exterius exhibita Deus omnipotens benedictionem patris in Iacobum direxit. Nec facile inuenies aliud simile exemplum; nam apud nos sacerdotis intentio tam necessaria est ad muneris sui executionem, vt si desit illa, opus nequaquam sequatur: dogma est indubitabile. Nóluit autem Dominus vt Isaac indigno Esau conferret benedictionem, sed Iacob ob merita sua quàm dignissimo; quod etiam semper voluit obseruari: nunquam enim benedictio sacerdotis indigno proficit, nec ipsum sacrosanctæ Missæ sacrificium, cuius est inæstimabile pretium, pro indigno oblatum eidem valet de rigore iustitiæ, vt loquuntur Theologi. Tametsi hoc certum sit valere pro diguo oblatum, quantumuis indignus ac flagitiosus sit ipse sacerdos qui obtulit. Quam omnibus manifestam veritatem eleganti quadam similitudine sic exprimit S.Petr.Damian.*dis.grat.cap.*10. Ponamus, vt mali sacerdotes quodammodo vt lapidei sint canales: in lapideis autem canalibus aqua nihil germinat donec per eos decurrens in fœcundas se areolas fundat. Licet enim plures sacerdotes indigni, & reprobi inueniantur: fons tamen ille viuus non restringitur, quominùs per nemus Ecclesiæ perfluat. sic ille. Adde: & riget, fœcundétque plantas, ad quas aqua permeat. Licet igitur Eucharistiæ sacrificium indigno ipsi sacerdoti, a quo offertur, nihil boni conferat; imò iudicium sibi manducet, & bibat; nihilominus tamen etiam ab ipso oblatum toti Ecclesiæ fidelium salutare habetur. Vti aqua per saxa decurrens, nihil quidem in iis procreat; at in hortis, ad quos perfluit, mirabilem florum, & pomorum varietatem producit. Optimum quidem foret, si ferculum mihi aureum, aut argenteum cum exquisitis epulis minister apponeret: at si huiusmodi epulas è ferculo fictili, & fuliginoso assumerem, nonne æqualiter illæ mihi saperent, méque alerent, ac si de aureo catino sumerentur? Nec enim coruus panem Eliæ subministrans, quicquam obfuit, quominus pane illo vir ille sanctus aleretur. Sim ego meritis Iacob, & benedictio Isaac, etiamsi indignus ille minister fuisset, mihi omnino proderit. Hoc de argumento sæpiùs idem Petr.Damian.disserens hæc adiungit *cap.*18. *lib. indicat.* Quis Heli sacerdotem nesciat reprobum, & tam pro lenitate sua, quam pro liberorum effrænata licentia Diuinæ animaduersionis sententia condemnatum? Eius tamen benedictione non fuit sterilis vterus Annæ; cui nimirum fœcunditatem imprecatus est vuluæ: ait enim scriptura: *Benedixit Heli Elcanæ, & vxori eius, & dixit: Reddat tibi Dominus semen de muliere hac: visitauit ergo Dominus Annam, & concepit, & peperit tres filios, & filias.* sic ille perquàm pulchrè. Caligabat oculis, & mente magis, vtpote remissus pater, & indignus Pontifex Heli; sed quia sacerdos benedictione sua fœcunditatem sterili & impetrauit à Deo, & tanquam ipsius minister impertiuit; nec ministri culpa obesse potuit virtuti Dei per illum operantis. Colligit ergo: Hanc vtique benedictionem efficacem reddidit, non meritum hominis, sed officium sacerdotis: & quod non habebat causa ministri, virtus exhibuit ministerij. hæc S.Petr.Damian.

Intentio necessaria in opere sacerdotis.

Non prodest indigno Eucharistia sacrificium.

S.Petr.Dam.

Prodest Eucharistia licet ab indigno ministro.

3.Reg.17.

S.Petr.Dam. *Indigni sacerdotis prodest ministerium.*

1.Reg.1.

S.Petr.Dam.

2. Itaque senex certior (vt putabat) factus, quòd ante se habebat filium suum Esau, mensæ accubuit, de appositis comedit epulis, vinum ebibit, quo hausto petiit à filio osculum sanctum, & veri amoris signum: ad benedictionem demum deceptus accessit. Quærit hoc loco Theod. Quare Deus non reuelauit ipsi Isaac voluntatem suam? Respondet, vt patefieret prouidentia Dei erga Iacob; quod satis constat ex eo, quod Isaac modis omnibus conabatur benedicere Esau. Sed gratia Dei contra quam putasset Isaac transtulit benedictionem super Iacob; quod etiam intellexit ipse Isaac: nam cum omnem operam dedisset, & misisset Esau venatum, & Iacob illi cibum offerret, sæpiùs interrogabat: *Es-ne tu Esau primogenitus meus?* nec solum rogabat, sed etiam manus corpori admouebat. sic ille. Mirandum in modum Dei prouidentia in bonum Iacob sese explicauit. Nullum enim non mouit lapidem senex, vt Esau non autem Iacobo benedictionem impertiret, sed omnes senis conatus illusi sunt. Quod tandem senex seriò expendens Dei voluntatem in Iacob propensam & intellexit, & approbauit. quo in sensu addit Theodor. Postea Esau ingresso stupefactus Isaac ob id, quod factum erat, non est indignatus quasi à filio deceptus esset: sed intentionem Diuinam agnouit, & quam dederat benedictionem confirmauit. hæc Theod. *q.*79. Sic Dominus, vt suam prouidentiam parenti, ac filio euidenter demonstraret, totam hanc historiam ita disposuit, in qua millies Iacob in discrimen vidit se adductum, ne fortè ipsius dolus detegeretur, dum pater nimio plus rogando, attrectandóque, examen faceret perquàm periculosum. Cæterùm iis omnibus difficultatibus, Diuina prouidentia totum agente negotium superatis, Iacob potuit, ac debuit intelligere admirabilem Dei beneuolentiam, qua suffultus inter Scyllam, & Carybdim enauigans in portum securò euasit.

Theod.

Mira Dei prouidentia erga Iacob.

Theod. *Gnarus Isaac Diuinæ prouidentiæ erga Iacob.*

3. Porrò beatissimus Papa Damasus nostræ Lusitaniæ columen, & ornamentum longè maximum S. Hieronymo hanc eandem quæstionem proposuit: Cur Isaac vir iustus, & Deo charus, non illi, cui voluit, sed cui noluit deceptus errore benedixit? sic Pontifex ad S.Hier. Plura respondet S. Hier. sed quæ magis commentationi huic inseruiunt, sic habent: Sancti viri, & Deo chari, eà tantummodo sciebant, quæ eis à Domino reuelata sunt: ignorabant verò quæ eis reuelata non fuerant. Vnde non mirum est, & Isaac in suam maximè vtilitatem nescisse quid faceret: cum magis eo tempore erraret, quo filium sanguinariæ deditum voluptati, & cum qui posteà fratrem si posset, occideret, prætermisso illo, qui innocenter habitaret domi, vellet efferre, & suam magis voluntatem faceret, quàm Dei. Ego puto Diuinæ dispensationis fuisse, vt oculis cæcaretur: & cum ipse diceret: *Vox quidem, vox Iacob est: manus autem, manus Esau*: tamen non intelligeret minorem esse filium, qui ad benedictionem fratris præreptor astiterat. hæc S.Hier. Itaque profuit seni, vt cæcutiret, vt falleretur, ne contra voluntatem Dei quicquam efficeret, maléque præferret iusto, & sancto filio alterum (vt bene aduertit Procop.) qui totus immersus fuit seculi curis, & ob id alienus à spe in Deum. sic ille. Nihil non molitur Isaac, vt benedicat Esau; idque ita disponente Diuina prouidentia, nimirum quo ostendatur (ait S. Chrys.) quòd vniuersum à Dei gratia erat, quæ efficiebat, vt pater nihil horum attenderet, & Iacob paterna frueretur benedictione. Et quidem pater victus naturali affectione omnia fecit; Deus autem futura præcognoscens, & in virtutum nota seruns suos insignire solitus, rem totam hunc in modum dispensauit. hæc S. Chrys.

S.Damasc.

D. Hieron. *Non omnia Dei arcana patribus patuerunt.*

Profuit Isaac cæcitas.

Procopius.

D.Chrysost.

Nec bonus præmio, nec malus pœna priuatur à Deo.

Et

Etsi autem serò interdum videatur, tandem Dominus seruis suis fert opem, eorúmque virtutes, ac merita Diuinis beneficiis condonat: contra verò scelestum nunquam deseruit pede pœna claudo.

4. *Accessit; & osculatus est eum, &c.*] Non solum, vt esset amoris mutui egregium testimonium, sed vt (quod Diuina prouidentia disposuerat) benedictio donanda in eam personam (quæcunque illa esset) caderet, quæ per mutuum osculum tangebatur, sese pater, & filius osculati

S. Chrysost.

sunt. quod S.Chrys. ita obseruat. Vt nequis opinetur, vt in personam Esau benedictionem fecerit, sed in illum, quem osculatus est. hæc S Chrys.

Osculum Domini purum & dulce.

At quantò dulcius illud osculum, quod Dominus Iesus à suis seruis, & amicis expetit, atque illud hospiti suo denegasse vehementer exprobrat

Luc. 7.

S.Greg.Nyss.

Simoni leproso: *Osculum mihi non dedisti?* Luc.7. Qua de re audi S. Greg Nyss. *homil. 1. in Cant.* Neminem vult Dominus eorum, qui salui fiunt, expertem esse sui osculi: est enim eius osculum purgamentum huius sordis. Quamobrem mihi videtur exprobrare Simoni leproso: *Osculum mihi non dedisti.* Luc.7. Reuera enim fuisset mundatus ab ægritudine si ore attraxisset puritatem. hæc Nyss. Nam vt nebulonum, & meretricularum oscula omnem turpitudinem fœtorémque tartareum exhalant, sic per oscula sancta, & pura, quæ anima sponsa Dei carni virginali Christi Domini suauiter imprimit, admirabilem ebibit puritatem. Ap-

S.Greg.Nyss.

C propinquat enim (adiungit idem Gregor.) anima fonti vitæ, & sponsa conglutinatur Spiritui, & fit Spiritus. sic ille. Appone huc illud, quod identi-

Psalm. 2.

dem repetere nunquam fastidio est ex Psal. 2. *Apprehendite disciplinam.* Hebr. *Naxecu bar* נשקו בר *osculamini filium, purum, puritatem, triticum, panem.*

Osculamur Iesum in Eucharistia.

De Filio Dei, qui homo factus est, & habitauit in nobis, & in Diuina Eucharistia realiter, veréque continetur, haud dubie sermo est. Hanc osculorum purissimam suauitatem semel prægustantes viri iusti, dum Diuinis in hac vita contemplationibus student, sæpiùs percipere desiderant, ac proinde cum Sponsa repetunt. *Osculetur me osculo oris sui*; seu, vt Græci legunt, *osculis oris sui.* Sic

S.Greg.Nyss.

Exod. 33.

Deus quò magis gustatur, eò magis desideratur.

D Moyses (inquit idem S.Greg. Nyss.) qui dignus est habitus cum Deo loqui *facie ad faciem*, Exod. 33. vt testatur scriptura, eiusmodi osculorum maiori tenebatur desiderio, postquam ei toties Deus apparuisset, rogans vt videret quem desiderabat, perinde, ac si nunquam eum esset contemplatus. Ita cæteri omnes, quorum Diuinum desiderium insidebat in imis penetralibus, nunquam suum sisterunt desiderium, quicquid eis diuinitus eueniebat, quo fruerentur eo, qui desiderabatur, materiam arripientes & fomitem maioris desiderij, quomodo etiam nunc, quæ Deo coniungitur anima, satiari non potest fruitione, quo copiosiùs fruitione impletur, eo vehementiori vigens de-

D.Chrysost.

siderio hæc S.Greg. Nyss. Pulchrè à S Chrysost. (quod alibi iam retulimus) dicitur Pietas insatia-

E bilis. Nec enim anima quæ se totam Deo tradidit, vnquam in illius amore, contemplationéque fastidium sentit; immò quò vehementiùs Deum amat, & familiariùs cum illo conuersatur, maiori adhuc studio, & ardentiore desiderio in illum fertur, ac si primò nunc Deum cognoscere, amaréque inciperet.

Origen.

Incarnatio Verbi expetita ab Ecclesia.

Cantic. 1.

5. Origen. locum exponit de Incarnatione Verbi, quam Ecclesia incredibili quadam cupiditate, ac solicitudine à Deo Patre precabatur. sic enim ait: Vox Sponsæ deprecantis auditur: *Osculetur me osculo oris sui.* Sensus est, Quousque Spon-

A sus meus mittit oscula per Moysen, mittit oscula per Prophetas? iam ipsius cupio ora contingere: ipse veniat, ipse descendat. Orat igitur Sponsi Patrem, & dicit ad eum: *Osculetur me, &c.* hæc Orig.

S.Ambros.

Dulcedo Diuinæ præsentiæ.

Eundem sensum colligit S. Ambros. *lib. de Isaac cap. 3* Deinde alium adiungit de præsentia Dei per osculum significata, quæ cum admirabilem quandam secum dulcedinem menti ingerat, præsentissimum solet esse remedium contra mendacem, & inuerecundam terrenarum voluptatum suauitatem. Quocirca (vt S. Ambros. *cap. eodem* ait) anima eleuans se à corpore, abdicatis luxuriæ deliciis, voluptatibúsque carnalibus, exuta quoque solicitudine secularium vanitatum, iamdudum infusionem sibi Diuinæ præsentiæ, & gratiam Verbi Sal-

B uatoris exoptat, consmaceratur quod serò veniat, & affligitur. hæc ille. Hac tamen Diuinæ præsentiæ dulcedine non perfruuntur, nisi qui carnis illecebras iam prorsus abhorruerint, vt hæc bene aduertit S. Ambros. Video etiam per hæc mutua Dei, & animæ oscula intelligi a patribus, & doctoribus communionem Corporis, & Sanguinis Domini, de qua ipsemet contestatur. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Ioa.6. In participatione Diuinæ

Ioann. 6.

Anima Deo coniuncta.

Eucharistiæ Deus communicatur animæ, animáque se totam in Deum transfundit, quod quidem per oscula innuitur, vt idem S. Ambros. sic obser-

S.Ambros.

Quæ sit natura osculum.

uat: Osculum est, quo inuicem amantes sibi adhærent, & velut gratiæ interioris suauitate po-

C tiuntur. Per hoc osculum adhæret anima Deo Verbo, per quod sibi transfunditur spiritus osculantis: sicut etiam ij qui se osculantur, non sunt labiorum prælibatione contenti, sed spiritum suum sibi inuicem videntur infundere. hæc Ambr. *loco iam indicato.* Sed quid de carne ipsa Domini, quam in Sacramento epulamur, nostram in carnem transfunditur? Nimirum puritas quædam admirabilis ab omni fœce vitiorum, vt nostra caro, quæ priùs fuerat seminarium omnium scelerum, quæque animam cui adhæret, suo soleat cœno polluere, nunc adunita carni purissimæ Dei hominis, instrumentum sit omnis puritatis. audi in hanc sententiam Theoph. Quia prior (inquit)

Theoph.

Caro Christi in Eucharistia vita & puritatis fons.

carnis nostræ natura corrupta est à peccato, vitáque

D destituta est, dedit nobis Christus suam impeccabilem, & omnis peccati expertem, viuacem, & vitæ plenam, similem tamen nobis eandem, vt eam assumentes in ipsam permisceamur, & viuamus citra peccatum, quatenus licet. hæc ille, *in 1. Corint. 10* Rectè sensus huiusmodi aptantur osculis Domini, quæ Sponsa illa non minùs pura, quàm amans auidissimè expetebat.

6 Sed mihi nec alius æquè literalis, ac proprius, nec ita dulcis videtur sensus horum verborum, quàm quòd in iis significentur desideria, suspiria, preces, lacrymæ, quibus beatissima semper Virgo Maria promissam à Deo sui diuini Verbi incarnationem iugiter precabatur. *Defecit* (aiebat)

B. Maria expetit incarnationem Verbi.

caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea

Psalm. 72.

E *Deus in æternum.* Psalm. 72. Etsi enim Virgo summè humilis non se reputaret dignam, cui tam supra omnem naturam Deus conferret dignitatem, vt Mater Dei esset: tamen Deo interiùs commouente, & futuri mysterij intermicantem aliqualem fulgorem ostendente, ad hæc verba repetenda identidem ferebatur, quasi iam præsentiens vim diuini Spiritus, quo superueniente caro, & anima sua tam immenso replenda erat gaudio: quip-

Psalm. 72.

B. Maria dulciter de Filio Deo loquitur.

pe cum sola ipsa inter omnes creaturas verè possit dicere: Deus cordis mei, pars mea Deus: hoc est, Deus homo fiet pars mea, Filius meus, fructus

vteri

vteri mei, cato de carne mea, os ex ossibus meis, sanguis de sanguine meo: Deus erit cordis mei, vel animæ meæ, quæ tota exultabat in Deo salutari meo: vel Deus pectoris mei, vbi latet cor. Etenim Filius meus inter vbera mea commorabatur. Hoc idem desiderium exprimebat iam fœta Deo Virgo, antequam pareret, repetens: *Osculetur me osculo oris sui*, vel *ab osculo oris sui*, vel *osculis oris sui*. Sensus est: Vtinam iam aliquando Deus misericors votis Prophetarũ, ac totius generis humani desideriis annueret, mitteretque agnum dominatorem terræ, disrumperentur cæli, & descenderet Saluator, iustus, & ipsa iustitia, sol oriens, abundantia pacis, Emmanuel Deus nobiscum! O me felicissimam, cum diuinitus mihi concessum erit videre, osculari, tractaréque manibus ipsummet Infantulum Dei Verbum ex meis natum visceribus!. Traxerunt quidem è sinu Patris ad vterum Matris verbum Dei, & preces, & vota, & gemitus, & lacrymæ Virginis piissimæ. Nam proculdubio vota, & preces iustorum, ipsaque mendicitas humani generis admirabili quadam vi permouerunt Dei Filium, vt in terras tandem veniret, iuxta illud: *Propter miseriam inopũ, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus*. Psalm. 11. Caiet. legit: *A deuastatione pauperum, à suspirio mendicorum nunc consurgam*. Declarat verò ad hunc modum. Significatur amor Diuinus ad releuandos pauperes à desolatione: & similiter ad satisfaciendam desiderio mendicorum. Per deuastationem significatur status humani generis ante Messiam deuastatus quoad bona animæ, per suspirium autem naturale desiderium ad beatitudinem insitum humano generi, quod cecidit à statu innocentiæ, in illis apparens, qui recognoscebant casum suum, quales erant viri iusti, qui suspitabant ad Messiæ aduentum, hæc ille. At his iustorum votis, ac precibus pro deprecanda incarnatione Verbi diuini, quid a Deo redditum est? Sequitur: *Ponam in salutari*. Hebr. אשית בישע *ponam in salute*: declarat Caiet. Dicit: nunc, non in fine mundi, consurgam ad prouisionem faciendam. Et ecce prouisio. Ponam humanum genus in salute, in Messia afferente salutem. hæc Caiet. Vide quam sit efficax gemitus, & supplicatio iustorum.

Cantic. 1.

Desiderat Virgo Maria partum suũ.

Preces iustorum pro incarnatione Verbi.

Psalm. 11. Caietan.

Desideria humani generis pro incarnatione Verbi.

Efficax oratio iustorum.

Caietan.

7. Sed longo interuallo potentior fuit vox illius turturis, quæ audita est in terra; nam simul atque illa personuit, diuinum Ver appetiit, floresque apparuerunt, Deus homo natus e Virgine, Virginitas cum fœcunditate Matris, fœcunditas cum Virginitate, infinitæque aliæ gratiæ ad aduentum Dei in prato amœnissimo Ecclesiæ pullularunt. Verùm etsi tanta fuerit efficacia in gemitu precéque Virginis, longe maior extitit in vitæ illius sanctitate, morúmque puritate, vt Deum in vterum suum attraheret. Erant enim Virgini (inquit S. Georg. Nicom. *de præs.*) mores incomparabiles, & erat eius vitæ agendæ ratio composita virtutibus. O summam puritatem! ò ascensum ætatis, quales scalas honestatis statuit ad cælestem altitudinem, per quas Verbum descensu nouo ad nos descendit, per quas quod inferiùs erat situm terrenum naturæ tabernaculum, ascendit ad cælos. hæc ille. Nimirum Virgo Deipara vti est scala, per quam Deus ad nos descendit, ita est etiam, per quam nos ad Deum ascendimus. Hæc est illa ianua, per quam Deus ad nos, & nos ad Deum subintramus. Venerunt nobis omnia bona pariter cum ea. Eat ergo (monet S. Andreas Cretens. *de dormit. Virg.*) prompto, & alacri animo vnusquisque ad thesauri Virginis repositorium; omnes Deo reconciliemur. Ecce fons immortalitatis,

Potentissima supplicatio B. Mariæ.

S. Georg.

B. Maria scala & ianua inter Deum, & homines.

S. Andreas. *Inuocanda B. Maria.*

A qui non potest exinaniri: ecce vitæ fluuij perennes: adeste omnes, efficimini immortales. hæc ille. Sed ad oscula sponsæ redeo. S. Ambros. & alij legunt in plurali. *Osculetur me osculis sui oris*, in quo perseuerantiam amoris indicari certũ est. Cur enim Deus magni faciat vnũ, vel alterum animæ osculum, hoc est, vt semel amet, & statim ab ardore illo desistens, in desidiam, & languorem relabatur? Non vnum ergo (inquit S. Ambros.) osculum quærit, sed plura oscula, vt desiderium suum possit explere. Quæ enim diligit, non est vnius osculi parcitate contenta, sed plura exigit, plura vendicat. & ita se amplius dilectò commendare consueuit. Denique illa in Euangelio sic probata est:

Perseuerantia in charitate Dei.

D. Ambros.

B *Quia non cessauit* (inquit Luc. 7.) *osculari pedes meos, & ideo remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Ergo & hæc anima oscula Verbi multa desiderabat, vt illuminaretur diuinæ cognitionis lumine: hoc est enim osculum Verbi, lumen scilicet cognitionis sacræ, hæc S. Ambros.

Luc. 7.

Cognitio Dei.

8. Fit hæc mutua Dei, & animæ deosculatio in oratione, in qua Deus mentem illustrat Diuinorũ mysteriorum splendoribus, quibus anima veluti Diuino semine fœcundata illico parturit ardentissimos ergá Deum suum amores: itaque Deus animam osculatur illuminando: anima verò Deum osculatur amando Quod idem S. Ambros. ita clarius exprimit: Osculatur nos Deus Verbum quando cor nostrum, & ipsum principale hominis spiritu

S. Ambros. *Mira suauitas orationis.*

C Diuinæ cognitionis illuminat, quo anima donata, charitatis pignore nuptiali læta atque ouans dicit: *Os meum aperui, & attraxi spiritum*. Psal. 118. hæc S. Ambros. Potest etiam hic explicatus adiungi, vt per oscula intelligantur Dei beneficia, & animæ officia; ille conferat, ista referat. Porrò vtroque in sensu omnia egregiè conueniunt in Virginem Deiparam. Nulli enim creaturarum nec æqualia beneficia Deus contulit, nec suorum arcanorum thesauros ita largiter commisit, quam Virgini beatissimæ; nec vlla etiam creaturarum, aut pari amore, aut æqualibus obsequiis Diuinam illustrationem complexa, & Diuinam beneuolentiam prosecuta est. Quæ omnia proculdubio ab ipsa Virginis immaculata conceptione, vsque ad

Psalm. 118.

Gratitudo erga Deum.

B. Maria creaturarum sanctissima.

D illius assumptionem in cælos extiterunt; tum vel maximè per totam Christi Domini vitam cum Matre sanctissima agentis considerari possunt. Ab ortu enim Saluatoris (inquit S. Arnold Carnot. *de laud. Virg.*) vsque ad baptismum anni triginta defluxerant. nec toto hoc tempore seiuncta est Mater à Filio, semper indiuidua astitit, & Diuini conscia secreti, humili affectu venerabatur vt Deum, amplectebatur vt Filium. sic ille. Optimè quidem de Matre erga Filium: at de Filio ergo Matrem, quis quod intercesserit explicabit? Illud tamen supremum in morte amoris signum mihi tantum hoc loco sufficiat cum eodem Arnold. Carnot. expendere, qui hæc apponit: Expiraturus Iesus Matrem tanto affectu honorat: quasi sui immemor

Qualiter cũ filio viuebat B. Maria. S. Arnold.

S. Arnold. *B. Mariæ affectus, & dolor iuxta crucem Filij.* Ioann. 19.

E ad Matrem de cruce conuertitur, & colloquitur, intimans, quanti apud eum meriti esset, & gratiæ, quam solam in illo puncto respiceret. cum iam in vltimis esset. Mouebat eum matris affectio, & omnino tunc erat vna Christi, & Mariæ voluntas; vnumque holocaustum ambo pariter offerebant Deo; hæc in sanguine cordis, hic in sanguine carnis. Virgo cum Christo communem in salutem mundi effectum obtinet. hæc Arnold. Gladius quippe doloris animam Virginis iuxta Filij crucem stantis pertransiuit: atque adeo Filius in carne crucifixus, Mater in anima simul confixa cum Filio dolebat, patiebatur, moriebatur. Proh quan-

tum delicta nostra, & Filio & Matri nocuerunt! Væ tibi (exclamat S. Bernard.) amaritudo peccatorum nostrorum, propter quæ soluenda tanta amaritudo necessaria est! ita Bern. de Passione.

S. Bernard.

9. *Sensit vestimentorum illius fragrantiam.*] Complexus pater filium, ósque ori coniungens percipit odorem vestis, quem non nisi è propinquo percepisset: quo argumento bene concluditur non fuisse vestem vnguentis oblitam: latiùs enim diffunditur vnguentorum odor, & à longè percipitur. Credit Lyppom. vestem illam odorifera quadam materia intertextam pro regionum moribus esse: sed alij non probant, nec morem illum vsquam inueniunt: verosimilius est quod supra iam statuimus. Nihil æquè senem permouit, & oblectauit, atque odor, quem, vt sensit, statim benedictionem impertiuit, immò hanc ab illo peropportunè, suauitérque auspicatus est. Et quidem cum multa in suo sponso anima illa dilecta pariter, & diligens admiraretur, primum tamen omnium illius odorem percelebrauit, inquiens: *Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Cant. 1. Quin etiam, si rectè locum expendas, ante omnia sponsa odorem dilecti sui percepit, denique illo delinita, & excitata in desiderium osculandi prorupit: *Osculetur me osculo oris sui.* Reddit autem rationem horum votorum: *Quia meliora sunt, &c.* Ad quæ verba sic S. Ambros. *lib. de Isaac. cap.* 3. Illa osculum poposcit, Deus Verbum se ei totus infudit, & nudauit ei vbera sua: hoc est, dogmata sua, & interioris sapientiæ disciplinas, & vnguentorum suorum dulci odore fragrauit. Quibus capta iam dicit vberiorem esse iucunditatem Diuinæ cognitionis, quàm lætitiam omnis corporeæ voluptatis. Aspirat enim in verbo odor gratiæ, & remissio peccatorum, quæ in totum diffusa mundum, omnia tanquam exinanito repleuit vnguento; quia per vniuersos grauis vitiorum colluuies detersa est. hæc S. Ambros. O odorem, ô odorem! Vnguentum est Dei misericordia, quæ fragrantissimam spirat suauitatem, qua perfusi peccatores, de suo cœno ac volutabro vitiorum ad pœnitentiam accurrunt, in qua misericordiam Domini, & gratiam illius suauissimam consequuntur. Iccirco tam ardenter sponsa Dominum suum dilexit, & cum illa pariter adolescentulæ cucurrerunt ad visendum, amplectendum, amandúmq; Deum suum (qui antea horribili habitu apparebat Moysi, inter fumigantis camini metuendas fulgure nebulas) eo quòd venit tandem vnguento delibutus, & Diuinum spirans odorem. Hinc optimè ad eadem verba Cant. 1. loquitur Origen. Sponsus (inquiens) Christus missus à Patre venit vnctus ad sponsam, iuxta illud: *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis,* Psalm. 44. Si me tetigerit sponsus, & ego boni odoris ero, & ego liniar vnguentis, & ad me vsque eius vnguenta peruenient: vt possim cum Apostolo dicere: *Christi bonus odor sumus in omni loco.* hæc ille.

Lyppom.

Cantic. 1.

Diuina dulcedo nes ab anima percipiuntur.

S. Ambros.

Suauitas Diuina misericordia.

Venit ad nos Iesus vnguentis perfusus.

Cantic. 1.

Origen.

Psalm. 44.

2. Cor. 2.

10. Significantur etiam per odorem gratiæ, virtutésque omnes Christi, quarum suauitas vbique diffusa incredibili voluptate iustorum animas perfundit. Sed tamen adhuc sunt permulti, qui nomen Christi, & fidem profitentur, at illius odorem non imitantur: imò turpissimum omnium scelerum exhalant fœtorem. quod idem Origen. & animaduertit, & deplorat in hunc modum: Nos autem cum hæc audimus, adhuc peccatis vitiisque fœtemus; de quibus Propheta pœnitens loquitur: *Putruerunt, & corrupta sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.* Peccatũ odoris est putidi, virtus spirat vnguenta. hæc Origen. Cur ergo suauitatem odoris, quæ in virtutibus est, non amamus, non sectamur, & miseri, turpésque, ac fœtidi computrescimus inter stercora vitiorum? Odorem etiam illum, de quo Apostolus, in iis esse videmus; qui Christi Domini vitam & passionem imitando, in seipsis ita exprimunt, vt Christum ipsum redoleant. Quod subtiliter admodum Propheta ostendit, cum cecinit: *Myrrha, & gutta, & casia à vestimẽtis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo.* Psal. 44. Eri odores Christi, myrrha, gutta, & casia in vestimentis Christi, vel in ipsa Domini humanitate, vel in Sanctis, qui etiam non semel in sacris literis dicuntur vestimenta Dei. Spirant itaque omnia in Christo virtutum, & gratiarum suauissimos odores, qui deinde excepti in domibus eburneis, ab illis etiam refunduntur. Sed quænam sint hæ domus eburneæ, accipe ex S. Hieron. Domos (inquit) eburneas propter magnitudinem elephantorum, domus amplas accipimus. Sed ebur nisi radatur limis, dividatur serris, ac subulis perforetur, obscurum, & horribile est: sic & Apostoli erant, antequam vocarentur, & inhabitarentur. Sed postquam vocati sunt, serris secti, vngulis rasi, scalpellis scalpti, flammis igniti, ac diuersis suppliciis elimati, facti sunt domus Dei, in qua ipse Christus dignaretur inhabitare. hæc S. Hieron. Sunt quidem Apostoli primæ, & amplissimæ domus eburneæ, in quibus omnia Christi vnguenta, & odores asseruantur: indéque emanant in alios Ecclesiæ iustos.

Odor virtutũ Christi.

Origen.

Fœtet peccatum, virtus redolet.

Psalm. 37.

Psalm. 44.

Exẽpla Sanctorum.

D. Hieron.

Sancti domus Christi.

Apostolorum dignitas,

11. Additur enim: *Ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo.* Declarat enim vlteriùs idem Hieron. Horum exempla (inquiens) sequentes martyres, effecti sunt suorum corporum reges: istorum regum sunt filiæ animæ sanctæ, quæ Christum delectarunt, honorando nomen maiestatis eius, & præconando misericordiam eius. hæc S. Hieron. Et quidem odor Christi est Paulus dum prædicat, sicuti addit: *In iis, qui salui fiunt, odor vitæ in vitam.* 2. Corinth. 2. Quod vtique de exemplo vitæ in concionatore verbi Dei intelligitur. Hoc autem tam præclarum erat ob admirabilem vitæ sanctitatem in Apostolo, vt illius efficacitate potiùs, quàm doctrinæ verbo, aut miraculis gentes permotæ ad Christi fidem traherentur. Non trahet ad Christum, qui bonus Christi odor non erit, hoc est, qui vitæ suæ moribus Christi vitam non redolebit. Iccirco Moysi, cum ad prædicandum populo mittendus esset, dictum à Domino est: *Solue calceamenta de pedibus tuis.* Exod. 3. Nimirũ (quod pulcherrimè obseruat S. Ambros.) vt vocaturus populum ad Dei regnum, priùs carnis exuuias deponeret, & nudo spiritu, vestigióque mentis incederet. ita S. Ambros. *lib. de Isaac. cap.* 4. Vniuersim autem certum hoc est, parum, aut nihil in aliis ad virtutem promouendis proficere, qui vitam gerat vitiis pollutam. In quo argumento multa diuinitus dici consueuerunt: hoc vnum in præsentia mihi sit satis ex Tertul. *lib. de patientia.* sic effatur: Oportet demonstrationem, & commendationem alicuius rei adortos, ipsos priùs in administratione eius rei deprehendi, & constantiam commouendi, propriæ conuersationis autoritate dirigere, ne dicta factis deficientibus erubescant. hæc Tertul. *cap.* 1. Planè si quis sapiet, verecundabitur ea docere alios, quæ ipsemet non obseruat. Dicere bene, & malè viuere summa est impudentia. Neque huiusmodi prædicatoribus deest, vel palma, vel nomen sanctorum martyrum. Magnum quippe (ait S. Laurent. Iustin. *serm. de S. Martin.*) prorsus est hoc martyrij genus vltro se pro Christi honore dare periculis. Audi sine ferro marty-

D. Hieron.

SS. Martyres in Ecclesia reges.

2. Cor. 2.

S. Paulus exemplo conuertit orbem.

Exod. 3.

D. Ambros.

Exemplũ vitæ cum doctrina.

Tertull.

S. Laur. Iust.

Martyr est sanctus prædicator.

rem

A rem ex sola charitate morientem: *Quotidie* (inquit Paul.) *morior propter gloriam vestram, fratres, quæ est in Christo.* 1. Corinth. 15. hæc ille.

1. Cor. 15.

12. Denique vbera Domini, & Apostolorum, atque eorum, qui veri sunt in Ecclesia prædicatores, dicuntur fragrantia vnguentis optimis: suauissimos enim omnis honestatis, & virtutis odores in audientium animos inspergunt: contra verò dæmones, ac dæmonum satellites, vti pseudoapostoli, hæretici, & mahometanorum magistri, & quicunque alij, etsi Christiani, scelerum tamen administri, retiáque inferni, & volutantur in cœno vitiorum, & alios in eandem spurcitiem compingunt. Ita prodigus ille, ac perditus adhæsit vni hero, qui misero iussit, vt pasceret porcos. *Luc.* 15. vbi Euseb. Emiss. Porci dæmones sunt, qui in fœtore, & stercore vitiorum delectantur.

Sancta prædicatorum doctrina.

Ministri malæ doctrinæ.

B Hos autem porcos illi pascunt, qui eorum voluntati obediunt, eorúmque desideria complent. Quicunque igitur iniquitates operantur, magnam his porcis refectionem parant. hæc ille. O miserandum hominis statum! quid infelicius hoc prodigo, ac perdito adolescente, qui porcos pascit, hoc est, fœtidissimis dæmonibus suorũ scelerum impuritates tanquam siliquas, & abiectissimum cibum subministrat? Sed vnde tantum hoc illi malum? Profectò quia Dei præsentiam à se depulit, & memoriam Dei prorsus excussit. Audi Euseb. verba Euangelistæ commentantem. *Abijt in regionem longinquam.* Omnis quidem regio longinqua est, quæ à Deo longè est: à Deo longè fit, qui

Lucæ 15. Euseb. Emiss. *Porci dæmones pascuntur à vitiosis.*

Peccator Dei oblitus, & diabolo adhærens. Euseb. Emiss.

C vitiis appropinquat. Facta est fames, cœpit egere. Magna egestas est in peccatore illo, vbi verbi Dei memoria nulla habetur: quod quidem posteaquam fit, totus iam homo diabolo traditur, totúsque ab eo possidetur. hæc Euseb. Postremò vt summam odorum Christi suauitatem non percipiamus modò, sed ad illam etiam curramus, iuxta illud: *Trahe nos post te, curremus in odorẽ vnguentorum tuorum.* Cant. 1. haud dubiè vestimenta veri Iacobi, nimirùm Christi, sanctissimam illius humanitatem significant; quod apud Isaiam clariùs habetur. sic enim infit: *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, &c.* 63. Illa igitur humanitate indutus Dei Filius Patrem orat in cruce, benedictionémque petit in omne genus hominum impertiendam.

Humanitas Christi suauissimi odoris.

Cantic. 1.

Isaiæ. 63.

D Ac quinam illius odores? Certè Domini pendentis in Cruce patientia, oratio. Sanguis ille pretiosissimus, qui vbertim defluebat, merita infiniti pretij, vno verbo secundùm S. Ambros. dulcis misericordia. sic enim loquitur, *lib. de Isaac. cap. 3. Attrahe nos, post odorem vnguentorũ tuorum curramus.* Cant. 1. Dulcis quidem misericordia, quæ ad omnes peruenit. Propter hanc (inquit) indulgentiam tuam diligunt te animæ, &c. hæc S. Ambros. Hæc scilicet vnguenta misericordiæ diffusa per omne genus humanum fuerunt, cum fractum est Corporis Dominici alabastrum, & Dominus in Cruce

Spirat Christus in Cruce odores.

S. Ambros.

Dulcis misericordia Christi.

E vsque ad mortem exinanitus est. quod S. Bern. alibi considerat de his vnguentis, & odorum suauitate ad sese omnia pertrahentium dixit Dominus: *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Ioann. 12. cui consonat dictum Sponsæ: *Trahe nos post te.* Exaltatus enim in Crucem Dominus omnia traxit ad se, cum regnauit à ligno Deus ad exinanitum quippe sanctissimæ illius humanitatis vnguentum, ac latè per omnem mundi machinam diffusos odores tractæ, & illectæ occurrerunt animæ fidelium.

S. Bernard.

Ioan. 12. *Victor hominum in Cruce Christus.*

12. Sic verò anima per Passionem Domini attracta illi crucifixo inhæret, vt nihil frequentius,

A ac dulcius meditetur, quàm Domini sui Passionem: hac enim sua meditatione concalescit cor ipsius, & amoris exardescit ignis. Iccirco illa (vt obseruat S. Bernard.) precabatur: *Trahe me post te, in odorem vnguentorum tuorum curremus.* Propterea opus habeo trahi; quoniam refriguit in me ignis amoris tui, nec valeo à facie frigoris huius currere. sic ille, *serm. 21. in Cant. 1.* O felix anima, cui diuinitus datum est, vt Domini Passionem iugiter in cogitatu, & in affectu habeat, inquiens: *Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi, inter vbera mea cõmorabitur.* Cant. 1. Hoc erat iuge, ac pium S. Bern. studium, vt de se ipse fatetur his verbis: Ego ab ineunte mea conuersione pro aceruo meritorum, quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare, & inter vbera mea collocare curaui, collectum ex omnibus anxietatibus, & amaritudinibus Domini mei. hæc ille, *serm. 43. in Cant.*

Meditatio Passionis Domini vtilissima. S. Bernard.

Cantic. 1. S. Bernard.

B Proh! quanta cum sancti amoris dulcedine repetebat identidem S. Ignatius (vt refert in vita illius Trithem.) Amòr meus crucifixus. Hoc amore inflammati, his vnguentorum odoribus illecti, hac Domini Passione concitati beatissimi Martyres ad supplicia, ad tormenta, ad patibula, ad mortem denique alacri, & constanti animo cucurrerunt. Ex eo enim (inquit S. Greg. Nazianz. *orat.* 42.) quòd passus est Dominus, ad patiendum nos erudit. sic ille. In hanc Domini sui Passionem mente, oculísque intentus Apostolus aiebat: *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* ad Philip. 1. Pati enim,

S. Ignat. *Passio Domini excitat ad martyrium.*

S. Greg. Naz.

ad Philip. 1.

C & persecutionibus afflictari Paulo, & Sanctis viris pro Christo Domino cruci affixo, tam charum, tam dulce, quàm ipsamet vita semper fuit: quod egregiè adnotauit S. Ambros. *in 2. Timot.* 4. ad hũc modum: *In prima* (inquit Apostol.) *mea defensione nemo mihi affuit.* Pressuram, & tribulationes sibi illatas defensionem suam nuncupat: passio enim Christianis vita est, & persecutio defensio. sic ille. Ac pati quidem innocentem pro Dei obsequio à nocentibus, ita gloriosum est, vt hoc maximè titulo primum inter homines sanctum, & Martyrem Deus fecerit Abelem. Ne miremur igitur (inquit S. Saluian.) nunc sanctos homines quædam aspera pati, cum videamus, quòd iam tunc Deus etiam per maximum nefas primum sanctorum

Dulce iustis pro Christo pati.

S. Ambros. 2. Tim. 4

Gloriosum est pro Deo pati

S. Saluian

D Abelem siuit occidi, sic ille, *lib. 1. de prouid.* Ita suos Dominus honorat seruos, cum despici, proculcari, & opprobriis sinit illos saturari. Hæc militia, hæc victoria, hic triumphus, & gloria est Christianorum. Sic crucifixo Domino suo confixi, & similes, & conformes imagini eius, & vnus spiritus cum ipso efficiuntur. Qua doctrina fideles in primæua Ecclesia, continuis, & maximis persecutionibus afflictos B. Petrus ita consolatur. *Communicantes Christi passionibus gaudete. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam, quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est eius spiritus, super vos requiescit.* 1. Petr. 4. Passio enim vestra (oc-

Primus Sanctorum Abel occisus.

1. Petr. 4.

E currit hic Caiet.) glorificatio est, vt in præsenti (habetur in Glossa) sitis honorabiles in bonis operibus, & in futuro participes honoris Christi. ita Glossa. Ita etiã recreat Dominus seruos, & amicos suos, cũ eos non tam ad patiendũ, quàm ad bibendum; non tam ad angustias, & dolores, quàm ad calicem dulci nectare plenum inuitat. Iccirco enim passionem calicis nomine frequenter admodum significauit. Ac morti denique iam vicinus *sciens Iesus quia omnia iam consummata sunt, vt consummaretur scriptura, dixit: Sitio.* Ioann. 19. Nimirum exactis omnibus vnum restabat in cruce tolerandum hausti fellis tormentum; cumque satellites illud propinare obliuiscerentur, clamat Dominus,

1. Caietan

Patiens fellis Christus in Cruce sitit.

Ioann. 19

minus, Sitio. quasi dicat: hoc minus fecistis, da- A te quod estis, ait S. Aug. Propinate fel: hoc vnum restat, hoc vnum sitio, huius tam mihi grata, & dulci potione ardentia corporis viscera refrigerabo, & fugientem vi mortis animam recreabo.

D. August.

SECTIO V.

Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, & vini. &c. vsque ad *repleatur.*

1. **E**cce odor, &c.] Hebr. *reeh reach beni* ראה ריח בני, *vide odorem filij mei.* Noster, Chald. & LXX. *Ecce*: nec impropriè cum semper vtantur Hebræi imperatiuis pro aduerbiis demonstrandi. In Hebræo non est *pleni*, sed apponitur à LXX. Sensus est: Sentio fragrantiam odoris ex vestibus filij mei persimilem illi suauitati, quam ex se verno tempore ager odoriferis pictus floribus exhalat; cui scilicet omnipotens Conditor, & gratiam florum, & fructuum fœcunditatem præstando amplissimam, & gratissimam suam benedictionem effudit. De odore Iacob, & Christi Domini, cuius ille typum gerebat, *in preced. sect.* latè disseruimus: nunc de illo eodem, vt comparatur cum agri vernantis fragrantia, nonnihil subnotabimus. Ac bellè quidem Isaac odorem filij cum agro comparat. Erat enim (inquit S. Ambrof.) perfectus in omni flore virtutum, & sacræ benedictionis, atque cælestis, redolebat gratiam. Ipse est enim ager, quem benedixit Dominus. hæc S. Ambrof. *de Iacob, lib. 2. cap. 1.* De quo etiam inferiùs aliquâtò concludit: licet dulcis, & suauis odor sit agri, quia est odor naturæ, tamen in sancto Patriarcha virtutum spirabat gratia. sic ille. Verius de S. Paulo, & reliquis Apostolis, atque adeò de perfectissimis omni genere virtutum illis viris, quibus Christi fides abundat, quàm de Iacob, dicendum hoc ipsum est. Verisimile est enim (inquit Procop.) singulos habere bonum odorem, nempe virtutis, quæ est quasi complementum eorum, quæ sunt in agro. Contra verò vitia sunt teterrimi odoris, iuxta eum, qui canit: Fœtuerunt, & computruerunt vomicæ meæ à conspectu stultitiæ meæ. Cóuenit autem Domino benedicere agrum virtutis optimos producentem odores. hæc Procop. Mira mihi sensuum varietas ex agro isto redditur. Atque in primis virtutes iustorum floribus agri comparantur, ob industriam, quam ab homine cultore requirunt. Etenim Hebr. *sadeh* שדה *ager est, qui colitur*; vt Genes. 2; *ois sadeh* איש שדה *vir agri*, id est, agricola dicitur. Præterea radix שדד *sadad* est *arata agro comminuere glebas.* Quod autem ager in hoc sensu hic accipiatur, testem habeo S. Ambrof. *lib. de Isaac, cap. 7.* vt numero sequenti referam. Accedente autem arte, atque industria hominum, variis consitus herbis ager, varium, ac suauem spirat odorem. Ergo virtutes humana egent cultura, nec sine labore acquiruntur: iccirco nunquam ab opere cessandum, & labor omnia vincet improbus: nimirum, quia industrium hominem, ac pro virili iugiter laborantem Diuina semper gratia iuuat: tantúmque aliquando proficitur, vt videas, quod S. Ambrof. egregiè obseruat: Minimum (inquiens) studij plerumque pro maximo habetur. In studio enim sunt omnia. hæc ille, *lib. 1. de Iacob, cap. 3.* Vincit enim omnia labor; industriæ cuncta cedunt; nihil non perficitur spiritus feruore: contra verò segnes, tepidi, supini, somnolenti non plus multos per annos, quàm vno die in virtutum, & salutis studio proficiunt.

Vir sanctus viri pratum vernant.

D. Ambrof.

Virtutum fragrantia.

Procopius.

Fœtens vitia.

Virtutes flores agri.

Genes. 2. 5.

Virtus laboris & industriæ fructus.

D. Ambrof.

2. Hoc autem studium, ex quo fœtura virtutum, ac meritorum redundat, sic est viro iusto veluti congenitum, vt nullum tempus, nullam rerum, ac negotiorum occasionem, nullúmque locum abire patiatur, quin omnes industriæ contendat neruos, vt Diuinæ gratiæ cooperator, ingentia lucra consequatur. Quem etiam (appositè optime idem Ambrof.) quiescentem virtus pro pria non reliquit: qui non minùs otiosus, quam cum operatur, beatus: nec minus dormiens, quam vigilans, gloriosus. Quando fenatus videri potest, cuius mens semper operatur? quando abiectus, cuius conuersatio est in cælo? hæc ille, *cap. 8 eiusdem libri.* Anima quippe viri iusti, ac de salute sua diligenter curantis, vbique locorum, quocunque tempore, nulla non ex occasione, industriè, auide, demúmque insatiabiliter in exercendis virtutum actibus, comparandisque ad gloriã mentis, occupatur. Culto in agro virtus producitur, nec enim sponte nascitur, nec inuito homini datur in manus, atque in sinum infertur: quia sponte amittitur, & non nisi Diuina ope in voluntatem humanam se ingerit. Qua de re præstat audire S. Prosper. *lib. 3. de vita contemp. cap. 16.* Virtus in animo habitat, sed animum corpúsque sanctificat. Ad quam nullus accedit inuitus, quam nullus amittit nisi propria voluntate deceptus: nemo eam sibi conferre potest, cum possit auferre: alteri autem nec conferre præualet, nec auferre. hæc S. Prosper. intellige doctrinam Catholicam viri sanctissimi, & doctissimi. Penes hominem cura est, labor, industria ad colendum agrum: at Deus, bonorum omnium solus Conditor, virtutes ipsas in animum hominis inducit, immò (vt ait Apostolus) *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* 1. Cor. 3. Ad quem locum concinnè admodum ita scribit S. Hier. Nisi Deus incrementum dederit, sine causa laboramus. Nos mercenarij sumus in alieno agro: alienis vtimur ferramentis: nihil habemus proprium, nisi mercedem nostri laboris. Sequitur: *Dei enim sumus adiutores, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.* Non enim in potentia, sed in verbo adiuuamus coli Dei agrum, & extrui templum. hæc S. Hier. Duo etiam obiter in Apostoli verbis expendi possunt. Primò quidem Paulum, & cæteros, quos Diuina gratia ad id muneris instruxit, non labori, & solicitudini parcere debere, quin in commune proximorum bonum sanctè, diligentérque incumbant. Nam, vt sapienter colligit S. Prosper. *lib. de 3. cap. 12.* non nobis tantùm, sed etiam generi humano nos natos esse credamus. Siquidem belluarum est sibi viuere, nec suas vtilitates in commune conferre. hæc ille. Alterum est, nec Apostolum, nec Apostolico munere fungentes, ita se habere, vt verborum spargant flores ad suam eloquentiam ostentandam; sed agricolarum aratrum capiant, tellurem proscindant, alcisque, ac profundis terræ imitatæ sulcis sudando ipsi sementem iaciant. Nec enim doctor verbi Dei est (vt alio Paulus vtitur nomine) *æs, aut cymbalum tinniens.* 1. Cor. 13. quod est quorundam in Ecclesia tabularum leuissimum, ac vanissimum officium. Qui videlicet (vt idem Prosper, *cap. 14.* eleganter describit) studiosius eloquentiam volunt curare, quàm vitam: dicta sua magis cupiunt laudari, quàm fieri. Non sunt de sanctitate operis, sed de sermonis elucubrati venustate soliciti. Qui in modum tinnientis æramenti, aut cymbali præclara magis

Ignaui vix proficiunt.

Diligens cooperator Diuinæ gratiæ. S. Ambrof.

Virtus non nascitur, sed acquiritur.

S. Prosper. Qualis natura virtutis.

1. Cor. 3.

D. Hieron.

Zelus boni communis.

S. Prosper.

1. Cor. 13.

S. Prosper. Vani doctoris loquacitas.

magis quæque appetunt sonare, quàm facere. hæc S. Prosper. Culpantur doctores, quod vanitati studeant verborum; culpantur & auditores, quòd illam ament, & aueant audire. Isti enim magistros quærunt prurientes auribus, vt loquitur Apostolus, non verò mentibus pietatem, & compunctionem inferentes. Heu miserum ægrotum, qui vasculum potionis à picturis, & emblematis laudat quidem; at porionem in eo salutarem non accipit, sed execratur! sic habet cribrum, excutit quidem farinam, & furfures retinet. Salutaria igitur monita, & consilia, & exempla, & rerum solidatum momenta, in concionatoribus quærite, amatéque: hic cibus animæ, hoc est curandis morbis medicamentum, hic fructus vitæ Christianæ. Verborum autem picturas, folia, furfures, paleas, vanitatis argumentum non curate.

Vanitas auditorum verbis Dei.

Quid in Christiano prædicatore quærendum.

Agro similes iusti.

3. Agro deinde comparantur iusti propter vbertatem virtutum, ac meritorũ: quæ fœcunditas typo columbæ insinuatur; ob eam enim rationem anima illa Deo dilecta ab sponso suo vocata audiuit: *Veni columba mea. Vna est columba mea, &c.* Vtrũque locum simul expendens S. Ambros. *lib. de Isaac, cap.* 7. ita effatur: Est anima columba, atq; perfecta, fœcunditatis laudatur anima, non solum, quod sit fœcunda virtutibus, sed etiam, quod nihil habeat in se mali. Decora dicitur: speciosa enim fœcunditas est bonorum operum; quod autem malum, hoc sterile, & infœcundum hæc S. Ambros. Videas pulchritudinem animæ in eo consistere, quod fœcunda sit meritis: vbi autem sterilitas est meritorum, ibi veram, & germanam rationem mali, atque deformitatis videri. Cæterùm suæ doctrinæ ponit illico egregium testimonium hisce verbis: Cuius rei quod euidentius indicium, quàm natura est? Terra enim, quæ bona est, fertilis, atque fœcunda: quæ autem mala, & ieiuna, atque sterilis: quæ verò fertilis, hæc decora. Quid enim pleno agro pulchrius, cum seges fluctuat? cum poma rutilant? vel cum vuarum serta dependent? aut baccis onusta olea curuescit; vel viridanti graminе montium vertices, vallium humilia vestiuntur? hæc S. Ambros. Quam doctrinam probat ex hoc, & ex aliis Diuinæ paginæ locis, ita progrediens. Et vt Scripturæ vtamur testimonio, Iacob decorus erat, & ideo erat odor agri pleni: Esau hispidus erat, & indecorus, & ideo agrestis erat, qui fructus illos habere non posset. De ipso quoque Domino posteaquam Ecclesiæ fœcunditatem fecit assurgere, pulchrè dictum est: *Dominus regnauit, decorem induit.* Psal. 91. & Psal. 103. Confessionem, & decorem induisti. sic ille. Concluditque egregiè, quod assumpserat, pulchritudinem videlicet animæ, in bonorũ operum, ac meritorum fœcunditate sitam esse, ita inquiens: Liquet igitur decorum id esse, quod fœcundum; indecorum, quod infœcundum. Similis est causa animæ soli, quia ea decora anima, quæ fœcunda sit meritis; ea indecora, quæ sterilis. hæc S. Ambros. Probantur omnia illo vno verbo Domini appellantis terram bonam, & optimam, quæ accepto semine centuplum reddidit. *Luc.* 8. Esto autem (vt bene interpretatur S. Cyrillus) terra pinguis, & ferax, anima honesta, & bona, quæ in profundo suscipit verbi semina, & retinet, & fouet; dicitur autem: *Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum* Cum enim in mentem mundam ab omnibus perturbationibus verbum Diuinum infunditur, tunc immittit radices in profundum, & germinat tanquam spica, & conuenienter perficitur. ita Cyrill. in catena.

S. Ambros.
Vbertas meritorum.

Pulchra anima, quæ fœcunda meritis.

S. Ambros.

Psalm. 91. & 103.

S. Ambros.

Anima similis telluri aut sterili, aut vberi.

Lucæ 8.
S. Cyrill.

Anima fœcunda, quæ munda.

4. Hæc autem profunditas, quam terra bona,

A hoc est, anima dicitur habere, ad suscipiendum, retinendum, & fouendum diuini verbi semen, in quo illud altas agit radices, & vnde pullulat in vbertimam segetem bonorum, est haud dubiè humilitas animæ, quæ quidem primũ, altum, & solidum est virtutum omnium fundamentum. *Abyssus abyssum inuocat*: scribitur Psalm. 41. Nimirum abyssus, & profunditas humilitatis attrahit ad se abyssum cœlestium gratiarum. Deus enim humilia respicit: humilibus dat gratiam; cum humilibus libenter, ac familiariter agit. *Abyssus abyssum inuocat*: quodammodo enim cum omnipotentia Dei contendit humilitas hominis, vt quantò illa se magis extendit ad benefaciendum, tantò se ista B deprimat in profundum, tantò se aperiat, capacémque se magis efficiat ad recipiendum. Item abyssus Diuinæ misericordiæ inuocat, quærit, immò efficit etiam in homine abyssum humilitatis. Humilium enim (inquit S. Cyprian.) mentibus se Deus infundens dilatat humani cordis angustias. sic ille, *de Natiuit. Christi.* Diximus profunditatem, quia licet humilitas in exteriori etiam specie demonstrari debeat, præcipuè tamen in corde residet: typus enim humilitatis Christus Dominus, vt ipse se proposuit imitandum; humilis corde est. Cæterùm humilitatem cordis nullam plerique habent, & foris tamen inanem illius speciem ostendunt: contra quos ita scribit S. Petr. Dam. *de contemptu secul. cap.* 18. Sunt nonnulli, qui vnde C se humiliter in publico deprimunt, inde in occulto elatiùs intumescunt. Dauid autem, vt extrinsecùs se humilem præbeat, dicit: *Ludam, & vilior fiam plusquam factus sum.* Vt verò humilitatem mentis ostendat, adiungit: *& ero humilis in oculis meis.* 2. Reg 6. ac si patenter dicat: Et exteriùs humiliabor, vt aliis exemplũ salutis exhibeã: & intus humilis ero, vt in eiusdem salutiferæ humilitatis radice & ipse persistam. hæc Petr. Dam. Cape obsecro, & expende, quàm appositè dicatur humilitas salutifera, vt quæ sit mater salutis, primusque soleat esse gradus ad vitam animæ; nec enim peccator à castris superbiæ ad pœnitentiæ asylum transfugit, quin prius peccatorem se fœdum, atque abiectum recognoscens salutari quodam pu- D dore suffundatur, atque humilians se sub potenti manu Dei, & veniam suorum scelerum & Diuinæ gratiæ reconciliationem ardenter desideret.

Humilitas fundamentũ virtutum.

Psalm. 41.

Humilitas cum Dei potentia contendit.

S. Cyprian.

Humilitas cordis præcipua.

S. Petr. Dam.
Humilitas cordis prodita foris.

2. Reg. 6.

Humilitas salutifera.

Humilitas peccatorem renocat.

5. Luculentè etiam agri typo significantur iusti, quippe cum Diuinis exculti beneficiis in magnam exuberent fœcunditatem semper in omnibus cum Apostolo gratias agentes Deo: deinde reddunt in pauperes ad obsequium Dei sui, ex iis quę ab illius magnificentia acceperunt. At non sic impij, non sic. Quid enim magis impium, quàm quæ pietatis viscera occludit, auaritia? Enimuerò auaritis (vt obseruat S. Petr. Damian. *ad Dominicũ, cap.* 1.) in manu accipientis viscus est. quæ quicquid apponitur; excuti non permittit; sed more picis hærere compellit. sic ille. Auari ergo sunt E terra illa in Euangelio saxis & spinis horrida, omnino infœcunda, quæ recipit quidem sementem patrisfamiliàs, sed nullum inde fructum reddit. Tolle igitur, quisquis talis es, oculos in Deum tuum de cruce pendentem. Extensæ quippè (ait S. Hildebert. *Epist.* 48.) sunt in cruce manus Domini, vt extenderentur inopi manus contractæ, manus tuæ. sic ille. Præterea Iacob electum e gentibus populum, qui Dei benedictionem despecto Esau, hoc est, Iudaico præripuit, apud Patres præfigurat. Sic enim loquitur S. Gregor. *homil.* 6. super Ezechiel. Iacob Gentilis populi figuram tenet, cui dicitur in benedictione. *Ecce odor filij mei, sicut*

Impia & crudelis auaritia.

S. Petr. Dam.

Auaritia tenax, & sterilis.

S. Hildebert
Christus in cruce commendat eleemosynam.

D. Gregor.
Iacob typus populi Christiani gratiosus.

odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Sicut enim in Euangelio Veritas dicit: *Ager est hic mundus.* Et quidem gentilis populus ad fidem perductus per electos suos in vniuerso mundo virtutibus redolet, odor filij est odor agri pleni. hæc ille.

Virtutum odor in populo Christiano. S.Gregor.

Cum ergo Christi Ecclesia sit ager iste plenus floribus, & arboribus suauissimum odorem efflantibus: vt ista se habeant, sigillatim ita discurrit: Aliter namque olet flos vuæ, quia magna est virtus & opinio prædicatorum, qui inebriant mentes audientium. Aliter flos oliuæ, quia suaue est opus misericordiæ, quæ more olei refouet, & lucet. Aliter flos rosæ, quia mira est fragrantia, quæ rutilat, & redolet ex cruore martyrum. Aliter flos lilij; quia candida vita carnis est de incorruptione virginitas.

Status iustorum in Ecclesia.

B Aliter flos violæ, quia magna virtus humilium, qui ex desiderio vltima loca tenentes, per humilitatem se à terra in altum non subleuant, & cælestis regni purpuram in mente seruant. Aliter redolet spica, cum ad maturitatem perducitur, quia bonorum operum perfectio ad satietatem eorum, qui iustitiam esuriunt, præparatur. ita Gregor. quibus tam pulchrè, propriéque discussis, rectè colligit benedictionem istam de Christiano populo verissimè intelligi, sic effatus:

S. Gregor. *Virtutes benedictio Dei.*

Quia ergo gentilis populus in electis suis vbique per mundum sparsus est, & ex eis virtutibus, quas agit, omnes qui intelligunt, odore bonæ opinionis replet, dicatur rectè: *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni.* Sed quia easdem virtutes ex semetipso non habet, adiungat: *Cui benedixit Dominus.* hæc omnia Pontifex. C

D. Ambros. *Christus ager plenus & amœnus.* Cantic. 2. Psalm. 49.

6. Omnium aptissimè de Christo Domino mysterium euoluit S. Ambros. sic infit *lib. 2 de Iacob, cap. 1.* Hic est ager, de quo dicit Ecclesia in Canticis: *Adiuraui vos, filia Hierusalem, in virtutibus, & fortitudinibus agri.* Cant. 2. Hic est ager, de quo & Dominus ait: *Et species agri mecum est.* In hoc agro vua illa reperitur, quæ expressa sanguinem fudit, & mundum diluit. In hoc agro est ficus illa, sub qua sancti requiescent spiritalis gratiæ suauitate recreati. In hoc agro est oliua illa fructifera, dominicæ fluens pacis vnguentum. In hoc agro florent malogranata, quæ plurimos fructus vno fidei munimine tegunt, & quodam foueot charitatis amplexu. Hos igitur fructus redolebat Iacob. hæc S.Ambros. D Itaque Dominus Iesus ager est à Deo Patre benedictus, in quo omnium gratiarum, ac donorum flores vernant, odores afflantur, & fructus exuberant: iuxta illud quod Ambros. retulit: *Pulchritudo agri mecum est.* Psalm. 49. Aliter explicat S. Hieron. Quia (inquiens) vbi voluero, rerum omnium copia vel diffunditur, vel negatur, vel species agri mecum est, virtus sanctæ Ecclesiæ. hæc S. Hieron. Et quidem pulchritudo agri, vt hic interpretatur S. August. vbertas est omnium in terra gignentium: putat illam esse apud Deum, quia & ab illo creatur, & Deus in agro, vt etiam vbique est. Mihi arridet in præsentia vernantis agri pulchritudo, quæ iuxta S. Ambros. typus est gratiarum, & donorum, vt diximus, Christi Domini: ac fortasse hic est ager Euangelicus, in quo thesaurus absconditus inuenitur. Latebat quippe in humanitate humili, & probris, ac doloribus oppressa Domini, vniuersa opulentia Diuinitatis. At post Filium suum Virgo Dei Mater agri typo, cui benedixit Dominus, apprimè significatur: cui maximè congruit quod S.Georg. Archiepisc. Nicom. inter alia de Virgine beatissima sic apponit: Virgo Dei Genitrix est pratum, & pratorum maximè odoriferum, & varium. & incorruptione coronans eos, qui decerpunt. hæc ille, *serm. de præs. Virg.* Coronauit quidem Virgo Mater Verbum ipsum Dei diademate illo pulcherrimo, ac pretiosissimo humanitatis, quam in suis visceribus supra omnem naturæ ordinem superueniente Spiritu sancto concepit, gestauit, ex iisque salua integritate peperit. Ergo Dei Filius, vbi homo factus in mundo apparuit, tali corona insignitus, ita omnium rapuit oculos, ita omniũ mentes admiratione sui detinuit, vt vel ipse Æternus Pater, aut cælites ipsi conclamarint: *Egredimini filia Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua, in die desponsationis eius, & in die lætitiæ cordis sui.* Cantic. 3.

Psalm. 49. D. Hieron. S. August. S. Ambros. E S. Georg. *B. Maria pratum vbi texuntur corolla.* A *Humanitas Christi corona ex Matre Virgine.* Cantic. 3.

7. Arbitror hanc proclamationem tunc vel maximè factam, cum Virgo Deipara primò Infantulum suum in brachiis, & ad vbera, gestare visa est: hoc enim spectaculum omnium, quæ vnquam Deus exhibuit, & creaturæ spectarunt, extitit præclarissimum, ac festiuissimum. Nam & Deus humana carne indutus apparuit: & Mater Dei ostensa est, qualis aliquo modo ita describitur à S. Andr. Cretens. Hic est finis testamentorum, quæ nobis fecit Deus: hæc est declaratio occultorum, & profundorum Diuinæ incomprehensibilitatis: hic est scopus, qui excogitatus fuit ante secula: hæc est summa Diuinorum oraculorum: hæc est Diuinarum reconciliationum fideiussio, quæ pignore dato fit: vitæ, cui nihil potest auferri, penuarium: potentia, quæ nequit labefactari: omnium miraculorum, quæ quomodocunque facta C sunt, aut fiunt. ea est effectrix. ita Creten. *de dormit. Virg.* Vide quàm pulchrè Virgo Deipara vocetur ager, pratúmve omnium gratiarũ varietate picturatum. Quod autem ex hoc pulcherrimo prato cuncti fideles sibi conficiant coronas, hoc est, ingentia, & opportuna perpetuò à magnificentia Virginis accipiant beneficia; tam certum nobis, & quotidianum est, quàm lucem solis haurire, cæli orbes contueri, vitalísque auræ halitum accipere. Meritò igitur inter alia Virginis encomia, hæc insuper addit S. Germ. Constantinop. *de zona Virg.* Virgo Christianorum solatium, paratissimum refugium peccatorum: spiritus, & vita Christianorum. Tu spes nostra, & vehementissima D nostra defensio. Tu, cum habeas maternam apud Filium tuum fiduciam, & potentiam, nos qui sumus commendati, & non audemus intueri ad cæli altitudinem, tuis interpellationibus, & intercessionibus ei efficis familiares, & das salutem. Patrocinium tuum maius est, quàm vt intelligentia comprehendi possit. Tu quotidie peccatorum pelago fluctuantibus hominibus adiutricem manum extendis. hæc ille. Ac nequis putet ingenti labore opus esse, vt gratiam Virginis promereamur, nobísque illius beneficia magno esse pretio comparanda, audi S. Andr. Cretens. qui post multa diuinitus dicta de Virginis in genus hominum beneficiis hoc vnum adiungit. Non indiget labore E gratia, præterquam sola voluntate. sic ille, indicato loco. Quid mirum hoc iudicetur, si Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ nominatur?

Mirum spectaculum Virgo Deum lactans. S.And. Cret. *B. Maria encomia.* S.Germ. *B. Maria spes & fiducia hominum.* S. And. Cret. *Gratiæ à B. Maria veniunt beneficia.*

8. Denique Virgo beatissima est ager, cui benedixit Dominus; sed quæ benedictio vlla Dei, aut esse, aut fingi potest in creaturam collata, æqualis iis quibus est Virgo à Deo magnificentissimè donata? Satis pro omnibus, quæ dici possent, illud esto: Maria Virgo Mater Dei. Iure optimo illa cecinit: *Fecit mihi magna, qui potens est.* Luc. 1. Nec enim solũ Matrem suã Virginem Deus effecit, & immenso gratiarum, ac donorum cumulo locupletauit: sed ex hoc etiam beatam illam dicunt omnes generationes. Nihil enim Dominus

B. Maria gratijs plena. Luc. 1.

Virginis

Deus Matri Virginem honorari, & honorari vult. Virginis Filius magis curat, ac molitur, quàm vt Matrem suam dignissimam, & honoret ipse, & ab omni creatura faciat honorari. Quorsum obsecto in ortu suo Dominus tot, ac tanta miracula edidit, vt Angelorum cohortes concinerent, pastores accurrerent, noua stella otiretur, Reges ad præsepe è remotis plagis aduenirent, cum muneribus procidentes adorarent Infantem? Planè post gloriam Verbi incarnati (quæ prima fuit Dei tam mira operantis intentio) in commendationem Virginis Matris suæ illa omnia Dominus ipse mirabilium operator instituit. Quod quidem à Metaphraste *tract. de Virg.* his verbis obseruatur: Hæc Puer ille dat Matri præmia, sic opponit humilibus, quæ sunt illostria: ne solam videns spelunceam, & tugurium, & præsepe, & viles fascias; partua, vt consequens videbatur, opinaretur. Sed vt hæc magna considerans, rursus in altum extolleretur, & propter hunc nouum partum, se posset beatam ducere. hæc ille. Accedit etiam primum Christi miraculum in Cana Galilææ de aqua in vinum mutata non nisi precibus Virginis Matris suæ à Domino editum fuisse. Qua de re sic idem subiicit: Dominus, quamuis ægrè id ferre videatur, & ideò recusare; facit tamen ea, quæ à Matre suggetebantur, honorans omnino, vt Matrem, & veluti ei reddens mercedem, quod ipsum in aluo gestauerit. ita Metaph. Ac denique, vt ostenderet Matrem suam Virginem omnium futuram esse officinam miraculorum.

Miracula in ortu Christi ad honorem Matris Virg.

Metaphr.

Miraculum de aqua in vinum mutata ad honorem B. Mariæ.

9. *Det tibi Deus de rore cæli.*] Frugum omnium abundantiam filio precatur, simúlque prædicit: ea verò prouenire solet à tempestiuis cæli pluuiis, roréque nocturno, atque à terræ pinguedine. Hæc enim duo, cæli, terræque adiumenta, mirum in modum fœcunditatem omnium prouentuum efficiunt. Et quidem de cæli bonitate, quæ inspectatur in humore, atque influxu tempestiuo, quo terra solet infundi, & inebriari, aptáque reddi ad germinandum, ita loquitur Isaias: *Quomodo descendit imber, & nix de cælo, & illuc nō reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti.* cap. 55. & Moys. Deuter. 28. *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cælum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore suo.* Potest igitur capi ros pro pluuia, vel quod alij malunt, ros ipse intelligitur, qui Palæstinæ est optatissimus, vbi rarior pluuia; solet enim Octobri, & Aprili tantùm mensibus in anno pluere: atque ideo intermedio tempore sata ne funditus exarescant, rore deciduo indigent. Procop. non solùm in sensu mystico, sed etiam literali benedictionem hanc interpretatur, quasi non tam propriè terrestrium bonorum, quàm spiritualium, ac cælestium affluentia Diuinæ benedictionis nomen promereatur. Verùm (inquit) hæc verba accipienda sunt de cælesti rore, qui ex cælesti regione piorum animis instillatur. sic ille hoc loco. Idem verò ad verba Moysis Deuter. 28. paulò ante adducta sic effatur. Ecquis verò thesaurus ille bonus est? Nimirom is, apud quem omnes thesauri scientiæ sunt reconditi. Ipse etenim Prophetis quoque suis nubibus mandabit, vt pluuiam dent cælestem. Ipse enim dabit bonitatem, & terra nostra reddet fructum suum. hæc Procop. Atque in primis rorem video accipi pro prædicatione Verbi Dei. Ros est, quia cælestis prædicatio à Domino cæli datur; & ponitur verbum in ore hominum: iuxta illud sæpiùs à Prophetis repetitum: *Factum est verbum Domini ad me, &c.* Et quod Dominus ipse pollicitus est: *Dabo vobis os, & sapientiam cui non poterunt resistere, &*

Palæstina calium.

Isaiæ 55. Deuter. 28.

Quid ros significet.

Procopius.

Efficacitas verbi Dei.

A *contradicere omnes aduersarij vestri.* Luc. 21. ad quæ verba S. Euseb. Emiss. ita obseruat: Discant Ecclesiæ prædicatores non armis pugnare, sed voce; si enim volunt vincere, ore pugnent, qui tale os, & vocem habent, cui inimici resistere nequeunt. sic ille, *in 4. Domin. aduent.* Luc. 21. Euseb. Emiss.

10. Atque vt Dominus promisit, ita gentiom omnium conuersio superatis omnibus difficultatibus, ac tyrannorum & dæmonum potentia debellata contestatur. Quid enim potest resistere verbo Dei, quod est penetrabilius omni gladio ancipiti? *Dat verò Dominus verbum euangelizantibus virtute multa.* Psalm. 67. Est quippe verbum virtute multa præditum, hoc est, prædicatio ha- Psalm. 67.
B bet ingentem efficacitatem, cum ij, qui euangelizant, exemplo aliis vitæ prælucent: cuiusmodi erat vir ille peregrinus, ad quem ita scribit S. Paulin. *Epistol.* 26. Te Altissimus inter regni sui maximos nominauit, cui concessit facto æquare sermonem, vt & doctrina tibi vitæ tuæ sit, & vita doctrinæ. Quo fit, vt nemo se audeat excusare discipulus velut difficultatis imperio, cum priùs astringatur virtutis exemplo. hæc S. Paul. quæ congruunt optimè versui Psalm. apposito: potest enim rectè exponi hoc modo: *Dominus dabit suum verbum*, hoc est, prædicandi munus demandabit euangelizantibus virtute molta: nimirum iis, qui prædicant magno cum virtutum præsidio. An non doctrina cum exemplo hamus est ille, quem Dominus suis Apostolis tradidit, illóque velut huiusce muneris stemmate fecit piscatores homi- *Efficax doctrina cum exemplo vitæ.* S. Paulinus. *Exemplum vitæ hamus Apostolorum.*
C num? Talis erat ille Florentius, ad quem scribit idem S. Paul. hoc modo. Te in sortem Apostolorum suorum Dominus dignatus assumpsit, vt eorum arte hominum piscator existeres; & de amaris, ac profundis huios seculi fluctibus viuificandam potiùs, quàm perimendam Deo prædam hamo verbi salutaris extraheres. Deus te adiutorem ædificationis, & culturæ suæ fecit. ita Paul. *Epistol.* 30. Non facilè quidem capitur homo docentis verbo, si hoc virtute destitutum sit: quin verò potissimum humanæ mentis illicium habetur sanctioris in docente vitæ exemplum. S. Paulinus. *Exemplū à vitæ illicium animarum.*

11. Hæc duo non in prædicatore tantùm, sed etiam in Prælato necessaria omnino sunt. Certum
D est enim, quod subnotauit S. Prosper, *lib. 1. de vita contempl. cap. 15.* Pontifex (inquiens) quicquid boni non facit, aut mali committit, nec iubebit fieri, nec vetabit. Quia necessariam docendi autoritatem contrarietate suæ actionis, aut amittit, aut minuit. hæc ille. Bene docendi autoritatem necessariam in simili actione putat consistere, quod & amplius ita probatur. *Fluat (dixit Moyses) vt ros eloquium meum: quasi stilla super gramina.* Deut. 32. Rori comparatur, & guttulis leniter cadentibus Apostolica prædicatio: hæc enim sine strepitu verborum, & plausibili quadam ostentatione personantis eloquentiæ in audientium animos, molliter atque humiliter influat necesse est. Sic enim Dominus Eliæ sese ostendit in sibilo auræ S. Prosper. *Exemplum vitæ in Prælato.* Deut. 32.
E tenuis. 3. *Reg.* 19. In hoc argumento concinnè admodum hæc effatur S. Prosper, *lib. 1. de vita contemp. cap.* 18. Non se debet Ecclesiæ doctor de accurati sermonis ostentatione iactare, sed magis se, quantæ sit eruditionis, ostendere, non in verborum splendore, sed in operum virtute rorum prædicandi fiduciam ponat: non vt vocibus delectetur populi acclamantis sibi, sed fletibus: nec plausum à populo studeat expectare, sed gemitum: lacrymas, quas vult à suis auditoribus fundi, ipse primitus fundat, & sic eos compunctione cordis 3. Reg. 19. S. Prosper. *Qualis esse debet prædicator.*

 sui

Lacryma à prædicatore excutiuntur.

fui accendat. hactenus Prosp. Bellè ros prædicationem significat: Fluat enim oportet, vt ros, per lacrymas pietatis & commotionis internæ testes, ab eo, qui prædicat, vt rorem consimilem lacrymatum ab audientibus eò violentiùs, quò leniùs, ac suauiùs excutiat. Illud etiam adiungam, rori persimilem dici prædicationem eò quòd in animos audientium instillata dulcissimos virtutum fauos ingeneret, vti ros materia mellis est iuxta nobilis Poetæ carmen.

Protinus aerij mellis cœlestia dona.

Virgil. Virg. 4. Georg. Icirco Vates regius præmisetat: *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus. Dominus dabit verbum*, &c. *Psal.* 67. Idem autem est verbū cum *Psal.* 67. virtute, atque dulcedo. Sic enim commentatur S. *D. Hieron.* Hieron. Dominus dedit eis virtutem prædicandi B Euangelium: hæc dulcedo pluuiæ, quæ mellis, ac faui saporem vincit; in pauperibus, id est, in Sanctis Dei defluxit, quæ ab ore Apostolorum iubente Deo, cum multa virtute processit. hæc ille. Verumtamen hæc dulcedo roris, & prædicationis non modò vincit saporem mellis, & faui, sed etiam mel ipsum, fauosque, scilicet Diuini amoris, quo nihil dulcius, procreat, vt ex commentatione S. Aug. colliges, quæ sic habet. Hæc est illa suauitas, de qua alibi dicitur: *Dominus dabit suauitatem & terra nostra dabit fructum suum. Psal.* 84. vt bonum opus fiat, non timore, sed amore; non formidine pœnæ, sed delectatione iustitiæ. hæc S. Aug. Sed videamus hæc tam mira, quæ de prædicatoribus, & prædicatione hactenus dicta sunt, prouenunt? Vtrique à Patre luminum, à quo bona cuncta procedunt: sicut etiam Propheta statim adiungit: *Rex virtutum dilecti, dilecti.* vbi S. Hieron. Rex Pater est, virtutes Apostoli Christi sunt: dilectus, dilectus, hoc est, Filius: Ecce Filius meus dilectus; ipsum audite. Dilectus; quia si quis aliquem diligit, semper in ore eum habet. Ergo Spiritus sanctus propter amorem, quem habet in Filium, frequenter eius meminit hæc S. Hieron. Itaque Apostoli propter sanctitatem vitæ dicuntur ipsæmet virtutes Christi: at ipse Dominus repetito vocabulo appellatur dilectus; dilectus, quem & amare, & iugiter in corde, & in ore gestare debemus: amor autem ipse, non obliuionem modò omnem abolebit, sed perpetuam inducet Dilecti recordationem. scitum est enim illud S. Gregor. Nazianz. artificium & igniculus memorandi amor.

Dulcis prædicatio verbi Dei.

Suauitas operandi ex amore. *D. August. Psalm.* 84.

D. Hieron. Apostoli virtutes Christi.

Christus iugiter nominandus, & amandus.

Amor acuit memoriam. S. Greg. Naz.

12. Pulchrè S. Greg. *homil.* 6. *in Ezechiel.* per rorem, quem patriarcha filio & prophetat, & exoptat, intelligit eam Diuinæ benignitatis dulcedinem, quæ ab alto instillatur mentibus Diuinarum rerum contemplationi non minus fructuosam, quam suauem, operam dantibus. Quoniam (inquit) electorum populus per quosdam in contemplationem surgit, per quosdam verò in actiuæ vitæ solummodo opera pinguescit, rectè additur: *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam.* Ros enim desuper, & subtiliter cadit. Et toties de rore cæli accipimus, quoties per infusionem contemplationis intimè de supernis aliquid tenuiter videmus. Cum verò bona opera etiam per corpus agimus, de terræ pinguedine ditamur. hæc S. Greg. Ex hoc autem rore Diuinarum voluptatum, qui ex immenso pelago Diuinitatis in sanctos Martyres inspergebatur, illa tam admirabilis constantia, & patientia, quam inter cruciatus, mortémque ipsam præferebant, nata esse creditur, vt egregiè disserit S. Thom. *q. de veritate* 13 *art.* 4. *ad* 9. vbi hæc apponit: Dicendum quod Martyres in tormentis existentes percipiebant aliquid de Diuina gloria, non quasi eam in

D. Gregor.

Vita contemplatiua, & actiua.

D. Thom. Dei contemplatio ros animam perfundens.

A suo fonte bibentes, sicut illi, qui Deum per essentiam vident; sed aliqua illius gloriæ aspersione refrigerabantur. vnde dicit Aug. 12. *super Genes. ad literam*: Ibi scilicet, vbi Deus per essentiam videtur, beata vita in suo fonte bibitur. Vnde aspergitur aliquid huic humanæ vitæ, vt in tentationibus huius sæculi temperanter, iustè, fortitérque viuatur. hæc S. Thom. Itaque Diuinæ beatitudinis quidam ros inspersus sanctorum Martyrum tormenta quodammodo refrigerabat: dolebant illi quidem, vt qui acerbissimis cruciatibus pungerentur; at cælesti dulcedine perfusi constanter & alacriter dolores ipsos grauissimos perferebant. Hoc etiam rore conspersi viri omnes iusti aduersa quæque patienter sustinent, etiamsi debilitatis B corporis membris, penéque exhaustis viribus, nihil in se aliud, quàm animam tenui pendentem filo habere videantur. In quo argumento eleganter admodum ita philosophatur S. Ambros. de viro iusto. Etiamsi membris solutus sit, tamen mente erigitur; & tanquam ille, qui cithara canere solitus, si eam dissiparam, resolutis neruis, & confractam viderit, & vsum eius interruptum, abiiciat eam, atque eius numeros non requirat, sed voce ipsa se mulceat: ita & iste citharam corporis vitiosam tacere patietur, corde se oblectabit, bonæ conscientiæ recordatione mulcebit, Diuinis oraculis, & scriptis propheticis alleuiabit, suaue illud, & iucundum animo tenens, mente complectens, cui nihil triste possit accidere; cum semper ei Diuinæ præsentiæ aspiret gratia, & ipse sibi C adsit summa animi tranquillitate perfusus. hæc S. Ambros. *lib.* 1. *de Iacob, cap.* 8. Hæc scilicet est felicitas iustorum: mentem Diuinarum voluptatum pabulo recreant, etiam cum corpus innumeris, & acerrimis impugnatur calamitatibus: fracta corporis cithara non resonant ad vitam actiuam; at mentis voce modulantur aptissimè, ac suauissimè cum Diuina intentiùs meditantur, quo in cantu sanè quàm miris diuinæ gratiæ deliciis, & quadam quasi beatitudinis sempiternæ prælibatione irrorantur.

D. August.

Martyres cælestis irrorati rore perfusi.

S. Ambros. Iustorum patientia Diuinæ contemplationis pascitur.

De beatitudine ros mitibus inspersus.

13. Porrò autem hunc rorem Diuinæ gratiæ immittit Dominus, vt & refrigeret æstuantem caminum nostrarum appetitionum, atque omnino D restinguat: & hortum animæ irriget, vt in pulcherrimam virtutum, ac meritorum exuberet fœcunditatem: iccirco enim promisit per Oseam: *Ero quasi ros, Israel germinabit quasi lilium, & erumpet radix eius, vt Libani ibunt rami eius, & erit quasi oliua gloria eius, & odor eius, vt Libani.* cap. 14 ad quem locum peregregia S. Hieron. commentatio sic habet. Ero eis quasi ros, vt fornacem Babylonicam, & caminum æstuantis incendij meo rore restinguam: qui & per Isaac patriarcham ad Iacob sermonem meum locutus sum: De rore cæli erit habitaculum tuum. Nam qui indigemus illius misericordia, & peccatorum febribus æstuamus, in rorem nobis vertitur; ad quem dicit Isaias: *Ros enim qui à te est, sanitas eorum est.* cap. 26. Et in Deut. E *Descendant sicut ros verba mea.* cap. 32. Cum autem nos Dominus suo rore respexerit, & siccitatem pectoris nostri suis pluuiis irrigarit, germinabimus, imò florebimus, vt lilium. Cumque creuerimus in Domino, mittemus radices nostras, sicut arbores Libani, quæ quantum in auras consurgunt vertice, tantùm radicem in ima demergunt, vt nulla tempestate quatiantur, sed stabili mole consistant. hactenus Hier. Vt vides ex rore Diuinæ gratiæ, quo animæ irrigantur, & fœcundantur, cum virtutes pullulant, tum in iisdem perseuerantia profundis tuta radicibus consistit. Ac mihi

Virtutes ex rore Diuinæ gratiæ.

Osee 14.

Isaiæ 26.

Deut. 32.

mihi quidem Domini verba seriò expendenti mirum videtur, cur ad rogis Dominici defluxum nostra in terra primum germinet lilium? An quia lilio virginitas innuitur, hæc autem virtus grandi eget præsidio Diuinæ gratiæ, quinimo tota cœlestis est, & à cæli rore germinat? Enimuerò (vt scribit Arnold Carnot. *tract. de laud. Virg. Deiparæ*) hominis virginitas altior virginitate videtur angelica, quòd illa virtutis, hæc naturæ; illa voluntatis, hæc necessitatis: & in carne, quod non est carnis agere, res incomparabilis meriti est, & gloriæ singularis. hæc ille.

Virginitas à Diuina gratia.

Arnol.

Incomparabilis laus virginitatis.

14. Viderat mundus castitatem antea in viduis, atque in coniugatis, attamen in paucis, nec valde admirabilem: at passim agros, conualles, hortósque, & prata liliis Virginum vtriusque sexus albicantia tunc demum spectauit, & admiratus est, cum Deus homo natus e Virgine, factúsque, vt de se ipse loquitur, *Flos campi, & lilium conuallium*. Cantic. 2. rore suæ gratiæ, & torrente sanguinis sui terram irrigauit. mitto reliqua. Obstupuerunt sanè gentes, cum viderunt in Christi Ecclesia innumerabilem multitudinem sacerdotum, & religiosorum hominum sine compare fœmina vitam ducere instar Angelorum singularem, & impollutam. Scribit enim ex primæua illa ætate S. Cyprian. in hanc sententiam. Sic vbique singularitas splendet, vt omnes pro illa spondere non dubitent: & ita sanctitatem in semetipsa clarificat, vt laudem sibi ab ipsis quoque inimicis extorqueat. hæc Cyprian. *de singul. cleric.* Profectò tam admirabilis est gloria castitatis, vt etiam ij, qui casti esse nolunt, illam tamen mirum in modum suspiciant, & admirentur. Quod S. Zeno Veron. hoc vno verbo posuit. Pudicitia est tantæ virtutis, vt sit honorabilis etiam hostibus suis. *serm. de pudicit.* Ac propria quidem laus in Ecclesia Christiana in omni statu castitas. Apud nos enim videtur (vt scribit S. Zeno Veronens.) felicitas virginitatis, viduitatis sudor gloriosus, palmáque: nostræ sacræ virgines, viduæque magno pro immortalitatis præmio laborant. *serm. de contin.* In coniugio etiam Christiano mira elucet honestas. Licet enim vni tantum coniugi, & non pluribus copulari; ad prolis modò futuram voluptas carnis expetitur. Moderato denique atque honesto vsu coniugij (quem etiam finem naturæ autor proposuit coniugatis) magna ex parte cohibentur, aut iustè mitigantur deliciæ (vti vocat S. Gregor. Nazianz.) & effrænatæ ventris voluptates, rabidus inquam, & dilanians canis. sic ille, *orat. 11.* Quapropter (vt benè scribit S. Zeno Veron.) Christiano vltra non licet, quàm vt sit aut continens, aut maritus. *serm. de pudicitia.*

Cantic. 2.

Castitas religiosorum in Ecclesia Christi.

S. Cyprian.

Castitas etiā hostibus admirabilis.

S. Zeno.

Castitas Christianorū gloria.

S. Zeno.

Castitas coniugalis Christianorum.

S. Greg. Naz.

S. Zeno.

15. *De pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini, &c.*] Precatur filio pater affluētiam omnium, quæ ad cibum, & potum necessaria sunt, pro quibus frumentum, & vinum, vti potiora, memorantur. Hæc autem è terra vbere, ac pingui, benéque affecta, & ad vberem prouentum comparata solent prouenire. Quæ verò illa sit tellus, non est difficile, aut cognoscere, aut dicere: non enim arida, nec fistulosa, nec scabra, nec cariosa, nec senescens, seu anus est; sed tenera, & (vt Cato vocat) puella, vel (vt alij legunt) pulla. Sed quonam pacto tenera, puelláque dicatur tellus, tam propriè, quàm eleganter describit Plinius *lib. 17. cap. 5.* hisce verbis: Intelligere modò libeat dictam mira significatione teneram; & quicquid optari debet in eo vocabulo inuenietur. Illa temperatæ vbertatis, illa mollis, facilísque culturæ, nec madida, nec sitiens. Illa post vomerem nitescens, qualem fons ingeniorum Homerus in armis à Deo cælatam dixit, addidítque miraculum nigrescentis, quamuis fieret in auro. Illa quam recentem exquirunt improbæ alites, vomerem comitantes, coruique aratoris vestigia ipsa rodentes. hæc ille. Nota sunt omnibus, atque obuia hæc indicia telluris optimæ, & appositissimæ ad culturam segetum: sed illud tamen non minus certum est, quod ex odore terræ interdum vitalem quendam, & bene olentem halitum spirantis desumitur, quem odorem nonnulli intelligunt illis in verbis Patriarchæ: *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni.* Ac ne legenti hoc etiam desit, apponam quod de terræ laudabilioris odore scribit idem Plinius, consequenter ad ea, quæ iam retulimus. Certe (ait) Cicero lux doctrinarum altera. Meliora, inquit, vnguenta sunt, quæ terram, quàm quæ crocum sapiunt; hoc enim maluit dixisse, quàm redolent. Ita est profectò. Illa erit optima quæ vnguenta sapiat. Quòd si admonendi sumus, qualis sit terræ odor ille, qui quæritur: contingit sæpe etiam quiescente ea sub occasum solis, in quo loco arcus cælestis deiecerit capita sua; & cum à siccitate continua immaduit imbre; tunc emittit illum suum halitum diuinum ex sole conceptum, cui comparari suauitas nulla possit. Is esse odor in commota debebit, repertúsque neminem fallet: ac de terra odor optimè indicabit. Talis est in noualibus cæsa vetere sylua, quæ consensu laudatur. hæc Plinius.

Quæ sit tellus fœcunda.

Plinius.

Plinius.

Cicero.

Mirus est telluris odor.

16. Hac porrò pinguedine terræ, quæ in frumenti, vinique abundantiam exuberat, significantur haud dubiè bona opera iustorum, quæ rori cœlestis gratiæ respondent, sicuti paulò antea subnotauit S. Gregor. Cum bona (inquiens) opera etiam per corpus agimus, de terræ pinguedine ditamur. sic Pontifex. Excitamur quidem, adiuuamur, fouemur, impellimur, ac roboramur Diuinæ gratiæ præsidio, sed reliquum tamen est, vt cooperemur, nostrámque industriam in bonis actionibus ponamus. Vtrumque inuenies in visione illa Ezechielis, vbi spiritus eleuat, sed manu tamen apprehendit hominem. Sic enim legimus: *Cecidit super me manus Domini Dei. Et emissa similitudo manus apprehēdit me in cincinno capitis mei, & eleuauit me spiritus inter terram & cælum.* Ezechiel. 8. Quem locum ita explicat S. Hieron. Spiritus non eum statim ad cælum leuat, sed inter terram, & cælum; vt terrena interim derelinquens festinet ad cælum. Possumus autem, & hoc dicere, quòd propter bona opera Propheta similitudine manus Dei apprehensus sit, & propter scientiam teruori spiritualium eleuetur à spiritu. hæc S. Hieron. Quibus etiam bene congruunt ros cæli, & pinguedo terræ; vita contemplatiua, & actiua; fides Catholica in Deum, & opera bona propter Deum. Hæc autem hæretici nostro tempore non curant fide tantùm sua, non Diuina contenti; malunt enim ad instar quadrupedum ad pastum, & ventrem abiecti viuere, quàm humanæ rationis libertate vtentes Diuinæ se gratiæ cooperatores exhibere. At carnem causantur, cuius concupiscentiam ineuitabile peccatum dicunt: stultè id quidem; nam vt S. Ambros. loquitur *lib. 1. de Iacob, ca. 3.* affectus, non caro autor est culpæ; caro autem voluntatis ministra: non ergo vendat nos voluntas nostra. sic Ambros. Etsi caro turpiter æstuet, mentem nec vrit, nec polluit, si tamen hæc nolit; ad vtrumque tam bonum, quàm malum libertas, & voluntatis consensus omnino exigitur. Addidit enim doctè, & catholicè idem Ambros. Voluntarium sibi militem legit Christus; voluntarium seruum sibi diabolus auctionatur. Neminem iugo seruitutis astrictum

S. Georg.

Hominis cooperatio ad Diuinā gratiam.

Ezech. 8.

D. Hieron.

Necessaria opera ad salutem.

Heretici respuunt bona opera.

S. Ambros.

Voluntas peccati autor.

Astruitur libertas arbitrij.

D. Ambros.

Liberè peccamus.

astrictum possider, nisi se priùs peccatorum ære ei vendiderit. hæc S. Ambros. I nunc, hæreticæ, & confer tuam illam bestiam, quę sui similes alios efficere nititur, Lutherum cum S. Ambrosio morum sanctitate, & sapientiæ gloria inter sanctos, & doctores Ecclesiæ linguis omnium percelebrato. Redeo ad Ezechielem, qui manu Dei in altum tollitur, vt non obscura, & vulgaria opera efficiat, sed quæ in sublimi posita toti orbi emineant, iuxta illud Domini: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Matth. 5. Hanc laudem habuit illa dilecta Deo anima, quę non humi repebat, aut in tenebris iacebat consepulta: sed pulchra eminebat, vt Luna. *Cant. 6.* nimirum vt S. Ambros. subtiliter obseruat: Ad æterna se eleuat, vt B Deo adsit, iam lumen suorum operum sicut luna orbem suum toto orbe circumferens. hæc ille, *de Isaac, cap. 7.*

Stolidum Lutheri dogma.

Matth 5.

Exigit Deus à nobis opera eminentia.

S Ambros.

17. *Seruiant tibi populi, &c.*] Hæc est extrema pars benedictionis. Sed hac de re iam supra disputauimus ad cap. 25. Moneo tamen hanc propheticam benedictionem de imperio, dignitatéque Iacobi completam fuisse in posteris illius. Nam Dauidi, Salomoni, aliísque principibus ex populo Israelitico subiecti seruierunt Idumæi, & quicunque alij populi in Palæstina ab Esau progenerati sunt. Cæterùm Iacob non modò non imperauit fratri Esau, sed illi potiùs se subiecit, vt inferiùs videbitur. Igitur Procop. bene aduertit: Sed quemadmodum (inquiens) Dauid declaratus rex persecutionem patiebatur ab eo, qui Dei iudicio pulsus erat regno: C sic Iacob benedictionem assecutus, vt dominium haberet in fratrem contrarium experitur adorans ipse fratrem. Verùm prophetia effectum in semine sortitur. hæc Procop. Potest etiam intelligi, Iacobum hac dignitate, imperióque potitum, quoad ius iam tunc verè acceptum, licet quoad possessionem non nisi in posteris habuerit. Sublimiori adhuc sensu sic interpretor. Iacob, vtpote vir sanctus, regia quadam dignitate prædirus videtur, cum sit dominus suarum appetitionum. Etenim (inquit S. Ambros. *lib. 1. de Iacob, cap. ..*) cum Deus hominem constitueret, & in eo mores, sensúsque plantaret, tunc motibus eius imposuit regale mentis imperium, vt omnes sensus, D motúsque hominis eius vigore, ac potestate regerentur. sic ille. Hoc regale imperium in Iacob, & quocunque alio iusto, etiam nunc conseruatur. At improbi vt vita, ingenioq; abiecti seruile in mundo quidpiam gerunt, famulantúrque iustis, etiam cum illos persequuntur, vt quibus meritorum segetem administrent, & gloriæ cœlestis contexant diadema, sempiternúmque palatium moliantur. Totam hanc benedictionem de Christo interpretantur Patres. Vide S. Aug. *lib. 16. de ciuit. cap. 37.* atque in primis Theodor. *quæst. 82.* Ex quo hæc in summa colliges: Iacob significat genus humanum, ager Christum, ros illius diuinitatem, terræ pinguedo humanitatem eiusdem: Frumentum (inquit) & vinum sunt ænigmata Diuinorum mysteriorum, &c. E scilicet sacrosanctam Eucharistiam intelligit, vt sequenti sect. indicabimus. Christo autem & illius Ecclesiæ seruiunt omnes gentes. Postremò siquis roget cur Abraham filio suo Isaac non benedixit, sicut Isaac Iacobo: respondet Diodor. Non benedixit vtpote quem iam Deo im nol uerat: & tanquam thesaurum Deo repositum sciret, ex cuius semine omnium gentium benedictio erat nascitura. sic ille. Nam quæ maior benedictio homini adueniat, quàm vt ipse Deo immoletur in obsequium? tunc maximè benedictus Deo fuit Isaac, cum sese offerri Deo in holocaustum non permisit modò, sed etiam libenter voluit.

Quale imperium super Esau habuit Iacob.

Procopius.

S. Ambros.

Bonis malorum dominus.

Persecutores iustis inseruiunt.

D August.

Theodor.

Benedictio Iacob explicatur de Christo.

Diodor.

Felix qui se Deo immolat.

SECTIO VI.

Vix Isaac sermonem impleuerat: & egresso Iacob foras, venit Esau, coctósque de venatione cibos intulit patri, dicens: Surge pater mi, & comede de venatione filij tui.

1. ADmirari oportet Dei prouidentiam: rem quippe totam ita disposuit, vt etiamsi Esau in sua venatione non diu fuerit immoratus, nihilo tamen minùs patri cibos obtulerit iam peracto negotio. Nam si citiùs accurrens benedicentem Iacobo patrem deprehendisset, vt erat ingenio ferox, fratrem obtruncasset. hæc ex D. Chrysostomo collegi. Resciuit senex fraudem, cum filium Esau suos offerentem cibos audiuit, & recognouit: atque adeo (vt scriptura habet) *expauit stupore vehementi.* Hebr. ויחרד חרדה גד לה *vaiecherad charadah guedolah.* radix *charad* חרד *pauere, expauescere, timere cum motu corporis.* Nomen est חרדה *charadah.* Sequentia verba (*& vltra quam credi potest admirans*) non sunt in fonte, sed ab interprete adduntur ad significandam magnitudinem stuporis, in quem raptus est senex. Chald. habet: *Et admiratus est Isaac admiratione magna vsque nimis.* LXX. vertunt, *Isaac raptum in ecstasim magnam vehementer.* Quasi intelligant mente consternatum fuisse, atque à sensibus abalienatum, & in ea abalienatione diuinitus edoctum, quod fraude Iacob benedictionem sibi debitam præripuerit, & hæc tandem sit voluntas Dei Iacobum amantis, Esau autem reiicientis. Quare senex Diuino placito acquieuit, nec factum rescindere cogitauit. S August. *quæst. 80.* versionem LXX. secutus, ita loquitur ad hunc locum. Græci habent ecstasim magnam, ἔκστασιν μεγάλην, vbi tanta commutatio intelligitur, vt quædam alienatio sequeretur. Ipsa autem propriè dicitur ecstasis. Et quia in magnarum rerum reuelationibus fieri solet, in hac intelligendum est factam Isaac esse spiritalem admonitionem, vt confirmaret benedictionem suam filio minori, cui potiùs irascendum fuit, quòd fefellerit patrem. hæc S. August. Confirmauit autem Isaac datam Iacobo benedictionem, cum dixit: *Benedixitque ei, & erit benedictus.* Ne scilicet (aduertit Procop.) indignaretur, & existimaret fraude præreptam benedictionem irritandam esse. Quapropter eandem hoc loco confirmauit, tantum aberat, vt ipsam infirmaret. Nec tamen Iacobum ceu mendacem aspernatus est: verùm benedictionem illam Deo imputans, omnia æqui, boníque consuluit. hæc Procop. Viderat enim senex à Deo sæpiùs prælatum minorem filium maiori, reuelatúmque matri, cum vtrumque gestaret alno: *Maior seruiet minori*, ac demum inusitato quodam artificio, non sine Diuina prouidentia rem totam ita suauiter disponente, benedictionem maiori præreptam, in minorem cessisse. tandem secum statuit, hanc esse Dei ordinationem, & volontatem, cui nulla ratione poterat contradicere. Factum igitur denuò confirmauit: *Et erit Benedictus.* Pulchrè S. Chrysost. Ecce (inquit) coronas benedictionis, ecce summam omnium bonorum, esse benedictum. Vidisti Dei misericordiam? qui timuerat, ne maledictionem acciperet pro benedictione, nunc tanta cum largitate benedictiones à patre

S. August.

Isaac diuinitus edoctus confirmat benedictionem Iacob.

Procopius.

D. Chrysost.

Summa bonorum benedictio Dei.

patre reportat: sed & illi maledicuntur, qui attentant eum maledicere. Hinc discamus, quando quis iuxta voluntatem Domini dispensare sua vult, tanto supremo auxilio adiuuari, vt hoc planè reipsa experiatur. hæc S. Chrys.

Fiducia in Deo vtilis.

2. En fructus obedientiæ Iacobi erga matrem. Nunquam enim suo priuatur obedientia præmio: & qui ad obediendum se libens, & lætus submittit, iure optimo in magnum subuehitur honorem. Elegit Dominus Apostolos suos; *Vt sedeatis* (inquit) *super thronos iudicantes duodecim tribus Israel.* Luc. 22. Quænam obsecro maior dignitas, quis honor sublimior? sed qua ratione in tam excelsum verticem ascenditur? Vtique per obedientiam, sicuti Paulus significans ait: *Per quem accepimus gratiam, & Apostolatum ad obediendum.* ad Roman. 1. En Apostoli dicuntur electi ad obediendum, qui paulò ante dicti sunt ad sedendum, & iudicandum electi; vt discamus tam certò propositos esse honores obedienti, vt iam ipsa obedientia, & honor, & dignitas haberi, & vocari possit. Et quidem obedientia Iacobi erga matrem maximè eminuit, cum eius voci paruit in tanta rei difficultate, cum periculo indignationis, & maledictionis paternæ: sed verus obediens omnia posthabuit, & Diuinæ dispositioni per matrem significatæ sese commisit, pulchrum ducens pro obedientia quodcunque subire periculum. Hoc demum est clauso humanæ intelligentiæ oculo in præceptum obedientiæ quantumuis arduum libenter se inferre. Quid enim discutiat, cur resistat suo figulo, quicquid libuerit effingenti ipsum, quod manibus versatur lutum? Hoc se pacto gerebat Apostolus, sic enim scribit ad Rom. 1. *Sæpe proposui venire ad vos, & prohibitus sum vsq; adhuc.* Nimirum prohibitum se significat à Domino: Diuina enim gratia (obseruat hic Theodor.) me vt vult, regit. Et quidem optimè Theoph. subinfert: Animaduerte (inquiens) quomodo non curiosè inquirat cur sit prohibitus. Nam Dominicis mandatis subditus plane erat, erudiens & nos, vt ne curiosè indagemus ea, quæ Deus facit. sic ille. Hæc erat Apostoli obedientia (vt dicimus) cæca, & icirco perfecta, vt norunt religiosi, sed quam ignorant hæretici, quos non pudet disputare, num obedientia cæca Iesuitarum sit licita; & impudentiùs concludere, illicitam esse. Risu excipio stultitiam hominum, qui à Dei, & Vicarij illius in terris obedientia deficientes, atque suorum magistrorum eiusdem omnino fæcis, ac volutabri, nouis, turpibus, ac ridiculis dogmatibus pecudum instar, clausis oculis subiecti, obedientiam Sanctis viris, & Paulo ipsi familiarem, vt piaculum quoddam detestantur. Sed ego sanctum Chrysostomum contra vniuersam colluuiem huiusmodi satellitum Antichristi oppono: qui ad hunc locum de hac cæca obedientia Pauli eleganter, vt solet, differens hæc adiungit: Vide seruilis obedientiæ modum. Quod fuerit prohibitus, dicit: quam ob rem autem, non item. Nec enim examinat Domini mandatum, sed paret tantùm; se enim semel totum manui res omnes vndequaque gubernanti cum dedidisset: & cum tanta obedientia sobmisisset, cum quanta lutum figuli pedibus se supponit, sequebatur quocunque Deus duceret. ita Chrys.

Luc. 22. Obedientia certum, & grande præmium. *ad Rom. 1.* *Obedientia cæca.* *ad Rom. 1.* *Theod. Theoph.* *S. Pauli obedientia cæca.* *Hæreticorum stultitia.* *D. Chrysost.* *Obedientia vera commendatur.*

3. Quod si quis Dei mandato parere cunctetur, eò quòd periculosam sibi fore illam obedientiam reformidet, proponat ante oculos à quonam arduum illud præceptum exequi iubeatur. An non à Deo? Quid times igitur iubenti Deo etiam inter discrimina obedire? Nescis (oc-

Obediendum Deo in periculis.

A currit ibi S. Chrys.) illum omnium curam habere? illum sapientem esse? illum omnia nihil frustra, nihil temere agere? illum te magis amare, quàm proprij parentes ament? illum vehementissimè, ac longo quidem interuallo, & patris pietatem, & matris curam superare? Itaque nihil amplius peruestiga. hæc S. Chrysost. Ac sapienter demum concludit: Erudit nos Apostolus à Deo nunquam exigendam esse, eorum quæ facit, rationem, etiamsi ea multorum animos turbare videantur. Domini enim solius est iubere, famulorum autem parere. sic ille. Sapienter, & catholicè, quicquid in suo cœno grunniant hæretici. Porrò à summo Apostolo hanc Deus exegit obedientiam vt ea omnibus in exemplum demonstraretur, sciatque Pau-

D. Chrysost. *Cura & amor Dei erga homines.* *Non examinandum Dei præceptum.*

B lus, & reliqui sanctorum heroes Deo se, vti vulgus omne, subditos esse, neminémque ab huiusmodi obedientia exceptum esse. Morabatur cum Deo familiarissimè agens in monte Moyses: at cum suam legem Dominus promulgare vellet, affatur Moysem: *Descende, & contestare populum, &c.* cunctanti subinde descendere iterum iubet: *Vade, & descende.* Exod. 19. Et ratio illa Caietani est optima. sic habet. Vt Moyses simul cum populo sit, vnus de populo audiendo legem promulgari ex ore Dei: vt & ipse subditus legi Diuinæ ex hoc comprobetur, & manifestetur omnibus. ita Caiet. Valet in hoc eodem argumento illud Psalm. 81. *Deus stetit in synagoga deorum: in medio autem deos dijudicat.* Et quidem non officio tantùm, sed &

Nemo excipitur ab obedientia Dei. *Exod. 19.* *Psalm. 81.*

C vitæ sanctitate Deos appellari puto, quales hoc loco intelligit S. Hier. Episcopos, & presbyteros Ecclesiæ, quorum tamen actiones Deus contemplatur, expendit, & examinat. Sciant omnes Deum sibi & iudicantibus, & moderantibus, & docentibus tanquam iudicem præesse. Non omittendum, quod hic apponit S. Hieron. Res formidabilis, rea terroris plena. Si deos diiudicat: de peccatore quid faciet? sic ille. Si Moyses descendere iubetur, vt Deum audiat dicentem: si Paulus audit, & incunctanter non discutiens, non examinans Dei præceptum, obedit, cur miseri homunciones peccatis operti, & polluti audebimus obniti, & contraire, aut saltem in examen adducere Diuina præcepta?

D. Hieron. *Timendum prælatis Dei iudicium.* *D. Hieron.* *Non temerè contra Dei præcepta mutendum.*

D 4. *Audiuit Esau sermonibus patris irrugiit, &c.*] Narrauit factum senex, & benedictionem omnino confirmauit. Etsi enim alicui videatur Isaac ægrè tulisse fraudem Iacobi, & proinde cum stomacho dixisse: *Venit germanus tuus fraudulenter, &c.* longè tamen alius erat senis animus, vti Procop. ita dissoluit. Iacob venit cum dolo. Qui igitur continuò infert: *Et erit benedictus?* patet ergo hinc non omnem dolum culpabilem censeri. Huc refer stratagemata, & athletarum solertiam, qui palmæ honorem capiunt, si vicerint, astu freti. Huic igitur loco æquipollet: Cum arte, ac si dixisset: Venit cum arte. Cæterùm vir bonus nihil non artificiosè agit. hæc Procop. Optima iustorum ars, quæ tota desudat in virtutum opibus ac-

Procopius. *Licent stratagemata.*

E quirendis, atque in æternæ beatitudinis regno comparando. Nihil artificiosius virtute, nihil æquè ignauum, atque impiorum nequitia. Icirco Dominus in reprobum seruum iratus inuehitur: *Serue male, & piger.* Matth. 25. Vbi vides maliriam cum pigritia coniunctam. Quin etiam piger & otiosus omnem solet malitiam struere, atque iniquitatem machinari. Quocirca vitari debet otium tanquam malorum omnium seminarium, ac fomentum. Porrò satis piger est, atque iners, qui nullo ad vitam animæ vtitur artificio, & ad illius interitum sempiternum mille sibi nocendi artes inuenit.

Labor & industria in virtutibus. *Matth. 25.* *Malitia coniuncta cum pigritia.*

inuenit. Perculsus itaque patris sermone infelix Esau præ dolore in eiulatus clamorésque inconditos prorupit. Hebr. *Vaiçghaq çeghaqah guedoláh vmmaráh ghad meod* ויזעק צעקה גדלה ומרה עד מאד; *Et clamauit clamore magno, & amaro vsque nimis*. Noster aptissimo vocabulo vtitur ad leoninam ferocitatem Esau, & mœrori mixtum furorem indicandum. En seipsum prodit: quam scilicet indignus sit primogenitura, & sacerdotio, & sanctæ illius familiæ dignitate, qui rabioso ingenio, moribúsque inconditis semper fuerit, & nunc inuidia, odioque stimulatus ferinum quid, ac truculentum inclamet. Assentior enim Philoni, qui ad hunc locum sic effatur. Esau non tam cordi erat paterna benedictio, quàm ne frater Iacob sibi præferretur, atque in potioribus bonis esset: inuidus enim cum esset, exclamauit: *Benedic etiam mihi pater*. sic ille. In eodem sensu ita loquitur Procop. Esau non tam indignatur, quòd benedictionem nequit percipere, quam quod cernit fratrem benedictione dignum habitum, & eam ob rem se illa excidisse. Id facile cognoscas ex vociferationis magnitudine, & amarulentia. hæc Procop. Summa petit liuor; cumque talia in Iacob omnia reperirentur, mirum haud est quòd illum rusticus, & ferox frater inuidiâ, odióque semper insequeretur. Gloriabatur quidam aliquãdo, quòd (inquiens) non habeo inimicum. occurrit Philon Philosophus egregiè: Nec etiam habes amicum. Cui enim haud est, propter quod inimicus inuideat; nec etiam erit, propter quod amicus amet. Bonum quippe in homine tam inimicus, quàm amicus respicit, ille ad inuidiam, iste ad amorem. *Obseruabit peccator iustum, & stridebit dentibus in eum*. Psal. 36. Nimirùm (vt ibi explicat S. Ambros.) insidiatur peccator iusto, quia inuidet. sic ille. Sed quid iustus nocuit, vt inuidus iusto insidietur? Planè, quia iustus est ille, iste autem peccator: nec est societas noctis cum luce, nec Belial cum Christo. Apposite stridebit dentibus: inuidus enim ac maledicus hianti semper ore, inter præacutos dentes vitam, & famam viri iusti rodit, ac deuorat, iuxta illud: *Qui deuorant plebem meam, sicut escam panis*. Psalm. 13. vbi S. Chrys. Feris (inquit) crudeliores: feræ enim cum carnem humanam gustauerint, mox cessant propter insuetum nutrimentum erubescentes: improbi autem & inuidi fidelem perpetuò maledictis exedentes non satiantur. hæc S. Chrys. Hæc igitur bellua (inuidum dico) alienam vitam deglutiens, non modò nunquam saturatur; sed (vt de hydropico dicitur) quo plus deuorat, plus esurit. Vno verbo inuidiæ malum cum S. Prospero describo. Inuidus (inquit) alienum bonum, suum facit inuidendo supplicium. sic ille, *lib. 3. de vit. cont. cap. 5*.

Phil. — *Inuidia Esau.* — Procopius. — *Bonum ab inuidia impetitur.* — Psalm. 36. S. Ambros. — Psalm. 13. S. Chrysost. *Feris inexsaturabilis in inuido.* — S. Prosper. *Sibi carnifex est inuidus.*

5. Hæc autem vociferatio Esau (vt animaduertit Procop.) magna, & amara quandam analogiam habet cum dolore, qui est secundùm Deum. sic ille. Bene analogiam habet: non fuit enim verus dolor contritionis, quam Dominus exigit à peccatoribus. scribit enim Apostolus de hoc eodem Esau: *Ne quis fornicator, aut profanus, vt Esau, qui propter vnam escam vẽdidit primogenita sua. Scitote enim quoniam & posteà cupiẽs hæreditare benedictionem, reprobatus est: non enim inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eã*. ad Hebr. 12. Pulcherrimus sanè locus, in quo plura discuti possent: sed paucula tamen expendam. Et quidem Apostolus carpit quosdam libidinosa turpitudine inquinatos, & adhuc in cœno suo iacentes, quos (si perseuerent, si non assurgant) insinuat immedicabile malum habere, nec ad extre-

Procopius. — ad Hebr. 12. — *Inueterata luxuria malum immedicabile.*

A mum inuenturos locum pœnitentiæ, hoc est, à vita recessuros sine vera contritione suorum scelerum. Hoc igitur dicit Apostolus (monet S. Chrys.) ne cadamus casu incurabili. donec fuerit solum claudicatio, facile est rectum fieri. Sin autem fuerimus penitus euersi, quid de cætero restabit? hæc Chrys. Casum verò incurabilem vocat insolitam, & inueteratam carnis turpitudinem, cui mancipatus quis tarò, & summa cum difficultate in vitæ puritatem conuertitur. Eleganter admodum S. Paulin. quosdam quasi gradus in concupiscentiæ morbo apponit, quos non pauci percurrunt, donec in infimum, vbi solet esse deplorata salus, ac tantùm non desperata, miseri detrudantur. Expli-
B cans enim locum Ioelis. *cap. 1. Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus; & residuum bruchi comedit rubigo*. ita scribit *Epist.* 28. In his nostrarum affectionum intelliguntur passiones v. g. Si quid vetitum concupiscam, & mox abiiciam cogitationem, eruca est in folio sedens, quæ decussa quidem, si abiecero, sed si rursus redierit cogitatio, & cœperit abiici, & redire crebrescat, locusta est auolans, & reuertens: Quòd si cœperit immorari, & maius habuerit spatium in comedendo, quàm auolando, bruchus dicitur. Quòd si ipse bruchus, qui non satis auolat, sed magis sedet; non fuerit abiectus, in rubiginem vertitur, quæ iam penitus inhærescens, vt de stipula, sic de anima, nunquam, aut difficilè expellitur. hæc S. Paulin. Non multum discrepat S. Hieron. explicatus: ac de rubigine, consummata
C scilicet passione, sic effatur. Cauendum, ne rubigo, & desiderium futurorum res inutiles concupiscat, & nos perferat ad ruinam. Cuncta enim rubigo populatur, ita vt stipulam, & vile fœnum vertat in nigredinem, vt non solùm esui, sed & fimo inutilia sint. hæc S. Hier.

D. Chrysost. *Principiis obstandum.* — S. Paulin. *Per gradus proceditur iniquitas.* — Ioel. 1. — D. Hieron. *Insolita libido difficulter expellitur.*

6. Idem ad cap. 1. Amos exponens verba illa Domini, *Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non conuertam eum*, ita commentatur: Primum peccatum est cogitasse, quæ mala sunt. Secundum, cogitationibus acquieuisse peruersis. Tertium, quod mente decreueris, opere complesse. Quartum post peccatum non agere pœnitentiam, & in suo sibi complacere delicto. Hoc om-
D nes faciunt hæretici, qui non solùm cogitant, & faciunt mala, sed doctrina sua quosque simplices decipiunt, & in morem Damascenorum, qui interpretantur sanguinem bibentes, eorum quos deceperint sanguinem bibunt. hæc S. Hieron. Ah quàm sunt multi, qui in quarto scleratorum gradu consistunt, & quorum spiritalem vigorem funditus absumpsit rubigo, iamque nunc videntur in seipsis gehennalis carceris ferruginem contraxisse! Mancipia nimirum sunt carnis, cuius fœdissimis voluptatibus inseruiunt, victimæ profectò ad macellum inferni, & sempiternis ignibus destinatæ. Neque verò in Diuino iudicio audiendi erant, cum suæ carnis fragilitatem frustra causari tentabunt: audiant nunc sanctissimum, &
E doctissimum Pontificem Prosperum, qui de hoc eodem argumento luculentam hanc protulit sententiam, *lib. 1. de vit. contemp. cap.* 12. Ad quos sanctos in die iudicij confugituri sumus, quorum exempla simul, ac verba despeximus? An fortè aliquos ibi fragilitas corporis excusabit? Sed excusationi eorum reclamabunt omnium Sanctorum exempla, qui cum fragilitate carnis in carne viuentes, fragilitatem carnis in carne vincentes, quod fecerunt, vtique fieri posse docuerunt: maximè, quia nec ipsi pro sua virtute, sed Domini miserantis auxilio restiterunt. Quid ergo respon-
suri

Amos 1. — *Quatuor gradus peccati.* — *Hæretici sanguinem bibentes.* — *Libidinosus ignem præfert inferni.* — S. Prosper. — *Caret excusatione peccator.*

furi sunt, si eis Dominus dicat: Si potuistis, quare A non restitistis desiderijs peccatorum? Si non potuistis, quare meum contra peccata non quæsistis auxilium? Aut vulnerati, quare pœnitendo non adhibuistis vulneri vestro remedium? hæc S. Prosper. Itaque peccatori ante Diuinum tribunal accusatus plane obmutescet. Potuit enim tentationibus ad peccatum impellentibus, si vellet, cum Diuina gratia resistere, ne consentiret, ne vinceretur, ne caderet. Potuit etiam ac debuit precibus, & lacrymis implorare, atque impetrare Diuinæ gratiæ præsidium, quo adiutus contra inferorum vniuersum agmen staret inuictus, sed noluit. Denique post ruinam potuit cum Diuina gratia, quæ præstò semper adest, conari ad pœnitentiam, per quam resurgeret; at noluit infelix. Quid igitur B respondebit? omnino mutus, & elinguis confusione plenus diuinæ se vindictæ in sempiternum incendium subiiciet. Sed quid sibi vult dictum Apostoli: *Esau inquisisse locum pœnitentiæ?* An non quacunque hora peccator pœnituerit, veniam consequetur? An non etiam qui conatur ad habendam pœnitentiam Diuina statim coadiuuante gratia illam inueniet? Planè ita fides Catholica docet. Verùm (vt occurrit hoc loco S. Chrysost.) Esau non quomodo oportuit, egit pœnitentiam. sic ille. Enimuerò non ex vera cordis compunctione, neque ex charitate fuit ille dolor, sed ex priuato potiùs commodo procedens, & cupiditatis affectu, quo nimiùm erga temporalia tenebatur, & ipsorum tantùm iacturam indolebat, vt bene Lyppom. aduertit. C

Peccator in Diuino iudicio mutus, & confusus.

ad Hebr. 12.

Pœnitenti adest Diuina gratia.

D. Chrysost.

Vera pœnitentia dolor propter Deum

Lyppom.

7. *At ille subiunxit, &c.* Queritur Esau de Iacob, quòd ab illo dolosè, & callidè fuerit semper acceptus; quippe cum ille primò ius primogenituræ, nunc autem & paternam benedictionem fraude præripuerit, appositè iuxta nomen *Iacob*, hoc est *supplantatoris*. Deinde patrem clamoribus fatigat, vt sibi tanquam primogenito, dilecto, & obedienti filio aliquam impertiatur benedictionem: non enim patri vnam tantùm inesse arbitratur. Respondet pater, benedictionem æquipollentem benedictioni de primogenitura, quam Esau exposcebat, iam datam Iacobo, in qua Dominus omnium cognatorum, & frugum abundantia stabilitus fuerat, vltra quæ nihil impertiendum, aut D imprecandum restabat. *Frumento* (inquit) *& vino stabilivi eum.* Hic substitit commentandi cursus, nec vltra progredi passus est, qui vitam in extremum certamen adduxit, morbus quàm periculosissimus. Rem totam verè, sinceréque detegam, ne summè ingratus videar. Repentè igitur grauissimis, & acerbissimis viscerum doloribus afflictari cœpi, nec vlla, vel ad momentum, quies dabatur: interim industria medicorum diligentissimè insudabat, sed frustra tamen. Tandem quinto die (post tertium enim pauci hoc morbo correpti euadunt in vitam) cum antea sæpiùs beatissimæ semper Virginis Deiparæ implorassem opem, tunc demum quanta potui contentione animi, pióque affectu, & fusis vbertim lacrymis instantius eandem E efflagitaui. Vrgebat enim vehementiùs dolorum magnitudo, & vi morbi acerbiùs ingrauescentis pene deplorata mihi salus videbatur. Multa Dei Matri sanctissimæ proponebam, quibus ipsius concitatum præsidium impetrare sperabam: omnium tamen maximè illud fiduciam præstabat, quòd Virgo esset Mater misericordiæ, cuius in obsequium totus ego addictus iam priorem tomum Romæ recognoscendum, & excudendum habebam, & hunc posteriorem maiore, vt putabam, affectu pietatis, diligentioréque studio in

Lethali morbo corripitur autor.

eiusdem Dominæ commendationem elaborabam. In hoc prope mortis articulo decumbens, nimirum nocte ipsa intempesta, post diem præsentationi Virginis dicatum, subitò quieuerunt dolores, morbus disparuit, disruptísque mali omnia obturantis repagulis, tota illa disserenauit tempestas, vitámque, velut tunc primò diuinitus acceptam ratus, cum largissimis præ gaudio lacrymis Deum, ac Virginem Dei Matrem gratis, & studiosis clamoribus percelebraui. Denique post pauculas horas sanus ad rem Diuinam surrexi: crebrò illud mecum versans animo, & proferens ore Virginem Deiparam affatus: *Tu es, quæ exaltasti me de portis mortis, vt annuntiem omnes laudationes tuas.* Psal. 9. Scilicet ad hoc tantummodo vitam Dei, Virginísque dono datam, in Filij, Matrísque obsequium libentissimè totam immolabo.

Eripitur autor e mortis periculo beata Maria precibus.

Psalm. 9.

8. Quòd si mihi libeat dicere Virginem Dei Matrem ad huius mei laboris officium, isto tam præclaro, atque opportuno præmio vitæ, qua nihil in terra iucundius, ac pretiosius est, respexisse: nemo id mihi temeritati adscribat. Solet enim (inquit S. Andr. Cretens.) sanctissima, vt quæ sit munificentissima, maxima reddere pro minimis. O vitæ (exclamat idem) suppeditatrix, & vita viuentium, & causa vitæ! ô omnis sanctitatis sanctissime thesaure! ô Christianorum propugnaculum, & propugnatrix eorum, qui in te spem collocarunt! hæc ille, *de dormit. Virg.* Profectò casus hic meus, & Virginis implorata, simúlque impetrata misericordia expertum, ac certum me reddidit, quàm vera sit illa sententia S. German. Constant. in laudem Virginis, quæ sic habet. Quomodo corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem: ita etiam sanctissimum tuum nomen ô Virgo, quod in ore seruorum tuorum versatur assidue in omni tempore, loco, & modo, vitæ, lætitiæ, & auxilij non solum est signum, sed ea etiam procurat, & conciliat. hæc Germ. *de Zona Virgin.* Et quidem ego, tantisper dum hæc tam periculosa tempestas desæuiit, nihil habui potius, quàm vt admirabile nomen IESV, & mirandum in modum amabile nomen MARIÆ, & repeterem, & implorarem. Sed iam Dei gratia, & Virginis Matris aura leniter aspirante ad institutam commentationem redeamus.

S. And. Cret.

B. Maria munificentia.

S. Germ.

Iugiter inuocanda & celebranda B. Maria.

Iesu & Mariæ nomina imploranda.

9. Miratur Esau, quid sit, quòd pater Isaac vnam tantùm habeat benedictionem, scilicet vnum tantummodo patrimonium, vnam hæreditatem, atque adeo vnum tantum filium ex asse queat hæredem facere. Cæterum hæc est mortalium conditio, hæc mundi paupertas, hæ angustiæ: vix vnum vni operiendo pallium: vix vnus, quo vnus decumbat, lectus habetur. At omnium est, omnibus promittitur, ab omnibus possideri potest, ea, quæ nunquam distributa diminui poterit gloria, quam Deus in cælo paratam habet diligentibus se. Ignis est, qui dum se extendit, non extinguitur; lux quæ latè, vltroque diffusa non perit: fons, qui iugiter perennans haud arescit. Iccirco non dicitur Christus Dominus regnare in domo Abrahã, qui suæ domus hæredes duos non potuit filios instituere, imò alterum ab altero, & bonis, & domo separauit. Nec dicitur regnare in domo Isaac, cui filius cum eiulatu ait: *num vnam tantum benedictionem pater habes? Regnabit in domo Iacob*, nunciatur ab Angelo. Luc. 1. Quippe Iacob suorũ bonorum omnes filios suos reliquit hæredes. *Et quidem Dominus Iesus voluntarie genuit nos, vt simus initium aliquod creaturæ eius.* Iacob. 1. Alij legunt: *vt simus tanquam principatum tenens.* Genuit nos filios, non vt à domo expelleret, sicuti Abraham, sed vt prin-

Mundi bona pluribus distribui nequeunt.

Dei beneficentia in omnes diffusa.

Luc. 1.

Iacob. 1.

Christiani & filij Dei reges sunt.

cipes, regésque secum habeat. *Frumento* (ait Isaac) *& vino stabiliui eum.* Tria quidē sunt, quibus maximè vita hominum constat; honor, rerum abundantia, & voluptas; quæ omnia senex filio benedicens prædixerat: *Dominum* (inquiens) *tuum illum constitui*: en honor, & dominium, quo nihil auidius homines appetunt. *Frumento stabiliui eum*: ecce vbertas, & copia rerum, quæ ad vitam habentur necessariæ. *Et vino*: quod percelebre voluptatis, ac lætitiæ symbolum est. Cæterum Procop. hæc eadem paulò aliter interpretatur de Christo Domino, cuius erat typus Iacob, & consequenter de fidelibus à Deo benedictis, qui credimus in Christum. sic exorditur. Deus Filius nobis est ros cæli, & pinguedo terræ secundum participationem Diuinæ naturæ. Terra enim nobis pinguis est, pluuiisque spiritualibus macerata ad spirituales fructus producendum. Nec deest frumenti copia, id est fortitudinis: nam panis roborat & firmat cor hominis. Nec abest vbertas vini, id est lætitiæ. Nam vinum lætificat hominis cor. Etenim virtutem accepimus calcandi serpentes, & scorpiones; spéque exultantes gaudemus expectando cœlestes mansiones, cupientes conregnare cum Christo. hæc ille. Omnia quidem nobis est Christus Dominus.

Tria, quibus hominum vita constat.

Procop.

Christus nobis omnia.

50. Porrò autem his verbis: *Frumento, & vino stabiliui eum*: admirabile beneficium Diuinæ magnificentiæ significari credimus, quòd inter summas Dei benedictiones humanum genus accepit: cum Dei Filius corpus, & sanguinem suum in augustissimo Sacramento edendum & bibendum fidelibus suis reliquit. Pulchre Procop. in hoc eodem sensu ait: Panis, & vini, id est, mysticæ benedictionis expers est Esau. Nam priscus populus non dignus est isto honore. sic ille. Propria benedictio Iacob, hoc est populi Christiani, quā Esau, id est, quicunque alius populus à Deo reprobatus obtinere non meruit, sacrosancta est Eucharistia, quæ quidem finis extitit omnium operum, & intentionum Dei hominis in mundum venientis; quod S. Irenæus ita dispungit: Hic est finis humani generis reædificantis Deum, vt omnes mundati, & abluti, quę sunt mortis in vitam veniant Dei. Recumbentibus discipulis ministrabat escam, significās eos, qui in terra recumbebant, quibus venit ministrare vitam. hæc Irenæus *4. lib. cap. 39.* Vtique de diuina loquitur Eucharistia, quæ vita dicitur fidelium: *Qui enim* (inquit Dominus) *manducat me, & ipse viuet propter me.* Ioan. 6. Sed quid sibi vult illud, *reædificantis Deum?* Nimirum per peccatum homo Deum suum à se penitus aboleuerat, atque illum quantum in se erat (si fas est dicere) peccando destruxerat, & in nihilum redegerat: ergo idem ad pœnitentiam conuersus, scelerum idola destruens, immortalisque animæ vitiis obrutam imaginem eruens, ac restaurans, Deum quodammodo dicitur in priorem statum, honorémque restituere; quod præcipuè fit, cum Deus sub Sacramento, & publicè adoratur, & rite sumitur à communicantibus. Vt verò ampliùs constet sacrosanctam Eucharistiam esse finem Dei ad homines aduentus, audi Dominum ipsum noctu clamantem ad fores dilectæ illius animæ. *Aperi mihi soror mea.* Cantic. 5. Enimuerò Dominus (vt S. Ambros. bene adnotauit) venit ad eam, vt cœnet cum eadem anima, & ipsa cum eo. sic Ambros. *lib. de Isaac, cap. 6.* Quasi dicat: Hic fuit vltimus finis, & inter primores intentus à diuino Verbo aduentus sui in terram, vt homo factus corpus, & sanguinem suum epulandum, & bibendum animabus dilectis proponeret. Vtique hæc illa nox est, de

Summū Dei beneficiū Eucharistia.

Procop.

S. Irenæus.

Eucharistia finis operum Christi.

Eucharistia fideliū vita.

Ioan. 6.

Reædificatur Deus per pœnitentiam, & Eucharistiā.

Cant. 5.

S. Ambros.

Eucharistia finis aduentus Dei.

A qua loquitur Apostolus: *In qua nocte tradebatur, accepit panem, &c.* 1. Corinth. 11.

1. Cor. 11.

51. Sed quàm amice, amantérque animam Dominus ad sui Corporis, & Sanguinis communionem inuitat clamando: *Aperi mihi soror mea sponsa.* vbi egregie idem Ambros. apponit: Aperi mihi, sed extraneis claude, neque ipsa foras ad materialia prodeas: neque tuum relinquens lumen, alienum requiras. Aperi te ipsam mihi: noli coarctari, sed dilata te, & implebo te. hæc S. Ambros. Anima siquidem sponsum dilectum in Eucharistiæ Sacramento exceptura omnem proinde rerum creatarum curam, cogitationémque depellat necesse est; totáque in sese intus collecta Domino hospiti dignum præparet habitaculum: latum B illud quidem, grande, spatiosum, stratum, & ornatum; quale in monte Sion, vt diuinam Eucharistiam institueret, primóque hominibus communicaret, Dominus ipse sibi parari voluit. Ac debitus quidem erga sponsum amor, purioris solet cordis aulam protendere, construere, atque ornare. Ac illud vel maxime in his verbis diuini Sponsi expendendum erit: non ad quamcunque animam ea fieri, sed ad eam tantùm, quæ sponsa, sororque sit, & dicatur, videlicet, quæ veræ sanctæque charitatis vinculo cum Deo coniuncta, vnitáque teneatur: exigitur enim ad suscipiendam augustissimam Eucharistiam gratia, & charitas in anima suscipientis. Nam *qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit non diiudicans cor-* C *pus Domini.* 1. Corinth. 11. Proh quàm terribile vos manet iudicium! Qui (vt loquitur S. Pacianus Barcin. *in sua paræn. ad pœnit.*) cum mala conscientia Dei sancta contingitis, & altare Domini non timetis, qui ad manus sacerdotis in conspectu Angelorum sub fiducia innocentiæ acceditis, qui Diuinæ patientiæ insultatis, qui tacenti Deo, velut nescienti, pollutam animam, & profanum corpus ingeritis. hæc ille. Vide quantum admittant piaculum, qui diuinæ patientiæ insultant, cum impuri, ac nefarij sacrilego ausu Dei corpus, & sanguinem tractant manibus oréque epulantur. Nulla fere hominis temeritas acriùs Deum stimulat, & ad vindictam impellit, quàm sacrilegium in tractanda sumendáque Eucharistia patratum. Diuinæ pa- D tientiæ insultant, qui scelestiores Iuda proditore, non ore tantùm impuro, & impio faciem Domini contingunt, sed totum ipsum corpus, animam, ac diuinitatem ipsius in fœdissimum cordis sui volutabrum intromittunt.

Cantic. 5.

S. Ambros.

Qualiter accedendum ad Eucharistiā.

Gratia & charitas ad Eucharistiā exiguntur.

1. Cor. 11.

S. Pacian.

Graue sacrilegiū in peccato sumere Eucharistiā.

52. Cæterùm in vltionem huius facinoris, ita præsto solet occurrere Diuina iustitia, vt eodem supplicio interdum cum sacrilego, vicinos quosque licet ea culpa carentes, quàm citissimè vehementissiméque disperdat: quod Apostolus significat adiungens: *Propterea inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* 1. Corinth. 11. Pauci quidem (aut fortè vnus) accedebant indignè ad communionem corporis Dominici; sed propterea multi erant infirmi, & imbecilles, grauibus nimi- E rum affecti morbis, & calamitatibus, & dormiebant multi, hoc est velut contagione vulgata plurimorum passim funera congesta videbātur: vnius enim, aut saltem paucorum, impietas in omnium, qui vicini aderant, extremam perniciem redundabat. Hoc autem sensu explicans idem Pacianus Apostoli verba sic vlteriùs cum huiusmodi proditoribus agit: Quòd si vestra vobis vilis est anima, parcite populo, parcite sacerdotibus. Clamat Apostolus: *Exiguum fermentum totam massam fermentat.* 1. Corinth. 5. Quid facies tu, propter quem omnis massa corrumpitur? propter quem labora-

1. Cor. 11.

Graue suppliciū Dei vbi Eucharistia sumitur indignè.

S. Pacian.

Plurīū calamitas ob sacrilegium vnius.

1. Cor. 5.

tura

tura est tota fraternitas? Viues tot animarum reus? Excusaberis, cum tibi communionem suam imputauerint innocentes? cum te Ecclesia dixerit suæ cladis autorem? hæc Pacian. *tom. 1. biblioth. Patrum.* Et meritò grauibus correptus morbis vitam corporis amittit, qui veram animæ suæ vitam, hoc est, Christum Dominum, impuro, & sacrilego suo corpore, aut tractare, aut excipere ausus fuit. S. Anselm. ad verba Apostoli grauiter (vti res postulat) contra impiè communicantes ita concludit: Propter huiusmodi causam multi homines post Pascha variis infirmitatibus corripiuntur, quia Corpus Redemptoris indignè receperunt. Hæc mala Diuino iudicio patimur ob contemptum Dominici corporis. hæc ille. At longè alia solet à medicis causa morborum istius temporis assignari, qui tamen ad causas naturales, non ad internas vitiorum, & scelerum ægroti respiciunt. Igitur ægrotus seipsum discutiat: videat num Dominico corpori sacrilegam, & impiam iniuriam intulerit. Nam si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur, ait Apostolus. Nostræ siquidem petulantiæ, atque impietatis pœnas damus, inquit Theodor.

S. Anselm.

Morbi post pascha ob sacrilegia in Eucharistia.

Theod.

15. Sed ad lætiora redeo: Frumento, & vino, stabiliuit Ecclesiam suam Dominus: huius enim admirabilis Sacramenti virtute roboratur gens Christiana, cum vitiis, cum tormentis, cum tyrannis, cum totius inferni cohortibus præliatura. In cuius mysterij figuram Hebræi priùs Angelico pasti cibo, deinde prælium cum Amalech aggressi, gloriosissimè debellatis hostibus, triumpharunt. Quare huiusmodi arcanum hoc eodem pacto euoluens, hæc exponit S. Gregor. Nyss. Cum exercitus conscriptus fuerit, primum commeatus paratur, quàm in expeditionem exeat. Sic milites primum mysticum commeatum accipiunt, & sic aduersus alienigenas exeunt, Iesum ducem possidentes. Homo cum cælesti cibo fuerit vsus, & in iuuenum robur peruenerit, tunc ipse pro seipso manus cum aduersario conseret, duce vsus ipso Deo. hæc S. Greg. *in vita Moys.* Denique miratur Esau: *Num vnam* (inquiens) *tantùm benedictionem habes pater? mihi quoque obsecro, vt benedicas* Nimirum haud qualemcunque benedictionem, sed prorsus priori similem exposcebat. Pulchrè S. Ber. inuehitur in hunc infelicem, qui non contentus cælesti, ac Diuina benedictione, siue consolatione, aliam videlicet, humanam, ac terrenam expetit. Sic autem infit. Pretiosa est Diuina consolatio, nec omnino tribuitur admittentibus alienam. Infelix tu Esau, qui dixisti: *Num vnam tantùm benedictionem habes pater?* quantò meliùs erat dicere cum Propheta: *Vnam petij à Domino, hanc requiram?* Psalm. 26. Indignus enim benedictione cælesti conuincitur, qui dubio quærit affectu, duplici petit intentione aliud sibi refugium parans, si fortè eam non obtinere contingat. hæc S. Bernard. *serm. in Ecce nos reliquimus, &c.* Sed voluptuarij homines, filij huius seculi, nihil iucundum, pretiosum, & gloriosum iudicant, nisi quod terra, mundus, & caro est: atque ideireo *corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis*, ait regius Vates, Psal. 13. Sic fiunt (explicat S. Bern.) homines corrupti in anima, abominabiles in corpore: corrupti coram Deo, abominabiles coram hominibus. Sequitur: *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Tria genera sunt hominum, quorum omnium nullum est, qui faciat bonum. Quidam enim sunt qui Deum nec intelligunt, nec requirunt: & hi mortui sunt. Alij intelligunt quidem, sed non requirunt; & hi impij sunt. Alij requirunt, sed non intelligunt; & hi fatui sunt. hæc ille, *de paruis serm. 37.* Ego inter priores, hoc est, mortuos infelicem istum Esau connumerandum arbitror.

Armat Christianum Eucharistia.

S. Greg. Nys.

S. Bernard.

Diuina consolatio dignis datur.

Psalm. 26.

Homines terra, mundoque dediti.

S. Bernard.

SECTIO VII.

Cúmque eiulatu magno fleret, motus Isaac, dixit ad eum: In pinguedine terra, & in rore cæli desuper erit benedictio tua. Vines in gladio, &c. vsque ad finem.

1. LAmentatur nunc infelix amissam dolens benedictionem, & cum ea primogenituram, quam sic antea parui penderat, vt pro lentis edulio eam fratri vendiderit. En breuis voluptas carnis in æternum eiulatum, & cruciatum desinit. Nimirum (ait S. Greg.) vnde caro ad tempus suauiter viuit, inde spiritus in æternum interit. sic ille, *in homil.* refertur à S. Bonauent. *lib. 3. Pharetra cap. 17.* En fructus gulæ, ploratus! en fructus edacitatis, lamentum! Proh quantùm spiritui nocet oblectandi, & pinguefaciendi corporis cura! Talis misericordia (inquit S. Bernard. *in Cant.*) crudelitate plena est, qua videlicet ita corpori seruitur, vt anima iuguletur. Quæ charitas est carnem diligere, & negligere spiritum? quæ discretio totum dare corpori, & animæ nihil? qualis misericordia ancillam reficere, & dominam interficere? hæc ex S. Bernard. celebrantur à S. Bonauent. *loco indicato.* Misera sanè conditio mortalium, vt quasi nihil præter corpus habeant, non iam necessitati, sed aruinæ ac deliciis corporis totum, neglecto spiritu, impendunt studium! Rectè apponit S. Bern. Filij hominum vsquequò graui corde, & pingui corpore? vt quid diligitis vanitatem, & veritatem negligitis? pinguedo carnis, deliciæ corporis, saturitas ventris, aut ante mortem vos deserent, aut vos in morte illa deseretis: quoniam (inquit) cum interierit homo, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius. *Psalm. 48.* ita Bern. *in serm. apud Bonauent. tract. citato.* Igitur Esau vt patrem vehementiùs ad commiserationem permoueret, clamoribus, & precibus ploratũ addidit. Hebr. *Et leuauit vocem suam, & fleuit, & respondit Isaac pater eius, & dixit ad eum* Interpres ad maiorem explicationem addidit: *motus Isaac.* quod nec in Hebr. nec apud L X X. nec in Chald. legitur. Cæterùm proculdubio importunis filij sui lamentis pater commotus, vt illius dolorem aliqua ex parte leniret, aliqualem benedictionem illi ad hunc modum est imprecatus: *In pinguedine terra, & in rore cæli desuper erit benedictio tua.* Sed quid hoc est? an non hæc eadem benedictio est, quam Isaac filio Iacob impertiuit? in vtraque enim ros cæli, & pinguedo terræ continetur. Planè sic verba habent; sed inuersus vtrobique videtur ordo: in priore siquidem dicitur: *De rore cæli, & de pinguedine terra:* vbi ros in primis ponitur, deinde pinguedo terræ. At in altera habetur: *In pinguedine terra & in rore cæli, &c.* vbi prius terræ pinguedo, secundo autem loco ros cæli adiungitur. Et quidem huius disparitatis mysterium ita S. Bernard. euoluit. Cum in populo Dei carnales alij sint, & alij spirituales; nec illi tamen æternorum, nec isti careant omnimodo temporalium desiderio: in eo sanè distant, quòd plus alia appetunt alij, & secundùm ea, quæ præferunt, aut spirituales, aut carnales iudicantur. ita Bern. Inter carnales, & spiritales satis magnum discrimen inuenit; quod probat ex hoc eodem loco, sic vltrà progrediens.

Breuis voluptas in æternam desinit pœnam.

D. Gregor.

S. Bonauent.

Corporis cura nocet animæ.

S. Bernard.

S. Bonauent.

Carnis delicia animam lædunt.

S. Bernard.

Psalm. 48.

S. Bernard.

Dissimilar studium carnalis ab spirituali.

S. Bernard.

Hinc est, quod in benedictionibus Iacob, & Esau, & ros cæli, & terræ pinguedo nominatur, sed non eodem ordine in vtroque. Quid autem singuli præferant à studiis eorum, & sollicitudinibus innotescit. hæc S. Bernard. *in paruis, serm.* 33.

Tertull. *Dispar benedictio Christiani populi à Iudaico.* 2. Eodem sensu inuersum illum benedicendi ordinem interpretatur Tertull. addens, in Esau Iudæos, in Iacob Christianos significari. sic effatur. Cum Isaac benedicens Iacob filium suum: *Det* (ait) *tibi Deus de rore cæli, & de opimitate terræ:* nonne vtriusque indulgentiæ exempla sunt? Denique animaduertenda est hîc etiam structura benedictionis ipsius: nam circa Iacob, qui quidem posterioris, & prælatioris populi structura est, id est nostri; prima promissio cælestis est roris; secunda terrenæ opimitatis. Nos enim primò ad cælestia inuitamur, cum à sæculo auellimur: & ita postea inuenimur etiam terrena consecuturi. Et Euangelii quoque habet: *Quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis.* sic ille. Omnibus quidem in Ecclesia Christi fit promissio cælestium bonorum, quæ per cæli rorem significantur: & multos in ea videmus non modò virtutum ornatos muneribus, sed etiam honorum gloria, & opum affluentia præcellentes. Nimirum, vt satis haberem (obseruat ibidem Tertull.) cælestis quoque promissionis præiudicium, quòd iam & terrenam gratiam teneam: expectarem aliquid & de cælo, à Deo scilicet, sicut & terræ: ita crederem Christum sublimiora pollicentem, eius esse, qui & humiliora promisetat, qui experimenta maiorum de paruulis fecerat. hæc ille. Igitur vtraque felicitas in populo Christiano cernitur, & ros cæli, & pinguedo terræ. Nec Dei regnum primò quærentibus ad vitam necessaria voquam defuerunt: nec mundus vidit iustum à Deo derelictum. At quid de Esau, & Iudæis? adiungit idem. Cæterùm ad Esau promittit benedictionem terrenam, & subiicit cælestem dicens: De opimitate terræ, & à rore cæli erit inhabitatio tua. Iudæorum enim dispositio in Esau priorum natu, & posteriorum affectu filiorum à terrenis bonis imbuta per legem, postea ad cælestia per Euangelium credendo deducitur. hæc Tertull. 3. *contra Marc. cap.* 18. Bellè dictum, Iudæos, Dei quidem filios natu priores, sed affectu posteriores fuisse: at Christiani è gentibus collecti, qui erant nouissimi, beneficio Dei facti sunt primi, recumbúntque cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno Dei, Iudæis ab illo repulsis. Itaque benedictio pinguedinis terræ, quam prior populus est consecutus, fuit quædam manuductio ad sublimiorem de rore cæli benedictionem, quæ populo Christiano cessit: illámque (vt eleganter idem Tertull. loquitur) spei cælestis manum nobis toties scriptura porrigit. Illud etiam obiter adiungam: cum tam larga sit Dei munificentia erga homines, quibus vtramque benedictionem bonorum cælestium, ac terrenorum pollicetur: valde nobis timendum esse, si Deo beneficentissimo ingrati videbimur: Qui (ait idem Tertul.) ob vtriusque promissionis ingratos, ipsa etiam elementa testatur: *Audi cælum, & in aures percipe terra.* Isaiæ 1. sic ille. Profectò vtrumque elementum cum omnibus simul, quas habet, creaturis pro vlciscendo Creatore omnium contra ingratos ad extremum tempus armabitur, vt vel ipsa hæc Prophetæ verba ciere in prælium videntur. Procopius cum in vtraque benedictione verba eadem dici obseruet: Verùm (addit) vt differentiam aliquam cernas, additam esse conspicis dictionem (*desuper*) vt denotetur Esau obtemperaturum, Iacobum verò imperaturum. hæc ille. Putat itaque aduerbium (*desuper*) additum esse absolutè, atque independenter a reliquis dictionibus in hunc sensum: Etsi tibi eadem cum fratre contingat benedictio roris, & pinguedinis: attamen desuper te hoc erit, ad est seruies, subiectúsque ens, ac veluti prono in terram vultu incedes oppressus iugo, quod tibi frater imperio potitus imponet. In quo sane admirabilis erga hominum ingenium vis innuitur honoris, & excellentiæ dominandi. Summa enim Iacobi benedictio supra Esau ponitur in dignitate dominij, quo nihil inter homines & præstantius habetur, & auidius appetitur. Contra verò tam deploranda est miseria, & calamitas seruorum, & subditorum; vt licet affluentia rerum omnium abundent: hoc vno, quod seruiant, subiaceantque alieno imperio, maledicti potiùs, quam benedicti esse videantur. Tanto autem acceptius, gratiúsque erit apud Deum sacrificium illud, quod immolata propria libertate religiosi viri ad obediendum pro Deo hominibus mancipati obtulerunt.

Margin notes: Tertull. — *Luc.* 12. — Tertull. *Bona temporalia etiam à Deo in signū æternorum.* — Tertull. — *Iudæi à Deo posteriùs dilecti, quàm Christiani.* — *Benedictio Dei in terrenis manuductio est ad cælestia.* Tertull. — *Ingrati homines erga Deum.* — Tertull. — *Isaiæ* 1. *Orbis armatus contra homines Deo ingratos.* — Procop. — *Summa in homine cupiditas dominandi.* — *Summa miseria seruire alteri.* — *Grande sacrificiū obedientia.*

3. Malunt alij vocem (*desuper*) coniunctam esse cum rore ad significandum locum aëris sublimem, vnde ros decidit, & imber demittitur: nec in prioribus verbis differentiam benedictionum admittunt. Eadem igitur terræ fœcunditas ex vbere glebæ, ac tempestiuis irrigationibus de cælo fratri vtrique promittitur, sed aliter, atque aliter habenda, vt ex consequentibus colligitur. Enimverò in benedictione Esau ponitur Hebr. *shiéh moxabécha* מושבך יהיה *erit habitatio*, siue *sessio tua*. Sensus est: tibi vtpote terreno, & carnali prædio, & precor congrua, videlicet vt tibi fit copiosa, & diuturna bonorum temporalium possessio: quæ vox Hebræa non legitur in benedictione Iacob, cuius erat minima pars benedictionis, quæ in huiusmodi bonorum affluentia consistit, & quam ille sicuti peregrinus in terra, & manentem in cælo habitationem requirens, non vti pacificus possessor, esset habiturus. Ac fortassè in eo spectatur inæqualitas benedictionis, quòd Iacobo abundantia frugum, & pecorum obuenict, non à sola fœcunditate terræ, quam inhabitabit, sed etiam à propria industria, agricolatione, & pecuaria & sollicitudine, vt postea visum est: at Esau abundantia cedet ex vbertate soli, quod occupabit, iuxta illud, *erit habitatio tua*, scilicet in regione, si spectes glebam, & cæli temperiem, perquàm fœcunda; sine tuo colendi agrum, & pascendi greges diligenti studio. At cum terræ natiua vbertas per se sola, sine hominis cultura satis non sit ad fructuum prouentum; minor vtique censetur benedictio Esau cuius posteri non telluris culturæ, sed latrociniis, & violentiis dediti multò minorem copiam frugum de tellure alioqui fœcunda, sed inculta tamen essent collecturi.

4. *Viues in gladio, &c.*] Ecce aliud, in quo valde differt hæc benedictio; vti luculentè ad hunc modum exponit Procop. Nihil vtriusque benedictiones inter se concordant. Nam inquit Esau in gladio victurum, cum nihil tale contineat Iacobi benedictio. Esau benedictio intra gladij vsum coarctabatur: imò & ad posteros suos eundem gladij vsum transmisit. Nam etiamnum Arabes latrocinantur, & bellorum auidissimi feruntur. Iacobo quidem obuenit benedictio ex fertilitate, & vbertate glebæ; Esau verò accepit nullos terræ fructus, sed solummodò terræ ipsi concessa est habitatio, quamuis & ipsa quoque fœcunda foret: latrocinia enim exercuit, nec agriculturæ fuit intentus. Nec benedictionis verba habent: *Det tibi Dominus, vt viuas super gladio tuo, &c.* Nulli siquidem talia

Margin notes: *Dispar benedictio in terrenis Esau ab Iacob.* — Procop. — *Posteri Esau Arabes latrocinio dediti.*

talia elargiri solet cœleste Numen. hæc Procop.

Infelix vita bellantium.

Infelix quidem ea vita, quæ ferro transigitur; in qua necesse est sæpe, ac multum periclitari; anceps enim est Martis alea, varij bellorum euentus, fortuna (vt dici solet) in hoc theatro maximè ludit, dum alios leuat, alios deprimit, victoriam nunc his, nunc illis elargitur; victores qui exultabant, repente deiicit in seruitutem, victis subitò triumphos attribuit. Et quid vita lattocinantium laboriosius, ac periculosius est? Nam, vt cætera haberet,

Infelix conditio latronū.

hac vna calamitatum maxima interturbatur, quòd non sit diuturna; cum & Deus, & homines furem non sinant diu consistere. Communis est hostis, qui rapto viuit. Absente Dauid, & militibus illius Amalechitæ irruerunt in Siceleg, oppidoque succenso vxores, filios, & opes Hebræorum abducentes in patriam læti, & ouātes remeabant. Sed quandiu hæc illis felicitas perdurauit? *Ecce illi* (scribitur) *discumbebant super faciem vniuersæ terræ comedentes, & bibentes, & quasi festum celebrantes diem pro cuncta præda, & spoliis, quæ ceperant. Et percussit eos Dauid, &c.* 1. Reg. 30 Hæc etiam infelicitas contigit Madabitis, qui Ioannem ex Machabæis vnum & diripuerunt, & peremerunt; at paulò post iidem cum ingenti apparatu, splendida pompa, & plausu festiuissimo nuptias principum celebrabant. *Et surrexerunt Machabæi* (vt legimus) *ad eos ex insidiis, & occiderunt eos, & acceperunt omnia spolia eorum; & conuersæ sunt nuptiæ in luctum, & vox musicorum ipsorum in lamentum.* 1. Machab. 9.

1. Reg. 30. Latronū breuis voluptas & vita.

1. Mach. 9.

5. Quotidiana experientia contestatur veritatem illius sententiæ: *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Psal. 54. Putant miseri firmiter se in vita, atque in dolis, iniustitiis & violentiis suis persistere; atque iccirco *veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* Psalm. 13. Sed ibi conteruntur, & cadunt vbi suam somniant firmitatem. *Contritio* (additur) *& infelicitas in viis eorum.* ibidem. Explicat Prophetam S. Hieron. Contritio (inquiens) corporis, infelicitas animæ; in viis eorum, in operibus eorum. Semper peccatores in via sua infeliciter conteruntur. sic ille. Vsus autem suo verbo *somniandi*; quia quæcunque hominum felicitas, & præsertim illa de qua sibi prædones, & sicarij blandiuntur, vmbra, & somnium merum est. Ita suam illam statuam pulcherrimis ac pretiosissimis compactam metallis, in somnis viderat Nabuchodonosor, qui quidem Rex omnium pene gentium, victor, spoliatórque fuerat. Statua quidem ex auro, argento, ære, ac ferro, sed omnia figmentum, & somnium; & nihil aliud ibi verum apparebat, quàm lutum, cui cætera pretiosa pulchra, & firma innitebantur; hoc autem vel attactum leuiter fortuito impetu lapidis reliqua omnia secum funditùs disiecta, & comminuta in ruinam, atque in auras redegit. En potentia, en victoriæ, ac triumphi, en illa iniustitia, & inhumanitas regis toto pene orbe in cæde, in rapinis, in exitio mortalium debacchantis vno fere momento perierunt. Audiant viri sanguinum, & prædatum illud identidem Prophetæ: *Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerūt.* Vias dixit: non enim miseris datur vllo in loco, aut negotio, aut rei cuiusque articulo consistere, nimirum ob stimulos conscientiæ, quo malo nihil magis aut inquietum, aut molestum. Infectatur enim flagitiosos furialis quædam vltricibus armata flagellis vindicta, quæ illorum vitam omni absynthio amariorem reddit, breuíque illam præcidit. Quot enim obsecro vidisti prædones, & homicidas ad senium vsque in vita permansisse? At beati pacifici, quoniam ipsi filij Dei vocabuntur.

Psalm. 54.

Psalm. 13. Felicitas malorū somnia.

D. Hieron.

Dan. 2. Statua Nabuchodonosori.

Inquieta malorum vita. Psalm. 13.

Conscientia malorum vltrix.

Prædonum & homicidarum mors ante senium.

Deus pacis & pax ipsa dicitur; ac pacificos, & mansuetos admirabili quodam gaudio perfundit, cum in eorum secura mente iuge construit conuiuium. In mari dum viuimus, nauigantes cum fluctibus, & cum procellis colluctamur. Cæterùm (vt bene animaduertit S. Ambros.) nescit naufragia, qui semper in portu tranquillitatis est. *lib. 1. de Iacob, cap. 6.* At quamobrem hæc vera habeantur ambiget, qui iustos permultis rerum aduersitatibus, & (quod ferme quotidianum est) permultis corporis ægritudinibus afflictari conspiciet. Afflictantur quidem illi, sed adhuc felices ac beati esse non desinunt, vt cap. deinde 7. occurrit hoc modo S. Ambros. Neque aduersa corporis vitæ beatæ munus imminuunt, neque de eius suauitate aliquid delibant: quia non in delectatione corporis vitæ beatitudo est, sed in conscientia pura ab omni labe peccati. sic Ambros. Neque verò temere putandum est in hac benedictione, aut prædictione potiùs, pinguedinem terræ in primis poni, ac demum in gladio vitam. Enimuerò abundantia, saturitas, & deliciarum affluentia in fraudes, iniustitias, atque in omnem crudelitatem deducit, effœminatos in truces commutans. Contra verò (vt idem S. Ambros. obseruat) deliciarum abstinentia restringit habenas corporalis ferocitatis. *lib. 1. de Iacob, cap. 2.* Qui quidem à deliciis alienus cum sibi austerus esset, ac rigidus aliis tamen, etiam fero, & inhumano fratri, blandus, pius, ac verè frater erat. Proprium sanè hoc est ingenium iustorum, vt in ipso illorum antesignano visum est. Quàm pius enim, ac blandus esset Abel erga illum suum hostem, ac ferum Cain significatur illis verbis: *Rursum peperit fratrem eius Abel.* Genes. 4. O rem admirandam, peperit mater Abelem, non (vt dici solet) marito filium, sed fratrem Caino, qui scilicet malè acceptus, pulsatus, occisus ab illo, nunquam amorem tamen abiiceret, nunquam frater esse desineret!

S. Ambros. Felicitas pacificorum.

S. Ambros. Iusti in afflictionibus beati.

Deliciæ in crudelitatem commutant.

S. Ambros.

Genes. 4. Charitas erga inimicum.

6. *Et fratri tuo seruies, &c.*] Dominum fratrum suorum Iacobum pater constituit: Esau autem Iacobo seruum addicit, sed vtrumque ita completum non facilè apparet. Inferiùs enim videbimus Iacobum in terram procumbere ante Esau ingenti apparatu velut regem ornatum, ac circumseptum. *Genes. 27.* Nimirùm vbi est imperium, ibi seruitus inuenitur. Et quis infelicior seruus, quàm qui tyrannicæ dominandi mancipatur libidini? Ah quàm turpiter seruire cogitur, qui & honores ambit, & adeptos conseruare, aut augere curat? Maledixit Noe filio Cham, seruus seruorum vt esset fratribus suis *Genes. 9.* At Nemroth illius nepos inter homines primus regnasse legitur. Vbinam igitur illa est seruitus, quam pro maledictione pater filio impio, & impudenti est imprecatus? Dominari video in posteris Cham non seruire: dominum, & regem, non seruum. At istud quidem est vera seruitus, veráque maledictio. Quod ita S. Chrysost. subnotauit. Hic proauum suum imitatus & abusus naturæ priuilegiis, alium seruitutis modum adinuenit, & princeps, atque rex fieri attentauit. sic ille. En miser tunc seruus fit, cum se principem facit. Addit igitur optimè Chrysost. Licet ista magis videatur esse libertas, seruitus grauissima est in ordine libertatis. hæc S. Chrysost. *homil. 19. in Genes.* Prophetia tamen est de Idumæis ab Esau progeneratis, qui à Dauid bellis attriti, & in seruitutem redacti vsque ad tempora regis Ioram Hebrææ genti stipendia persoluerunt: illo autem regnante iugum excusserunt, & per octingentos annos libertate potiti sunt: iterum post illud spatium annorum ab Hircano Si-

Genes. 27. Dominandi libido verè seruitus est.

Genes. 9.

D. Chrysost. Seruit qui imperat.

D. Chrysost. Idumæi subiecti Hebræis.

monia Asmonæi suo sunt subiugati: deinde Herodes Antipatri Idumæi filius regnum Iudææ adeptus, ipse, & posteri vsque ad excidium sub Tito Iudæis imperarunt per annos centum quinquaginta. Constant hæc omnia partim ex 2. *Reg.* 14. & 4 *Reg.* 8. partim ex Iosepho, *lib.* 13. *&* 14. *antiquit.* & *lib.* 1. *de bello Iudaico.* Quia verò sacra scriptura vocat benedictionem factam Esau, quam solam Procop. & alij dicunt prophetiam, operæ pretium duco in hac significatione, quæ celebrior apud Patres habetur, aliquid reconditum explicare. Atque in primis videtur admiratione plenum, quòd benedicat filio pater, & in benedictione apponat: *Et seruies fratri tuo*; quo nihil ad arrogantiam, & ferocitatem Esau molestius, & acerbius poterat obuenire. Pulchra sane benedictio, si respicias ingenium Esau, cui libertas summum afferret nocumentum, at seruitus mirum in modum prodesset.

Stulto seruitus vtilis.

S. Ambros.

Igitur Isaac (ait S. Ambros.) benedixit filium Esau, vt seruiret fratri suo, & esset ipsius seruus: vt remedio ei seruitus esset, quia stultus regere non potest: & nisi moderatorem habeat, præcipitatur propriis voluntatibus. hæc S. Ambros. *Epist.* 1. *lib.* 2.

Nemo sibi sufficit.

At quis obsecro in hac vita sic omnibus sapientiæ præsidiis instructus est, vt sibi soli abundet, nec alterius, aut consilio, aut moderamine indigeat, maxime verò propter cæcũ, & insanum istum amorem, quo se, suáque vnusquisque diligit, nihil in se videt, quod emendari, ac regi debere arbitretur: vnde fit, vt sibi, ac suo ingenio ablandiens in turpes quotidie labatur errores: quos etiamsi malo suo tandem agnoscat, adhuc ab alio subnotari, & corrigi non patitur.

Errat qui solo suo fidit ingenio.

Stultus & malus corrigi non vult.

S. Prosper.

Nimirum stulti, ac mali homines (vt bene scripsit S. Prosper) mores suos nesciri magis, quàm emendari volunt. sic ille, *præfat. in lib.* 2. *de vita contemplat.* Sed non minùs stulti sunt, qui sacrilego ausu modestiam, obedientiam, ac veram sapientiam illius sugillant, qui proprio iudicio deposito alienum sequi mauult; & alterius parere imperio, quàm ad libitum suum viuere satius ducit. Sapienter in hanc sententiam illud contestatur idem S. Prosp. statim adiungens.

S. Prosper.

Præstat obedire, quàm non corripi.

Quoniam sana mens incomparabiliter amplius obedientiæ fructum debet appetere, quam vitare iniustæ obtrectationis opprobrium: leuius me credidi grauari reprehendentium facta mea iudicio, quam pertinacis inobedientiæ subiacere periculo. hæc S. Prosper.

7. Itaque Isaac non tanquam inhumanus pater seruituti filium addixit. sed potiùs (vt adiungit S. Ambros.) pius pater, & consulens seruum eum fratris sui fecit, vt eius regeretur consilio. sic Ambros.

S. Ambros.

Præstat obedire, quàm imperare.

Felicior vtique victurus Esau putabatur à patre obediens, quàm imperans: alieno subiectus imperio, quam suo alios coercens. Quod quidem sæpiùs euenire solet, & pulchrè Cornel. Tacit. de Galba Neronis successore ita scribit.

Corn. Tacit.

Felicior Galba si non imperasset.

Galba quinque principes prospera fortuna emensus, & alieno imperio felicior, quàm suo, maior priuato visus, dum priuatus fuit; & omnium consensu capax imperij, nisi imperasset. sic ille, *lib.* 1. *ab excessu Neronis.*

Honore produntur mores.

Ita fit plerumque, vt quis priuatum agens ob modestos, castósque mores dignus quocunque honore iudicetur; illum tamen adeptus, aut propter superbiam, aut lasciuiam, aut certè ignauiam, veluti colubros ad auram, calorémque solis è latibulis erumpentes, omni gradu indignissimus habeatur. Porrò autem cum Isaac præmiserit: *In pinguedine terræ, & in rore cæli erit benedictio tua: Viues in gladio*: quibus verbis rerum abundantiam & virium robur, ferocitatem animi, armorúmque studium prædixit: opus erat, vt exultan-

A tem illum ac ferocientem equuleonem iniecto fræno, aliqualis obedientiæ inhiberet; quo in sensu ita progreditur S. Ambros.

Obedientia frænum coërcet.

S. Ambros.

Imposuit insipienti, velut indomito, iugum, & cui in gladio suo viuendum dixerat, libertatem negauit: & ne temeritate laberetur, præfecit ei fratrem, cuius auctoritate, & moderatione proficeret ad conuersionem. hæc ille.

S. Ambros.

Cæterum idem Ambros. huncce eundem locum pertractans *lib.* 2. *de Iacob, cap.* 3. ita latiùs expatiatur. Esau eam benedictionem impetrauit, vt seruiret fratri suo. Etenim qui imperare non poterat, & alterum regere, seruire debebat, vt a prudentiore regeretur. Neque enim fuit sancti Patriarchæ, vt filium suum degeneri conditioni seruitutis addiceret, sed vt bonus pater cum

Salutaris homini obedientia.

B duos haberet filios, vnum intemperantem, prudentem & sobrium alterum, vtrique consuleret. Intemperanti præfecit sobrium, & insipientem prudenti statuit obedire. sic Ambros. subiicitque rationem cur maiori minorem præfecerit.

D. Ambros.

Vtile est insipienti vt obediat.

Quia insipiens non potest voluntarius virtutis esse discipulus, nec perseuerare in studio; quia stultus, vt luna mutatur: meritoque ei libertatem proprij negauit arbitrij, ne velut nauis in fluctibus sine gubernatore fluitaret, sed subdidit eum fratri, secundum quod scriptum est: *Seruus enim imprudens prudenti.* Prouerb. 11. hæc Ambros.

Prouerb. 11.

Indignus familia primogenitus præest.

Primogenitos filios mos est inter homines constituere in capita familiarum. Sed quid obsecro fiet, si primogenitus sit alter Esau? An non infelix familiæ nauis

C stulto, rustico, indigno, infamíque nauclero enauigans in scopulos, syrtésque impacta, naufragium faciet sempiternum? Prouidit Dominus sanctissimæ, ac nobilissimæ familiæ Patriarcharum Abrahæ, & Isaac, ne primogenitus naturæ iure præferretur Esau, sed Iacob merito prudentiæ, multarúmque, & maximarum virtutum; quibus auitam, patriámque familiam, non conseruaret modò, sed etiam amplificaret, atque illustraret.

D. Ambros.

Pulchrè quidem ab eodem S. Ambros. vocatur; Fons ille disciplinarum omnium Iacob. *lib.* 2. *Epist. Epist.* 1. Cedit hoc etiam in encomium literarum, quia Iacob creditur fuisse illarum studiosus, ac peritus; cum tamen Esau esset ingenio rusticus & imperitia barbarus.

Iacob literarum peritus.

Enimuerò (vt supra

D visum est *cap.* 25.) Iacob dicitur vir simplex habitans in tabernaculis. Vbi Chald. habet. *Minister domus doctrinæ.* Et fortasse (vt credunt multi) magistro Melchisedech, aut alteri viro sanctissimo, ac sapientissimo dans operam admirabiles in studio literarum, ac virtutum præcipuè fecit progressus. Itaque (ait Ambros.) non conditio fortuitum seruum facit, sed probrosa insipientia. 2. *de Iacob, cap.* 3.

D. Ambros.

Seruus non natura, sed moribus.

8. Profectò pro eximia Dei benedictione, singularíque beneficio reponendum est, viuere sub obedientia, seruire alterius voluntati, alieno iudicio regi, iugo premi, imperio cohiberi, vique, & seueritate castigari. Quæ sanè veritas (vti est) si subditorum mentibus insedisset: obedientiæ (vt

Obedientia homini vtilis.

S. Prosper.

E obseruat S. Prosper) ac patientiæ virtute fundati non moribus eorum, à quibus fuerunt obiurgati, sed suis negligentiis, quòd castigantur, adscriberent. sic ille loco indicato. At infaustum, sicuti & dedecorosum, seruitutis nomen homines hæreditaria superbia inflatos multum deterret. Si miseri vesano quodam studio gloriam humanam appetunt, qui seruitutem amabunt? velint nolint, seruitus illis congenita est: audiantque S. Ambrosium.

D. Ambros.

Natiua homini seruitus.

Nemo (inquit) liber, omnes in seruitute generati; quid seruili conditioni arrogantiam libertatis assumis? quid titulos nobilitatis vsurpas ser-

uilis

uilis hæreditas? Nescis, quòd te Adæ, & Euæ culpa mancipauerit seruituti? Nescis, quod redemerit te Christus, non emerit? 1. *Petr.* 1. Quid te beatius, qui sub Domino regnas? hæc S. Ambros. 1. *lib. de Iacob, cap.* 3. Serui omnes sumus, sed sub Christo seruientes in regalem dignitatem euehimur. Quis ergo tam liber, quàm qui cum Christo seruiens cum Christo regnat? Optimè idem Ambros. adiicit: sub Christo pretiosa seruitus, & gloriosa libertas: pretiosa seruitus, quasi tanti sanguinis pretio comparata; gloriosa autem libertas, quam nulla seruitus culpæ constringit. hæc ille. Sed ô secura, dulcisque seruitus pro Christo! Aduersarius noster diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret: igitur pastor inuigilat, vt leoni obsistat, ouémque tueatur: at illa suis in caulis tuta obdormit. Periculosa quidem, ac metuenda prælatorum sarcina: *Ipsi enim peruigilant, quasi rationẽ reddituri pro animabus nostris.* ad Hebr. 13. Nimirùm (vt explicat S. Prosper.) vigilantes solicitè hostis antiqui rimantur insidias, ne quem, velut dormiente pastore, lupus diabolus astuta fraude surripiat, & in damnum pastoris abreptum secum ipse ad supplicia sempiterna perducat. hæc ille, *lib.* 1. *de vita contemp. cap.* 3. Hoc immensum; & naturæ viribus incomparabile onus est prælatorum: & sunt adhuc permulti, qui cæco impetu ruunt in ambitionem honorum, quos sine virtutum, ac sapientiæ præsidiis adepti miserabile suarum, & sibi commissarum animarum naufragium faciunt. Non ita plane se gesserunt Ambrosij, Augustini, Gregorij, Chrysostomi, aliíque viri, & sanctissimi, & sapientissimi: Qui (vt egregiè scribit idem S. Prosp.) non ambiendo, sed spiritualiter viuendo sacerdotium meruerunt: non fauoris humani suffragio, sed Diuino munere sublimati, nihil sibi de præstantia sui principatus applaudunt, quos non inflammat honor acceptus, sed exercet labor impositus, qui non excellentiam suam cogitant prouecti, sed sarcinam: nec gloriantur de officij dignitate, sed sudant potius constituti sub onere. hæc ille.

1. Petr. 1.
Gloriosa seruitus pro Christo.
S. Ambr.
Securè viuit obediens.
Graue Prælatorũ onus.
ad Hebr. 13.
S. Prosper.
Prælatorum vigilantia.
Temeraria dignitatum ambitio.
S. Prosper.
Sancti & prudentes in prælaturis.

9. Quicquid sit de seruitute Esau; felix illa est, quam Dominus commendauit: *Qui vult* (inquiẽs) *inter vos primus esse, sit omnium seruus.* Matth. 20. sic S. Ambros. additque: Hac seruitute pollet populus Christianus: hanc seruitutem operatur charitas, quæ, & spe maior, & fide est. Vnde scriptum est: Per charitatem seruite inuicem vobis, &c. Per hanc seruitutem Esau (vt etiam adiungit idem Ambros.) qui per gulam primitias suas antè vendiderat, & studio venationis agrestis gratiam benedictionis amiserat, se ipso futurus esset melior, si typum Christi veneraretur in fratre. hæc ille, *lib. de paradiso, cap.* 14. Meritò seruitutem Esau prædictam legimus: quid enim æquè abiectum, & seruile, atque vitium? quo in sensu, ita idem S. Ambros. Seruit omnis, qui autoritatem puræ non habet conscientiæ. Seruit quicunque, vel metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel indignatione exasperatur, vel mœrore deiicitur. Seruilis enim est omnis passio, *quoniam, qui facit peccatum, seruus est peccati.* Ioa. 8. & quod peius est, multorum seruus est, qui subiectus est vitiis, multis se dominis addixit, vt seruitio ei exire vix liceat. hæc ille. Ac omnes quidem passiones illas vitiosas, & seruiles, si hominem bene dispicias, in isto infelici reperies. Denique, vt rem totam absoluam, pulcher iste ordo habetur: Iacob dominus constituitur: Esau autem in gladio viuit, & seruit Iacob. Domina enim (inquit S. Ambros.) est pietas crudelitatis, & mansuetudo duris moribus præstat. sic ille, *lib.* 2. *de Iacob, cap.* 3. Quotidianis sane exemplis comprobatur pietate, ac mansuetudine duritiem, ac truculentiam emolliri, & restingui.

Matth. 20.
S. Ambros.
Bona seruitus ex charitate.
S. Ambros.
Seruile vitium, & passio vitiosa.
D. Ambros.
Ioan. 8.
D. Ambros.
Pius & mitis duros emollit.

10. *Oderat ergo semper Esau Iacob, &c.*] Exulceratus inuidia, odióque Esau memoriam doloris animo fouebat continuam, quo fomite iratum vehementiùs in dies conflagrabat. Scilicet, hoc primum, imò totum est discordiarum, odiorúmque inter homines seminarium, communis omnium ambitio: at non omnibus ita sufficit bonorum, quæ appetuntur, possessio. Rectè S. Chrys. in hoc argumento illud apponit: Vnde putas lites in Ecclesia, inimicitias, altercationes inuicem, nisi propter auaritiam, propter inuidiam, aut propter superbiam, propter vanos honores? Tolle hæc, & nulla discordia inuenietur in Christianis. hæc S. Chrys. *hom.* 40. *in Matth.* Certè hinc liuor, inuidia, zelus enascitur, qua tabe ius omne, vel etiam inter propinquos, ac fratres, aut perit omnino, aut miserum in modum elanguescit. Quare quod de sua ætate scripsit S. Saluian. idem in nostra nos patimur, ac deploramus. sic infit. Quis soluit charitati, quod se cognoscit debere vel nomen? Quis hoc est animo, quo vocatur? Quis tam propinquus corde, quàm sanguine? In quo non lucidus maleuolentiæ zelus ardet, cuius non sensum liuor inuasit, cui non prosperitas aliena supplicium est? Quis non bonum alterius malum suum credit? hæc ille. O deploranda, imò & detestanda hominis infelicitas, qui malo alterius viuit, moritur bono! Enimuerò cui ita sufficit (adiungit Saluian.) felicitas sua, vt etiam alium velit esse felicem? nouum, & inæstimabile, nunc in plurimis malum est. Parum alicui est, si ipse sit felix, nisi alter fuerit infelix. *lib.* 5. *de prouid.* O quàm beatus religiosorum status: vbi nulla flagrat ambitio, nulla cupiditas inardescit: atque idcirco mira viget pacis tranquillitas, rescissis nimirum omnibus litium, & discordiarum radicibus! hæreditas illorum, portio, & pars Deus est. Quid autem vlterà quærit (inquit S. Prosper) cui omnia suus Conditor fit? aut quid ei sufficit, cui ipse non sufficit? sic ille, *lib.* 2. *de vita cont. cap.* 16. Hanc auream vitæ, mentisque pacem vna cum Deo suo inuenit, qui à contentioso turbine seculi sese in religionis secessum recipit. Ideo enim Sponsa illa Dilectum suum frustrà quæsiuit per plateas, vicósque ciuitatis. *Cant.* 3. Et fortassè (inquit S. Ambros.) ideo non inuenit, quia in foro quæsiuit, vbi lites sunt: in plateis, vbi nundinæ rerum venalium. Non enim vlla Christus pecunia comparatur. hæc S. Ambros. *lib. de Isaac, cap.* 5. solicitudines quidem parit pecunia, non pacem generat. S. Chrys. in verbo illo, *oderat*, intelligit exprimi non subitam quandam iram, sed continuum odium, ita vt mentem in profundo latentem manifestaret per verba, & se ad cædem præpararet. Radix enim homicidij inuidia, & fructus inuidiæ homicidium. sic ille. Et quidem appositè Procop. post Philonem Hebr. nomen *Esau* interpretatur *quercum*: cuius sanè arboris mira & nota durities ad viuum exprimit durum, & obstinatum ingenium Esau. Priùs enim emollietur quercus, suáque deposita duritie ceream teneritudinẽ induet, quàm Esau, & cuiusuis animi præferocis, & ob inuidiam, odiúmque ad homicidium aspirantis obdurata malitia, & truculentia cicuretur. Ad hunc quercu, & cautibus duriorem dicitur: *Scio quod durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ænea.* Isaiæ 48. Odium enim illud contra fratrem,

Ambitio seminarium odiorum.
D. Chrysost.
Discordia inter propinquos.
S. Saluian.
Inuidia pestis inter homines.
S. Saluian.
Viget pax inter religiosos
S. Prosper.
Cantic. 3.
D. Ambros.
Pecunia paci inimica.
D. Chrysost.
Inuidia parat ad homicidium.
Procop.
Duritia hominis inuidi.
Isaiæ 48.
Odio cor obdurescit.

quod in eius animum radices altas egerat, nulla poterat ratione diuelli, aut saltem mitigari; cum ferream ceruicem, frontem æneam, totúmque hominem ipsammet duritiem reddiderat.

Eccles. 43. Lucæ. 11. *Odium lorica diaboli.*

11. Loricatum legimus diabolum, Eccles. 43. *Sicut lorica induit se, &c.* Armatum etiam Luc. 11. *Cum fortis armatus custodit atrium suum.* Ac licet vnumquodque peccatum iam assuetudine inueteratum armare, muniréque instar loricæ ex ferreis annulis inuicem vnitis compactæ diabolum videatur; præcipuè id conuenit in odium, qua de re sic piè, luculentéq; disserit S. Bernardin. *1. tom. serm. 25. art. 1. cap. 3.*

S. Bernard. *Affectio peruertit iudicium.*

Vitium muniens diabolum in mentibus peccatorum est abominatio odij, de non dilectis enim difficiliter bene sentimus: quia vbi regnat affectio, perit omne iudicium. Hæc est diaboli lorica sulphurea, atque fœtens, quia tali mente tenetur diabolus communitus, vt verificetur de illa quod Iob 18. scriptum est: *Aspergatur in tabernaculo eius sulphur*, id est aspersa & repleta conscientia tali fœtore, & horrore. hæc ille. *Loricam* dixit Bernardinus, & Hieren. *scutum*: *Dabis* (inquiens) *eis scutum cordis laborem tuum.* Thren. 3.

Thren. 3. *Obstinatio in odio.*

In extremum enim hoc malorum Deus permittit incidant iracundi, & vltionem anhelantes, vt cor habeant adamantinum, illúdque veluti scutum opponant Diuinis inspirationibus ne penetretur, ne flectatur ad Christianam humanitatem, & charitatem; scilicet, vsque adeo durum, indomabile, obstinatúmque est, vt labori sit ipsi Deo, qui iugiter feriat iratum pectus, tundátque insuper, nec tamen vllam charitatis eliciat scintillam. Scilicet, hoc maximè peccatum est, quod pertinaciter inhærens animæ per totam vitam in homine persistit: quin etiam ne in morte quidem ipsa euellitur: cum plerosque videamus viuis adhuc odiis, quæ in vita semper enutrierant, recrudescentes in mortem, atque in sepulturam, denique in gehennam abire.

Odij obstinatio etiam in morte.

Quercus erat Esau (ni velis duriorem dicere:) at in eadem paterna domo perhumanus, ac mitis pariter viuebat Iacob, cuius mansuetudo, modestia, & in omni genere virtus vel ipsos ferreos, si adfuissent, animos posset emollire. Videas hoc loco symbolicam illam picturam apud antiquos percelebrem, de qua scribunt Pier. Valer. *lib. 51.* alijque. Visebatur quercus, & illius ramos, frondes, atque stipitem oliua circum complexa totam quercum ambiebat: quasi teneritudo oleæ duritiem quercus peramico, ac dulci complexu vincere niteretur.

Symbolum mansuetudinis, & feritatis.

12. Sed quid ego Iacobi exemplum, etsi præclarum, tibi, ac mihi propono, qui affecti iniuriis ad vindictam anhelamus! An nō adoramus Deum hominem in cruce pendentem, & pro crucifixoribus orantem? Pie, grauitérque in hoc argumento sic effatur S. Bernardin. Intuere ô homo in speculum exemplorum Dominum nostrum Iesum Christum in cruce pendentem: & considera hæc tria, quæ lapides, nedum corda hominum, mouere, atque confringere debent; affectum cordis, verbum oris, & actum operis. O inæstimabilis dignatio Redemptoris! O incomprehensibilis latitudo sui amoris! O inquam inæstimabilis dulcedo sui cordis, & oris! sic ille.

S. Bernard. *Amans & mitis Christus in Cruce.*

Quam admirabilem Domini pietatem, & mansuetudinem ex Bernardo amplius ita confirmat. Qui (sicut Bern. super Cant. ait) flagellis cæsus, spinis coronatus, clauis confossus, patibulo affixus, opprobriis saturatus: omnium tamen dolorum immemor inquit: *Pater ignosce illis, &c.* Non ait examina, considera, pondera: sed ignosce, vt nostras doceat offensas non examinare, non ponderare, nec etiam considerare:

S. Bernard.

Luc. 23. *Offensa ad exemplum Christi remittenda.*

A sed obliuioni omnino tradere, & toto corde, & pleno ore, atque efficaci opere indulgere. hæc ille *tom. 2. serm. 50. cap. 4.* Et tamen adhuc superbio puluis & cinis humiliari non fero; iniurias pati, extremum opprobrium duco; verbis, factisque vindictam eructo? Scilicet, aut in Dominum Iesum cruci affixum non intueor; aut (quod impudentius est) in ipsum intuitus de ipsius humilitate, ac patientia stultus homuncio erubesco. *At beatus qui non fuerit scandalizatus in me:* ait Dominus, Matth. 11. Sed vt ad Esau redeamus, non potuit iratum illud pectus verbis non eructare conceptum intus odium: dicebat enim:

Superbus & impatiens erubescit de Cruce Christi.

Matth. 11.

13. *Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.*] Aliqualis homini laus tribui

B potest, quod viuente patre non ausus sit tantum illud patrare flagitium, ne patrem contristaret; de matre autem nihil erat solicitus. Statuit igitur secum perfecto mentis consensu, & plena deliberatione, secretò tamen decreuit magno affectu fratri necem inferre post obitum patris: quasi dicat: Pater morietur, filij conueniemus simul ad iusta defuncti: illic super paternum sepulchrum obtruncato fratre dolori meo rite ac libenter parentabo. O feram! ô serpentem! ô scelus! ô odium non humanum quidem, sed in ipso Orco inter furiales spiritus gehennæque incendia conceptum, & excitatum! veretur quidem ferus iste ac barbarus homo patrem suum Isaac, à quo tamen primogenituræ prærogatiuam, ac primam benedi-

Machinator homicidij.

C ctionem non obtinuit, ne in oculis patris filium istius trucidaret: at non verentur plerique impietate, sæuitiáque plusquam ferina obarmati, filios Dei, nimirum fideles, & Christi fratres odiis, iniuriisque insectari, ferro vulnerare, demúmque pecudum instar contrucidare. Timeant, timeant Dei cuncta videntis oculos, qui ad iniurias suorum non conniuet, sed ad vltionem inimicorum exurgit Diuinæ iustitiæ machæram cito, validéque districturus. Hanc S. Saluianus causam arbitratur multorum, & grauium malorum, quæ quotidie patimur Christiani. sic enim scribit: Mirantur mundani si offensam Dei, aut iracundiam perferunt, vbi Deum in Sanctis omnibus persequuntur. Nihil mirum si deteriora quotidie patimur,

Deus vltor iniuriarum proximi.

S. Saluian.

D qui deteriores quotidie sumus; quid querimur, quòd durè agat nobiscum Deus? multo nos duriùs cum Deo agimus. Vim facimus pietati suæ, ac manus quodammodo afferimus misericordiæ suæ. hæc ille, *lib. 4. de prouid. Dei.* Siquidem viscera Dei vulneramus cum proximos malè afficimus; iccirco Dei misericordiam nobis, ne effluat, odiorum nostrorum sepagulis intercludimus & cohibemus.

Per iniurias proximorum Dei misericordiam oppugnamus.

14. *Nunciata sunt hæc Rebeccæ, &c.*] Hinc apertè constat Esau verbis significasse destinatum fratris parricidium, quod secum ad patris obitum statuerat. Fortè hoc suæ mentis arcanum in suarum vxorum sinum effuderat, vti hominum consuetudo est; illisque, vt rimosæ mulieres sunt, hàc illàc effluentibus, ad Rebeccæ aures delatum est. Ergo

E mater valdè solicita de filio, quem vnicè diligebat Iacob, ipsimet totius rei seriem detegit: *Minatur*, (ait) *Esau vt occidat te.* Hebr. *Mithnachem* מתנחם *consolatur se*, à verbo נחם *nacham*; interpres sensum reddidit. Chald. *insidiatur tibi.* Sed quid habet consolatio cum minis? Nimirum iratus homo, dum vindictam molitur, meditatione necis patrandæ, aut iniuriæ inferendæ; atque interim struendis diligenter insidiis, magnopere dolorem suum lenire consueuit. In quo sensu accipio; quod Dominus per Isaiam loquitur: *Heu consolabor super*

Voluptas ex vindicta.

hostibus

hostibus meis, vindicabor de inimicis meis cap. 1. Vbi notanda est interiectio illa dolentis (*Heu*) quæ insinuat Deum inuitum, nostrisque sceleribus coactum, ac dolentem, tamen ex zelo iustitiæ ad vindictam sumendam accedere.

D. Hieron.
Misericordia Dei in vindicta.

Plangit (inquit S. Hieron.) clementissimus Pater delinquentes, eo quòd pereant & nolint agere pœnitentiam. Consolatio autem Dei super hostibus eius est, vt qui non senserint beneficia, suppliciis corrigantur. hæc S. Hieron. Non tamen nescio placere aliis, vt Rebecca prauum Esau consilium ex Diuina reuelatione cognouerit; sed verosimilius (vt & verbum ipsum insinuat) ab aliquo nuntiante id resciuisse. Sic

Procopius.

enim ait Procop. Esau hoc consilium occidendi fratrem quibusdam aperuit, & ab aliquo renuntiatum est Rebeccæ. hæc ille.

Tempus odia extinguit.

Igitur mater prudentissima filio suadet, vti quamprimum se proripiat è conspectu fratris irati, det locum iræ; absentia enim tempus edax etiam inimicorum odia extinguit: abeat in Mesopotamiam ad Laban auunculum, vbi securus, ac lætus agat, vnde post dies vnos, Hebræa phrasi, *paucos*, cum iam furor Esau quieuerit, matris monitu ad parentes reuertatur. Apposité hæc mulier *Rebecca* nomen habet, quod *patientiam* sonat, in quo egregium inuenit

S. Ambros.

mysterium S. Ambros. *lib. 1. de Iacob. cap. 4.* Sic inquiens: Hinc orta est inuidia, & minitabatur Esau, quod post obitum patris fratrem occideret. Sed si acciderit, dicamus ad Rebeccam, quemadmodum prouidendum sit, ne inuidia iracundiam excitet, iracundia in parricidium proruat.

Patientia virtutis & salutis mater & custos.

Veniat Rebecca, hoc est, patientia, bona custos innocentiæ suadeat, vt iræ locum demus. Concedamus aliquò longiùs, donec tempore indignatio molliatur, offensioni surrepat oblinio. Itaque patientia, nec exilium reformidat, sed impigrè suscipit; non tam vt periculum salutis, quàm vt incentiuū sceleris, declinetur. hæc S. Ambros. Ah quàm prudenter ac christianè homines suæ saluti, & virtuti consulerent, si affecti iniuriis, si fracti casibus, si doloribus afflicti ad matrem Rebeccam, hoc est ad patientiam confugerent, & illius consilio regerentur. At ô bona custos non virtutis modò, sed etiam pacis, solatij, ac vitæ patientia!

15. Vtrumque mater, prudenti, ac pio consilio filium seruauit: *Cur* (inquiens) *vtroque orbabor filio in vno die?* Scilicet alterum à periculo, alterum à parricidio integrum præstat. Metuebat vtroque orbari: nam si ad pugnam venirent, aut mutuis conciderent vulneribus, aut si vno perempto, alter esset superstes, huius parricidæ aspectum ipsa nō

Verè moritur qui peccat.

ferret, eiúsque vitam continuis deuotam diris vehementiùs doleret, quàm mortem, vel saltem denique occisorem lethali admisso crimine in anima veriùs, quàm occisum in corpore, mortuum deploraret. Imò iam tunc sancta mulier Esau, vt mortuum in peccato, quod animo gerebat inclusum reputabat, illoque filio se orbatam dolebat:

Procopius.

quod ita Procop. insinuat. Vtroque orbabor: quasi fratricida quond destinatam, & conceptam cædem iamiam mortuo. hæc Procop.

Patientia misericordiæ mater.

En vis patientiæ, quæ furores mitigat, iracundias extinguit, odia sepelit, pacem constituit, à periculis vitam, à criminibus mentem liberat. pulcherrimè vno verbo totum definit Tertull. dum vocat Patientiam misericordiæ matrem *lib. de patient. cap. 2.* At misericordia Domini omnium est effectrix bonorum. Sed quid Rebeccam, quid vel sanctissimum quemque mortalium in exemplum patientiæ adducam? in Deum cum Tertull. intueor. Sic enim

Tertull.

eodem loco effatur. Nobis exercendæ patientiæ autoritatem vita, ac cælestis disciplinæ Diuina

A

dispositio delegat, Deum ipsum ostendens patientiæ exemplum, sustinens luxuriam, auaritiam, iniquitatem, malignitatem, quotidie insolescentem &c. sic ille.

Deus patientiæ exemplū.

Et quid mundo infinitis, ac turpissimis inquinato flagitiis fieret, si Dei patientia Diuinam iustitiam non cohiberet? Prudentissima fœmina, vt filium à periculo mortis procul ablegetr, fratris insidias illi aperit: at nihil ea de re marito detegens, ne senem contristet, aliam prætendit causam, ob quam Iacob sit in Mesopotamiam dimittendus: ne scilicet de Chananæis gentibus ducat vxorem; huius enim generis fœminæ adeo prauis instructæ moribus, intractabilique erant ingenio præditæ, vt si mater filium alicui ex tali fœce viderit copulatum, haud dubie mortem præ

Mater filiō prudenter consulit.

B

dolore sit obitura. Sic autem ad hunc locum Procop. Commodam (inquit) exilij causam prætendit Rebecca filio, scilicet filias Chettæorum, ne dum in Mesopotomiam proficisceretur præter sententiam patris, patrēm vel irritaret, vel in tristitiam coniiceret. hæc ille.

Procop.

Sed quid Rebecca molitur? an non illi dulcissima est filij sui præsentia? planè dulcior est vita ipsa. Cæterùm (vti adiungit S. Ambros.) pia mater abesse sibi dilectissimum filium tolerat, plus ei collatura quem læsit, vtriqoe tamen consulens, vt alterum immunem à periculo, alterum integrum præstaret à crimine. hæc S. Ambros. loco indicato.

S. Ambros.
Pia mater filio consulens abesse tolerat.

Discant parentes filiorum saluti, ac pietati consolere, etiam cum proprij solatij, quod ex conuictu, & præsentia eorundem capi solet, dispendio.

C

Amabat mater (scribit idem de hac eadem) contra affectum pij amoris dimitti filium: maluit enim sibi eum exulare, quàm Deo. Et ideo, quia bona mater, vtrique detulit, iuniori filio benedictionem, quam conseruare poterat. Non enim filium filio, sed impigrum otioso prætulit, fidelem infido. Sed etiam filio ipsi seniori non parum contulit amando minorem filium, ne parricidium faceret. ita S. Ambros. *Epistol. 82.*

D. Ambros.
Pilij ob virtutem præferendi.

Discant hinc etiam parentes maiorem beneuolentiam filiis exhibere, qui maiore virtutem sectantur studio: atque vt ab iis otium malorum omnium seminarium expellant, otiosos iactura paternæ mercedis mulctare. Quod in hoc loco docetur, vti S. Ambros. ibidem contestatur his ver-

D. Ambros.

D

bis: Non otio, non somno merces paratur. Nullum opus dormientis est, nullus fructus otij, imò magis dispendium. Otiosus Esau amisit primatus benedictionē, quia maluit cibum accipere, quàm quærere. Laboriosus Iacob apud vtrumque parentem inuenit gratiam. hæc ille.

Pellendum à filiis otium.

Subtilis illa est Philonis Hebræi ad hunc locum interpretatio de pia matre, quæ filium ætate, ac virtute adhuc nouellum, ac tyronem, ne praua consuetudine maioris ætate, vitióque adulti corrumperetur, ab huius contubernio amouit. sic ait *lib. de profugis.*

Philo.

Quernus ille, & ob inscitiam contumax mos, Esau nomine irascitur: & porrigens perniciosas escas, pecuniam, gloriam, voluptates, cæteráque id genus tuæ vitæ mortali insidiatur: tu verò puer fuge

Pueri à malorum consuetudine seruandi.

E

præsens certamen: nondum enim adultus es robore, sed adhuc nerui tuæ puerilis animæ sunt molliusculi; fugiendum igitur. sic ille in literali, & mystico sensu fugiendam improborum consuetudinem tenerioribus adhuc in virtute animis suadet.

16. Rebecca (vt vides) tanquam pia, prudénsque mater filios liberauit, & a vitæ periculis, & à nefariis animæ criminibus; in quo, vti & in aliis egregium se præbuit typum illius admirabilis supra omnem naturam Virginis, quæ Deum peperit, hominúmque dicitur aduocata, & piissima mater;

Immensa B. Mariæ charitas erga homines.

ter; quos ab innumeris vitæ periculis, atque ab omnibus vitiis, ab inferni satellitibus, morteque ipsa sempiterna quoudie liberat: ab denique simul cum Deo Filio, cui carnem, & sanguinem tribuit, ad redemptionem mundi cooperata est. Hunc nobis incomprehensibilem charitatis zelum in beatissima Virgine tam ingenitum, & antiquum credimus, vt ipsomet momento, quo primo concepta vitam habuit, simul in salutem animarum exarserit charitate. Qua in doctrina præstat audire S. Bernardinum, qui de ipsa conceptione Virginis differens ita effatur: Ex charitatis quoque ardore etiam humanæ saluationis toto affectu desiderabat incarnationem Filij Dei. Nam & totus impetus primæ sanctificationis mentem huius sacratissimæ Virginis impellebat ad hoc desiderandum pro salute omnium electorum. Proinde omnes virtutes eius ardentissimæ mentis in id, quod postea factum fuit in ea, toto conamine inflammabant animam eius. sic ille. Bene igitur Virgo beatissima vocari solet Mater salutis Enimuerò, vt egregiè idem concludit, ipsa siquidem fuit felix clausula totius expectationis, & desiderij ac postulationis aduentus Filij Dei, in qua sunt sicut in angulo omnia desideria præcedentium electorum, atque sanctorum consummata, & terminata fuerunt. Ideo nobis inexpressibile est illud feruidum desiderium, & languentis orationis suspirium, quo suspirabat ad Deum, vt Filium suum mittere dignaretur ad nostram assumendam naturam. hæc S. Bernard. *tom. 2. ferm 51. cap. 3.* At pulchrè quidem cecidit hæc ipsa nostra commentatio in præsentem diem, in quo Ecclesia Catholica celebrat festum immaculatæ conceptionis semper Virginis Deiparæ, dignissimum planè, quod non humanis, sed Angelicis votis, studiis, vocibus, ritibus, plausibúsque concelebretur: proprium hoc fuit festum Angelorum, vt habeo testem S. Vincentium Ferrerium Hispaniæ lumen, & columen Dominicanæ familiæ longè maximum, qui de Virginis immaculata conceptione agens hanc sententiam statuit: Non credatis, quòd fuerit, sicut in nobis, qui in peccatis concipimur, & nutrimur; sed statim postquam corpus fuit formatū, & anima creata, tunc fuit sanctificata. Et statim Angeli in cælo fecerunt festum conceptionis. sic ille, *ferm. 1. de natiuitate Virgin.* Nec putandum est loqui de sanctificatione, per quam Virgo beatissima fuerit ab originali reatu mundata: sed de illa, per quam ab illo fuit præseruata. Hæc enim sanctificatio soli Virgini concessa est, illam verò Hieremias, Baptista, & fortè alius habuerunt Itaque festum immaculatæ conceptionis Virginis, fuit priorum omnium festorum, quæ in Ecclesia Catholica celebrantur; quod non in terra, sed priùs in cælo, non homines, sed Angeli post Deum quidem, & cum Deo celebrarunt. Bene de illo ipso sic eloquitur S. Bernardin. Sacramentum gloriosæ Virginis Matris Dei sublimissimum ad reuerendum, deuotissimum ad tractandum, dulcissimum ad contemplandum hodie nobis proponitur. Eleuemus igitur omnem pietatis affectum, efferamus omnem nostrum conatum, erigamus, & illustremus cunctis viribus intellectum ad illam quæ vigore, dulcore, atque splendore suo cunctis pias mentes inflammat, inflammatas illuminat, illuminatas roborat, vt sciant, velint, & possint Filij sui vestigia imitari. sic ille *præf. in ferm. 51. prædictum.*

S.Bernard.

B. Maria in cõceptione salute hominũ desiderauit.

S.Bernard.

Desiderat B. Maria incarnationē Verbi.

Festum conceptionis B. Mariæ ab Angelis celebratum.

S.Vinc.Ferr.

S.Bernard.

Puriss.mè celebranda cõceptio B. Mariæ.

B. Maria cõcepta sine peccato originali.

17. Pleno igitur ore prædicemus conceptionem Matris Dei summè immaculatam, absque vlla vel tenui vmbra peccati originalis, quod etsi genus omne humanum lege irrefragabili soleat inquinare: at Dei Matrem speciali priuilegio à Filio suo præseruatam nulla potuit ratione attingere. Hæc nimirum illa est virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij, quam ascendentem per desertum angelicæ virtutes admirantur, *Cant. 3.* & quidem meritò: cum enim vehemens ille culpæ originalis turbo ingrueret, totamque humani generis naturam in ipso statim exortu, & opprimeret, & fœdæ cuiusdam tempestatis instar absorberet: sola Virgo Dei Mater futura sicut virgula suauissimi, & & fragrantissimi suffitus, à terra in altum vsque ad thronum, & conspectū Dei se subuehens, nullo vel originalis procellæ flatu, aut turbari aut etiam potuit de longè afflari. Quoniam (inquit S. Bernardinus cap. 3. iam indicato) gloriosa Virgo Maria aduocata est peccatorum, gloria, & corona iustorum, Sponsa Dei, & totius Trinitatis triclinium, & specialissimum Filij Dei reclinatorium: hinc est quod speciali gratia Dei nullum in ea peccatum habuit locum. sic ille. Secutus doctrinam S. Bonauent. *in 3. d. 3.* iuxta quam (adiungit) vt immaculata esset Virginis conceptio propter tria congruum erat: primò propter diaboli confusionem; secundò propter nostram intercessionem; tertiò propter Diuinam dispensationem. Primò, quia congruum erat, quòd beata Virgo postquam auferebat à nobis opprobrium, superaret etiam diabolum, ita vt nec ei succumberet ad momentum. Secundò, congruebat enim aduocatam humani generis tanta puritate fulgere, vt nullum peccatum haberet, quod eius conscientiam remorderet. Tertiò, vtique congruebat, vt illa; quæ placuit Altissimo ita vt fieret illius Sponsa, & Mater vnigeniti Filij sui, sic esset immaculata mente, sicut fuit intemerata carne. hactenus S. Bernard. Expendi seriò debet vis illa, quæ colligit argumentum: videlicet decere infinitam Dei puritatem, vt illius Mater sic esset immaculata mente, sicut fuit intemerata carne: at carnis Virgineæ puritas nullā admisit, vel leuissimam suspicionem impuritatis: igitur multo veriùs ea omnimoda, & perpetua puritas in Virginis anima concluditur. Equidem, vt de me aliquid ingenuè fatear, cum omnia in Virgine Dei Matre, vti sunt admirabilia pariter, atque amabilia mirum in modum, & suspicere, & amare soleam, nescio quid tamen in illius immaculata conceptione, sacrum, augustum, & diuinū mentis oculo intueor, vt de hac vna Virginis laude, gloriaque mihi sit facillimum; ac dulcissimum effari, finem autem orationi, aut stylo imponere quàm difficillimum. Scilicet hæc est nostra iam ætate omnium pene fidelium vnanimis in conceptionem immaculatam Virginis conspiratio; & nostræ Societatis scriptores, viri omnes longè doctissimi, ac piissimi in hac Dei matris prærogatiua firmiter, elegantérque asserenda videntur quodammodo triumphare: Pulchrè vnus ita concludit: Omnes qui Christiani nominis fidem profitentur, in hanc sententiam vno animo & affectu ita conspirant, vt sine magno populi scandalo iam nemo possit oppositam populo in concionibus exponere. Nostra Societas tam verbo, quà scripto vbique, sempérque ita sensit, & docuit. hæc Gabriel Vazques, *3. p. quæst. 27. artic. 2. disput. 117. cap. 1.*

Cantic. 3.

S.Bernard.

Encomia B. Mariæ.

S.Bernard.

Quàm decēs & congrua sit B. Mariæ conceptio sine originali peccato.

De conceptione immaculata B. Mariæ loqui dulcissimum.

Societatis auctores de conceptione immaculata B. Mariæ.

Gabr. Vazq.

19. Cæterum vt cum Rebeccæ typo, quem indicauimus, commentationem huius capitis concludamus: vera Rebecca, veráque mater in filiorum salutem inuigilans illa Virgo est, cuius gratia vsque adeo superessusa fuit, vt de plenitudine

eius

eius omnes acceperint, nec, sit qui se abscondere à calore eius. Hanc sententiam vir ille sanctus Idiota luculentè ad hunc modum explicauit: *Sapientia adificauit sibi domum.* Prouerb. 9. id est, te Virginem Mariam, vt in te habitaret. Fecit te sibi in Matrem, Angelis in instaurationem, hominibus in reparationem, dæmonibus in hostem, detentis in limbo in ereptionem. Per te ô superbenedicta Virgo Maria, innocentia reparatur, vita angelica reducitur, Deus hominibus pacificatur & vnitur, diabolus vincitur, & conteritur. Te gloriosissimam Virginem Mariam ædificauit in domum solidam, & fortem, quæ nullo modo vacillare posset. hæc ille, *lib. de contempl. beat. Virgin. cap. 4.* Denique mellita illa verba S. Georg. Nicom. *de Præsent. Virgin.* ad eandem dominam, Rebeccæ typum illustrant, sic habent. Te nostræ salutis habemus adiutorem: te nostri auxilij habemus defensorem: te proponimus, cuius ore no-

Idiota. Prouerb. 9. *Gratia B. Mariæ in omnes diffusa.*

S. Georg. Nicom. *Salutaris generi humano B. Maria.*

A stra dicatur executio: te nostræ fiduciæ circunferimus gloriationem: tu Christianorum murus fortissimus. Da petitioni conuenientem, potes enim, euentum. Habes vt mater in Filium, quæ recusari non potest, fiduciam. Habes vires insuperabiles, robur inexpugnabile. hæc Georg. Igitur ô Domina mundi, Mater Dei, spes vnica hominum: quæsitus ego, & in iudicium vocatus à supremo Iudice Filio tuo, nihil respondeo, sed taceo, mutus fio, te nimirum propono, tuo loquor ore, tecum excusor: sic alacer, & mei compos ante Iudicem assisto, vt meæ fiduciæ te veram, certámque B prædicem gloriationem: non potest Filius Matri suæ, quicquid velit, non annuere: non potest Mater misericordiæ suorum fidelium vota non suscipere, preces non audire, conatus non dirigere, obsequia non admirandis in hac, & in altera vita beneficiis condonare.

Certa & grandis fiducia in B. Mariā.

CAPVT VICESIMVMOCTAVVM.

1. Vocauit itaque Isaac Iacob, & benedixit eum, præcepitque ei dicens: Noli accipere coniugem de genere Chanaan:

2. sed vade, & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ, ad domum Bathuel patris matris tuæ, & accipe tibi inde vxorem de filiabus Laban auunculi tui.

3. Deus autem omnipotens benedicat tibi, & crescere te faciat, atque multiplicet: vt sis in turbas populorum.

4. Et det tibi benedictiones Abrahæ, & semini tuo post te: vt possideas terram peregrinationis tuæ: quam pollicitus est auo tuo.

5. Cumque dimisisset eum Isaac, profectus venit in Mesopotamiam Syriæ ad Laban filium Bathuel Syri, fratrem Rebeccæ matris suæ.

6. Videns autem Esau quòd benedixisset pater suus Iacob, & misisset eum in Mesopotomiam Syriæ, vt inde vxorem duceret; & quòd post benedictionem præcepisset ei, dicens: Non accipies vxorem de filiabus Chanaan:

7. quódque obediens Iacob parentibus suis isset in Syriam:

8. probans quoque quod non libenter aspiceret filias Chanaan pater suus:

9. iuit ad Ismaelem, & duxit vxorem, absque iis quas priùs habebat, Maheleth filiam Ismaël filij Abraham, sororem Nabaioth.

10. Igitur egressus Iacob de Bersabee, pergebat Haran.

11. Cúmque venisset ad quemdam locum, & vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus qui iacebant, & supponens capiti suo, dormiuit

C in eodem loco.

12. Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam,

13. & Dominum innixum scalæ dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac: Terram, in qua dormis, tibi dabo & semini tuo.

14. Eritque semen tuum quasi puluis terræ: dilataberis ad Occidentē, & Orientem, & Septentrionem, & Meridiem: & BENEDICENTVR IN TE in semine tuo cunctæ tribus terræ.

D 15. Et ero custos tuus quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc: nec dimittam nisi compleuero vniuersa quæ dixi.

16. Cumque euigilasset Iacob de somno, ait: Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.

17. Pauénsque, Quàm terribilis est, inquit, locus iste; non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli.

18. Surgens ergo Iacob manè, tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fúndens oleum desuper.

E 19. Appellauítque nomen vrbis Bethel, quæ priùs Luza vocabatur.

20. Vouit etiam votum, dicens: Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum,

21. reuersúsq; fuero prosperè ad domū patris mei: erit mihi Dominus in Deum.

22. Et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei: cūctorúmque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.

SECTIO PRIMA.

Vocauit itaque Isaac Iacob, & benedixit eum, præcepítque ei dicens: Noli accipere coniugem de genere Chanaan, &c. vsque ad *Nabaoth.*

Celebratur natiuitas Domini. — *S. Basil.* — *S. Basil.*

1. RVRSVS post dies multos, in quibus à commentando impediti, mentem aliò, industriámque conuertimus, ad continuandum scribendi studium hodierna dies, & mentem excitat, & curam omnem expromit. Ac mihi quidem cedit peropportunè lætissima hæc dies, in qua Deo homini admirabilem pariter, atque amabilem natiuitatem, & purissimum, ac felicissimum partum semper Virgini Matri dignissimè gratulamur. Commune (inquit S. Basil. *de eadem Natiuit.*) festum omnis creaturæ hoc est. Quod quidem euideoter, & eleganter comprobat sanctissimus Pater, cum Angelos, pastores, stellas, reges, cælum inquam, & terram, in ortu Dei, & Creatoris omnium commoueri, & gaudio inusitato exultare considerat: concluditque: Nemo (inquiens) inutilis est, nemo ingratus; celebremus salutaria mundi. Hodie soluta est condemnatio Adam: non amplius terra es, & in terram reuerteris; sed cœlesti coniunctus ad cælum assumêris. Efflorescit cor meum, & mens instar fontis scaturit: sed breuior est lingua, & hebetior sermo, quàm vt tantam gaudij magnitudinem annunciare possim. hæc S. Basil. Ac mihi quidem nihil hodie potius, ac dulcius foret, quàm vt commune festum creaturarum, salutaria mundi, primæuæ maledictionis abolitionem, terreni hominis cum Deo ipso cognationem, eiusdem vti homo dignitatis particeps, sicut mente profundissimè veneror, ita voce in laudationem debitam composita celebrarem. Sed & minus dicerem, quàm quod tanti mysterij decet maiestatem, & extra statuti mei rationem exilirem. Perbellè tamen in hac omnium, quas vidit orbis, luce felicissima interpretandum aggredimur vicesimum octauum Geneseos caput, in quo Iacob à patre Isaac dimitti, & è patria domo exire primò describitur: scilicet in typum egregium Filij Dei, qui missus ab æterno Patre in mundum fuit, egressúsque à sinu Patris inter homines apparuit nostra carne indutus, vt instar Iacob oues pascentis, animas suorum fidelium pasceret, quod illa Sponsa votis omnibus auidissimè expetebat: *Veni* (inquiens) *dilecte mi, egrediamur in agrum.* Cant. 7.

Cantic. 7. — *S. Ambros.*

Nimirum (explicat S. Ambros.) vt quasi bonus pastor pascat gregem suum, lassos alleuet, reuocet errantes. Nam etsi ista anima noua & vetera seruarit, tamen sunt adhuc velut agni, qui lactis succo nutriendi sunt. Ergo quasi perfecta non pro se, sed pro aliis interuenit, vt de sinu Patris exeat, vt procedat foras, tanquam sponsus de thalamo suo egrediens currat viam, vt infirmos lucretur. hæc S. Ambros. *lib. de Isaac. cap. 7.*

Natiuitas Christi expetita & celebrata. — *Cantic. 8.*

Hodie igitur verus Iacob Dominus Iesus, è materna domo, aluo scilicet Virginea, in qua conceptus est, nouémque integros menses tanquam in thalamo recubuit, & in paradiso voluptatis habitauit, egressus laboriosam humanæ vitæ peregrinationem suscepit: vbi sponsam inuenit, & ab illa inuentus est, quæ iugiter suspirabat: *Quis mihi det, vt inueniam te foris?* Cant. 8. videlicet (exponit S. Ambros.) vbi sit foris, vt nobis intus sit, medius nostrum, etsi non videatur à nobis. sic Ambros. *loco indicato.*

Christus in præsepi cognitus Deus. — *S. Basil.* — *Deitas Christi per humanitatem resplenduit.*

2. Indutus quidem humana carne Dei Filius à multis, etsi videretur, cognitus non est; nam sui eum non receperunt. Cæterùm Angeli, Magi, Pastores, Simeon, Anna, complurésque alij inuenientes Infantem pannis inuolutum, sub illa tamen humilitate Diuinam sunt maiestatem contemplati, & venerati. Vt enim S. Basil. quem paulò suprà citauimus, addidit, In paruo Infante magnum adorabant, non eum, quem vident contemnentes, sed Deitatis ipsius maiestatem glorificantes. Apparebat enim velut lumen per vitreas membranas, per humanum corpus Diuina virtus resplendens bis, qui habent oculos cordis depurgatos. sic ille. Cælum reseratum, vt hoc eodem videbimus capite, apparuit dormienti ac somnianti homini; quod mysterium hodie videmus explicatum. Etenim in Christi Domini ortu cælorum adyta patuerunt, cum Deus ipse inclinauit cælos, & descendit, Sponsam in terris quæsiturus; quæ tandem cælestia, Diuináque degustans fugam à terris in cælum cum Sponso meditata exclamat: *Fuge dilecte mi, assimilare capreæ, hinnulóque ceruorum super montes Bether.* Cant. 8

Fugiendum cum Christo à terra in cælum. — *Cantic. 8.* — *S. Ambros.*

Fugiamus ergo (occurrit S. Ambros.) in patriam verissimam; illic patria nobis, & illic Pater, vbi est Mater omnium. Sed quæ est fuga? fugiamus animo, & oculis, aut pedibus interioribus. hæc ille, *loco iam citato.*

Multæ ad cælum viæ. — *S. Cyr. Hier.*

Reseratis porrò cælorum adytis, multæ ad illam beatorum regiam viæ sese hominibus aperuerunt. Nam (vt egregiè obseruat S. Cyril. Hier.) benignus cum sit Dominus, non vnam vel alteram tantùm, sed multas æternæ vitæ ianuas aperuit, vt omnes, quantùm in ipso est, absque impedimento illa potiri possint. hæc ille, *Catech. 18.*

B. Maria principalis ianua cæli. — *B. Mariæ encomia.* — *D. August.* — *S. Bernard.* — *S. Anselm.* — *Per B. Mariam veniunt omnia bona.*

Rectè id quidem, sed principalis in cælo porta, domúsque, & ad illam scala, cui Deus innititur per quam communis est cælitum ascensus, ac descensus, hodie mortalibus patuit, sanctissima nimirum, & suauissima semper Virgo Dei Mater, in cuius sinu & brachiis Deus infantilibus indutus membris recubit. Est enim Maria (inquit S. Aug.) flos, & ianua paradisi, gloria generis humani, lucerna mundi, scala cæli, terror dæmonum, refugium peccatorum, imago & speculum puritatis, exemplum & regula honestatis, fons & taberna gratiarum, mons & scala virtutum, arca cælestium thesaurorum, consolatio pauperum, portus naufragantium, titulus Catholicorum. hæc omnia ex S. Aug. concelebrat S. Bernardin. *tom. 2. serm. 51. cap. 4.* vbi etiam Virginem Deiparam affatus, illa S. Anselm. repetit. Per te ad æternam gloriam quicunque peruenturi sumus, peruenimus, & per te est si quid boni sumus siue possumus, siuè habemus. hæc ille.

Luc. 1. — *Pietas in B. Mariam signum Catholicorum & prædestinati.*

3. Tecum obsecro expende, lector optime, verba illa extrema S. Aug. *Titulus Catholicorum.* Est enim pietas erga Dei Matrem semper Virginem præclarum quoddam signum non fidelium modò Catholicorum, sed etiam prædestinatorum, quod ipsa beatissima Virgo significat in suo illo dulcissimo Cantico, cum apposuit: *Beatam me dicent omnes generationes.* Ecce pietas Catholicorum, qui ex omnibus nationibus, aut per omnes ætates, vsque ad finem mundi congregantur, qui pio quodam, & ardenti studio Virginem Dei Matrem laudibus prædicant, ac debitis obsequiis venerantur. Addit:

Et

Et misericordia eius à progenie in progenies timẽtibus eum. Ecce fidei Catholicæ, & prædestinationis signum, quo notantur, qui Virginem beatam dicunt; scilicet misericordiam Domini consequi, & ipsum Deũ timere, seu rite, & catholicè venerari. Hæc itaque inter se coniuncta videntur; nẽpe Virginem prædicare, & Deum timere, ac Dei misericordia potiri. Imò hæc duo, misericordia Dei, & timor; siue fides erga Deum ex illa in Virginem pietate, ac studio illius laudes prædicandi directò sequi, ac certò colligi. Verè quidẽ ac piè S. Proclus Cyzici, & mox Constant. Episcop. de Virgine sic eloquitur. Maria spiritualis secundi Adami paradisus, salutaris reconciliationis panegyris, hæc sola pons est. per quem Deus ad hominem descendit. sic ille apud Bozium *de signis, li. 9. cap. 6.* Adde: Hæc etiam pons est per quem homo ad Deum ascendit. Admiremur interim cum S. August. hanc Dei generationem ex Virgine, quã mundus expauit; quam pia fides agnouit & tenuit, infidelitas irrisit, superbia timuit superata. sic ille, *serm. 1. de natiuit. Domini.* Salutatam etiam omnibus pietatis, ac lætitiæ votis cum Filio suo interim relinquamus Matrem semper Virginem, illud cum eodem Augustino cõmendantes: Lacta Mater cibum nostrum, lacta panem de cælo venientem, & in præsepio positum velut piorũ cibaria iumentorum. Lacta eũ qui talem fecit te, vt ipse fieret in te, qui tibi, & munus fœcũditatis attulit conceptus, & decus Virginitatis non abstulit natus. *Ibidem.* Celebremus eũ eodem August. hanc dulcissimam diem, in qua compunctio etiam infidelibus venit, in qua misericordia tãgitur impius, veniam sperat compunctus, reditum non desperat captiuus, remedium desiderat vulneratus, in qua nascitur Agnus, qui tollit peccatum mundi. *ibidem.*

S. Proclus.

Celebratur Christi natiuitas.
S. August.

S. August.
Natiuitas Christi plena gratiis.

4. Denique adoremus & suppliciter imploremus, qui peccatores fuimus, & pœnitentiæ medicamento sanari volumus, cum eodem August. Infantem Deum; in cuius Natiuitate, qui conscientiam puram habet, dulciùs gaudet: qui miserã, attentiùs timet. Qui bonus est, affectuosè orat; qui peccator, deuotissimè supplicat. Dulcis dies, verè dulcis, & cunctis pœnitentibus veniã portans. sic August. Apparet hoc in capite dormienti Iacob scala, ab humo, vsque ad cælũ erecta, & in illius summitate Deus ipse, cuius Angeli partim ascendunt, partim descendũt. Hæc omnia quidem illustranda commentariis aggredimur. Pulchrè, ac peropportunè nobis eadem referãtur mysteria cum hac ipsa tam dulci, gratáque die Deum hominem ex Virgine natum, & positũ in præsepio concinentibus circumcirca Angelorũ choris adoramus. Igitur cum August. Deum Infantulum obsecremus: Da ergo Domine misericordiam misero, qui tãdiu pepercisti criminoso. Inclinet ad remediũ humilitas pœnitentis, quẽ permouere non potuit diuturnitas peccantis. Aspice infelicem pietas immensa: respice crudelem misericordia publica. Desperatus ad omnipotentem venio: vulneratus ad medicum curro. Serua pietatem mansuetudinis, qui tandiu suspendisti gladium vltionis. Dele numerositatem criminum multitudine misericordiarum. hæc Aug. *serm. 3. de natiuit.* Sed iam ad solitam interpretationem accedamus.

S. August.
Salutaris mundo natiuitas Christi.

S. August.
Christi natiui. ac pœnitẽtium solatiũ.

5. *Vocauit Isaac Iacob. &c.*) Nesciens Isaac filiũ Iacob antea benedixerat; nunc iã certior omnino factus de voluntate Dei, eandem iterat, & cõfirmat voluntarius, ac lætus benedictionẽ. Deinde paterno imperio committit filio, vti confe-

Ben. Fernand. in Genes. tom. 2.

A stim in Mesopotamiam proficiscatur: *Surge* (inquiens) *vade,* קום לך *qum lech.* vertunt ἀναστὰς ἀπόδραθι, surgens fuge. Vnde (inquit S. August.) intelligitur etiam Isaac cognouisse, quod filius eius Esau de fratre suo in cogitatione sua dixerat. sic ille, *quæst. 81.* Illud in primis quæri posset, cur toties Isaac Iacobum, & iste filios postea benedixerit, quod tamen ipsi Isaaco à patre Abrahamo præstitum nequaquam legimus. Ac cæteri quidem, vti mox gentiũ aut certè peculiari Hebrææ familiæ ritu (quod parentum affectus exigit) filiis benedicendo bona omnia, & fausta precabantur: at hæc ominatio, & benedictio humana tantùm erat, quam varij rerum casus frustrari solent, irritámque reddere. B Verũ enim verò Isaac ab ipso Deo in præmium obedientiæ ac pietatis, quam immolandus exhibuerat, benedictus humanam benedictionem haud requirebat. Non igitur (vt bene aduertit hoc loco Procop.) Abraham Isaacum benedixit; manifestum est enim, quòd sufficientem habuerit benedictionẽ, vel sacrosancto Dei testimonio. sic Procop. At Isaac filium, vt pater humana, & vt quodammodo Dei minister, Diuina benedictione Iacobũ donauit. Sed quænam hæc est benedictio cum fuga in exteras regiones à parentum conspectu, domóque? Nimirum securus non viueret cum parentibus Iacob, vbi domesticum, infidum, & importunũ habebat hostem Esau. Nam in periculoso versari contu- C bernio nemo sapiens, si queat abesse, ausus erit. Hac de re (vt egregiè monet S. Cypriã.) præsumptores obiurgat Apostolus dicens: *Si quis putat se aliquid esse cũ nihil sit, seipsum implanat.* Gala. 6. pro certo implanator proprius seipsum decipit, qui non cauendo contraria noxiis rebus semetipse commiserat. Ille autem tutiùs sibi consulit, qui circa malos semper infidus, species quascumque noxias extimescit: quorum distantiam Salomon disseruit dicens: *Sapiens timẽdo declinabit ad omni malo; insipiens autẽ confidens sus miscetur iniquo.* Prouerb. 14. hæc S. Cyprian. *de singul. Cler.*

S. August.

Isaac non est benedictus à patre.

Procopius.

Vitandũ contubernĩ periculosum.

S. Cyprian.

Galat. 6.

Cum impio non viuendũ.

Prouerb. 4.

6. At erit, qui redarguat fugientem: quasi fugere etiam ab impio sit nimiæ timiditatis, quo cum habitare ad perpetuam luctã, vnde permol- D tæ atque illustres comparentur coronæ, gloriosius multo, vtiliúsque esse videatur. Longè tamen securius, atque sapientius est, spem incertã victoriæ nequaquam periculo propè manifesto ruinæ emercari. Nam (vt indicato loco subiicit idem S. Cyprian.) difficile quis venenum bibet, & viuet. Verendum est dormienti in ripa, ne cadat, cùm dicat Apostolus: *Qui se putat stare, videat ne cadat.* 1. Cor. 10. In hac parte expedit plus bene timere, quàm malè fidere. Et vtilius est, si infirmum se homo cognoscat, vt fortis existat, quàm fortis videri velit, & infirmus emergat. hæc ille. Tam verò nota perspectáque omnibus est hominis infirmitas, vt siquem videant suspectæ alicui consuetudini deditum: illico non sinistrum quid modò suspicentur, sed nequitiam comprobatam E percelebrent. At erit tamen, qui vulgi opinionẽ deridens sibi de sua conscientia tanquam innocens blandiatur. Audiat quæso S. Ambros. qui *serm. 65.* ita scribit in hanc sententiã. Sunt plerique, qui singularem vitam proponentes singuli esse non possunt, sed quærunt sibi contubernia: atque vtinam fratrũ. Inuenisti Christianum monachum, cui cum fratre non conuenit, & libentiùs ei conuenit cum sorore. Eius etsi sincerum corpus sit, anima non potest esse sincera. sic Ambros. Porrò, vt nihil aliud ex ea cõsuetudine mali oriretur, hoc vno satis ea damnatur, quòd Dei

Non temere adeundum periculum animæ.

S. Cyprian.

1. Cor. 10.
Timet prudens.

Malè suspicandi mos in-olitus mortalibus.

D. Ambros.

Consuetudo viri & fœmina periculosa.

ad hominem solca communicationē impedire. A Sæpius enim legimus in Exodo Moysem tantum illum, sanctúmque Prophetam, cum fortè Deum esset pro auertendis suppliciis precaturus, egredi solitum è cōspectu Pharaonis, auláque regia. Nimirum (vt animaduertit Procop. *in 8. Exod.*) quoties Moyses fundit preces ad Dominum, egreditur; nec manet apud Pharaonem. Nam si apud ipsum permansisset, aut non orasset, aut nō fuisset exauditus. hæc ille. Sic enim inuisus Deo peccator est, sic omni Diuina inspiratione, beneficióque indignus, vt etiam virum sanctum, Prophetam, atque adeo Moysem Deus nec audiat, nec respiciat, quandiu in peccatoris contubernio commoratur,

Exod. 8.

Procopius.

Morari cum impio impedit Dei beneficia.

7. Idcirco regius Vates dulcissimum illud, & admirandis fœtum mysteriis opus Psalmorum exorditur à summa illa felicitate, quæ viro sanctissimo diuinitus euenit, vt omnium impiorum consortium deuitet. Sic enim infit: *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorū nō stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* Psalm. 1. vbi S. Chrysost. Beatitudo (inquit) est omniū bonorum basis, ac fundamentum, quæ necessariò in Psalmis proposita est pro coronis, eius amatores ad victoriam preparans, & incitans: vt qui vult in fine esse beatus, impiorum consilium toto animo fugiat. ita Chrysost. Quasi hæc omnium virtutum, ac meritorum sit summa & fastigium, fugere à malorum consuetudine. *Beatus vir, qui non abiit, &c.* A præmio (ait S. Ambros.) cœpit, vt pondus futuri certaminis eleuaret. sic ille. Gloriosa igitur victoria nō quidem congredi cum impiis, sed ab illorū consilio, via, & cathedra procul aufugere, quod ipsi Deo tam gratum est, & homini in hac vita decertanti, vt difficile, ita gloriosū, vt non vnam tantummodo beatitudinē victori fugienti, sed complures Dominus polliceatur. Sic enim habetur in fonte. *Afrè baix vvan rrvu beatitudines viri, &c.* Denique idem Ambros. *lib. 2. de Iacob, & vita beata, cap. 1.* hunc eundem versum prioris Psalmi ad historiam Iacob adducens ita exponit: *Beatus vir qui non abiit, &c.* hoc scriptura significāte eum beatum esse, qui se à perfidorum consortio temperauerit. Iacob tantùm abfuit à perfidorum consortiis, vt ex eo fidelis populus nomen acceperit, Israel dictus, eo quòd Deum mentis internæ oculis intueretur, peccati abstinens, à luxuriæ omnis ebrietate sobrius, vt dura laborum absorbuerit, otij secura neglexerit. hæc S. Ambros. Expende quæso diligenter quàm appositè luxuriæ dicat ebrietatem. Quid enim mētem magis offundit, sensus debilitat, rationē adimit, furorem ipsismet visceribus immittit, hominémque reddit spurcum, & infamem, quàm luxuria?

Psalm. 1.
D Chrysost.
Summa meritorū fugere à malorum consortio.

D. Ambros.

S. Ambros.

Beatitudo fugere à malorum contictu.

Luxuria mētis ebrietas.

8. Itáne verò ferendum hoc est, vti sanctus iuuenis, Deo, ac parentibus dilectus Iacob è domo paterna in exteras regiones expellatur, at Esau ingenio ferox, corporis habitu metuendus, quem Deus, atque homines oderint, vitā in patria lætus ac securus agat? Sic planè sortes habent iustorū, & impiorū: illi afflicti, inopes, exules quorum dignus nō est mundus, in terra hospitium, & peregrinorum, & mendicantium, & profugorum vitam ærumnosam trahūt, isti ducūt in bonis dies suos, sed in puncto demū ad inferna descēdunt. Felix quidē Iacob, qui propter insidias impij, ac truculenti hominis expulsus, à Deo ipso excipitur, qui spretis, oppressis, exulibus, afflictis perfugium solet esse. Sic illum, quem Dominus cæcū sanauerat, veritatis præconem, vt vocat S. Chrysost. & stomachantem (vt loquitur S. August.) aduersus duritiam Iudæorum, & ex cæco videntem non ferentem cæcos: illum igitur infideles, atque impij pro Christo pugnantem in primis maledixerunt, dicentes: *Tu discipulus eius sis.* Ioan. 9. O egregium, ô summe optandum maledictum! bene S. August: Tale maledictū super nos, & super filios nostros. Maledictū enim est, si cor discutias, non si verba perpendas. Deinde hominē eiecerunt extra synagogam. Iam (inquit S. August.) nō erat malum fieri extra synagogam. Illi expellebant, sed Christus excipiebat; magis enim quia expulsus est, Christianus factus est. sic August. Scribitur enim: *Audiuit Iesus, quia eiecerunt eum foras, & cum inuenisset eū, dixit ei, &c.* Ex quo rectè B subinfert S. Chrysost. Qui propter veritatem, & Christi confessionem malo, & contumelia afficiuntur, hi maximè à Deo honorantur: quod cæco euenit. Eiectus est è tēplo à Iudæis, & à templi Domino inuentus est: a pestifero consilio liberatus salutiferum est fontem consecutus; contemptus à contemptoribus Christi, ab Angelorum Rege honoratus est. sic ille. Religiosorū hic status est, qui procul à seculo, & seculi deliciis asperiora vitæ studia secuti à Domino excipiuntur, Domino mancipantur, cū Domino viuunt, illíque adhærent; securi à cōsortio, insidiis, rixísque Esau. Qualis hæc vita (scribit S. Ambros.) in qua nihil sit, quod timeas: & quod imiteris, plurimū adest? Non oneratur mundi solicitudine, non occupatur alienis molestiis, nō vrgetur vrbanis discursibus. sic Ambros. *Epist. 82.* Ac de ipsis religiosis, quià seculi negotiis, curísque feriati sese totos Deo suo dediderunt, pauca hæc ibidem perstringit. In Dei se laudem indtuerunt: hymnis dies, ac noctes personant. Hæc nempe Angelorum militia est, semper esse in Dei laudibus, orationibus conciliare crebris, atque exorare Dominum student; lectione, vel operibus continuis mentem occupant: separati à cœtu mulierum, sibi ipsi tutam præstent custodiam. hæc Ambros. Hinc videas quàm sit à religioso alienum missis Dei sui laudibus, seculi negotiis animæ quietem interturbātibus implicari. Optimè igitur subdit idem S. Ambros. Vnde molesta, & plena contētionis declinemus negotia, quæ neque fructum habēt, & impedimentum afferunt. hactenus ille.

D. Chrysost.

S. August.

Ioann. 9.
Deus refugiū afflictorum.
D. August.

D. Chrysost.
A mūdo spretus à Deo honoratur.

Beata religiosorū vita.

D. Ambros.

Encomia religiosorum.
D. Ambro.

Seculi negotia aliena à religiosis.

S. Ambros.

9. Hinc Diuino sanè cōsilio factum videmus, vt in religiosa quacunque familia procurandæ, alendæque vitæ curam vnus tātùm prælatus habeat cum vno vel altero ad huiusmodi negotiū peragendum administro, vti nimirum reliqui ab hac solicitudine immunes, certi autē, ac securi de victu, ac vestitu liberiùs, ac pacatiùs in Dei ferātur obsequium. In quam sentētiam perbellè disserit S. Prosper ita scribens. Congregandis fratribus, aut alendis expedit facultates Ecclesiæ possidere, vt vno solicitudines omniū in sua societate viuentium sustinente, omnes qui sub eo sunt, fructuosa vacatione potiantur spiritualiter, & quietè sic Prosp. *lib. 2. de vit. contēp. cap. 16.* Quòd si tā mirificus ordo inter religiosos obseruetur, vt superior in communem omnium vtilitatē inuigilet; subditi autem à corporis cura liberi Diuinis ex obedientia præscriptis insistant, ingens planè vtrisque ex mutua ope, atque studio emolumentum consurget. Testatur hoc idē vlteriùs progrediēs S. Prosper hisce verbis. Vnus ille pro multis occupatus est; & qui solicitudines omniū sub se viuentium portat, in congregatione sua proficiente proficit: & sicut illius occupatio omnium suorum facta est fructuosa vacatio; ita omnium

Diuersa officia prælati & subditorū in religione.

S. Prosper.

Mutuus labor, & honor inter religiosos.

nium subditorum perfectio gloriosa prælati honor habetur,& gloria. hæc ille. Pulcherrimus,& sanctissimus quidē ordo ille est,vbi ex iusta prælati occupatione subditi ad Diuina peragēda vacant; & ex sancta subditorum vacatione insignis prælato consurgit honor,cum verè religiosos,& sanctos regat, & moderetur. Cæterùm nonnunquā hic tam iustus,& salutaris ordo peruertitur, subditique nimiùm de se soliciti prælatorum sibi curam assumunt: ex quo fit,vt corporum intenti negotiis de animarum profectu parum,aut nihil curent. Illud etiam oportet expendere,bona huius vitæ, patrimonium,& paternæ familiæ substantiam,& honorem in causa fuisse,vt Esau insidiaretur fratri;tandémque iste,quò suæ vitæ ac

Vbi cupiditas, ibi rixa.

paci consuleret,libēs foras expelleretur. O quàm securam,& tranquillam,ac beatam ducit vitam, qui paruo contentus est, aut verò potiùs nihil de mundo possidens rixarum omniū, litium, ac bellorum radices voluntariæ paupertatis falce præcidit! Præclara est illa de hac re S.Petr.Damian.

S.Petr.Dam. *Paupertas religiosi securitas.*

sententia,quæ sic habet: Paupertas monachi, securitas est mentis: securitas mater est paupertatis:è contra rerum abundantia aculeos parit solicitudinis,solicitudo radix est anxietatis.ita Petr. Dam. *Apol. de cont.seculo cap.* 25.

10. *Vade,& proficisce &c.*) Quis non miretur patrem Isaac in extrema iam senectute positum adduci posse,vt filium sibi charissimum moribus,& ingenio suauissimū, vitáque sanctissimum à sua præsentia,domóque abire iubeat? An non doluit

Pater studeat saluti animæ Filij.

senex,dulcissimo carere filio? doluit planè. At bonus pater filij saluti consuluit,non propriæ voluptati studuit. Abegit filium,vt seruaret incolumem; domo priuauit, vt dominum totius familiæ constitueret:itinerum, & mille calamitatum subeundo discrimini commisit, vt securum redderet,& Diuinarum voluptatum dulcedine potiretur. Expertus videlicet,quātum ipsemet olim profecisset, cum à patre immolandus in rogum imponeretur. Enimuerò(vt pulchrè subnotauit S.

S. Zeno.

Zeno Veron.) Abraham meliùs seruauit filium, dum non pepercit. sic ille,*serm. 3. de Abrah.* Discant hanc philosophiam Christianam parentes: si à se filios abducant in Christi obsequium, non eos modò non amittunt, sed sibi, & illis consulunt.

Nimia indulgentia prælatorum nocet.

Neque verò prælatus debitā mortificationem subditis deneget, quam egregiè quidam,& lac,& panem religiosorum dixerunt:meliùs seruat illos,dum illis nō parcit. Nocet,supra quàm dici potest, nimia prælatorum indulgentia, quæ mollitudinem & ignauiā subditis ingenerat. Ni-

S. Ambros.

hil enim(autore S. Ambros.)molliculum, nihil fractum ad laudem peruenit. Regnum cælorum cogitur,& cogentes diripiunt illud. Festinantes

Industria & labor vtilis.

patres agnum manducabant. Festina est fides,salutis deuotio, spes impigra contradictiones animi non amat, sed traductionem ab infructuoso otio ad fructum laborum. hæc S. Ambr. *Epist.* 82. *ad Vercelens. Eccles.* Non currit in stadio ad cōparandum brauiū,qui mortificationis expers marcido elanguescit otio. Laudanda certè in omne æuum erit Rebecca, quæ mater cū esset, & filium Iacob vnicè diligeret,vltrò se illius priuauit conspectu, & consortio; vt Deô vocante filium

S.Ambros. *Mater animam filij potius curet, quàm corpus.*

non obsisteret: cuius. quidem exemplo ita matres cōpellat S. Ambr. *indicato loco.* Matres ablactate filios, diligite eos,& orate pro iis, vt longæui super terrā sint,non in terra,sed super terram. Nihil enim longæuum in hac terra,& quod est diu,breue est, & magis lubricū. Monete eos, vt magis crucem Domini tollant,quàm hanc vitam diligant. ita S. Ambros. Sed quoniam hæc matrum constantia,& pietas validiori,vt confirmaretur, indigebat exemplo, sanctissimus Pater fœminas in admirabilem Dei Matrem oculis in-

S. Ambros.

tentas esse vult: Maria(inquiens)Mater Domini ante crucem Filij stabat: & piis spectabat oculis Filij vulnera, quia spectabat non pignoris mor-

B. Maria cōstantia in passione Filij.

tem,sed mundi salutem. Hanc imitamini matres sanctæ quæ in vnico Filio dilectissimo tantum maternæ virtutis exemplum edidit;neque enim vos dulciores liberos habetis. hæc ille.

11. Non satis etiam laudari potest virtus Iacobi, qui tam difficili parentum imperio libenter obediens sese in exilium contulit, quod illi tādem percommodè cecidit. Itaque(animaduer-

S. Ambros.

tit S. Ambros. *Epistol.* 82.) quoniam ob pietatem non propter improbitatem exulabat à parētibus, loquebatur cum Deo, augebatur censu, liberis,

Ardua obedientia certa sunt Dei dona.

gratia. sic ille. Profecto Diuino factum consilio est, vt Iacob fratris appetitus insidiis, iussu parentum procul amandaretur:quo nimirum innumeris cōflictatus ærumnis Diuinam in se prouidentiam experiretur,qua semper è periculis erutus,mirandum in modum,& terræ opibus,& cæli donis est amplificatus. Iccirco enim complura

Fructuosa iustis tribulatio.

Dei beneficio aduersa iustis eueniūnt, vt in mediis calamitatum incendiis recreati Diuinam in se misericordiā experti gratias Deo immortales habeant,qui eruit sustinētes se, & liberat eos de omni angustia, illísque in tribulatione dilatat corda quidem ad patiētiæ magnitudinem,atque animos ad cælestium voluptatum præmia capiē-

Theod.

da. In hoc sensu quærit,ad hunc locum Theodor. Cur Iacob tantas benedictiones adeptus fratrem fugit,& solus rebus necessariis carens abit

Dei prouidētia in aduersis.

peregrè? Quam quæstionem 82. ita diluit. Prouidentia Diuina manifestiùs declaratur in rebus, quæ videntur aduersæ. Nam in felicitate bona à Deo nobis concessa non ita grato animo cognoscuntur. Hac de causa Iacob aufugit, & solus peregrinatur, vt locupletissimus rediens, & ipse experiatur quanta sit Dei omnium prouidētia. & alios doceat hanc Dei solicitudinem. hæc

Afflictione fiunt grattiora Dei dona.

Theod. Sic planè vsu euenire solet, vt post afflictiones Diuina sint nobis & dona, & beneficia gratiora,quibus in summa rerum felicitate carebamus, aut quæ minùs grata,ne dicam vilia, &

S. Prosp.

fastidiosa videbantur. Dulcior enim (inquit S. Prosper) fit salus, cùm dolor excruciat: & sanitatis amissæ dulcedinem languoris amaritudo commendat. hæc ille, *lib. 2. de vita contemp. cap.* 19.

12. Ac fuit quidem huius exilij calamitas Iacobo quæstuosissima,vt in qua complures in tam illustri viro virtutes eminerent, quæ omnium gentium linguis,& literis celebrārur. Rectè Apo-

2. Cor. 12. *S. Saluian.* *Afflictio Mater virtutū.*

stolus: *Virtus*(ait)*in infirmitate perficitur.* 2. *Cor.* 12. Ex quo loco subinfert S. Saluian. *lib.* 1. *de prouid.* Nequaquam ergo nobis dilēda est hæc afflictio infirmitatum, quam intelligimus Matrem esse virtutum iuxta illud eiusdem: *Cum infirmor, tunc potens sum.* hæc ille. Nec aliam suos fideles viam ad perfectionem docuit Dominus Iesus, quàm quæ modò aspera, modò plana sit; nunc constrata lapidibus,& sentibus horrescat, nūc verò floribus vernet,& gemmis resplendeat. Quod eleganti symbolo illa Domini Sponsa significat: *Ecce* (inquiens) *iste venit saliens.* Cantic. 2. de

Cantic. 2.

Christo illa loquitur, & declarat in hunc modū

S. Ambros.

S. Ambros. Saltu quodam venit in hunc mundū. Apud Patrem erat, in Virginem venit,& ex Virgine in præsepe transiluit. In præsepi erat,& fulgebat in cælo; descendit in Iordanem, ascendit

A in Crucem; descendit in tumulum, surrexit è tumulo, & sedet ad Patris dexteram. ibidē hæc S. Ambros. *lib. de Isaac, cap. 4.* Et quidem in saltu, vt vides, ascēsus, & descensus inuenitur, quo significatur Christi, & suorum amicorum vita, ea prosperis, & aduersis; ex humilitate, & honore; ex inopia, & abundantia; ex doloribus, & voluptatibus quodammodo contexta.

Vita ex aduersis, & prosperis contexta.

14. *Accipe inde tibi vxorem, &c.*) Iam superiùs diximus Chananæas, Ismaelitides, & Cethuranas displicuisse Isaaco, & Rebeccæ, eo quòd minùs modestis moribus omnes essent, nec satis piæ; sed rixosæ, inhumanæ, atque gentilibus infectæ ritibus. Commēdat igitur Iacobo pater, vt abeat in Mesopotamiam ad Bathuelis domum, cui filius Labā præerat frater Rebeccæ, atque ex B ea familia ducat vxorem. Quia verò difficile, ac molestum hoc erat mandatū, à parentum auelli conspectu, & longam, arduámque peregrinationem suscipere; sapientissimus senex, & humanissimus pater filium suum confirmat, iteratáque benedictione & recreauit, & cōmuniuit. Quod optimè S. Chrysost. collegit. Voluit (inquiens) Isaac alacriorem filiū reddere in peregrinatione, & iterum illum benedictionibus confirmat. ita Chrys. Nimirum precatur Dominum, vt Iacobū numerosa prole gloriosū, promissionibus à Deo factis Abrahæ, ac semini eius dignū illum, eiúsque posteros efficiat. Quocirca Iacob constituitur in semine Abrahæ, per quē electus Dei populus C esset propagandus, atque ab Esau, eiúsque posteritate omnino seiunctus. Præterea cum in rebus aduersis magnam vim habeat spes emergēdi, ad confirmandum, recreandúmque animum: Isaac filium erigit in spem certam reditus in Chanaan, quæ sanè regio illi erat diuinitus ad peregrinandum attributa. In quam sententiam ita S. Chrys. effatur. Vide quomodo iustus prædicit ei omnia, & bona ei viatica dat, & solatia: prædicit enim ei reditum, & hæreditatem terræ, &c. sic ille. Optimum sanè viaticum, suauissimúmque solatium solet esse spes iis, qui afflictione aliqua premuntur: hac enim aura vel longiùs afflante respirat animus, & recreatur, vt patienter, & constanter quæcūque aduersa perferat, perruptísque D sese obiectantium incommodorum repagulis ad optatum finem perueniat. Hinc est, quòd tā crebrò, támque seriò, & honorificè, commēdetur in sacris literis ea, quæ in Deo figitur spes. Ea namque (vt rectè disserit sanctissimus ille Cheremō, apud Cassianum *collat. 11. cap. 7.*) vitiorum omnium excludit incursum. Non enim delinquent omnes, qui sperant in eum. Spes mentem nostram de præsentibus auocās, vniuersas corporis voluptates cælestium præmiorum expectatione contemnit. sic ille. Nec enim sine spe futuri alicuius boni vllus vnquam labor suscipitur: sed ea mentem vsque adeò excitat, vt quodammodo amaritudinem haud sentiat laboris, quem futuræ E quietis dulcedo, vel expectata solum, mitigauit. Quid sæpe quotidianum, constánsque, atque illud habetur.

Confirmandus in aduersis animus.

D. Chrysost.

Spes animam confirmat.

D. Chrysost.

Spes afflictis solatium.

Cherem.
Cassian.

Quam potens sit spes.

Spes alit agricolas, spéque inuia transfuolat hospes.
Spe nauta in fluctus, miles in arma ruit?

14. Verùm vt ingenuè fatear, etsi tam commendabilem dicerim spem, non in ea tamē vitiis ad perfectionem aspirantibus sistendū arbitror: habet enim illa nescio quid (si licet dicere) imperfectionis aut certè minus perfectionis, quàm sibi vera charitas vindicauit. Quæ Theologia egregiè pertractatur à S. Greg. Nys. *homil. 1. in Cāt.* hisce verba: Sunt aliqui, qui propter spem merce-

Spes inferior charitate.

S. Greg. Nys.

A dis repositam iis, qui piè vixerint, se rectè, & ex virtute gerunt, non charitate bonum possidentes, sed expectatione remunerationis. Sed qui animo currit ad perfectionē, despicit ipsas quoque mercedes, ne videatur mercedem pluris facere, quàm eum, qui donat lucrum. Diligit autem ex toto corde, & anima, & potestate, non aliquid aliud ex iis, quæ ab ipso fiunt, sed eum ipsum, qui est fons bonorum. hæc Nyss. Amari quidē à nobis vult, amari debet à nobis Deus propter se nō propter tua. Purū enim amorē exigit ille, nósq; debemus non mercenariū. Hæc verò summa iustorū perfectio solet oriri ex admirabili quadam similitudine cum Deo, quā induūt, vbi adhærent Deo, vnusq; spiritus cū eo fiunt: quod Cheremon B ille ita ostēdit. Charitas specialiter Dei est, & eorum qui in sese imaginem Dei, ac similitudinem receperunt. Ille namque solus ea quæ bona sūt, nulla remunerationis gratia prouocante, sed solo bonitatis affectu operatur. Omnia enim (vt ait Salomon) operatus est Dominus propter semetipsum: suæ namque bonitatis obtentu, omnem bonorum copiam dignis, indignísque largitur, quia nec fatigari iniuriis potest, nec iniquitatibus hominum passibiliter permoueri, semper scilicet manens perfecta bonitas, immutabilisque natura. hæc ille, *loco iā indicato.* Paruit igitur Iacob parentibus, profectúsque est in Mesopotamiā: eiusque non vt exulis calamitatem deplorat, sed vt perfecti viri beatitudinem miris extollit modis S. C Ambros. hoc pacto. An nōn beatus Iacob etiam, cum patriam relinqueret? Imò planè beatus, qui dona exilij suscepit, vt fratris mitigaret iracūdiā. Nam si beatus est, qui peccatum declinat, vtique negari beatus esse non potest, qui alterius culpā leuat, crimen auertit. Paratum itaque parricidiū declinauit exilio voluntario, eóque facto sibi salutem quæsiuit, fratri innocentiam donauit. hæc S. Ambros. *lib. 2. de Iac. cap. 12.* Suæ igitur saluti & fratris pietati prouidit, atque consuluit Iacob, cum se à paterna domo extulit. Quo facto acerrimè illos perstringit, qui nihili habent sponte aliis præbere scandalum, dum vel exemplo, vel quod flagitiosius est, etiam verbo, & consilio ad peccandum alios impellunt. Hi planè (vti monet S. D Cyprian. *de singul. cler.*) non inuenient in iudicio Domini vllum omnino solatium, qui fratribus peccandi fomitem ministrabūt. sic Cyprian. Proripe te longius à fratris conspectu, si quid in te fuerit, quod illius oculos offendat, mentémque vulneret. Timebat id quidem Cheremon Abbas de quo mentionem fecimus, qui præ admiranda quadā humilitate, & modestia se vitiosum (cùm esset sanctissimus) agnoscens aiebat: Nullum iuniorem mihi in hanc vsque ætatem cohabitare permisi, ne exēplo meo alterius districtio laxaretur. Nunquā enim erit efficax instituentis autoritas, nisi eam affectu operis sui cordi affixerit E audiētis. hæc ille apud Cassian. *coll. 11. cap. 4.* quod maximè obseruare debet, qui alios, aut regendi, aut docendi munus suscepit. Senioribus quidem, ob ætatis lassitudinem, & virium infirmitatem aliqua solet, ac debet, indulgentia concedi; aut certè à seueriore disciplina, quam vires non sustinent, aliqualis remissio: satis enim illi iot per annos desudarunt: at iuniores asperior decet rigor, qui tamen exemplo aliqualis, etsi debitæ, remissionis, aut elanguescit omnino, aut saltem nonnihil infringitur: quod ille sanctissimus Abbas in contubernio iuniorum euenturum timebat.

Spes præmij perfectionem operis minuit.

Purum amorē Deus exigit.

Cherem.

Cassian.

Amor in Deo purus, non mercenarius.

Perfectus vir Iacob in exilio.

S. Ambros.

Beatus, qui peccatum à se & ab alio auertit.

Grauiter Deum offendit, qui aliis præbet scandalum.

S. Cyprian.

Cherem.

Doctrina cū exemplo.

Senior exemplo sit iunioribus.

15. Igitur Iacob in exilium se proripuit voluntarium, paternæque domus perfugio, alimento, tutisque

A iustísque deliciis omnino abdicatis vitamexulis, & peregrinantis laboriosissimam ingressus, perfectionem euangelicā iam tunc in sese quodammodo dedicauit. Iustus enim (vt loquitur S. Ambros.) si aduersa tolerat, quàm si secundis affluat, magis solet huiusmodi videri perfectus: quamuis neque si desint, neque si adsint externa cōmoda, aut corporalis lætitia, decedere quicquā virtuti soleat, vel accedere. ita S. Ambros. *lib. 2. de Iacob, c. 8.* Vera siquidem, & solida virtus sic altis in animam iactis radicibus hæret, & cōstat immobilis, vt eā externa omnia tam aduersa, quàm prospera nequaquam possint conuellere. Miror equidē prudentissimi, & sanctissimi senis consilium sublimius profectò, quàm vt communis parentū erga liberos affectus; curáque sustineat. Iacobum enim filium charissimū dimisit, sine vllo aut comitatu, aut apparatu seruorum, & vehiculorum, aut saltem ad alendam vitam commeatu; fretus quidem Diuinæ gratiæ, cui filium commiserat; & qua sciebat illum iampridem donatum, & amplificatum. Iccirco enim apposuit Hebr. *saddai sebarech otecha* שדי יברך אתך, *Deus sufficiens*, seu *ipsamet bonorum omnium sufficientia benedicet te.* Quasi dicat: Cui Deus adest, nullius indiget è creaturis subsidij. Dein suam paternam benedictionē pro abundantissimo ad vitam præsidio futurā sperabat. Quamobrē filium (inquit S. Chrysost.) viatico benedictionis instructū dimisit. sic ille. Ambiant liberi parentum amorem, dignósque se exhibeant, quibus illorum benedictio ad felicissimum vitæ cursum peragendū pro viatico sit, atque præsidio. Neque verò Iacob à parentum cōspectu, domóque auulsus, tótque itineris, & exilij molestias subiturus, quicquam de ope rerum humanarū requirit: in quo (inquit S. Ambros. *lib. 2. de Iacob, c. 4.*) cōsideramus quid vera virtus agat. Nihil requirit, nisi Dei gratiam, solum illud, & summum bonum sequitur, solo eo cōtenta est, à quo accepimus omnia, ipsi autem nihil conferimus; quia nullo indiget, &c. sic Ambros. Quod autem & pedes, & sine vllo apparatu iter illud susceperit Iacob, ita demonstrat S. August. De beato Iacob non legimus, quod cū equis aut asinis, aut camelis abierit: sed hoc tantùm legimus, quòd baculum in manu portauerit. Sic enim ipse dixit: *Cum baculo meo transiui Iordanem istum, &c.* Genes. 32. sic August. *serm. 79.* In quo (addit) figurabat Christum: Iacob enim ad accipiendam vxorem exhibuit baculum; & Christus ad redimendam Ecclesiam detulit crucis lignum. hæc ille.

Iustus in aduersis eminet.
S. Ambros.
Constans virtus & immobilis.
Fiducia in Deo.
Deus solus homini satis est.
D. Chrysost.
S. Ambros.
Virtus solo Deo cōtenta.
D. August.
Gen. 32.
Iacob incarnationem & crucē Christi præsignat.

16. Vidit omnia, quæ agebantur, Esau, certúsque magis, quantùm fœminæ Chananææ parētibus suis ob prauitatem ingenii, ac morū displicerent, vt præteritam culpam connubij scilicet cum iisdem peracti aliqua ratione si non aboleret, certè temperaret, & parentibus se studiosè commendaret, ad Ismaelitas se contulit, nouámque insuper coniugē ex eo genere ab auo Abraham oriundo accepit. In quo planè stupidus fuit, accipiēs nimirum ex illiberali, & ancillari stirpe vxorem, cum probè sciret, aut scire deberet, huiusmodi sobolem cū Saræ liberis, nec in hæreditatem Abrahæ, nec in Dei promissiones ingressuram. Quod tamen ea fuerit mēs Esau ita S. Chrysost. cōtestatur. Vt didicit Esau quod benedictus fuerit à patre Iacob, & quòd mandatum sit ei, ne accipiat vxorē ex filiabus Chanaan, quasi corrigere volens erratum suum, & placare patrē; addidit: *Et accepit vxorem, &c.* hæc S. Chrysost. At non modo parentes non placauit nouo isto cōiugio, sed grauiùs etiam offendit. Hanc eandem rationem adducens Rupertus, alterā deinde apponit fortè veriorem: nam si spectet hominis agreste ingenium, fecisse hoc dixeris cōtumacia, & parentum contemptu, vt summè improbus, ac barbarus iis consultis hoc etiam matrimonium contraheret, quo suos vehementius adhuc exulceraret parentes: Sin autem (inquit Abbas) quod verius est, quia parentibus quoque propter Iacob iratus erat, sicut Cain, & conciderat vultus eius, iccirco, vt eos ampliùs offēderet, egit ita, procul dubio stultus fuit. hæc ille. Non desunt hodie permulti aut similes Esau, aut illo magis agrestes, & inhumani, qui rixis, iniuriis, aut certè infamia morum miseros parētes enecant. Meritò illorum coryphæus Absalon vocatur à S. Chrysost. Inimi-

Illiberalis, & stupidus Esau.
D. Chrysost.
Rupertus.
Filius parentibus iniuriosus.
Absalon inimicus naturæ.

B cus ipsius naturæ, bellua potiùs, quàm homo; quē amor regni, vt fera esset, effecit. ita Chrysost. *in Psalm. 6.* Tantò autē damnabilior huius ingenij, & prauitatis filius videtur, quantò sanctior pater est, quem aut inhumanitate, aut certè vitæ maculis offendit, quod in sacerdotis filia in libidinem proruente, & iccirco damnata flammis, egregiè animaduertit Procop. fuisse demonstratum. Sic enim in Leuit. 21. effatur: *Sacerdotis filia, si deprehensa fuerit in stupro, & violauerit nomen patris sui, flammis exuretur.* quia filia sacerdotis debebat pollere maiori mūditia; ideò puniebatur pœna grauiori: aliæ autem virgines dicto modo defloratæ non puniebantur morte, nisi essent viro maritatæ. hæc ille. Sed heu me, si sacerdos ad offerendum

S. Chrysost.
Boni patris malus filius.
Procopius.

C thura, mactandásque, & cremandas pecudes destinatus tanta pollebat dignitate, tam miráque in se ipso, & in suis liberis puritate eminere debebat: quid quæso dicere oportet de illis sacerdotibus, qui in lege gratiæ diuinam Eucharistiam Corporis, & Sanguinis Domini offerunt? Non illi modò, sed illorum omnia niue candidiùs, & sole ipso, (vt loquitur S. Chrysost.) puriùs, ac splendidiùs emineant necesse est.

Magna puritas exigitur in sacerdote Christiano.

SECTIO II.

D *Igitur egressus Iacob de Bersabee, pergebat Haran. Cumq. venisset ad quemdam locum, & vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus qui iacebant, & supponens capiti suo, dormiuit in eodem loco.*

EGressus Iacob, &c.] Nimirum, & à suauissimo parentum conspectu, & à prauo fratris Esau contubernio; vtrumque enim athletæ virtutis, qualis erat Iacob, adhuc in acie cum vitiis decertanti periculosum erat, vt egregiè cōsiderat Philo Hebr. his verbis. Fugiendum hoc tempore, & quod pessimum, & quod optimum. Nā cohabitatio cū malo nocet maximè, cum bono autem perfecto periculosa est. Itaque Iacob & ab Esau aufugit, & ablegatur à parētibus quippe qui mediator cū sit, dimicans adhuc in certamine, fu-

Philo.
Tyroni perfectio periculosa.

E git quidem vitium, sed non potest cum perfecta virtute viuere, vt nullius præceptoris opera indigeat; ideo proficiscitur ad Labanem. hæc ille, *lib. de profugis.* Periculosa est scilicet perfecta virtus adhuc tyronibus, quippe qui egēt multa priùs, & assidua exercitatione, & magistrorū instructione: sine his enim inexpertus tyro perfectæ virtutis vmbra, quam sibi arrogat, turpiter insolescet. Iure optimo S. Chrysost. hanc Iacobi peregrinationem suscipiens concludit. Iustorum (inquiēs) conuersatio, & vita totius philosophiæ continet

Vita Iacob doctrina in-structum.

doctrinam, &c. Ac præcipuè in hac historia edocetur rigor & patientia sanctorum, deliciarũ abdicatio, contemptus mundi, fiducia in Deũ, obedientia parentibus exhibenda. Quis autem non

S. Chrysost.

miretur Iacobum (vt bellè cõsiderat S. Chrysost.) iuuenem, qui domi educatus, qui antea nunquã in peregrinatione fuerat, neque magnũ iter fecerat, neque graue aliquid expertus erat, iter tamen arripere: neque verò iumẽtis agebat, neque ministris, neque viaticis, sed apostolicũ morem imitatus iter facit, & cum occũberet sol, ibi dormiuit, vbi eum nox comprehendit. hæc S. Chrysost. Pergens itaque Iacob in incepto itinere ad solis occasum fortuitò, & non cogitãs in eo pernoctare, ad locũ venit ab arbitris remotũ. Hebr.

B enim habetur, *Vaiphgagh bammaqom* ויפגע במקום *& occurrit in locum*, hoc est, *incidit in locum*, casu videlicet in eum deuenit locum; iã sub vesperũ nocte incubante requiescere coactus est. Sic habet

Mira Dei prouidentia in suos seruos.

admirabilis in suos seruos Dei prouidentia: multa illi casu, & aliquando inuiti, coactique efficiunt; aut illis nihil tale opinantibus, quin contrarium meditantibus, eueniũt, quibus nihil esse posset vtilius, atque optabilius. Dedant se igitur qui Deum reuerentur, amántque, illius prouidẽtiæ regendos, in cuius manibus nostra sunt tempora, sortésque. Videt ille oculo inconniuẽti, & omnia comprehendẽte: cæci nos sumus, nec vbi aut salus, aut perditio, nobis sita est probè intelli-

C gimus. Quin etiam quod magis mirandum est, etiam eũ ingrati, & impij, eò conamur accedere, vbi certam animæ perniciem spõte nobis accersimus,

Nos Deus à peccando auertit.

Deus, vt pater est immẽsæ pietatis, nostrũ ad facinora cursũ oppositis impedimentis sæpenumero inhibet iuxta illud Prophetæ: *Hæc via illorum scandalũ ipsis, & postea in ore suo cõplacebũt.*

Psalm. 48.
Basil. magn.

Psal. 48. quæ verba magnus Basil. commentatur hoc modo: Qui nostras res gubernat Deus, impedimento nobis est per malitiam euntibus, offendicula nobis, ac impedimenta ponens, vt à bruta vita discedentes postea in ore nostro complaceamus hæc S. Basil.

2. Ac de malis culpæ nihil ampliùs commemorans,

Pœnæ iustorũ à prouidẽtia Diuina.

de pœnis tantum differens, statuo, euidẽtissimè in iis, quas viri iusti patiuntur, Dei erga

D illos prouidentiam ostendi. quod in sancto Iobo in primis demonstratur. Vt enim gentibus proderetur, quæ tanta esset in viro illo patiẽtia, & animi magnitudo, & cum Diuina volũtate fidelis, piáque consensio, Deus ipse sapiẽtissimus seruum suum fide firmũ in summa rerum omnium discrimina deduxit, in quibus victor de

Iobi constantia.
S. Basil.

fortunæ procellis, diabolique importunis, & periculosis assultibus triumpharet. Quem Diuinæ prope virtutis athletam cũ hoste, infortuniisque decertantẽ ita considerat idem Basil. *conc. ac reb. temp. affixi simus*, seu *orat. 11. de patientia.* Abstulit quidem hostis domesticam Iobi prosperitatẽ, & consilium cepit alternis malorum nuntiis ipsum obruendi. Nã dum adhuc prior talem quandam eladem annunciabat, alter nuncius veniebat, gra-

E uiorum rerum tristitiam afferens, malaque inter se connectebantur, & calamitates vndarũ incursum imitabantur. & priusquam priores lacrymæ sedarentur, aliarũ causa afferebatur. sic ille per-

Iob in mari rupes.

quam apposite Iobi labores vndarũ sinuosis voluminibus in nauim, aut rupem irruẽtibus similes esse dicit. Sed vide nauim infractam, aut ru-

S. Basil.

pem immotam: addit enim: Verùm iustus, velut scopulus in mari eminens, stabat, tempestatis insultus suscipiens, & vndarum violentiam in spumam cõmutans, & gratam illam vocem ad Do-

A minũ emittebat: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est. Et nihil eorum, quæ acciderunt, lacrymis dignum duxit. hæc S. Basil. Adeo nihil sunt bona omnia huius vitæ, vt nec eorũ possessio digna gaudio, nec amissio lacrymis esse videatur. Stupẽda sanè pa- *Iob nõ doluit in malis.*
tientia hominis! innumeris, & acerbissimis calamitatibus oppressus, nec eiulatum edidit, nec vel vnam ex oculis lacrymã dimisit, saltem in calamitosissimis suorum omniũ liberorum funeribus: satis paternum dolorem exprimere iudicans *S. Basil.*
quòd vestem discinderet, vti Basilius peracutè sic disserit: Cum venisset nuncius, quod filiis conuiuantibus ventus domicillum incussisset, tunc ve-

B stem solùm disrupit, naturæ condolentiam ostẽdens, & hoc facto testatum faciẽs, quòd pater liberorum amans esset. sic ille. Scidit vestem, quasi filiorum amissio foris caperetur, nec intro persuaderet ad animam. Doluit quidem, sed prudẽter tamen, & sanctè. Adiungit ergo: Veruntamẽ *S. Basil.*
etiam tunc mœroribus terminum, ac mensurã imponens, ac piis illis vocibus factũ ornãs dicebat: Dominus dedit, Dominus abstulit, &c. quasi diceret: Pater vocatus sum in quãto tẽpore vo- *Patris virtus in filiorũ casibus.*
luit is, qui me patrem fecit: auferre mihi rursus sobolis coronam statuit: non pugno contra ipsũ pro his, quæ ipsius propria sũt: præualeat id quod Domino visum est: ipse est Psaltes generis, ego verò organũ. Quid me seruum frustra ægrè fer-

C re oportet, & sententiæ indignari, quã dissoluere non possum? hæc omnia S. Basil.

3. Expende obiter virilem Iobi constantiam: *Iobi amor in Deum, & in filios.*
in filiorum interitu paternum significauit dolorem vestis discissione, sed illum etiam admirãdis illis vocibus adornauit: Dominus dedit, &c. ne cui doloris illa significatio, aut minùs mascula, aut patientem virum. Denique voluntati addictũ dedecens videretur. Venerentur igitur Domini prouidẽtiam, quæ in suorum seruorum commoda inuigilat: ducit nos sæpius quò nolumus, sed tamen quò ire nostra interest. *Quam bonus Israel his, qui recto sunt corde!* Ita exclamat Dauid hanc Dei prouidentiam admiratus in Psalm. 72. Qui *Psalm. 72.*
enim sapiunt, rectúmque habent cor, recto scili- *Dei prouidẽtia erga suos.*

D cet iudicio rationis cuncta examinant, in Dei se prouidentiam totos immittunt, iactant cogitatum suum in Dominum, vt ab ipso deducãtur, & regantur. Nec enim docent (addit S. Basil.) Domi- *S. Basil.*
num, quomodo vitam nostrã gubernare oporteat. Ipse suarum sententiarum potestatẽ habet, quomodo vult, res nostras disponit. Sapiens autem est, & quod vtile est famulis suis, suppeditat. hæc ille. Temeritas est, & planè stultitia hominis, velle quidẽ docere Deũ quomodo res debeat humanas regere. Ac præterea (quod plerique fa- *Dei prouidẽtia ab homine colenda.*
ciunt) sciscitari à Deo cur hoc, vel illud ita faciat. Nec verò etiã licet homini, quantumuis prematur aduersis, de Deo conqueri, quasi Deus erga hominem sit crudelis, cuius in bonũ cuncta disponit. Læditur omnipotens ingratis & stultis *Non de Deo conquerendũ.*
huiusmodi querimoniis, vt in Hebræo populo

E sæpius visum est. Enimuerò (vt scribit S. Saluiã.) *S. Saluian.*
laborẽ se sustinere populus ille ingemuit. *Num. 21.* *Num. 21.*
Et propter hoc plagis cælestibus verberatur: non quia laboranti gemere non liceat: sed ingratus scilicet fuit gemitus, Dominum quasi autorem laboris accusans. ita Saluiã. *lib. 6. de vero iud. & prouid.* Tam bonus, & rectus est Dominus, tã *Laudandus etiã pro suppliciis Deus.*
pius pater, tam hominum amans, vt etiã pro aduersis, imò, & pro suppliciis debeat ab homine laudari, gratisque officiis coli. Atquid pro beneficiis Deo præstare æquum est? Rectè concludit in

hanc

S. Saluian. Gratitudo erga Deum.

hanc sententiam idem Saluian. Ex quo intelligi conuenit quantum placere Deo debeat, qui terum iucundarum beatitudine fruitur, quando etiam de his quæri non licet, quæ ingrata videntur. sic ille. Sapienter quidem veteres illi mortales eleganti quodam symbolo Dei prouidentiam res humanas sapientissimè gubernantem exprimebant nauem appingentes, per mare nauigantem, ad cuius clauum Deus ipse assid... qui manu sua quò vallet, illum vertens, nau.. ad destinatū cursum dirigeret. Quis ergo Dei voluntati se totum committens, submisse, ac modestè non depreaetur? Deduc me Domine super semitas iustitiæ, deduc in terram rectam; fiat mihi in omnibus voluntas tua. Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Quod in Iacobo exule, profugo, peregrino, solo, ac destituto rebus omnibus humanis, in deserto, saxosque loco pernoctante mirabiliter expressum vidamus. Sequitur enim:

Symbolum Diuinæ prouidentiæ.

4. *Tulit de lapidibus, &c.*] Vt somnū caperet ex longo itinere fatigatus, noctu, sub dio, nudo in pauimento soli, & grandi lapide pro ceruicali vsus, ac fortè incœnatus recubuit. Sed iuuenem tam grauibus oppressū ærumnis, illico Deus beneuolentissimus consolatur. Enimuerò cui terra deest, cælum vtique abundat. Benè Procop. hoc loco animaduertit: Iacobo (inquiens) in tristitiam coniecto, quòd auelleretur à parentū dulcissima consuetudine, & cogeretur in aliam proficisci regionem, opportune obuersantur Angeli inseruientes humano generi, vt eum consolētur. Sic Deus semper suis, qui aduersis premuntur, præsto assi solat. hæc ille. Non diù patitur Dominus sanctos suos aom laboribus colluctari, ne (vt fragilis est humanæ naturæ cōditio) debilitati succumbant: nec illis rerum felicium statum permanere sinit, ne vanitatis & fucatæ lætitiæ aura inflati superbiant. Quare nunc rident, nunc plorant; modo lætantur, subinde verò dolēt. Sapiens igitur erit, qui vtrumque de manu Domini grato semper ac modesto vultu suscipiet. Laborantem verò & afflictū, cui iam aliquando gratia Diuina arriserit, ita monet, & solatur S. Basil. *cōc. ne reb. tempor. affici simus*: Quicquid Dominus dederit tibi, id suscipe cum gaudio. Ostēde in rebus aduersis. quod etiam lætitia digna affecutus es. hæc ille. Dignum planè cum præterita, qua priùs est potitus, tum futura quam sperat, & promeretur felicitate se ostendit, qui æquali, & constanti vultu, animóque de manu Dei, vti felicia, sic aduersa quæque suscepit. Noctem vix vnam in frigido, nudóque solo mœstus, atque inops Iacob transigit: at multos per annos in parentum oculis, inter matris blanditias, in familia diuite, atque illustri, vitam egit beatissimam. Si ergo bona suscepit de manu Domini, mala quare non sustineat? Heus tu sanctè adolescens (vt cum S. Basilio amplius loquar) semper felicem esse solius Dei est: tu verò si propter præsentia doles, ex præteritis te ipsum consolare. Nunc lacrymas fudis, at priùs risisti: nunc inops degis, at priùs diues fuisti: clarum vitæ laticem bibisti, & turbidum nunc bibens tolera. hæc ille. Sic habet præsentis vitæ status; semper sibi dissimilis, semper inconstans, & varius; atque icciteo felix esse diu, nemo poteſt. Quid enim in vita instar aquæ perenniter defluente, aut constans, aut diuturnum esse queat? Neque enim (adiungit) fluminum fluxus perpetuò puri apparent: flumen est autem vita nostra perpetuò fluēs, & vndis alternatim succedentibus plenum: partim enim iam præterfluxit, partim autem currit, & partim quidem iā de

Procop. Iustis Deus præsto est.

Prospera & aduersa à Deo.

S. Basil.

Aduersa læto & grato animo suscipienda.

S. Basil. Inter aduersa & prospera viuitur.

Rerum humanarum inconstantia.

S. Basil. Vita instar aquæ.

A fontibus processit, partim verò processurum est: & vniuersi ad cōmune mortis mare festinamus. hæc S. Basil. Igitur, vt pulchrè alius monuit, nemo desperet meliora lapsus: nemo confidat nimiùm secundis: & quidem in tristitia lætitiam spera; in lætitia tristitiam time, vt inter metum, spémque tutus euadas.

Senec.

Inter spem, metumque tutus.

5. Meritò S. Chrys. admiratur Iacobi virtutem: etsi enim in paterna domo, vbi satis magna rerū esset abundantia, semper perstiterit, non sa tamē deliciis enatuandum tradidit, sed quasi laboribus assuetus, & assidua corporis exercitatione duratus talem ad quietem impiger lectum construxit. Vide (inquit) pueri robur: lapide pro puluinari vsus est, & super pauimentum dormiuit. Igitur quoniam benè moratam animam habebat, & masculum spiritum, & ab omni vanitate liberum, admirabilē illam meruit visionem. Vide igitur iustum illum super solo cubantem, & visiones videntem, imò visione Domini dignum haberi. hæc S. Chrys. Et quidem optimè. Nec enim digni sunt Diuina gratia, qui delic...ris vitæ studia sectantur; sed qui duriùs vitam agunt, & mortificationem Domini Iesu in corporibus suis circumferunt. In solo nudo Iacob, & cælum sibi videt reseratum. Cælum enim vim patitur, & violenti rapiunt illud. Obiter indico Iacobum lapidi subiecto caput imposuisse, & dormiisse in eodem loco. En quo in loco, quo in lecto tam facilè somnus capitur! Prudenter illud scriptū est à S. Greg. Nyss. Cum necessitate iucunditas sæpe commista est; quoniam condimentum omne nouit indigentia, quæ vehementi cibi appetitione id, quod ad cibi vsum compertum est, suauitate cōdit. hæc ille, *lib. de Virgin. cap.* 21. quod æquali ratione ad somnum, & cibum spectat: in vtroque enim admirabilē vim habet necessitas, quæ pauperculis, ac laborantibus, hanc vtilitatem solet afferre, vt sapidiùs sua vilia comedant, & faciliùs, ac suauiùs post laborem obdormiant. Perniciosæ ad omnia deliciæ habeatur; quod si etiam corporibus nocent, illisque & somnum adimunt, & cibi fastidium ingerunt, quantò grauiori axitium animis afferent? Benè contra hæc fucata bona, & vetè mala inuehitur S. Hildeb. Hi sunt (inquiens) laquei mortis, hæc animæ retia Christianæ. Virtutum muros arietes huiusmodi concutiunt, arcem deiiciunt rationis. Inde prædonibus infeliceexponuntur animulæ, suæque libertatis expertes in Ægypto perennis exulant seruitutis. His Pharao vsus ministris masculos nostros quotidie interficit, quotidie luto damnat, & paleis. hæc Hildeb. *Epist.* 31. Pulchrè deliciosos gentem effœminatam, quæ ludibrio Ægyptiis, hoc est, vitiis, ac malignis spiritibus semper fuit, appellat Hildebertus; nec dæmones aliud æquè oderunt, atque execrantur, quàm virtutem masculā, & animos laboribus duratos, ac fœminois blanditiis nescios eneruari. Porrò vnum antiquitas Iacobum cōmemorat: at Christi gratia innumerabiles fecit Iacobos, qui omnia carnis oblectamēta repudiantes in omni afflictionum genere vitam vitto agunt, aut mortem potiùs trahunt acerbissimam. Hæc sunt enim illa opera Domini, quæ tantopere miratur, ac celebrat regius Vates, cum ait: *Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscit nimis.* Psalm. 138. diserātque antea: *Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terrā* Ps. 45. Quis enim (explicat Abbas Chetamon) in sa opera Domini non miretur, cum insatiabilem ventris ingluuiē, ita in se viderit sucitus compressam, vt vix ipsum exiguum, ac vilissimum cibum tarò inuitúsque

D. Chrysost. Mascula Iacobi virtus.

B

Delicati Diuina gratia indigni.

S. Greg. Nyss. Necessitas vitæ condimentum.

C

Pauperi cibus & somnus dulcis.

D

S. Hildebert.

Delicia corpori & animæ nocent.

Delicati ludibrio sunt vitiis.

E

Psalm. 138

Psalm. 45. Dei miracula in sanctis de passionibus. Chetem.

Aa 4 percipiat?

percipiat? Quis non obstupescat opera Dei, qui ignem illum libidinis, quem naturalem antea, & velut inextinguibilẽ esse credebat, ita refrigerasse persenserit, vt ne simplici quidem se corporis motu sentiat incitari? Hæc & alia sunt prodigia, quæ Deus posuit super terram. Hæc sunt opera Dei, quæ Christus quotidie cum Patre se operari dicit, *Ioan.* 5. ita Cherem. apud Cass. *coll.* 12. *cap.* 11. Hæc autem tam prodigiosa rerum commutatio, quæ à dextera Excelsi fit, in religiosis viris, ac fœminis maximè videtur: vt iam in terra positi beatorum in seipsis referant felicitatem.

Ioan. 5.
Religiosi beatitudinem in vita referũt.

S. Ambros.

6. *Dormiuit.*] Subtiliter adnotauit S. Ambros. *Dormiuit*, quod est quieti animi indicium, sic ille, *lib. 2. de Iacob, cap. 4.* Itane verò Iacob in illa tã magna rerum omnium orbitate ac solitudine quietus agit, vt humi recubans dulciter indormiat? Nimirum (vt ait idem Ambros.) vir, in quo est animæ pulchritudo, solus sibi abundat: quia ipse sibi est satis: Nec solus aliquãdo est, cui præsul Dominus adest. *lib. de Isaac, cap. 3.* Haud externis rerum incommodis, aut perturbationibus interturbari potest, qui pace interna potius secorum, iuge, suauéque suæ conscientiæ conuiuium cum Deo suarum actionũ conscio, testéque, celebrat. Hanc ego pacem esse arbitror, quam Dominus ipse suis charissimis discipulis ab hac vita discessurus, tanquam pretiosissimum sui amoris argumentum, reliquit, cum dixit: *Pacẽ relinquo vobis, pacem meã do vobis, non quomodo mũdus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum.* Ioa. 14. Hoc est (ait S. Aug.) quod legimus apud Prophetam, pacem super pacem: pacẽ nobis reliquit iturus, pacem suam nobis dabit in fine venturus. Pacem nobis reliquit, in qua manentes hostem vincimus, pacem suam nobis dabit, quando sine hoste regnabimus, &c. sic ille, *tract. 77. in Ioan.* Itaque hæc tã pretiosa Domini pax illa est, quæ in corde residet, & cordis claustra tuetur, ne ab aliquo incõmodorum incursu perturbetur: quam Sponsa olim accepit a Dilecto suo, vt gloriabunda loquitur: *Ego quasi murus, & vbera mea quasi turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiẽs.* Cãt. 8. Quasi dicat: Sponsam me sibi Dominus elegit, cui adhærens, factáque vnus spiritus cum eo, pacem vnã reperi admirabilem, quam quæcũque deinceps occasio, non labefactare, imò ne leuiter quidem poterit commouere; quippe cũ in Deo maneam affixa, ad quem nulla iniuria, nec plaga potest accedere. At quid mirum est ô Sponsa, si tam incredibili pace frueris, quæ nullis deinde ictibus pertentaris? Non ita res habet. Dixerat enim: *Ego quasi murus, & vbera mea quasi turris.* Quorsum autem murus, nisi, vt hostem arceat, oppugnationem sustineat, telorum iacula, ruentiúmque impetus retundat? Oppugnatur quidẽ Sponsa, bello exteriùs impetitur; sed interiùs pace tranquilla fruitur: nec ab externis tumultibus, vel tantula commotio ad penitiorem animæ secessum permeat: vbera enim illius quasi turris. In pectore scilicet suæ dilectæ, vbi sedes cordis est, turrim sponsus construxit. Nam corde interiùs custodito, & pacificè agente cum Deo, licet vndique bella desæuiant, nullo potest mens affici detrimento.

Deus iustis sat est

Sancta iustorum pax à Deo.

Ioann. 14.
S. August.

Cantic. 8

Pax Dei cõstans in anima.

Cantic. 4

Pax & constantia cordis inter tentationes.

7. Admirabilis sanè constantia, robúrq; sponsæ! sed vnde hoc, nisi ex charitate iuxta illud: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam?* Can. 8. Videlicet (vt exponit Beda) aquas multas, & flumina tentationum dicit incursus, quæ animas fidelium impugnare nõ desinunt. Nec tamen vllatenus capere hostes tentationibus norunt corda, quæ in charitate radicata & fundata esse consueuerunt. Et in Euangelio de domo ædificata super petram dicitur: Inundatione autem facta illisum est flumen domui illi, & non potuit eam mouere: nam in quacunque mente amor abundauerit æternorũ bonorum, mox labentium rerum vilescit affectus. hæc ille. Scilicet inundatio illhæc aquarum significat tentationes, quæ a bonorum temporalium cupiditate, affectúque ad oppugnandã animam instruuntur. Cæterum, vt aquæ, bona illa omnia prætereffluunt, ac dissipantur: victrix autem anima, quæ in bonorum cælestium amorem, & studium altas radices egit, labentibus non expugnatur vndis, sed abluitur, ac depuratur. Pulcher & ille sensus de Christi sponsa Ecclesia Catholica, quæ in priore loco iuxta explicationem Bedæ ita loquitur: Ego quidem murus rectè cognominor, quia de viuis sum compacta lapidibus, quia glutino charitatis adunata, quia super fundamẽtum immobile locata sum, quia nullo ictu arietis hæretici possum deiici. Qui verò speciali virtutum altitudine transcendunt, velut vbera nutriunt infirmos, & omnia tela peruersorum eximia dicendi potẽntia quasi turris firma repellũt, hæc ille.

Constantia iustis ex charitate.
Cantic. 8
Beda.

Tentatio prodest iustis.

Beda.
Immobilis Ecclesia Christi.

Doctrina & exemplum.

8. Fateor quidem: etsi alia, quæ multa sunt, deessent argumẽta, hoc vnum mihi sufficeret ad credendam veritatem infallibilem Ecclesiæ Catholicæ, quæ in Romano Pontifice, illiúsque grege diuinitus posita est: videre scilicet hanc Ecclesiam cõtinuatis Petri successoribus, Christi Vicariis, eâque semper doctrina tot per ætates eadẽ inuariata, omnino sibi simili perdurante, eandem semper immobilem, atque inconcussam extitisse. Nihil enim faciliùs prodiit, citius corruit, inconstantiùs permutatur, atque mendaciũ. Veritas autem Domini in æternum permanet. Et quidem iam inde à suo exortu Romanam Ecclesiam subnascentes quotidie ab Orco hæreses impugnarunt, nec expugnarunt vnquam; murus est enim, & turris in Petri confessione fundatur, atque in Domini promissione: Tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo Ecclesiã meam. quippe solus Petrus, & qui Petrum audiunt, & Petro consentiunt, Christianè, Catholicéque dicunt: Tu es Christus Filius Dei viui. Nimirũ (vt optimè animaduertit S. Athanas.) vnum hoc est immobile fundamentum, vna hæc est felix fidei petra Petri ore confessa: Tu es Filius Dei viui, tãta in se sustinens argumẽnta veritatis, quantæ peruersitatum quæstiones, & infidelitatis calumniæ mouebuntur. *lib. 2. de Trinit.* Vna est Ecclesia Romana Catholica, innumeræ ab inferno pullulãt ac more aquarum præterlabentiũ, aliæ aliis succedunt, illis extinctis nouæ istæ influunt, in quibus omnibus plus luti, sordiúmque fœtet, quàm liquor effluit. Pluribus vnaquæque sectarum huius tẽporis scatet erroribus, quàm verbis traditur. In petram verò Ecclesiæ Romanæ certatim hæreticorum agmina infligunt ictus: sed *sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum.* Psal. 63. De hæreticis intelligit S. Hier. Armantur isti cõtra Romanam Catholicam Christi Ecclesiam, sed in tuperam mittunt sagittas. Et quænam sunt istæ sagittæ? scilicet paruulorũ. Rectè animaduertit S. Aug. Nostra (inquiens) quemadmodum sibi faciunt de canniciis sagittas infantes, quid feriunt, aut vndè feriunt? quæ manus, aut quod telum? quæ arma, aut quæ membra? &c. Intelligit de Iudæis, qui quidem patres sunt hæreticorum. Vtraque antẽ cohors tartarea sic Dei Ecclesiam impugnat vt

Eadem semper, & immutabilis veritas Ecclesiæ Romanæ.

Varium & inconstans mendacium.

S. Athan.
Christi fidei petra in Petro.

Hæresum inconstantia.

Ecclesia Catholica hæresum vastatrix.
Psalm 63.
D. Hieron

S. August.

Hæretici ab Iudæis orium.

pueruli

pueruli arundinea iacula in saxum immobile ex arundineis similiter iaceret balistis. Pueruli sunt ad bellandum & impugnandum, infirmi, & quidem puerilitet armati: quibus nimirũ, nec vires, nec tela suppetunt ad debellandum. Persistit igitur, ac persistet immobilis sana, putáque Romana Catholica Ecclesia: at hæreses tempore ipso disparent omnes; permultarum enim, quæ prioribus ætatibus detonuerunt, vix vlla memoria modò, ac nomẽ habetur. Viget Petrus, Petríque successores Christi nauem gubernant: at hæresum magistri omnes ad vnum in salo fluctuant, ac demerguntur, quorum innumeri, qui aliquãdo deſæuierunt, iam nunc apud homines perpetua iacent obliuione consepulti. Hic tandem exitus manet Lutheros, Caluinos, ac similia nostri temporis portenta.

Dũ non durant hæreses.

9. Sed iam ad somnũ Iacobi reuertamur. Dormit ille, sed nos inuigilemus oportet, vt istius somni mysteria seriò diligẽtérque perscrutemur. Est enim (inquit S. Ambrof.) sanctorum etiã somnus operarius, secundùm quòd scriptum est: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Cantic. 5. Et secundum quod Iacob sanctus Diuina dormiẽs videbat mysteria, quæ vigilans nõ viderat, de cælo ad terras aerem peruium sanctis, respicientẽm Dominum, & pollicentem terræ possessionem. Itaque breui somno dormiẽs impetrauit quod magno laborẽ postea acquisiuit hæreditas eius. hæc S. Ambrof. *Epist. 60. ad Anysium.* Hæc igitur est felicitas sãctorum; nunquam à comparandis æternæ vitæ lucris cessant: negotiantur in vigilia, negotiãtur etiam in somno, cuncta illis cedunt in bonum, ac deseruiunt in profectum animæ; quin etiam ipsa illorum vita perpetuus quidam cẽsetur somnus, sed vt vocat S. Ambros. operarius; quippe in ea cessatio, seu potiùs omnimoda separatio à seculi negotiis, & curis, atque cœlestium bonorum infatigabilis industria, & negotiatio ingenitur: Adiicit in hoc eodẽ idem S. Ambrof. Est enim somnus sanctorum feriatus ab omnibus corporis voluptatibus, ab omni animi perturbatione, tranquillitatem mẽti inuehens, placiditatem animæ, tanquã soluta nexu corporis se ableuet, & Christo adhæreat. Hic est somnus vita sanctorum. sic ille. Somno etiam significatur admiranda illa cõtemplantis animæ requies, cum se totam ab externis, & corporeis curis, & rerum creatarũ imaginibus abducit ad tractanda, degustãdaque cœlestium arcanorum dona, quibus Deus amicos suos mirificè ditat, & oblectat. Illos dico cũ Abb. Cherem, secretas, atque absconditas dispẽsationes Dei, quas intra se peculiariter exerceri mẽs sanctorum omnium momẽtis singulis intuetur, illam cœlestem infusionem lætitiæ spiritalis, qua deiectus animus insperati gaudii alacritate subleuitur ad illos ignotos cordis excessus, & tam ineffabilia, quàm inaudita solatia gaudiorũ, quibus nõnunquam ignauissimo stupore torpentes, ad orationem feruentissimam velut de somno profundissimo suscitamur, hæc Cherem. apud Cass. *coll. 15. cap. 12.*

S. Ambrof.
Felix contemplatio sanctorum.
Insatiabile studium salutis æternæ.
Iusti à terrenis auulsi adhærent diuinis.
S. Ambro.
Dulcis contẽplatio rerum diuinarum.
Cherem.

10. Haud dubiè somnus hic est, quo aliquando sponsam illã suam suauissimè, ac placidissimè soporatam inquietari ab importunis adolescentulis indignè patiebatur cœlestis sponsus: aiebat enim: *Adiuro vos per capreas, ceruosq; camporum, vt nõ excitetis, neque euigilare faciatis dilectã, quoadusque ipsa velit.* Cant. 2. Et quidem optimè considerat S. Bernard. *serm. 52. in Cant.* admirabilem illã felicitatem, qua fruebatur anima Deo dilecta, cũ pro illius somno tuendo ipse Dominus ita depugnaret. Tanta (inquiens) Dei familiaritate donatur, vt Dei brachiia amplecti se sentiat, Dei sinu foueri, Dei cura, & studio custodiri, ne dormiens forte à quopiam, donec vltro euigilet, excitetur. sic ille. Quia verò in scripturis dormire, ac mori, itémque dormitio, siue somnus, ac mors pro eodem sæpius accipiuntur, vt *Psalm. 12. Ioan. 11. ad Rom. 13. ad Coloss. 3. &c.* non immeritò idem S. Bernard. hunc animæ somnum vocat mortem, atque adeo ecstasim: Quæ tamen (inquit) non vita, sed vitæ eripiat laqueis, vt possit dicere: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.* Psalm. 123. Inter medios namque laqueos in hac vita inceditur; qui vtique toties non timentur, quoties sancta aliqua, & vehementi cogitatione anima à semetipsa abripitur. Etenim *frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Prouerb. 1. Quid enim formidetur luxuria, vbi nec vita sentitur? Excedente quippe anima, etsi non vita, certè vitæ sensu, necesse est etiam, vt nec vitæ tentatio sentiatur. hæc ille. Enimuero post viam purgatiuam (quàm vocant) iusti anima mortificationem Domini perpetuò circunferens, ita compressis rerum omnium creatarũ cupiditatibus depuratur, vt in vno suo Deo ac Sponso quiescentem, ne vel leuia illecebrarũ tentamenta interturbant. Hic est somnus animæ Deo dilectæ; hæc sanctorum ecstasis, hæc mors iustorum, quam idem Bernard. exoptat: Vtinam (inquiens) hac morte ego frequenter cadam, vt euadam laqueos mortis, vt non sentiam vitæ luxuriantis mortifera blandimenta, vt non obstupescam ad sensum libidinis, ad æstum auaritiæ, ad iracũdiæ, & impatientiæ stimulos, ad angores solicitudinum, & molestias curarum. Moriatur anima mea morte iustorum, vt nulla eam illaqueet fraus, nulla oblectet iniquitas. Bona mors, quæ vitam non aufert, sed transfert in melius. Bona, qua non corpus cadit, sed anima subleuatur. sic Bernard.

Nõ interturbanda iustorum contẽplatio.
Cantic. 2.
S. Bernard.
Contemplans in sinu Dei fouetur.
S. Bernard.
Psalm. 123.
Prouerb. 1.
Vita iustorũ ecstatica.
S. Bernard.
Auocatio à prauis passionibus.

11. Vide obiter quàm concinnè prauas animi passiones describat, & nũcupatim illud apponat: *Vt non obstupescam ad sensum libidinis.* Quid quæso congruentius? stupidos enim reddit, ac pene commutat in belluas, seu in stipites potiùs, & cautes libido conuertit; atque idcirco nullum vitiorum hac tenaciùs adhæret homini, & ab homine difficiliùs euellitur: omnem siquidem rationis lucem obscurat, omnémque adimit sensum, vt suas non sentiat sordes, ac vulnera, séque ipsum non inspiciat, non agnoscat, non doleat, qui voluptatum mollitiẽ (vt loquitur S. Ephrem) animo seruili & abiecto amplexatur: sic ille, *orat. in S. Deiparam.* Rectè illud colligitur à S. Ambrof. Passio grauissima culpæ concupiscentia, quam ratio mollit, & comprimit. Emollire enim potest, eradicare non potest. *li. 1. de Iacob, cap. 1.* Hoc enim prælio ineuitabili diuexantur filii Adam, dũ in hac vita mortali luteum gestant corpus, & luto malè tecti colluctantur cum vitiis fallaci voluptatũ specie decipientibus. Nam (vt idem Ambrof. *li. de Isaac, cap. 7.* aduertit) escæ malorũ sunt voluptates corporis. Virginem Dei Matrem à iugo isto filiorum Adam omnino liberam esse voluit ipsius Filius Deus. Vicit enim Virgo (ait S. August.) omni ex parte peccatum. *lib. de natur. & grat. cap. 36.* Enimuerò si (vt tradunt Rabbini *lib. Capitula Patrum*) Salomonis templum hisce fuit diuinitus priuilegiis nobilitatum (videlicet, non fœtuit vnquam caro sanctificata. Nõ cõspecta fuit musca in domo mactationis: non extinxerunt pluuiæ ignem, qui erat in strue lignorum: non vicit ventus columnam fumi. hæc illi.) Quid nos de B. Virgine

Stupida brutaque libido.
S. Ephrem.
S. Ambrof.
Tenax & vinci difficilis libido.
S. Ambrof.
Voluptas malorum esca.
D. August.
Templi Salomonis priuilegia.

Dei

B. Maria pura omnino in anima & corpore.

Dei templo augustissimu dicere æquum est. Profectò nec Virginis corpus, de quo ipse Deus carnem assumpsit, nec eiusdem animam vlla culpæ corruptio, aut vmbra leuitatis attigit, nec vel minima gutta ex diluuio reatus originalis infecit.

S. Bernard. *Summa rerũ Diuinarum contemplatio.*

11. Cæterùm longè altior videtur esse ecstasis, suauiorque somnus sponsæ, vt ex contestatione sponsi colligitur, & eleganter ita prosequitur Bernard. Verum hæc hominum est; sed moriatur anima mea morte etiam (si dici potest) Angelorum, vt præsentium memoria excedens, rerũ se inferiorum, corporearúmque non modo cupiditatibus, sed & similitudinibus exuat, sitque ei pura cum illis conuersatio, cum quibus est puritatis similitudo. Talis (vt opinor) excessus, aut tantùm, aut maximè contemplatio dicitur. hæc ille. Itaque ille siue excessus, siue somnus, ac mors iustorum mentem auocat, liberámq; reddit à malarum cupiditatum motibus, & quibuscunque rerũ inferiorum irritamentis: at verò hæc altera mors, excessus, somnúsque Angelorum animam, vel ab ipsis rerum omnium creatarũ spectris ita immunem, puramque efficit, vt veluti humanum statũ exuta, cum beatis ipsis spiritibus etiam in carne existens anima familiariter conuersetur. Hic tandem erat sopor animæ, pro quo tam grauis fit adiuratio per capreas, hoc est, animas beatorum; & per ceruos, hoc est, Angelos, vt interpretatur sãctus Bernard. Quo quidem (inquiẽs) genere ferarum videntur mihi satis congruenter expressæ sanctæ animæ exutę corporibus, simul & qui cũ Deo sunt Angeli, nimirum propter acumẽ visus, & saltus celeritatem. Verumque hoc siquidem vtrisque spiritibus conuenire cognoscimus; nam facile & petunt sũma, & intima penetrant. Quorum quoque in capris designata conuersatio euidenter liberos, atque expeditos signat in contemplatione discursus. sic ille. At restat demum scire, cur per istos cæli spiritus illa fiat adiuratio. Concludit ergo Bernard. Profectò ne inquietæ adolescentulæ audeant leui ex causa euocare dilectam à tam reuerẽdo collegio, cui absque dubio toties admiscetur, quoties contemplando excedit. Pulchrè itaque horum autoritate terrentur, à quorũ societate constat auelli illã ipsarum importunitate. hactenus S. Bernard. Porrò totus hic locus, etsi de anima viri iusti, ac Diuinis contemplationibus dediti egregiè procedat, veriùs tamen; & congruentiùs de beatissima Virgine Dei Matre intelligitur, cuius tota vita ecstatica cum Deo erat. Deinde (vt scribit S. Bernardinus) assistebant illi innumerabiles multitudines Angelorũ: à sua ardentissima mẽte, & inflammatissima charitate dæmones effugabantur, & pellebantur in tantũ, quòd solùm in modico non erant ausi respicere mentem eius, nec de magno spatio illi appropinquare. *serm. 51. cap. 2.*

Conuersatio iusti cum capreis.

S. Bernard.

S. Bernard. *Non auertendus à contemplatione iustus.*

B. Mariæ vita ecstatica

S. Bernard. *Angeli venerentur & comitantur B. Mariam.*

SECTIO III.

Viditq́; in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ.

1. Celebertima in Diuinis literis hæc habetur visio, quam rectè describit Ioseph. *lib. 1. antiqu. cap. 19.* Eandem attingit Sapiens *cap. 10.* ac Dominus ipse quoque Ioan. 1. vbi ait: *Videbitis*

Ioan. 1.

A *cælum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes super filium hominis.* Etsi tamẽ hoc loco Genes. Deum in summo scalæ innixum Iacob viderit, Angelos verò subtus per ascensum, & descensum cursitantes. Quod autem Deus in summitate scalæ intelligatur stare, communis est Patrum, & doctorum explicatio: & præpositio Hebræa valde idipsum confirmat. *nitsab ghalau* נצב עליו *stans super illam.* על *ghal* enim propriissimè est *super, supra.* Ex vi scilicet radicis *ghalah* עלה *ascendere*; minus autem propriè dicitur idẽ quod *iuxta*. Est tamen bonus autor è nostris, qui arbitratur Deum in ima parte scalæ innixum videri. Quod etsi ostendat verisimile, non ita mihi tamen certum efficit, vt à communi interpretatione

B resilire cõpellat. Vide si placet Alcazar. *Apocal. 4.* Porrò vehementer coarguit præsens locus ignauiam, & miserrimam infelicitatem illorum hominum, qui cum se totos ad pastum, & volutabrum more pecudum abiecerint, nihil in vita magnum, sublime, ac diuinum meditantur. Talium enim hominum (inquit Philo *lib. de somnijs*) nullus sacro verbo familiaris est, amator sobrietatis, honestatis, & pudoris. sic ille. Quocirca indigni sũt, quibus vlla regni cælestis aura perflet, rerúmque Diuinarum species sese ostentet. Contrà verò sectatores virtutum abdicatis omnino delicijs, ad continentiam (vt ibidem subiungit Philo) & frugalitatem, ac patientiam, ceu ad crepidines quasdam, iactati vitæ procellis animam

Homines instar pecudum abiecti.

Philo.

Philo. *Sectatores virtutis.*

C fere mergentibus in stationem tutissimã se recipiunt, contemptores pecuniæ, voluptatis, gloriæ, parati pro virtute pati labores, & pericula. hæc ille. Quo in statu perquàm felici dignos familiaritate sua, supernisque visionibus & colloquiis iudicat omnipotens Deus, qui Iacobũ è patria domo profugum in solo nudo pernoctantem, omni humano præsidio, solatióque orbatum admirãda quadam rerum augustissimarũ visione recreauit. Meritò igitur appellatur ab eodem Philone (vt statim subiicit) Athleta virtutis; exemplar verum, & perfectum animæ in virtutibus exercitatę; perillustre laboris, & patiẽtiæ exemplum. hactenus ille. Dormit quidem Iacob, at dormiẽs videt iuxta illud sponsæ, *Ego dormio, & cor meũ vigilat.*

Philo.

D Cant. 5. Nimirũ (explicat S. Gregor.) sancta mẽs, quò se magis à strepitu temporalis concupiscẽtiæ retrahit; eò veriùs interna cognoscit: & tantò alacriùs ad intima vigilat, quantò magis se ab exteriorum inquietudine occultat. Quod bene per Iacob in itinere dormiẽtem figuratur. In itinere quippe dormire, est in hoc præsentis vitæ transitu à rerum temporaliũ amore quiescere: in itinere dormire, est in dierum labentiũ cursu ab aspectu visibilium mẽtis oculos claudere. hæc S. Gregor. 4. *moral.* ad illa verba: *Quando solet sopor occupare homines.* Iob. 4. Dormit Iacob, sensúque omni exteriùs soporato, veluti à seipso quasi alienus in Dei contemplationem totus infunditur: quem à proprio sensu, affectúque secessũ, & Diuinis accessum mysterijs animæ illi sanctæ sponsus cõmendabat, cum diceret: *Veni de Libano &c.*

Cant. c. 5. D. Gregor. *Contemplatio à secularibus auocat.*

Iob. 4.

E Cant. 4. Nimirum (vt explicat S. Ambros.) Ades hinc de Libano: adest mihi, qui abfuerit sibi: adest mihi; qui se negauerit. Ille meecum est, qui intra se non est: ille mecum est, qui ex seipso egreditur: ille iuxta me est, qui extra se fuerit. *lib. de Isaac, cap. 5.* Proh quantum ille sibi detrimentum accersit, qui totus intra se est, sibi studet, suo amori, & commodis inuigilat; se, non Deum curat! At ô verè summéque felicem, qui sese abnegauit, vt sui oblitus, ac nescius, Dei solius totus esset!

Cantic. 4. S. Ambros. *Deo mens interna & adhærens.*

2. Proinde

Iacob à deliciis alienus. Philo.

2. Promeruit etiam Iacob istam supernæ visionis gratiam, eo quòd (vt loquitur indicato loco Philo Hebræus) nutritus regiis facultatibus humi cubat, & saxo pro puluino capiti supposito vtitur; vtpote cui nunquam fastus, & luxus, & mollities vitæ placuisset. sic ille. Corpus quidem Iacob in humum, & in saxum posternit: ipsius verò animam Dei benignissimi brachia excipiũt. Scilicet egregius ille in Canticis lectus Salomonis ad ascensum, & quietem inuitabat sponsam vbi fessa laborãdo meritam esset captura requietem. Quis autem ille sit lectus, ita subindicat S. Ambros. Lectus Sanctorum Christus est, in quo vniuersorum fessa secularibus præliis corda requiescunt. *lib. de Isaac, cap.* 5. O si mihi daretur in tam pulchro, diuite, mollíque lecto Domini mei Iesu animam meam ex corporis ergastulo abeũtem vitiorum, ac dæmonum assultibus perfunctam requiescere! Ita martyrum ille primus inter crepitantium lapidum ictus obdormiuit in Domino. *Actor.* 7. Iure optimo exclamat S. August. O somnus pacis! qui inter lapides inimicorum dormiuit, quomodo in suis cineribus vigilabit? Dormiuit securus, quietus in pace, quia spiritum suum Domino commendauit. *serm.* 92. *de diuersis.* Vide quantum profuit Iacobo ab Esau haberi odio, insidiis pertentari; demúmque è patriis sedibus in exilium, vt fratris declinaret sæuitiam, effugere? Ita habent odia, insidiæ, persecutiones malorum hominũ, quibus viri iusti, & exercentur, & exerciti splendidiores virtutum suarũ radios in caliginosa tribulationum nocte diffundunt. Impetitur Iacob, & quilibet iustus ab impiis at iuxta regium Vatem: *Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum.* Psalm. 63. Qui videlicet (vt bene considerat S. Ambros.) cum grauissimo licet dolore luctetur, non se miserabilem præbet, sed ostendit tanquam in laterna lumen, etiam inter asperas procellas, & grauissimos flatus suam lucere, nec extingui posse animi virtutem. *lib. 1. de Iacob, cap.* 8. Sic planè Iacob in tam graui rerum omnium, quæ in vita expetuntur, orbitate solus, ac profugus, non modò non succubuit afflictionum põdere oppressus, sed multò magis generosæ animæ virtutes, & exercuit, & prodidit, vt propterea dignus extiterit, qui cum Deo inter cælites, ac cælitum mysteria veluti nouum aliquod sydus effulgeret.

Christus animarũ lectus. S. Ambros.

Stephanus in Domino quieuit. Acto. 7. S. August.

Prodest iustis tribulatio.

Psalm. 63. S. Ambros. *Inter tribulationes virtus irradiat.*

Prodest hostis iusto.

3. O quantum Esau profuit Iacobo, hostis persequens fratri afflicto fugienti, & patienti! Diuinam quippe visionem, & maximarum rerũ promissionem fuga, exilio, afflictione, Iacob est consequutus, quæ quidẽ in domo paterna, inter matris blanditias, ac delicias, nunquam est adeptus. Mille quidem bona locrati se putabat Dauid ex ipsis, quos patiebatur, hostibus: atque idcirco aiebat: *Si reddidi retribuentibus mihi mala.* Psalm. 7. hoc est, si de hostibus meis vindictam sumpsi. Prophetat vtique illud idẽ, quod (vt notat S. August.) contingit hominibus, qui reddunt retribuentibus sibi mala. sic ille. *Decidam* (inquit) *ab inimicis inanis.* Hoc est, sine vllo lucro, vacuis manibus, vacua mente illorũ bonorum, quæ patienter sustinendo inimicos colligi solent, euadam miser, & imprudens. Hebr. ריקם *Reeam*, id est *fatuus*, vt vertit S. Hier. Satísque fatuus, mentísque inops existam, si vltrò amittam, aut elabi permittam multa, & ingentia bona. quæ in vera patientia comparantur: & in vindicta deperduntur. At quæ isthæc bona, & lucra sunt? Duo præ cæteris magna, & optabilia. In primis quem hostis persequitur, si patienter tolerat, qui affligi

Psalm. 7.

S. August.

Grandia lucra ex patiẽtia.

A tur, Deus ipse nouis iuuat auxiliis, miris honorat, & condonat beneuolentiæ signis. Affligebant Ægyptij Hebræos, isti pro Dei causa vehementer afflicti mœrebant: ergo Dominos accurrit, clamat: *Vidi afflictionem populi mei, & clamorẽ eius audiui propter duritiẽ eorum, qui præsunt operibus, & sciens dolorem eius descendi, vt liberem eum.* Exod. 3. Vides Domini tam largam, tam celerem misericordiam erga Hebræos, eò quòd iniquè affligentur ab Ægyptiis; ideóque blandum illis demonstrari Deum, eo quod durè tractentur ab hostibus: atque adeò propter duritiem hostium, Diuinæ beneuolentiæ blanditias afflictis effundi? Deinde inimicus dum te opprimit, Diuinam à te vindictam auertit, & Diuinæ iustitiæ gladium, aut ne
B distringatur cohibet, aut iam districtum, ne feriat, remoratur. In hoc sensu dictum est à Domino: *Propter iram inimicorum distuli.* Deut. 32. Differt quidem supplicium à populo, quem videt ab irato hoste affligi: & ne hostis de populo diuinitus pũnito lætetur impensiùs, ac triumphet.

Exod. 3. *Fauet Deus afflictis.*

Dei vindictam auertit à nobis inimicus.

Deuter. 32. *Parcit Deus homini, quem hostis premit.*

4. Porrò autem huius visionis, quæ valdè in tota scriptura memorabilia est, multiplex à Patribus, & doctoribus significatio traditur. celebriores eligam explicatus. Atque in primis germana, & literalis declaratio videtur esse Diuinæ prouidentiæ, quæ omnia tam cælestia, quàm inferiora moderatur, & singulariter, ac propriè (vt ostenditur hoc loco) cuncta ad Iacobum pertinentia disponit. Quæ quidẽ explicatio est Theodor, Procop. Benedict. Perer. & aliorum. Itaque
C scala ista pertingens à terra vsque in cælum graphicè admodum exprimit Diuinam prouidentiam, qua Deus Conditor, & Rector omnium rerum, tam cælestia, quàm terrestria gubernat. *Quis enim* (ait Regius vates) *sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo, & in terra?* Psalm. 112. Attingit autem hoc loco Propheta (vt egregiè adnotauit Genebrard.) duos affectus prouidentiæ: Intueri res humanas, & physicas: & eas disponere ad suos quosque fines. Etiamsi prouidentia apud Latinos tantùm dicat prænotionem, seu præuisionem. sic ille. Intellige tamen in verbo illo (*Respicit*) non oculorum modò visionem, sed etiam curam regiminis. Ni-
D hil enim aut Diuinam intelligentiam effugere, aut à Diuino imperio, ac moderamine potest nõ pendere. Quod sanè perquàm admirabile est, vt scilicet Deus in infinitum eleuatus à creaturis omnia tam sublimia, quàm etiam minutissima in orbe contueatur, & curet. Heb. *Qui eleuat habitare, & humiliat videre.* Hoc est (vt exponit idem Genebr.) qui eleuat se ad habitandum, siue ad sedendum, seu qui præsidet, vel quiescit in alto, tamen humiliat videre, vel humiliat se ad videndum. Quamuis sit tam altus, tamen se demittit vt videat, & curet humillima quæque, & tenuissima. hæc ille. Ac pulcherrimè quidem demonstrat Propheta Dei super creaturas dominium; in quo duo maximè attingit quæ nusquam alibi reperiri queunt, vt subtiliter dispungit Caiet. Cel-
E situdo enim (inquit) solij apud nos caret visione infimorum occurrentium; tum quia non possunt principes in excelso constituti videre singula: tũ quia etiamsi scirent, non possent prouidere singulis occurrentibus. Et propterea iungit hæc duo in Diuino dominio, & supremam celsitudinem solij, & extensam vsque ad minima prouidentiam. sic Caietan.

Psalm. 112. Genebr. *Duo effectus prouidentiæ Diuinæ.*

Genebr.

Dei prouidẽtia in minimis.

Caietan.

Principum prouidentia defectuosa.

5. Haud nescio tamen alios horum verborum tradi explicatus; cuiusmodi ille est apud Genebrard. Nunc se extollit ad vindicanda alta, nunc

Genebr.

se

A

se demittit ad humilia vindicanda,& defendẽda contra potentiores. Item nunc se extollit,& subducit è rebus humanis per patientiã, & dissimulationem, nunc se demittit ad eas vindicandas,& puniendas. hæc ille. Admiror equidem in hoc sensu Dei benignitatem, qui altum sibi, & gloriosum reputat, si parcat, si ferat, si dissimulet, cum à nobis offenditur: & quasi humile quidpiam, ac suæ maiestati peregrinũ (vt apud Isaiam legitur.) seque indignum ducit cogi ad hominum scelera (pro zelo tamen iustitiæ) punienda. Quod tam abiectum (vt ita loquar) negotium Dominus ipse quasi indignatus de peccatore conqueritur apud Isaiam illis verbis: *Verumtamen seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Isaiæ 43. Seruire siquidem, & laborare cogitur, cum se demittit ad puniendum. Contrarius etiam sensus apprimè colligitur iuxta LXX. qui vertunt: *sed in peccatis defendi te.* Labor enim (apponit S. Hieron.) est Dei, & lassitudo defendere peccatores: quare (inquit Dominus) laborare me fecisti in peccatis tuis, & onera iniquitatum tuarum portare vix potui. hæc S. Hier. At à quonam peccatores Deus defendit? duplicem videlicet personam Deus gerit; vnam patris, alteram iudicis. Vti ergo iudex, hominum delicta vindicare contendit; vti verò pater, & reos tuetur, & scelera patienter tolerat; quorum tolerantiam (si multùm illa, diúque perseuerent) à Diuina iustitia sæpius impugnatam tanquã graue quoddam onus, & importabile tandem deponit. Sed vt ad Psalmum redeamus: S. Hieron. masculino genere accipit alta, & humilia. sic enim interpretatur. Habita in altis, & humilibus, hoc est in Sanctis: alti sunt Sancti, quando contemplantur de cælestibus: tunc sunt humiles in terra, quando se humiliant in actiua, eleuantur in contemplatiua. Et illi qui hic in terra sunt humiles, apud Deum sunt alti. sic Hier. Vide quanti Deus faciat humilitatem, vt qui se in terra humiliant, vel ab aliis humiliari volunt, in cælo ita eleuentur, vt fiant demum thronus ipse, in quo Deus residet. Congruenter S. Bernard. hæc eadem verba exponens concludit: Sola Deo placet humilitas, siue in Angelo, siue in homine: & qui sedet in throno, solos eligit subditos è quibus repleat templum. sic ille, *serm. 2. de verbis Isaiæ.* Igitur iuxta Bernardi explicatum Deus ille in infinita maiestate, ac sublimitate residens in terras intuetur, vt humiles quosque diligentissimè scrutetur, inuentósque assumat ad construendum in cælis templum, in quo ab Angelis adoretur. tam grata Deo est humilitas. Demonstrant hæc omnia Dei prouidentiam. *Nec* enim (vt legimus sapientiæ 12.) *est alius Deus, quàm tu; cui cura est de omnibus.* & cap. 14. *Tua Pater prouidentia ab initio gubernat.*

Deo gloriosum parcere. — *Punire à Deo alienũ.* — Isaiæ 43. — D. Hieron. — *Patientia Dei circa peccatores.* — *Contumacia peccatoris Deo graue onus.* — D. Hieron. — *Iustorum vita contemplatiua & actiua.* — *Grata Deo humilitas.* — S. Bernard. — Sap. 12. & 14.

B C D

6. Varij gradus istius scalæ, quorum alij superiores, alij inferiores, significant multiplices rationes, ac modos, quibus Diuina vtitur prouidentia, dum res creatas regit, & gubernat, pro ipsarum rerum varietate. Duo ligna, quæ sunt latera scalæ, & quibus vtrinque inserti, atque infixi tenentur gradus, duas, in Diuina prouidentia virtutes adumbrant; sunt autem fortitudo, & suauitas, iuxta illud: *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Sap. 8. Quàm insuperabilis enim illa fortitudo (vt cætera taceam) Dei omnia gubernantis, vt etiam rebus summè contrariis ad destinatos prouidentiæ suæ fines vtatur? Benè ad hunc locum Theod. præmittit: Prouidentia (inquiens) Diuina manifestiùs declaratur in rebus, quæ videntur, aduersis: hac de causa Iacob aufugit, & solus peregrinatur, vt locupletissimus redeat. sic ille. *q. 28. in Genes.* Hac etiã de causa permittitur tyrannorum persecutio, vt martyrum patientia ostendatur, & istorum gloria, triumphi, & coronæ comparentur: & quod multò est admirabilius, Deus homo humiliatur, flagellatur, & crucifigitur ab hominibus, vt & Deus ipse glorificetur, & homines vitam habeant sempiternam. Ac de nostra quidem culpa, & de Christi Domini redemptione loquens S. Ambrosius pulchrè subiũgit: Facta est mihi culpa mea merces redẽptionis, per quam mihi Christus aduenit. Fructuosior culpa, quàm innocentia. Innocentia arrogantem me fecerat, culpa subiectum reddidit. hæc Ambros. *lib. 1. de Iacob. cap. 63.* Nimirum Adam in statu innocentiæ contra Deum insurrexit, eiúsque peccatum occasio fuit redemptionis Dominicæ, quæ mirabiles in omni virtutum genere fructus edidit in hominibus. Absolutè verò differens ita cõcludit S. Aug. Deus omnipotens nullo modo sineret malũ aliquod esse in operibus suis, nisi vsque adeo esset omnipotens, & bonus, vt benefaceret etiam de malo. *Enchir. cap. 11.* quam sententiã Boëtius eleganter ita expressit: Sola est Diuina vis, cui mala quoque bona sint, cum eis competenter vtendo, alicuius boni effectum elicit. Ordo enim quidam cuncta complectitur, vt quod ab assignata ordinis ratione discesserit, hoc idem licet in alium, tamen in ordinem relabatur: ne quid in regno prouidentiæ liceat temeritati. hæc Boët. *lib. 4. pros. 6.* Hac ratione Iacobum iustũ persequitur impius Esau, vt istius virtus illucescat, & Dei benignitas ostẽdatur. Per mala enim (inquit S. Ambros.) factum est, vt bona eminerent, *lib. de Isaac. cap. 7.* At quanta deinde sit Diuinæ prouidentiæ in gubernando suauitas satis apertum est ex motibus, & actionibus rerum creatarum, quas ipse Cõditor ita suauiter regit, & gubernat, vt nulli vim afferat; nihil contra cuiusquam rei naturam faciat, sed solùm vt poscit cuiusque rei natura. Est enim Diuina prouidentia (vt scribit S. Dionys. *cap. 4. de Diuin. nom. p. 4.*) cuiusque naturæ conseruatrix, eis quæ per se mouentur, & libero agũtur arbitrio, conuenienter prouidens, omnibúsque & singulis propriè vt omniũ, singulorúmque natura capit, pro modo cuiusque, prouidentissimas bonitates impartiens. ita S. Dionys.

Dei prouidentia fortis & suauis. — Sap. 8. — Theod. — *Prouidentia Dei in aduersis.* — S. Ambros. — *Deus ex malis elicit bona.* — D. August. — Boët. — S. Ambros. — *Dei prouidentia suauis.* — *Dei prouidentia in rebus creatis.* — S. Dionys.

E

7. Quamobrem Deus omnia suaniter disponens, rerúmque naturis sese accommodans hominem libero præditum arbitrio reliquit in manu consilij sui. Vnde (vt inquit S. Ambros.) non seruili ad obediendũ constringimur necessitate, sed voluntate arbitra, siue ad virtutem propẽdemus, siue ad culpam inclinamur. *lib. 4. de Iacob, cap. 1.* Alioqui si necessitate coacti operaremur, nullum in nobis esset meritum, aut demeritum. At dicet aliquis; tanta solet esse passionum carnis post naturam corruptam vehementia, vt homini ad peccandum inferat vim, ac necessitatem inducat. Hæreticorum hoc est deliramentum, vt suam in vitia effrænatam licentiam dum excusant, ampliùs foueant, & liberiùs effundant. Satis vna est in homine mens, & ratio, vt malum despiciat, & declinet, quantumuis passiones obsistant, si velit cum Diuina gratia. Hinc illud S. Ambros. Mens rationi intenta præcurrit virtutibus, & passiones coërcet: docibilis enim virtus studio, & discendo quæritur, & dissimulãdo amittitur. *lib. 1. de Iacob. cap. 1.* Deinde adiungit, quæ tanta sit vis mentis ratione vtentis: Potest (inquiens) mens sobria

D. Ambros. — *Demonstratur arbitrij libertas.* — *Homo non agit necessitate.* — *Ratio cum Dei gratia fortis est contra vitia.* — S. Ambros.

impressione

impressione refrænare, ac reprimere quamuis grauem passionem, & feruorem omnem cupiditatis flagrantissimæ refrigerare, deriuare aliò motus, & rectæ rationis tractatione despuere passiones, hæc ille. Hanc veritatem egregio monstrat exemplo Dauidis, qui rex aquam de cisterna Bethleem ardenter admodum expetiuit, oblatam verò subinde non bibit, sed libauit Domino, vt scribitur 2. *Reg.* 23. Videlicet (vt bene colligit S. Ambr.) Dauid cupiditatem aquæ sibi auferre non potuit, potuit mitigare. Humanum passus est, vt irrationabiliter concupisceret; sed illud laudabile, quòd irrationabilem concupiscentiam rationabiliter parato fraudauit remedio. sic Ambros. Irrationabiles ergo malarum cupiditatum assultus mens quidem, & ratio humana, ne insurgant, ne erumpant cohibere non potest. Grassantes iam, ac desæuientes compescere, comprimere, tenere ne lædant, ne vincant, adiuuante Dei gratia, & potest, & solet. Illic peccatum nullum est; hîc autem datur victoria, & parantur triumphi. Vtramque Diuinæ prouidentiæ proprietatem erga Iacobum mirabiliter expressam videmus in tota ista narratione, in qua legimus, quàm forti brachio illum Deus omnipotens ab Esau, à Laban à Sichemitis, ab innumeris aliis, & hostibus, & periculis liberauit, excelsúmque, & opulentum, & gloriosum inter homines reddidit: quámque suaui dispositione bona illi omnia curauit, & in manus intulit. Ita fortiter, ac suauiter suis Deus prouidet, quia aduersis pro Diuino obsequio premuntur, ac suam quisque tollentes crucem sequuntur Dominum suum præeuntem. Habet enim in se (ait S. Ambros.) remunerationem suam, qui sequitur Iesum, & in suo affectu præmium, etiamsi dura sustineat. Beatus tamen est suis moribus, beatus ipsis periculis, sicut Dominus definiuit. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* Matth. 5. hæc S. Ambros. *lib.* 1. *de Iacob, cap.* 7.

2. Reg. 23. S. Ambr. *Possumus vincere, non euitare passiones.*

Dei prouidentia erga Iacob.

Dei prouidentia in aduersis iustorum.

D. Ambros.

Matth. 5.

8. *Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes.*] Habet Diuina prouidentia suos administros, nempe Angelos, qui à Paulo vocantur *administratory spiritus missi in ministerium propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* ad Hebr. 1. Quod Apostolus scripsit. Vt hominum (inquit ibi S. Chrys. *homil.* 3.) exciter spiritus, & multum Dei erga nos honorem ostendat; siquidem constituit, vt Angeli nobis superiores hoc habeant pro nobis ministerium, propter nos laborent, circa nos cursitent, &, vt ita dicam, nobis inseruiant. Quid ergo timetis? Angeli nobis ministrant ita Chrysost. Profectò hæc Angelorum visio, & perennis cursitatio, mœrentem, solum, & afflictum Iacobum magnopere recreauit, & ad quemlibet rerum aduersarum conflictum obarmauit. Atque, vt bene considerat Diodorus ad hunc locum, Angeli etiam descendentes, & ascendentes Iacob descensum in Mesopotamiam, & ascensum in terram Chanaan, Angelorum præterea erga Iacob auxilium præfigurabant. sic ille. In hoc etiam ministerio dicuntur à Iob 9. portare orbem: *Deus*, nimirũ, *cuius iræ nemo resistere potest, & sub quo curuantur, qui portant orbem.* Iob 9. quem locum S. Hieron. interpretatur de viris sanctissimis, qui suorum meritorum gratia, qua pollent apud Deum, sustinent orbem, siue humanum genus, ne propter scelera impiorum à Diuina iustitia dissoluatur: in quo quidem Angeli eminent, veriúsque dicuntur portare orbem. Verba S. Hieronymi sic habent. Portantes orbem sancti rectè intelliguntur, qui gloria meritorum suorum magni, & potentes sunt apud Deum. Hi ergo cordis humilitate ad interueniendum pro peccatoribus in conspectu eius sunt incuruati. Ita sancti portant mundum, dum eum ne ruat, ac pereat, orationum fortitudine sustinent. hæc S. Hieron. Humiliati ergo, & curuati in preces ruinam mundi iam propè nutantis auertunt vtrique Angeli, cælestes nimirum, ac mortales. Proh quantum Angelis, & sanctis nostræ salutis tutoribus, & custodibus debemus! Ascendunt ad Deum, & descendunt ad nos optimi, ac fidelissimi internuncij: Diuina consilia, & arcana, itémque dona, & auxilia, demúmque lætos, & exoptatos votorum, ac petitionum effectus à Deo nobis deferunt: nostras verò preces, & vota, necessitatésque ad Deum referunt, maximè verò mortalium orationes suscipiunt, quibus sancta, & diuina postulantur; quod luculenter admodum colligit S. Ambros. *ex Apocal.* 8. Legimus (inquiens) quòd ascendit fumus incensorum ex orationibus sanctorum, quæ incensa referuntur per Angelum, sanctorum scilicet orationes, super altare illud aureum, quod est ante sedem: & tanquam suaue piæ precationis fragrat vnguentum: quia de æternorum, & inuisibilium, non de corporalium petitione compositum est; præcipuè tamen myrrham redolet, & thus, eo quòd peccatis mortua sit, & Deo viuat. hæc S. Ambros. *lib. de Isaac, cap.* 5.

Angeli ministri Diuinæ prouidentiæ.

ad Hebr. 1. D. Chrysost.

Angelorũ cura de hominibus.

Diodorus.

Iob 9. D Hieron. *Sancti portãt orbem.*

Potens intercessio sanctorum.

Angeli & sancti hominũ fautores.

S. Ambros. Apocal. 8. *Deo grata sanctorum intercessio.*

9. Videtur sanctissimus pater accipere illud *sanctorum* neutraliter, hoc est, rerum sanctarum, & ad animæ salutem pertinentium; quarum petitio (vbi qui orat à peccatis liber est in Dei gratia) ab Angelo excepta, vt quæ sit fragrantissimi odoris, in Dei altare, conspectúmque refertur. Petitiones autem rerum omnino humanarum, tanquam sua grauitate indignas, nec excipere, nec referre Angelus dignatur. Eleganter Dauid exponit ministerium angelicum circa Dei prouidentiam. Hanc enim primò significans ait: *Deus in cœlo parauit sedem suam, & regnum ipsius dominabitur.* Deinde subindicat, quales sint Dei regnantis, & prouidentis administri, dicens: *Benedicite Domino omnes Angeli eius potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius. Benedicite Domino omnes virtutes eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius.* Psal. 102. Inuitantur quidem Angeli ad benedicendum, seu potiùs benedicentes Deum inducuntur à Propheta, nec tamen de benedictione ipsa, & laudatione, atque hymno quicquam innuitur; sed totum in faciendo, in ministrando, in obediendo Angelicum studium peragitur; vt hinc demonstretur, tunc insigniter & (vt ita loquar) Angelicè laudari, benedicique Deum, cum ipsius voluntati obeditur, cum pro illius obsequio etiam pusillis inseruitur. Atq; adeo nulla gratior, & sanctior Dei sit laudatio, quàm quæ non à vocibus, sed à sanctis operationibus elicitur, vti explicat S. August. hisce verbis. Omnes Angeli, potentes, facientes virtutes, ministri benedicite Dominum. Omnes enim malè viuentes, etsi lingua taceant, vita Domino maledicunt. Quid prodest, quia hymnum cantat lingua tua, si sacrilegium exhalat vita tua? malè viuendo multas linguas misisti in blasphemiam. Lingua tua vacat hymno & ceteræ te intuentium vacant blasphemiis. Si ergo vis benedicere Dominum, fac verbum eius, fac voluntatem eius. hęc S. August. Itaque illa est optima laudandi Deum oratio, quæ in nobis est benedicendi, atque operandi ratio. Quid enim turpius, quàm, vt Deum voce laudes, & vita offendas? Denique cum scala ista, cui Deus innititur, admirabilem ipsius prouidentiam, qua res mortalium moderatur, egregiè significet, appositè Angeli ascendentes, & descendentes in ea videntur. Sunt enim Angeli

Oratio de rebus cælestibus, non terrenis.

Psalm. 102.

Laudat Deũ qui rectè operatur.

S. August.

Maledicit Deo qui malè viuit.

Phil.Hebr.
Angeli oculi, & aures Dei.

geli (ait Philo Hebr.) tanquam magni regis aures, & oculi audientes, videntesque omnia. sic ille, *lib. de somn.* Nostra illi vident, visáque ad Deum deferunt: ac diuina rursus ad nos referunt. Illis igitur Deus vtitur velut auribus, & oculis erga homines.

D.Thom.
D.Gregor.
Sancti Deum videntes orant pro hominibus.

10. Per istum etiam ascensum, & descensum significantur functiones vitæ contemplatiuæ, & actiuæ Angelorum: vt S. Thom. subindicauit 2.2. *quæst.* 181. *art. vlt. ad* 2. Quæ sententia fuit S. Gregor. huisce verbis: Angelos ascendentes, & descendentes cernere, est ciues supernæ patriæ contemplari, vel quanto amore auctori suo semetipsos transcendendo inhæreant, vel quanta compassione charitatis infirmitatibus nostris condescendant. *lib.* 5 *moral.* De Angelorum descensu ad nos nemo miretur. Quidni enim (loquit S. Bernard.) Christus mittat Angelos pro eis, pro quibus ipse à Patre voluit mitti? quidni pro eis inclinet cælos, pro quibus ipse quoque cælorum Rex se inclinauit? *serm.* 5 *in dedicatione Ecclesiæ.* Pulchrè descendere dicuntur Angeli, non cadere: simul enim ascendere memorantur. Eo quòd Angeli (vt bene aduertit S. Thom. loco indicato ex D. Gregor. 2. *moral.*) non sic à Diuina visione foras exeunt, vt internæ contemplationis gaudiis priuentur. Quo fit, vt in eis non separetur vita actiua à contemplatiua; sicut in nobis separatur, qui per opera vitæ actiuæ impedimur a contemplatione. ita S. Thom. Itaque descendunt Angeli ad nos, sed à Deo non cadunt, cum inseparabiliter Deo inhæreant: at dæmones cum descenderunt à Deo, in æternum ceciderunt. *Vidi enim Dominus Satanam tanquam fulgur de cælo cadentem.* Luc. 10. Quæ infelicitas est multorum, qui zelo indiscreto dum ad opera vitæ actiuæ descendunt & proximorum salutem curant, à Deo miseri decidunt, & propriæ salutis naufragium faciunt seculi, ac vitiorum fluctibus absorpti, dum periclitantibus aliis subuenire contendunt. Igitur (vt rectè animaduertit S. Bernard. *serm. illo*) Angelicum est illud ascendere, & descendere simul. Nec enim aliqua vicissitudo in eorum ascensionibus, & descensionibus est. Simul & mittuntur in ministerium, & assistunt vultui maiestatis. *Angeli eorum* (haud dubiè paruulorum) *in cælis semper vident faciem Patris.* Matth. 18. Sic videlicet paruulorum custodiæ deputati, vt non priuati vllo modo beatitudine sua. Hinc est quod Ioannes sanctus ciuitatem Hierusalem descendentem vidit non cadentem. hæc S. Bernard. Has etiam idem Bernard. solas in Angelis agnoscit vias. sic enim ait. Ascensio, & descensio viæ Angelorum; ascensio propter se: descensio, vel potiùs condescensio propter nos. Sic beati illi spiritus ascendunt per contemplationem Dei, descendunt per compassionem tui, vt custodiant te in omnibus viis tuis: ascendunt ad vultum eius, descendunt ad nutum eius: nec tamen vel descendendo visione Dei fraudantur, quia semper vident faciem Patris. hæc ille, *serm.* 11. *in Psal. Qui habitat.*

Descendunt ad nos Angeli. S.Bernard. — D.Thom. *Angeli perenniter contemplantur.* — Lucæ 10. *Miser qui suã salutem negligẽs alienam curat.* — S.Bernard. *Quid significet ascensus, & descensus Angelorum.* — Matth. 18. — S.Bernard. *Quæ sint Angelorum viæ.*

Deus prouidus mundi rector.

11. *Et Dominum innixum scalæ.*] Hebr. *niçab* נצב *stantem super eam* עליו. stabat igitur Deus in scalæ cacumine, vt significaretur Deum esse primum principium, atque vltimum finem totius prouidentiæ: ex alto prospicere totam mundi machinam, illique gubernandæ assistere, vt gubernator in puppi residens, temonémque manu tenens nauem in salo dirigit: ab illo mitti Angelos ad executionem Diuinæ prouidentiæ; ad ipsúmque illa peracta demum reuerti. Stare videtur, quia prorsus in se immobilis, atque immutabilis

A

motu suo totum commouet orbem. Vti de Diuina sapientia scribitur: *Attingit vbique propter suam munditiam: & cum sit vna, omnia potest, & in se permanens omnia innouat.* Sap. 7. Quod Boetius metro suo ita expressit *lib.* 3. *pros.* 9.

Sap. 7.
Boetius.

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum, cælique sator: qui tempus ab æuo
Ire iubes, stabilisque manens das cuncta moueri.

Deus vnus conditor & rector mundi.

Angeli subinde ascendunt, & descendunt; sed inniti scalæ, seu stare super eam solius Dei est: qui enim solus condidit, solus gubernat orbem. Quod rectè intelligens Heliu apud Iobum dixit: *Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?* Iob 34. Quasi dicat: Solus, qui condidit orbem, illi gubernando præsidet.

Iob 34.

B

Vbi S. Gregor. Per se quippe mundum regit, quem per se condidit: nec eget alienis adiutoriis ad regendum, qui non eguit ad faciendum. Solus igitur præsens est in regimine, qui solus auctor fuit in creatione. *lib.* 24 *moral.* Nec planè (licet ita fieri posset, quod quidem non potest) congruenter orbem gubernaret, qui orbem non condidisset: quippe qui tunc à iustitia moderatoque regimine tanquam non suam, sed alienam familiam tractasset. In quem sensum videtur loquutus Heliu, vti exponit S. Hieron. his verbis. *Quem constituit, &c.* id est. Numquid alium rectorem posuit, qui à Creatoris iustitia discreparet? Ipse ergo quàm potens Conditor, tam pius est moderator; quia opus suum agnoscit, & diligit. ita S. Hieron. Illud ad mores subnotarim: Ostendit se Dominus Iacobo innixum scalæ, non descendentem verò, nec ascendentem: vnde mirandum haud est, quòd nec ipse Iacob plurima, & maxima in obsequio Dei, atque in virtutum studio ediderit: stantem enim videbat Dominum, non descendentem; innixum scalæ, non cursitantem; præsidentem, non ministrantem. Infirma siquidem est dignitas, inanísque doctrina, vbi morum, vitæque exemplum deficit. Icirco sanctissimus ille Cheremon pulchrè se excusabat cum à iunioribus illius monita, & consilia peterentur, eo quòd senex centum annorum docere non posset exemplo, quæ verbis inculcaret. Aiebat igitur: Quid vobis possum conferre doctrinæ, cum imbecillitas senectutis, vt rigorem pristinum relaxauit, ita loquendi quoque ademit fiduciam? Quemadmodum enim docere præsumam, quod ipse non facio? aut alium in eo instruam, quod me iam vel minùs, vel tepidiùs exercere cognosco? sic ille apud Cassian. *coll.* 11. *cap.* 4.

S.Gregor. — D Hieron. — C — *Inanis doctrina sine exemplo.* — D

Cassian.
Exemplum Christi efficax.

12. Descendit igitur Dominus, pertransiitque benefaciendo, pluráque fecit, quàm dixit, nobis relinquens exemplum vt sequamur vestigia eius præeuntémque. Ecce totus mundus (vt Iudæi indignantur) post eum abiit. Nouerit ergo qui præest aliis, non sibi ad sedendum, standúmve, atque otiandum, sed ad operandum, & ministrandum à Christo Domino impositam esse dignitatem, nec in aliorum tantùm salute, sed in propriis etiam virtutibus comparandis sibi laborandum patet. Sunt enim, qui dignitatem Ecclesiasticam adepti, tanta subinde securitate agunt, ac si virtutem omnem comparauerint. Quo in sensu eleganter S. Bernard. ad Eugen. scribit: Non tu (inquiens) de illis es, qui dignitates virtutes putant. Tibi antè experta virtus, quàm dignitas fuit. *lib.* 2. Vtroque excellat necesse est, qui regit alios, vt potens sit opere, ac sermone. Nihil enim (ait S. Hildebert.) ei cum prælati officio, cui nec mores ad exemplum nec ad doctrinam scientia suffragatur. Cæteris præsidet ad dispendium sanctimoniæ, non ad iudicium culpæ. *Epistol.* 38. Magnam profectò

Dignitas non est virtus, sed virtutem requirit. — E — S.Bernard. — S.Hildebert. *Indignitas prælati.*

suæ

suæ prouidentiæ curam declarauit Dominus erga Iacobum cum se illi ostendit innixum scalæ, vt per Angelos suos, qui hac illac commeabant, seruum suum in mœrore, ac periculo positum, & solaretur, & tueretur: sed negari non potest, quin illustrius suam illi curam, & prouidentiam demonstraret, si non in alto residens, sed ex alto descendens ad iacentem humi seruũ Dominus accurreret. Solus enim hominem redimere potuit, qui solus hominem creauit. Præmisit Elisæus famulum cum suo baculo, vt mortuum puerulum excitaret: accessit ille, tetigit baculo exanimem, clamoribus compellauit: sed frustrà tamen. Peruenit tandẽ Elisæus, cum virga non contingit defunctum, non clamando fatigat; sed inclinat se totum, mortuíque membris viuus adiungitur; ac tantus vir breuioribus pueri artubus se accommodat; quo facto demum calefacta est caro pueri, vitámque recepit. 4. *Reg.* 4. Quem locum ita expendit in typum Christi Domini S. Ambros. *Æger eram* (ait Dominus *Matth.* 25.) *& non visitastis me*. Laborat, vt me iacentem erigat. Vnde in Elisæo figura Domini præcessit, qui proiecit se vt mortuum erigeret, in quo symbolum est, quod nobis Christus commortuus sit, vt nobis resurgeret. Proiecit itaque se vsque ad nostram Christus fragilitatem, vt nos erigeret. hæc S. Ambros. *Epist.* 17. Quòd si velis cum Alcazar Deum in infimo scalæ iuxta Iacobum stare, totum hunc locum de prælati, rectorísve exemplo egregiè confirmabis ipso Domini ad cubantem hominem descensu. Innuitur etiam hoc loco, quanta sit efficacitas amoris: calore quidem vitali membris demortuis, gelúque rigescentibus infuso, non virgæ attactu puer ad vitam redit: amore siquidem, non terrore; amando, non castigando, pater, non iudex homini Deus redemptionem, salutémque impertiuit. bene adiungit S. Ambros. Commortui sumus Christo, & ideò conuiuimus. Christus nobis commortuus est, vt nos calefaceret, qui ait: *Ignem veni mittere in terram.* Luc. 12. Frigidus erat puer, calefecit eum Elisæus spiritu suo, dedit ei vitæ calorem. Calefieri non potest, cui ignis ardens non appropinquat. sic Ambros. Ah quam multos licet frigidos, ac demortuos ad vitam animæ reuocaret Prælatus, si eos non tam virga percuteret, quàm amore calefaceret? Et enim (vt pulchrè, hanc eandem historiam pertingens obseruat S. Petr. Damian.) is, quem terroris virga suscitare non potuit, per amoris spiritum puer ad vitam redit. *apol. de cont. secul. cap.* 28. Denique, qui alios ad vitam suscitare contendit, calorem in se vitalem habeat, quem transfundat: qui enim fieri potest, vt mihi vitam mortuo restituas si tu mortuus es? Quomodo mihi virtutem refundas, qui à virtute alienus in vitia volutaris? Abunda tibi prius, ac subinde aliis redundabis.

Christi exemplo victus est mundus.

4. Reg. 4.
D. Ambros.
Matth. 25.

Amor, non timor, vincit.

D. Ambros.

Luc. 12.

Prelatus amorem potius, quàm terrorem exhibeat.

S. Petr. Dam.

Male docet qui non exẽplo emonet.

13. Posuimus primariam, ac literalem scalæ istius expositionem; de mysticis (quæ plures traduntur à Patribus) celebrioribus nunc, breui tamen compendio, disseram. Ac prima quidem in hoc ordine sit ea, quæ ponitur à S. Aug. de incarnatione Filij Dei, de illius vita, & conuersatione in terris, ac præcipuè de morte in cruce pro nobis suscepta. In hac allegoria explicanda totum consumit sermonem, qui est 79. de tempore. vbi demum colligit: Isaac mittens filium suum typum Dei Patris habuit. Iacob, qui missus est, Christum Dominum designauit. Lapis, quem ad caput habuit, & oleo vnxit, & ipse significauit Dominum Saluatorem. Scala vsque ad cælos attingens, crucis figuram habuit. Dominus innixus scalæ Christus crucifixus ostenditur. Angeli ascendentes & descendentes per eam Apostoli, & Apostolici viri, & omnes doctores Ecclesiarum intelliguntur; ascendentes, quando perfectis perfecta prædicant; descendentes, quando paruulis & imperfectis simplicia, quæ intelligere possint, insinuant. hæc S. Aug. Quæ quidem expositio de significatione incarnationis Dominicæ traditur à Diodoro, Ruperto, & aliis. Quomodo autem hic sensus mysticus scalæ de incarnatione Verbi procedat, egregiè considerat noster Perer. 4. *disput.* super hoc idem caput. Ac de Crucis typo ita quoque S. Hieronym. ad illa verba Psalm. 91. *Exaltabitur sicut vnicornis cornu meum*, effatur. Ego puto Crucem Saluatoris illam esse scalam, quam vidit Iacob, & in illa descendebant Angeli, & conscendebant. In ista scala, hoc est, Cruce descendunt Iudæi, & conscendunt Gentiles. sic ille. Etenim in Cruce Domini scandalum habent Iudæi, nos omnem Dei virtutem, & gloriam: atque adeo ex illius vel tantùm conspectu miseri in omnem infidelitatis errorem, ac tandem in sempiternam perniciem delabuntur: nos verò per illius gradus ascendimus ad omnia recondita Diuinitatis mysteria, tandémque ad æternam beatitudinem subuehimur. Eodem sensu scalam interpretatur S. Zeno Veron. *serm.* 8. ad hunc modum: Scala proprio nomine Crux vocatur, quia per ipsam Dominus Iesus ministeria vniuersa conficiens atque conducens Patri suo, & Adam reportauit, & iter ad cælum omnibus se sequentibus patefecit. sic ille. Similiter Eustachius Antiochenus: Iacob (inquit) mysticè corporatam Domini speciem vidit, & triumphale Dominicæ Crucis sub figura scalæ trophæum contemplatus est. hæc ille, *in catena.*

Scala Iacob typus incarnationis & crucis Christi.
D. August.

Apostolica prædicatio.

Perer.

Psalm. 91

Qualis crux Christi erga fideles & infideles.

S. Zeno.

Eustach.

Iacob reuelata est Crux Domini.

14. Non minus apposita significatio huius scalæ illa esse potest, quæ habet cognitionem, quam in hac vita de supremo Conditore homo comparat, fieri per gradus creaturarũ ascendendo; itemque per eosdem descendendo vsque ad naturæ inferioris effectus, & proprietates, cuius tandem discursus, ac disceptationis terminus in Deum vnum omnium rerum Creatorem, & Rectorem desinit: in qua scala, siue Diuinitatis contemplatione, non idem est omnium intelligentium status, cum alij aliis altiùs ascendant, Deóque propiùs accedant: etsi tamen quæcunque illa sit Diuini numinis cognitio, ab eodem planè descendat. Nam (vt disertissime adnotauit S. Greg. Nazianz.) in hac vita mortali, quicquid ad nos vsque pertingit, aliud nihil est quàm exiguus quidam riuulus, ac velut paruus magnæ lucis radius. Quamobrem si quis Deum cognouit, eatenus cognouisse credendus est, quatenus vberioris splendoris particeps sit, quàm qui minus luminis diuinitus accepit. Itaque exuperantia hæc, plena, & numeris omnibus absoluta cognitio existimata est, non ad rei ipsius veritatem, sed ad aliorum modulum, & facultatem perpensa. Ita Naz. *orat.* 34. Paruula quidem etiam in summis Philosophis, ac Theologis cognitio est Dei, si cum Diuinitatis maiestate conferatur, magna tamen censeri, ac dici poterit, si cum ea comparetur, quam minùs docti assequuntur. Hoc enim sensu loquitur Theologus. Porrò Tertul. ad finem, *lib.* 3. *contra Marcionem*, de significatione huius visionis ita scribit: Cum Iacob somniat scalas obfirmatas in terra ad cælum, & Angelos alios ascendentes, alios descendentes, innixum desuper Dominum temere si forte interpretabimur, scalis his iter ad cælum demonstrari, quò alij perueniant, vnde alij decidant, Domini constitutum esse iudicium. sic ille.

Dei cognitio per effecta

S. Greg. Naz.

Obscura in nobis cognitio Dei.

Tertull.

Dei iudiciũ in scala Iacob figuratur.

Stat igitur in summo culmine Deus hominum A merita, ac demerita discernens ac diiudicans. Ad illum omnes peruenire volumus: desiderio quidem, & spe ascendimus: at charitatis affectu pariter, & effectu pauculi omnino accedunt: multi

Perfectio paucorum.

enim sunt vocati, pauci verò electi, qui scilicet scalam sibi bonorum operum à terra in cœlum constituunt. Vidit hanc in somnis Iacob, sed eam viri sancti pertranseunt, vt de magno Basilio scribit S. Greg Nazianz. Huius (inquiens) non conspectam tantùm, sed & transitam & per quotidianos gradus conscensam scalam laudo. *orat.* 20.

S.Greg.Naz.

15. Frequentissima est apud Patres hæc scalæ interpretatio de progressu, ac perfectione in virtutibus. Ac primò quidem recedendum à terra B præscribitur, & oculis, ac desiderio in superna ascendendum, quousque tandem perueniatur ad Deum in summo cacumine consistentem. quod mysterium sic euoluit S. Greg. Nyss. Opinor ego vitam cùm virtute coniunctam Iacobo per speciem scalæ effingi, atque informari, vt & ipse disceret, & posteris traderet, quod aliter ad Deum erigi, atque extolli non licet, nisi quis semper superna contueatur, ac spectet, & sublimium rerum desiderio continenti teneatur, vt non contentus sit in iis, quæ rectè iam fecerit, & consequutus sit manere, sed in damno ponat, si superiora non attingat, & assequatur. hæc Nyssen. *orat.* 5. *de beatitud.* Cæterùm de hoc indefesso studio virtutis paulo inferiùs differemus. Deinde per gradus pau- C latim ascendendum: hoc est, declinandum à vitiis, & in virtutum incrementa in dies procedendum: in quam sententiam differit hoc modo S. Ambros. *Declina a malo, & fac bonum.* Psalm. 36. Hic enim ordo est disciplinæ, vt ab inferioribus ad perfectiora contendas, ne terrearis molo malorum, qui leuiorum exordio debeas prouocari. Scalarum enim similem esse scriptura nos docet pietatis ascensum, per quas vidit Angelos Domini ascendentes, & descendentes Iacob vir exercitationis, qui nobis propositus est, vt per illum cognosceremus gradum virtutis paulatim nos proferre debere, & ita posse ab imis ad summa contendere, si per processus gradiamur exiguos ad D ea, quæ videntur humanæ altiora naturæ. hæc S. Ambros. Veruntamen quia tot per gradus ab humo sese erigens in cælum scala hominem natura infirmum, vitiosâque corruptione etiam infirmiorem ab ascensu studióque virtutum potest deterrere: monendus ille omnino est, vt tandem incipiat; dimidium enim facti qui bene cœpit, habet. Vnum pertranseat gradum; deinde alius faciliori iam ascensu subeuntem excipiet. Sed hoc idem præstat ex S. Ambros. audite, qui sic progreditur. Ne timeas ô homo gradus hos ascendere disciplinæ. Primus gradus vicinus est terræ, sequens similis est priori. Sic per æquales gradus ad summa conscenditur. Ne fastidias ô homo pri- E mum illum velut vilissimum gradum. Ille primus ascensus te à terris separat; aërem calcas, vbi ab humo eleuaueris vestigium. In virtute positus surgendo liquisti terram. Terram relinquis, si culpam declines. Exordium ergo processionis ad virtutem est abstinere à peccato. hæc ille. Quorum similia leguntur apud S. Basilium *in Psalm.* 1. Qui vero scire cupiat, quinam, & quales gradus perfectioris vitæ statuantur, legat Bened. Perer. *disput.* 5. hoc loco. Paulatim dicimus procedendum in virtutum studio; id enim in gradibus, qui non simul omnes vno saltu, sed pedetentim, ac per interualla transiguntur, significatum est, vbi etiam ascendentes, non volantes Angelos legi-

Oculi & desideria in cælestia.

S.Greg.Nyss.

S. Ambros. Psalm. 36.

Progressus in virtutibus.

Paulatim in virtutes procedendum.

D.Ambros.

mus. Quamobrem, vt magistri rerum spiritualium præscribunt: Nolo repentè fieri summus; paulatim procedere volo: ascendendo, & non volando apprehenditur summitas scalæ. Plenæ sunt historiæ deplorandis multorum casibus, qui feruore inordinato virtutem aggressi non per gradus ascendere, sed vno impetu transuolare contendentes non modò illius perfectionem assequi nequiuerunt, verùm etiam in barathrum vitiorum, atque extremæ perditionis deciderunt.

Perfectio non repente comparatur.

16. Illud quoque, vel maxime in exercitatione virtutis animaduertendum est, vt nec operum, nec temporum termino circumscribatur: cum ea scala per gradus à terra in cælum subrecta non nisi in Deo consistat, qui omnino infinitus, ac sempiternus est. Vera enim virtus (vt scribit S. Bernard.) finem nescit, tempore non clauditur. Nunquam iustus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit: Satis est: sed semper esurit, sititque iustitiam, ita vt si semper viueret, semper, quantum in se est, iustior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad tempus instar mercenarij, sed in æternum Diuino se mancipat famulatui. Audi vocem iusti: *In æternũ non obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis viuificasti me* Psalm. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternũ.* ibidem. Proinde *iustitia eius manet in seculum seculi.* Psal. 110. Sempiterna itaq; iustitiæ esuries sempiternã meretur refectionem. Hæc S. Bern. *Epist.* 253. At est, qui causetur & difficultatem ascensus, & longitudinem immensam scalæ, vsque ad conspectum Dei. Bene id quidem si nostræ infirmitatis qui conscius est, non esset pariter adiutor. Quorsum enim in summo scalæ Deus stare conspicitur, nisi vt vultu suo, manúque subeuntes confirmet. audi S. Hieron. Vidit (inquit) Iacob scalam vsque ad cælum tendentem, in qua Dominus desuper innitebatur, ascendentibus porrigens manum, & negligentes de sublimi præcipitans. *Epist.* 27. *ad Eustoch.* Sed qui sunt isti, qui iam ascenderant, & post aliquot, vel plurimos etiam gradus pertransitos in sublimi positi deorsum à Domino detruduntur? Eos intelligo, qui aliqualem statum virtutis adepti non vltrà progredi curant, sed in eo consistentes inaniter sibi blandiuntur: sufficit nobis (vt notauit S. Bern.) nolumus esse meliores quàm patres nostri. O monache (adiungit) non vis proficere? Non. vis ergo deficere? nequaquam. Quid ergo? sic mihi, inquis, viuere volo & manere in quo perueni, nec peior fieri patior, nec melior fieri cupio. Hoc ergo vis, quod esse non potest. Quid enim stat in hoc seculo? & certè de homine specialiter dictum est: *Fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.* Iob. 14. hæc S. Bernard. *Epistol. citat.* Itáque negligentes illi, qui nolunt proficere, dicuntur à Domino præcipitari de sublimi, quia planè deficiunt & ad vomitum redeunt, fiúntque aliquando nouissima istorum hominum peiora prioribus. Quis enim de alto deiectus non continuò, aut perit, aut fractis ceruicibus, laceratísque artubus iacet semimortuus?

Virtus limite caret.

S.Bernard.

Insatiabilis iusto virtus.

Psalm. 118.

Psalm. 110.

Deus cõscius & adiutor nostræ infirmitatis.

D.Hieron.

S. Bernard.

Deficere est non proficere.

Iob. 14.

Infelix ruina spiritualium.

17. Suam illam sententiam deinde confirmat S. Bernard. istius scalæ visione: Vidit (inquiens) scalam Iacob, & in scala Angelos, vbi nullus residens, nullus subsistens apparuit: sed vel ascendere, vel descendere videbantur vniuersi, quatenus palàm daretur intelligi, inter profectum, & defectum in hoc statu mortalis vitæ nihil medium inueniri: sed quomodo ipsum corpus nostrum continuè, aut crescere constat, aut decrescere: sic necesse sit & spiritum, aut proficere semper, aut deficere

S.Bernard.

Inter profectum & defectum non datur mediũ.

cere. hæc ille. Ascendamus igitur, & curramus, longa enim nobis restat via vsque ad summitatem scalæ, cui Dominus IESVS innititur, ad brauium vsque coronæ, quæ in fine vitæ datur perseuerantibus. S.Bernard. Enimuero *ipse Dominus* (vt Bernard. addit) *quandiu in terris visus est, non stetit, sed pertransiit benefaciendo.* Actor. 10. Actor. 10. *Pertransiit*, sicut non infructuosè, ita non remissè, non pigre, non lento gradu, *Christi cursus in mundo.* sed *exultauit vt gigas ad currendam viam.* Psal. 18. Psalm. 18. Porrò currentem non apprehendit, qui & ipse pariter non currit. Et quid prodest Christū sequi, si non contingat consequi? ideo Paulus aiebat: *Sic currite vt comprehendatis.* 1. Corinth. 9. 1.Corinth. 9. Ibi tu Christiane fige tui cursus, profectúsq; metam, vbi Christus posuit suam. *Factus est obediens vsque ad mortem.* Ad Philipp. 2. ad Philip. 2. Quantúlibet ergo cucurreris, si vsque ad mortem non perueneris, brauium non apprehendis. *Perseuerantia in bono.* hactenus ille. Hanc sibi mortem exoptabat sanctissimus Iob, in qua quietus, securúsque vitam finiret, sed perdurante tamen adhuc bonorum operum viriditate vegetus, ac florens: aiebat enim: *In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.* cap. 29. Iob 29. Sicut palma etiā in morte. Nam (vt animaduertit S. Gregor.) palma tardè D.Gregor. crescit, sed diu in viriditate subsistit. *lib. 9. moral. cap. 16.* Cæterùm S. Bernard. *super Ecce nos reliq.* S. Bernard. religiosam vitam dicit esse hanc scalam, cuius duo latera sunt asperitas vitæ, & humilitas mentis. *Religiosa vita scala est.* Illa continet mortificationis corporalis exercitium, hæc mundani honoris contemptum. Tertull. Tertull. *initio lib. de fuga in persecut.* subtili accommodatione scalam istam persecutionem ipsam vocat. *Persecutio scala est.* Hæ etiam (inquiens) scalæ, quas somniat Iacob, aliis ascensum in superiora, aliis descensum ad inferiora demonstrantes. Sic & agonem intelligi capit persecutionem: à quo certamen edicitur, nisi à quo corona, & præmia proponuntur? sic ille. Igitur Deus in summo consistens, & certamen indicit, & præmia vincenti ostendit: Iacob athletam gerit, scalæ gradus subeundi laborem omnem ac difficultatem in certando repræsentant.

Scala Iacob pænitentiam significat. 18. Pulchra & illa interpretatio scalæ apud S. Hier. de vera, & perfecta pœnitentia, quæ peccatoribus à terra in cælū, à peccato ad gratiā, à morte ad vitam æternā subeunda occurrit. Per hanc Dauid ille magis pœnitendo, quàm peccando notior ascendit. De quo scribitur 2. *reg.* 23: *Dixit vir, cui constitutū est de Christo Dei Iacob.* 2. Reg. 23. ad quæ verba sic Hieron. *in quæst. super lib. Reg.* D. Hieron. In Hebræo (inquit) *cui constituta est*: per quam conscenderet ad Deū, *Dauidis pænitentia* eo quòd idem scilicet confessus fuerit se peccasse Domino in Vria Etheo; & pœnitentiam agens per hanc scalam conscenderit ad Deum. hæc ille. A terra quidem hæc scala pœnitentiæ in cælum assurgit: non autem ab inferno, vbi non inuenitur *Pænitentia locus non est infernus.* voluntaris commutatio diuinitus adiuta, & eleuata; sed impatientia sensus, vi tormentorum coacta. quod S. Chrysost. *homil. de diuite & Lazaro,* D.Chrysost. ita contorquet in miserum: Frustra agis pœnitentiam, vbi non est pœnitentiæ laus. *Diues auarus in inferno.* Tormenta te cogunt, non mentis affectus. hæc S. Chrysost. Vera igitur & secura in cælum hominibus scala est *Confessio scala in cælum.* Christiana delictorum confessio. Non minùs ad mores conducit alia eiusdem scalæ significatio, de qua idem S. Hieron. scribit *Epist. 11. ad Gerontiam,* D.Hieron. ita inquiens: Iacob fratrem fugiens, magnis in patris domo diuitiis derelictis nudus pergit in Mesopotamiam, & vt nobis fortitudinis præberet exemplum, lapide capiti supposito vidit scalam ad cælum vsque subrectam, & Dominum *Securus à ruina nullus est.* innitentem super eam, per quam ascendebant Angeli, & descendebant: vt nec peccator desperet sa-

A lutem, nec iustus de sua virtute securus sit. hæc ille. Videmus igitur de cælo Angelos corruere: quis non sibi timeat? *Timete Dominum omnes sancti eius.* Psal. 33. *Et qui stat, videat ne cadat.* 1. Corinth. 10. Psalm. 33. 1. Cor. 10. Ille qui filij nomen, & honorem, atque delicias in domo patris, lætus, ac securus possidebat, inde *Filij prodigi ruina & surrectio.* profectus, non expulsus, in fame & nuditate, atque in omni dedecore ad pascendos tandem porcos detrusus est; sed ipsemet demum ad se reuersus surrexit, iuítque ad patrem, apud quem maiorem pristina obtinuit felicitatem. *Luc.* 15. Luc 15. Repræsentat etiam vnumquemque nostrum scala ista Iacob. Vt enim Angelorum alij ascendere, alij descendere in scala videntur: ita in quoque nostrum B quædam cogitationes, ac desideria ascendunt, alia descendunt. Illa quidem à parte rationali sursum tolluntur, hæc a sensitiua, & animali (vt vocat Apostolus) deorsum labuntur. At bonus athleta virtutis (quo nomine Philo Hebræus vocat Iacobum) Philo. inter hæc tam disparia, & inuicem pugnantia egregiè depræliatur. Non quidem succumbit, *Pugna cum vitiis, & victoria de iisdem.* non arma proiicit, non tradit manus victori quisquis adhuc appetitum rationem non subiicit. Quandiu sursum feruntur in mente desideria, & affectus, etiamsi deorsum suopte pondere carnis appetitiones deprimantur, non vincitur, non iacet, sed victor stat athleta virtutis. Enimuero Paulus hoc vnum exigit: *Non regnet peccatum in corpore vestro mortali ad obediendum concupiscentiis eius.* C ad Rom. 6. ad Rom. 6. Peccatum, scilicet fomes peccati, vnde istud oritur, accenditur, nutritur; ipsa nimirum ad peccandum propensio non regnet. Rex quidem admittitur populi consensu; libenter, & alacriter obeditur, seruitúrque regi; contra verò tyranni potestas violenta est, coactum, & inuoluntarium illius imperium. quis enim tyranno haud, animo saltem, non contradicit? quis illius mandata non inuitus, dolens atque illacrymans exequitur? Iubet ergo (inquit Theodor.) Theodor. nos non deponere peccati tyrannidem, sed ei non cedere immodicè ac- *Gloria ostentare, & vincere.* cendenti appetitiones corporis. Regnum in hoc differt à tyrannide, quòd existat quidem tyrannis, inuitis subiectis, regnum autem iis volentibus, quibus imperatur. hæc Theodor. Itaque non di- D cit Apostolus: Ne patiamur tanquam tyrannum; sed ne illi tanquam regi pareamus, dum ita se gerit athleta, cælum patescit, Deus prælianti aduersus tyrannum, illúmque coactè patienti pulchram suam, ac beneuolam faciem è sublimi ostendit. Tentari quidem non est ignominia, non infirmitas, cum sit gloriosum non vinci, non succumbere.

19. Denique, ne omnia sigillatim, quæ de scala ista dicuntur, infinito labore percurram, illa sit vltima expositio D. Ambros. Vidit (inquit) Iacob S.Ambros. angelos Dei ascendentes, & descendentes, hoc est Christum præuidit in terris, ad quem Angelorum caterua descendit, atque ascendit, obsequium proprio Domino pio præbitura seruitio. *lib. 2. de Iacob, cap. 4.* Itaque iuxta S. Ambrosium E Iacob simul cum ista visione diuinam accepit reuelationem, Dei carnem humanam assumpturi: quid enim aliud significat Deus scalæ fastigio innixus, nisi diuinitatem humanitati vnitam, iuxta illud Pauli, *Caput Christi Deus?* 1. Corinth. 11. 1.Cor. 11. At quænam ista scala est, per quam Deus in terras descendit; & per quam Angeli, vt cum hominibus conuersentur, descendunt, atque homines in An- S.Io. Damasc. gelos transmutati ascendunt? Nimirum illa est *B. Maria scala cæli.* semper Virgo Maria (vt egregiè appellatur à S. Ioanne Damasceno) iustitiæ fons, sanctitatis thesaurus, gloriæ Domini tabernaculum. Dei ciuitas, per quam Domini gloriam perspicuè intueri no-

bis datum est. sic Damasc. *orat. 1. de dormitione Deiparæ*; quam deinde affatur in hunc modum. An non cuiuis perspicuum est scalam Iacob te præsignasse? Vt enim ille per extremas scalæ partes cælum cum terra copulatum, & Angelos per eam descendentes, eúmque, qui verè fortis, & insuperabili robore præditus est, typicè secum decertantem vidit: eodem modo tu quoque mediatricis munere perfuncta, descensúsque Dei scala effecta (per quam ipse infirmam nostram massam assumpsit, sibiq; ipsi coniunxit, ac copulauit, fecitque, vt homo Deum nunc cernat) ea, quæ inter se dirempta erant in vnum coëgisti. Hinc Angeli quidem ad eum descenderunt, vt videlicet Deo, ac domino inseruirent: homines autem angelicæ vitæ ratione vsi in cælum sublimes rapiuntur. hæc ille. Proh quàm recta, quàm facilis, quàm secura nobis ad cælum, atque ad Deum via oblata est in sanctissima Virgine Dei Genitrice Maria! In hac interpretatione scalæ de Virgine Dei Matre Deus stans, vel innitens in summo culmine repræsentare mihi videtur Diuinum Spiritum, qui superuenit in Virginem, & cuius virtus obumbrauit illi. *Luc.* 1. Quæ verba doctè, piéque ad hunc modum exposuit Cassian. *lib. 2. de Incarnat. cap.* 2. Ne ad introitum diuinitatis humana fortasse infirmitas non subsisteret, venerandam omnibus Virginem virtus Altissimi roborauit, vt corpoream imbecillitatem circumfusa vmbræ suæ protectione firmaret, & ad consummandum conceptus sacri inenarrabile Sacramentum humana infirmitas non deficeret, quam Diuina obumbratio sustineret. hæc ille.

Spiritus sanctus in Virgine Maria.

Lucæ 1. Cassian.

20. Passiuè vertitur in vulgata (*innixus*) & LXX. *firmatus*. Quo significatur infirmitas hominis Dei, à Matre sua Virgine maternis officiis fidelissimè, ac suauissimè sustentata; quod longo quidem, sed iucundissimo tamen sermone ita ostendit S. Bernardin. Nulla fuit Domino similis ministratrix. Nã primò alij induunt pauperes de lana ouis: ipsa verò induit suum diuitem de purissimis sanguinibus suis. Secundò alij induunt de panno; ipsa verò de corpore suo. Tertiò alij pascunt pauperem pane extrinseco: ipsa verò pauit humanatũ Deum de lacte proprio. Quartò alij suscipiunt pauperem hominem in tugurio: ipsa verò suscepit immensum Deum in corde, & corpore suo; cui in terris peregrinãti facta est hospitium amorosum. Quintò alij propter Deum administrant infirmo: sed Maria ipsi Iesu Deo in pauperculo corpore infirmato officiosissimè ministrauit, ipsum lauando, ipsum fasciando, ipsum reclinando, atque in brachiis baiulando. sic ille. Non minùs piè, ac dulciter, quàm doctè, atque eleganter maternæ pietatis officia, quæ Virgo beatissima Deo Filio suo in terris agenti præstitit, commemorans vltrà his verbis progreditur. Sextò alij consolantur plorantes homines: Maria autem paruulum Deum plorantem & ipsa cum Iesu paruulo corde compassionato affectuosissimè plorans illum dulcissimè consolatur, atque dulci, ac suaui locutione blanditur. Septimò, alij soliciti sunt, ne aliquid deficiat inopi: sed Maria solicita ministratrix fuit, & manibus suis laborauit, vt subueniret Deo homini pro salute omnium indigenti. Octauò, alij incarceratos & vulneratos homines visitant, & eis compatiuntur, dum viuunt, atque mortuos sepeliunt: Maria autem Deo homini Iesu Christo pro nobis capto, atque ligato, ac dura carceratione ligno crucis affixo, & vulneribus dilaniato, tanto dolore compassa est, vt inexpressibile sit etiam Angelicæ linguæ. hæc ille, *tom. 2. serm. 51. art. 3. cap. 3.*

S. Bernard.

B. Maria exhibuit Deo Filio pietatis officia.

B. Maria compassa in Filij passione.

A Vno verbo S. Method. omnia complexus ita semper Virginem Mariam compellat. Ille, cuius sunt omnia, tui factus est indigus: tu enim admirabilem incarnationem, quam aliquando non habuit, Deo mutuam dedisti: debitorem illum habes, qui omnibus mutuò dat. sic ille apud Bozium *lib. 9. cap.* 7. Per hanc scalam Deus in terras descendit, & homo factus cum hominibus conuersatus est; per hanc homines à terris in cælum ascendunt, Deum vnum verum agnoscunt, adorántque, & in æterna demum beatitudine Diuinitatis consortes, ac participes fiunt. Habet enim versio Chald. *Et ecce gloria Domini stabat super eam.* Quid luculentius ad Virginis Deiparæ commendationem?

S. Method.

B. Maria scala & gloria Dei.

21. Salutemus ergo cum S. Cyrillo Alexand. B hanc Virginem de Deo, atque hominibus optimè meritam: Salue per nos sancta Dei Mater, pretiosus totius orbis thesaurus; sceptrum rectæ doctrinæ; per quam sancta Trinitas per vniuersum orbem adoratur, & glorificatur: per quam sanctum baptisma credentibus contingit; per quam gentes ad pœnitentiam ducuntur. sic B. Cyrill. *hom. 6.* Denique (vt vocat S. Proclus Cyzici Episcop. *de laudib. Virg.*) Maria est secundi Adami paradisus, salutaris reconciliationis panegyris: Maria sola pons est, per quem Deus ad homines descendit. sic ille. adde: & per quem homines ad Deũ ascendunt. Itaque ô suauissima Dei Mater, tibi post Deum Filium tuum debeo, & cum omni gratiarum actione refero acceptum, quòd Christianus C sum, quòd religiosus, quòd sacerdos, quòd hæc in tuas laudes scribo, quòd viuo, quòd spero te ac Filium tuum in cælo videre. Fiat ergo per te, vt spes mea adimpleatur, votísque facta, & præmia succedant. Porrò licèt Virgo Dei Mater, eiúsque singulæ virtutes nomenclaturam cœlestis scalæ mereantur, maximè hoc nomine commendatur à S. August. Virginis Deiparæ humilitas, quam Deus ipse respiciens auditis illis verbis: *Ecce ancilla Domini, &c.* illico à sinu Patris descendens Verbum caro factum est. Sic enim loquitur August. Hæc Virgo gloriosa beatam se dici ab omnibus generationibus manifestat, eo quòd eius humilitatem Deus respexit. O verè beata humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus D edidit, cælos innouauit, mundum purificauit, paradisum aperuit, & hominum animas ab inferis liberauit. O inquam verè gloriosa Mariæ humilitas, quæ porta cæli efficitur, scala cæli constituitur. Facta est certè humilitas Mariæ scala cœlestis, per quam Deus descendit ad terras, quia respexit, &c. hoc est, comprobauit, & placuit ei humilitas mea. hæc ille: vel alius antiquus doctor apud illum, *serm. 2. de assumpt.*

S. Cyrill. Salutatur B. Maria.

S. Proclus. B. Maria pons Dei, & hominum.

Beneficia Dei per B. Mariã dantur.

Lucæ 1.

B. Mariæ humilitas scala cæli.

SECTIO IV.

E *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac: Terram, in qua dormis, tibi dabo & semini tuo Eritq́, semen tuum quasi puluis terræ,* &c. vsque ad *locus iste.*

1. RECtè Caiet. obseruat ad hunc locum: Manifestat (inquiens) Deus stãs supra scalam in cælis, seipsum esse Deum, qui dat esse omnibus, & qui specialiter cultus, adoratúsque est summus Iudex, tum ab Abraham, tum ab Isaac, vt Iacob confidat in ipso eodem Deo. sic ille. Abraham verò, & Isaac tantùm nominantur, quia ad eos præcipuè factæ sunt à Deo promissiones de futuri seminis

Caietan.

Promissiones Dei ad Patriarchas.

minis innumerabili multiplicatione, de Chananæorum terræ possessione habenda; denique (quod omnem excedit beneficentiam, & amorem) de Messia venturo in mundum ex stirpe ipsa, & sanguine gentis Hebrææ, cuius ipse Iacob tunc post auum, & patrem dux vnus, & princeps erat. Affatur igitur Deus Iacobum, vt sciat illum esse Deum, cuius tot, ac tam admirabiles erant promissiones, illásque ad integrum omnes ab illius manu beneuolentissima, & potentissima se, suósque deinde posteros consequi posse confidat. Quo planè mirandum in modum recreatus, & confirmatus Iacob timorem omnem atque mœrorem deposuit, quem abstractus à parentum conspectu, & à patrio solo in exteras, & ignotas regiones pulsus, atque in vasta illa solitudine pernoctans conceperat. In quem sensum hæc est egregia obseruatio S. Chrys. Considera hic eximiam curam misericordis Dei; quia videbat iuxta consilium matris propter timorem fratris suscepisse peregrinationem, & quasi erronem quendam viam facere, & solum, ac ab aliis abstractum, nullámque habentem consolationem vllo ex loco, sed tantùm in supernum auxilium proiectum: statim in ipso initio volens confirmare alacritatem eius, apparet, ac dicit: *Ego sum Deus Abraham, & Isaac patris tui.* Ego & auum & patrem tuum in tantam gloriam crescere feci. Ne igitur timeas, sed crede quod ego qui impleui illis suas promissiones, & te mea cura, & prouidentia dignabor. Ne timeas, sed confide: & omni timore depulso crede his, quæ à me dicuntur. hæc S. Chrys. *homil. 54. in Genes. Ego sum Deus*, quam propriè atque appositè dicitur homini afflicto, & mœrenti: *Ego sum Deus.* Vnicum sanè refugium portus, & statio fidissima nautis. Ad sanctum Christi confessorem, qui grauiter ab impiis multa perpessus est, ita scribit S. Paulin. Christi tibi gremium, lectulus erat, & dextra puluinar. sic ille. Quid mirum igitur si vir sanctus in Christi sinu, atque inter illius brachia, etsi afflictus, & laniatus admirabilem exhibeat patientiam? sed & illud Domini amorem non minus ostendit, cum carnifices actutum acerbissimè puniuit. vnde optimè exclamat idem Paulin. O Christi ineffabilis bonitas, quantum in suos ostendit affectum! iniuriam confessoris sui non tulit impunitam, qui suis crucifixoribus rogauit ignosci. Contumeliam martyris statim vltus est, qui passionem suam noluit vindicari. hæc ille, *Epistol. 16.*

Iacob exulans à Deo recreatur.

D. Chrysost.

Deus afflictis r. fugium.

S. Paulinus. *Deus suis seruis occurrit, pro eisque pugnat.*

S. Paulinus.

2. Excipit Dominus fugientem ab Esau, & qui scalæ innititur, hoc est in cruce pendet (vt ex Aug. Hier. & aliis sect. præced. vidimus) mirandum in modum solatur afflictum, solum, omni rerum humanarum præsidio carentem, scilicet non mea sentio vulnera cum Domini mei crucifixi vulnera inrueor: ab his quidem diuinarum gratiarum liquores exuberant, quibus nostrorum omnium incommodorum, & calamitatum flammæ restinguuntur. Christi enim miseriæ (ait S. Bernard.) mundi deliciæ sunt. *de Assumpt. serm. 4.* Sic Dominus clementissimus torrente voluptatis suæ interdum seruos suos perfundit, ne si diutius æstu laborum fatigentur, aut deficiant, aut virtutem nimis molestam, & infsuauem arbitrentur. Quocirca iure optimo scripsit S. Gregor. Nyssen. *lib. de Virgin. cap. 23.* Somniatores sunt, qui immanem, & feram virtutem opinantur. sic ille. At est cum virtute coniunctus labor, vt hic expertus est Iacob; bene: sed ounquid malorum hominum via non pluribus constrata est spinis, quàm floribus? Cui quæso in peccatis non plus dolorum,

Christus in cruce solatii afflictorum.

S. Bernard. *Diuina consolationis subsidium.*

S. Greg. Nyss. *Somniant qui virtutē asperam censēt.*

A quàm voluptatum inest? Seueriorem Diuinæ legis repulerat Samaria disciplinam, & cum nefando idolorum cultu omnem vitiorum impuritatem complexa erat. At misera plus fellis, quam mellis à suis idolis, & vitiis hausit. Quia (vt Propheta contestatur) *infirmata est in bono, qua habitat in Maroth.* Mich. 1. vbi S. Hieron. *Habitat in Maroth*, id est, *in amaritudinibus.* siue vt Symmachus vertit: *Habitatio ad amaritudinem prouocans*, sic ille. LXX. leguut *habitat in doloribus.* Vide obsecro quàm sit infirmata in bono suo, quo lasciuiens fruebatur Samaria: quæ pro vno tantum bono amaritudines recepit, seu potiùs habitans in bono illo vno simul habitabat in doloribus. Præmiserat Propheta: *Planctum domus Asel accipiet ex vobis.* iuxta B LXX. *Plangite domum: accipiet ex vobis plagam doloris.* Videtur ita loqui Propheta: O vos vaccæ pingues Samariæ, *potentes nimirum* ac luxuriosi homines, qui diabolo, & carni vestræ in sanam vitiorum, & cupiditatum substructionem erigitis; ipse (vt interpretatur S. Hieron.) inimicus, & victor diabolus vobis inferet plagas, & extorquebit pro ædificatione pessima plagarum dolorem. Quæ propterea inferuntur, vt sentientes peccata quæ fecerant, agant pœnitentiam, & dolorum habitatio sit eis bonorum occasio. hæc S. Hieron. Fit siquidem Dei misericordia sic disponente, vt in medio suarum voluptatum mille sentiant amaritudines isti amatores mundi, & carnis mancipia, vt saltem absynthio (si non timore, aut amore C Dei) suis impuris deliciis superinfuso à vitio ad virtutem, à carne ad spiritum, à diabolo ad Deum reducantur.

Impiorum vita doloribus plena.

Mich. 1. D. Hieron.

Dolor ex voluptate.

D. Hieron.

Dolor ad pœnitentiam.

Mala delicia absynthio perfusa.

3. *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac.*] Hoc etiam sensu dicitur (vt iam alibi subnotauimus) quasi filius Abraham, & filios Isaac: & si Deus in summo culmine consistat, Deus tamen homo factus in terra nascitur, conuersatur inter homines, moritur denique pro hominibus. Ne igitur, ô Iacob, ô Iudæe, despicias in terra, quem de cælo loquentem audis! Verbum est Deus in sinu Patris, idémque puer in vtero, & ad vbera matris. Quid negas, quod iam cælum, & terra lignis euidentissimis contestatum prædicat? Ergo tu porta (vt cum Guarrico dicam) *colligationes impietatis fasci-* D *culos deprimentes.* Isaiæ 58. Ego portabo fasciculum myrrhæ, quem Maria mihi colligauit, pannisque inuolutum in præsepi reposuit. Dominum, quem Israël non cognouit, nos ex gentibus cognoscimus, quem dum nobis Saluator ideò non viluit, quia misericorsesse voluit; sed eò nobis tenerior est in affectu, quo minor est in aspectu. hæc ex Guarric. *serm. 3. de Natiuit.* Scala hæc, in qua cælum, & terra coniunguntur, scilicet Verbi incarnatio humanitatem Diuinitati personaliter adunit, nec tamen Diuinitatis maiestatem aut confundit, aut extenuat. Doctè, piéque in hanc sententiam, ita subscribit Euseb. Emiss. Verbum caro factum vestit in mundum non deposita, sed seposita maie- E state. Ita est pro nostra salute misericors humiliata maiestas, vt tunc non adimeret dignatio dignitatem; assumpta est humanitas non assumpta Diuinitas. Ad nos quidem per Matrem venit, sed tamen cum Patre regnauit. Et quid mirum? Lux ipsa qualibet infundatur terris, ordine tamen suo nihilominus fulget in cælis. hæc Euseb. *hom. 2. de natal.* Pulchrè ac dulciter Dominus in summo scalæ consistens profugum, solum, inopem Iacobum viri religiosi, qui cum mundo res omnes humanas, pro Christi amore, atque obsequio valere iussit, egregium typum consolatur, ac roborat, quasi dicat: Heus tu qui pro me pauperem,

Dei incarnatio.

Guarric. Isaiæ 58. *Christus gentibus notus & charus.*

Qualis incarnatio Verbi.

Euseb. Emiss.

Religio scala cæli.

ac seueram vitæ rationem amplexatus ad meam scalam ab humo in cælos erectam assides, dormisque securus a seculi negotiis, & inanium curarum, vilissimarúmque cupiditatum assultibus, ac tumultibus. Tolle oculos in sublime, Deum tuum in culmine inuitantem, & excitantem contuere. Scala est religiosa vita ascensu quidem ardua, descensu præceps; vbi multiplex contra carnem asperitas, sed ea tamen certò, rectóque in cælum tendit, per eam tutò in cælum intratur; angusta via est, sed ad vitam ducit. Recreet, animérque finis, & porta, & vita, & Dei facies in terra laborantem, à terra subeuntem. rectè S. Aug. Angusta (inquit) est via, quæ ducit ad vitam, & tamen per ipsam, nisi dilatato corde non curritur: quia iter virtutum quo gradiuntur pauperes Christi, amplum est fidelium spei, etsi arctum sit infidelium vanitati. hæc Aug. *in sent.* 19. Arctam quidem, & asperam vocant, oderúntque filij huius seculi vanitatum amatores, vitam religiosam: sed eam tamen latam, & spatiosam, & constratam rosis sentiunt, & prædicant, amántque virtutum athletæ, vincti spei, cælum, non terram; Deum, non mundum contuentes.

Inuitat Deus religiosos.

S. Aug.

Mundani religionem aborrent.

4. *Terram, in qua dormis, tibi dabo, &c.*] Mœrentem, (vt cœpimus dicere) & afflictum Iacobum Dominus recreat, & consolatur: angebat hominem à terra promissionis in exteram, & ignotam regionem discessus, eo quòd ad illam rediturum se vt hæredem Abrahæ, & Isaac, ad quos illius erat promissa possessio, nesciebat. Occurrit huic solicitudini, ac mœrori Dominus, & reditum, & possessionem conhrmans. *Terram, in qua dormis, tibi dabo &c.* & paulò pòst: *Reducam te in terram hanc.* Afflictabat etiam animum Iacobi, quòd se videbat inopem, solum, & omni humanarum rerum subsidio destitutum, atque adeò timebat ne apud gentes ignotas, ad quas ibat, in extrema miseria positus, vt vilis, & ignobilis, atque adeò nihili haberetur. Hunc timorem adimit Dominus addendo magnificentissimas promissiones diuitiarum, posteritatis, denique Messiæ de ipsius sanguine nasciturí. *Dilataberis*, &c. *Benedicentur in te*, &c. Metu agebatur Iacob, ne fortè procul à parentibus, & patrio solo inter ignotos multa, & grauia subiret pericula, vel certè plurimis, & acerbissimis premeretur incommodis. Sed contra hoc stant Diuina promissa, & solatia; cùm dicitur; *Ego ero custos tuus quocunque perrexeris: & non dimittam te nisi compleuero vniuersa, quæ dixi.* Vbi ponitur (*nisi*) pro (*donec*) phrasi consueta Hebræis; hoc est, *non dimittam te, donec ista cuncta perficiam.* Omnia hæc laborantibus, & mœrentibus seruis suis in hac vita Dominus edicit, vt nouerint pro suis laboribus non quidem terrena (qualia ferè omnia promittuntur Iacobo) sed cælestia, & Diuina se consecuturos; & quidem cum ingenti fœnore. Breuis enim (ait S. Ambros.) huius laboris est meta, & corona fructus perpetui: tolerabilis passio, merces inæstimabilis, *lib.* 1 *de Iacob, cap* 6. Quis obsecro indigentior Iacobo, cui nec lectus erat, in quo pernoctaret, nec vbi caput suum reclinaret? at in ea paupertate diues, & beatus, Angelis, cælo, Deoque perfruitur, prout in hac vita licet: iam tunc in se expertus conseruandæ Christo paupertatis emolumentum. Est enim (inquit S. Paulin.) Christianæ paupertatis diues gloria. *Epist.* 25. An non beatum dixeris, qui licet profugus, & fraternis appetitus insidiis tanta in rerum omnium asperitate versetur, tam admirabili tamen Dei beneuolentia confirmatur, in suæ virtutis, ac patientiæ per tot aduersa comproba-

Solatur Deus Iacobum promissis.

S. Ambros.

Labores & præmia iustorum.

S. Paulin.

Virtus probatur aduersis.

tæ præmium singulare? Videas hic, quàm vera sit illa S. Ambros. sententia: Vita beata his aduersis secularium molestiarum, aut passionum corporalium non minuitur, sed magis probatur. *lib.* 1. *de Iacob, cap.* 6. At homo erat Iacob fragilis, & delicato corpore. ita plane. Sed in Dei obsequio, iam à prima ætate inter parentum consilia, & exempla egregie institutus perfecti viri formam gerit, cui de corpore nulla fere cura esse solet. Nescit enim perfectus, (vt idem S. Ambros. contestatur) incommoda huius corporis, aut aduersa mundi, neque sentit qui alienum ab huiusmodi metu, ne occidant, animum gerit. Non enim vita perfectior, si his careat, definitur; sed si ista contemnat. *lib.* 1. *de Iacob, cap.* 7.

S. Ambros.

Perfectio in contemptu mundi.

D. Ambros.

5. *Ego ero custos tuus quocunque perrexeris.*] Quid promittis Domine? si Iacob pergat incedere per vias impiorum, vbi sunt omnia plena periculis, certúmque solet esse exitium animæ sempiternum, nunquid inter illa discrimina eris custos illius? Non hoc pollicetur Dominus; nec enim temerariis, atque inuerecundis, qui sponte ruunt in huiusmodi pericula, seséque inuoluunt prauarum occasionum laqueis, ac labyrinthis, Diuinæ gratiæ promittitur auxilium: cui si confidunt, inaniter confidunt. Aduersa enim est confidentia (inquit S. Cyprian.) quæ periculis vitam suam pro certo commendat. Et lubrica spes est, quæ inter fomenta peccati saluari se sperat. *lib. de singul. cleric.* At dicet iste: Non temere ago, qui Apostolos sequor, & Eliam imitor, quibus fœminæ ministrabant. Quid verò periculosius, quàm virum versari cum fœminis? Huic tam stultæ, atque impudenti obiectioni respondet cum stomacho idem S. Cyprian. Ad occasionem (inquiens) luxuriæ nostræ in peruersum sanctos volumus imitari; & inter cæteros actus vestigia iustorum nolumus sequi. Quare cum magis presbyteros adulteros apud Danielem sibimetipse proponet? ita Cyprian. loco indicato. Duo quidem dicit egregia. Vnum est, sanctos illos viros, etsi cum fœminis interdum agerent, admirabiles tamen alios sanctitatis actus edidisse, quos qui nunc ederet, nullum à tali consuetudine mulierum periculum subiret. Erant enim illi Spiritu sancto pleni, Deóque duce, ac iubente earum occasionum discrimina illis haudquaquam periculosa ingressi, præclarissima in Dei obsequio moliebantur opera. At nos miseri, cæci, stulti, atque inuerecundi sine Apostolica sanctitate, sine pœnitentia, & puritate Eliæ viam nobis arduam ingredi tentamus, in qua sine vllo præsidio virtutis euntibus, certus est in vitia lapsus, atque in mortem animæ ruina ineuitabilis. Vniuersim monemur, vt quid nobis, perspecta nostra infirmitate expediat, non quid ab aliis fiat, consideremus. Quidquid alij agant, nostrum haud est discernere: prudenter agemus, si sponte in pericula non incurramus. Audi adhuc eundem Cyprianum in hoc ipso argumento. Difficilem (inquit) rumpere quærimus viam, cum per facilia planior sit nobis apposita, contra Salomonem dicentem; *Non te credas via laboriosa, vt ponas animæ tuæ scandalum.* Eccles. 32. Nec vllus considerat, quoniam vnus securus in lubrico graditur, & alius qui impar est, labitur: vnus per ripas cursu montes ascendit, alius si se coarctauerit, cadit. Voi contingit per tempestates nauigia feliciter explicare, & alteri talis felicitas non potest euenire. quod Paulus Apostolus discernit dicens: *Vnusquisque proprium donum habet ex Deo: vnus quidem sic, alius verò sic.* 1. Corinth. 7. hæc Cyprian. *lib. sam dicto.* Alterum, quod indicauit, est, vt non Apostolo

Non temerè periculis animæ incurrendum.

S. Cyprian.

Fugienda consuetudo fœminarum.

S. Cyprian.

Malè cum Sanctis nostram impudentiam excusamus.

Sancti cur in periculis illæsi.

Prudens vitat pericula.

S. Cyprian.

Eccles. 32.

Impar est hominum constantia, & inconstantia.

1. Cor. 7.

Apostolorum, & Eliæ securitatem inter pericula cósideremus, sed seniorum castissimæ Susannæ insidiantium miserabiles casus, atque infandam turpitudinem timeamus, eo quidem certiùs, quò propius in fragilitate, vitæque ignauia, ad hos, quam ad illos appropinquamus. *Ego ero custos tuus quocunque perrexeris*, ait Dominus ad Iacobum: Io tuto igitur ille nauigat: Deo duce nihil est, quod timeat: si Dominus illum in pericula immittet, inde saluum, & incolumem eripiet. Deus enim nutricem agit erga Iacobum, quæ scilicet infantulum, quocunque pergat, quicquid agat, vbinam consistat, semper habet ante oculos, ne labatur ille, ne periclitetur, nequid mali incurrat.

Timendum in ruinis infirmorum.

Deus nutricem agit.

6. Illud etiam ad mores expédendum est, quòd metuentem Iacobum, ne fortè inter ignotos vti pauperculus, contemptui haberetur, solatur Dominus, opulentiam, gloriam, ac nominis, & familiæ splendorem, famámque pollicitus. Non mirum hoc est in illa ætate adhuc rudi, & velut puerili, in qua homines terreni, & (autore Apostolo) animales circa elementa huius mundi versabantur, nec sublimiora de spiritu, de cælo, de Deo, aut intelligebant, aut curabant. Quapropter suos amicos Deus opulentos, & gloriosos reddebat, vt cæteri saltem hoc illicio, etsi leuiculo, bonorum terrenorum permoti ad sequendam virtutem, Deúmque illorum Patriarcharum colendum, & amandum inducerentur. Quo de argumento sæpiùs multa diximus. Ad hæc volebat illos ea mundi felicitate inter homines eminere, vt cum subinde pietatem vnius Dei colerent, cæteri humilioris conditionis exemplo essent ad virtutem, quam in gloriosis, & opulentis, & potentibus videbant effulgere. Hoc sensu Apostolus ad Romanos, ea tempestate rerum dominos, ita scribit: *Gratias ago Deo meo per Iesum Christũ pro omnibus vobis, quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo*. ad Rom. 1. Sed quod tantum illud opus est annunciari fidem Romanorum, vt pro illo Apostolus tanto verborum apparatu gratias Deo agat? quia nimirum (vt declarat S. Ambros.) fama fidei illorum erat profectus multorum. Aut enim gaudebant roborati, qui crediderant cæteri, quia videbant principes suos fratres sibi factos in fide: aut certè qui non crediderant, poterant credere horum exemplo. facilè enim facit inferior, quod fieri videt à potiore. hæc S. Ambros. *in cap. 1. ad Rom.* Hinc etiam fit, vt magnum accedat Christi Ecclesiæ emolumentum, si ad eam ex infidelibus nobiles, ac potentes conuertantur: & ad commendationem virtutis ac pietatis multum valeat nobilium, & potentium exemplum. Maius enim (concludit S. Ambros.) gaudium est, si potentes mundi conuertantur ad Deum: quia quantò inimici graues sunt, tantò magis reconciliati necessarij. sic Ambros. paulò inferiùs. Optimè dictum: summum enim habet momentum ad plebem cum pietas, tum etiam Impietas magnorum & potentium.

Bona temporalia Patriarchis donabantur.

Maiores minoribus exẽpla.

ad Rom. 1.
Potens exemplum maiorum.
D. Ambros.

D. Ambros.
Conuersio magnorum ad fidem.

Zachar. 4.

7. Vidit Zacharias quatuor quadrigas, quarum equos valde inter se dissimiles apprimè describit cap. 6. Haud dubiè per quadrigas (vt communis tenet interpretatio) quatuor mundi regna, & per equos illorum reges ac principes significantur. sic equos interpretatur S. Ambros. *orat. de obitu Theodosij*. Mirúmque est, quod Angelus Prophetæ indicauit: isti sunt quatuor venti cæli. En principes dicuntur equi: si feroces, si effrænati, nihil non proculcant, polluunt, comminuunt. Quid enim malo principe furiosius, ac perniciosius? Quod si mites, regíque faciles, quid ad speciem pulchrius, & ad subsidium homini vtilius?

Equis significati reges.

Reges & boni & mali.

A His planè suum currum, quo per orbem triumphans discurrit, vehi se gloriatur sponsa, cum ait: Posuit me currus Aminadab: siue principis. *Cant. 6.* Quid isti agunt equi? Audi ex S. Ambros. Boni equi volant, & à terris ad superiora se subrigunt, sponsámque eleuant. sic ille, *lib. de Isaac, cap. 6.* Eleuant enim boni principes Christi Ecclesiam, & in illius obsequium omnia egregiè moliuntur, ac securos reddunt eos, qui Christum colunt, vt S. Anselm. ad locum Pauli de Romanis positum ita commemorat: Roma tunc erat caput mundi, & de toto orbe illuc conueniebant; atque Romanos suscepisse fidem Christianæ religionis vbique diuulgabant: sicque iam securiùs cæteræ per orbem nationes eandem fidem suscipiebant. sic ille.

Cantic. 6.
D. Ambros.
Boni reges Ecclesia prosunt.

S. Anselm.

B Reges etiam dicuntur venti à Propheta, quorum est magna vis in vtramque partem. Nam ventis immani quadam violentia debacchantibus cuncta pelago, ac tellure perturbantur, & subruuntur: at ventis blandè spirantibus nihil ad frugum abũdantiam vtilius, nihil mortalibus æquè ad vitam salutare. Vtrumque in principibus, ac regibus hominum latè diffusum genus experitur. Et quidem bona illa, quæ tantoperè amantur in hac vita, promittebat Deus priorum ætatum patribus: at cum idem factus homo exinaniuit se obediens vsque ad mortem crucis, beatos suomet ore prædicat, qui pauperes sunt, qui esuriunt, qui sitiunt, qui lugent, qui patiuntur. Iaciebat Ionathas sagittas in condictum locum, in quo latebat David ad in-

Reges ventis similes.

Deus homo dura prædicat.

C dicandam regis voluntatem erga profugum. *Si dixero* (inquit) *Ecce sagitta intra te sunt, dimisit te Dominus*. 1. Reg. 20. sic planè res habet: Si Domini sagitta, hoc est, paupertas, opprobrium, languor, aliæque miseriæ intra nos sunt, & nobis infiguntur; signum est amoris, & beneuolentiæ Dei erga nos; felices, ac beati dicimur. Quòd si vltra nos transuolant sagittæ, nec vlla miseriarum huius vitæ nos attingit; grande proculdubio testimonium Dei contra nos irati; dimisit nos Dominus, nec enim participes sui calicis in hac vita efficit, nisi quos etiam efficiet consortes æternæ suæ felicitatis, & consolationis. At hos ipsos vti miseros, & infelices iudicat mundus. Ita planè; sed aberrat miser: habent enim illi testimonium Dei in se.

1. Reg. 20.
Labores sunt fauores Dei.

D Nemo autem (inquit S. Saluian.) aliorum sensu miser est, sed suo; & ideo non possunt cuiusquam falso iudicio esse miseri, qui sunt verè sua conscientia beati. Nulli enim beatiores sunt, quàm qui ex sententia sua, atque voto agunt. ita Saluian. Felices profectò, qui contenti viuunt, qui non inuiti & coacti agunt, aut etiam patiuntur, sed vel ipsum, quod tolerant, libenter appetunt. Visitur hæc felicitas in viris religiosis, vt statim subiicit idem Saluian. hoc modo: Humiles sunt religiosi? hoc volunt. pauperes sunt? paupertie delectantur: sine ambitione? ambitum respuunt. inhonori sunt? honorem respuunt. lugent? lugere gestiunt. infirmi sunt? infirmitate lætantur. Itaque beati sunt, quia inter quantumlibet aspera,

S. Saluian.
Felicitas in propria conscientia.

Felicitas religiosorum.
S. Saluian.

E nulli beatiores sunt, quàm qui hoc sunt quod volunt. sic ille, *lib. 1. de prouid.* nimirum in vita religiosa Christi Domini vestigia sequi, & baiulantem humeris crucem suam, sublata etiam sua quisque cruce gestiunt comitari, & imitari. De his etiam verè, ac pulchrè dixit idem Saluian. Qui putantur crucem portare, sic portant, vt plus habeant in cruce dignitatis, quàm in passione supplicii. *lib. 3. de prouid.* Gloriosum quippe illis est pro Christo humiliari, & pati.

Gloria religiosorum pro Christo pati.

S. Saluian.

8. *Verè Dominus est, &c.*] Euanuit tandem illa visio facta Iacobo in somnis, qui euigilans cœpit

in

in primis admirari ; ac venerari locum ipsum, in quo tam præclarum acceperat a Deo beneficium.

D. August.
Mons Moria in Hierusalem.

Quis autem ille fuerit, varie controuertitur. S. August. arbitratur fuisse montem Moria, in quo Abraham immolare voluit filium ; & in quo multa post secula constructum est templum a Salomone, qui mons erat in Hierusalem. Iccirco enim Iacob prophetico spiritu futura præuidens appellauit Domum Dei, & portam cæli. Sic enim scribit S. August. *quæst. 83. in Genes.* hæc verba : *Dominus est, &c.* ad prophetiam pertinere, quia ibi futurum erat tabernaculum ; quod constituit Dominus in hominibus in primo populo suo : portam autem cæli, sic intelligere debemus, tanquam inde fiat aditus credentibus ad capessendum regnum cælorum. hęc ille. Eandem sententiam repetit *quæst. 85.* quam sequuntur Lyran. Caiet. Lyppoman. & alij complures. Fauet huic opinioni Hierusalem inter alia multa nomina, quibus decursu temporum appellata fuit, hæc etiam sortitam fuisse, Luza, & Bethel, quæ sine dubio conueniunt in istum locum somni, & visionis Iacobi. Sunt autem nomina Hierusalem quæ trito carmine continentur.

Hierusalem multis dicta nominibus.

Solyma, Luza, Bethel, Hierusalem, Iebus, Helia:
Vrbs sacra Hierusalem dicitur, atque Salem.

Verùm hoc nullius est autoritatis, nec enim alicubi legimus in tota scriptura Hierusalem fuisse aliquando dictam Luza, vel Bethel. Contrà verò longè alium esse locum plurimis, & euidentissimis rationibus conuincunt Abulens. *ad cap. 12. & 18. Genes.* & omnes penè recentiores, qui Brochardum diligentissimum exploratorem terræ sanctæ sequuntur.

Abulens.
Brochard.

Videtúrque hoc idem ex ipso itinere demonstrari : siquidem à Bersabee in Mesopotamiam eunti occurrit recto itinere Bethel, quem in locum delatus est Abraham veniens è Mesopotamia in Chanaan : at Hierusalem multùm deuiat à recta via, nec ab ista declinare & diuertere in Hierusalem vlla ratione Iacob cogebatur. Deinde hic locus nunc primum à Iacob appellatur Bethel, cum antea diceretur Luza, quæ quidem vrbs sita erat iuxta Sichem, & Hai. Hæc autem loca longè distant ab Hierusalem.

Bethel iuxta Sichem sita.

Quod si locus ille, vt dicunt, erat mons Moria, quare dixit Iacob: *Verè Dominus erat in loco isto, & ego nesciebam?* Siquidem Iacob non ignorabat quid Abraham, & Isaac egerint, quid acceperint à Deo in eo monte: præsertim quia autores illi affirmant illuc diuertisse Iacobum, eo quòd sciret multis nominibus montem illum sacrum extitisse, post aui, & patris sui sacrificium. Prætерea longè aliam esse Bethel ab Hierusalem constat ex 3. *Reg.* 12. in ea siquidem Ieroboam constituit vitulum aureum, vt illuc populus abiens religionis ergo desineret subinde petere Hierusalem ad templum Salomonis. Ad hæc 1. *Iudic. & 16. Iosue* legimus tribui Ioseph cecidisse Bethel, quæ prius Luza dicebatur : at Hierusalem pertinuisse primò ad tribum Beniamin postea ad tribum Iuda perspicuum est ex 18. *Iosue*, & ex *Psalm. 77.* vbi Vates regius : *Elegit tribum Iuda, montem Siō, quem dilexit*; idémque patet ex fine *cap. 15. Iosue* : partim verò esse sortis Beniamin & Iudæ colligitur ex *cap. 18. Iosue.*

Psalm. 77.

Aduertendum est autem alteram esse Bethel sortis Beniamin quæ in catalogo vrbium primò memoratur, & post alias recensetur Hierusalem. Plura in hanc sententiam, quàm amplectimur lege, si voles, apud Bened Perer. *disp. 1. ad præsens cap. Genes.*

9 Igitur Iacob ait : *Verè Dominus est in loco isto*, nimirum noua quadam declaratione suæ virtutis, & gratiæ : licet enim Deus vbique sit, nec vllo claudatur, aut contineatur loco, nihilominus in aliquibus locis dicitur esse peculiari quadam ratione, eo quòd in illis Dei præsentia per miracula & ostensionem Diuinæ virtutis demonstrata sit, aut quia religionis cultu Deo sunt ea loca consecrata, cuiusmodi sunt templa, ædésque sacræ omni sanctitate venerabiles.

Deus alicubi dicitur esse peculiari ratione.

Nam si *Exod. 3.* dicitur terra sancta, locus ille in quo Moysi apparuit in rubo Angelus Deum repræsentans : &. similiter *Iosue 5.* vbi Angelus armatus se ostendit ; quid non dicemus de augustissimis, & omni religione, sanctitatéque venerandis templis, quæ nunc propè infinita numero visuntur in populo Christiano per orbem vniuersum latè diffuso ; in quibus Dominus ipse Angelorum colitur ab hominibus, ipsiúsque Corporis, & Sanguinis mysteria planè stupenda peraguntur, & sacrosanctum idem Christi Iesu Corpus in admirabili Eucharistia adoratur, & asseruatur?

Exod. 3.
Tēpla Christianorum sanctissima.
Eucharistia in templis.

Quòd si Matthæus Hierusalem vocauit sanctam ciuitatem *cap. 4.* dicens: *Assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem*, eo quòd in illa esset templum Salomonis cæsarum pecudum sacrificiis consecratum : maiori cum ratione dicemus, quamcumque vrbem, oppidúmque, atque adeò totum integrum regnum, in quo permulta videntur templa, ob maiestatem Corporis, & Sanguinis Domini longe augustiora, & sanctiora.

Matth. 4.
Sanctitas tēplorum ab Eucharistia.

Porrò si arca illa virgæ, tabulæ, & vrnulæ asseruatrix tam sancta censebatur, vt non solùm templo, in quo erat, sed toti etiam vrbi, cuius vna pars erat templum, sanctitatem refunderet : quæ tanta obsecro erit sanctitas, quam Dominus ipse Iesus, verè, ac realiter in Eucharistia existens, altari, in quo residet, templo, in quo moratur, atque vniuersis vrbibus, & toti Ecclesiæ Christianæ communicabit? Quid ergo sacratius, & sanctius homini Christiano esse debet; quàm templum ipsum Christi Domini præsentia venerandum, ac timendum, in quo ipsamet puritas, & sanctitas habitat, peccata hominum condonantur, & Dei gratia, supernáque dona pœnitentibus, & supplicantibus impenduntur?

Tēpla Christianorum veneranda.

At ô nos miseros, impios, atque impudentes: in ipsis (heu me!) Dei templis ante Domini Iesu augustissimum, & purissimum Corpus multa passim flagitia committimus, aut certè committenda meditamur! Plangit hanc infelicitatem Christianæ gentis hunc in modum S. Saluian. In templa, vel potiùs in altaria, atque in sacraria Dei passim omnes sordidi, ac flagitiosi, sine vlla penitus reuerentia sacri honoris irrumpunt. Nam qui ingreditur ad orandum, & placandum, non debet egredi ad exacerbandum. Qui intrant Ecclesiasticam domum, vt mala antiqua defleant, exeunt, & (quid dico exeunt?) in ipsis penè hæc in orationibus suis moliuntur. sic ille, *lib. 5. de prouid.*

S. Saluian.
Profani malè se gerunt in templis.

Ex mutuo siquidem conspectu, vbi conuentus est virorum, ac mulierum, infanda sæpius cogitantur, & construuntur. Aliud quippe (adiungit Saluian.) ora hominum, aliud corda agunt : & dum verbis præterita mala plangunt, sensu futura meditantur ; ac sic oratio eorum rixa est magis criminum, quàm exoratrix; vt verè illa in eis scriptura maledictio compleatur, vt de oratione ipsa exeant condemnati; & oratio eorum fiat in peccatum. *Psal. 108.* hæc ille.

S. Saluian.
Psal. 108.

Locus Psalmi est de Iuda proditore, cuius pœnitentia, quæ orationis nomine significatur, versa est in desperationem, qua miser adactus laqueo se suspendit, quod ex interpretatione S. Hieronymi pulchriùs ita subscribo. Pœnitentia Iudæ peius peccatum factum est, fuit enim, & suspédio periit. Et qui proditor Domini fuit, hic & interemptor sui extitit. Pro clementia Domini hoc dico ; quia magis ex hoc offendit Dominum, quia se suspendit,

Iudas peius peccauit in suspendio.
D. Hieron.

dit, quàm quod Dominum prodidit. hæc S.Hier.
Hæc est Domini Iesu bonitas, & clementia: vt
multò magis se offensum reputet in misericordia
sua de qua Iudas diffidit, ac desperauit; quàm in
sanguine suo, quem ille vendidit Iudæis canibus
effundeodum, & bibendum. Cæterùm, quod ad
Peccare in templo est Iuda proditio. rem facit, proditori Iudæ persimiles sunt, qui
malè cogitant, & malè agunt in templo Domini:
ore supplicant, ore laudant; corde autem offendunt,
& blasphemant Dominum. Veniam petunt
pro commissis flagitiis, & noua, peioráque committunt.
Domum orationis faciunt officinam delictorum.
Meliùs profectò esset illis, si ad Deum,
illúsque domum non venissent.

10. *Quam terribilis est, &c.*] Admiratur locum
propter visionem in eo factam. Vocat terribilem,
hoc est, profunda reuerentia, corporis, animíque
submissione, ac summa religione venerandum,
propter Dei, & Angelorum præsentiam admirabiliter
ibi ostensam. Timorem Deus præsens infert
homini, sed religiosum, ac filialem, quo anima
non fracta pauore, atque in tristitiam depressa
Deum refugit, sed noua quadam alacritate reuerenter
accedit ad Deum. Terribiles priore modo
Principes plebi terribiles. solent esse principes, & reges terræ præsertim hominibus
plebeis, ac rusticis, qui propterea nobiliorum
intercessionibus erga reges vtuntur. Ad
Facilis ad Deum accessio. Deum autem (inquit S.Ambros.) prometendum
suffragatore opus non est, sed mente deuota. Vbicunque
D.Ambros. enim talis locutus fuerit ei, respondebit illi.
Caietan. sic ille, *ad 1. cap. ad Roman.* Cæterùm Caietanus
timoris istius Iacob hanc aliam reddit rationem.
Timor reuerentialis Dei. Timuit (inquit) diuinum iudicium; quemadmodum
cum primùm venimus in conspectum,
& præsentiam maximi cuiusdam, & sapientissimi
principis, vehementer timemus, ne quid sibi displicens
in nobis videat. Sic etiam Iacob timuit
considerando seipsum cum respectu ad præsentiam
Dei, & frequentiam Angelorum metuens,
ne sua sibi peccata, & defectus imputarentur. hæc
ille. Heu me! quàm terribilis est locus iste, in quo
Deus me intuetur vbicunque sim, & peccem miser?
Timenda Dei præsentia. si ad præsentiam Dei hìc stantis, & omnia
contuentis respicio, quanto cum timore ac tremore
debeo pauescere? *Ante faciem enim* (ait Propheta)
indignationis eius quis stabit? Et quis resistet
Nahum. 1. *in ira furoris eius?* Nahum. 1. scilicet, nulla erit anima
D.Hieron. (aduertit S.Hieron.) quæ non paueat ad iudicium
Dei; cum astra quoque non sint munda in
Iob 25. conspectu eius. *Iob.* 25. tarus igitur, aut nullus inueniri
Nullus à peccato liber. poterit, qui ita corripiente non sit dignus.
ita S. Hieron. Porrò verba Iob sic habent: *Nunquid
iustificari potest homo cõparatus Deo; aut apparere
mundus natus de muliere? Ecce luna etiam non
splendet, & stellæ non sunt munda in conspectu eius,
quantò magis homo putredo, & filius hominis vermis?*
cap. 25. Opportunè quidem hîc locus Iobi cecidit
ad pauorem Iacobi ex visione Dei, & Angelorum,
D.Hieron. quos S.Hieron. astrorum nomine intelligit,
Angeli peccare poterãt. sic interpretans: Sub nomine lunæ, & stellarum
Angelos, & supernas potestates intelligere possumus,
qui ad comparationem Diuinæ reuerentiæ
immundi, & tenebræ possunt videri, ex eo
vtique, quoniam natura conditæ creaturæ licet
non peccent, capaces tamen peccati sunt, vt apparuit
in aliis Angelis eiusdem naturæ peccantibus.
hæc S.Hieron.

Magna peccati immunditia. 11. Horribilis planè immunditia peccati; cuius
vel tantùm esse Angelum capacem satis est, vt
hic aliqua ratione immundus dici possit: nam
verè mundus solus est ille qui omnino est impeccabilis,
nimirum Deus. quare sic vltra progredi-

A tur sanctissimus Doctor: sed post illos nullum *Angelorum voluntas inconuertibilis.*
Angelorum peccasse credendum est: quia omne
liberum suum arbitrium in solius Dei charitatem D.Hieron.
verterunt: sicque immobiles facti sunt persistentes
in veritate, in qua malus Angelus cum suis
stare noluit. Proinde Angelorum voluntas per
amorem Dei facta est inconuertibilis, quæ in Deo
est per naturam. Ideo illi soli incorrupto honor,
& gloria. hactenus S.Hieron. Igitur suapte natura *Solus Deus incapax peccati.*
capaces erant peccati omnes Angeli, & hac ex
parte aliqualem immunditiam habent comparatione
Dei, qui solus ex natura sua incorruptionem
habet, atque incomprehensibilem puritatem:
imò ipsemet est ipsamet puritas. Cæterùm *Pactum Dei cum Angelis.*
B boni Angeli, simul atque diuini amoris actum elicuerunt,
supposito illo pacto (quod meliores
Theologi agnoscunt) inter Deum, & illos, facti
subinde sunt incapaces peccati, non quidem natura,
sed ex dono Dei. Inflexibilem natura ipsa vo- *Volũtas Angeli non est inflexibilis.*
luntatem Angeli ponunt alij, sed non illis assentior.
Cum verò S. Hieron. dicit Angelicam voluntatem
per amorem Dei factam esse inconuertibilem,
quasi ex sola efficacia actus amoris id
prouenerit, intelligi debet, accedente dono Dei,
quod promiserat iis, qui non peccarent. Timeat
Iacob, paueat omnis creatura necesse est ante Dei
præsentiam: nam homo putredo, & filius hominis
est. Angelus potuit aliquando peccare; nec
enim creatus est simul, & sanctificatus. Sola Dei
Mater sanctissima, & purissima hoc à Deo Filio
suo priuilegium habuit, vt nullo in momento ex-
C titerit non sanctificata, & ex dono Dei peccati
incapax. In quam sententiam ita scribit Ioannes Ioann. Taul.
Taulerus ex Dominicana familia: Virgini Deipa- *B. Maria omnis etiam originalis culpæ expers.*
tæ hic accessit decor, quod culpæ originalis perpetuò
expers fuit: à qua præseruarat illam Filius
eius, ita vt ne momento quidem temporis, vel
iræ filia, vel vas immundum, vel diabolico (sicut
nos alij omnes) subiecta dominio fuerit. Præuenit
hoc enim sapientia æterna nolens electissimum
templum suum aliqua labe aspergi. sic ille, *serm.
de purif.* Nimirùm, vt dicitur, *Multæ filiæ congregauerunt
diuitias, tu supergressa es vniuersas.* Prouer. Prou. vltim.
vltim. quod de beatissima Virgine dictum intelligit
S.Bernardinus *tom. 2. serm. 1. art. 3. cap. 1.* S. Bernard.
D 12. Fuerunt siquidem in Angelis, & hominibus
multa diuitiarum spiritualium, hoc est, gratiarum
genera: nam Angeli, & primi parentes in
gratia creati sunt, non tamen simul sanctificati:
at sola Virgo Dei priuilegio supergressa Angelos, *B. Maria simul concepta & sanctificata.*
& homines, in ipso conceptionis suæ momento
immaculata, & sanctificata extitit: id enim decebat
maiestatem Matris Dei. Tanta siquidem (vt *B. Mariæ perfectio soli Deo nota.*
eo loco concludit S. Bernardin.) fuit perfectio
Virginis, vt soli Deo cognoscenda reseruetur iuxta S. Bernard.
illud: *Ipse creauit illam in Spiritu sancto, vidit, &
dinumerauit, & mensus est.* Ecclef. 1. scilicet, ipse so- Ecclef. 1.
lus Deus. hæc ille. Expende dictum: *Ipse creauit
illam in Spiritu sancto.* Simul enim creata, & Spiritu
sancto repleta fuit: Pulchrè de Virgine cecinit
E regius vates: *Omnis gloria filiæ regis ab intus.* Psalm. Psalm. 44.
44. sensus est: Virgo Mater vti Reginam decebat, *Purissima & pulcherrima B. Maria in conceptione.*
omnem habuit gloriam & honorem, quantum
scilicet Creatura potuit à Deo accipere: nec solùm
vbi ex materno vtero foras prodiit, aut postquam
iam conceptam vitam habuit: sed ab intus
in ipso interiori, secretiore ac primore (ante quod
nullum aliud fluxerit) momento conceptionis,
iam tunc omnem puritatis, & innocentiæ, & sanctificationis
gloriam possidebat. Videlicet, iudicauit
Deus ipse purissimus dedecere dignitatem
Matris suæ, si vel in ipso penitissimo, atque intimo

recessu,

recessu, & arcano suæ momentaneæ conceptionis, minùs pulchra, ornata, & admirabilis, quàm in publico, & extra illud secretum viseretur. Itaque nullus, nec Angeli, nec ipsius Dei oculus Virginem vnquam conspexit, nisi puram, decoram, immaculatam, & iam in ipso momento conceptionis Reginam *in vestitu deaurato circumamictam varietatibus*. Psal 44. Tota ergo (affatur Idiota ille) tota pulchra es, ô plusquam gloriosa Virgo Maria, & macula non est in te. Tota pulchra es in tua conceptione, ad hoc solum effecta, vt templum esses Dei altissimi. Nemo æqualis est tibi, nemo maior te nisi Deus. Tota pulchra es, & macula peccati siue mortalis, siue venialis, siue originalis non est in te, nec vnquàm fuit, nec erit. hæc ille, *lib. de contemp. Virg. cap. 2.*

Psalm. 44.
Idiota.
Infinita B. Maria pulchritudo.

SECTIO V.

Non est hîc aliud nisi domus Dei.

1. VIderat Iacob Deum illic innitentem scalæ, & Angelos sursum deorsum cursitantes, vt Dei mandata exequerentur: idcirco domum Dei appellauit locum illum, in quo se Deus ostenderat veluti herum domus, aut patrem alicuius familiæ. Veriùs autem & congruentiùs dicitur domus Dei templum Christiani populi, vt S. Bern. demonstrat, *serm 6. de dedicat. Eccles.* Ex quo hæc subscribam. Miratur (inquit) Iacob gratiam, & magnitudinem dignationis expauescit. Quantò terribilior est locus hic noster, quanto euidentiùs, certiúsque Dominus est in hoc loco, vbi non modò duo, aut tres, sed tam multi in ipsius congregati nomine perseuerant? Terribilis planè locus est, dignus omni reuerentia, quem fideles viri inhabitant, quem Angeli sancti frequentant, quem sui quoque præsentia Dominus ipse dignatur. hæc S Bernard. Neque solùm ista visione repræsentari dicit templum Deo consecratum, sed etiam hoc idem, & reuelatum diuinitus Iacob, & verbis deinde ab eodem significatum ita ampliùs considerat. Quomodo enim tantus Patriarcha nescire poterat, quod non esset locus, vbi non esset Deus? sed fortè aliud esse miratus est; vbi ait: *Vere Dominus est in loco isto.* Ibi vere est, & verè Dominus est, vbi in eius nomine Angeli simul, & homines congregantur. sic ille. Meritò S. Greg. Naz. *orat. 41.* vocat templum cæleste, quia nimirum (vt illius interpres subnotauit) templum omne cæli figuram seruat, &c. Est enim verè domus Dei. Legimus Matth. 3. in baptismo Christi ad Iordanem: *Ecce aperti sunt celi, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & sedit, &c.* Quo quidem inter alia mysteria significatur templum Christianum, in quo Christus Dominus in terra residens cælos reserat, Spiritum sanctum è cælo trahit, Patris autem voces, hoc est, ipsa veritatis dogmata audiuntur. Hæc omnia paucis ita complectitur Tertull. de templo Christiano scribens: Nostræ columbæ domus simplex etiam in editis semper, & apertis, & ad lucem: amat figuram Spiritus sancti Orientem Christi figuram. Nihil veritas erubescit, nisi solummodo abscondi: quia nec pudebit vllum aures ei dedere. hæc Tertull. *aduers. Valentin. cap. 2.* Vt enim cælum patescit omnibus, aut certè apertum legitur oculis Christi, & Ioannis; ita Christianorum templa non in cauernis, & latebrosis recessibus, sicuti fana Gentilium prop[ter] ignominiam sordidissimæ suæ religionis ab[d]antur; sed in publicis, & latè paten-

Domus Dei templū Christiani populi.
S. Bernard.
S. Bernard.
S Greg Naz.
Templum figura cæli.
Matth. 3.
Tertull.
Tēpla Christiana in locis publicis construuntur.
Fana Gentilium in latebris.

A tibus vrbium, & oppidorum viis, ac plateis construuntur: in iis enim & cælestia sunt mysteria, quibus nihil mundius, & sanctius, & veritas ipsa Dei ore pronunciata à fidelibus accipitur. At veritas nihil habet, de quo verecundetur, aut sibi timeat, aut diffidat. Iccirco nescit tenebras, sed lucem, ac solem quærit, sciri amat, & prædicari.

Veritas gaudet publico.

2. Quo igitur habitu corporis, & mentis huc venire, huc ingredi, hic consistere hominem Christianum æquum est? Referam quanta cum modestia, & pietate se gesserit Nonna mater S. Gregor. Nazianz. in templis, vt filius in hunc modum scribit. In sacris conuentibus, aut locis, nunquam illius vox audita est; necessarias tantùm, & mysticas excipio. Silentio sancta honorauit, venerandæ mensæ nunquam terga obuertit, nec in Diuinum pauimentum expuit. Hæc autem, quæ parua quidem fortassè sunt, atque à nonnullis etiam contemnuntur, apud me tamen in magno pretio sunt, quoniam fidei inuenta erant, & spiritalis ardoris conatus. sic ille, *orat. 19.* En quali reuerentia templum Dei, sancta illa mater Theologi intrabat, & ante sacrosanctum altare, vbi Corpus Domini adoratur, assistebat? Cæterùm hæreticæ nostro tempore bestiæ, cum in seipsis omnem habeant impuritatem, domum Dei, altare Christi venerandam (vt vocat Theologus) mensam nihil pensi habent, polluere, & conculcare. Sed misso porcorum istorum grege, de nobis est etiam, quod deploremus. Ah pudeat nunc adeò nos (liceat dicere) nulla huiusmodi pietatis, ac reuerentiæ signa in templo, & ante altare Domini exhibere, ac si fanum aliquod idolorum ingrederemur! Quorsum dic obsecro te confers in templum? Nonne, vt Deum ibi residentem inuisas, & alloquaris? oportet autem (vt optimè aduertit Clem. Alex.) nos Deo effici coniunctos, ac familiares, vt simile simili, comitemur purè, & citra fraudem verbum audientes veritatis. Hoc autem tacitè significabat, qui inscripsit in aditu templi in Epidauro:

Esse decet castum sancti qui limina templi
Ingreditur, &c.

Castitas autem est sancta cogitare, hæc ille, *lib. 5. stromat.* Sunt enim impij, & impuri homines, qui non sancta, sed sacrilega, non Diuina, sed diabolica in templo Dei cogitant, & moliuntur. Non illis falsum affingo; exitus enim acta probat, vti S. Saluian. his verbis contestatur: Si vult quispiam scire quid in templo huiusmodi homines cogitauerint, videat quid sequatur. sic ille, *lib. 3. de prouid.* Quod enim egressi è templis agimus, hoc profectò est, quod in illis meditabamur. Siquidem (adiungit Saluian.) consummatis solemnibus sacris, statim ad consuetudinaria omnium studia discurrunt: alij scilicet, vt furentur; alij vt inebrientur; alij, vt fornicentur. Vt euidenter appareat hoc eos esse meditatos, dum intra templum sunt, quod postquam egressi fuerunt, exequuntur hæc Saluian. Quòd si abominabile censetur in templo Dei non casta cogitare, quid si cogites impura? Quid si dicas, quid si agas inhonesta? Templum Dei (addit Clem.) tribus cernitur fundatum fundamentis, fide, spe, charitate. sic ille. Nimirum ad exercendos harum virtutum actus maximè templa ingredimur. Credimus enim ibi Christum Iesum verum Deum, & hominem in sacrosancta Eucharistia verè, ac realiter contineri: deinde ab eodem Domino, ante cuius conspectum submissè, reuerentérque procumbimus, reatuum nostrorum veniam animæque salutem, & multa alia, quæ postulamus, firma in ipsius misericordiam

S. Greg. Naz.
Qualis in téplo modestia seruanda.
Nonna Mater Greg. Naz.
Hæretici contra templa Christi.
In templo castè agendum.
Clem. Alex.
Impura in templo impij moliuntur.
S. Saluian.
Impij ad solita vitia reuertuntur è templis.
S. Saluian.
In templo tres virtutes exercere debent.
Clem. Alex.

ricordiam fiducia impetrare speramus. Denique per affectum pietatis, filialémque amorem Deo beneuolentissimo Patri tanquam filij charissimi aduniri, & inhærere contendimus.

3. Et quidem cedunt hæc omnia in nostram vtilitatem: adoramus enim, precamur, adimus, & diligimus Deum qui bonorum nostrorũ haud indiget. Nam & primum templum, quod fuit Hierosolymitanum (vt rectè animaduertit S. Iustin. Martyr) non veluti indigus, vel domum, vel aulam suam fassus est Deus; verùm vt ibi quoque in illum intenti, simulacra ne colerent Hebræi. sic ille, *dialog. contra Tryphonem.* Adde: In ipso templo Deus sibi à populo fieri oblationes præcipiebat: quamuis (inquit S. Irenæus) illis non indigeret, vt discerent Deo seruire. *lib. 4. cap. 34.* At ille nos intentos in Deum, idola execrari, vitia omnia deponere; seruire vni Deo, hæc omnia (vt adiungit S. Irenæus) non iis indigens, attamen à nobis propter nos fieri iubet. Itaque Dominus nostræ salutis amantissimus, & sacerdotes, & templum, & sacrificia, & oblationes instituit præstruens homines (inquit idem S. Irenæus) perseuerare, & seruire Deo, per ea, quæ erant secunda, ad prima aduocãs: hoc est, per typica ad vera, & per temporalia ad æterna: & per carnalia ad spiritalia, & per terrena ad cœlestia. Sicut dictum est Moysi: *Facies omnia iuxta typum eorũ, quæ vidisti in monte.* hæc ille, *lib. 4. cap. 28* Scilicet illis veluti vmbris figurabantur ea, quæ nunc in populo Christiano visuntur templa, sacra, & mysteria, maximè diuina Eucharistia, per quam Deus ipse nobis ita coniungitur, vt vnus spiritus, & vna caro efficiamur cum illo. Admirandum sanè Dei beneficium, hæc Dei, & hominis coniunctio, quam priscis illis seculis Deus ipse quodammodo præstruebat, ne postea incredibilis esse videretur. Sic enim de Prophetis disserit idem S. Irenæus. Prophetas verò præstruebat in terra, assuescẽs hominem portare Dei spiritum, & communionem habere cum Deo, ipse quidem nullius indigens, his verò qui indigentes sunt eo suam præbens communionem, & his qui ei complacebant fabricationem salutis, vt architectus delineans. *ibidem.* Denique, vt videas quem tandem suorum operum finem sibi Deus (mitto Diuinam gloriam) proposuerit: concludit Irenæus: Multis modis componens humanum genus ad consonantiam salutis. *ibidem.* Itaque nihil non Deus ab initio mundi molitus est, quod nostræ saluti non consonet, & congruat; quasi omnia præ se ferant musicum aliquod instrumentum, cuius concentus non sit alius, quam salus hominis. Et nos miseri, quorum interest, hæc à Deo studiis omnibus, & conatibus quæsita salus, nihil contra nostram ipsam salutem non cogitamus, & molimur? Id vnum infelices quærimus, vt in æternum pereamus.

Cur extructũ templum Salomonis. S. Iustin. S. Irenæus. S. Irenæus. *Mira vtilitas hominibus e templis.* Exod. 25. *Legalibus præstruebatur Ecclesia Christiana.* S. Irenæus. *Ad salutem hominis cuncta Deus molitur.* S. Irenæus. *Homo sua salutis inimicus.*

4. Mirabundus Iacob locum visionis appellat domũ Dei; si ergo domus Dei est, quanta cum modestia, & reuerentia illuc debemus ingredi? Optimè argumentatur S. Chrysost. In aulam (inquit) regiam intraturus, & habitu, & oculis, & incessu, & in cunctis aliis componis, & ornas temetipsum. In templum autem ingressurus, vbi verè aula regia est, & talis qualis est cœlestis, rides? Tu quidem non vides; audi tamen quia Angeli præsentes sunt vbique, maximè in domo Dei, vbi astant Regi, & omnia plena sunt incorporeis illis virtutibus. hæc S. Chrysost. *homil. 15. in Epist. ad Hebr.* Itaque si cum omni modestia totius corporis in aulam regiam cum rege acturi, aut saltem vt ante ipsius conspectum astent, accedere solent aulici, quantò maiorem & corporis, & animæ modestiam, ac reuerentiam à nobis illuc accedentibus exiget templum Dei? *Custodi pedem tuum* (monet Eccles.) *ingrediens domum Domini, & appropinqua, vt audias. cap. 4.* Frequens est apud Patres interpretatio pedis de affectu animæ. quo in sensu Ecclesiasten ita explicat S. Salonius: Quamuis semper honeste, & cum timore, ac silentio debeamus ingredi domum Dei; tamen non pedem corporis docet custodiendum, sed pedem animæ, id est, gressum mentis, vt in conspectu Dei mundas preces effundamus. Quando igitur ingrederis Ecclesiam, custodi gressum mentis tuæ, ne offendas in malis cogitationibus, vt oratio tua pura dirigatur. sic ille ad eundem locum. Quem similiter exponens S. Gregor. Neocæsar. Porrò (inquit) quantum ad Ecclesiam attinet, principio vitæ tuæ rationem habeto, vt ipse rectus ambules. sic ille. Consonat interpretatio S. Hieron. quæ sic habet. Præcepta vitæ dat, & non vult offendere euntes ad Ecclesiam. Non enim ingredi in domum Dei, sed sine offensione ingredi, laudis est. sic ille. Locum eundem vberiùs in prædicto sensu explicat Titelmanus: Cum ingredi volueris domum Dei, vide vt mundi sint pedes tui, néve (vt in Prouerbio est) illotis pedibus in eam irruas, non attendens reuerentiam, quam debes erga locum sanctum Diuino cultui dedicatum, & diuina præsentia peculiariter sanctificatum. Hoc est, custodire pedem, obseruare, vt mundus introeas. hæc ille. Hinc illud Dauidicum, *Domum tuam decet sanctitudo Domine.* Psal. 92. Quem versum S. Hieron. exponit de Ecclesia Christi, hoc est, congregatione fidelium, hoc modo: Ecclesiam tuam quam exhibuisti tibi, non habentem maculam, aut rugam: in qua nos digneris mundos, ac splendidos custodire: nec polluere baptismi gratiam, per quod in renasci sumus ad vitam sic Hieronym. Heus nos miseros, qui purissimo lauacro sanguinis Domini abluti, & eiusdem gratia in baptismo, aliisque subinde Sacramentis adornati, millies tamen inter fœdissimas vitiorum sordes volutamur, Deo, gratiæque Diuinæ grauissimam iniuriam inferentes! Caietan. legit ex Hebræo: *Domui tuæ pulchritudo sanctitas.* hoc est (inquit) *sanctitas est pulchritudo Christianorum.* Non autem consistit in diuitiis, honoribus gloria, principatu, & aliis huiusmodi temporalibus bonis. sic ille. Aduertat Christianus homo, suam pulchritudinem, ornatum suum, & honorem consistere in sola animæ sanctitate.

S. Chrysost. *Modestè ac reuerenter agendum in templis.* Eccles. 4. S. Salon. *In templis pura & sancta cogitanda.* S. Gregor. D. Hieron. Titel. Psalm. 92. D. Hieron. *Dignam Sacramentis vitam agamus.* Caietan. *Sanctitas honor, decor, opes Christianorum.*

5. Verè dicuntur illa omnia; sed verè quoque ac propriè intelligi potest dictum Prophetæ de materiali Ecclesia, templo scilicet sacro, cuius pulchritudo in primis consistit in sanctitate: Deus enim, qui est vera ipsa sanctitas, ibidem in sacrosancto mysterio Eucharistiæ realiter, & verè latens inhabitat. Deinde in templo augustissimum offertur sacrificium; quo nihil sanctius: animæ in Sacramento pœnitentiæ abluunt sordes delictorum, & gratia sanctificante renouantur. Denique verbum Dei auditur, quo penetrantur corda, mentésque depurantur. hoc solet esse totius in Christiano populo seminarium, & incentiuum sanctitatis. Ac proinde requirit Diuini templi sanctitas ab hominibus, vt illuc non nisi puri, & sancti accedant, & cum sanctitate illic, Diuinis assistant, aut mysteriis, aut sermonibus, aut concentibus. Hæc vera est pulchritudo domus Dei. Omni etiam studio requiritur ea pulchritudo templi, quæ omnino materialis est, in externo parietum, altarium, vtensilium, imaginum, ornatu. In quo elaborabat nusquam satis laudata religio & pietas Nepo-

Multa & magna bona è templis. *Externa & materialis pulchritudo templorum.*

tiani sacerdotis, in cuius epitaphio ad Heliodorum hæc S.Hieron. subscribit. Solicitus, si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pauimenta tersa, si sacrarium mundum, si vasa luculenta, &c. & infrà. Basilicas Ecclesiæ, & martyrum conciliabula diuersis floribus, & arborum comis, vitiúmque pampinis adumbrauit; vt, quicquid placebat in Ecclesia tam dispositione, quàm visu presbyteri laborem & studium testaretur. hæc S.Hieron. Et maximè (scribit S. Ambros.) sacerdoti hoc conuenit, ornare Dei templum congruo decore, vt etiam hoc cultu aula Domini resplendeat. 2. *offic.* 21. Profectò, ni patriæ me fallit amor, magnam, ne dicam singularem, in toto Christianæ gentis orbe laudem, aut (liceat dicere) palmam obtinet Lusitanorum pietas in extructione, ornatu, magnificentia, & elegantia templorum. Et vt cætera toto in regno pulcherrima, mirum in modum spectabilia omittam: certe hæc vna Olisipo vniuersis vnde vnde huc gentibus confluentibus admiranda hæc suæ pietatis exhibet spectacula. Sunt enim templa in vrbe complura structuræ magnificæ, vbi aurum lucet in tectis, tegitque parietes: vbi sacræ vestes, sacrosancta vasa, candelabra, pensiles lychni, cæteráque vtensilia aut merum ipsum aurum, argentúmque sunt; aut auro, argento, & margaritis elaborata, constructáque visuntur. Scilicet in templa Olisiponis totus laborat oriens, & occidens. Miram profectò pietatem spirant templa, sacræque ædes, si munditiam, si ornatum, si decorem habeant, quod Psalmographus religioso affectu ita declarat: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine!* Psal. 83. Nihil Prophetæ iucundius, ac delectabilius erat, quàm Dei templum; sed quid tantopere in illo desiderabat? Dixerat: *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Psal. 25. vbi S.Hieron. Domus Domini est Ecclesia. Sacerdotes, & habitatio gloriæ tuæ, ipsi sunt, in quibus habitat Deus. sic ille.

D.Hieron. — *In Lusitania ornatissima templa.* — S. Ambros. — *Insignis templorũ ornatus Olisipone.* — *Mundities ac decor in templis.* — Psalm. 83. — Psalm. 25. — D. Hieron.

A — B — C

6. En quali sanctitate fulgere debent sacerdotes Christi, vt meritò dicantur habitaculum gloriæ Dei; per hos enim maximè honoratur, si decenter pij, religiosi, sanctique sint: hos ascendentes, & descendentes in scala vidit Iacob, tanquam Diuinis mysteriis in templo Domini Angelica puritate, & vigilantia debitam operam præstantes. Dicitur etiam Ecclesia habitatio gloriæ Dei, eo quòd in eam fideles ventitant, vt Deo in primis honorem rite impendant, & sibi ab ipso gloriam impetrent sempiternam, iuxta illud: *Et in templo eius omnes dicent gloriam.* Ps. 28. ad quem locum egregia sic habet sententia S. Basilij. Audiant hæc Psalmi verba, & reuereantur, qui longis sermonibus seipsos immittunt. Quid dicit Psalmus? In templo Dei existens, non maledictionem, non vanitatem, non verba turpibus rebus referta profert, sed in templo ipsius quisque dicit gloriam. Adstant enim qui verba describunt sancti Angeli, adest Dominus affectus ingredientium inspiciens, oportet autem nihil terrenorum petere, velut Psalmus docet, sed Dei gloriam, &c. Et infrà: Vniuersa creatura glorificat Deum conditorem. Homines autem miserabiles domum orationis locum loquacitatis faciunt, non obedientes Psalmo testanti: quòd *in templo eius omnes dicent gloriam.* Non gloria opus habet Deus, sed vult te esse dignum, vt glorificeris: quapropter quod seminat homo, hoc etiam & metet; semina glorificationem, vt metas coronas, & honores in regno cœlorum. hæc Basil. Est enim Ecclesia velut ager in quo seminamus, & metimus, vnde colligimus pietatis, aut impietatis fructum.

Sacerdotum puritas & sanctitas. — *Quid loquendũ quid petẽdũ in templo.* — Psalm. 28. — S.Basil. — S.Basil. — *Indecens loquacitas in templo.* — *Templũ agro simile.*

D — E

7. Nihil in scala sua vidit Iacob præter Deum, & Angelos, & cælum: omnia scilicet in templo Dei, & cœlestia, & Angelica & Diuina sunt. Quamobrem licet concursus, & mutuus conspectus virorum, & fœminarum ardentissimum soleat esse ad libidinem irritamentum: at ea tamen est sacrorum templorum sanctitas, vt in iis Dei beneficio periculum huiusmodi, aut nullum, aut rarum deprehendatur (præter impietatem, atque impuritatem filiorum Belial, de qua superiùs cum Saluiano disseruimus) si beato Cypriano credimus, qui cum multa diuinitus scripsisset de cauendo aspectu, & commercio fœminarum, ne videretur imperitis indixisse illicitum esse in templum ingredi, qòd viri, ac fœminæ ventitant, hæc adiungit: Tunc cauenda sunt fœminæ participia, quando geritur carnalium curarum continua vnanimiter frequentia: quoniam inter curas suas caro semper incitamenta cupidinis prouocat: & illic parit fomenta peccandi, vbi pertractans commoda sua temporalis vitæ cogitationibus senserit paululùm relaxari: sicut Salomon asserit dicens: *Deprimit terrena cogitatio sensum multa cogitantem.* Sap. 9. hæc ille, *de singul. cleric.* Huiusmodi loca periculosa solent esse ludi, ac ludus publici, pompæ prophanæ, theatralia spectacula, nundinæ, ac denique scenæ, & comœdiæ, in quibus fœminæ visuntur, & audiuntur. Gehennale quidem ab illis conuentibus, & aspectibus, & motibus, & colloquiis incendium, quo animæ pereunt, excitatur. Sed aliter se habet res in templis, vt statim indicat S.Cyprian. ita progrediens: In conuentu verò sacrorum, vbi spiritus dominatur, ancillam semetipsam cognoscens caro, perdit suæ voluptatis vsum, perdit & luxum, dum tractantur cœlestia, dum celebrantur sancta mysteria, tota humanitas occupatur, vbi non humana, sed Diuina sunt omnia: vbi veneratio, vel tremor, & terror incutitur animis vniuersis, sepulta est profectò substantia carnalis. sic ille. Inundant quidem sacra templa Diuino illo rore, quem Dominus per Oseam promittebat. *Ero quasi ros.* cap. 14. quo quicquid carnale, ac fœdum ebulliret, omnino sopiretur, atque extingueretur. Neque tamen negamus diabolicas suggestiones ibidem aliquando præsentiri, sed vbi sese prodont, statim Diuina gratia comprimuntur; quod ita sobnotauit idem Cyprian. Nihil illic impugnationes possunt, vbi & ipsi dæmones cedunt, & nulla sexus alicuius permittitur considerari distantia, vbi Christus loquitur, auditur, attenditur, & per omnia, & in omnibus est totum. hæc S.Cyprian. qui optimè argumentatur contra eos, qui locis prophanis, atque impuris spectaculis audent sese inferre, in quibus non tam impugnat, quàm triumphat diabolus. sic enim concludit: Si inter festa sacrata potest communis conuentio scandalizari, vbi tentator ipse diabolus tremit; quis illic stabilem se esse promittit, vbi tentator audenter occurrit? Et si illic periclitamur, vbi Dei præcepta nos congregant, quid agimus, vbi Dei iussa nos separant? Et si turbamur illic, vbi Dei voluntate munimur: quantò magis vbi non solùm diabolum, sed etiam Dominum habemus aduersum? hactenus ille. Simile quid ad religiosos dici potest. Nam si vbi procul ab omni peccati illecebra (mũdus enim in maligno positus est) inter ipsa spiramenta sanctitatis, multáque, & continua virtutum omnium exempla sociari Angelis, Deúmque præeuntem pone sequentes religiosam vitam ducunt, interdum nihilominus ardentissimis ad peccandum facibus à dæmone impetuntur: quid quæso in mundo fiet? & quid illi, si mundum ipsum non effugis

Periculosus virorum & mulierũ mutuus aspectus. — S. Cyprian. — Sap. 9. — *In tẽplis minus periclitatur castitas.* — S. Cyprian. — Oseæ 14 — S.Cyprian. — *In festis profanis triumphat diabolus.* — *Etiã religiosos impugnat liuido.* — *Mundus tentationibus plenus.*

effugissent, ab innumeris hostibus animæ non paterentur?

8. Porrò autem in hac visione nullæ voces, ne Angelorum quidem a creatura vlla editæ personuerunt: vt intelligas domum Dei non esse domum confabulationis, sed orationis. Confabulantur homines in nundinis, est enim locus ille negotiationis: Deus autem (vt aduertit S. Ambros.) templum suum non mercatoris vult esse diuersotium, sed sanctitatis domicilium. *In cap. Luc.* 19. Adiunge illud S. Nili, *in diuers. cap.* Ecclesiam vt cælum adi, & nihil in ea, aut loquere, aut age, quod terram sapiat. sic ille. Quo vehementer præstringitur illorum stultitia, & impudentia, qui in domo Dei de pecunia, de quæstu, de contractibus, de prædiis, de horreis, de ambitione honorum, hoc est, de terra, & luto, ac sordibus longos, & infructuosos, ac sordidos protrahunt sermones. Scilicet id maximè curat diabolus, vti (quod aduertit S. Cæsarius) diuinæ lectionis fructum, vel orationis remedium nobis possit auferre. Vt corpore tantùm videamur in Ecclesia stare; corde autem & cogitatione longè à conspectu Diuinæ maiestatis abscedere. sic ille, *homil.* 30. *Auferte ista hinc* (ait Dominus) *& nolite facere domum Patris mei domum negotiationis*. Ioann. 2. Benè ibi S. Aug. inquirit: Si negotiationis domus non debet fieri domus Dei, potationis debet fieri? Adde & scortationis & abominationis? Impudentes (inquit S. Chrysost. ad eundem locum) eos significat, &c. Quæ maior hominis impudentia, quam in domo Dei, atque in conspectu Dei, in medio Angelorũ, dum mysteria Diuina celebrantur, aut Dei voces resonant, confabulari de terrenis, de ridiculis, de turpibus? Sunt quidem in templo nundinæ, est in templo negotiatio: sed vbi cælestes thesauri inueniuntur, vnde immensæ opes reportantur. Nos (inquit S. Chrys.) in Ecclesiam conuenimus, vt aliquod magnum lucrari, & spiritale lucrum discedamus. *hom.* 5 *ad pop. Antioch.* Nimirum cum assistimus ante altare Domini, humiles, modesti, venerabundi cum pietate, reuerentia, timoréque debito: cum attentè, auidéque concionem audimus, verbúmque Dei per aures acceptum in cordis intima recondimus: cum sacris concentibus delectati, ad cælestis regni festa, & Angelicam harmoniam inhiamus: cum sordes animæ in lauacro confessionis abluimus, & Diuinæ gratiæ amictu adornamur: maximè verò cum puri, & pij ad sacrosanctum Corporis Domini epulum admittimur, vt carne Dei pasti, de Deo saginemur. Hæc sunt lucra, hæ nundinæ, hæc negotiatio domus Dei.

Non confabulandum in templo. D. Ambros. Luc. 19. S. Nilus. *Loquacitas in templo à diabolo.* S. Cæsarius. S. August. *Impudentes in templo.* D. Chrysost. *Sancta in templo negotiatio.* D. Chrysost. *Mira in templis lucra.*

9. Apparuit Dominus Iacobo innitens scalæ, vt suum homini afflicto, ac mœrenti auxilium præstaret; quod quidem fideles exposcunt, cum ad templum Dei se conferunt. In templo Salomonis memoratu dignum est illud atrium, quò populus conueniebat, quæ basilica Hebraice dicebatur *ghazerah* עזרה, hoc est *auxilium*. Hinc vertunt nonnulli *Atrium auxilij* Templa enim ingredimur, vt in iis residentis Domini auxilium imploremus. quod Dauid factitabat in tabernaculum Dei, ante conditum templum, summo manè subintrans; iuxta illud: *Manè astabo tibi.* Psalm. 5. & illud: *Ad te de luce vigilo*. Psalm. 62. Optimo sanè consilio adeundum est manè templum, Deúsque rite colendus, atque orandus: antequam subsequentia toto illo die negotia feliciter, & aggrediamur, & conficiamus. Et vniuersim antequam aliquid maioris momenti inchoemus. Sic Dominus Hierosolymam veniens primò dicitur in templum ingressus. *Ioan.* 2. Nimirum (vt egregiè colligit Beda) formam nobis religionis, quam sequamur, præmonstrat: vt cum fortè villam, aut oppidum, aut alium quemlibet locum, in quo sit domus orationis Deo consecrata, intramus, ad hanc diuertamus. Et postquam nos Domino per orationum studia commendauerimus, sic deinde ad agenda ea, propter quæ venimus, temporalia negotia secedamus. hæc ille, *in cap.* 11. *Marci.* O quam feliciter nobis cuncta procederent, si à templo Dei, si ab oratione, si à Deo initium sumeremus! Verius ergo quodcunque templum in populo Christiano dici poterit Ariel, hoc est, leo fortis, aut leo Dei, quàm templum suum à Salomone constructum Hebræi appellare consueuerunt. Est enim in templo nostro Agnus Dei latens in augustissima Eucharistia, tener quidem, blandus, ac suauis erga suos fideles: at leo pariter contra omnes suorum fidelium hostes, siue homines, siue dæmones sint: vt pro nobis contra inimicos leonis impetu prosiliat pugnaturus.

Mane orandum Dei auxilium. Psalm. 5. Psalm. 62. *Adeundum templum Dei ante negotia.* Ioan. 2. Beda. *Templum Christi Ariel.* *Christus in Eucharistia agnus & leo.*

10. Quod Isaias contestatur his verbis: *Quomodo si rugiat leo, & catulus leonis super prædam suam, cum occurrerit ei multitudo pastorum, à voce eorum non formidabit, & à multitudine eorum non pauebit: sic descendet Dominus exercituum, vt prælietur super montem Sion: sicut aues volantes, sic proteget Dominus exercituum Hierusalem; protegens, & liberans, transiens, & saluans.* c. 31. Vbi Dominus in templo Sion existens duplici comparatione suam demonstrat fortitudinem contra hostes; & clementiam, amorémque in seruos, aut si mauis in filios suos. Sed præstat audire S. Hier. commentarium, quod sic habet: Per duas similitudines Domini, qui se fore adiutorem promiserit, fortitudo monstratur. Sicut leo, & catulus leonis esuriens, si cernat ouium gregem, nulla pastorum voce terretur, & multitudinem eorum conscius virium suarum despicit: sic Dominus præliabitur super montem Sion contra aduersarios illius. hæc Hieronym. de priori similitudine in qua Dei fortitudo significatur. De affectu autem fortiter suaui, & suauiter forti, quem in custodiendis, ac protegendis fidelibus suis exhibet, ita secundam similitudinem explicans prosequitur doctissimus Pater: Quomodo aues, vt defendant fœtus suos, nidos superuolant: & siue serpentem, siue homines viderint, auésque alias ad pullos suos accedere, oblitæ suæ imbecillitatis, rostro pugnant, & vnguibus, doloréque pectoris garrula voce congeminant: sic Dominus proteget, & saluabit Hierusalem. hæc ille. Quæ non tam Salomonis templo, in quo arca Dei asseruabatur, quàm nostris hodie templis, in quibus ipsamet Christi diuinitas, & humanitas in sacrosancta Eucharistia verè, & realiter continetur, propriè conueniunt. Turrim Dominus appellauit templum in parabola vineæ, adiiciens: *Et ædificauit turrim.* Matth. 21 hoc est, *templum*, vt Origen. S. Hieron. & alij complures interpretantur. Quod iam antea dixerat Isai. *Plantauit* (inquiens) *vineam, & ædificauit turrim in medio eius.* cap. 5. Templum videlicet (ait S. Hieron.) in media ciuitate.

Isaiæ 31. Deus pugnat pro suis, eósque protegit. D. Hieron. *Christus in Eucharistia tuetur suos fideles.* Matth. 21. Isaiæ. 5. D. Hieron.

11. Quo nomine congruentiùs appellari potest templum Christianum: est enim proculdubiò illa *turris, quæ ædificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortiũ.* Cant. 4. Enimuerò in templo nostro, quod est vnicum asylum, & perfugium, robur, arxque munitissima Christianorum, sacramenta conferuntur, quæ veri propugnacula Christianam Ecclesiam communiunt, maximè Diuina Eucharistia; qua nihil aut sublimius, aut firmius, aut securius. Hic etiam vi-

Templũ turris Christianorum. Cantic. 4. *Sacramenta fidelium propugnacula.*

Templum armis cœlestibus plenum.

ſitut ornatiſſimum armamentarium, in quo omnia ſunt armorum genera, quibus Dei milites armantur, vt contra omnem exercitum gehennæ deprælientur. Sunt autem arma orationes, conciones, ſacrificia, &c. Legunt alij, vt iam alibi ſubnotauimus, *constructa ad diſciplinas:* quod mirabiliter conuenit Chriſti templo, in quo ſacerdotes vicem Dei gerentes magiſterium præferunt multò ſacratius, ac diuinius, quàm fuerit Moſaicum: nobis enim diuina myſteria reſerant, noſtráſque animas ad omnem pietatem, & virtutis ſtudium informant. Constructa ad diſciplinas: non enim admirationem ſuæ locutionis, aut potiùs loquacitatis Dei verbi magiſter quærere debet à populo, ſed morum inſtructionem, & animarum profectum. Qui enim (ſcribit S. Gregor. Nyſſ.) ratione præditus eſt, illud ei potiſſimum quærendum eſſe arbitror, non quibus rebus maximè præter cæteros admirationem ſui excitauerit, ſed quibus, cum ſibi, tum cæteris, adiumentum ſit allaturus. hæc ille, *lib. de virg. cap.* 2. Porrò in ſcala Iacob Angeli diſcurrunt; & in templo Chriſti angelicam vitam imitentur oportet ſacerdotes, & concionatores, qui populum inſtruunt in doctrina fidei, ac pietatis. Non facilè quidem (ait S. Proſper) perſuadetur eſſe poſſibile, quod docet lingua, ſi à lingua vita diſſentiat. Illud autem probatur poſſibile; quod ſiue prædices, ſiue ſi non prædices, facilè confirmas, & imitari volentibus cum quadam delectatione ipſius poſſibilitatis inculcas. ſic ille, *lib.* 1. *de vit. contemp. cap.* 17. Qui deinde concludit: ſanctè viuendum eſt ſacerdoti, ne dicta ſua repugnantibus factis euacuet. *cap.* 20. Itaque ſacerdotes in Eccleſia dici queunt propugnacula constructa ad diſciplinas Chriſtianæ ſcilicet pietatis, quam addiſcunt fideles cum ſanctè loquentem audiunt, & multò melius cum ſanctè viuentem intuentur ſacerdotem. Virtus enim potiùs viſu, quam auditu addiſcitur.

Prædicator ſtudeat profectui animarum. S. Greg. Nyſſ. *Prædicator vita ſit Angelus.* S. Proſper. *Exemplum in prædicatore.* S. Proſper. *Sacerdotes propugnacula Eccleſiæ.*

Corpus Chriſti domus Dei. Ioan. 2. S. Ambroſ.

12. At omnium potiſſima domus Dei, ac templum Dei, eſt ipſum corpus Chriſti Domini, ſicut ipſe Dominus dixit: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Ioan. 2. Explicat ſtatim Euangeliſta: *Hoc autem dicebat de templo corporis ſui.* Ad quæ verba S. Ambr. Magnum (inquit) templum, de quo virtus exibat & curabat omnes. Mirabile illud altare, in quo vnius agni ſacrificium tulit peccata mundi. Ille præſtantiſſimus Leuita, qui venit, non vt miniſterium exigeret, ſed vt omnibus exhiberet ſuæ miniſterium paſſionis, cui portio Deus, qui hîc nihil poſſideret, & omnia poſſideret. hæc S. Ambroſ. *ſerm.* 3. *in Pſal.* 118. Eodem ſenſu *in Pſal.* 45. ſcripſerat: Admirabile (nempe) templum Dei & aula cœleſtis, quòd ſolutum corrumpi non potuit, ſed intra triduum reſurrexit. ſic ille. Quaſi conſideret ſanctiſſimus Pater Verbum ipſum diuinum veluti ſacerdotem, in templo humanitatis ſuæ, quam ſibi perſonaliter adunauit, miniſtraſſe, & ſacrificaſſe: miniſtraſſe quidem, cum admiranda opera in carne ſua edidit in gloriam æ[illegible] Patris, & in ſalutem animarum: ſacrificaſſe verò, cum eandem ſuam in holocauſtum obtulit in cruce. Hanc etiam nomenclaturam domus Dei ſibi poſt Filium ſuum vendicat Beatiſſima ſemper Virgo; vt piè veréque conſiderat S. Methodius, qui poſt multa ita ſubſcribit: Quapropter ego eam Propheta de immenſa excellentia tua (ô Virgo) nos admonente concludens dixerim: *Quam magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius! magnus & non habet finem: excelſus, & immenſus.* Baruch 3. hæc ille, *orat. de hypopant. Dom.* Congruenter admodum Virgo Deipara dicitur domus Dei, quam ille ſibi ædificauit, & adornauit, in qua habitauit veniens de cælo, in qua puriſſimam carnem induit, in qua vniuerſam theſaurorum ſuorum immenſitatem repoſuit, in qua hominibus innumera quotidie ſuæ benignitatis dona diſpenſat. Bene S. Ioan. Damaſc. O miraculum (inquit) quod nouitate miracula omnia ſuperat! Tu diuinitatis habitatio facta es, ô inculpatiſſima, quam luminis inacceſſi flamma non exuſſit. Theantricum Dominum, id eſt, Deum & hominem Virgo peperiſti: O Virgo creaturarum Domina. ſic ille, *in carmin. de Trium. Hæc eſt domus regia, quam ſibi Salomon ædificauit.* 3 Reg. 7. Itémque *domus ſaltus Libani:* ibid. ita videlicet dicta, quia ad delicias, cum incredibili amœnitate Libani montis nemora imitante fuit constructa; in ea deinde poſuit ſcuta, peltaſque ex auro puriſſimo. *cap.* 10. Nimirum Dei Filius matrem ſibi ipſe fecit ad ſuas delicias. Nam ſi (vt ipſe teſtatur) *deliciæ illius ſunt, eſſe cum filiis hominum.* Prouerb. 8. quantò certiùs diceret ac ſuauiùs: Deliciæ meæ eſſe cum Matre mea? Idcirco vocatur *Virgo chariſſima in deliciis.* Cant. 7. cum propter innumerabiles, & ſuauiſſimas, quibus ſanctiſſima illius anima redundabat, tum etiam propter officia, & blandicias maternas, quibus Puer Ieſus, & oblectabatur, & nutriebatur. Sed quid de auro dicam? Illud vnum cum S. Method. Salue dilectionis Dei theſaure! *orat. citata.* Suum quippe amorem Deus, quo genus humanum diligit, totum in manibus matris ſuæ dilectiſſimæ repoſuit: Ideò Virgo Beatiſſima appellatur *Mater pulchræ dilectionis.* Eccleſ. 24.

Verbum ſacerdos in templo humanitatis. *B. Maria domus Dei.* S. Method. Baruch 3. S. Ioan. Dam. 3. Reg. 7. *Deliciæ Dei in Matre Virgine.* Prouerb. 8. *B. Maria theſaurus amoris Dei.* Eccleſ. 24.

13. *Venite* igitur mecum, ô Chriſti fideles, *& aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei.* Iſaiæ 2. *Mons* quidem eſt, *in vertice montium*, vt ibidem apponitur. Hoc enim ſolo, quòd ſit Mater Dei, excedit omnem dignitatem, quæ vel eſſe, vel cogitari poſt Deum poteſt. Quis autem explicabit qualem gratiarum plenitudinem Virgo puriſſima, & feliciſſima in ipſomet puncto incarnationis Verbi Diuini, & meruit, & accepit? Dicam quod verè, ac piè ſcripſit S. Bernardin. hiſce verbis: Virgo beata in conceptionis Filij Dei conſenſu, plus meruit, quàm omnes creaturæ, tam Angeli, quàm homines in cunctis actibus, motibus, & cogitationibus ſuis. Nempe omnes qui meruerunt, nihil aliud potuerunt mereri, niſi ſecundùm varios ſtatus, & gradus gloriam ſempiternam. ſic ille. Quæ autem Virgo beatiſſima nuncupatim dicatur in eo actu meruiſſe, hunc in modum explicat: Hæc autem Virgo, in illo admirando conſenſu meruit dominium, & primatum totius orbis, plenitudinem omnium gratiarum, omnium virtutum, omnium donorum, omnium beatitudinum, omnium fructuum ſpiritus, cunctarũ ſcientiarũ, interpretationes ſermonum, ſpiritus prophetiæ diſcretiones ſpirituũ, operationes virtutum, meruit fœcunditatem in Virginitate, maternitatem Filij Dei: meruit quòd ſit ſtella maris, porta cæli, & ſuper omnia, quòd regina miſericordiæ nuncuparetur, ac talis nominis ſequatur effectum. Hæc S. Bern. *tom.* 2. *ſerm.* 51. *art.* 3. *cap.* 1. Vides igitur montem in vertice montium? ſuperat Virgo mater & excellit, quicquid infra Deum eſt, aut concipitur. Eadem domus Dei eſt, in qua Deus habitat, in qua panis vitæ magnificè diſtribuitur; in qua peccatoribus miſericordia, iuſtis augmentum gratiæ, atque perſeuerantia condonatur, in quam tanquam poſt Chriſtum Dominum, miſeris vnicum perfugium omnes, qui iuſtitiæ diuinæ debitores ſumus, tutò ac feliciter accurrimus. Igitur *ſicut lætantiũ omnium habitatio eſt*

Iſaiæ 2. *Inexplicabilis dignitas Matris Dei.* S. Bernardin. S. Bernardin. *[illegible] merita B. Mariæ in incarnatione Verbi.* *B. Maria domus Dei.*

in

[Psalm.86.] *in te* Psal.86. (addit Ecclesia) ô sancta Dei Genitrix. Felices plane, qui habitant in hac domo Dei, quos Virgo Mater recipit, fouet, ac protegit! Læti viuunt, tecti, ac securi; veris repleti gaudiis (vt [D.Hieron.] hoc loco legit S.Hieron.) cantabunt quasi in choris. Non incongruè legunt aliqui ex Hebr. *Omnes* [*Pietas & amor erga B. Virginem*] *fontes mei in te.* alij verò: *Omnes oculi mei.* עין *ghain* quippe oculum, & fontem significat. Pulchrè id quidem ô suauissima Dei Mater. Sunt enim in te omnes oculi mei, & omnes fontes mei. Nam etsi totus in oculos conuerterer, vt te viderem, & contemplarer, & admirarer, totum me impenderem: denique in desiderio tui, in memoria tui, in amore, & obsequio tui, in fontes me verti cupio lacrymarum.

B 14. Postremò domus Dei optimo iure vocari [*B. Maria domus Dei.*] solet familia religiosorum sub Prælati obedientia viuentium: domus Dei, vbi paterfamilias (autore [S.Bernard.] S.Bernard.) Deus est, qui alit nos in fame, & sub eo panibus abundantes inuenimur: proinde domus eius, cui nunquam deest alimonia vitæ. Domum suam domũ orationis esse definiit *Matth.* 21. quia ab ipso nos in orationibus vtique cibamur pane lacrymarum, & in lacrymis potum accipimus. [Psam.79.] *Psalm.* 79. Domum istam decet sanctitudo. *Psalm.* [Psalm. 92.] 92. vt videlicet pœnitentiæ lacrymas puritas con- [*Religio domus Dei.*] tinentiæ comitetur, & quæ iam domus est, fiat subinde etiam templum Dei. *Sancti estote* (inquit) [Leuit.11.] *quia sanctus sum Dominus Deus vester.* Leuit.11. Pax quoque necessaria est: hæc est autem quæ fa- [Psalm. 67.] C cit vnius moris habitare fratres in vnum. *Psal* 67. Hæc ex S. Bernard. *serm.* 5. *de dedic.* O felicissima domus Dei, in qua tutò viuitur! *Posuit* enim *Do-* [Psalm. 147.] *minus fines suos pacem.* Psalm.147. In hac scala vitam religiosam significante nusquam Diabolus, nusquam Satan, & aduersarius apparet, sed Ange- [*Securitas religiosorum.*] li discurrunt, & Deus assistit: vt enim lupus ouem comprehendat, à pastore, & à grege prius auertit. Extra claustrum facilè perit, qui inter suos fratres [S.Petr.Dam.] inuictus consistit. Audi in hanc sententiam S. Petrum Dam. Donec Abner commilitonum castris interfuit, aduersariorum cuneis terribilis extitit: postquam verò arma deposuit, periit. Vriæ, si propriæ domus hospitium placuisset, sententiam proculdubio regiæ indignationis, ac fraudis euaderet. D Sed quia extrinsecus in alienis, quàm in proprio [*Religiosus extra claustrum periclitatur.*] dormire cubiculo maluit, autores suæ mortis literas reportauit. sic ille, *apolog. de contempt. cap.* 28. Aculeata sanè inuectio illa, sed iusta tamen est S. [S.Hildebert.] Hildebert. contra religiosos. Qui (inter cætera in- [*Religiosi mali seculo immisto.*] quit) dormitorio tam inexorabile odium indixerunt, ac si in eo quiescere communis materia esset infamiæ, non species doctrinę. Est illis publica, & inexpugnabilis cum mulieribus familiaritas. sic ille. Proh miseram, & deplorandam istorum hominum vitæ rationem, qui nihil habent religiosum, præter nomen, ac vestitum! Et nihilominus in mundum, quanti sunt, immersi nobis suam venditant religionem, vt inter flammas illæsos, inter venena incolumes, inter sordes, ac lutum puremus illos candore ouium superantes.

E 15. At sunt, qui dicant: etiam in domo Dei, [*Tutior à vitiis religio.*] quam religionem vocamus, vitiorum sentiuntur tentamenta: vbique insidiæ, vbique pericula. Rectè id quidem; sed audiant: in domo Dei vitia, vbi se produnt, illico intercipiuntur, quæ in mundi latè patenti campo impune lasciuiunt, ac dominantur. Solet venator, vt prædam capiat, sepire vias, inaccessásque reddere, per quas lepusculus ingredi posset, vnámque tantummodo semitam relinquere peruiam, in qua technas construit, & laqueos disponit, quibus incauta bestiula irretia-

A tur. Hac similitudine vsus S. Petrus Damian. hæc [S.Petr.Dam.] subinde adiungit: Et nos cum vitiis ad praui ope- [*Religiosus à solis cogitationibus tentatur.*] ris libertatem redire nitentibus, terrenæ actionis meatus occludimus, quasi vno in loco illis insidias ponimus, quia cum solis cogitationibus iugiter dimicamus. sic ille, *apolog. de contempt. cap.* 25. Itaque in seculo viuentes cum vitiis ipsis rem agunt; religiosi cum solis vitiorum cogitationibus bellum gerunt: illis vitia sese armata ostentant, istis vitia tantùm cogitata se offerunt. Sed quis tandem iste callis, in quo vitia illaqueant? Vt ergo (adiungit) diuersis animi passionibus facilè [S.Petr.Dam.] possimus laqueos captionis inijcere, obstructis negotiorum secularium riuulis aduersus solos cogitationum impetus studemus viriliter decertare, vt B dum vitia nostra ab actione deterrita solis cogitationum fluctuationibus aduolant, facilè in sanctæ prudentiæ laqueos cadant. hæc S.Petr.Dam. In quibus etiam attingit aliam ex aucupio simili- [*Vitia extra seculũ facilè sopiuntur.*] tudinem tritam illam quidem, sed in qua egregiè demonstratur, quàm facilè religiosi viri à seculo, & secularibus abstracti negotiis vitia, quæ ad solos cogitatus emergunt, sopire consueuerint. Nimirum auceps riuulos aquæ, ramis, herbis, ac cespitibus occludit: vnáque in area tantùm, aut latiore quodam vase humi infosso, aut fouea ad hoc constructa exponit aquam: hîc laqueos construit, & retia tendit, quibus eò aduolantes ad bibendum auiculas intercipiat. Sic igitur religiosi procul à [*Vitiorum nutrimentum cogitatis.*] curis secularibus, & innumeris vitiorum illece- C bris, quibus scatet mundus, dum Deo, ac piis vacant studiis, cum solis cogitationibus pugnam exercent: ad eas quippe tantummodo vitia vndique repulsa conuolant, fomentum aliquod, & illecebram receptura, ibique per studium religiosum intercepta sopiuntur.

16. Vidit Iacob, & nuncupauit domum Dei, sed in campo tamen, in quo sub dio pernoctabat, quasi temporariam domum, non fixam, & stabilem, sed (vt sæpiùs vocatur in sacris literis) taber- [*Religio tabernaculum Dei.*] naculum Dei, vtique religiosæ vitæ symbolum. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum.* [Psalm.83.] Psalm.83. exclamare licet cum Propheta: Dilecta Deo, Angelis, & hominibus hæc tabernacula, hæ scilicet variarum religionum familiæ. In his enim D (autore S.Bernard.) sunt primitiæ spiritus, quæ [S.Bernard.] militantibus interim prærogantur: sanctitas in [*Religionis encomia.*] conuersatione, pietas in intentione, virtus in colluctatione. Eia ergo viriliter interim in tabernaculis militemus, vt suauiter deinde in atriis requiescamus. *Concupiscit, & deficit anima mea in atriis Domini.* hæc ex S.Bern. *serm.* 4. *in dedicat.* De religione intelligo illud Domini: *Et circundabo domum meam ex his, qui mihi militant, euntes, & reuertentes. Et non transibit super eos vltra exactor, quia nũc vidi in oculis meis.* Zachar. 9. En habes domum [Zachar. 9] Dei vndique Diuinis vallatam præsidiis: murus illius ipsemet Deus. Quid ergo securius? Verùm hæc domus non est ad quietem, sed ad militiam, quando scilicet illius incolæ per obedientiam ex E illa foras abire coguntur, citóque & alacriter reuertuntur: hostes interim oppugnant, bellum cietur; [*In religione diabolus facilè vincitur.*] at intra vallos recepti aduersantium deforis ictus facilè propulsant; nec enim vel potest, vel audet geheunalis tyrannus; qui à secularibus continua vitiorum tributa exigit, illuc introire. Legunt alij: *Non transibit vltra foras eductos & vinctos in captiuitatem trahens.* ex S.Hieron. Item vbi dicitur: *Circundabo domum meam:* alij vertunt: *Ponam in domo mea eleuationem.* Omnia quippe in religiosorũ in- [*Cuncta sunt sublimia in religione.*] stituto sublimia sunt, eleuata super terram; mundum, & carnem; rerum scilicet spiritualium, ac

cœlestium elationes. Sed vnde tanta hæc religionis dignitas? Quia nunc vidi in oculis meis. Nimirum Deus ipse clementissimus in hanc suam domum, in hanc suam familiam, in hos seruos, & filios suos habet defixum obtutum oculorum. Nihil enim est in terra, quod oculos Dei ita quodammodo detineat, & oblectet, atque vnaquæque familia religiosorum. De his enim maximè dicitur: *Oculi Domini super iustos.* Psalm. 33. Pietatis enim (declarat S. Hieron.) inspectione eos iugiter contemplatur.

Oculos Dei delectant religiosi. Psalm. 33. D. Hieron.

SECTIO VI.

Et porta cæli.

Caietan. 1. Verè (inquit hoc loco Caiet) agnouit Iacob esse ibi portam cæli, ex eo quòd scala ad portam cælorum pertingebat, ex qua egrediebantur Angeli descendentes, & quam ingrediebantur ascendentes. hæc ille. Meritò suspicatur Dionys. Carth. Iacobo apparuisse cælum ea in parte apertum, atque per illam veluti ianuam, quam scalæ summitas attingebat, angelos de cœlo egredi, & in terras descendere: & per eandem ascendentes introire in cælum. En cui panditur cælum, homini scilicet afflicto, mœrenti, & profugo! O profugum (inquit hoc loco Rupertus) cœlestis asyli protectione dignum! quàm veraciter dictum sit: *Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde.* Psal. 33. ex isto claret, &c. hæc ille. Sed quid ait regius Vates? Propinquus est (inquit) Dominus mœrentibus, & afflictos conseruat ad opem ferendam, præsto quidem est, etsi dum affligit, longè abesse videatur. *Iuxta est Dominus.* Nunquam enim (interpretatur S. Hieron.) elongatur ab eis, qui propter illum sustinent. Cum ipsis est in tribulatione; non loco, sed auxilio. sic ille. At ea hominis infirmitas est, vt siquando in tribulationem inciderit, à Deo se desertum suspicetur. Profectò qui Ionam vidisset in medios iactari fluctus, atque subitò à maris gurgitibus deuorari, actum tandem de Iona dixisset. Verumenimuerò haustus ille à mari, nec maris sensit amaritudinem, nec pelago absorptus periit. *Clamaui* (inquit) *de tribulatione mea ad Dominum. Et proiecisti me in profundum in corde maris. Et flumen circundedit me.* c. 2. Quid hoc est, bone Propheta, proiectus in profundum, haustus corde maris, & tamen fluuium inuenisti, qui te circundedit: in ipsamet salsugine maris dulces fluuij liquores hausisti? *In corde* (obseruat S. Hieron.) *maris*, id est, in mediis tentationibus esse se memorat: & tamen cum inter amaras aquas fuerit, & tentatus sit, non sensit aquas amaras: aliis bibentibus salsos fluctus, ego (inquit) in mediis tentationibus dulcissima fluenta sorbebam. hæc S. Hieron. Quis non admiretur pariter ac veneretur immensam Domini clementiam? *Cum ipso* (ait) *sum in tribulatione.* Psal. 90. Scilicet, vt tribularum mea præsentia consortem, reddam patientem, & alacrem, ac tribulationem ipsam mea manu temperem, leuioremque, & leniorem efficiam. Sed vnde scimus (inquit S. Bern.) quòd nobiscum sit in tribulatione? ex eo vtique, quòd in ipsa tribulatione nos sumus. Quis enim sustineret, quis persisteret sine eo? sic ille, *serm.* 16. *in Psalm* 90. Exultandum igitur, non dolendum est in tribulatione, quæ signum est Dei præsentis, & fauentis.

Deus afflictis fert opem. Rupertus. Psalm. 33. D. Hieron. *Homo sacrificis laboribus.* Ion. 2. *Recreat Deus corde laborantes.* D. Hieron. Psalm. 90. S. Bernard. *Tribulatio signum præsentiæ Dei.*

2. Præsto erat Balena monstrum illud, & mole sua, & ferocitate metuendum, vt proiectum hominem deglutiret. Quid cogitari potest horribilius? Et scribitur tamen: *Præparauit Dominus piscem grandem, vt deglutiret Ionam.* c. 2. Cum audis, *deglutiret*, totis tremis artubus: at cum audis, *præparauit*; non est quod timeas; illud horrore plenum, istud dulcedine, atque amore. Optime S. Hieron. Vbi putabatur (inquit) interitus, ibi custodia est. Præparauit, vt præcipitem Ionam in suos reciperet sinus, & pro morte præberet habitaculum: vt qui in naui iratum senserat Deum, propitium in mari sentiret. ita S. Hieron. Itaque iratus Dominus Ionam e naui præcipitat in mare, sed vt est clementissimus, ac dulcissimus, manu sua iam mollem culcitram in ventre bestiæ parauerat, vt Diuina iustitia seruum castigarum misericordia peramanter exciperet. Igitur sæpiùs fit, vt ibi vitam inuenias, vbi mortem esse putabas: ibi Deum misericordem sentias, vbi timebas iratum. *Misericordia Domini, quia non sumus consumpti.* Thren. 3. Cæterùm ex parte hominis illud etiam adiumento fuit: *Clamaui* (scilicet) *de tribulatione mea ad Dominum.* O vim admirabilem, & (liceat dicere quod sancti viri non semel dicunt) omnipotentem orationis! Clamauit Ionas, fudit preces, orationem præmisit in cælum; & hæc illi mare in fluuios, amaritudinem in dulcedinem, bestiam in nutricem, ventrem in lectum, mortem in vitam conuertit. *Petite* (ait Dominus) *& dabitur vobis, petite, & accipietis.* Matth. 7. *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ioan. 14. Ipse docuit nos orare, et oratione armati, nihil non euinceremus. In quam sententiam illud recole Tertull. Deus solus docere potuit, vt se vellet orari. Ab ipso igitur ordinata religio orationis, & de spiritu ipsius iam tunc, cum ex ore Diuino ferretur, animata suo priuilegio ascendit in cælum commendans Patri, quæ Filius docuit. hæc ille, *de orat. Domin. cap.* 9. Quid ergo non impetrabit à Deo Patre illa oratio, quam Filius docuit, quam iussit offerri, quam Spiritus sanctus animat, & viuificat, vt in cælum auolet, quæ Filij verba Patri reperit, & memoriam ingerit? Vide omnipotentiam orationis, quæ Omnipotentem ipsum de cælo trahit. *Veniat* (aiebat Spōsa) *dilectus meus in hortum suum.* Cant. 5. Actutum Sponsus: *Veni in hortum meum.* ibidem. Sponsa quidem (Patres aputd Theodoret.) precibus Sponsum aduocauit: at ille antequam Sponsa supplicationem expleret, illam exaudiens descendit in hortum eius. hæc illi. Opportunè igitur Iacobo cælum aperitur, vt afflictum excipiat, mœrentem recreet, humanáque ope destitutum confortet. *Momentaneum enim tribulationis nostra æternum gloria pondus operatur in nobis.* 2. Corinth. 4.

Ion. 2. D. Hieron. *Misericors Deus etiā in ipsa iustitia.* Thren. 3. Ion. 2. *Omnipotens oratio.* Matth. 7. Ioann. 14. Tertull. *Oratio à Christo edocta Patrem exorat.* Cantic. 5. Theod. *Prælio Deus adest oranti.* 2. Cor. 4.

3. Quod si Eusthatium, & Suidam sequaris, qui scalam Iacob figuram crucis Dominicæ interpretantur: magnum profectò solatium afflictis, & tribulatis ingerit videre ipsum Dominum in summitate scalæ innitentem, hoc est, cruci affixum. Bene S. Bernard. Passio (inquit) tua bone IESV vltimum refugium; singulare remedium: deficiente sapientia, iustitia non sufficiente, sanctitatis non succurrentibus meritis, illa succurrit. *serm.* 22. *in Cant.* Scilicet prudenti, ac fideli viro nulla grauior potest aduenire tribulatio, quàm si se videat bonis carentem operibus, & meritis destitutum: cui tamen passio Domini addit ingentes animos, & solatium imprimit suauissimum. Hic erat ille fasciculus myrrhæ, qui sua amaritudine miram instillabat dulcedinem pectori sponsæ, quæ propterea dicebat: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Cant. 1.

Scala Iacob figura crucis Domini. S. Bernardin. *Domini crux grande solatium.* Cant. 1.

4. Tu quoque (monet egregiè S. Bernard.) si sapis S. Bernard.

imita

Iugis recordatio Passionis Domini

imitaberis Sponsæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam charum fasciculum de principali tui pectoris, nec ad horam patieris auelli; amara illa omnia, quæ pro te pertulit, semper in memoria retinens, & assidua meditatione reuoluens, quò possis dicere: Fasciculus, &c. *serm.* 43. *in Cant.*

Oculi & animus in cælum intenti.
S. Bernard.
S. Bernard.
Cantic. 2.
Theodor.
Bonorum hic spes, illic possessio.
S. August.
Desideria in Christum.

4. Suum Dominus afflictis cælum reserat, vt illuc spem, ac desiderium dirigant, quo nullum in aduersis huius vitæ maius esse potest leuamentum. Illuc (ait S. Bernard.) spiritus dirigendus est, quò est iturus. Illuc festinare debemus, vbi semper viuamus, & vbi mori non timeamus. *de int. dom. cap.* 16. Panditur cælum Iacobo ex longo itinere nimium fatigato, & multis aliis sui exilij miseriis laboranti; vt intelligas omnium laborum, ac miseriarum vno tantùm in cælo constitutam esse requietem. Ibi est enim (autore S. Bern.) requies à laboribus, pax ab hostibus, amœnitas de nouitate, securitas de æternitate, suauitas atque dulcedo de Dei visione. hæc ille loco citato. Non est igitur, quòd in hac vita mentem in illis bonis defigamus, in quibus nec requiem, nec satietatem possumus inuenire: quod hic speratur, ibi possidetur. *Flores apparuerunt in terra nostra*, dixit Sponsus *Cant.* 2. Adnotanda (inquit Theod.) verborum est subtilitas. Non enim dixit fructus, sed flores. Absoluta namque bonorum possessio dignis hominibus in futuro seculo reseruatur. hæc ille. Itaque veri fructus voluptatum, diuitiarum, honorum, atque omnium bonorum, quibus immortalis anima perfrui potest, in cælo tantùm exuberant, & colliguntur, & conceduntur: plena, & vera illic bonorum possessio conceditur: in terra verò soli flores pullulant; spes quidem, vota, desideria. Illic gaudetur de possessione, hîc de spe. vnde illud S. August. Totum gaudium de spe futura sit, totum desiderium vitæ æternæ sit. Omnia suspiria Christo anhelent. Ille vnus pulcherrimus, qui & fœdos dilexit vt pulchros faceret, desideretur: ad illum vnum curratur: illi ingemiscatur. hæc S. Aug *tract.* 10. *in Ioann.* Iccirco cælum patescit, & Angeli introeunt, & exeunt: nec enim intrabit in eam Dei ciuitatem aliquid coinquinatum, soli aut natura aut puritate Angeli cum Deo cælum incolunt iuxta illud Domini: *In resurrectione erunt sicut Angeli Dei in cælo.* Matth. 22. Non quidem hominum beatorum natura in cælo transmutabitur in Angelicam: sed (vt explicat S. Hieron.) spiritualis repromittitur conuersatio. S. Chrys. ad hunc locum hanc puritatem Angelorum in religiosis viris iam nunc splendescere admiratur. Maximè verò homines Angelis persimiles dicit Dominus, cum agitur de nuptiis, vt S. Chrys. in catena D. Tom. his verbis adnotauit: Notandum quod cum de ieiuniis, & eleemosynis, cæterisque virtutibus spiritualibus loquutus fuit; nunquam Angelorum similitudinem introduxit, nisi cum de absolutione à coitu loqueretur: quoniam sicut omnes actus carnales opera sunt animalium, præcipuè tamen actus libidinis, sic omnes virtutes sunt res Angelicæ, præcipuè tamen castitas, per quam vincitur natura virtutibus. sic ille.

Matth. 22.
In cælo cum Deo Angeli aut natura, aut puritate viuunt.
S. Chrysost.
Libido pecudum propria.
Castitas vincit naturam.
Matth. 10.
Castitas parit immortalitatem.
S. Greg.
Generatio inseruit morti.
S. Greg. Nyss.
Mors per virginitatē contrita.
B. Maria mortis peremptrix.

5. Ibidem adiungit Dominus: *Non est Deus mortuorum, sed viuentium.* Pulchrè quidem, insinuans nescio quid vitale, atque immortale, vtpote Angelicum, in castis iam nunc inesse corporibus. Vitam enim & immortalitatem parit castitas, ait S. Greg Nyss. *lib. de Virgin. cap.* 13. Enimuerò connubium quodam modo inseruit morti, quippe generationi, & corruptioni studet, filios generat in pabulum mortis: at castitas à iugo, & A tributo mortis libera spirituali proli virtutum, quæ interitum nesciunt, dat operam. Hinc bene colligit idem Gregor. Adamo vsque ad Mariæ Dei Matris tempus mors regnum obtinuit; ac sola Virginitas efficit, vt cum tanquam ad lapidem aliquem virginitatis fructum mors offenderet, in ea contrita sit. sic ille. Itaque per generationes hominum mors in mundo triumphans cædendi, & deuorandi homines iam inde ab Adamo nullum faciens finem, accedens ad beatissimam Dei Matrem, quæ prima Virginitatis vexillum prætulit, non modo ibi substitit, sed fractis viribus debilitata, & obtrita est. O pulcherrimam Virginem mortis de humano genere triumphantis peremptricem! Quia verò in cælum non nisi puris, B Angelósque imitantibus licet introire: iccirco Dominus in hac vita Iacobum, & reliquos seruos suos, quos ad suam beatitudinem electos habet, variis exercere laboribus, & incommodis consueuit, vt omni vitiosa labe detersi, puri, & cælo habiles reddantur. Ferat Iacob, ferant iusti patienter, quòd ita scalpello Dei radantur, vt nitorem induant; ex amore, non ex odio, sic à Deo probantur, & depurantur. *An non* (vt canit Propheta) *oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum*? Psal. 33. Si ergo Deus oculos, & aures habet defixos in seruis suis, quomodo illos in tribulationibus obliuisci, & ad illorum clamores surdum se præbere poterit? Quod si pati, & gemere eos sinit, vtique illorum salutem procurat. C Sed audi hoc idem ex August. ad hæc verba Prophetæ. sic inquit. Nunquid dicis, quanta patior, & Deus me audit? Si audiret me, forte dicis, tolleret mihi tribulationem. Clamo, & tribulor. Et quando tribularis, audit te. Sed medicus est, adhuc putre habes nescio quid. Clamas, sed adhuc secat, & non tollit manum, nisi secuerit quantum videtur. Etenim medicus crudelis est, qui exaudit hominem, & parcit vulneri, & putredini. hæc S. Aug. *in Psalm.* 33. *conc.* 2. Dum igitur Iacob, & iusti patiuntur, aliquid intelligant putre ac fœdum in seipsis habere, quod à Deo secari, exuri, & depurari debet, vti omninò puri, & veluti Angeli cæli ianuam introducti ad conspectum Dei deducantur. Denique vniuersim dicamus cum S. D Ambros. Omnes oportet per ignem probari, quicunque ad paradisum redire desiderant. Non enim otiosè scriptum est, quod eiectis Adam, & Eua de paradiso, posuit Deus in exitu paradisi gladium igneum versatilem. Omnes oportet transire per flammas. *serm.* 20. *in Psalm.* 118.

Laboribus ad gloriam depurantur.
Psalm. 33.
S. August.
Deus medicum agit erga nos.
Laboribus vitia purgātur.
D. Ambros.
Ad cælum per flammas itur.
Cæli latitudo capit omnes.
S. Bernard.
Angustus est mundus, vix vni sat est.
Solus Deus diuites reddit.
2. Cor. 8.

6. Duos fratres Esau, & Iacobum, nec, antequam nascerentur, infantulos maternus venter, nec subinde adolescentes paterna domus poterat simul capere: duobus & matris viscera, & patris opes angustæ videbantur. Manet Esau, & pellitur foras Iacob. Ille in terra latior & ditior viuit; cæterum isti (quod multò felicius est) exulanti cælum se reserat. Festinemus igitur (ait S. Bern.) in illam ingredi beatitudinis amplitudinem, vbi nemo alium coangustat. *serm.* 2. *de Assumpt.* E Hæc est infelicitas huiusce mundi, in quo viuimus, vt paucos diuites & habere, & facere possit: quod vni adiicit, ab alio detrahit: vt vnum diuitem efficiat, plurimos in paupertatem redigit: vnius diuitiæ, non nisi ex multorum inopia congeruntur. At in cælo immensis omnes thesauris abundant. Deus ipse in infinitum diues diuites omnes & efficit, & conseruat. Quin etiam tantus est Deus, vt vel pauper effectus diuites de sua fecerit inopia: iuxta illud Apostoli: *Propter vos egenus factus est, vt illius inopia diuites essetis.* 2. Corint. 8. Ad quæ verba

D.Ambrof.

egregiè argumentatur S. Ambrof. Quantus eft in diuitiis Dominus IESVS, qui paupertate fua omnes diuites fecit? *de bened. Patr. cap. 9.*

Inuidia ex inopia nafcitur.

Poft rerum terrenarum anguftiam, & inopiam fequitur inuidia, qua de aliorum opulentia bomines contabefcunt: hinc doli, violentiæ, rapinæ, vt alij alios fpolient, & alienis miferiis felices reddantur. Ideo Zacharias vidit ampboram, in qua erat impietas.

Zachar. 5.
Eufeb. Emif.
Diuites fimul auari & impij

cap. 5. Per amphoram intelligitur (autore Eufeb. Emiff.) auaritia. In hac (inquit) fedet impietas; quoniam diuites, & auari, qoia mifericordiam, & pietatem non habent, non folùm impij, verùm etiam impietas rectè vocantur. fic ille, *homil. in 4. Luc.* Sed qui fieri poteft, vt auaritia, quæ cum fit infatiabilis fundum ac terminum nullum habet, amphora vafculum quidem, non autem vorago,

Auaritia dicitur amphora
Inanis mundus replere nequit hominem.

B & abyffus nominetur? Polchrè auaritia dicitur ampbora, cuius etiam breuior aluus nunquam repletur. Tam mira eft enim rerum omnium io mundo leuitas, & inanitas, vt etiam vrceolus toto mundo infufo repleri nequeat. Idcirco auari non fatiantur, quia rerum, quas poffident, & cupiunt, meræ nugæ, atque inanitates fatiare non poffunt; quis enim famem vmbris, & fomnis

Solo in cælo fatietas.

expleat? Satiant in cælo & opes, & voluptates, & honores: fatiatique omnes nihil alienum aut inuident, aut cupiunt: quin etiam tam admirabili amoris nexu conftringuntur omnes, vt fuum

In cælo fatietas & nulla inuidia.
S.Profper.

quifque reputet, quod alij poffident. O felix patria, vbi veritas regnat (inquit S. Profp.) vbi nec C fallit quifquam, nec fallitur. Vnde nullus eiicitur beatus, quò nullus mifer admittitur. Ita perfectè omnes funt beati, vt nec cupiant beatiores fieri, vltra nec valeant. Sicut corporalis faturitas omnes faturos æqualiter habet, quamuis cibum non æqualiter, fed pro poffibilitate perceperint: ita omnes fancti, etfi fuerint aliqua graduum fuorum diuerfitate diftincti, vna beatitudine perfecti erunt; quia & vna perfectione beati futuri funt. hæc S. Profp. *de vita contemp. lib. 1. cap. 2. 3. & 4.*

7. Aperit fe Iacobo peregrino cælum, vt meta, & finis itinerum, peregrinationum terminus. Hucufque licet hofpitem effe, ac peregrinum in

Vita eft via in cælum.
S.Bernard.

terris: at in cælo (vt loquitur S.Bernard.) nullus eft peregrinus, fed quicunque illuc venire merebuntur, fecuri in propria patria manebunt femper, & læti, & femper fatiati de Dei vifione. *de inter. dorm. cap. 16.* Quomodo igitur fe aget in terra

S Auguft.

Iacob? Quomodo (refpondet S. Auguft.) viator in ftabulo tranfiturus, non poffeffurus. *in Pfalm. 93.* Peregrinis data eft terra, nnn incolis; ad peregrinandum noo ad habitandum: via eft, non habi-

In cælo patria & gaudium.

taculum: in cælo & patria, & domus eft, cuius ianua peregrinanti, & viatori panditur, vt intret in gaudium Domini fui: gaudium dico, quia extra ianuam cæli nihil eft, vnde verum gaudium capiatur. An non maledictione percuffa eft terra, in qua viuimus; fpinas, & tribulos vbique nobis

D Auguft.

germinans? Poteris (quærit S. Aug.) te conuertere ad aliquam voluptatem, vbi fpinas non fentias?

Vita fpinis & moleftiys plena.

In honorum cupiditate quantæ fpinæ? amores turpes quantas moleftias habent? omitto gehennam. Vide ne iam ipfe tibi gehenna fis. hæc ille. *in Pfalm. 102.* Quod fi bona huius vitæ tam multis, & peracutis fyluefcunt fpinis; vt nullibi voluptatem colligas, qoin fimul inflictis fpinis fanguinem elicias: quid porrò in terra (fi miferias attendas) tribulis non horrefcit? & adhuc tamen

Viuere etiam in miferys volumus.

inter fpinas, & tribulos vitam viuere, feu potiùs mortem protrahere cupimus: quid nobis fieret, fi vitam plenam rofis, ac deliciis fine vllo malorum incurfu degere in terra concederetur? Igi-

A tur Dei beneficio factum eft, vt vita longior effe non foleat, fed mortis interuentu finiatur, & à miferiarum fœnore liberetur. optimè S. Ambrof.

S Ambrof.
Breuis vita vt à malis liberet.

Tantis (inquit) malis hæc vita repleta eft, vt comparatione eius mors remedium puteruf effe, non pœna. Nam ideò breuem illam Deus fecit, vt moleftiæ eius, quia profperitate non poterant, temporis exiguitate finirentur. *de interp. Iob. cap. 7.* Hic finis eft laborum, & calamitatum vitæ, qui pari-

Nulla in mundo felicitas fine miferys.

ter eiufdem eft interitus. Nulla eft enim in mundo tanta felicitas, quæ omnem abforbeat infelicitatem, & hominem ab omnibus miferiis intactum, & immunem reddat. Vbi definet vitæ curfos, ibi pariter decurfus infelicitatum conquiefcet. Felix igitur Iacob, cui fcala de terra in cæ-

Cælum afflicti refugium.
Rupert.

B lum erigitur, cui Deus & cælum referat, & feipfum oftendit tanquam vnicum buius vitæ malorum refugium. Hæc planè (inquit Rupert.) magna eft dignatio fupernæ propitiationis, quæ fuper hunc peregrinum talem, vel profugum vifcera fua non continuit, quin properaret oftendere quàm tutom illi præpararet refugium in altitudine cæli. hæc ille, *lib. 7. in Genef. cap. 21.*

Paupertas fpiritus in cælum eleuat.
Rupert.

8. Optimè cælum patefcit homini pauperi, & depofitis mundi, terræque farcinis expedito, qualis hic erat Iacob, & quales fe habent quos ille repræfentat, religiofi viri. quod fic adnotauit Rupert. Iacobum imitantur, quicunque depofitis feculi oneribus, nudi, & expediti ad deftinatum tendunt, cum Apoftolo, dicentes: *Non habemus*

ad Hebr. 13.

C *hic manentem ciuitatem, fed futuram inquirimus.* ad Hebr. 13. Illis porta cæli aperitur, & afcendentibus fcala hæc erigitur. Scala verò ipfa erecta, noftra eft vita in hoc feculo, quæ humiliato corde a Domino erigitur ad cælum. hæc ille, *lib. 7. in Genef. cap. 21.* Non afcendit in cælum qui curis rerũ terrenarum, & cupiditatibus prægrauatur: non eum capit cæli porta, qui latos extendit vanitatis finus, & fuperbiæ tumoribus inflatur, & grandes diuitiarum farcinas deportat. Oportet igitur, vt afcendas per fcalam, & portam cæli fubintres, animam leuem, & expeditam habere. Verùm (vt

D.Chryfoft.
Vita in cælũ expedita.

quærit S.Chryf.) quid poteft animam leuem efficere? Vita (refpondet) admirabilis: ad nihil eorum, quæ hic funt, afpirare: nec pedibus fuis quic-

Bona mundi onerant animam.

D quam alligare eorum, quæ deorfum & feruntur, & ferunt. hæc ille, *in Pfalm. 4.* Grauant quidem animam mundi terræque onera, pedes illius, hoc eft, affectus alligant quæcunque io terra extra Deum, & cupiuntur, & amantur. Qui ergo afcender, & intrabit cælum vinculis anima conftricta, mifera, & preffa oneribus? Non iuuant hæc afcenfum & introitum animæ, fed impediunt: ipfa enim deorfum ad interitum deuoluuntur, & ad eundem fecum pariter illigatam mentem deuol-

Religiofi expediti in cælum.
S.Bernard.

uunt. Felices ô religiofi, qui (vt loquitur S. Bern.) non folùm itis, fed curritis; quia exonerati eftis, & accincti, nihil ponderis fupra dorfa portantes. hæc ille, *ferm. de quadrupl. debito.* Sed non fic filij

Laici oneribus grauati.

feculi huius: etenim (vt ftatim adiungit) grauiffi-E mis farcinis pergrauati, vel fub onere, vel cum onere cadunt. fic Bern. Quid terra onufti confcendere in cælum contendimus? fub terra profectò, & cum terra neceffe eft decidat, qui affectu & cupiditate totus factus eft terreftris. Abraham de Chaldæa in Mefopotamiam, de hac in Chanaan, in hac tota vita peregrinus, millies

Cælum oculis & animo quærendum.

terram mutabat, quod & filius Ifaac in Chanaan eft imitatus: neutri tamen cælum fefe oftendit apertum. Hoc tantùm Iacobo peregrinanti conceffum eft: quafi diuinitus doceretur, non fatis ad vitæ perfectionem effe, quod aliam, atque aliam

aliam regionem incoleret, quippe ſemper in terra
conſiſtens; cælo ergo ſibi putaret, terra omnino
derelicta, & quærendum, & adeundum. Vnde il-
D.Ambroſ. lud pulcherrimè monet S. Ambroſ. Patriarchæ
terram ſolo mutarunt, nos cælo terram mutemus.
lib. de reſurrect.

9. At colliges hinc, in cælum non niſi rebus
omnibus terrenis exutos ingredi poſſe. Non bene
colligis, ſed iſtis, quæ in terra poſſidentur, & ſine
quibus humana vita ſuſtineri haud poteſt, ſobriè,
ac temperatè vtendum homini, qui volet & aſcen-
Ebriam reddit animam bona mundi. dere, & intrare in cælum. Cupiditas enim poſſeſ-
ſio, & amor rerum huiuſmodi terrenarum ſolet
hominis mentem miſerabili quadam ebrietate ſic
prægrauare, & conſtringere, vt nec primum gra-
dum ſcalæ, nec oſtium cæli patientis queat attin-
Hebræis in deſerto vinũ non eſt datũ. gere. Huius vini crapulam ſuo populo timebat
Dominus (omnia enim in figuris contingebant il-
lis) cum aquam vadenti ad terram promiſſionis
etiam miraculo attribuit, vinum autem nunquam
Clem.Alex. dediſſe legitur. Oportebat enim (inquit Clem.
Alex.) eos, vtpote errantes, eſſe maximè ſobrios, 1.
Sobrietas in cœlum ducit. *pædag. cap.* 2. Niſi enim ſobrietate mentes, & cor-
pora temperaſſent, recto tramite ad promiſſionis
terram per vaſtas illas, & ignotas ſolitudines non
Præſto fructus eſt obedientiæ. deducerentur. Parentum ſuorum constrictus obe-
dientia Iacob, & paternam domum reliquit, &
omnibus in ea conſuetis emolumentis, ac deli-
ciis nuntium remiſit, ac ſine vllo commeatu (nec
enim huiuſce rei vlla fit mentio) arduam, & peri-
culis plenam ſuſcepit ad incognitas gentes expe-
ditionem. Obedit ille, ſed obedienti Deus, & ap-
paruit, & cælum aperuit. Ibat enim (vt ſubindica-
Rupertus. uit Rupert.) cum benedictione Dei, & præcepto
patris ſui. 7. *in Geneſ. cap.* 22. Præſto ſemper eſt o-
bedientiæ fructus. Iccirco Dominus ait: *Sibilabo
eos, & congregabo illos, quia redemi eos, & multipli-
Zachar. 10. cabo eos.* Zachar. 10. Vide iubentem Dominum, &
ſeruos obedientes: Dominus non expreſsè impe-
rat, non ſeuerè præcipit, non cogit clamoribus: ſed
ſolo ſibilo, non voce articulata præceptum indicit.
Sibilabo (inquit) *eos*: at illi audito ſibilo accurrunt
illico. LXX. legunt: *ſignificabo eis, & ſuſcipiam eos.*
Amor Dei erga obedientes. Per ſibilum enim ſignum præcepti editur; quo
tantùm congregantur ad Dominum ſerui obe-
dientes, illóſque Dominus læto vultu excipit, at-
que inter brachia complectitur, & multis gratia-
rum ſuarum donis afficit, inquiens: *Multiplica-
bo eos.*

Clem.Alex. 10. Pulchrè Alex. Clem. expendens plurima
Hebræa populo bona terræ, ſi Deo obedirent pro-
mitti, mala verò ſi non parerent, diuinitus indici,
concludit: obedientiæ eſt gratia, inobedientiæ
autem eſt iudicium. ſic ille; *orat. ad gentes.* Enim-
Multa & magna bona cum obedientia. uerò Dominus, qui ſubdito legem imponit quan-
tumuis arduam, magna homini, & multa bona
congerit: quod in ſancta illa Sponſa Domini ſi-
gnificatum eſt. ſic enim legitur. *Collum tuum ſicut
Cant. 1. monilia.* Cant. 1. En collum Diuinæ legi ſubiectum,
preſſúmque iugo: & nihilo tamen minùs ſic ra-
diabat monilibus, (quæ ſanè erant eadem Domini
præcepta) vt totum videretur, & diceretur moni-
lia. Appoſitè Chald. habet. *Quam pulchra ſunt dorſa
eorum, vt ſuſtineant iugum præceptorum meorum!*
Præcepta obedientia ornât, & honorant. Sed quænam eſt hæc dorſi pulchritudo? Vtique
Domini præcepta, quæ non tam onerant, quàm
Cantic. 1. ornant hominem. ſic etiam ibidem additur: *Mu-
renulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.*
Cantic. 1. Vbi etiam Chald. per murenulas intelli-
git præcepta Dei. Vides aurum, vides ornatum in
præceptis obedientiæ? Qui nos mandatis cogit,
aurum nobis præſtat, ornamenta conſtruit; & di-

A uites, & pulchros efficit. O fortunati, ſi tamen ſua
bona norint obedientes! putarim etiam non in-
congruè accipi poſſe in ſymbolo monilium præ-
ceptum quàm difficillimum de confeſſione ſacra- *Cõfeſſio pungit & ornat animam.*
mentali, quæ per vocem gutture, oréque emiſ-
ſam peragitur. Eſt quidem monile; quippe con-
ſtringit, & pungit carnem: ſed aureum tamen,
multiſque, & variis cælaturis pulcherrimè diſtin-
ctum: ornat enim, & pulchram reddit animam,
quæ priùs delictorũ ſordibus ſcatebat. Hoc vnum
præ cunctis aliis & æſtimare, & amare debemus,
vt peccata in Deum commiſſa defleamus, ſacra-
mentóque pœnitentiæ abluamus. Hic ploremus,
quia læſimus Dominum, vt in æternum gaudea-
mus. Nec enim peccatoribus tam alienum aliud
B eſſe oportet, quàm vt rideat, lætetúrque, ſi con-
ſcius eſt ſuorum delictorum. Vox turturis auditur
in terra, & cælum oblectat, vbi feſtum agitur pro
peccatore pœnitentiam agente. Celebrat, & qui-
dem meritò S. Pacianus cuiuſdam pœnitentis ſen- S.Pacianus.
tentiam, qui ad conuiuium ab amico inuitatus, *Timendum & flendum peccatori.*
cum recuſaſſet, reſpondit. Iſta felicibus. Ego deli-
qui in Dominum, & periclitor in æternum perire.
Quò mihi epulas, qui Dominum læſi? hæc ille.
Parœneſ. ad pœnit. Quis ergo rideat, imò quis co-
medat, quis viuat, ſi peccatorem, & Diuino iudi-
cio ſiſtendum fore ſe recordetur?

11. Pulchra eſt etiam illa Iacobeæ ſcalæ ſigni-
ficatio, quam Rupert. Abb. *lib. 7. in Geneſ. cap.* 22. Rupertus.
appoſuit de Incarnatione Verbi diuini ex ſemine *Scala Iacob ſignificat incarnationem Verbi.*
C Iacob, per quam ille vidit apertum ſibi, & toti hu-
mano generi cælum. Sed illud interim non præ-
termittam, quod de gradibus ſcalæ, vſque ad ſu-
premum cui Dominum innixum vidit Iacob, piè,
veréque conſiderauit. Verba ſunt Abbatis: Quid Rupertus.
hæc ſcala Iacob eſt, niſi illa ſeminis ſeries, quam
omnes nouimus ſecundùm Euangelicum librum
generationis Ieſu Chriſti Filij Dei? Eius namque
gradus ſcalæ ſupremus eſt, cui & Dominus fuit in-
nixus, non alius, quàm Ioſeph in illa generatione
nouiſſimus, *Vir Mariæ, de qua natus eſt IESVS,
qui vocatur Chriſtus.* Matth. 1. Itaque putat Ruper- Matth. 1.
tus ſeriem illam generationis, quam texit Mat-
thæus, ab Abraham vſque ad Chriſtũ Dominum
fuiſſe ſignificatam in ſcala Iacob; illiúſque gra-
D dus eſſe Patriarchas, reges, alióſque auos, quos in
genealogia Domini Matthæus recenſet: omnium *S. Ioſeph prærogatiua.*
verò graduum ſcalæ ſupremum, cui Dominus in-
nitebatur eſſe beatiſſimum Ioſephum ſponſum
ſemper Virginis Mariæ. Quòd autem Dominus
Ioſepho innixus dicatur, ita vlteriùs oſtendit Ab- Rupertus.
bas: Nonne ſcalæ innixus fuit Dominus, cum
Ioſeph paterna ope, & pia vectiatione indigens
vteretur Deus homo factus, pupillus in hoc mun-
do, id eſt, abſque carnali patre genitus? Vidit igi- *Per incarnationem Verbi cælum homini apertum*
tur ſcalam ſummis ſuis innixum habentem Do-
minum tangentem cælos, aperientémque cæli
portam, & tali figura præuidit ſibi innixum Do-
minum, generationem ſuam, id eſt, de ſe incarna-
tum habituram, per quam cælos attingeret, &
E portam cæli hactenus clauſam hominibus introi-
ret. hæc Rupert. Finis enim incarnationis Filij
Dei hic extitit, vt ſuo tandem ſanguine mereretur
hominum ſalutem, & gloriam in cælo ſempiter-
nam, huius teſtimonium, ac pignus dedit certiſſi-
mum, cum à terris diſcedens in cælum ſe ſuſtulit
de morte, de inferno, de diabolo, de peccato, & de
ſuis crucifixoribus triumphans; atque patentibus
cæli oſtiis ad ſolium, & dexteram Patris aſcenſu-
rus penetrauit. Ecce (inquit S. Auguſt.) iam porta D.Auguſt.
patet, quam clauſerat Adam: clauſtrum quod cælo *Chriſtus clauſum cælũ aperuit.*
iniquitas infixerat reſeratum eſt. Si quis ſe ad
Chriſtum

Christum tenuerit, cæli ianuas per ipsum securus intrabit *serm. 5. de ascen. Domini.* A terra igitur post exacta mortalis vitæ, ac molestissimæ passionis tempore in cœlum Christus Dominus cōscendit; atque (vt bene aduertit Guarricus) corda hominum sursum leuare post se nitebatur amore sui, & corpora similiter posse subleuari pollicebatur exemplo corporis sui. hæc ille, *serm. de ascens.*

Guarric. Ascensio Domini in cælū propter nos.

12. Cæterum à porta cæli, quam Dominus in sua ascensione reserauit, ad scalæ supremum gradum, cui Dominus innitebatur, liceat paulisper descendere, atque in eius contemplatione immorari Igitur inter Patriarchas, & viros sanctissimos, Hebrææ gentis, qui scalam vsque ad Regem Messiam faciunt, supremum haud dubiè locum obtinet S. Ioseph Virginis Deiparæ sponsus; nec vllus omnino mortalium tam vicinus Christo est, quàm ille, cui Dominus innitebatur, qui Dominum & portabat infantulum, & puerum alebat, & adolescentem tot per annos sub eodem tecto, ad eandem mensam, ac si pater illius esset, vnà cum Matre Virgine comitabatur. Et quidem supremum in scala gradum, ac Domino proximum tunc maximè promeruit, cum ne infimum quidem in ea serie locum tenere ausus Virginem prægnantem cum esset iustus, hoc est, humilis, voluit occultè dimittere. *Matth.* 1. Ideo enim (vt Origen. testatur) vir iustus Viginem immaculatam dimittere volebat, quoniam virtutem mysterij, & sacramentū quoddam magnificum in eadem cognoscebat, cui approximare se indignum existimabat. Ergo humilians se ante tantam & ineffabilem rem quærebat se longè facere. Sicut Petrus Domino se humilians aiebat: *Recede à me Domine, quia homo peccator sum.* Luc. 5. & Centurio *Matth.* 8. & Elisabeth ad Mariā *Luc.* 1. Sic & Ioseph iustè humilians sese in omnibus cauebat, & timebat sibimetipsi tantæ sanctitatis coniunctionem adhibere. Dimittam eam (dicebat) & à me longè faciam eam. Maior est enim eius dignitas, superexcellit eius sanctitas, nec meæ congruit indignitati. hæc Origen. *homil. in Vigil. Nat. Domin apud Lyppoman* Fateor equidem hanc opinionem, quę similiter est S. Hier. Bern. & aliorum, & quam alibi iam inculcauimus, mihi semper oppidò placuisse: nec enim possum adduci, vt credam sanctissimum Iosephum de Virgine sanctissima fuisse malè suspicatum. Hunc ergo timorem ex profundissima natum humilitate Angelus sustulit, cum dixit: *Noli timere, &c.* Neti mueris (declarat Orig.) ne contuberis, sed securus, & intrepidus accipe eam, sicut commendatum cœlestem thesaurum, vt Deitatis diuitias, sicut plenissimam sanctitatem, sicut perfectam iustitiam; accipe eam sicut Vnigeniti mansionem, sicut honorabile templum, sicut domum Dei, sicut Creatoris omnium propriam, sicut Regis sponsi cœlestis thalamum immaculatum. Ita Ioseph, ne timueris accipere eam tibi commendatam, tuæ religiositati creditam: propterea ministra, serua, custodi, fer curam, intende & Filio, qui generatur, & Matri quæ generat. hæc ille.

S. Ioseph super omnes sanctos clarissimus.

Humilitas S. Ioseph.

Matth. 1. Origen.

S. Ioseph indignū se iudicabat contubernio Matris Dei.

Lucæ. 5. Matth. 8. Luc. 1.

Orig. *S. Ioseph commendatur Virgo Dei Mater.*

13. Vide quo ascendit sanctissimus Ioseph, qui tantùm se humilians, & indignum reputans descendebat. Oportebat enim, vt similis sponsæ Virgini videretur, humilis humili. Et quemadmodum Mater effecta est Dei, quæ se ancillam nominabat: ita Dei nutritius, & pater vulgi opinione reputatus haberetur. qui Virginis Matris domum velut indignus refugiebat. *Qui enim se humiliat, exaltabitur* Luc. 14. Scilicet Dei mysteria, & maximè admirabilis incarnatio Verbi, paruulis hoc est humilibus communicata sunt iuxta illud: *Et reuelasti ea paruulis.* Matth. 11. Ad quæ verba exclamat meritò S. Bernard. Magna, magna, & sublimis virtus humilitas, quæ promeretur, quod non docetur! digna adipisci, quod non valet addisci. *serm. 8. in Cant.* Ancillam se Virgo dixit: eodem igitur puncto in eius purissimo ventre Verbum caro factum est, hunc postremò admirandæ humilitatis actum expectans, vt de Matre humillima carnem susciperet ac nasceretur Deus homo humilitatis magister. Timuit Ioseph ingredi domum Virginis iam Deum vtero habentis: iccirco igitur in contubernium cum Deo, Deique Matre Virgine suscipitur, vt Deum hominem cuius Matris præsentiam præ humilitate detrectabat in brachiis, & ad collum suauissimè gestaret. *Dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Cant. 1. En Puer Iesus Dei Filius inter matris vbera, & inter brachia nutritij Ioseph. Sed quorsum, & Deus tantùm descendit, & creaturæ tantùm ascendunt? Vtique creaturarum humilitas Creatorem attraxit, iuxta illud: *Cum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suauitatis.* Cantic. 1. *Nardus* (vt iam alibi ostendimus) typus est humilitatis quæ à terra in altum spirans regalem Deitatis thronum mira quadam suauitate respersit, ac Dei Filium in Virginis vterum, & in nutritij brachia fecit descendere. Magna ergo (ait S. Bernard.) humilitatis virtus, cui etiam Deitatis maiestas tam facilè se inclinat; & qui longè erat, in breui factus est propè. *serm. 41. in Cant.* Nihil congruentius est in hoc sensu mystico (in quo explicando immoramur) quàm vt per cæli portam Christus Dominus intelligatur. Per ipsum enim (declarat hoc loco Procop.) intramus in summum Dei palatium. sic ille. Quod & ipse Dominus contestatur: *Ego sum ostium: per me si quis introierit, saluabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.* Ioan. 10. En Christus est ostium, per quod homines ingrediuntur, & egrediuntur: ingressus pertinet ad fidē, egressus ad beatitudinem. Nemo enim ingredi potest in Ecclesiam militantem, quæ in fide & spe ambulat, nisi per Christum, neque ex illa in triumphantem, vbi Deus videtur, nisi per Christum. Hunc sensum elicit S. August. *tractat. 45. in Ioan.* ita scribens: Non potest quisquam per ostiū, id est, per Christum egredi ad vitam æternam, quę erit in specie, nisi per ipsum ostium, hoc est, per eundem Christum in Ecclesiam eius, quæ est ouile eius, intrauerit ad vitam temporalem, quæ est in fide sic August.

Eleuatur S. Ioseph ob humilitatē.

Luc. 14.

Matth. 11. S. Bernard. *Humilitas sublimis.*

Incarnatio Verbi in actu humilitatis.

Cantic. 1.

Cant. 1. *Humilitas Deum in terras traxit.*

S. Bernard. *Gratissima Deo humilitas.*

Procop. *Christus cæli porta.*

Ioan. 10.

D. August. *Per Christū ad fidem, & gloriam intramus.*

14. Paulò aliter ingressum, & egressum huiusmodi explicat S. Gregor. Ingredietur (inquit) ad fidem, egredietur ad spem; pascua verò inueniet in æterna satietate. *homil. 14. in Ezechiel.* Itaque Pontifex ingressum, & egressum ad hanc vitam pertinere, pascua verò ad beatitudinem arbitratur. S. Chrysost. subtiliorem metaphoram in iisdem verbis agnoscit de securitate, ac libertate, quam fideles in Christo inueniunt, & qua nequaquam possunt spoliari. Sic enim commentatur hunc eundem locum, *homil. 58. in Ioann.* hoc est (inquiens) securus erit, & liber. Pascua autem, & pabulum ouium potestatem, atque libertatem significat, hoc est, nemo inde eum expellit: quod & Apostolis vsuuenit, qui audenter ingressi sunt, & egressi, tanquam vniuersi orbis domini, & à nemine eiici potuerunt. hæc S. Chrysost. quæ multo magis conueniunt literæ: per introitum enim, & exitum in sacris literis libertas, & potestas significari solet. Et quidem spectata hominis natura, cui nihil dulcius est, atque libertas & potestas; egregiè ad vtramque significandam pascuorum symbolum

S. Greg.

D. Chrysost.

Securitas fidelium in Christo.

Libera potestas homini dulcissima.

bolum assumitur. O quàm pingue, ac dulce pabulum homini est, vt liberè agat, & exerceat potestatem? [*Grande meritum ex obedientia.*] Tantò igitur vberius erga Deum meritum insurget homini, qui sponte in Dei obsequium, & libertate se omni abdicauit, & alterius potestati, atque imperio se addixit. Itaque Dominus Iesus *porta cæli* dicitur, eo quòd per illius merita intramus & in fidem & in gloriam: deinde [*Strata per Christum via in cælū.*] quia suis meritis nobis ad cælum patefecit aditum, vt suis exemplis, monitis, consiliis, atque auxiliis stratam, & planam viam in cælum haberemus. [Tertull.] *Porta cæli*: vtique (occurit optimè Tertul.) portam cæli non nominasset, si cælum non aditur apud Creatorem: sed est & porta, quæ recipit, & quæ perducit strata iam à Christo. hæc ille. *lib. 3. contra Marc. cap. vlt.* B Non caret mysterio Iacobo vnam tantùm cæli portam apparuisse: at Ioanni Apostolo duodecim. Sic enim commemorat de ciuitate cœlesti: Habebat murum magnum, & altum habentem portas duodecim. *Ab oriente portæ tres; & ab Aquilone portæ tres; & ab austro portæ tres; & ab occasu portæ tres.* [Apocal. 21.] Apocal. 21. Tam difficilis & rara salus hominis erat ante Christi aduentum: vix vna patebat in cælo porta; & in somniis tantùm ostensa fuit: per eámque pauci intrabant. [*Per Christū multæ in cælo patent portæ.*] At post Christi passionem, & in cælos ascensum duodecim portæ, ac vigilanti homini patuerunt ad quatuor mundi plagas, vt innumerabilem ex omni natione, quæ sub cælo est, prædestinatorum vnde vnde confluentium multitudinem exciperet. [Euseb. Emiss.] C Euseb. Emiss. *homil. in Septuages.*, refert ad varias hominum ætates, quas in iis, qui ad vineam diuersis horis abierunt, significari etiam interpretatur. sic ait: [*In variis vitæ ætatibus prædestinati.*] In hoc templum Dei (scilicet cælum) pueri, & infantes, manè per portas Orientis ingrediuntur: adolescentes intrant hora tertia, & per angustas, difficiléſque magis portas aquilonis: intrant per portas australes iuuenes, & senes, qui sexta & nona hora laborare cœperunt: per portas occidentales decrepiti senes ingrediuntur. [*Adolescentia periculosa.*] hæc ille. Obiter videas quàm scopulosa, labique facilis adolescentia sit, in qua vti ardor ignescit concupiscentiæ, sic veræ charitatis omnis extincta videtur scintilla, vt adolescentuli via gelu, & glacie constricta incedere videantur.

[*B. Maria porta cæli.*] 15. D Post Christum Dominum haud dubiè Mater ipsius semper Virgo sanctissima promeretur, vt cæli porta & sit, & nominetur. Per illam enim, & Deus ad homines descendit, cælúmque ipse secum in terras inclinauit: & homines ad Deum ascendunt, cælíque subeunt penetralia; vt non immeritò Mater vitæ, Mater salutis, spes, ac fiducia mortalium à patribus, & viris sanctissimis appelletur. *Hæc porta Domini: iusti intrabunt per eam.* [Psalm. 117.] Psalm. 117. canit regius Vates, vtique de Virgine Dei Genitrice. Scilicet hæc est in cælo latior, magísque frequentata iustorum ingressibus porta, támque facilis, vt minimo sane labore per illam ad interiorem cæli gloriam innumerabilis iustorum introeat multitudo. In quam sententiam illud E piè ac verè scripsit Idiota vir sanctus, [Idiota.] *lib. de contemp. Virgin. in prologo.* [*Per B. Mariam venit omne bonum.*] Accede per deuotam mentis contemplationem ad gloriosissimam Mariam Virginem Matrem Dei: quia per ipsam, & in ipsa, & cum ipsa, & ab ipsa habet mundus, & habiturus est omne bonum. Ipsa namque diligit diligentes se, imò sibi seruientibus seruit. Ipsa superbenedicto Filio suo irato potentissimè reconciliat seruos, & amatores suos. Tanta est eius benignitas, vt nulli formidandum sit ad eam accedere: tantáque misericordia, vt ab ea nemo repellatur; imò donis, & charismatibus ædificet ser-A uos suos. hæc ille, *tom. 3. biblioth. PP.* Accedunt ad hanc portam peccatores: patet illa semper omnibus, ac Dei beneficio, & Matris Virginis ope, ac precibus priorem vitam, & nomen exuunt, atque in admirabilem quandam nouitatem mutati Dauidicum testimonium in seipsis comprobant: *Hæc porta Domini: iusti intrabunt per eam.* Enimuerò (vti pulcherrimè scripsit Arnold. Carnot.) quod Mater petit, Filius approbat, Pater donat. [Arnold.] [*Potentissima intercessio B. Mariæ.*] Mater supplicat, Filius interpellat, Pater propitiatur. Filius ad Matris pectus, & vbera: Pater ad Filij crucem, & vulnera respicit: & quid inter hæc tanta pignora non mouent? sic ille, *tract. de verbis Christi in cruce.* Profectò Dei Mater semper Virgo porta est, per quam peccatores ad veniam, miseri ad refu-B gium, naufragi ad portum, afflicti ad requiem, mœsti ad gaudium, pauperes ad omne bonum, iusti ad Deum & videndum, & amandum inducuntur.

SECTIO VII.

Surgens ergo Iacob manè tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum fundens oleum desuper.

1. SVpposuerat Iacob capiti lapidē vnum prægrandem, & ad vices supplendas puluinaris habiliorem; in quo caput reclinans dulces illos, C ac felices captarat somnos, Diuinæque visionis admirabili beneficio est affectus. Exurgens igitur iam dilucescente cælo, vt tanti mysterij, & sibi, & posteris memoria vigeret, Deóque omnium bonorum autori debitæ gratiæ redderentur, quod præ temporis, locique angustiis poterat, piè admodum præstitit. Saxum enim illud ipsum erexit in titulum, hoc est, in signum, & monumentum prodigiosæ illius visionis: ad quod, vbi foret occasio, sæpius diuerteret pro Diuini beneficij recordatione fideliter recolenda. Suspicantur aliqui, non vnum tantummodo lapidem, sed plures simul cum illo grandiore fuisse in modum altaris erectos ad sacrificandum: quod alij verosimilius inficiantur. Erecto iam lapide (vertunt nonnulli D *statuam*) voluit Iacob Diuinum aliquem cultum exhibere vero Deo, cuius visione fuerat honoratus. Oleum siquidem, vel quod secum asportabat, vel quod vrbem vicinam ingressus coëmit, non in totum lapidem, sed in summitatem illius tantùm effudit. Hebr. *ghal roxáh* על ראשה *super caput eius.* Quod quidem non superstitiosum haberi debet, sed ex laudabili pietate profectum, vti animaduertit Theod. *q. 83. in Genes.* hisce verbis: [Theodor.] Bona sua Iacob munificentissimo Domino commutauit. Nam cum erexisset lapidem, quem capiti supposuerat, perfudit eum oleo. Quod etiam nunc fieri solet à permultis vxoribus fidelium, qui [*Mulierum pietas in templis.*] Christo crediderunt. Nam consueuerunt in templis Diuinis oleo vngere adytorum cancellos, & E sanctorum Martyrum thecas ad demonstrandam animi pietatem. Atqui non respuit etiam minima benignissimus Dominus gratam habens operis intentionem. hæc Theod. Et quidem apud nos hodie consuetum est in templis, in ædiculis, in altaribus sacris stillatitias aquas odoris suauissimi passim diffundere, fragantissimósque, ac pulcherrimos flores dispergere, quod quidem miram ostendit, & conciliat pietatem. [D. Chrysost.] S. Chrysost. hæc verba cum præcedentibus simul explicans ita optimum reddit sensum. Stupescens iustus propter magnam misericordiam Dei dixit: *Hic locus*

mihi

mihi posthac pro domo Dei reputabitur: tanta ille gloria dignus est habitus, & ipse, vt ita dicam, quasi cæli porta visus est. Iustum fuerit, debitam hic gratiarum actionem Domino reddam, & offeram. Igitur vocabulo memoriam loco inscribere vult, posterisque eum facere celebrem, lapide pro columna erecto superfusóque oleo. Verisimile enim est, quod illud solum secum tulerit, vtpote iter faciens. hæc S.Chrys. *homil.* 54. *in Genes.*

Debita Deo actio gratiarum.

2. Maximè à nobis exigitur vt debitis gratiarum actionibus Diuina beneficia recolamus iuxta consilium Angeli: *Vos benedicite Domino, & narrate omnia mirabilia eius.* Tob. cap. 12. Quanti verò id faciendum sit, ostenderat antea inquiens: *Opera Dei reuelare, & confiteri honorificum est.* ibid. *Honorificum*: summi est enim honoris, & generosum indicat animum, Diuinis beneficiis, & ingentem memoriam, & gratum affectum, & oris prædicationem rependere. Hinc optimè dictum est à Cæsario 1. *Dialog.* Præclarum est in prædicatione Diuinorum operum ad omnes illustrem, & perpetuò vocalem esse. sic ille. Hac diuinorum beneficiorum celebratione suos regius Vates repleuit Psalmos, vt fere nullus sit, in quo Dei laudes non personet, & alios ad idem obsequium Deo præstandum non inuitet. Vti Psalmum 33. sic exorditur: *Benedicam Dominum in omni tempere, semper laus eius in ore meo. In Domino laudabitur anima mea. Audiant mansueti, & lætentur. Magnificate Dominũ mecum, & exaltemus nomẽ eius in idipsum,* &c.

Tob. 12. *Cæsar.* *Dei beneficia celebranda.* *Psalm. 33.*

C Quasi Propheta non satis habeat si Dei beneficentiam, quam perenniter erga seipsum experiebatur, solus prædicet: Angelos, homines, creaturásque omnes innumeris etiam Dei beneficiis cumulatos ad eandem gratiarum actionem prouocat. Quod sanè munus adeo est gloriosum, vt propterea dicatur: *In Domino laudabitur anima mea,* hoc est (vt Genebr. explicat) *gloriabitur, laudabit se, sibi placebit, lætabitur in Domini benignitate, & clementia.* sic ille. Itaque de tam præclaro studio laudandi Deum ob accepta beneficia sibi ipsa anima mea gloriabitur: aut gratam illam, & intentam Dei laudibus omnes quotquot audierint, ac nouerint, meritò collaudabunt. Vita mea, cum huic studio (declarat S. Hier.) anima dedita fuerit, ab his, qui sunt Domini, collaudatur. sic ille.

Laudabilis gratiarum actio. *Genebr.* *D. Hieron.*

D Vide quantum homini conferat ad pietatem grata beneficiorum Dei memoria, vt cum vita laudabili coniungatur. Gratus enim homo quodammodo Deum obligat, vt fortioribus subinde auxiliis illum adiuuet, excitétque ad omne pietatis studium, & merita virtutum abundantiora. Ingratis autem Diuinæ misericordiæ torrens exsiccatur. Hic est ille fructus labiorum, qui Deo redditur, aut si mauis, sacrificium, quod illi nostra offerunt labia iuxta Prophetam: *Reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Oseæ 14. vbi S.Hier. Pro vitulis (inquit) καρπὸν id est *fructum* LXX. transtulerunt; vituli autem labiorum laudes in Deo sunt, & gratiarum actio. hæc ille. Qui tamen fructus labiorum à Deo viris iustis veluti singulare quoddam beneficium conceditur, & propterea ipse Dominus testatur. *Creaui fructum labiorum.* Isaiæ 57.

Gratus Deo plura meretur. *Gratiarum actio sacrificium est.* *Oseæ 14.* *D. Hieron.* *Isaiæ 57.*

3. Sanauit Dominus energumenum, & rogauit illum vir, à quo dæmonia exierant, vt cum eo esset. Dimisit autem eum Iesus, dicens: *Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecit Deus, & abijt.* Luc. 8. Timebat igitur qui fuerat energumenus, ne (vt benè aduertit Theophyl.) elongatus à Iesu, à dæmonibus iterum inuaderetur. Similiter Euthymius: Deprecabatur (inquit) Christum, vt esA set cum eo gratus simul, & dæmones timens, ne sine illo inuentus, rursus eis traderetur. sic ille. In pace autem hominem Christus dimisit, & (vt subindicat Euthym.) timore etiam dæmonũ eum liberauit. Puto hoc remedium contra dæmones adhibitum; cum Dominus narrationem Diuinorum beneficiorum, & gratum animum commendauit: quo viso haud dubiè procul cacodæmones abigerentur. Quin ipsa quoque Dei beneficia, vel nobis tacentibus, Deum benefactorem, & misericordem resonant, iuxta illum Dauidis versum toties repetitũ: *Confiteantur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum.* Psal. 106. Ipsa namque beneficia, misericordiæ, & mirabilia Deum inclamant, ingerúntque hominibus: cum tamen B isti (ô pudor, ô decus!) & mutos se præbeant, & surdos; vt nec Deum prædicent, nec de Deo audiant. Denique illud etiam, quod ex hoc loco elicitur, seriò expendendum iudico. sic habet: Promiserat Dominus Iacob: *Terram in qua dormis, tibi dabo,* &c. Prudens igitur vir, illico ad possessionẽ promissæ terræ accurrit: *Ædificauit* (scribitur) *ibi altare Domino.* ibi, videlicet in terra promissa, quam ædificando altare Domino, in possessionem acceperat. Terrã ipsam obtulit Deo, columnámque erexit velut insignitam titulo: *Hic domus Dei est.* Datam Deus ipse accepit in suam, vocarique voluit Bethel. Quorsum hæc omnia? nimirum vt suam faceret terram illam; eiúsque securam, ac perpetuam ingrederetur possessionem, Deo ipsam C attribuit. Quod enim Deo datur, non amittitur; imò conseruatur firmiùs, possidetur securiùs, & in perpetuum confirmatur, ac stabilitur. Neque enim (inquit S. Aug.) quod redditis, reddendo minuetur; sed potiùs seruabitur, & augebitur. hæc ille. Subditque egregiam huius doctrinæ rationem, quam si auari homines, vel leuiter penderent, ditiores etiã longè fierent (quod vnum cupiunt) per effusam pauperibus suorum bonorum largitionẽ. Benignus enim (ait) exactor est, non egenus: Huic ergo, quod non redditur, perditur; quod autem redditur, reddenti additur. sic Aug. *Epist.* 45. Nihil quidem tam nostrum est, quàm quod Deo impendimus; illud amittimus, quod negamus Deo.

Lucæ 8. *Theoph.* *Euthym.* *Euthym.* *Gratiarum actio fugat dæmones.* *Psalm. 106.* *Perstringitur hominum ingratitudo.* *Augetur quod Deo offertur.* *S. August.* *Vtilitas ex eleemosyna.*

4. Porrò autem licèt in lege scriptum sit: *Non* D *facietis vobis idolum, & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, vt adoretis eum.* Leuit. 26. nihilominùs ista erectio lapidis à Iacob libera est ab omni superstitionis calumnia. Nec enim hic lapis erat insignis; hoc est egregiè dolatus, & pulchre effigiatus ad repræsentandam alicuius rei similitudinem polita arte figuratus: sed erat lapis omnino rudis, atque informis, sine vllo artificio, ac politura; nec illum, vtpote Numen aliquod habentem Iacob adorauit: solummodò enim fuit erectus ad perpetuam recordationem mysteriorum, quæ illo in loco diuinitus patuerunt. Quemadmodum etiam postea iussu Dei duodecim lapides ex alueo Iordanis sublati sunt, & repositi in Galgalis, vt essent in sempiter-E num monumentum miraculosæ illius per arentia vada fluminis, Iosue tempore, transmigrationis. *Iosue* 4. Ad quem locũ sic eruditè scribit Procop. Erigit lapides duodecim partim monumento filiis Israel, partim terrori hostibus, partim autem de vno Deo eruditioni. Res enim diuinæ, non ostentationi, sed audientium, videntiúmque saluti inseruiunt. Cùm igitur miraculum percrebuisset, quotquot in inueterata impietate sunt oppressi, animis defluxerunt: quos armis depositis Deum agnoscere, pacique intentos esse oportet. Qui verò audaciores erant, nihilominus animis conciderunt

Leuit. 26. *Licitè & ad mysterium erexit Iacob lapidem.* *Iosue 4.* *Procopius.*

runt. hæc ille. Mos quidem iste lapides erigendi apud antiquos frequentissimus, vicem vtcunque supplebat litterarum, quibus inscripta historia rem quamlibet memorabilem ad posteros transmittit, & ab hominum obliuione liberat. Ad hæc lapis erigitur, vtique Deo sic inspirante in Christi Domini symbolum satis percelebre, in quo duo consideres: & iacere lapidem, cum puluinaris instar habuit suppositus capiti dormientis, & somno exacto in sublime erectum esse. Et quidem prostratus lapis Christum demortuum, erectus idem Christum resurgentem, & gloriosum repræsentat: quod Procop. breui complectitur: Christus (inquiens) suscitatur è mortuis, cuius quidem typus est lapis ille erectus, vt statuæ formam repræsentaret. sic ille. At inter hæc symbola Iacobus ipse typum videtur gerere Verbi Diuini, quod ad opprobria, flagella, crucem, & mortem suæ sanctissimæ humanitatis quodammodo visum est obdormiisse. Quod ipsemet Dominus in cruce animam efflaturus significauit inclamando: *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Matth. 27. & Psalm. 21. Vbi S. Hieron. Hic (inquit) humanitas loquitur, quomodo derelicta fuit in Adam, quando præceptum transgressum est: vel in passione derelictus Christus pro parte carnis. sic ille. Hic posterior sensus est plane literalis. Nulla siquidem tempore passionis fuit redundantia consolationis superiorum virium ad inferiores. Quin & passus est quiescente Verbo; quod propterea non fuit otiosum, quoniam affuit naturæ patienti, vt in passionem consentiens; & sustentans hypostaticè humanam naturam. Ita Carthusian. *de orthodox. fid. artic.* 56. & Genebr. *in prædict. Psalm.* Non erat etiam Verbum otiosum, eò quòd patienti humanitati suæ inter summos cruciatus vitam sustentabat, & prorogabat ne deficeret, sed ampliùs adhuc pateretur. Vires igitur ad patiendum suppeditabat, non autem consolationem, qua dolores, & tormenta mitigaret, infundebat.

Procopius.

Christi humanitas in passione fine solatio.
Matth. 27.
Psalm. 21.
D. Hieron.

Carthusian.
Genebr.
Vt si habuit Verbum humanitate patiente.

5. Sed cur Deus sapientissimus futuram suæ humanitatis passionem & mortem his tam obscuris figurarum inuolucris præfigurabat: atque (vt subnotauit S. Ambros.) vidit Moyses passionem Domini, operuit agni, vel vituli immolatione. 1. *offic. cap.* 50. Itémque Leuitæ operiebant arcam testamenti, figuram vtique Domini Iesu. Non enim (adiungit) omnes vident alta mysteriorum, quia operiuntur à Leuitis, ne videant, qui videre non debent, & sumant qui seruare non possunt. hæc Ambros. Rudis erat adhuc mundus, vt Dei hominis futuram mortem nudis, & patentibus oraculis contestatam perciperet. Iacuit igitur lapis dormienti suppositus; euigilans autem lapidem in sublime leuauit: nimirum Verbum Diuinum quasi obdormiens, nec infinitam suam omnipotentiam exerens, humanitatem suam inter acerbissimos cruciatus dereliquit, seu potiùs voluit expirare: verùm tanquam euigilans, & potentiam distringens, eandem illam suam carnem in corde terræ consepultam suscitauit, & in admirabilem gloriæ sublimitatem erexit. Vtrumque diuinus ipse Sponsus indicauit, ita inquiens: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Cant. 4. Per myrrham (exponit Theod.) mortem significat, thus autem naturam diuinam. sic ille. At Psellus apud eundem non multũ ab hoc sensu deuiat: Per myrrhæ (inquiens) mortem, cruciatus, & mortem Saluatoris intellige, per collem thuris ipsius gloriam. hæc ille. Itaque priùs ad montem passionis, deinde ad collem resurrectionis ascendit. Sed quid hoc est? montem dicit passionis, collem resurrectionis;

Obscura figura passionis Christi.
D. Ambros.

Rudis Hebræorum populus.

Passio, & resurrectio Domini.
Cantic. 4.
Theodor.
Psellus.

Sublimior Christi passio, quàm resurrectio.

A quasi ad illam altiùs, quàm ad istam ascenderit; quid abiectius, & profundius, quam humiliari, vinciri, flagellari, saturari opprobriis, crucifigi, & sepeliri? Quid hæc profunditas habet cum mõte? Scilicet in finem dilexit nos: amanti non abiectio, sed ascensio visa est passio: proposito enim gaudio sustinuit crucem confusione contempta. Quin etiam Domini Iesu immensus amor patiendo sublimiùs ascendit, quàm Verbi Diuini omnipotentia in glorificando humanitatem suam per resurrectionem. In finem dilexit: in passione siquidem promeruit infinitum; in resurrectione autem non nisi finitam gloriam suscepit; vt in Theologia tyronibus apertum est. Omnia tamen B operatus est Dominus, vt Æterni Patris nomen glorificaretur, vt Diuinæ iustitiæ pro infinitis hominum sceleribus etiam vltra debitum satisfieret. Hic enim incarnationis, vitæ, passionis, resurrectionis, & generis humani ad veram fidem conuersionis, atque adeo æternæ salutis iustorum principalis fuit scopus. Sicut enim (inquit Chrysost.) Deus, & Dei Filius dilectissimus, ad paternam vlciscendam contumeliam hoc fecit. *homil.* 22. *in Ioan.* Vniuersim etiam dico: Iacebat lapis, deinde fuit erectus, & caput, quod terræ inhæserat, in auras attollitur: idémque Iacobus, qui lapidem supposuerat, eundem erexit. Quid igitur times à Deo humiliari, subiici, affligi, qui vt deinde te subleuet ita depressit? Iaces in afflictionibus, at ille C differt, obdormit, & clamas interim: *Exurge, quare obdormis Domine?* Haud dubiè in maius tibi bonum cedent, & afflictio tua, & Domini (vt vocas) obliuio. In quam sententiam illud excipe S. August. Matres quomodo fricant in balneis ad salutem filios? nónne paruuli clamant inter manus earum? Illæ ergo crudeles sunt, vt non parcant, non exaudiant lachrymas? Nónne plenæ sunt pietate? & tamen clamant pueri, & non eis parcitur. Sic & Deus noster plenus est charitate: sed ideo videtur non exaudire, vt sanet, & parcat ad sempiternum. *Conc. 2. in Psalm.* 33.

Quis finis incarnationis, & operum Verbi.

D. Chrysost.

Eleuatio promittitur humiliato.

S. August.
Afflictio à Dei beneuolentia.

6. *Fundens oleum desuper.*] Supereffuso oleo dicauit Iacob lapidem illum suæ tam admirabilis testem, & conscium visionis eidem Deo, quem D inibi viderat: voluitque, vt deinceps Diuino cultui à se post reditum è Mesopotamia peragendo esset consecratus. Hinc Dei Ecclesia (vt credere par est) didicit vngere lapides, & altaria Diuino cultui consecrare. Quod Rabanus ita subnotauit. Altare post aspersionem aquæ, chrismate vngitur, ad imitationem Patriarchæ Iacob, qui post visionem illam terribilem erexit lapidem in titulum, fundens oleum desuper, vocánsque eum locum domum Dei. hæc ille, *lib. 1. de instit. Cler. cap.* 45. Et multò iam antea S. Cyprian. scriptum reliquit de vnctione chrismatis in hunc modum: Oleo antiquitus sacerdotes sacrabantur, & reges, & ipsi altarium lapides delibuti spiritalem intelligi vole-E bant sacris mysteriis inesse pinguedinem. sic D. Cyprian. Profectò nihil altari pinguius, ac ditius. Dignúmque est (inquit S. Bernard.) vt qui altario deseruit, de altario viuat. Conceditur ergo tibi, vt si bene deseruis, de altario viuas; non autem, vt de altario luxurieris, vt de altario superbias, vt inde tibi compares fræna aurea, sellas depictas, &c. *Epistol.* 2. In quibus mirificè commendat Ecclesiasticorum modestiam, ac parcimoniam, ac quorundam vanitatem, ac licentiam vehementer coarguit. Altaris, & Ecclesiæ Christi pinguedo cupiditatem nostram allicit; sed miseri cùm Ecclesiasticos honores, ac redditus auidissimè peroptamus, & negotiamur, ad grauissima illorum onera

Ritus vngendi altaria chrismate.
Rabanus.

S. Cyprian.

Pinguis & diues Ecclesia redditibus.
S. Bernard.

Redditus Ecclesia non ad sordes & vanos vsus dantur.

S. Prosper. *Ambitio dignitatum Ecclesiæ.*

minimè aduertimus: quod S. Prosp. aliquando deplorauit his verbis. Sed nos præsentibus delectati, dum in hac vita commoda nostra, & honores inquirimus, non vt meliores, sed vt ditiores; nec vt sanctiores, sed vt honoratiores simus cæteris, festinamus. Pastores dici volumus, nec tamen esse contendimus: officij nostri vitamus laborem, appetimus dignitatem: Væ pastoribus dicitur *Ezechiel.* 34. Quis ad hæc non contremiscat? nisi qui aut non intelligit, aut futura non credit. *lib.* 1. *de vit. contemplat. cap.* 21.

Ezech. 34.

Aut impius, aut stultus qui amore Episcopatum.

Plane sic res habet: Summa est aut stoliditas, aut impietas, omni conatu dignitates, Episcopatus, ac redditus in Ecclesia pinguiores appetere, atque inquirere, nec ad illorum pericula mentem, sensúmque iniicere. Sapiebat ille, qui summum Pontificatum incredibili quadam violentia suscipere coactus, aiebat: Me omnipotens Deus ab huius loci periculo, qualiter velit, absoluat. Ita S. Gregor. *Epistol.* 30.

D. Gregor. *Dignitas Ecclesiastica periculis plena.*

Qualiter velit (inquit) ac si dicat: Liberet me Omnipotens à Pontificatu periculis pleno, etiamsi me occidat, aut quoduis aliud malorum genus in me coniiciat. Vera sunt hæc, & tamen (vt misera est mortalium conditio) verè scripsit D. August.

S. August.

Tentatio (inquiens) gubernandi, tentatio periculorum in regenda Ecclesia nos potissimum tangit. sic *in Psalm.* 106. Scilicet ad pinguedinem altaris, non ad duritiem oculos intendimus: allicit oleum lapidis, non territat moles humeris portanda.

Eucharistia fons gratiarum.

7. Sed ad spiritualem altaris pinguedinem redeamus. Hæc nimirum à sacrosancta Eucharistia omnium sacramentorum, & gratiarum fonte diffunditur: est enim sacramentum & thesaurus Diuini amoris, in quo Verbum ipsum factum carnem Æternus Pater in testimonium sui erga nos amoris nobis edendum proposuit. Vnde illud piè, ac dulciter scriptum est à Clem. Alex.

Clem. Alex. *Eucharistia iustorum alimentum.*

Cum amans, & benignus Pater Verbum impluisset, ipsum iam spirituale alimentum factum est bonis & moderatis hominibus: alimentum infantium est Dominus Iesus. 1. *pædag.* 6. Meritò igitur Dominus contestatur: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret.* Ioan. 3.

Ioann. 3.

Quid enim maius ac sublimius dare posset hominibus, quàm Filium suum? & quo alio pacto liberaliùs, ac suauius Filium ipsum dare posset, quam in sacramento hominibus epulandum?

Immensus Dei amor in Eucharistia.

Idem omnino colligi potest de amore immenso ipsius Christi Domini, qui seipsum in hoc admirabili sacramento & reliquit, & obtulit in conuiuium hominibus. Iccirco Ioannes hanc magnificentiam Domini contemplatus illius amori illam adscripsit: *Cum dilexisset* (inquit) *suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Ioan. 13.

Ioan. 13.

Guarricus.

Magnitudinem istius amoris mirabiliter expressam in sacramento altaris declarat Guarric. Abbas Ioannis verba interpretans hoc modo. Tunc enim propemodum omnem vim amoris effudit amicis, antequam etiam ipse sicut aqua effunderetur pro inimicis. Tunc eis sacramentum Corporis, & Sanguinis sui tradidit, & celebrandum instituit, nescio virtute an charitate mirabiliori. hæc ille, *serm. de ascens.* Obiter adnotabis in sacramento, & in cruce sese Dominum hominibus effudisse: in cruce, sicut aquam; in sacramento sicut ignem; vtrobique per amorem. Deinde in hoc augustissimo sacramento cum Deus, & omnipotentiam suam in operando, & amorem in communicando totum effuderit, haudquaquam posse discerni, potentiór ne, an amantior in Eucharistia Dominus Iesus existat.

Amor & potentia Dei in Eucharistia.

Poterat quidem in sacramento manere, vt in altaribus adoraretur ab hominibus, vt exinde nostras preces exciperet, & nos sua præsentia consolaretur pariter, & roboraret: quod quidem esset incomparabile beneficium: At (ô amorem incomprehensibilem!) maxime instituit sacramentum sui Corporis & Sanguinis, vt nobis carnem suam edendam, & sanguinem potandum traderet: non tam vt foris in altaribus adoraretur, quam vt intus in hominum pectoribus, atque animis conderetur.

Guarricus.

Hoc enim (adiungit Abbas) nouum genus mansionis adinuenit in consolationem recessus sui: vt si discederet ab eis specie corporis, maneret non solum cum eis, sed etiam in eis virtute sacramenti. hæc Guarricus.

Eucharistia in consolationem recessus Domini.

Scilicet dolebat Dominus auelli ab hominibus, quos vnice diligebat, & tamen pro eis mori, & ab illis recedere propter eorundem amorem cogebatur. Quid faceret amantissimus, & clementissimus IESVS? adinuenit in consolationem recessus sui hoc nouum genus mansionis, vt per sacramentum Corporis & Sanguinis sui etiam intra viscera hominum inhabitaret, qui pro illorum salute in mortem primò, ac deinde in cælum ab omnium oculis esset transiturus.

8. Porrò lapis iste, qui caput Iacob dormientis sustentarat, Christum Dominum significauit, vt iam subnotauimus. Fidelis enim populus (inquit Procop.) requieuit in Christo, qui est lapis electus, & angularis, & pretiosus. hæc ille.

Procopius.

Firmitas in Christo.

Lapis enim symbolum gerit firmitatis, qua nulla maior, quàm quæ in Christo est. ob quam millies in Diuina scriptura, per lapidem, petrámve repræsentatur. Hac ratione symbolica Christus (vt animaduertit S. Paulin.) illa est petra, supra quam domus stabilita non corruit. *Epistol.* 30.

S. Paulinus

Memorat quidem sanctissimus Pater dictum illud Domini: *Qui audit verba mea, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suã supra petram, & descendit pluuia, & venerũt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domũ illam, & non cecidit: fundata enim erat supra petram.* Matth. 7.

Matth. 7.

En vides petram firmissimam, hoc est, Christum Dominum. Vti etiam S. Hilar. exposuit hisce verbis:

S. Hilarius. *Voluptas aquæ similis.*

In petra seipsum Dominus significat, validum excelsi ædificij fundamentum. Eum autem, qui ex se in sublime opus extruxerit, moueri non posse, vel pluuiis, vel fluminibus, vel vento. In pluuiis blandarum, & sensim illabentium voluptatum illecebras significat, quibus primum fides rimis patentibus immadescit. hæc S. Hilar.

Breuis voluptas carnis.

Pulchrè voluptates carnis labentium aquarum defluxibus assimilantur; vbi nihil est validum, firmum, ac permanens, sed omnia oblectamenta cum aura volitant, cum aqua pertranseunt, & in nihilum breui rediguntur: vbi etiam nihil est purum; sed lutum, fæces, stercora cum torrente ipso pariter delabuntur.

Voluptas prima & maxima tentatio fidei.

Bene aduertit fidem, ac virtutem Christianam, hac prima, & fortè maxima tentatione oppugnari; atque in pusillis, & leuiter hosti succumbentibus, mollem, fragilem, timosámque fieri, paulatim scilicet excauante robur animæ, & ad interiora sensim penetrante pluuia libidinosæ voluptatis. Deinde alia subsequuntur tentamenta: addit enim S. Hilar.

S. Hilarius.

Postquam (inquiens) torrentium procursus, id est, grauiorum cupiditatum motus incurrit; atque exinde tota ventorum vis circumstantium desæuit, vniuersus diabolicæ potestatis spiritus infertur.

Tentationum tempestas.

Sed fundamento petræ homo ædificatus insistet, nec moueri suo loco poterit. hæc ille. Itaque per flumina honorum, & diuitiarum cupiditates intelligit, quas vocat grauiores; per ventos autem, dæmonum insidias, dolos, & assultus accipit.

In Christo tentationes omnes vincuntur.

Sed ô felicem illum, qui fundatus in Christo, etsi oppugnetur, expugnari haudquaquam potest!

9. Solus

S.Chrysost. *Securitas in virtutibus.*

A ¶ 9 Solus iste (occurrit ad hunc locum S.Chrys.) & quidem multo cum cumulo bonorum suorum possidet firmitatem, qui potentissima virtutum cohorte munitur, atque inter hos tumentes seculi fluctus plurima tranquillitate perfruitur. ita S. Chrys. Neque verò securus ideo viuet in Christo, quia tentationibus carebit: nec enim tunc illud foret, vel homini valde gloriosum, vel in Christi potentia nimis admirandum. Sed hoc est (adiungit S. Chrys.) omnino mirabile, quia cum nulla serenitas sit, imò cum sit valida tempestas, & magna commotio, & crebræ tentationes, ipse ne tantulum quidem poterit commoueri. sic ille. Non enim se ostentat Christi potentia vt firmos, ac securos reddat in portu; sed vt in salo iactatos, cum fluctibus, cum procellis, cum naufragiis, cum morte ipsa colluctantes, teneat tamen illæsos, atque incolumes. Apposité quoque intelligitur ipsius fidei Christianæ firmitas per petram, in qua domus, hoc est, Ecclesia Catholica fundata, & fluctus, & ventos irridet. Petram hic (ait S. Chrys.) doctrinæ suæ firmitatem, & certitudinem vocauit; quicunque enim illam custodit, non modò hominibus nocere cupientibus, sed etiam ipsis dæmonibus insidiantibus superior eminebit. sic ille. Irruerunt igitur flumina & venti in petram, & in domum petræ innixam, non tamen præualuerunt. Nam *portæ inferi non præualebant aduersus eam.* Matth. 16 Nullis enim (inquit S. Gregor.) aduersitatibus Ecclesia frangenda est, C nullis persecutionibus superanda. *in Psalm. 7. pænit.* quod S. Ambros. egregia quadam ratione ad hunc modum confirmat: Ecclesia, etsi vndarum fluctibus, aut procellis sæpe vexatur; tamen nunquam potest sustinere naufragium. Quia in arbore eius, id est cruce Christus erigitur: in puppe Pater residet gubernator: proram paracletus seruat Spiritus. Etsi seculum istud tanquam pelagus sortitur infestum, nunquam alliditur ad saxum, nec mergitur ad profundum. hæc Ambros. *lib. de Salomon. cap.* 4. Quænam obsecro, vel hominum, vel dæmonum potentia, dolúsve labefactare poterit nauim Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, quæ à sanctissima Trinitate & roboratur, & dirigitur? meritò exclamat S. Chrysost. Quid Ecclesia Dei D potentius esse potest? Mœnia barbari destruunt, Ecclesiam verò ne dæmones quidem superant. Cum oppugnatur, vincit; cum appetitur insidiis superat. *tom. 5. orat. de non contemn. Eccles.* Petram etiam ipsam vocauit Dominus S. Petrum, quem sui fecit Vicarium, & post se caput Ecclesiæ. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matth. 16. ad quæ verba sic D. Chrysost. Vt futura Ecclesia tot tantisque fluctibus irrumpentibus immobilis maneat, cuius Pastor, & caput piscator homo, atque ignobilis, terrarum orbe reluctante adamantis naturam firmitate superet, pollicetur Dominus, &c. *homil. 55 in Matth.*

Potentia Christi in victoria hominis. — S.Chrysost. — *Ecclesia Christi insuperabilis.* — D. Gregor. — S. Ambros. — *Ecclesia nauem S. Trinitas regit.* — S.Chrysost. *Triumphat Ecclesia.* — *S. Petrus petra Ecclesiæ.* — Matth. 16. — S. Chrysost.

10. In Petro etiam successores illius Romanos E Pontifices accipimus catholici cum S. Aug. cuius hæc sunt verba in *Psalm.* 57. Numerate sacerdotes, vel ab ipsa sede Petri. Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ. sic ille. An non per inferi portas ab horribili, & caliginoso barathro hæreticorum dogmata tartareis densiora tenebris exhalantur, vt Ecclesiam Catholicam obscurent, ac sepeliant? Ita planè; sed audi S. Chrysost. Faciliùs est solem extingui, quàm Ecclesiam obscurari, *tom. 1. homil. 4. de verbis Isaiæ.* At quid tandem de hæreticis Dominus ipse definit? *Omnis* (inquit) *qui audit verba mea, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domum*

Romanus Pontifex successor S. Petri. — D. August. — S. Chrysost. — *Stultitia hæreticorum.*

A *suam super arenam, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina eius magna.* Matth. 7. Stultum hominem vocat hæreticum, qui doctrinæ Catholicæ non acquiescit: hæresim domum in arena fundatam, ad ventorum, & imbrium ludibrium, atque ad ruinam habitantium sempiternã. Super arenam (explicat S. Hieron.) quæ fluida est, & coagmentari non potest, nec in vnam copulam redigi, omnis hæreticorum sermo ad hoc ædificatur, vt corruat. sic Hieron. O te infelicem, qui te credis super arenam, & in aquis tutum, & firmum consistere! Stultus (inquit S. Hilar.) hæc audita dissimulans, tanquam super arenam opus B ædificationis impenderit, infideliter stat. citò pluuiis illabentibus subluendus, & fluminibus propellendus, & ventis differendus, secundum naturam, super quas ædificatus est, arenarum cum graui ruinæ suæ strage soluendus. hæc S. Hilar. Stultus quidem hæreticus, qui veritatem fidei Catholicæ audiens, & cognoscens dissimulat, ne vitia sua nostræ contraria fidei renunciare compellatur. Stultissimus hæreticus, qui de suo cerebro nouam fidem, nouam legem, noua dogmata confingit. Stultissimus, qui grauissimos, & sanctissimos Ecclesiæ Patres, & doctores contemnens iurat in verba magistrorum, qui pro carne, cænoque libidinum, religionem, & fidem Catholicam deseruerunt.

Matth. 7. — *Hæresis ridicula, & ruinosa.* — D. Hieron. — S. Hilarius — *Hæretici stultissimi* — *Turpes hæresum magistri*

C 11. Sed quid est lapis oleo perunctus? Christus nimirùm (respondet Procop.) significatur perunctus oleo exultationis præ consortibus suis. sic ille. Intelligitur haud dubiè Christus Dominus, cuius admirabiles gratias oleum designat per quasdam, quibus est præditum, insigniores proprietates. Enimuerò Christus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; nostrarúmque mentium splendorem, vti oleum, nutrit ac fouet; cui dicimus: *Tu illuminas lucernam meam Domine.* Psalm. 17. Non videt enim (inquit S. Hieron.) intellectus animæ nisi à Christo illuminetur. sic ille. Deinde Christus Dominus condimentum est ciborum animæ vtile ad sanitatem, iucundum ad saporem. Omnia enim insuauia D sunt, & insipida, quæ Christi adspergine carent, quæ Christum nec redolent, nec sapiunt. Et nulla sic aduersa, & acerba viro iusto possunt accidere, vt Christi gratia non molliantur, ac dulcescant. Supernatat etiam Christi gratia, vti oleum cæteris liquoribus, mundi omnibus bonis. quod bene experta dixit Sponsa: *Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Cant. 1 Quartò multo meliùs, quam oleum medetur corporibus, Christus animarum fouet vulnera, doloré́sque mitigat, vt viatori à latronibus lacerato, ductoque in stabulum præstitit. *Luc.* 10. Quintò longe meliùs exhilarat faciem, pellit tristitiam, mœrorem abigit, & incredibili quadam cælestium gaudio- E rum voluptate corda hominum, mentésque perfundit, ac membra lassa, & languida recreat, & reficit; sic enim clamat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos.* Matth. 11. Sextò leuat ille labores nostros, minuitque molestias, efficiens vt computrescat iugum à facie olei. *Isaiæ* 10. hoc est (vt declarat S. Hieron.) oleo misericordiæ iugum hostium computrescet. sic ille. Ac si dicat Propheta: Graue illud imperium, diráque tyrannis, cum diaboli, tum vitiorum, ac passionum, quibus homines constringuntur, effuso oleo Diuinæ benignitatis in opem miserorum accurrentis, computrefacta dissoluentur. Aut de calamitatibus, quas Chaldæi & Assyrij Hebræis in-

Procopius — *Oleum typus Christi.* — Psalm. 17. — D. Hieron. — Cantic. 1. — Lucæ 10. — Matth. 11. — *Christi gratia mirabiles effectus.* — Isaiæ 10. — D. Hieron.

ferebant, sermo est, quæ tandem Dei auxilio sublatæ omnino euanuerunt. Septimò vti oleum vegetat, roboratque artus corporis, ita illud reddit habile ad luctandi certamen; vnde athletæ ingressuri palæstram oleo vngebantur: ita Dominus in agone virtutum suos athletas suauissima pariter, atque fortissima gratia perunctos in aciem deducit: vt illi habeant & causas certaminum, & occasiones triumphorum; quod quidem à Diuina clementia in nostrum commodum inuigilante profectum est, iuxta illud S. Cyprian. Inæstimabilis Domini misericordia, quæ vndique homini suo contulit gloriam, & incomprehensibilis pietas, quæ scilicet pugnas dedit & palmas. *lib. de sing. Cler.*

S. Cyprian. *Tentatio & victoria ex Dei beneficio.*

11. Octauò misericors Dominus non cessat oleum suæ misericordiæ diffundere, ad molliendum, & impinguandum iuxta illud: *Impinguasti in oleo caput meum.* Psal. 22. Etenim propter mollitudinem, & pinguedinem solet oleo ferè apud omnes gentes misericordia denotari, quam nos in Christo Domino amamus pariter atque admiramur. O pretiosum, ô pulchrum, ô amabilem lapidem oleo suo perfundentem omnia! In lapide robur, & potentiam, qua defendor, agnosco, & veneror: in oleo misericordiam, quæ mihi est vnicum perfugium, à qua mihi bona cuncta procedunt, vnicè diligo, atque amplector. Misericordia eius super omnia opera eius. Legimus duodecim lapides in pectore sacerdotis appensos, in humeris duos tantùm: & quidem in istis sic erant sculpta nomina tribuum, vt sex in vno, io altero sex legerentur: at in illis sigillatim nomina tribuum erant inscripta. *Exod.* 28. Proculdubio sacerdos Christum, lapides humerorum Diuinam protectionem, lapides verò pectoris Dei misericordiam & amorem significabant. O rem admirabilem! vt nos protegat, ac tueatur, pauciora sufficiunt Diuinæ potentiæ: at verò, vt parcat, vt indulgeat, vt recipiat, vt amplectatur, vt magnifica liberalitate perfundat, multiplex à corde exuberat misericordia. Vtrobique tamen illud à misericordi Domini prouenit, vt lapides inclusi auro, atque circundati legantur, vel (vt vertunt alij) inclusi & circundati oculis aureis. O immensum Domini mei amorem! & humeris, & pectore gestat suorum seruorum nomina. An non de his dicitur: *Gaudete quia nomina vestra inscripta sunt in libro vitæ?* Ad Philipp. 4. Et quinam alius liber vitæ, quàm humerus, quàm pectus Domini Iesu?

Psalm. 22.

Misericordia Dei super omnia.

Exod. 28.

Immensus Dei amor erga suos.

ad Philip. 4.

13. Inclusa deinde, & vndique circundata oculis aureis nomina suorum gerit: mille siquidem oculos habet, omnésque fixos in seruos suos. Felices siquidem, qui Diuinos oculos ita rapiunt, ita detinent, atque oblectant. Securi viuunt, non rapiet eos quisquam de pectore Domini: oculi Domini pro vallo, pro muro, illos vndique muniunt: nulla nec hominum iniuria, nec dæmonum tentatio, nec laborum incursio ad Christi seruos penetrat, quin per oculos Domini, quibus inclusi tenentur, pertranseat. Quis igitur afflictionem timeat, quæ tanta Domini misericordia conditur? Timeant illi potius, qui temere audent irruere in oculos Domini, illiúsque ibi reclusos fideles violenter atque iniustè distrahere. Clamat enim ipse Dominus: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Zachar. 2. Circundati sunt oculis aureis; oculis videlicet amoris, quo illi etiam per omnia, & summa bona locupletantur. Super caput lapidis effusum est, quia misericordia Domini super omnia in illo eminet. Et licet ille ipse Iudex sit viuorum, atque mortuorum, attamen (vt

Iusti oculis Dei pergratu.

Securitas iustorum in Domino.

Tribulatio conditur Dei misericordia. Deum grauiter lædimus lædendo proximos.

A Apostolus affirmat) *superexaltat misericordia iudicium.* Iacob. 2. Dei enim iustitia, ne (vti meremur) nostra vlciscatur delicta quotidie, ab eiusdem misericordia impeditur: & huius magnitudine illius seueritas superatur. Hic etiam sensus reddi potest: tam suauis est, támque hominum amans Domini misericordia, vt qualecumque supplicium à Diuina iustitia hominibus illatum superexalret, dicendóque, & veluti conquerendo exaggeret: cuiusmodi est affectus illorum verborum: *Suscepit de manu Domini duplicia pro peccatis.* Isaiæ 40. Quem videtur Dei misericordia de pœnis hominum, quæ licet secundùm iustitiam non modò prometitæ sint, imò & infra condignum (vt loqui

Iacob. 2. *Misericordia Dei nos liberat ab ira Dei.* *Misericordia Dei quæritur de iustitia.*

Isaiæ 40.

B solent) irrogentur, at iuxta pium, tenerum, ac maternum affectum misericordiæ grauiores, quàm ratio postulet, & vltra condignum acerbiores quodammodo esse videantur.

14. Super caput lapidis oleum effusum est: est enim misericordia ornamentum capitis Domini Iesu. Hanc illi nascenti, quinimò etiam vbi conceptus est, Virgo Mater, & fabricauit, & imposuit coronam quæ tantum capiti splendorem contulit, vt ad illum contuendum, admirandum, & amandum cùm Angelorum spiritus, tum hominum animas inuitarit, iuxta illud. *Egredimini & videte filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illū mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitia cordis eius.* Cant. 3. Quis iste

B. Maria Filium coronauit.

Cantic. 3.

C Rex nisi Christus Iesus? quæ illius Mater, nisi beatissima semper Virgo Maria? quis dies desponsationis nisi momenti incarnationis Diuini Verbi? quis dies lætitiæ cordis eius, nisi ille ipse, quo Angelis concinentibus, cælóque applaudente de Virgineo vtero natus in lucem prodiit? quodnam illud diadema, nisi amor illius, & misericordia (eadem enim virtus duplici effertur nomine) quam vti coronam gestat? His ergo positis locum egregiè interpretatur S. Ambros. ad hunc modum: Canunt epithalamium, & vocant animas vt videant charitatem, quam circa filias Hierusalē habet Christus: vnde & meruit coronari à Matre filius charitatis sicut Paulus ostendit dicens: *Quia*

Incarnatio Verbi.

S. Ambros.

Christus Filius charitatis.

D *Deus eripuit nos de potestate tenebrarum & transtulit in regnum Filij charitatis suæ.* ad Coloss. 1. Charitatis itaque Filius & ipse charitas est, non ex accidentibus habens charitatem, sed habens semper subſtātia sua. hæc S. Ambros. *lib. de Isaac, cap. 5.* Neque verò te moueat, quod sanctissimus Pater Christū appellet Filium charitatis. Hac enim nomenclatura Virgo Deipara in sacris, literis haud semel insignitur: vt cùm dicitur *Mater pulchræ dilectionis.* Eccles. 24. (per accommodationem tamen ab Ecclesia) & io Cant. 2. ipsamet charitas nuncupatur vbi legimus: *Ne suscitetis dilectam:* Hebr. האהבה *charitatem.* Quid plura? nihil frequentius in ore habemus, quàm illud: *Maria Mater misericordiæ.*

ad Colos. 1

Eccles. 24. Cantic. 2.

B. Maria ipsamet charitas.

E *ricordiæ.* Hanc omnes Catholici à Virgine Dei Matre implorarnus, quam videlicet illa efficaciter petit, & omnino impetrat nobis à Deo Filio suo. hinc Euthym. piè admodum Virginem Matrem compellat: Defende nos secundùm magnam, & copiosam misericordiam tuam ô Domina: frange schedulam immensorum nostrorum malorum tuis, quæ nunquam dormiunt, intercessionibus. ô optima. Nos ante finem concilia tuo misericordi, & iusto Iudici Filio, & Deo. Habes maternam, & infinitam ad Deum fiduciam: potes enim tu omnia. hæc ille de zona Deiparæ.

Euthym.

B. Maria misericordia.

Potens intercessio B. Mariæ.

15. Itaque nullus iam erit, etsi grauium, & multorum scelerum impuritatibus coopertus, qui desperet, si ad Virginem Dei Genitricem confugiat:

B. Maria spes peccatorum.

vnica

vnica illa est spes, ac fiducia peccatorum: Et nostri A
miseretur, & nobis à Filio suo misericordiam impetrat: dolet nostra vulnera, & Filio curanda offert; nec vnquam Filius votis dilectissimam Matrem suis frustratur. In quam sententiam egregiè beatissimam Virginem his verbis affatur S. Georg. Nicom. Ne immensam tuam clementiam superet multitudo peccatorum: ne absurda facta retardent tuam, quæ verbis exprimi non potest, misericordiam. Nam quæcunque fuerit multitudo eorum, quæ ignorantur, ea facilem accipit solutionem, si tu solum volueris. hæc ille, *de præsent. Virgin.* At (inquiet peccator adhuc trepidans) quid mihi conferre potest misericors Domina, si potens
non sit? dolebit vicem meam, sed laboranti opem B
ferre non valebit. ergo de potentia Virginis sic vltra disserit idem Geor. Nihil tuæ (ô Domina) resistit potentiæ, nihil repugnat tuis viribus, omnia cedunt tuo iussui, omnia tuo obediunt imperio, omnia tuæ potestati seruiunt. Omnia potes consequi citra laborem. sic ille. Sed vnde tanta hæc Virginis Deiparæ potentia? Scilicet à Deo Filio suo, quem materna fiducia compellat, & cui nihil potius, ac dulcius est, quàm vt Matrem suam dignissimam & honoret ipse, & videat honorari. Quo de argumento sic ampliùs loquitur idem Georg. De iis absque vllo intercessore compella Creatorem. Delectatur ille Matris petitione, gaudet se rogari, non resistit quominus impleantur.
Tuam enim gloriam existimat esse propriam, & C
tanquam Filius ea exultans, quasi exoluens debitum, implet petitiones. hactenus ille. Itaque tum maximè honorari se putat Dominus, cum Matrem suam & honorat, & ab aliis videt honorari: quippe cum sit amborum gloria indiuidua: quid enim Matrem, & Filium separet? Deinde eum Matri suæ Virgini carnem ipsam, & sanguinem suum debeat, præter omnia, & maxima officia Matris, quibus dum in terra vixit, est affectus, profectò vt Matri debitum soluat, gaudet ab illa rogari; quo Matris adimplens vota, & postulata concedens, & mandata exequens, debita Filij erga Matrem præstet obsequia.

16. En alter post Christum erectus in sublime, D
atque oleo perunctus lapis. quid enim firmius, quid potentius, quid sublimius post Deum ipsius Dei Matre? quæ vlla vel esse, vel fingi potest (Diuinam excipio) misericordia, quæ ad Virginis Deiparæ misericordiam comparata vel ipsum etiam nomen non amittat? Quòd si de oleo gratiarum, quibus Virgo diuinitus est perfusa, loqui velim, quis dignè poterit eloqui; cum omnium virtutum, & gratiarum Virginis mensura illa omnino sit, quòd Dei hominis verissima, & dignissima Mater habeatur? Ergo solus ille Deus, qui Matrem illam sibi elegit, ac fecit, vti comprehendit, quæ tanta sit dignitas Matris Dei, pariter complectitur,
quanta sit excellentia, & immensitas gratia- E
rum, donorum, ac virtutum, quibus suam Matrem decorauit. Filij IESV nomen infinitæ virtutis vti oleum effusum cælos, terrásque admirabili sua virtute, odoréque repléuit. Sic deinde Mariæ Deiparæ nomen oleum est admirabilis virtutis, & fragrantiæ. Hinc iure optimo vir ille pius Idiota Virginem sic alloquitur: Dedit tibi (ô Virgo Maria) tota supersancta Trinitas nomen, quod post nomen superbenedicti Filij tui est super omne nomen, vt in nomine tuo omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur huius sanctissimi nominis gratiam, gloriam, & virtutem. Non est enim in alio nomine (post nomen Filij tui) tam potens adiutorium;

S. Georg. Fiducia reorum in B. Maria.

Potens intercessio B. Mariæ.

S. Georg. Mira B. Mariæ potentia.

Deus Matrē suam honorat & honorari vult.

S. Georg.

Deus Matri sua debet, & exoluit debita.

Admiranda B. Mariæ misericordia.

Soli Deo cōprehensibilis gratia beatæ Mariæ.

Idiota.

Mariæ nomē potentissimū.

Ben. Fernand. in Genes. tom. 2.

nec est aliud nomen datum sub cælo hominibus post dulce nomen IESV, ex quo tanta salus hominibus refundatur, quia super omnia sanctorum nomina reficit lassos, sanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, recreat fessos, vngit agonistas, & iugum diaboli extrudit. hæc ille *lib. de contemp. Virgin. cap. 5.* Dulce igitur, pium, ac salutare nobis est, vt iugiter in corde habeamus, & ore pronunciemus: IESVS & MARIA. In hæc duo sacrosancta, & suauissima nomina dulciter, piéque pronunciata suauissimus nobis mortis somnus contingat.

IESV & MARIÆ nomina suauissima.

SECTIO VIII.

Appellauitq; nomen vrbis Bethel.

1. MVltos cruciat hic locus propter duplicem Bethel in sacris literis commemorari solitam. Sed quod placet peritioribus, & Hadrichomius in tabulis suis repræsentat, paucis dicam. Celebrior Bethel extitit vicina Samariæ, & monti Garizim, quæ à Prophetis per contumeliam vocari consueuit Bethauen, domus vana, seu domus iniquitatis, postquam Ieroboam in illa collocauit vnum ex vitulis aureis, cum antea diceretur Bethel, domus Dei, vti à Iacob fuerat nominata. Hæc autem priùs dicebatur *Luz*; Latinus inflectit suo more *Luza*, à copia nucum amygdalinatum. Quare cum de hac Bethel mentio fit, semper ferè coniungitur Luza. Cæterùm altera ignobilior Bethel fuit in tribu Beniamin, de qua cum agitur, nulla fit de Luza mentio. Recole, quæ supra diximus *sect.* 4. *num.* 4. de hac Bethel. Et vide nostros Perer. & Delrio ad hunc locum, quorum insignem diligentiam nihil effugit. Aduerte obiter in vulgata poni, *quæ prius*: at Hebr. *Veulam* ואולם, *at prius*; verùm ante, vt vertit Aquila, vitio librariorum in septuaginta nunc legitur *Vlamaus*, ac si Vlam, & Vlamaus nomen esset vrbis. Iam ad votum Iacob accedamus, quod S. Chrysost. vocat D. Chrysost.
omni plenum philosophia. Nihilominus fuisse aut impium, aut saltem stolidum hac ratione videtur conuinci. Vouet Iacob se habiturum Deum pro Deo, hoc est, illius adorationi, & cultui se dediturum, dummodo sibi victum, ac vestitum præstet, non obscurè significans ea conditione non expleta, nimirum si Deus hominem non pascat, nō vestiat, nolle se adorare, & colere Deum. At Deus non ob illam tam vilem, atque abiectam conditionem est adorandus & colendus, sed ob id maximè, quòd est Deus, & summum bonum, & rerum omnium conditor, & gubernator, siue concedat, siue deneget bona temporalia; quin etiam siue vitam beet, siue illā in tormentis eripi sinat. Cuius egregiæ pietatis admirabile specimen dederunt Hebræi pueri, cum regi Babylonio ad statuā adorandam nunc blanditiis, nunc terroribus compellenti respōderunt: *Ecce Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex liberare. Quòd si noluerit, notum sit tibi Rex, quia deos tuos non colimus, & statuam, quā erexisti, non adoramus.* Dan. 3. Quibus in verbis duo Dan. 3.
sunt insigniora. Vnum est, quod subtiliter intulerunt: *Potest nos eripere; quòd si noluerit*; cum tamen videretur subinferendum; quod si non potuerit.

2. Dictū sic explicat S. Hieron. *Quòd si noluerit*: D. Hieron.
pulchrè ad id, quod dixerant: *potest nos eripere*, non intulerunt contrarium; *si non potuerit*, sed *si noluerit*: vt non impossibilitatis Dei, sed voluntatis sit, si perierint. hæc S. Hieron. Dicunt itaque:

Deus gratis colendus, & amandus.

Volūtati Dei parendum.

A Deus ille, quem vnum adoramus, & pro cuius fide, atque obsequio, & vitam offerre, & mortem subire parati sumus, omnipotentiam habet, vt nos à mortis faucibus eripiat, si velit: at de voluntate nobis haud constat: fortè siquidem magis illi placebit, vt pro ipsius fide combusti flammis mortem gloriosam oppetamus. Alterum habetur in iis verbis: *quod si noluerit, notũ sit tibi ò Rex, quia Deos tuos non colimus*: hoc est, etsi noster Deus potens nos eripere de flammia incolumes, perire tamen incendio voluerit; non proinde tamen suspicio tibi sit, nos ob mortis metum adduci vnquam posse, vt relicto vero, & vno Deo idola tua veneremur. Eripiat ergo nos, aut non eripiat Deus omnipotens, firmum nobis est, atque statutum Deos tuos non colere.

Mira in Deum fides & pietas.

B Nec enim aut Deum verum ob aliquam huius vitæ mercedem colimus, aut illum ob aliquod propositum præmium, vel quorumcunque malorum minas abnegamus. Huius responsi tam egregiam prudentiã, tam spectabilem pietatem, támque raram sanctitatem sic Theod. ad locum Daniel. expendit: Quasi istis verbis significare vellent: Nos pro mercede aliqua Deo nostro non seruimus, sed eius amore rebus omnibus cultum ipsius præferimus. Quare ne ab his quidem temere liberari petimus: sed ipsi omnem nostri gubernationem, & prouidentiam committimus. hæc Theod. Sapienter quidem sibi consulentes Deo rerum suarum statum commiserunt; cuius in manu sunt hominum tempora, sortésque, C qui nauem nostram solus nouit, & potest ad optatum portum dirigere. Nos prorsus ipsa rerum momenta nescientes, quid maximè nobis expediat, ignoramus. Et quoniam (progreditur Theod.) eius, quod futurum est, ignari sumus, gubernatori nostro, quocunque ei libuerit nauem dirigendam committimus: pro certo enim habemus posse illum nos è tuis manibus eripere. Vtrùm verò id facere velit, ignoramus. Sed cum sapiens sit, ei rerum nostrarum moderationem committimus, quamlibet iudicij eius sententiam, vt meliorem, nobisque vtiliorem libenter accepturi. sic ille.

Theod.

Penes Deum nostra vita gubernatio.

Theod.

Nostra Deo gubernatori committamus.

Verum (quod est præcipuum caput huius loci) gratia est Deus a nobis colendus, & amandus, non ob ea, quæ nobis confert, aut ab illo conferenda speramus: D sed hoc solùm, quòd Deus est. omnem illi amorem, & obsequium debemus, iuxta illud Dauidicum, *Confitemini Domino, quoniam bonus*. Psal. 117. ad quæ verba S. Bernard. ita loquitur: Qui magis, aut certè solùm diligit suum, conuincitur non caste diligere bonum, quod vtique propter se diligit, non propter ipsum. Confitetur Deum, quia fortassis bonus est sibi, non autem, quoniam bonus est in se. hæc ille. *Epistol. 11.* de hoc mercenario, qui non castè, ac purè Deum amat, idem Propheta loquitur: *Confitebitur tibi cum benefeceris ei*. Psalm. 48. Quod quidem tanquam opprobrium obiicitur à Dauide, vti bene subnotauit S. Bernard. qui adiungit: Est, qui confitetur Domino, E quoniam potens est: & est, qui confitetur, quoniam sibi bonus est & item qui confitetur, quoniam simpliciter bonus est. Primus seruus est, & timet sibi. Secundus mercenarius est, & cupit sibi. Tertius filius, & defert patri. Itaque, & qui timet, & cupit, vterque pro se agunt. Sola, quæ in filio est, charitas non quærit quæ sua sunt. sic ille, *Epist. indicata.*

Deum quia Deus est colendus & amandus.

Psalm. 117.
S. Bernard.

Amor erga Deum mercenarius.

Psalm. 48.
S. Bernard.

Triplex amãdi Deũ ratio.

3. Purum illum erga Deum hominis amorem, qui non quærit quæ sua sunt, sed quæ Dei sunt, illi habent in hac vita, qui diuinis assueti contemplationibus Dei magnitudinem, & bonitatem per se solam intento, pióque animo meditantes eò A tandem eleuantur, vt quicquid non est Deus, non tam despicientes, quam non respicientes, quin omninò nescientes in vno ipso Deo defixi obstupescant. Qui stupor nonnunquam etiam ad loquendum de Deo ipso totam ori adimit facultatem. quod factum in sponsa illa sua Dominus, vti magnum, & præclarum prædicat admirando: *Quam pulchra es! oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet.* Cãtic. 4. Haud nescio quã varios hic locus sortiatur explicatus: hic tamen in præsentia facilior, & suauior: Laudat sponsam Dominus à puchritudine oculorum, qui nimirum casto quodam, niueo, puro, & columbino affectu, sine vllo propriæ vtilitatis, ac mercedis respectu, in contemplatione atque amore Dei detinentur: B deinde ab altera pulchritudine (bis enim pulchram vocat) eandem celebrat sponsam, quæ non est alia, quàm quod intrinsecus latet. Haud dubiè post oculos laudat oris pulchritudinem: sunt enim hæc duo in facie humana, quæ maiorem & venustatem, & dignitatem habẽt. Moueor ad hunc sensum eruendum ex eo, quod celebris alia versio circunfert: *Præter silentium tuum.* Vbi autem inuenitur silentium nisi in ore? Duo alij explicatus habent de oculis sub dimissa, & volante cæsarie capillorum latentibus, & velut insidiatricem puchritudinem furtiuo aspectu ingerentibus: & (quod pudor, & honestas abhorret) de verecundioribus membris. Quæ quidem interpretatio vt pote Rabbinica, & ad literam, & pudorem C inepta semper mihi displicuit. Prior autem etsi probabilis, minùs tamen placet, quàm quæ de ore silentium amante, obseruantéque apponitur. Et quidem Græci Patres apud Theodoretum exponunt: *Præter tuam de Deo taciturnitatem*: hæc enim magis spiritualis est. sic illi. Profectò sponsæ oculi Deum contemplabantur, at os obmutescebat nec enim eloqui poterat, aut nouerat, quod oculi suspiciebant: nec ab illo summo bono, in quo oculi tenebantur, quicquam in proprium commodum os & lingua petere volebant, cum extra Deum nihil aut esse, aut fingi posse contemplanti videretur.

Cõtemplatio intima Dei.

Cantic. 4.

Pulchritudo amantes in ore & oculis.

Insidiatrix oculorũ pulchritudo.

Theod.
Silentiũ Deo pergratum.

4. Hoc ipsum regius Vates innuit, cum ita veram Dei charitatem definit: D *Lex Domini immaculata, conuertens animas.* Psalm. 18 De charitate intelligit S Bernard Quòd sola charitatis (inquit) sit, quæ ab amore sui, & mundi auertere possit animum, & in Deum dirigere. Nec timor quippe nec amor priuatus conuertit animam. Mutant interdum vultum, vel actum; affectum nunquam. Facit quidem etiam seruus nonnunquam opus Dei, sed quia non sponte, in sua adhuc duritie permanere conuincitur: facit & mercenarius, sed quia non gratis, propria trahi cupiditate cognoscitur. Sic ille probat egregiè legem Domini immaculatam, nec in timore seruili, nec in amore mercenario inueniri. adiungit ergo: Sit itaque seruo sua lex timor ipse, quo constringitur, sit mercenario sua E cupiditas, qua & ipse arctatur, quando ab ipsa tentator abstractus, & illectus: sed harum nulla aut sine macula est, aut animas conuertere potest. Charitas verò conuertit animas, quas facit & voluntarias. Porrò in eo eam dixerim immaculatam, quòd nihil sibi de suo retinere consueuit. Cui nempe de proprio nihil est, totum profectò quod habet, Dei est; quod autem Dei est, immundum esse non potest. Lex ergo Domini immaculata charitas est. quæ non quærit quæ sua sunt hæc S. Bernard. *citata Epist. 11.* Vbi etiam sordes siue rubiginem vocat omnem propriæ vtilitatis affectum, & respectum, quo noster in Deum amor, aut inqui

Psalm. 18.
S. Bernard.
Lex Domini charitas est.

S. Bernard.

Affectus propria vtilitatis inquinans

inquinatur, aut hebetatur. Vera in Deum chari- A
tas conuertere animam dicitur, quippe quam
spretis omnibus infra Deum sic eleuat, vt admi-
randa quadam, & optanda metamorphosi faciat,
velut vnum spiritum cum Deo, illique intimè
adhærentem exclamare: *Quid mihi est in cælo, & à*
Psal. 72. *Amor purus Dei solius.* S.Bernard. *te quid volui super terram?* Psalm. 72. Neque enim
(declarat S.Bernard.) suum aliquid, non felicita-
tem, non gloriam, non aliud quicquam tan-
quam priuato sui ipsius amore desiderat anima,
quæ eiusmodi est: sed tota pergit in Deum, vni-
cumque ei, ac perfectum desiderium est, vt Deo
adhæreat, Deo fruatur. sic ille, *sermon. de diuersis*
Solus Deus animam satiat. *affectionibus animæ.* Ratio autem, quare mens ad-
hærens Deo nihil amplius à Deo quærat, aut re-
spiciat, illa est, eo quòd in Deo tantùm suam ex- B
pleat sitim, ac famem, quam omnia creata irrita-
re quidem semper possunt, satiare nunquam. Hoc
D. Hieron. *Bona mundi irritant, non satiant affectum.* ipsum S.Hier. ita subtiliter attingit ad hunc ver-
sum Psalmi: Neque (inquiens) in cælo, neque in
terra alium præter te quæsiui; à te enim impleta
est voluntas mea. sic ille.

5. Solus Deus humanam replet voluntatem,
solus nostram explet cupiditatem, nos ille solus
ad plenum satiat: quippe solus ipse omne bonum,
& verum, & plenum, & perfectum est. At in bo-
nis extra Deum multus inest fucus, & panis men-
dacij, nihil non imperfectum vident oculi nostri.
Saltem propter mercedem amandus Deus. Gratis igitur Deus & amandus, & colendus est:
atque vtinam etiam propter mercedem, quam
speramus, in illius amorem & desiderium toti ra- C
Ingrati Deū benefactorem offendimus. peremur. Sed planè ingrati, ac barbari, licet ab
ipso innumeris, & continuis afficiamur benefi-
ciis, non amorem debitum rependimus, sed no-
stris sceleribus illum & offendimus & ad vindi-
ctam incitamus. Saltem amemus, vt nostri aman-
tem, vt de nobis optimè meritum, & memores
beneficiorum, & misericordiarum Domini, chari-
tatem erga illum in nobis excitemus. quod Spon-
sa illa factitabat inquiens: *Stipate me malis, quia*
Cantic. 2. *amore langueo.* Cant. 2. Hoc est, Sponsi fructibus
me constipate, illius enim amore sum saucia. sic
Theod. Cantic. 2. Theodor. dixerat enim de Sponso: *Sicut malus in-*
ter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios. Cant.
2. Etenim Christus carnem induens, verè pomum,
nostros sensus, atque in primis gustum oblectat. D
Psellus. *Beneficiis nos Deus sibi deuincit.* ita Psellus. Itaque fructus Diuinæ istius arboris
peramantem animam oblectant, ægram, & sau-
ciam amore recreant, magis videlicet ac magis
benefactoris sui amorem, & desiderium excitan-
do. Scilicet nostrum ingenium, atque infirmita-
tem Dominus probè cognoscens beneficiis, vti
funibus, nos ad se pertrahit iuxta illud: *Extendi*
Zachar. 9. *Beneficia Dei funes, armáque sunt.* *mihi Iudam, quasi arcum: impleui Ephraim.* Zachar.
9. vt nimirum in me solum intentus sis, te funibus
beneficiorum, & misericordiarum mearum ex-
tendi; atque vt in me vnum tui cordis amorem,
omne studium, curam, & cogitationem dirigas
manus, & pharetram sagittis impleui. hoc est, cor-
pus & animam tibi meis beneficiis, & misericor-
diis repleui, quibus armatus iugiter amando, de-
siderando, & suspirando me tuum benefactorem
Amore Dei amor in conciliatur. peteres, & in maiorem tui amorem sauciares Ama
igitur Deum tuum, ô homo, si amari vis ab illo,
curam tuam, & studium omne tuum in Dei obse-
quium dirige, si curam illius, & studium in tua
commoda intentum esse cupis. Esto filius, vt pa-
trem habeas. At (ô impudentia simul, & amen-
tia!) querimur de Dei seueritate: nostram verò
impietatem, quæ punitur, nec respicimus, nec de-
flemus! bene in hanc eandem sententiam ita scri-
S.Saluian. bit S.Saluian. Cum à nobis nihil penitus domi-

A nicæ iussionis fiat, quid est, quòd nos queramur *Deus de nobis, nos de illo non iuste querimur.*
de Deo, cum queri magis Deus de nobis possit?
quæ ratio est, vt doleamus nos non audiri à Deo,
cum ipsi Deum non audiamus: & susurremus non
respici à Deo terras, cum ipsi non respiciamus ad
cælum: & molestum sit despici à Domino preces
nostras, cum præcepta eius despiciantur à nobis?
fac nos pares Domino nostro: quis est iustæ que-
rimoniæ locus, hoc pati quemquam, quod fece-
rit? hæc S.Saluian. *lib. 3. de prouid.* Profectò si bo-
ni, ac veri filij essemus, Deum vtique nobis Pa-
trem haberemus. Nostris illum sceleribus seue- *Nos Deum contra nos armamus.*
rum iudicem facimus: & virga, gladioq; armamus.

6. Videtur etiam Iacobi votum eò esse stoli- *Expenditur votum Iacob.*
dum, quòd voueat colere Deum, cum tamen ad
B hoc præstandum iure ipso Diuino, ac naturali te-
neatur. Vouentur enim ea, quæ liberum homini
est facere, & non facere. quippe huiusmodi sunt,
quæ in promissiones, & vota cadunt. Huius dubi-
tationis elucidatio coniuncta est cum explicatio-
ne prioris, de qua in 1.n. actum est. Nec enim Ia-
cob vouit Deum colere in genere, sed in speciali,
hoc scilicet, vel illo ritu, & cæremonia: specialem
autem ritum, ad quem nulla lege obligatus erat,
vouere poterat. Itaque vouit se veneraturum du-
plici ritu speciali, omnino libero, atque volunta-
rio Deum, quem ritum in duabus rebus positum
statim explicauit: nimirum quòd eum ipsum lo-
cum visionis esset consecraturus Diuino cultui,
ac si foret templum, domúsque Dei, quo ipse dein-
C ceps ventitaret ad celebrandum Dei cultum per
sacrificia precésque. Iccirco enim vocabitur (in-
quit) domus Dei. Nimirum (declarat Procop.) do- Procopius.
mus orationi, & precationibus destinata. Deinde
altera pars istius cultus specialis, quem Deo vo-
uit, fuit promissio decimarum de omnibus, quæ
possideret, in Dei honorem, si ab illo & victum,
& vestitum acciperet. Itaque vouit venerationem
Dei sic specialem per duos illos ritus explicatam,
& contestatam, quæ quidem erat opus superero-
gationis, modò victum, & vestitum Deus homi-
ni suppeditaret. in quo voto nulla vel impietas,
vel imprudentia inuenitur. Præterea licet alioqui *Ad eandem rem potest quis pluribus vinculis obligari.*
ex iure ipso naturæ, legéque patria circuncisionis,
Deum colere obligatus esset, poterat etiam ad
D istius legis impletionem se adstringere proprio
voto. Nihil enim prohibet ad obseruantiam eius-
dem rei pluribus vinculis quempiam obligari, vt
ad colendum Deum lege naturali, & lege circun-
cisionis, in cuius susceptione Diuini cultus pro-
fessio & obligatio continebatur, & nouo aliquo
voto. Sic Dauid præter obligationem, quam ex
lege naturali, & ex Mosaica, habebat ad obser-
uantiam mandatorum Dei, aliam subinde adiun-
gens ex iureiurando ita contestatur. *Iuraui, & sta-*
tui custodire iudicia iustitiæ tuæ. Psalm. 118. Genebr. Psal. 118. Genebr.
intelligit, non quidem iuramentum in his verbis,
sed firmam tantummodo promissionem, & de-
cretum adeò constans, vt iusiurandum esse vi-
deatur. Cæterum Caiet. firmitatem quidem intel- Caietan.
E ligi affirmat; sed eam tamen iuramento contesta- *Dauidis iuramentum pro lege Dei seruanda.*
tam, & corroboratam. sic enim commentatur: *Iu-*
raui, & firmaui. Manifesta animi firmitas signifi-
catur iuramento non præcipiti, sed deliberato, ac
firmo animo ad custodiendum iudicia, hoc est, ad
seruandum quæcunque iudicauit iustitia tua, re-
gula etiam intimorum: non iustitia humana, quæ
regulat ea quæ foris sunt. hæc ille. Itaque Dauid
iureiurando se obstrinxit omnia Dei præcepta ob-
seruare.

7. Similiter S.Hieron. duo in verbis Prophetæ D.Hieron.
agnoscit. Primum (inquiens) iurauit, vt ab hac

custodia non dissoluatur: deinde statuit, vt quæ iurauerat firmet, sciens nihil in Dei iudiciis nisi

S. August.

per iustitiam propalari. sic ille. Verum D. Aug. iuramentum agnoscens, quàm sit illud firmum in verbo (*statui*) declarari putat ita inquiens: Sequenti verbo illud, quod antecedit, expositum est. Quasi enim quæreremus quid esset (*iuraui*) adiunxit, *& statui*. Hoc enim appellauit iuramentum, quod statuit per sacramentum: quia ita debet esse mens fixa in custodiendis iudiciis iustitiæ Dei, vt sit omnino pro iuratione, quod statuit. hæc S. Aug.

Quid inter iudicia & iustitiā Dei intersit.

Sed quæ sunt ista iudicia iustitiæ Dei, & qua ratione custodiuntur? Simplicius responderi potest hoc circuitu verborum significari mandata Dei, quæ ille iustissimus secundùm regulam suæ iustitiæ iudicat, & iubet, vti ab hominibus obseruentur. At antiqui Patres per iudicia ista intelligunt, quæ Deus in gubernandis hominum rebus nunc puniendo, nunc remunerando iuxta summam, & infallibilem æquitatem demonstrat: quod quidem fide Catholica firmiter credentes dicimur custodire: vtrumque ita

S. August.

complectitur interpretatio S. August. Fide custodiuntur iudicia iustitiæ Dei: cum sic Deo iusto iudice, nec rectè factum infructuosum, nec peccatum creditur impunitum. sic Aug. Sola verò iudicia laborum, & suppliciorum, quibus Deus homines in hac vita exercet, intelligit S. Ambros. quæ fide mentéque pusilli contemplantes, interdum perturbantur. Quam tentationem sensit aliquando Dauid, & viriliter superauit, vt de seipso ingenuè fatetur hisce verbis: *Quam bonus Israël Deus his, qui recto sunt corde! Mei autem penè moti sunt pedes; penè effusi sunt gressus mei. Quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns, &c.* Psalm. 72.

Psalm. 72.
S. Ambros.
Patris amor in illo puniëdo relucet.

Verba igitur S. Ambros. *ad versum Psalm.* 118. sic habent: Iurauit Dauid custodire iudicia iustitiæ Dei: in nullo videlicet iam perfectum, iam instructum Diuinæ iustitiæ mouebant iudicia. Quanti mouentur, cum vident iustum aliquem vexatum? sed qui firmus est, non mouetur, & is magis intelligit iustitiam Dei prædicandam, quia corripit Dominus quem diligit. Nunquid non frequentiùs corripitur filius, quam seruulus? asperioribus exercet pater filium, quam dominus vernaculum. Sed dura patris non æstimantur impartita flagella, quia vult filium meliorem esse, quam seruulum. hæc S. Ambros. *serm.* 14. *in Psal.* 118. qui egregiè concludit: Eruditio ergo plena iustitiæ est.

Iob à Deo exercitus.

8. Porrò hæc iudicia iustitiæ Dei & sanctissimus Iob constanter pertulit, & nos in illo exercita iuxta fidem custodimus, ac veneramur.

S. Ambros.

Orbatus est (inquit S. Ambros.) sanctus Iob liberis suis, in quos Dominus potestatem diabolo dedit. Nunquid iniquus Deus? absit, imò iustus, quia probaturus iustum suum per huiusmodi exercitia, in quibus eius est probata sapientia, magis dignum, qui probaretur, effecit. hæc ille.

Beneficio Dei Iob exercitus pœnis.

Magnum igitur Iobo Deus contulit beneficium, cum illum charissimis filiis orbauit, vt ita illius sapientia, & patientia, magnitudoque animi proderetur: appareretque Iob per filiorum orbitatem dignus athleta grauioribus subinde certaminibus, in quibus

Multa bona ex malis Iob.

& insigniora suarum virtutum documenta monstraret, & plures coronas, illustrioré sque triumphos de diabolo, déque ipsis mundi aduersitatibus compararet: Deíque iustitia, cum suum fortissimum militem illustrissimis donaret præmiis, euidentius ostenderetur. Quo enim (inquit S.

S. Ambros.

Ambros.) clarius meritum coronati, hoc vberior iustitia coronantis. Orbitatem ergo Iobi cum videris, Dei iudicia venerare: iustus enim Domi-

A nus seruum suum hoc tanquam tyrocinio exercet, & probat ad gloriosa deinde certamina, & certaminum victorias. Orbatus primò filiis, mox facultatibus omnibus expoliatus ad extremam paupertatem decidit; indéque grauissimo, ac fœdissimo afflictatus morbo iacuit in sterquilinio. Proh admirabile Dei iudicium, sed tamen iudicium iustitiæ Dei! vide cum S. Ambros. Dei iustitiam:

S. Ambros.
Iob pauper & habilior ad certamina.

Nudatus (inquit) est facultatibus, cum diues esset, & hæc Deo subiit permittente dispendia. Non erant pecuniæ iam damna, sed vitæ, cum deesset alimonia ademptis omnibus. Quis accuset iustitiam Dei, cum si Iob non omnem amisisset pecuniam, non tantam inuenisset gratiam? Athletam

B suum nudum vngere voluit Deus oleo pœnitentiæ, vt & subeundo faceret certamine fortiorem, & emerendo præmio digniorem. hæc S. Ambros. de paupertate Iobi, per quam egregius luctator, ad luctam cum diabolo subeundam, vt habilior esset, omni se nudauit amictu, quem hostis posset comprehendere.

Luctator egregius Iob.

Nudus verò pugil vngere artus debuit, vt aduersarij manum, industriámque eluderet.

S. Ambros.

Oleum pœnitentiæ dicit S. Ambros. non quæ in dolore scelerum consistit, sed quæ afflictiones, & dolores corporis importat. subdit enim: Perfusus totum corpus vlcere graui sedebat in stercore, radens saniem sæuis vlcerum vibicibus defluentem. sic ille.

Vtilissima Iobo tentatio.

En habet luctator oleum, quo artus perungat, videlicet saniem, sanguinem purulentum, & putredinem, qua totum corpus vulneribus, & vomicis discissum, atque

C dehiscens inter dolores etiam intolerabiles scatebat.

S. Ambros.

Quid igitur (concludit) fuit illa tentatio? quid inopia facultatum, destitutio filiorum, tolerantia vulnerum, nisi exercitium fidei, insigne patientiæ, eruditio gloriosa virtutis, confessio plena victoriæ? hæc S. Ambros.

9. Vides igitur in sanctissimo Iobo iudicia iustitiæ Dei? Seuera quidem iudicia videri alicui fortassè poterunt, at iniusta minimè, imò ne seuera quidem is ea reputet, qui non carnis imbecillitatem respiciat, sed spiritus promptitudinem cum Diuina simul gratia consideret.

S. Ambros.

Non ergo (subinfert S. Ambros.) ex infirmitate nostra vis æstimanda iustitiæ est, qui durum putamus esse

D quicquid per imbecillitatem animi ferre non possumus. Tolle persecutiones, & martyres desunt. Sed & persecutores Deus, atque potestates seculi est passus assurgere, ne deessent, qui vincerent Christo.

Martyrii & triumphi ferax persecutio.

Iustus ergo optat probari, tentari non timet. Hactenus S. Ambros *serm.* 14. *in Psalm.* 118. tam gloriosum quidem est Deo, atque hominibus, ipsos tentari, affligíque pro Dei fide, atque obsequio, vt propterea tentationes, & persecutiones in Ecclesia Christi (permittente Deo) sint continuæ, quibus eorum, qui tentantur, & patiuntur, virtutes splendeant, & palmæ floreant triumphorum.

Tribulatio puriorē reddit iustum.
Theod. Abb.

Alia sunt etiam æquè iusta iudicia Dei, quibus serui Dei exercentur ad emendationem: cum videlicet (vt docuit Theodorus Abbas)

E iustos suos pro paruis quibusdam, leuibúsque peccatis, seu pro elatione suæ puritatis humilians Dominus diuersis tentationibus tradit: vt omnem sordem cogitationum, & iuxta Prophetam scoriam, quam in occultis eorum videt esse concretam, excoquens in præsenti, velut aurum purum futuro transmittat examini nihil in eis residere permittens, quod scrutans, post hæc iudicij ignis pœnali cruciatu expurgaturus inueniat, secundùm illud: *Multæ tribulationes iustorum.* Psalm. 33. & illud: *Ego quos amo, arguo, & castigo.* Apoc. 3. pro qua salutari emẽdatione orat Dauid:

Psalm. 33.
Apocal. 3.

Proba

Psalm. 25.

Proba me Domine, & tenta me. Vre renes meos, & cor meum. Psalm. 25. sic ille apud Cassian. *collat.* 6. *cap.* 15. Vt autem hoc Domini iudicium, quo iusti prorsus depurantur, non à seueritate, sed à clementia Dei prouenire intelligas, adiungit Propheta: *Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, & complacui in veritate tua.* Christi Ecclesiam, quæ semper tentationibus, & persecutionibus profecit, loqui arbitratur S. Hieronym. hoc modo: Probari se rogat Ecclesia, vt se noscat, & ab aliis cognoscatur probata. Proba me Domine in tentationibus, & tenta me, ne aliquid in me delicti remaneat. Vre renes, &c. Quid renes sonent, in corde significat: quia misericordia tua, &c. Sic petit iudicium, vt misericordiæ recordetur. Vre renes & cor; Spiritum sanctum adhibe delectationibus, & cogitationibus meis, qui vtraque exurens me dignum efficiat. Quoniam misericordia, &c. Vt ab hoc igne arguar, & non exurar. hæc Hieron. Misericordia quidem plenum iudicium, in quo voluptates mundi, & carnis illecebræ absumuntur, & purior efficitur anima, vt Diuinum in se spiritum, amorémque accipiat.

D. Hieron. *Probatio Domini expetenda.*

Carnis illecebris absumptis pura efficitur anima.

Tribulationes Domini satellitium.

50. Denique hæc iudicia iustitiæ suæ Deus in peccatores exercet, vt eos tribulationibus comprehensos, & compeditos, qui Deum Patrem fugerant, sentiant iudicem, & a via suarum prauitatum conuertantur. quod ille aliquando expertus dixit: *Comprehenderunt me iniquitates meæ.* Psal. 39. Nimirum calamitates, & afflictiones in pœnam mearum iniquitatum irrogatæ me à Deo fugientem tenuerunt. Profugit filius ille prodigus, nec tamen legimus, quòd profugum pater aut persecutus fuerit, aut quæsierit. Et nihilominus aiebat de filio postquam est reuersus: *Perierat, & inuentus est.* Luc. 15. En ô bone pater, à quo inuentus est filius? quis eum quæsiuit? nec tu quæsisti, nec seruos, qui quærerent, qui reducerent, misisti. Profectò filium pater quæsiuit, cum totum pene suum satellitium ad persequendum, retinendum ac reducendum filium dimisit. Mille siquidem calamitates terga fugientis insectatæ sunt, fames, nuditas, infamia, & huiusmodi aliæ, quę miserum comprehenderunt, & ad patrem reduxerunt. Hi sunt satellites boni Patris; à quorum manibus filium suscipit: nudum vestit prima stola, infamem honorat annulo, enectum fame pascit conuiuio, omnium, quæ vnquam illa in domo exhibita sunt, apparatissimo. O egregium, ô amabile boni Patris satellitium, compedes, flagella, & supplicia! liceat hucusque expatiari circa illa verba iurisiurandi, quo se adstrinxit Dauid ad custodienda iudicia Dei. Etenim & locus ipse longiore quadam explicatione dignus erat, & ad præsens votum Iacobi illostrandum non parum confert. Poterat igitur Iacob, etsi iure naturali, ac lege patria obligatus esset Deum colere, nouo deinde voto ad eiusdem cultum se obligare. Portò duplicem istam dubitationem, quam paulò superiùs proposuimus, suo tradidit & enodauit commentario Caietan. ad hunc locum. Tradidit quidem his verbis: Quæstio hic mouetur de materia huius voti Iacob, quæ videtur incongrua, siquidem materia voti debet esse bonum supererogationis, ad quod scilicet vouens aliàs non teneretur. Iacob autem vouit se habiturum Deum pro Deo, ad quod ille tenebatur sine suo voto. sic ille. Enodauit autem difficultatem hoc modo: Verùm soluitur. quæstio dupliciter: primò habere Deum pro Deo, non debet intelligi, vt verba sonant solitaria, sed vt mox ipse declarauit: sæpe enim scriptura ita loquitur, vt quæ explicanda sint sigillatim priùs proponat in vno

Luc. 15.

Tribulationes prodigum filium reduxerunt.

Explicatur votum Iacobi.

Caietan.

A tanquam confusè, & mox illud per partes explicet. Sic in præsentia illud: *Erit mihi pro Deo*, statim exponitur per duas res subiunctas: quarum altera est, quòd lapis ille erat futurus ei domus Dei, instar scilicet templi, in quo Diuinum cultum celebrare volebat: altera verò est, quòd decimas omnium suorum bonorum offerret Deo. Est portò manifestum vtrumque horum fuisse supererogationis bonum. Ita Caietan. Priorem nostram explicationem autoritate sua commendat. Secundam verò sic elucidat. Cæterùm etiam seruato verborum rigore potest quæstio ad hunc modum solui: non esse inconueniens materiam voti esse bonum, ad quod quispiam alio nomine tenebatur; vt ex duplici vinculo ad idem teneatur; vinculo B scilicet præcepti Diuini, siue naturalis iuris, & item vinculo proprij voti. hæc ille.

Caietan.

15. Tertiò etiam dubitatur quid sit, quòd Iacob nunc quasi dubius, & incertus de Diuinæ promissionis euentu atque effectu voueat: *Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via, reuersusq; fuero prosperè in domum patris mei, &c.* cum tamen paulò ante audierit ab ipso Deo: *Ero custos tuus, & reducam te, &c.* Nimirum Dei promissiones interdum sunt conditionales: at si conditio ab hominibus non expletur, iccirco illæ suum non sortiuntur effectum: quod etiam Iacob potuit vereri; ne scilicet illa Dei promissio foret conditionalis, data sub ea conditione, modò ipse in Dei obsequio, & cultu permaneret, & se ab omnibus C vitiis illæsum, ac purum custodiret. qua de re cum certus ipse non esset, votum illud fecit. Vir enim humilis, ac modestus, propriæque imbecillitatis conscius verebatur, ne fortè in vitia prolapsus redderetur indignus, cui Diuinæ promissiones explerentur. quocirca suo voto Diuinam voluit promereri gratiam, cuius ope dignum se præstaret Diuinis beneficiis. Quis ergo audeat de se præsumere, si probe seipsum recognoscat? Verissima enim sui cognitione sibimetipsi quisque vilescat necesse est, vt alicubi dixit S. Bernard. Haud nescio admirérne potiùs Hieremiæ humilitatem, an deplorem hominis infirmitatem. Vir enim modestissimus seipsum contuitus aiebat: *Ego vir videns paupertatem meam.* Thren. 3. Emphaticè se virum D nominat, qui scilicet propriam recognoscens, & expendens miseriam, non tamen animo cadat, sed adhuc virili constantia persistat. Tanta quippe hominis etiam Prophetæ, si propriam spectes infirmitatem. est miseria, & rerum omnium inopia, vt seriò considerata omnem animi constantiam deiiciat, ac veluti fœmineam desperationem subinferat. Iccirco Dauid sibi metuens Dominum affatur: *Domine non est exaltatum cor meum.* Psal. 130. Hoc est (declarat S. August.) non fui superbus, nolui quasi in mirabilibus innotescere hominibus: nec quæsiui aliquid supra vires meas, vnde me apud imperitos iactarem. hæc ille. Multis profectò, & magnis abundabat Dauid Diuinæ bonitatis gratiis; sed non proinde quicquam altiùs de se, E quàm de fragili, & peccatis obnoxio cogitabat. Est autem (inquit S. Aug.) ista exaltatio de abundantia gratiarum valde timenda, ne quis de dono Dei superbiat, sed magis seruet humilitatem, & faciat quod scriptum est: *Quantò magnus es, tantò humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiã.* Eccles. 3. sic August. Nequaquam igitur cogitationes Dauidis iactantia, & vana præsumptio in altum eleuarat: hominem ille abiectum, ac terrestrem se esse cognoscebat, nec monitore illo indigebat, qui superbum & amore sui cæcum arguit aliquãdo: *Quia tu es pauper, & miserabilis.* Apoc. 3.

Promissiones Dei interdum conditionales.

Iacob humilis & sibi timens.

Vera cognitio sui.

S. Bernardin.

Thren. 3.

Mira hominis infirmitas & miseria.

Psalm. 130.
S. August.

Humilitas in Dei gratiis.

S. August.

Eccles. 3.
Humilitas Dauid.

Apocal. 3.

Hinc

Superbi & humilis dispar studium.

S. Prosper.

Hinc etiam est, quod humilis vitia sibi adscribat, rectè autem facta Diuinæ gratiæ attribuat: contra verò superbus seipsum in virtutibus prædicet, in vitiis excuset. quam sententiam eleganter ita pronunciat S. Prosp. Superbi vitia sua à se alienando peruersitatem suæ voluntatis excusant, & bona sua suis viribus deputando semetipsos turpiter iactant: Humiles, si qua peccata commiserint, voluntariè confitendo semetipsos accusant, & omnia bona sua Diuino muneri deputandò Deum iugiter laudant. hæc ille, *lib. 3. de vit. contempl. cap. 3.*

B. Maria humilitatis magistra.

Lucæ 1.

Sed ô admirabilem humilitatis magistram, quæ cum sit vera Dei Mater, ancillam se profitetur: *Ecce ancilla Domini!* Luc. 1. Nunquam enim beatissima, & modestissima Virgo, etiam inter summos honores, à propria humanæ conditionis vilitate, ac suo ancillari officio auertens oculos decantabat: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Luc. 1. Hinc S. Bernardin. optimè scribit de admirabili Virginis humilitate in hunc modum: Habuit actualem & experimentalem sensum filiationis Dei intimè cogitando, & saporando quanti filij erat mater, & quantùm ei obligata erat; quia illam præ cæteris elegisset sibi matrem. Sicut meritò faceret quædam paupercula vilis, quam sibi potens Rex eligeret in coniugem, vel in matrem.

S. Bernard.

B. Maria suæ nihileitatis memor.

Semper habuit continuum aspectum ad Dei beneplacitum, promptúmque consensum semper gerebat in mente adimplere Diuina beneplacita. Affuit ei aspectus suæ propriæ nihileitatis, eò quod continuè habebat actualem relationem ad Diuinam maiestatem, & ad suam nihileitatem. hæc ille, *tom. 2. serm. 51. art. 3. cap. 2.*

SECTIO IX.

Si dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum.

1. POstulant hæc verba peculiarem sibi tractationem, in quibus non tam conditio, quàm petitio, & desiderium victus, & vestitus indicatur. Nimirum exoptat Iacobus, petitque à Deo, vt sibi ad vitam necessaria concedat: si enim huiusce voti fuerit compos, Deum speciali quodam ritu, per sacrificia, & decimarum solutionem venerabitur.

Moderata cupiditas bonorum temporalium.

Claudian.

Et quidem omni laude dignus vir iste fuit, qui tantam præ se tulit moderationem in cupiendo, & petendo bona temporalia, quorum insatiabili cupiditate mortalium genus inardescit: auri enim sacra fames. & de auaro cecinit egregiè Claudianus:

Non Tartessiacis illum satiaret arenis
Tempestas pretiosa Tagi: non stagna rubentis
Aurea Pactoli: totúmque exhauserit Hermum,
Ardebit maiore siti, &c.

Insatiabilis auarorum cupiditas.

Galen.

Tristitia ex immoderata cupiditate.

Scilicet hæc auarorum hydropsis perpetuò bibit, ac sitit: & quò plùs sunt potæ, plùs sitiuntur aquæ. Qui morbus omnis mœroris, curarúmque & solicitudinum causa est, vel Galeno ipso teste. qui ad hunc modum præscribit. Scito omnis tristitiæ, ac mœroris vnam eam esse caosam, quam modò insatiabilitatē nostri, modò auiditatem inexplebilem vocant ex eo, quòd cupiditates habeant homines, quæ neque satiari, neque expleri possint. Semper enim concupiscunt, qui præsentium rerum inexplebiles sunt. Proinde si duplum quidpiam habent, triplum illico student acquirere; si triplum, quadruplum appetere incipiunt. hæc ille, *lib. de dignoscendis, curandisq. animi morbis, c. 9. tit. de vitanda insatiabilitate.* Et quidem optimus corporum medicus medicinam quoque voluit adhibere animis ardore habendi exæstuantibus, vnde in corpora multæ, grauesque redundant calamitates, iuxta illud Apostoli: Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. 1. Timot. 6.

Immoderata cupiditas nocet animæ, & corpori.

1. Tim. 6.

Auarus sui carnifex.

Cupiditas est paupertas.

Galen.

Quibus miseris non animi solum, sed pariter etiā corpora exeduntur, vt auarus quisque sui ipsius carnifex quotidie experitur. Quinetiam ipsa inexplebilis cupiditas profectò miserrima quædam est paupertas: vt statim idem Galenus colligit. Quare nunquam tu (inquiens) sane omnibus ditior, sed propter immensas cupiditates semper futurus es pauper. Rectè igitur dictum, insatiabilitatem vitium esse animi pessimum. Fundamētum est enim quoddam omnium cupiditatum, pecuniæ, gloriæ, honorum, principatus, contentionis. Sic ille philosophatur potius, quàm medicatur. Rectè mala omnia corporis, & animæ, quæ à cupiditate inuehuntur, & auarus patitur, vno verbo complectitur Iudas Apostolus, cum auaros Balaami sectatores perstringens exclamat: Væ illis qui mercede Balaam effusi sunt! Iud. cap. 1. Videlicet vti aqua effunduntur: omnes enim, & corporis, & animæ vires miseri homines absumunt, cum de pecunia comparanda, de congerendis opibus, de amplificandis patrimoniis, dies, noctésque cogitando, negotiando, sudando, ac laborando insumunt.

Iud. 1.

Auaritia totum hominē consumit.

2. Præterea nihil non, etsi periculosum, audent; velut aquarum torrentes hybernis aucti pluuiis, ac niuibus ex altis præcipitant montibus: ad omnia siquidem pericula, & ruinas impellit hominem auaritia. *Radix* enim *omnium malorum est cupiditas.* 1. Timoth. 6. Omnium (inquit) malorum, tam corporis quàm animi, quæ auarus perfert, & aliis infert. Quis enim est aut latius se diffundens, aut truculentius dominans, ac premens hostis, quàm auarus? sicut torrens effunditur, quem ex alto præcipitem nulla cohibet vis, nulla repagula remorantur: inamabili quippe impetu ruit, & subiecta quæque subruit, aut saltem polluit. Communis gentium hostis, lues, ac pestis est auarus. Nonne (inquit S. Chrysost.) diuitiarum gratia rapimus? inimicitias subimus? contentiones eximus? Ad mortuos vsque impias quidam extendere manus, ad parentes, ad fratres. Tolle pecuniarium studium, & omnia mala sublata sunt: conquieuit bellum, cessauit pugna, hæreses, inimicitiæ. Quemadmodum furentes venti miscent maria, vel arena ipso è fundo excitata: ita cupidi omnia penitus miscent. Neminem cupidus amicum nouit: imò ne ipsum quidem scit Deum. hæc S. Chrysost. *homil. 17. in 1. ad Timoth.* Pulchrè ac verè dictum! Cupidus nec amicum habet, nec Deum nouit vllum præter pecuniam, quàm vnicè veneratur, ac diligit.

Auaritia malorū omnium radix.

1. Tim. 6.

Auarus hominū lab. ac pestis.

D. Chrysost.

Auarus Deū non nouit.

Auari Deus pecunia.

D. Ambros.

Auaritia impetus cohiberi nequit.

Quàm furiosus iste sit cupiditatis impetus, & quàm difficile aut sisti, aut cohiberi possit; in Iosue demonstratur, cuius victoriarum, ac triumphorum cursum vnius Chami auaritia, cum de anathemate rapuit, omnino retardauit, vt eleganter adnotauit S. Ambros. his verbis: Iosue, qui potuit solem sistere, ne procederet, auaritiam hominum non potuit sistere ne serperet. Ad vocem eius sol stetit, auaritia non stetit. Sole stante confecit triumphum, auaritia procedente pene amisit victoriam. *lib. 1. de offic. cap. 26.* Ac pulchrè quidem tam admirabilem hunc virum ipse, qui orbem totum circuit, & illustrat, sol est demiratus, neque illius voci obedire dedignatus cursum ad occasum inhibuit, vt qui generoso animo cupiditatem omnem superans, vrbes, oppida, & diuitias

tias totius terræ promissæ, & iam suo labore, industriáque debellatæ suis Hebræis diuidens, nihil tamen sibi reseruarit:

Iosue liber ab omni auaritia.

Theodor.

Docens (adnotauit Theod.) eos, qui in aliquo sunt magistri constituti, non suis commodis, sed vtilitati subditorum inseruire debere. sic ille, *q.17.in Iosue.*

Hebræi auaritia infames.

Accedit ad illustriorem Iosue laudem, quòd Hebræus natione, inter Hebræos tam præclaram moderationem, ac frugalitatem ostenderit: cum illi homines mira quadam bonorum temporalium cupiditate semper laborarint; vt non minùs verè, quàm lepidè scripserit Clem. Alex.

Cyrill. Alex.

Hebræi aurum per idololatriæ crimen adorarunt in vitulo. *lib.1.pædag.cap.10.*

Ignominia Christianis auaritia.

S.Saluian.

3. Sed quid ego auaritiam Hebræorum carpo, cum inter Christianos nullum communius malum sit, quàm bonorum terrestrium cupiditas? Quam infelicitatem deplorans S.Saluian. ita Christi Ecclesiam affatur: Maxima nunc filiorum tuorum portio mortiferarum rerum negotiatrix est, propolísque & cauponibus similis terrenis, imò tartareis, perituris simul atque perdentibus studet nundinis. sic ille. Heu nos miseros, qui à Christo edocti thesaurizare in cælo, de luto terræ effodiendo, ac deuorando in damnum animarum sempiternum studiosissimè curamus!

Summa infelicitas auarorum.

S.Saluian.

Lucro enim (adiungit) pecuniæ damnum vitæ emunt, vt acquirant quæ non sunt sua, prodigant quæ sunt sua: mandant terræ thesauros luctuosos, hæredibus breue gaudium, autoribus longum mœrorem allaturos: fraudantes vsu rerum præsentium, tam alios, quàm seipsos. hæc S. Saluian. *lib. ad Eccles. Cathol.* C Nimirum infelices, vt opes congerant, & condant, nec pauperes alunt, nec sibi ipsis suam de sua substantia famem depellunt. Quinimò totum genus hominum hac tabe infectum putrescit. Amphoram vidit Zachar. cui nomen erat Oculus vniuersæ terræ. *capit.5.*

Zachar. 5.

S.Gregor.

Optimè S.Gregor. *lib.14. moral. cap.26.* intelligit mensuram tritici, hoc est, rerum temporalium lucrum, in quod vnum omnium mortalium defixi, atque intenti oculi tenentur. Vniuersa (inquit) terra ad temporalia inhiat, &c.

Cupiditas commune hominum malum.

Dici etiam potest cupiditas, aut quæstus bonorum terrestrium oculus vniuersæ terræ, eo quod mortales nihil in terra, nisi oculo cupiditatis, & proprij quæstus respiciunt, quærunt, æstimant.

Cupiditatis tentatio validissima.

D Hoc tam prauum, ac miserum hominis ingenium probè agnoscens diabolus diuitiarum, & honorum cupiditate, velut fortissimo suorum omnium telo, sic fretus hominem adoritur, vt præ diuitiis, & honoribus Deum ab homine facilè contemnendum, ac negandum fore sibi persuadeat. Hoc enim consilio Christum Dominum, quem sciebat virum omni sanctitate præditum, & Filium Dei suspicabatur; nihilominus tentare ausus est promissione diuitiarum, & gloriæ huius mundi. *Hæc omnia* (inquit) *tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Matth.4.

Matth. 4.

ratus etiam hominem sanctum, ac Filium Dei, ambitione, & cupiditate superari posse, atque vt diues, & gloriosus in terra viuat, diabolo vti Deo suppliciter seruiturum. E Iccirco autem hanc tertio loco, & extremo tentationem iniecit, vti S.Chrys. his verbis subnotauit:

S.Chrysost.

Quasi omnibus vitiis fortiorem pecuniarum cupiditatem postremo loco posuit, extremum istud reseruans, quasi quod omnibus valentius esse iudicaret. Nihil enim sic diabolo subiici hominem facit, vt inhiare opibus, atque habendi amore superari. sic ille, *homil.13.in Matth.*

Magni æstimat diabolus animam hominis.

Non possum hîc non deplorare, quàm nihili suam homo faciat animam, cum illam tanti æstimet aduersarius. Omnia regna mundi, diuitias, & gloriam illorum pollicetur hostis in præmium vnius A peccati, quo animam hominis elueretur. Omnia regna mundi promittit. quodnam esse potest maius lucrum? & omnem gloriam. quæ plura ac maiora voluptatum, & deliciarum irritamenta? & nos quotidie pro vili quodam lucro, pro abiectis, ac diminutis gaudiis animas ipsi nostras exponimus, ac venditamus!

Nihili æstimat homo suã animam.

4. Ah discamus tandem, vel ab ipso aduersario, nos ipsos, nostrásque animas magnifacere! De Iobo, cuius iam opes euerterat, & filios peremerat, loquens aliquando cum Deo ipso diabolus adiecit: *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet, dabit homo pro anima sua.* Iob.2.

Iob 2.

ac si dicat: O Domine meipsum fefelli cum dixi: B *Nunquid Iob frustrà timet Deum? nonne tu vallasti eum ac domum eius? &c. sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* Iob.1.

Iob 1.

Dixi ergo propter bona temporalia Iobum Diuino esse obsequio, ac pietati alligatum: illísque nudatum, nec de Deo, nec de anima ampliùs curaturum: verumenimverò quis est homo, qui pellem & pellem non det pro anima sua, hoc est, qui opes, ac liberos ipsos non exponat, non sinat amitti, ac perire, vt animam seruet incolumem?

Omnibus præferenda anima.

Saltem ita ratio præscribit, & ipsemet faciendum iudico. O rem stupendam! Itane verò, vt diabolus animam hominis tanti æstimet, homo ipse nihili? vt mercator rei, quam emit, pretium exaggeret; venditor autem deprimat, & nihili faciat? scilicet (vt pulchrè animaduertit S.Saluian.) dilectissimam esse animam homini etiam diabolus C non negauit.

Diaboli iudicium de anima.

S.Saluian.

Et quia auertere omnino cunctos ab affectu animarum suarum nititur, idem tamen charissimas esse debere cunctis suas animas confitetur. sic ille, *lib.3.ad Eccles.* Conatur hostis modis omnibus persuadere hominibus, vti animas suas vili pretio vendant; vi tamen veritatis conuictus palam confitetur nihil hominibus pretiosius, & charius propria cuique anima esse debere. Quis igitur (proclamat idem Saluian.) furor est, viles à nobis animas nostras haberi, quas etiam diabolus putat esse pretiosas? Quis furor est viles à nobis haberi, quas etiam ille caras nobis debere esse dicit, qui viles facere conatur? sic ille.

Furor est vilem habere animam.

S.Saluian.

Planè si liceat dicere, plus anima diabolo, quàm D homini, cuius illa est, quodammodo debet. Etsi enim vterque miseram capitali odio persequatur, diabolus coëmens; homo autem vendens in æternam perditionem: ille tamen magni, iste vili æstimat: pro illa diabolus omnia regna mundi, & gloriam eius offert; homo illam etiam gratis offert.

Anima plus diabolo, quàm homini debet.

Animam diabolus & homo oderũt.

Itaque, vt vir sanctissimus rectè colligit, Quicunque animas suas negligunt, etiam infra iudicium diaboli se amant homines. hæc Saluian. explicans prædicta verba diaboli apud Iobum.

S Saluian.

Homo minus se amat quàm diabolus iudicat.

5. Non postulat à Deo diuitias, qui iam tunc in seipso virorum Christo militantium perfectissimam vitæ rationem delineabat. Enimuerò ei (monet S.Prosper) qui militat Deo, fugiendæ sunt ex toto corde diuitiæ; quas, qui habent, sine E labore non quærunt, sine difficultate non inueniunt, sine cura non seruant, sine noxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt. sic ille, *lib.1.de vit.cont.cap.13.*

Miseria diuitiarum.

S.Prosper.

Iccirco regius Vates periculosam istam habendi cupiditatem sibi valdè pertimescens precatur Dominum: *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiã.* Psal.118.

Psal. 118

Auaritia impetus & furor.

Et quidem omnis ille affectus, quoad sequendam, amplectendam, & exequendam Dei legem ducimur, haud dubiè ab ipso Deo est. quocirca optimè Dauid (vti subnotauit S.Hilar.) omnia ad manus Dei retulit, vt cor eius in testimonia inclinetur.

S.Hilar.

tur. sic Hilar. Cæterùm à nobis est affectus, quo A in terram inclinamur, quo mundi bona, terræque diuitias insatiabiliter appetimus, & venamur. Quare cum Propheta expostulat, ne inclinet Dominus ipsius cor in auaritiam, cum Deus prauis affectus, ac vitiosæ cupiditatis autor esse non possit, idem est, ac si dicat: O Domine, qui cordis mei ad auaritiam propensionem optimè habet perspectam, tene obsecro cor meum, ne insano quodam impetu in bonorum temporalium cupiditatem rapiatur, velut ex alto in profundum superposito ingenti quodam pondere præcipitatum. Detine, inhibe cor meum, ne corruat in auaritiam: nec enim satis est omnis humana vis, totiúsque voluntatis conatus. opus quidem est Diuinæ gratiæ præsidio, sine quo in barathrum auaritiæ B præceps cohiberi non potest cursus humani cordis. *Diuitiarum enim* (vt vocat Apostolus) *desideria nociua mergunt homines in interitum, & perditionem.* 1. Tim. 6. Intellige non solum virtutum, ac donorum gratiæ cælestis, sed etiam illius, quæ illorum omnium fundamentum est, Catholicæ fidei, cuius miseranda naufragia ob auaritiæ tempestatem sæpiùs deplorantur.

1. Tim. 6.
Naufragia ex auaritia.

Nec id mirum videri debet, cum Apostoli testimonio *Auaritia simulachrorum seruitus habeatur.* ad Coloss. 3. Quid ergo (colligit ibi S. Chrys.) auaritia deterius? hoc est, grauius eo, quod dicebam, nempe insania, & insipientia aduersus argentum. auaritia idolorum seruitus Videtis vbinam malum desinat. Peribunt, peribunt, qui Christum non aluerunt. hæc ille. C

ad Coloss. 3.
D. Chrysost.

Hæc tandem est vera illa ratio, ob quam auarus sua claudit viscera, & numos pariter; nec pauperum extrema conuellitur mendicitate: nimirum Christum in paupere mendicantem, ac lugentem contemnit, ac denique ideo contemnit, quia Deum, & Dominum nec reueretur, nec agnoscit, quippe cum idolis mentem, & omne suum studium manciparit.

Auarus Christum contemnit.
Auarus non nouit Deum.

6. At (inquit auarus) Christum Deum profiteor. Sed insanit miser. Nihil enim prodest (inquit ad eum locum S. Hier.) Deo nomine, & idolis operibus seruire, &c. Apostoli verba sæpiùs apud Augustinum seriò videas expendi, atque explicari: vnde *lib. 3. de baptism.* sic infit. Auaritiam idolorum seruituti comparat. Quem sensum B. Cy- D prian. sic exaggerauit *in Epistol. ad Amonianum*, vt eorum peccato, qui tempore persecutionis per libellos se thurificaturos professi erant, auaros comparare non dubitaret. hæc Aug. Eodem spiritu locutus Ezechiel auaritiam vocauit idololatriam: cum apposuit: *Auaritiam suam sequitur cor eorum.* LXX. legunt *idola*, alij *sordes*, alij *inquinamenta.* S. Hieron. *abominationes.* En qualis tua est auaritia, nolis velis, ô auare! hinc mirari desines, quid sit, cur Iacobus Apostolus ad propriæ infelicitatis lamentationem diuites, hoc est, diuitiarum mancipia, & idololatras inuitet: *Agite* (inquiens) *nunc diuites, plorate vlulantes in miseriis vestris, quæ aduenerunt vobis.* cap. 5. Sed quænam istæ sunt miseriæ, quibus diuites consepulti ad lamen- E tandum excitantur? Non alias noui, quàm opes ipsas, quibus mortalium corda insano quodam ardore inhiant comparandis.

D. Hieron.
S. August.
Auaritia dicitur idololatria.
S. Cyprian.
D. Hieron.
Iacob. 5.
Diuitum miseria.

Ad quem locum ita S. Saluian. *lib. 1. ad Eccles.* Et hoc (inquit) quò minùs ipsæ magis timendæ sint, propter solas tantummodo opes, propter insanam cupiditatem. Vt ostenderet scilicet sufficere hæc homini ad interitum, etsi reatus alij non fuissent. sic ille. Sola igitur prauitas auaræ, cupidæque voluntatis, qua occæcatus homo pecuniam diligit, & velut idola ipsas adorat opes, satis est ad sempiternum interitum animarum. A Malè igitur sibi auari homines de cœlesti patria, æternitatísque opibus, tanquam omnino alienis ominantes condunt (vt loquitur idem Saluian.) profundis specubus, infernas opes, simul pecuniam suam, ac spem suam confodientes, iuxta illud Domini: *Vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum.* Matth. 16. Inuidentes itaque saluti suæ, animásque proprias, quæ vocantur ad cælum, terrenis ponderibus in terram premunt. Mens enim thesaurizantis thesaurum suum sequitur, & quasi in naturam terrestris substantiæ demutatur. hæc Saluian. *lib. 1 ad Eccles.* Itaque auari huiusmodi cum toti euaserint terrei, cælum nesciunt, aut si nouerint, Deo, Angelis, sanctísque pro terra ipsa, lutóque libenter videntur illud renunciasse.

S. Saluian.
Summa miseria diuitiarum cupiditas.
Anima cum opibus conditur subtus terram.
S. Saluian.
Matth. 16.
Auari cælum aut nesciunt, aut nolunt.

B 7. Neque verò dicere omittam in verbis Apostoli, non modò hominis, sed etiam ipsarum opum significari naufragium: quippe cum istæ dum mergunt hominem in interitum, & perditionem, cum illo pariter ipsæ conuolutæ præcipitentur, ac demergantur: quod quidem in prodigo illo adolescente satis euidenter demonstratur. scribitur enim: *Congregatis omnibus profectus est.* Luc. 15. En vides iuuenem amplo, & pingui patrimonio ditatum, coaceruatísque opibus è paterna domo curáque in longinquam regionem abire, atque in omnem viuendi licentiam, libertatémque effusum breui tam sui ipsius, quàm suarum opum miserabile fecisse naufragium. *Consumpsit* enim (adiungitur) *omnem substantiam suam viuendo luxuriose.* C Quapropter interitum, quem in opibus videmus, eundem in moribus etiam adolescentuli deploramus: quin & magis vita, quam substantia perditus, & prodigus in cœno iacuit perditu vitiorum.

Diuitiarum cum more il us naufragium.
Luc. 15.
Prodigus opum, & morum.

Non damnamus opes, quæ malæ, ac vitiosæ non sunt; sed malum, ac vitiosum illarum vsum, vt subtiliter admodum insinuauit Propheta Sophon. cuius illa sunt: *Disperierunt omnes inuoluti argento.* cap. 1. Omnes (inquit) nec vnum excipit, adeò certa ex argento pernicies inuehitur, vt nec vnus liber euadat, si se inuoluat argento: nec de exitio futuro, alterius vitæ sermo tantùm est, sed etiam de præsenti; quod S. Hier. subindicauit. Simul (inquiens) considera, quod non dixerit: Peribunt, sed iam nunc ante- D quam eis veniat supplicij dies, veniat in eo quòd superbiant, & semper de thesauris suis cogitent, & seruiant eis, perierint, atque corruerint. Quod qui intellexerit, puto eum non satis cupere diuitias, in quibus non peribunt, sed perierunt, qui erecti sunt. sic ille, de superbia quoque intelligens iuxta LXX. qui vertunt *Disperierunt omnes qui erecti sunt argento.*

Non mala diuitia sed earum abusus.
Soph. 1.
Certa ex diuitiis pernicies.
D. Hieron.

Grauis est enim pecuniæ tyrannis; qua oppressi homines in prauos, ac turpes rapiuntur affectus; nunc enim inflantur in superbiam, nunc in fœdas emolliti voluptates eneruantur, ac nonnunquam in rabiem, & truculentiam, in paupereulos desæuiendo, efferantur; aut saltem perpetuis, & acerbis acquirendi, habendi, possidendi, custodiendi, augendíque solicitudinum, & curarum aculeis, dies, noctésque lanci- E nantur. Iccirco præmiserat Propheta: *Conticuit populus Chanaan.* Quod (ait S. Hier.) interpretatur commotio. Non enim potest dicere: Statuit supra petram pedes meos: sed incertus, & fluctuans semper in motu est. Vnde & Noë vir sanctus postquam euigilauit è somno, ex maledictione nomen imposuit Chanaan. *Genes.* 9. sic Hieron.

Grauis pecuniæ tyrannis.
Sophon. 1.
D. Hieron.
Auaritia semper inquieta.

8. Ad delicatulos etiam locus extenditur, qui student lenocinio; auróque, argento, & margaritis irradiant. Peribit enim (adiungit hoc loco S. Hieron.) iuxta hanc definitionem qui in fœmi-

Effœminatorum lenocinium.
D. Hieron.

neo

neo lãguore mollitus comam nutrit, vellit pilos, cutem polit, & ad speculũ comitur, quæ propriè passio, & insania fœminarum est. hæc ille. Obiter collige, ornandi, & comendi studium propriam esse passionem fœminarum nõ tam ab ipsa natura, quàm ab insania profectam: ea verò in viris si vnquam insit, nõ vsitata quædam, sed prodigiosa dementia iudicabitur.

Insania mulierum lenocinium

Emphaticè dicuntur inuoluti argento, quod S. Hieron. ad vanã, & futilem in opibus confidentiam refert.

D. Hieron. *Vana in diuitijs fiducia.*

Qui sibi (explicat) in diuitiis confidebant, & tantas habebant opes, vt se quasi inuolutos, & septos suis diuitiis æstimarent. ita S. Hier. Et quidem pulchrè; ad omnia siquidem subsidium, & præsidium habet diues in suis opibus; illis enim vndique tectus, & munitus omnium calamitatum in hac vita & incõmodorũ iacula, ictúsque eludit: quin etiam (quod maximè dolendum est) omnẽ humanæ iustitiæ vim, legémque respuit, ac ludificatur.

Diues armatur opibus.

Liberè viuit, impunè delinquit, quẽ diuitiæ liberant, ac muniunt. Cæterùm (quod ad præsens institutũ attinet potiùs) abusum diuitiarũ, ex quo damna omnia subsequuntur, eleganter appulsit Propheta, eum perire dixit inuolutos argẽto, haud obscurè significans malũ omne in eo videri, quod homines argento inuoluantur. Mysterium sic aperio.

Abusus diuitiarum nocet.

Instar pallij habet se pecunia, patrimoniũ, diuitiæ; sunt qui opibus vti pallio vtuntur; illis enim amiciuntur, ornãtur, teguntur, quin illæ vlla ratione, aut impediant, aut lædant possessorem, ac verè dominum, non autem seruum ipsarum. Tales Iob, Abrahã, permultíque alij in summa rerum abundantia sese exhibuerunt. Verùm siquis pannis, vti puerulus, ac fasciis, totus circunuoluitur, quasi constrictus tenebitur, sui planè impotens, nec manus nec pedes mouebit colligato, ac præpedito membrorum omnium vsu. Hoc igitur pacto adolescens ille perditus, illiúsque similes pecunia, & opibus inuoluti, quemadmodum ad omnem virtutis actum inhabiles redduntur, sic planè sui non cõpotes alieno arbitrio, motuíque subiecti quoquo versum rotantur: atque adeo in interitum, & perditionẽ impelluntur.

In abusu diuitiarum interitus. Lucæ 15.

Iccirco de prodigo illo dictum est: *Perierat, mortuus est.* Luc. 15. cum paterna substantia perditè vsus est. Ita etiam Christi Ecclesia per totum diffusa orbem, vbi argento inuoluta, opulentiis aucta, felixque redditibus est; multo minùs, quàm prioribus seculis, ad virtutum maximarum opera sese potuit expedire.

S. Saluian.

Quod S. Saluian. iam suo tempore ad annum Domini 480. ita Ecclesiam alloquens lamentatur: Nescio quomodo pugnante contra te ipsam tua felicitate, quantũ tibi auctum est populorum, tantum pene vitiorum: quantum tibi copiæ accessit, tantum disciplinæ recessit: & prosperitas venit quæstuum cum magno fœnore detrimentorum. sic ille, *lib. 1. ad Ecclesiã Catholicam.*

Ecclesia plus opibus, quàm iustis abũdat.

Itaque pinguissimis redditibus ditata est Ecclesia Christi; sed minùs virtutum, & sanctorum filiorum ornata diuitiis; fruitur quæstuum, ac redituũ, felicitate; grauatur tamen, & gemit sub fœnore detrimẽtorum. Laudabilis quidem, ac summè laudabilis Lusitanorum pietas, quæ mirum in modum sese explicat in templorũ, altarium, sacrorum vtẽsilium, totiúsque Ecclesiasticæ supellectilis ornatu pariter, & opulentia (vti Olisipone videmus, & admiramur) longè maxima.

Lusitanorum pietas in tẽplorũ ornatu.

Adhibenda cura ornãdis mentibus.

Sed vtinã talis, aut aliqualis saltem, cura, & studium in ornandis mentibus, in construendis Christianarum virtutum operibus, in moribus componendis, in meritorum ad gloriam lucris congerendis à nobis hodie collocaretur!

Ben. Fernand. in Genes. tom. 2.

9. Porrò autem, vt iam ex S. Chrysost. dicere cœpimus, admirabilem præ se tulit temperãtiam Iacob, cum tantummodo panem, & vestitum, ea nimirum, quæ ad vitam sustentandam habentur necessaria, expetiuit.

Mira Iacobi frugalitas.

Auum imitatus Salomon Dominum precabatur: *Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria.* Prouerb. 30. Ne scilicet (exponit S. Hieron.) vel copia, vel inopia transeuntium rerum in obliuionem decidat æternorum. sic Hieron.

Prouerb. 30. D. Hieron. *Abundantia & inopia hominis periculosa.*

In vtrouis enim extremo humanæ mẽtis periclitatur nauis, dum vel abundantia inflatus homo in superbiã euanescit, vel miserrima oppressus indigẽtia succũbit, & quæritandi victus, ac vestitus debita (vt videtur) sed tamen permolesta, & quodammodo tyrannica, solicitudine discruciatur. *Habẽtes ergo* (vti monet Apostolus) *alimẽta, & quibus tegamur, his contenti simus.* 1. Timoth. 6.

Mediocritate contenti simus 1. Timot. 6.

Vbi egregiè S. Hieron. excurrit in hunc modum: Nudi nati sumus, nudi etiam morituri: quicquid hîc inuenitur, hîc relinquetur. Non est nostrum, quod non semper nostrum est. Tanquam peregrini ergo sufficienti vsu contenti simus: illas diuitias acquiramus, quas nobiscũ ad cœlestem patriã ferre possimus. Habentes alimenta, &c. Sufficiẽtiam prius dixerat: quicquid his amplius est, diuitiis deputatur. hæc S. Hieron. Paulò ante præmiserat Apostolus; *Est autem quæstus magnus pietas cum sufficiẽtia, &c.*

1. Timot. 6. *Mediocritatẽ pietas comitatur.* D. Hieron.

Grande scilicet emolumentum homini dicit accedere ex pietate, siue cultu Dei, cum sufficientia, quæ non luxuriæ, sed naturæ est, inquit S. Hierõ. Certè pietatem cum sufficientia coniungi etiam Philosophi tradiderunt, quorum facilè princeps Plato ita philosophatur: In quocũmque hominũ cœtu, nec inopia, nec diuitiæ sunt, huic iustissimi mores aderũt. *dialog. 3. de legibus.* Quod quàm verum, & compertum sit, quotidie videmus.

Opificum pietas.

Viget enim Christiana pietas in ipsa plebe, intérque opifices, qui suo labore alimenta cõparant, sufficientiáque Apostolica contenti neque deliciis, neque diuitiis cõquirendis inhiant. Optimè sufficientia & cõmendatur, & expetitur ab Apostolo: vtrumque siquidem extremum abundantiæ, egestatísque valde periculosum est. Vtrum autẽ magis, fortè non euidenter cõstabit. Mille vitiorum genera ex opum abũdantia nascuntur, mille quoque ipsam egestatẽ consequuntur. Hoc vnum certè mihi est indubitatũ; propter miseram egestatem, ita periclitari pudicitiam fœminarum, vt multò plures expugnet inopia, quàm abundantia transuertat in lasciuiam.

Plures ob inopiã, quàm ob lasciuiam errant fœminæ.

Quod si hæc victus, & vestitus sufficiẽtia fœminis adesset, aut paucolæ, aut nullæ ad infame lucrum quærendũ exponerentur. Idem Philosophus, quod in mortalium cœtu laudarat, sibi euenire precabatur: Tantum (inquiens) mihi sit auri, quantum nec ferre nec ducere queat alius, nisi vir temperans. sic ille, *in Phædro.*

Plato.

Ex quibus optimè intulit S. Chrysost. Ne patiamur, qui ad spem vitæ immortalis Christũ sequimur pauperẽ, vinci nos ab Ethnicis philosophis, qui paucis contenti hilarem, & sine curis vitam traducebant. Hoc in nobis efficiat Theologia, quod in illis philosophia. hæc S. Chrysost. *tom. 3. homil. 79.*

D. Chrysost. *Frugalitas Christiani maior sit, quam philosophi.*

10. Ah pudeat cum homine Christiano æternitatis candidato veri Dei pietatẽ, spémque immortalium bonorum minoris efficacitatis esse, quàm popularis auræ, ac ridiculæ vanitatis choragium (cui miseri studebãt) in philosophis Diuina luce, fidéque carentibus! Ac nos quidem à Christo Domino instructi, quid aliud quotidie deprecamur, quàm *panem nostrum quotidianum?* Matth 6.

Matt. 6.

Chromat. Necessarium Christianus victum postulat.

hoc est, quotidianæ vitæ necessarium alimentũ. Quo in sensu ita Chromatius Aquileiæ Episcopus ad eadem Domini verba profatur: Nõ iubemur diuitias petere, aut affluentiam secularium rerum, sed panem quotidianum: quod Christianis fide viuentibus ad præsentem vitam solummodo necessarium est. Vius autem hominis, panis; aqua, & vestimentũ. hæc ille, *tom. 3. Biblioth. PP.* His quidem natura ipsa contenta est, licet humanæ cupiditatis expleri nequeat vorago. Optimè S. Hier. *lib. 1. contra Iouin.* Citò (inquit) expletur naturæ necessitas, siquidem frigus, & fames simplici vestitu, & cibo expleri potest. hæc ille. Sed eam quoque necessitatem sic vincere, vt quæ ad vitã necessaria sunt, vel renuncies citra vitæ periculum, vel saltem mortificationis cultello etiã circuncidas, vsque adeo Christianũ philosophum decet, vt in sola frugalitate, & sufficientia Pauli consistere, nec mirum, nec magnum Ethnico philosopho visum fuerit. Enimuerò Seneca *lib. 19. Epist. 111.* ad hunc modum scribit: Nõ est, quòd te nimis laudes, si contempseris aureos lectos. Quæ est enim virtus, superuacanea contemnere, præsertim hominem philosophum? Tunc te admirare, cum contempseris necessaria. Non magnam rem facis, quòd viuere sine apparatu regis possis: tunc te admirabor, si contempseris etiam sordidum panem, &c. sic ille, in nostram planè confusionem, qui Ethnicus homo paupertatem Euangelicam, & mortificationẽ Christianæ perfectionis solo naturæ lumine cognitam præscribit; quam nos ab ipso Dei Filio, & verbis, & exẽplis toties commẽdatam impudenter admodum refugimus.

Necessitas paruo contenta. — D. Hieron. — Senec. — *Superflua contemnere non multum est.* — *Magnum est etiam necessaria contemnere.* — *Mortificatio à Christo edocta.*

11. Illud subinde intenta mentis acie animaduertendum est, vt necessitati occurrentes ibidem consistamus, quin vlteriùs in emolumentũ supra necessitatem, cordis nostri affectum extendamus. Certum est enim periculum ab emolumẽto in auaritiam corruendi. Etenim in prædicto versu Psal. 118. *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam.* legunt alij: *In emolumentum.* S. Hilar *vtilitatem.* Primò quidem desideratur, & acquiritur pecunia ob vnam tantũmodo necessitatem subleuãdam, deinde cupiditas in necessitatis locum subrogata comparando lucro studet, demúmque per noua quæstuum incremẽta cupiditas exardescens, coaceruãdis vndequaque opibus incumbit; emergitque auaritia, radix omniũ malorum. Canit iampridem regius Vates ab huiusmodi cupiditatis insidiis admonens: *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Psal. 16. quasi dicat: Vigilate, cauti estote, dum augescit substantia, quæstusque accedunt, quicunque ad leuandam necessitatem solummodo illam comparatis. Insidiosa est pecunia, quæ si accrescit, & necessitatis modum excedit, de vtilitate, atque emolumento in auaritiam desinit, ac ipso statim momẽto dominium cordis occupans ad libidinem omnia disponit; nullum non attrahit vitium, nullam procul non abiicit virtutem: eóque interdum audaciæ prorumpit, vt ipsi quoque fidei bellum indicat: *quam* scilicet *quidam appetentes errauerunt à fide.* 1. Timoth. 6. Hinc bene colligit S. Chrysost. Tolle pecuniarum studiũ, & omnia mala sublata sunt: cessarunt hæreses, &c. *homil. 17. in 1. Timoth.* Quod quàm certum sit, regna hæreticorũ nostra ætate comprobant: in quibus procerum, ac principum auaritia, aut vti redditibus Ecclesiæ sese expleret, in hæresim barathrũ delapsa est, aut saltem vnum hodie obstat, vel maximum impedimentum, ne si abdicatis erroribus in Catholicæ veritatis lucem principes reuocentur, Ecclesiasticam substantiam, quam sacrilega tyrannide occuparunt, postliminio reddere cogãtur. Vocauit egregiè ille alius opes irritamenta malorum. 1. *metamorph.* Súntque hodie (quod deploramus) omniũ borealium hæresum, & errorum pabulum, ac fomentum. Cæterùm D. Hieron. locũ aliter interpretans subiungit: Recesserunt à fide promissorum Dei, dum præsentibus oblectantur. sic ille. Nimirum auari luto isti, ac cœno diuitiarum terrestrium affixi, vti affectum, sic spem pariter, & fortè fidem bonorum inuisibilium, ac cœlestiũ abiecerunt: oculos enim suos declinauerunt in terram, atque instar porcorum pasti siliquis, & sterquilinio volutati caput in cælum nunquam attollunt.

Ne à necessitate in lucrũ præcipitandum. — Psalm. 118. — *Auaritia per necessitatem intrusa.* — Psal. 16. — *Auaritia insidiose intrusa virtutes expellit omnes.* — *Auaritia fidei bellum indicit.* — 1. Timoth. 6. — S. Chrysost. — *Auaritia fons & fomes hæresum.* — Ouid. — D. Hieron. — *Auari luto immersi non curant de cælo.*

12. En qualis est radix omnium malorũ auaritia! quia (vt ibidem exponit idem Hieron.) est fons, & omnium criminum augmentum. Radix excisos semper densiùs reparat ramos: euellenda est ergo radix, ne rami superfluè excidantur. hæc ille. Itaque de auaritia nascuntur vitia, illius pabulo aluntur, & augentur. Effodienda est igitur pestilentissima radix, & omnino extirpãda vitiorum, quæ dũ viget ac viuit, quantumuis succidas stipitem, ramos amputes, frondes deiicias, semper in dies noua quadam malorum renascentium vbertate repullulabit. Nimirum (vt peregregiè loquitur S. Saluiã.) rabies cupiditatis, vitium totius generis humani est. *lib. 7. de prouid.* Eodẽ libro deplorantur sua illa ætate Christiani homines à sanctissimo Episcopo Diuitiis (sic ait) primi, & vitiis. Quam auaritiam malorum omniũ radicem sæpius perstringens, sententiarúmque falcibus identidẽ conuellens in ipsas pecuniæ thecas, & marsupia sic inuehitur *lib. 1. ad Ecclesiam Cathol.* Graues metallo aureo sacci, habentes quidem multum ponderis, sed plus tamen iniquitatis. hæc ille. Profectò non sic primæui Christiani, non sic: quos non habendi ardor, sed virtutũ amor, spésque cœlestium bonorum solicitabat! Hanc in Ecclesia iacturam sic idem Episcopus Massil. *eodem 1 lib.* lamentatur: Abiit egregia, ac superemineñs primitiuæ plebis beatitudo, qua omnes Christum agnoscentes, caducas rerum mundialium facultates in sempiternas cœlestiũ possessionum opes conferebant, multantes se vsu præsẽtium, præclaram spem futurorum immortales diuitias præsenti paupertatis ambitu ementes. hæc S. Saluian. Istam aureæ illius ætatis Euãgelicam in paupertate perfectionem religiosi hodie profitemur, atque vtinam obseruemus!

D. Hieron. — *Radix vitiorũ auaritia.* — S. Saluian. — *Auaritia generis humani vitium.* — *Diuitiæ & vitia simul.* — S. Saluian. — *Primæui Christiani ab auaritia alieni.* — S. Saluian. — *Euangelica paupertas in religiosis.*

13. *Et vestimentum, &c.*) LXX. vertunt ἱμάτιον. Est autẽ (vt explicat Procop. ad hunc locum) *vestis*, qua ornamenti gratia vtimur, ea supra tunicã velati. sic ille. Lusitanè (*cappa*) & quidem percõmodè iuuenis iste palliũ, quo decenter ornetur, exoptat, vt quod viri tam maturi, & grauis ornamentum esse soleat: nec plura castus, & parcus adolescens vestium cupit, & postulat à Deo lenocinia; non minori circa vestitum, quàm circa victum moderatione, ac temperantia laudandus; adiungit enim (*ad induendum*) quasi dicat: Pallium mihi Deus concedat, non tam ad ornatum, quàm ad corporis tegumentum: non ambio luxum in vestitu, sed leuandæ necessitatis percommodum ac solitum operimentum. Iustorum ea solet esse prudẽtia cum parcimonia coniuncta, vt necessaria velint, iísque, vbi suppetunt, contenti superflua, quibus iam voluptas, & luxus aluntur, ac fouentur, procul reiiciãt. Sic Elisæus (vt S. Petr. Damian. subnotauit) pecuniã non admittit Naamani,

Procopius. — *Moderatio in vestitu.*

ni, & panes à viro quodam de Baalsalisa accepit: A scilicet accepit necessaria, quibus indigebat. Reiecit superflua, scilicet pecuniam. *Apolog. de contempl. cap.* 18. Egregiè quidem cōniungit panē & pallium, vt modestia in vestitu, temperantiam in victu comitetur pariter, atque honoret: alioqui risum præbebit paupertas, & rigor vestis in edaci corpore, ac bibaci, qualis ille, sese videndum, aut subsannandū potiùs exhibebat, de quo S. Paulin. ita scribit: Hominē minimè monachali caliga, & veste miratus sum, cū præterea facie ruberet, parū spiritualibus buccis. *Epistol.* 13. Præclara sanè laus in adolescente, vti panem, ac pallium ad solam vitæ necessitatem vtcunque subleuandam cupiat, & perquirat, in ea videlicet ætate, in qua vitia ignescunt fomite intemperantiæ, ac lenocinij ventilabro succensa: quibus omnis pene ad virtutem, & æternam salutem aditus adolescenti (si naturæ vires expendas) intercluditur. At sunt in cœlesti patria boreales portæ, vt legimus *Apocal.* 21. Ab aquilone portæ tres, quarum mysterium ita subtiliter, veréque Euseb. Emiss. euoluit: Portas aquilonis, per quas intrant adolescentes hora tertia angustas, & difficiles esse dicimus, quia multa impedimenta illis fiunt, qui per eas intrare debent. Sed quid mirum, cum ad aquilonem sedē suam diabolus posuerit, & ab aquilone pandatur omne malum. Miseri enim adolescentes, qui aquilonis flatibus rigescunt; miseri, quos diabolus perflat, & ventilat. hæc ille, *homil. in Septuages.* Sed quid aquilo cum adolescentia, C frigus, rigor, gelu, cum illa ætate, quæ libidinum flammis exardescit? nimirum vbi ardor vitiorū, vbi glacies, & frigus ad omnia virtutum opera; ibi frigescit charitas in Deum, & quæ ab illa nascitur corporis, animæque honestas, ac pudor. Hæc summa est in adolescētia difficultas ad virtutem, & animæ salutem; sed quia portæ sunt in cælo ad aquilonem, haud dubiè subintrabunt aliqui. Cæterùm (vt statim adiungit) beati, qui hanc ætatem sine naufragio transire potuerunt, qui sic in adolescentia vixerunt, vt inde in senectute non erubescant. sic Euseb.

Temperantia in victu cum modestia in vestitu.
S. Paulinus.
In adolescente vitia ignescunt.
Euseb. Emiss.
Periclitatur adolescentia.
Summa difficultas in adolescentia ad virtutem.
Euseb. Emiss.
Felix, qui de adolescentia senex non erubescit.

14. Sunt quidem non pauci, Diuina tamen gratia suffulti, qui per adolescentiæ flammas illæsi ad senectutem vsque sancti, pij que incedunt. D Nā (vt benè scribit S. Gregor. Nyssen.) multi adolescentes in simplici temperantia consenuerunt, rationéque senectutem præripuerunt, & moribus tēporis cursum anteuerterunt. sic ille, *li. de Virgi. cap.* 24. Significari hos ipsos arbitror, atque ad viuum depingi à Daniele, sociisque adolescentibus, qui media inter flammas æstuantis Babylonicæ fornacis voà cum Filio Dei, velut inter flores, illæsi, roréque madentes, Diuinas laudes cōcinebant. Mater profectò semper fuit omnium virtutum, & castitatis maximè tēperantia: sine Baccho enim, & Cerere friget venus, vt prisci dictitabant. Legimus Eliam in domo viduæ E aliquandiu commoratum. Quis non timeat viro, ac fœminæ periculum, de mutuo visu, de auditu, de occursu, de colloquio? Sed in tuto res est, vbi nihil ad victum suppetit. Qualis illic (animaduertit S. Cyprian.) fuit communitatis effecta, vbi non erat victus? Et qualem ad viduam habuit Elias introitum, cui fames dedit hospitium? *lib. de singul. cleric.* Quia scilicet non erat quid vir & mulier ederent, nec consequēter erat quid timerent. Ieiunio, ac fame alitur continentia. At ne quis etiam ieiunio fretus in fœmineū contubernium audeat irrumpere, sciat Eliam sā ctum fame ipsa communitum non ad viduam

Adolescentes moribus senes.
S. Greg. Nyss.
Adolescentes in fornace illæsi.
Temperantia virtutum mater.
Ieiunio alitur continentia.
S. Cyprian.

Ben. Fernand. in Genes. tom. 2.

A pauperculam, cui nec panis aderat, nisi Diuino actum imperio diuertisse, quod obseruauit S. Cyprian. hæc adiungens: Elias iussus est à Domino relinquere solitudinem, & ingredi tabernaculū viduæ. Pro imperio Domini laborauit, vt in domo maneret, cui solitudo solatium præstabat, & requiem. ità S. Cyprian. Quòd si præcepto Domini periculum, vel maximum adeas, non est quod timeas: in manibus ille portabit te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Contrà verò si sponte, ac temere in discrimen te adducas, time ne pereas in periculo, quod amasti. Vestimentum Iacob desiderat ad induendum, quo in religiosis familiis tantùm contenti, præter alia, hoc etiam in nostra felicitate computamus, quòd B vestium tædia (vt vocat Tertull. *lib.* 1. *ad vxorem, cap.* 3.) non requirimus; sed non ideò putandum est in humiliore vestitu religiosam virtutem omnem contineri. Meritò enim carpit S. Prosp. eos, qui religiosè quidem vestiunt, sed profanè viuunt: Illos dico (ait) qui velut conuersi ex pristinis moribus nihil abiiciunt, non mente mutati, sed veste: nec actu, sed habitu: hi sunt, qui sermone tantùm, non opere, seculo renunciasse cōtēti seculariter viuunt; & vitia sua inani professione vitæ melioris abscondunt, ac religionis imaginariæ nomine palliati opinionem virtutis pro virtute suscipiunt. hæc S. Prosp. *lib.* 2. *de vit. cont. cap.* 4. Ridicula sanè, ac misera istorum religio, qui nuditatem inuerecundam peccatoris C Adami foliis paradisi malè tegere conātur. Vita, non vestis; actus, non habitus religiosum efficit, ac virtutem demonstrat.

S. Cyprian.
Elias castus in domo viduæ.
Obedientia liberat inter pericula.
Sponte non adeundum periculū animæ.
Tertull.
S. Prosper.
Habitus religiosus & vita profana.
Vita religiosum efficit.

15. Vestimenti nomen, quod hîc vsurpat Iacob, illud ipsum est, quo vestis illa Domini IESV, cuius ad solum contactum passim edebantur miracula, nuncupari legitur in Euangelio, vti hoc loco subindicant Procop. *ἱμάτιον* (inquit) est *vestis*, &c. Qua propter mulier illa, quæ attigerat fimbriam vestimenti Saluatoris sanata est: erat enim peculiaris quædam virtus in ipsa, nimirum ob eandem causam inter se contendebant milites, singuli cupientes ea diuisa habere partem, quasi vtilis foret, non ad induendum, sed D quia vis quædā medicata in ipsa esset. hæc Procop. Scribitur historia illius mulieris, Matth. 9. *Mulier* scilicet *quæ sanguinis fluxum patiebatur annis duodecim, accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimēti eius, & salua facta est mulier ex illa hora.* En habet Iacob vestimentum. quod expetebat, nō quo se indueret, sed quo Dei Filius regnans in domo Iacob sanctissimum suū corpus velaret, & cuius attactu filij Iacob sanarentur à languoribus suis: *Omnis* enim *turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Luc. 6. Sola igitur fimbria vestimenti Dominici ab ægrotis, cum fide, spéque manibus apprehensa omnem omnino depellebat languorem. Habuit enim (subnotauit ad eundem locum S. Remig.) Dominus fimbriā E iuxta legis præceptum. Pharisæi enim fimbrias habebant, quas magnificabant, in quibus etiam spinas appendebant; sed fimbriæ Domini, non habebant vulnerare, sed sanare. hæc S. Remig. Perniciosum sane genus hominū istud Pharisæorum, in quibus etiam extrema vestis ora pungebat, & sauciabat. Hanc in veste Dominica virtutem vocat Procopius medicatam, vel quòd in ipsamet veste residentem ad medicandum. Diuina virtute vestem etiam ad miraculosos effectus eleuante, vim intelligeret: vel quòd Diuina virtus Christi in suæ vestis honorem, vellet ita mirabiliter operari. Vtrumque videtur complecti

Procopius.
Vestis Christi miraculorum operatrix.
Matt. 9.
Lucæ 6.
Qualis fimbria in veste Domini.
S. Remig.
Perniciosi Pharisæi.

S. Hilar. S. Hilar. hoc pacto disserens: In quo magna vir- A
tutis dominicæ admiratio est; cum potestas intra
corpus manens rebus caducis efficaciã adderet
sanitatis, & vsque in vestium fimbrias operatio
Virtus ad miracula in corpore, ac veste Christi. Diuina procederet. Non enim comprehensibilis
erat Deus, vt corpore clauderetur. Assumptio
namque corporis non naturam virtutis inclusit,
sed ad redemptionem nostram fragilitatem cor-
poris virtus assumpsit. hæc Hilar. Scilicet sol iu-
stitiæ nube carnis inclusus latere nequit, sed sua-
rum virtutum splendores circunquaque diffun-
dit, nec est quicquam ad illum pertinẽs, & acce-
dens, quod lucem, & calorem eius, non in seipsa
Procopius. sentiat, & à se foras emittat. Huius etiam admi-
randæ virtutis, atque (vt loquitur Procop.) vis
medicatæ illustrissimum documẽtum pariter, ac B
B. Maria Zona miraculorum operatrix. monumentũ in sanctissimæ Virginis Matris suæ
Zona Deus ipse voluit per augustissima rerum
prodigia comprobari. Nec enim Cõstantinopoli
quicquã aliud magis percelebrarũt priora secu-
la, quam Virginis Deiparæ Zonã, seu fasciam pe-
ctoralem, in cuius honorẽ templum est incredi-
bili magnificẽtia, & pietate fidelium extructum.
Sanctissimam igitur, ac summè venerandã Ma-
tris Dei Zonam illo suo in templo sic affatur S.
S. Germ. Germanus Archiep. Const. O Zona, quæ iis, qui
ad te confugiunt, das lumborum quidem morti-
ficationem ad vitia, animi autem fortitudinẽ ad
virtutum operationem. O Zona, quæ sanctissi-
mum illud corpus constringebat, & Deum, qui
in vtero colebatur continebat; quæ sæpe hume- C
ctabatur ex guttis lactis intemeratæ Virginis.
hæc ille, *in adorat. Zonæ Virg.*

Procopius. 16. Optimè idem Procop. vestimentum, quod
Iacobus desiderabat duplici sensu interpretatur,
Vt indueret (inquiens) Christum Iesum, & visce-
ra miserationum. Vestimẽtum, quod tunicæ in-
ducitur, erat Dei lux, qua vndique Iacob munie-
Dei auxiliũ vestis ac munis. batur, & amiciebatur. sic ille. Itaque cum ad ex-
teras gentes, alio sub sole positas, vbi plura, &
grauiora occurrent pericula, prius adolescens
Eucharistia typus. abeat, Diuino se cupit auxilio muniri, & quo-
dammodo circunuestiri. Panem subinde à Deo
postulans, haud dubiè Diuino afflatus spiritu
Christum ipsum in Sacramẽto altaris, panem de
cælo verum, panem vitæ, mortis antidotum, im- D
mortalitatis vinculum, spem, pignúsque æterni-
Rupertus tatis, atque adeo ipsam Dei gloriam expetebat.
Precemur igitur (monet ad hunc locum Rupert.)
à Patre panem vitæ æternæ, de quo dixit: *Et pa-*
Ioann. 6. *nis, quẽ ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Ioa. 6.
sic ille. Nudo quidem solo, licet cœlitus irrorato
manna illud exceptum petebatur à populo He-
bræorum: at panis vitæ, quem illud cæli donum
significabat, in purissima, & pulcherrima positus
mẽsa fidelibus ad esum, & delicias, & immorta-
B. Maria panis vitæ mensa. litatem proponitur. Nimirum Virgo Mater (vt
loquitur Georg. Archiep. Nicom.) mensa est, quæ
S. Georg. portat vitam, in qua vitæ nostræ panis propositus
ambrosia pauit eos, qui illius fuerunt participes.
B. Maria lactans infantem Iesum sic ille, *de præsent. Virg.* Etenimuero, quid aliud Vir- E
go Mater, dum infantulum suum in vlnis ad vbe-
ra pendentem gestat, videntibus, & admiranti-
bus esse videtur, quàm mensa vitæ, ad quã acce-
dimus, ob primæuæ matris maledictionem dam-
nati, reique mortis, æternam vitam edituri? Aue
ô Domina gratia plena, ornamentum, & moni-
mentum generis humani! benedictus est fructus
Virginei ventris tui. Scilicet (vt animaduertit
Andr. Cret. Andreas Cretensis) fructus, ex quo vitalis panis
Dominici Corporis, & salutare immortalitatis
poculum conficitur. sic ille, *de Annunciat. Virg.* Est

A quidem Diuina Eucharistia fructus Virginei vẽ- *Eucharistia ventris Virginei fructus.*
tris. At quis iste panis? nempe Christus est panis
(ait S. Petr. Chrysol.) qui satus in Virgine, ferme- S. Pet. Chrys.
tatus in carne, in passione confectus, in fornace
coctus sepulchri, in Ecclesiis conditus, illatus al-
taribus, cœlestem cibum fidelibus quotidie sub- *Christus fidelium panis.*
ministrat. hæc ille, *serm. 67.* Virginis ergo Matris
illa vox est: *Venite, comedite panem meum, & bibite*
vinum, quod miscui vobis Prouerb. 9. At erunt, qui Prouerb. 9.
ad Virginis clamorem surdi, aut non surdi qui- *B. Maria inuitat ad Eucharistiam.*
dem, sed audiendo impudentes non accurrant,
non accumbant cœlesti mensæ; non benedictũ
fructum Virginei ventris legant, degustent; non
panem vitæ ab ipsius Deiparæ manibus edẽdum
accipiant.

B 17. Ah timeant, ne dum panem vitæ in vita
respuunt, vitam scandali, atque interitus in mor-
te inueniant; quod Iudęi satis suo malo experti
sunt. Quam in sententiam pulchrè S. Petr. Chry- S. Pet. Chrys.
sol. ad illa verba Domini: *Quis ex vobis patrẽ pe-*
tit panem, nunquid lapidem dabit illi? Luc. 11. hoc Lucæ 11.
modo disserit: Christus venerat panis de cęlo, *Iudæis Christus petra scandali.*
sed Iudæis est conuersus in lapidem offensionis,
& petram scandali. *Ecce pono in Sion lapidẽ.* Isaiæ Isaiæ 28.
28. Quare petram? quia mordere petram, non
panem quærere gestiebant. *Circumdederunt me ca-*
nes multi. Psal. 21. posteaquàm illi ex hominibus Psalm. 21.
in canes probantur esse conuersi, cœlestis illis
conuersus est panis in petram non dantis vitio,
sed accipientis nequitia. hæc ille. *serm* 55. O iu- *Homines in canes vitio conuersi.*
C stam Dei vindictam! sunt qui humanam exuunt
nobilitatem, atque in bestias ex hominibus pec-
cando se conuertunt: fœda inuerecundia canes,
qui homines, ratione, ac pudore prorsus esse de- *Contra sacrilege communicantes.*
sierunt. Quid mirum igitur si his canibus nõ pa-
nis vitæ atque immortalitatis datur, sed lapis
porrigitur, ac Diuinæ iustitiæ duritiea, rigórque
inicitur? Atque vniuersim timendum illud est
Apostoli: *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium*
sibi manducat, & bibit, non dijudicãs corpus Domini;
1. Corinth. 11. Sed ô admirabilem iuxtà, & ama- 1. Cor. 11.
bilem Dei beneficentiam: Panem petit Iacob. pa-
nes perenni quodam beneficio Deus concedit; in
cuius rei mysteriũ iubet: *Pones super mensam pa-*
nes propositionis in cõspectu meo semper. Exod. 25. Ar- Exod. 25.
D canum his verbis detegit Origen. In duodecim Origen.
panibus duodecim tribuum Israel videtur com- *Panum propositionis mysterium.*
memoratio ante Dominum fieri, & præceptum
dari; vt sine cessatione isti duodecim panes in
conspectu Domini proponantur: vt & memoria
duodecim tribuum apud eum semper habeatur,
quo veluti exoratio quædam, & supplicatio per
hæc pro singulis fieri videatur. hæc Origen. *homil.*
13. in Leuit. Itaque panes isti iugiter positi ante
Dominum testabãtur in primis Domini benefi-
centiam; simúlque veracitatem Diuinarũ pro- *Hebræi curæ sunt Deo.*
missionum; quod nimirum palã fieret omnibus
quantæ curæ Deo essent filij Iacob, quos recenti,
ac pulchro pane indeficiẽter Deus ille pasceret,
à quo illorum pater tam multis antè seculis pa-
E nem efflagitauit. Quid quòd semper panes ade-
rant in conspectu Domini, etiam cum gens illa
derelinquens Deum factorem, & benefactorem
suum nefandis idolorũ ritibus pollueretur? En ô *Deus erga ingratos magnificus.*
misericordissime Domine pane tuo iugiter alis
proditores tuos! Mensam illis proponis, qui tibi
lapides in faciem eiaculantur! Certant mutuò
Dei misericordia, & ingrati hominis impietas;
quod aliquãdo expertus sic admiratur S. Aug Ego D. August.
te offendebã, & tu me defendebas. Ego te nõ ti-
mebã, & tu me custodiebas; à te recedebã, & ini-
mico meo me exhibebam, tu ipsum, ne me acci-
peres,

Magnificus Deus de seruo ingrato triumphat.

petet, deterrebas. hæc S. August *in soliloq.* O barbara hominis ingratitudo, sed ô immensa Dei misericordia! triumphum tameo agit de seruo Dominus, de ingratissimo beneficentissimus.

18. Instat obnixè ignis durum, humidúmque stipitem voracibus flammis in se cõuertere. Moræ vallique impatiẽs fluuius oppositos aggerum obices violentissimè disrumpit, vt tellurem suis aquis irriget, & oblimet. Manus nostrę impuritatibus scatẽt; at *manus tua*, Domine, *tornatiles, plenæ hyacinthis.* Cant. 5. vel (vt legũt alij) *orbes aurei*; atque vt clariùs explicemus, Domini manus, non cœlestes quidem sunt, sed ipsum cælum, in quo Ioannes vidit ipsas stellas effulgere: *Et habebat in dextera sua septẽ stellas.* Apocal. 1. *Tornatiles manus*, quæ perpetuos in orbes, gyrósque euolutæ, margaritas, imò thesauros dimittunt; atque, vti cælum, admirabili velocitate ad benefaciendum rapiuntur, videlicet ingratis proditoribus, atque in acie cõtrà deprælianribus. Cæterùm iccirco benignus ille Deus est. Enimuero (vti definit S. Basil.) benignitas est, qua quis aliis benefacit, quacũque ratione eo indigeant; nec titulum, aut rationem, aut meritum considerat. Et hæc significatio propriè Deo conuenit. sic ille, *in reg. breu. resp.* 214. *Solem quippe suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.* Matth 5. Obitet etiam ad emolliendum erga pauperes auarorũ præcordia illud expende cũ D. August. *Qui facit* (inquit) *Solem oriri*, addidit *suum*, id est, quem ipse fecit, vt hinc admonetemur quãta liberalitate ex præceptu eius præstare debemus, quod non creamus, sed ex muneribus eius accipimus, *ex cat. S. Thom.* En quid habes, ô auare, quod non accepisti? Cur te igitur non pudet à Domino tuo quicquid habes accipere; at ex amore, præceptóque Domini ipsum ex donis ipsius, in pauperibus paruo contentis, nolle vel ad horã fouere, ac recreare? *Honora Dominum de tua substantia*, legimus Prouer. 3. Vbi eleganter expendit S Saluian. illud (*de tua*) hisce verbis: Cum vtique totum suum sit. quod ab eo accepimus, nostrum esse dicit, vt demus: ideo scilicet nostrum appellans proprietate possessionis, vt maior sit merces operantis, quia plus fructuũ necesse est largiter habeat, vbi de suo videtur esse largitio. hæc ille, *lib. 1. ad Eccles. Cathol.* Ergo bonus Dominus suam substantiam vocat nostram, vt nos beneficos reddat, nostrámq; eleemosynam gratuitæ liberalitatis titulo gloriosam honoret. Sed quia nec honoris ambitione auarus commouetur, addit: Redde debitum tuum. Hoc est dicere (adiungit idem Saluian.) Si deuotus es, da quasi tuum: si indeuotus, redde quasi non tuũ. Bene itaque posuit & dandi voluntatem; & soluendi necessitatem. Hoc est vtique dicere omni homini: Ad opus sanctum, & hortatione inuitatis, & exactione constringeris. Da, si vis: redde, si non vis. hæc Saluian. Quàm prudenter sibi consulit, qui mauult gratis cum honore, ac præmio suum elargiri, quàm vi, & coactè vt pœnã effugiat, alienum exoluere!

Domini manus diuites & magnifica. Cantic. 5.

Apoc. 1.

Ingratis Deus bene facit. S. Basil. *Benignus gratis bene facit.*

Matth. 5.

S. August.

D. Thom. *Deus de suo eleemosynã præscribit.*

Prouerb. 3. S. Saluian.

Debitũ reddimus Deo in paupere. S. Saluian.

19. Porrò autem mihi persuasum habeo, cum Iacob panẽ postulet, & panes semper duraturos accipiat grato erga Dominũ animo multiplicatam vsque adeo annonam promeruisse: gratus enim & acceptam gratiam secutus conseruat, & vberiorem subinde aliam demeretur. E cõtrario autem (vt bene scribit S. Ambros.) gratiarũ cessat decursus, vbi recursus non fuerit: nec modò nihil augetur ingrato, sed & quod accidit vertitur ei in

Grate accrescunt dona Dei. S. Ambros.

A perniciem. hæc S. Ambros *serm. in c ieiun.* Gladiũ vtique, quo sese tueatur, atque hostẽ cædat, quis accipit: verùm quia iners, atque imperitus est, suo ille se perimit gladio. Sic planè habent Dei beneficia, quæ à Deo in nostrum bonum concessa, ob nostram ingratitudinem nobis in interitum conuertuntur. Fitque sæpius, Diuina prouidentia sic disponente (quod S. Hieron. animaduertit) vt sẽtiat per tormenta quæ non sensit per beneficia. hæc S. Hier. *in 1. Malach.* Quin etiam illud certum est, quo maiora quis accipit beneficia, si fortè ingratus erit, grauioribus mi ictum suppliciis fore addicendum. Quo de argumento cũ plurima dici possent, tum vel maximè ac sapientissimè isthæc dicuntur à S. August. Ingratus extitit, qui B plenus virtutibus Deum non omnino timuit: in hoc enim quisque peccator fit culpabilior, quò est Deo acceptior. Ideo enim Adã plus peccauit, quia omni bono abundauit. hæc S. August. *lib. de pœnit.* & habentur, *de pœn. d. 5. cap. Consideret, §. Ingratus.* In hanc sententiam facit in primis, quòd Moyses Hebræis indicens legem Domini, cælos, terrásque diuinorum beneficiorum testes compellauit, eosdémque postea Isaias ad suppliciorũ contestationem vocauit, sic exorsus: *Audi cælum, & auribus percipe terra, &c.* Isai. ca. 1. vbi sic S. Hierõ. Quia per Moysem testes vocauerat Dominus cælũ, & terram, dans populo Israel legem suam, & dixerat: *Attende cælum, quæ loquar, audiat terra verba oris mei.* Deuter 32. Post præuaricationem C populi eosdem rursus in testimonium vocat; vt cuncta elementa cognoscant, iuste Dominum in vltionem mandatorum suorum ad iracundiam concitatum. hæc S. Hieron. Mirati quidem sunt cæli, ac terra, tã miris a Deo beneficiis homines cumulari: spectarunt deinde ingratorum hominum impietatem, ac dementiam; spectent igitur oportet, atque admirentur multitudinem, & magnitudinem suppliciorũ, quibus humana temeritas, & ingratitudo vindicabitur. Vel etiã testabitur cælum, quàm largis, perennibus, & opportunis terram suis influxibus fouerit: hæc verò quãta cum vbertate fructuum cælestibus respõderit beneficiis, & agricolarum spes, votáque expleuerit. Nimirum, vt pudeat hominem pluribus, ac D sublimioribus à Deo muneribus perenniter affectum, nihilo tamẽ minùs ingratum, atque impium Creatori suo se præbuisse. Iccirco tota cæli, ac terræ machina contra ingratum hominem à Deo sæpiùs armatur, vt ibi pœnas luat ingratus, vbi Dei beneficiis perperã vsus est. Quod S. Saluian. Romani, & Christiani orbis stragem suo tempore inuectam à barbaris deplorans, ad hunc modum explicauit: Indigni cælestibus donis sumus, qui beneficiis Dei non bene vtimur; qui facimus rem operum bonorum materiem tantùm esse vitiorum. Quo fit vt pax contra nos sit, quia sic agitur à nobis, ne expediat rem recipere, qua deteriores sumus; mutamus naturam iniquitati- E bus nostris: & quæ Deus bona facit munere pietatis suæ, ea nos nobis facimus mala esse moribus malis. hæc ille, *lib. 6. de prouid.* Cũ igitur nos beneficia Dei (nostro vitio) deteriores faciant, quid mirum si supplicia inferantur, vt moderatiùs viuamus? Colligit ergo: Sed videlicet: quia corrumpimur rebus prosperis, corrigimur aduersis: & quos intemperantes pax longa fecit, turbatio facit esse moderatos. ita Saluian.

Ingrato perit quod accepit.

Dei dona ingrato sunt in interitum.

D. Hieron.

S. August. *Quò plura quis bona accepit ingratus, plura exoluet supplicia.*

Isaiæ 1. D. Hieron.

Deuter. 32.

Ingratos totus orbis accusat.

Totus contra ingratis orbis armatur.

S. Saluian. *Imperij Romani strages ob ingratitudinem.*

Beneficia Dei conuertimus in malum.

S. Saluian. *Debita supplicia ingratis.*

SECTIO X.

Reuersusq; fuero prosperè ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste, quē erexi in titulum, vocabitur domus Dei cunctorumq; quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.

1. REuersusq; fuero prosperè, &c.) Hæc est vltima pars materiæ, in qua votum Iacob fundatur: Si Deus (inquit) ita meis optatis respōdeat, ita me beatum, felicémque reddat, vt secundis rerū successibus lætus, ac felix ad patrios lares reuertar, patrésque mihi charissimos saluus, & incolumis reuisam. Non intelligit autem in aduerbio (*prosperè*) rerum humanarum affluentiam, quæ vt plurimùm in superbiam, luxuriámque desinit: sed illam tantummodo mediocritatem auream, quæ per panem, & vestitum significata est: quam prudentissimus adolescens egregiè censet, vocátque prosperitatem. Dixi auream cum Lyrico, cuius celebre illud est:

Horat. lib. 2 Od.

Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret inuidenda
Sobrius aula.

Aurea mediocritas.

Aurea planè mediocritas est inter duo extrema, in quibus sæpenumero naufragiū facit hominis imbecillitas, dum effertur in secūdis, & in aduersis succumbit. Etenim affluentia diuitiarum, & egestatis miseria ita se habēt, vt æquè vtrumque sit mortalibus ad omnia flagitia incitamentum. Quapropter Aristoteles nimia ciuium aut opulentia, aut inopia statū Reipub. perturbari, facultatum verò mediocritate quietum, ac prosperum diutius cōseruari arbitratur. sic enim scribit. Neque ditissimi, nec pauperrimi sunt ad ciuilem societatē idonei. Alteri enim nimis superbi; alteri nimis deiecti fiunt: alteri contemnunt, alteri inuident: alteri imperant vt domini, alteri parent vt serui. Ciuitas autem ex paribus, & similibus constare debet, quod mediocribus accidit. Itaque plurimùm ciuitas ex mediocribus consistens cōseruatur: eáque optima est, & à seditionibus abhorret. hæc ille, *4. polit. cap.* 11. Et quidem de suprema rerum humanarum affluentia nō necesse est plura dicere, quàm quod Romanorū clades, quæ multæ, grauésque extiterūt, ab isto barathro inuectæ sēper fuerint. Enimuero respublica illa ab exiguis profecta initiis (vti Liuius scribit) eò creuit, vt magnitudine laboraret sua; præualētis enim populi vires se ipsæ confecerunt. Nimirùm labente paulatim disciplina, velut desidētes primò mores, deinde vt magis, magísque lapsi sunt, tum ire cœperunt præcipites, donec ad hæc tempora, quibus nec vitia nostra, nec remedia pati possumus, peruētum est. hæc ille, *lib. 1. dec.* 1. Durauit illa quidem, ac floruit, quandiu in eam auaritia, luxuriaque non immigrarunt: quandiu etiā magnus paupertati, ac parcimoniæ honos fuit; atque adeo quantò rerū minus, tantò minus cupiditatis erat. Ergo diuitiæ auaritiam & abundantes, voluptates, desiderium per luxum, atque libidinem pereundi, perdendique omnia inuexere. hactenus ex Liuio. Hanc labem diuitiarum, simúlque deliciarum, qua in primis virtus, deinde maiestas illius imperij omnino labefactata concidit, Seneca tragicus suæ ætatis corruptos mores perstringens, sic deplorat:

Aristot.

Mediocritas cōseruat rem publ.

Prosperitate perijt Rom. imperium.

Liuius.

Inopia & parcimonia stetit Rom. imperium. Abundantia & luxuria perijt Rom. imperium.

Senec.

Turpi libido Venere dominatur potens
Luxuria victrix vrbis immensas opes
Iampridem auaris manibus, vt perdat, rapit.

2. In hoc eodem argumento diuinitus multa dicit S. August. contra Ethnicos nonnullos, qui suo tempore factum imperij Romani excidium adscribebant mutationi falsæ idolorum, superstitionis in veram Christi religionem: quasi Romana Respub. tandiu floruerit, quādiu Iouem, Martem, Venerem, aliáque huiusmodi portēta coluerit, atque illis omnino repudiatis Christi fidem amplexata fuerit. sic autem inquit: Ex quo tempore pessum ire cœperit Romana Respublica, satis liquet, literæ loquuntur ipsorum: longe antequā Christi nomen eluxisset in terris, dictū est: O vrbem venalem, & maturè perituram, si emptorē inuenerit! hæc ille, *Epist. 5. ad Marcellinū.* Itaque multis ante seculis quam Christū Roma cognouerit, corruere visa est suæ, videlicet felicitatis pondere, vt statim subiicit S. August. Quos deinde (ait) vitia pessima successus habuerint, & quāto humanarum rerum malo illa iniquitas prosperata sit, audiant Satyricum suum garriendo vera dicentem:

D. August. Ante Christi fidem Roma pessum ire cœpit.

S. August.

Seruabat castas humilis fortuna Latinas
Quondam, nec vitiis contingi parua sinebat
Tecta labor, somniq; breues, & vellere thusco
Vexatæ, duræq; manus, ac proximus vrbi
Hannibal, & stantes collina in turre mariti.
Nunc patimur longæ pacis mala, sæuior armis
Luxuria incubuit, victúmq; vlciscitur orbem.
Nullum crimen abest, facinusq; libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit.

Hæc S. August. *ex Iuuen. satyr. 6.* qui primam suæ gentis labem refert in opulentiam diuitiarum, quæ solet esse metropolis, seminarium ac subsidium vitiorum. Sic enim adiungit:

Paupertate stetit Roma perijt opulentia.

Iuuen.

Prima peregrinos obscœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt secula luxu.

Ex his demū colligit S. August. Quid ergo expectas, vt ego exaggerem quanta mala importauerit successu prospero iniquitas subleuata, quādoquidem, & ipsi, qui aliquātò prudentiùs attenderunt plus dolēdam viderunt paupertatem, quàm opulentiam perisse Romanam? In illa enim morum integritas seruabatur; per hanc autem non muros vrbis, sed mentes ipsius ciuitatis dira nequitia omni hoste peior irrupit. hactenus S. Augustinus.

S. August. Cum paupertate simul & mores & imperium Rom. perijt.

3. Neque verò Roma ipsa tantùm, sed vniuersum illius etiam imperium toto orbe diffusū eadem vitiosa prosperitate cōuulsum cōcidit, cum barbara Gothorū nomina & arma primò in Romanorum extremam vastitatē eruperunt. Quod S. Saluian. illa ætate malorum omniū spectator in hunc modum contestatur: Tunc integra Romani orbis crebra florebant, angusta esse horrea publica opes fecerant cunctarum vrbium, ciues diuitiis, ac deliciis affluebant, vix poterat religionis autoritas inter tantam rerum exuberantiam, morum tenere censuram. Pascebantur tunc quidem passim in locis plurimis autores turpiū voluptatum, sed plena, ac referta omnia erāt. Nemo sumptus Reipub. cogitabat, nemo dispēdia, quia nō sentiebatur expensa. Quærebat quodammodo res ipsa publica, vbi perderet, quod penus posset iam vix recipere: & ideo cumulus deliciarū, qui iam fere modum excesserat, etiam in res nugatorias redūdabat. hæc ille, *de vero indic. & prouid. Dei lib. 6.* Hi Romæ, hi per Italiam, hi per Hispanias, Gallias, Africam, & vbicunque terrarum viuerent, ac dominarentur, mores erant illo tēpore Romanorū, vt mirari quis desinat, quid sit

S. Saluian. Diuitiis, & deliciis Rom. imper. perijt.

quòd

quòd ignauissimarum gentium armis debeliati funditus perierint. Eodem siquidem libro hæc apponit idem Saluianus: Vitiositas, & impuritas quasi germanitas quædam est Romanorum; & quasi mens, atque natura, quia ibi præcipue vitia, vbicunque Romani. sic ille. Profectò diuitiarum, & deliciarum affluentia nullum esse potest maius exitium, nulla pestis perniciosior, qua breui spatio conficiuntur, ac pereunt gentes, quæ præsidio fragilitatis, & parcimoniæ multum, diúque dominatæ floruerunt.

S. Saluian. Romani vitiis perierunt.

4. Certè Maffeius noster meo quidem iudicio cum Tito Liuio ac Salustio nobilissimis Romanæ historiæ scriptoribus facilè comparãdus priorum illorum nostræ gentis heroum duritiem, & frugalitatem admiratus, cum Mameluccorum, & Turcarum instructissimam classem apud Diũ in India Franciscus Almeida profligauit, atque extinxit: corruptelam subinde nostrorum hominum his verbis perstringit. Vt iam pene portẽti simile videatur, adeò masculum nuper, ac durũ in armis genus ad tantos tam breui deflexisse vestium apparatus, conuiuiorum elegantiã, & exquisitæ ac lautæ supellectilis instrumẽta. Sed nimirũm, quæ soli vbertas, & affluens copia rerum omnium ad Capuam Pœnos; in Græcia, Syriáque Romanos emolliit; eadẽ in Oriente per Indorum, Synarúmque commercia, variis captos voluptatum illecebris Lusitanos infregit. Ac primò paupertatis contemptus in mores eorum inuectus: inde luxus, otiúmque succisis industriæ, ac parcimoniæ neruis priscam seueritatem, & disciplinam ingenti bonorum dolore labefactauit, ac soluit. hæc Maff. *lib. 4. histor. Indic.* Quæ quidẽ ego licet amore patriæ ductus, refellere in præsentia non curabo: tametsi multa occurrant, quibus illud *infregit* penitùs infringatur. Quicquid enim dè affluentia diuitiarum, ac deliciarum dicatur: omnibus planè, qui res Lusitanorum in India gestas deinde perlegerit, vẽl etiã teste ipso Maffeio, longè clariorem Lusitanicæ militiæ gloriã in consequentes subinde annos extitisse, manifestum, contestatúmque erit. Fracti enim illi per Indorum, Synarúmque commercia illecebris voluptatum Lusitani Goam, Ormuzium, Malacam, Dium, Chaulum, Damanum, Bacainum, aliáque nobilissima Orientis emporia vi armorum ceperunt, obsessáque sæpiùs à validissimis Indorum, Arabum, Persarum, & Turcarum exercitibus, & classibus, insatigabili virtute propugnarunt, eadémque ad hanc vsque horam toto etiam nunc Oriente victores conseruant.

Maffeius.

Lusitanorum fortitudo & frugalitas.

Delicijs gentes infractæ.

5. Quid quòd nostra ætate, cum paupertatis contemptus, cum luxus, otiúmque succisis industriæ, ac parcimoniæ neruis priscam illám seueritatem, & disciplinã labefactasse à bono scriptore censetur, illa sunt in armis (vt ita dicam) edita prodigia in obsidionibus Chaulis, & Malacæ, atque in espugnatione Cugnalis, quibus priorum ætatum triumphi non adæquantur modò, sed fortassis quoque obscurantur? Certè cum Chaul diuturnæ obsidionis attrita incommodis vrbs sine muris, sine propugnaculis, via intra tenues, noctúque in diem fortuitò congestos, & perquàm angustos teneretur vallos, nec tamen Franciscus Mascarenhas cum suis militibus fracta bello, & innumerabili, atque importuno hosti trepidãtia pectora præberet: scimus Nizamaluchum regem furore simul atque pudore excandescentẽ dixisse ad suos: Itáne verò, vt istas ego caulas cum ingenti armorum apparatu, & innumerabili oppugnantium exercitu tot menses instanter die, noctéque oppugno, ac nihil tamen proficio? En ò Rex (occurrit Dux Turcarum) oppugnamus quidem caulas, sed caulas tamen leonũ. Quid, quòd per hosce tandem annos fracti illi delicijs Lusitani Ceilanum insulam, omnium, quæ Oceano alluuntur, opulentissimam diuturno, ac periculosissimo bello vniuersam subiugarunt? Cæterùm commentandi terminos prætergressũ amor ipse patriæ nescio quò me rapuit, vt inter arma, & triumphos Lusitanorum assuetus homo literis, & musis tota vita cõsecratus instituti mei penè immemor videar diuersari. Hoc vnum conficio, vt exteræ gentes, ad quas Lusitanicæ virtutis, & gloriæ fama peruagata est, nouerint viuere adhuc & florere, masculum illud ac durum in armis genus, nec ad maxima subinde ac præclarissima in bellis gerenda vllo alio, vel præsidio, vel disciplina indigere, quàm (post Diuinæ virtutis auxilium, quod nostris semper adest) regum suorum fauoribus, ac beneficiis; in quorum etiam hodie obsequium profundere vitam, & mortem oppetere appetunt Lusitani. Poterit hoc loco addubitare quis, cur Iacob plenus Diuinis promissionibus (*Reducam te in terram hanc, nec dimittam nisi compleuero vniuersa quæ dixi:*) nihilominus quasi rei futuræ incertus votum Deo emittat: *Si reuersus fuero prosperè ad domum patris mei.* quàm dubitationem facilè solues ex iis, quæ de conditionali promissione diximus *sectione 8. n. 5.*

Res bello gestæ memorabiles Lusitanorum hac ætate.

Chaulis obsidio.

Lusitani leonibus comparati.

Eget regum fauoribus militia & fortitudo Lusitanorum.

6. Sunt autem quæ vouit Iacob, hæc tria maximè. *Erit mihi Dominus in Deum*, quod quidem alicui videtur imperitè atque inepte dictum, vti Procop. his verbis coarguit. Nunc tandem post tanta accepta beneficia, Deum tuum Dominum agnoscere volebas? sic ille. Hæc scilicet hominum est, aut stoliditas, aut etiã impietas: vt memoriam beneficiorum, vel ab ipso Deo acceptorum statim abiiciant, hæreditariam (vt videtur) malignitatem ingrati à patre summè ingrato accipientes, *qui cum in honore esset, non intellexit, cõparatus est iumentis, & similis factus est illis*, in ipsius conditoris, & benefactoris sui faciem calces impegit. Istius filios Dominus beneuolentissimè, vti suos, *enutriuit, & exaltauit, ipsi autem spreuerunt illum.* Isaiæ 1. En ò Domine, idcirco te spreuerunt, quia se viderunt exaltatos. Enimuero sibi, quod acceperant, vti proprium arrogantes benefactorem suum prorsus ignorant: nec vllam saltem referrẽ gratiam pro beneficio tanquam debitã meminerunt. Non obscurè hanc superborum demẽtiam præstringens Dominus oculos suos, & cum oculis pariter affectum, & beneficentiam conuertit ad humiles, qui suam inopiam & indignitatẽ considerantes grato animo Diuina excipiunt, & extollunt beneficia. sic enim per Isaiam loquitur: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculũ* cap. 66. legunt LXX. *Humilem.* Huiusmodi erat socrus Petri, quam febri laborantem Dominus Apostolorum precibus curauit. *Quæ* quidem (vt subiicit Luc. 4.) *continuò surgens ministrabat illis.* Grata sanè & sancta mulier ipsam illã, quam à Domino salutem acceperat, in eiusdem obsequium officiosissimè impendit; nec enim inter beneficium, & officium, inter sanitatem, & ministerium alia mora intercessit, quàm de lecto, in quo iacebat, surgendi ad ministrandum. Profectò qui salutẽ, & quoduis aliud bonum diuinitus concessum, aut Deo ipsi, à quo est, non adscribit, aut illud in eius obsequio non collocat, meritò se dignũ exhibet, cui Diuina beneficia, non futura modò denegentur, sed etiam priùs collata auferantur. Quo in sensu Dauid non tam optabat: quàm prædicebat,

Procopius.

Ingrati Deo homines à patre Adam ingrato.

Psalm. 48.

Isaiæ 1.

Deus erga gratos beneuolus.

Isaiæ 66.

Lucæ. 4.

Gratitudo & obsequium Deo benefactori.

Ingrati pœna.

A dicebat: *Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam, qui dixerunt: Labia nostra à nobis sunt.* Psalm. 11. ac si dicat: Constringantur paralysi, sensúque omni, & lingua maximè præpediti obstupescant miseri, qui sensum, & linguam, & vocem, Dei dona, sibi arrogarunt, nec in eiusdem honorem, laudémque retulerunt. Qualem impietatem, & ingratitudinem Deo patrum suorum Hebræi detulerunt, in quos Dominus ipse per Isaiam inuehitur, vt paulò antè vidimus: *Filios enutriui, & exaltaui, &c.* Nec enim (explicat ibi Procop.) vt Deum reueriti, nec vt patrē honore prosecuti sunt. sic ille. Digni sunt æterna hominum laudatione Israëlitæ illi duarum tribuū, &

Psalm. 11.

Isaiæ 1.

Procopius.

Israëlita grati.

B dimidiæ, qui citra Iordanem impetrarunt à Moyse regnum Sehon, & Og: eo tamen pacto, vt cæteros præirent armati ad debellandam, & subiugandam reliquam Palæstinæ portionem, cæteris tribubus attributam. Egregiè steterunt promissis, támque strenuè, atque alacriter prima in acie pro fratribus suis pugnarunt, ac si pro seipsis decertarent; nec enim ferendum est plus animorum, & virium à necessitate, quàm ab ipsa gratitudine præstari. Satis verò rudis, ac rusticus haberi debet, qui magis se impigrum & promptum exhibet, vt propriæ necessitati subueniat, quàm vt grato animo acceptam iam gratiam rependat. Optimè Philo Hebr. hoc duarum illarum tribuum egregium facinus commendans adiecit.

Debito obsequio beneficium rependitur.

Phil. Hebr.

C Qui deuincti sunt muneribus, promptissimè nauant operam non conferēdo, sed referendo gratiam, *lib. de vita Moysis.* Sic se habent iusti in Dei famulatu, vt non ambire deinceps noua, sed vetera iam rependere omni obsequiorum genere beneficia videantur.

7. Quid quòd etiam in Iacobi voto, quod secundò vouetur, æquè displicet: *Erit mihi Dominus in Deum si fuerit mecū, si custodierit me, si dederit panem & vestimentum?* An non mercenarius, & impurus (vt S. Bern. vocat) amor hic est, qui caduca, & ridicula bona respicit? qui non gratis Deū, quia bonus, & amabilis est, colit, & diligit? Grauior illa, & sanctior nostrorum hominum philosophia extitit, qui in siti, & fame; in frigore, &

S. Bernard.

Sancti Deum in tribulationibus amant, & laudant.

D nuditate, in periculis multis, profugi, extorres, afflicti, despecti, facti omnium peripsema, non modò Deum suum non reliquerunt; sed tunc alacriori studio, & affectu venerantes pariter, ac diligentes inter afflictionum, & ærumnarum tenebras dulciùs, quàm in ipso felicitatis meridie collaudarunt. Cæterùm Procopius, qui priùs visus est imperitiā Iacobi coarguere, non hæc verba ad materiam voti, sed ad conditionē à Deo præstandam, deinde accommodat in hunc modum: Fortassis nondum erat illi Deus, sed futurus erat Deus Iacobi, sicuti Abrahami cum audiuit: *Ego Deus tuus.* Necdum enim erat Deus cum eo, sed tum demum id accidit, cum eum tutaretur per profectionem & reditū, eúmque pasceret, & potaret, & indueret. Præterea, & hoc deerat, quominus esset Dominus Deus Iacobo, scilicet, vt

Procopius.

Deum esse nostrum in auxiliis experimur.

E auxilio Domini Dei instructus, rediret incolumis in patriam domum, extra quā cum foret, & ambularet, defendebatur mirabiliter Diuino auxilio. hæc Procop. Vouit itaque Iacob se religioso quodam ritu ad aras in eodem loco extruendas Deo victimas, ac decimas oblaturum, modò tamen Deum suum ipse in itinere, in exilio, ac reditu in patriam incolumis, re familiari ornatus ducem, protectorem, ac fautorem experiatur. Quod autem ait: *Et lapis iste erit domus Dei,* hunc habet sensum iuxta Procopium. Erit domus Dei,

Procopius.

A hoc est, cum reuersus fuero, gratias agam Deo, ponendo aram. Si igitur sospes huc reductus fuero, Dei ero, id significat: *Erit mihi in Deum.* sic ille. Nimirum, se gratū Deo fore pollicetur, Diuina beneficia semper memori animo versans, magnique pendens, voce iugiter commēdans, & religiosis officiis persoluens. *Erit mihi Dominus* (inquit) *in Deum*, quia videlicet ego ipsius Dei ero. Vt enim Dominus omni beneuolentiæ, amorísque genere Deus noster fit, hoc vnum desiderat, quod Dei simus. Denique admirabilis extitit Iacobi fiducia in Deo suo, à quo tanta certitudine, ac securitate expectabat rerum abundantiam, vt iam pro beneficiis tanquā acceptis gratias, &

Iugis memoria beneficiorum.

Dei sumus, à quo totum habemus.

B pro opibus decimas, in Diuinum cultum persoluendas, aut promitteret, aut referret potiùs. quod S. Chrys. ita subindicauit: Qui influs erat, & iter facere cogebatur, iam fidei oculis non multò post futuram præuidens abundantiam, suam declarabat gratitudinem: & qui nihil adhuc acceperat, vouit, digniorem fide existimans promissionem Domini, quàm rerum possessionem. hæc ille, *homil. 55. in Genes.* At nos miseri, ac Diuinis indigni muneribus, neque cogitatum nostrum in Dominum iacimus, neque illius promissionibus fidentes, solicitudinem ab humanis rebus abducentes in Dei obsequium impendimus; & (quod peius) iam Diuinorum munerū possessores facti debitam gratiarum actionem nequaquā persol-

S. Chrysost.

Fiducia in Deum.

Ingrati vitium, & pœna.

C uimus; digni planè, quibus & futura negentur, & præsentia iterum auferantur.

8 Restat illud vnum ex fine huius capitis discutiendū, scilicet, *Cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* Hæc est vltima pars voti, quo se obstringit Iacob, si prospere ad parentes redeat, Deo bonorum omnium, quæ ab ipsius magnificentia acceperit, decimas oblaturum. Caiet. arbitratur nomine decimarū non intelligi decimas propriè dictas, sed aliquotam bonorum partem decentem illam quidem, & quam ab auo & patre didicerat solitam offerri Deo. Sed multo veriùs alij contendunt decimas, vt vulgo, & propriè capiuntur, intelligi debere, vti noster Perer. probat ad *cap. 14. Gen. disput 6. n. 75.* Quin & Chal-

Caietan.

Decimas propriè dictas Iacob vouit.

Perer.

D daica versio hoc ipsum comprobat: sic enim habet. *Et omnium, quæ dederis mihi, vnum ex decem separabo coram te.* Sed cuinam sacerdoti vicem Dei gerenti decimas erat persoluturus Iacob? Pontifici Melchisedech dixerunt nonnulli: at est figmentum, neque enim credibile est post reditū Iacob à Mesopotamia, cum decimæ essent persoluendæ, superstitem adhuc esse Melchisedech; ab occursu enim illius cum Abraham vsque ad illā Iacobi ætatem ferè centum octoginta anni effluxerunt; at Melchisedech prouectæ iam senectutis erat, cum decimas accepit ab Abraham, nec vltra illus propè ducentos annos vixisse grandæuum Pontificem credi potest. Rectè igitur Caiet. respondet: Si quæras cui sacerdoti dandæ erant istæ decimæ? Respondeo, nulli: sed in honorem

Caietan.

Cui, & quomodo soluebat decimas Iacob.

E Dei fuisse offerendas Deo iuxta ritum tunc solitum: & quod erat consuetum comburi, comburebatur sacrificando reliquum autem comedebatur, non tanquam cibus profanus, sed vt quid Deo oblatum: sicut mos erat offerentes ad sacrificandum participes esse sacrificiorum, & libaminum. hæc ille. Porrò autem promissionem Iacobi de solutione decimarum verè philosophicam, & admirabilē hoc modo suspicit S. Chrys. *hom. 54. in Genes.* Vide iusti gratitudinem: petebat quidem, at nihil pretiosum, sed panem & vestem; promittebat autem & sua Domino, sciens, quàm

D. Chrysost.

Largitas Dei in retribuendo.

certet

certet muneribus, & quòd nostras cogitationes retribuendo transcendat, ait: Et omnium, quæ mihi suppeditabuntur, decimas dabo. Vidisti morem piam ac religiosã? nihil adhuc acceperat, & promisit se Deo decimas eorum, quæ sibi danda erant, oblaturum. hæc S. Chrysost. Nimirũ summa hominis erat in parcimonia in petendo: quid enim tam parcum, ac moderatũ, quàm pane tantùm ac veste omnia sua vota, petitáque concludere? Et cum petendo sit parcissimus, ad promittẽdum subinde, ac dandum largus admodũ existit: vt hinc pudeat homines pecuniosos, & opulentos, qui à Deo quicquid possident, acceperint, ipsórũmet munerũ Dei erga Deum, summè auaros, atque erga salutem propriam, quam per eleemosynas, & pia opera quærere debuissent, feros admodum, & crudeles exhiberi. Tanta enim (vt scribit S. Saluian.) incredulitas est hominum, & tã grauis infidelium languor animarum, vt cum multi maximas opes hæredibus interdum, & extraneis derelinquant; solum hoc se putent perdere, quod pro spe sua dederint, & salute. hæc ille, *in præfat. lib. ad Eccles. Cathol.*

Liberalis pietas Iacob erga Deum.

S. Saluian. Diuitũ feritas, & dementia in pauperes.

9. Profectò ad exercitium bonorum operum diuitibus sua bona, donáque concessit, volens etiam hac ratione misericors Dominus quodammodo obligari ad conseruanda, & vberius augẽda illa ipsa dona sua, quæ pietatis in Deum & misericordiæ in pauperes fuerant instrumenta. *Ioan.* 6. Legimus admirabile illud conuiuium, in quo tantùm quinque panes, ac duos pisces multa hominum millia Christi Domini virtute satiarunt. Illud verò expẽdi seriò debet, quòd Christus Dominus vbi panes benedixit, Apostolis tradidit, iique minutatim diuisos accumbentibus apposuerunt. Ergo finito conuiuio, sublatis mensis, satiatis omnino tot hominum millibus, iubet Dominus Apostolis: *Colligite quæ superauerunt fragmẽta, ne pereant. Et collegerunt duodecim cophinos fragmentorum.* En (ô rem summè admirabilem!) duodecim Apostoli quinque panes distribuerunt, & post saturata quinque millia epulantium singuli singulos panum cophinos collegerunt! Sic vel paucula pro Dei obsequio in pauperũ alimoniã fideliter, ac misericorditer expensa, in copiosa, & prodigiosa incrementa rem ipsam familiarẽ extendũt. Impetrauit à Domino diuturnis, & continuis precibus Anna filium Samuelem: lætáque, & grata mulier tanto munere, natum infantulum Deo defert ac dedicat. *Pro puero* (ait) *isto oraui, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quã postulaui eum. Iccirco & ego commodaui eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit commodatus Domino.* 1. Reg. 1. quasi dicat: Donum Dei est; oportet ergo donum Dei Deo ipsi offerri; dona quippe Dei, in Dei obsequium dicãda, & expendenda sunt. Phil. Hebr. *lib. Quod Deus sit immutabilis*, legit: *Do eum donum*; hoc est, eum, qui est donum. Erat scilicet puer à Deo donatus; quod probè mater intelligẽs dicit, se non rem suã, sed Dei donum Deo ipsi offerre. Vide nunc quanto cum fœnore mulier oblatum Deo Filium receperit: *Visitauit ergo Dominus Annam, & cõcepit, & peperit tres filios, & duas filias: & magnificatus est puer Samuel apud Dominum.* Dixi, *cum fœnore*, vti locutum legimus sacerdotem: *Et benedixit Heli Elcanæ & vxori eius: Reddat tibi Dominus semẽ de muliere hac pro fœnore, quod cõmodasti Domino.* Anna igitur vnum Samuelem obtulit Deo, & Samuelem non amisit, sed habuit magnificatum in mundo Prophetam; & post Samuelẽ quinque filios suscepit. Quodnam quæso maius, & copiosius potuit esse fœnus? Optimè S. Saluiã.

Augescit substantia, quæ impẽditur in pauperes.

Ioann. 6.

De donis Dei sit oblatio Deo.

1. Reg. 1.

Phil. Hebr.

1. Reg. 2.

Augescit quod Deo offertur.

1. Reg. 2.

S. Saluian.

A diuites exhortatur. Deus (Inquit,) ad hoc facit homines substantia esse locupletes, vt bona operatione sint diuites, id est, vt commutent diuitias, quas acceperũt, & facultates ipsas in bonis operibus collocantes, Dei opes quas habent in hoc seculo temporarias bene vtendo faciant sẽpiternas. Ac sic agnoscentes munera Dei duplici bono gaudent, cum qui sunt diuites in hoc seculo, esse quoque diuites mereantur in cælo. hæc ille, *lib.* 1. *ad Eccles. Cathol.* Ad bonum igitur vsum diuitiarum hæc idem Episcopus sanctissimus luculentè admodum colligit: Sic ergo habendæ sunt diuitiæ, sic petendæ, sic tenendæ, sic propagãdæ: alioqui inæstimabile malum est, bonis a Deo datis nõ B bene vti. sic Saluian.

Data à Deo diuitiæ vt cælum lucretur.

S. Saluian. Graue malũ datis à Deo bonis non bene vti.

10. Noctu in solitudine, abiens in exilium procul à parentibus, & patriis laribus ob insidias fratris, quem hoste quouis duriorem timebat, multa vouet Iacob Deo suo, si beneficio illius prosperos habeat rerum successus. Cæterùm quàm pius, & largus fuit ad vouendum, tam iustus, & promptus ad exequendum promissa deinde extitit. Hæc est enim sibi semper constans pietas, eadem planè, tam in prosperis, quàm in aduersis: qualem in regio Vate demiramur. Is enim toto regno profugus, atque instar auiũ, per montes, rupésque inuias peruolitãs, vti regis inhumani, & barbari furorem, armáque effugiens vitæ suæ omnibus pene momentis periclitanti consuleret ad Dei opẽ C obniaè efflagitandã vota pro Diuino cultu emisit. *Locutum est* (inquit) *os meum in tribulatione mea: Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Psalm. 65. Est quidem votis maximus locus, & materia in calamitatibus, vt etiam Ethnicus Poëta cecinit:

Pietas vbique constans.

Pietas Dauid in aduersis.

Psalm. 65.

Ouid.

Cogar, opemq; tuam timidis exposcere votis.

Metam. 9. Itaque Dauid iam tandem in patriam, & regnum Diuino beneficio restitutus expedit sese ad exequẽda, quæ Deo vota promiserat. *Introibo* (inquiens) *in domũ tuam in holocaustis. Holocausta medullata offeram tibi, &c.* ibid. Non qualemcũque (ait) oblationem, aut sacrificium ante altare Domini offeram sed omnium maximum, & gratissimum, in quo vniuersa in Dei cultum consumuntur. D Totum enim meum (commentatur ibi S. August.) cõsumat ignis tuus, nihil mei remaneat mihi, totum sit tibi. *Holocausta medullata offeram tibi.* Non erit in superficie, sed in medullis meis erit, quòd diligo te. hæc S. August. Vbi etiam in tribulatione positum sic affatur: Quàm dulcis est sæpe tribulatio, quàm necessaria est tibi! sic ille. Nimirum tribulatio animam in Dei recordationem, amorémque succendit, orandi studium dulce, sapidúmque reddit. quinetiam ipsamet oratio, vsq; adeo grata, dulcisque Deo est vt icciroo tribulari hominem Deus sinat, quò afflictus orationẽ suppliciter, atque humiliter effundat. Intrauit Dominus domum Petri, vt cum discipulis cibũ sumeret. Et nouerat quidem socrum Petri, cuius ministerio cibus esset parandus, mensáque disponẽda, in lecto febribus æstuantem detineri. Quocirca E *discipuli rogauerunt illum pro ea, & stans supra illã imperauit febri, & dimisit eam* Luc. 4. Curanda erat mulier vt ministraret mensæ. Sed cur non statim ad Domini ingressum curata est? cur vt ægrotantem sanaret, rogari voluit Dominus, & precationem sanitati præuiam expectauit? putarim vt sapidior, ac dulcior per orationem illam cibus redderetur.

Promissa Deo soluit Dauid vota.

Psalm. 85.

S. August. Larga Dauid pietas erga Deum.

Vtilis homini tribulatio.

Tribulatiorũ finis oratio.

Luc. 4.

Dulcis Deo nostra oratio.

11. Eodem sensu Dominus aliquando ad discipulos conuersus: *Messis* (ait) *multa, operarij autem pauci: rogate ergo dominum messis, vt mittat operarios*

riot

lius immolat, & expendit, inquiens: *Magnificat anima mea Dominum: Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem ancillæ suæ, &c.* Luc. 1. Porrò in hominum vtilitatem tota semper inuigilat. *Quis enim est qui se abscondat à calore eius?* Psal. 18. Tria verò maximè (vt statim subiicit S Bern.) nobis contulit Mariæ fœcunditas. Auertit iugum iniquitatis antiquæ, remisit iram indignationis Diuinæ, deleuit notam iniquitatis humanæ. sic ille. Igitur erga homines tam pia, tam Mater, vel esse, vel fingi alia non potest, meritóque possumus exclamare: Misericordia Domini, & Matris eius, quod non sumus, vt nostra delicta merentur, consumpti. Etenim iā ipsa (inquit Arnold. Carnot.) quàm Filius vultui Dei assistunt pro nobis misericordiam postulantes, non iudicium; & obtinentes omni pœnitenti remissionem peccatorum. *tract. de laud. Virg.*

Lucæ. 1. Psalm. 18. *Tria beneficia à B. Maria.* S. Bernard. *Potens impetratio B. Mariæ à Deo.* Arnold.

CAPVT VICESIMVMNONVM.

1. PRofectus ergo Iacob venit in terram Orientalem.

2. Et vidit puteum in agro, tres quoque greges ouium accubantes iuxta eum: nam ex illo adaquabantur pecora, & os eius grandi lapide claudebatur.

3. Morísque erat vt cūctis ouibus congregatis deuoluerent lapidem, & refectis gregibus rursum super os putei ponerent.

4. Dixítque ad Pastores: Fratres, vnde estis? Qui responderunt: De Haran.

5. Quos interrogans, Numquid, ait, nostis Laban filium Nachor? Dixerunt: Nouimus.

6. Sanúsne est? inquit: Valet, inquiunt: & ecce Rachel filia eius venit cum grege suo.

7. Dixítque Iacob: Adhuc multum diei superest, nec est tempus vt reducantur ad caulas greges: date ante potum ouibus, & sic eas ad pastum reducite.

8. Qui responderunt: Non possumus, donec omnia pecora congregentur, & amoueamus lapidem de ore putei, vt adaquemus greges.

9. Adhuc loquebantur, & ecce Rachel veniebat cum ouibus patris sui: nam gregem ipsa pascebat.

10. Quam cùm vidisset Iacob, & sciret consobrinam suam, ouésque Laban auunculi sui: amouit lapidem quo puteus claudebatur.

11. Et adaquato grege, osculatus est eam: & eleuata voce fleuit,

12. & indicauit ei quòd frater esset patris sui, & filius Rebeccæ: at illa festinans nuntiauit patri suo.

13. Qui cùm audisset venisse Iacob filium sororis suæ, cucurrit obuiam ei: complexúsque eum, & in oscula ruens, duxit in domum suam. Auditis autem causis itineris,

14. respondit: Os meum es, & caro mea. Et postquam impleti sunt dies mensis vnius,

15. dixit ei: Num quia frater meus es, gratis seruies mihi? dic quid mercedis accipias.

16. Habebat verò duas filias, nomē maioris Lia: minor verò appellabatur Rachel.

17. Sed Lia lippis erat oculis: Rachel decora facie, & venusto aspectu.

18. Quam diligens Iacob, ait: Seruiam tibi pro Rachel filia tua minore, septem annis.

19. Respondit Laban: Melius est vt tibi eā dē quàm alteri viro, mane apud me.

20. Seruiuit ergo Iacob pro Rachel septem annis: & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.

21. Dixítque ad Laban: Da mihi vxorem meam: quia iam tempus impletum est, vt ingrediar ad illam.

22. Qui vocatis multis amicorum turbis ad conuiuium, fecit nuptias.

23. Et vespere Liam filiam suam introduxit ad eum,

24. dans ancillam filiæ, Zelpham nomine. Ad quam cùm ex more Iacob fuisset ingressus, facto manè vidit Liam:

25. & dixit ad socerum suum: Quid est quod facere voluisti? nōne pro Rachel seruiui tibi? quare imposuisti mihi?

26. Respondit Laban: Non est in loco nostro consuetudinis, vt minores antè tradamus ad nuptias.

27. Imple hebdomadam dierum huius copulæ: & hanc quoque dabo tibi pro opere quo seruiturus es mihi septem annis aliis.

28. Acquieuit placito: & hebdomada transacta, Rachel duxit vxorem:

29. cui pater seruam Balam tradiderat.

30. Tandémq; potitus optatis nuptiis, amorem sequentis priori prætulit, seruiēs apud eum septem annis aliis.

31. Videns autem Dominus quòd despiceret Liam, aperuit vuluam eius, sorore sterili permanente.

32. Quæ conceptum genuit filium, vocauítque nomen eius Ruben, dicens: Vidit Dominus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus.

33. Rursúmque concepit & peperit filium, & ait: Quoniam audiuit me Dominus haberi contemptui, dedit etiam istum mihi. vocauítque nomen eius Simeon.

34. Concepítq; tertio, & genuit alium filium:

filium: dixítque: Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, eò quòd pepererim ei tres filios: & idcirco appellauit nomen eius Leui. A

35. Quartò concepit, & peperit filium, & ait: Modò confitebor Domino. & ob hoc vocauit eum, Iudam: cessauitque parere.

SECTIO PRIMA.

Profectus ergo Iacob venit in terram Orientalem. Et vidit puteum in agro, tres quoque greges ouium accubantes. &c. vsque ad *putei ponerent.*

1. 

EBR. *Vaissà iaghaquob raglau,* וישא יעקב רגליו, *Et leuauit Iacob pedes suos.* quo Hebraismo significatur mira quædam alacritas iter aggrediendi. Iustus enim (ait S. Chrys. *homil.* 55.) sumpta ex his, quæ Deus dixerat, fiducia maxima, peregrinationem obiit. Quo pacto enim non fisurus esset, cui dictum erat: *Ecce ego tecum sum? &c.* hæc S. Chrys. Intrepidus, & alacer vltra progreditur Iacob: Quid enim aut mali timeat, aut boni minimè speret, qui cū Deo simul graditur, qui Deum, vt promiserat, peregrinationis & molestiarum omnium comitem, adiutorémque habet? Fiducia præsentiæ, opísque Diuinę roboratum Dominus Ezechielem ad summa rerum, viræque discrimina emittit: *Ne timeas eos, quoniam increduli, & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas.* cap. 2. En ô Domine proponis pericula, & metum prohibes, securitatem indicis? Ne timeas (inquit) eos, quoniam nihil est formidandum, secura sunt omnia; fideles, amici, & pacati homines tecum sunt: atque inter agnos in pratis amœnis, ac vernantibus incedis. Hæc si diceret, timorem maximè omnem aboleret, hominémque securum redderet: At inter infidos; proditores; & cum scorpionibus per tesqua, saltúsque helluarum incedens, quis poterit agere securus? quis extremam sui pernitiem non timebit? sed ô admirandam Diuinæ gratiæ vim! Idcirco iustus timorem debet abiicere, quia inter horribilia, & humanæ fragilitati formidanda collocatur: ideò securus agere, quia nihil securum videt, quia summum omnia periculū intentant. Multò enim certior, ac promptior est ad opem ferendam Diuina gratia, quàm ad periclitandum, & succumbendum humana infirmitas. Nec tam citò interuenit iusto quæuis necessitas, quam Dei præuenit auxilium. Appositéque Deus homini timorem adimit, & tranquillitatem indicit, eo quòd grauissima erit pericula infidelium, subuersorum, & scorpionum subiturus. Præsentiæ quippe humani periculi certam esse Diuinæ gratiæ præsentiam demonstrat. Illud etiam luculenter expendit S. Hieron. Magnæ (inquiēs) clementiæ est ad tales Deum mittere, nec desperare eorum salutem: & confidentiæ prophetalis, quod ad tales quoque ire non timeat. hæc S. Hieron. In primis itaque infinita Dei bonitas in hoc elucet, quòd salutem rebellium, ac perfidorum vigilantissimè procuret, quòd scorpiones ad mansuetudinem, pacémque deducat; tum etiam Diuini præsidii vis in eo cernitur, quòd homo natura ipsa infirmus Deo duce rem adeo difficilem, ac periculosam aggrediatur, pacem habeat inter perfidorum, & oppugnantium incursus, & cum serpentibus veluti cum ouibus, aut inter vernantes pratorum flores secure, mollitérque versetur; quin etiam Diuina ope suffultus bestias in homines, & homines in Angelos transmutet.

D. Chrysost.

Ezechiel. 2. *Securus cum Deo inter pericula.*

Praeuenit Dei gratia hominis necessitatem.

D. Hieron. *De nullius salute desperandum.*

Vis Diuini auxilij.

B C D E

2. Adhæc quàm sit potens obedientiæ virtus, demonstratur, cum homini ad gentem infidam, & exitialem eūti, atque indiuiduè eum draconibus commoranti timor omnis eripitur, tranquillitásque promittitur, eò videlicet tantùm, quòd es obediētia mittatur. Id mihi videtur esse ex D. Hier. commentatio haud ineptè colligi. sic enim habet: Tu ergo Fili hominis non timeas eos, &c. Licet dura ceruice sint, & corde indomabili; tamen mea sunt fortiora præcepta. hæc ille. Nam etsi ad subuertendum infideles isti, & ad nocendum scorpiones vim habeant incredibilem, ad liberandum tamen Prophetam, & ad conterendos subuersores, ad conuertendos incredulos, denique ad cicurandos scorpiones, fortior est, ac potentior missi à Deo hominis obedientia. Non est igitur quòd timeat, quem Deus munit ac protegit: Deo siquidem nihil æquè gloriosum est, atque protegere in ipso confidentes: vt apud Isaiā legimus: *Super omnem gloriam protectio.* cap. 4. vbi statim apponitur securitas Diuinæ protectionis hoc modo: *Et tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem & absconsionem à turbine & pluuia, &c.* Vno igitur verbo describitur hæc protectio tanquam domus refugij: in quam sese iusti apud Deum abdunt, vt ab omni aut hostium impetu, aut molestiarū incursu liberi, & immunes conquiescant: nimirum (vt legit S. Basil.) in absconditio: siue in absconsionē protectionis. Ad quod (inquit) tali paradigmate promouemur. Sit vnus aliquis, qui ab hostibus quidem quæritur, à domesticis verò, & familiaritet notis, in quapiā domuncula alicubi obseruatur, & custoditur in loco perquàm difficili inuentu. Equidem tale aliquid intelligitur fieri à nube illa Diuinæ protectionis circa iustum, vt ne facilè intercipiatur hostium manibus. hæc S. Basil. *ad cap. 4. Isaiæ.* Videntur enim iusti vndique circumsepti vnum sibi quærere asylum, Deum videlicet, cui ex animo seruiunt, qui benignissima quadam beneuolētia confugiētes excipit, & ab omni iniuria illæsos in penitiore suæ defensionis sacrario abscondit; quo verborum ambitu regius Vates aliquando vtens Dominum alloquebatur: *Abscondes eos in abscōdito faciei tuæ à conturbatione hominum.* Psal. 30. Sed quodnam istud est absconditum, siue secretum Diuini vultus, vbi absconduntur iusti? Declarat optimè S. Hier. Illuminatio vultus tui teget eos, ne à malitia humana conturbentur. sic ille Excepti ergo à Domino viri iusta inter admirabiles Diuini vultus splendores absconduntur, quò tenebrarum cohors, vitia nimirum, vitiosique homines immensò illo præstricti lumine accedere nequaquam possunt. *Qui* enim *malè agit, odit lucem.* Ioann. 3.

S. Hieron.

Mira vis obedientiæ.

Securitas in Dei protectione.

Isaiæ 4.

S. Basil.

Deus perfugium & asylum iustis.

Psalm. 30.

D. Hieron. *In lumine vultus Dei absconduntur iusti.*

Ioann. 3.

3 Quare Dominum ibidem precatur: *Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, vt saluum me facias, quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu.* Psalm. 30. Emphaticè Deum vocat prote-

Psalm. 30.

prote

D. Hieron.

Domini seruos despiciunt.

protectorem, quia (vti animaduertit S. Hieron.) multi sunt dij nociui, multi domini qui non prosunt: nobis autem vnus Deus protector, tanquam proximus. sic Hieron. Deserunt hominem aliqua fortassis aduersitate laborantem seculares domini, ne vllam misero, vel opem, vel stipem impendere cogantur: at *Deus protector cum seruo suo est in tribulatione*. Psalm. 9. Ita verò inseparabili nexu amoris, vt homo ab iniuriis impeti nequeat, quin Deus cum homine simul impetatur. Hoc probè nouerant illi serui, qui ad patremfamiliâs de agro infecto zizaniis detulerunt: *Domine nónne bonum semẽ seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania?* Matth. 13. *Seminasti* (inquiunt) cum tamen illi ipsi, non dominus seminarit. Quasi dicant (interpretatur S. Petr. Chrysolog.) Domine aut tecum nos munit innocentia, aut nobiscum te reatus attingit. *serm.* 92. Nimirum aiunt: Aut nos te in ipsa innocentia sociamus, si bonum semen tradidisti; aut tu nos in culpa socias, si malum à te semen acceptum seminauimus. O eximiam felicitatem seruorum, qui sic Deo suo adhærent, vt vna sit ambotum inseparabilis tum industria, tum calumnia! In tuto res erat Dauidi: *Quoniam* (aiebat) *abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.* Ps. 26 Hinc est quòd iusti hanc in scriptura nomenclaturam sortiantur, vt absconditi nuncupentur. Etenim vbi legimus: *Cogitauerunt aduersus sanctos suos.* Psalm. 82. verti potest ex Hebr. fonte: *Cogitauerunt aduersus absconditos tuos. ghal çepunecha* עַל צְפוּנֶיךָ à verbo *çaphan* צפן *abscondere, occultare, recondere.* Vertit S. Hier. *aduersus arcanum tuum.* Caiet. *super reconditos tuos*, hoc est, sub tua protectione susceptos. Genebr. *aduersus sanctos tuos, aduersus absconditos tuos, quos protegis.* Aliqui, *quorum vita in cælis est abscondita.* Coloss. 3. *quos apud te abscondis, & in cælum, tanquam in thesaurum suo tempore recipis.* Sanctorum periphrasis hinc צפון *çephun.* Ezech. 7 designat interius templi oraculum, quod cælum referebat secretius. Chald. in neutro intellexit: *Aduersus abscondita in thesauris tuis*, vt res sanctæ, vasa sacra, non profana, neque vulgi manibus exposita intelligantur. hæc ille.

Matth. 13.

Mira connexio iustorum cum Deo.

S. Pet. Chrys.

Psalm. 9.

Psalm. 26.

Iusti dicuntur absconditi.

Psalm. 82.

D. Hieron.

Caietan.

Genebr.

Coloss. 3.

Ezech. 7.

Iusti thesaurus Dei absconditus.

Mira sanctorum dignitas apud Deum.

4. Tanti Deus facit sanctos suos! Sunt enim apud illum absconditi ab omni iniuria, sunt reconditi, vtpote cœlestium opum, diuinæque supellectilis pulcherrimus, & opulentissimus thesaurus. Sunt illi pars Dominici templi secretior, & sacratior, ipsum videlicet sanctuarium, in quo nihil profanum, neque vulgare, sed omnia sacra, sancta, diuina. Sunt denique sacratior ipsius, in quo Deus habitat, secretiórque cæli portio. Quis ergo huius tam supra omnem naturam euectæ dignitatis, si honorem ambiat, ambitione ductus in studium sanctitatis non rapiatur? Hinc demum colliges idem esse in sacris literis & sanctum, & absconditum à Deo, atque protectum esse. Quo etiam sensu Vates regius cecinit: *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.* Psal. 90. vertit ex Hebr. S. Hier. *Qui habitat in abscondito Excelsi, in vmbraculo Domini commorabitur.* Optimè S. Aug. ex hoc versu colligit: Ne quisquam in se spem ponat, sed totam spem suam in illo ponat, in quo sunt vires nostræ: ex adiutorio enim eius vincimus, non ex nostra præsumptione. sic ille, *in concion. 2. in Psalm* 90. nihil infirmius homine, si naturam illius consideres; sed nihil fortius illo, si in adiutorio Dei omnipotentis fidens, & fidelis seruus commoretur. At si viri sancti (dicet aliquis) absconditi à Deo in eiusdem protectione, atque vmbraculo commorantur, cur ni-

D. Hieron.

S. August.

Tota spes & fiducia in Deo.

hilominus impugnantur, & affliguntur? Constat planè ex hoc loco viros sanctos nequaquam lædi, etsi oppugnentur, non expugnari; quin potius quò magis affligantur, eò sublimiùs extolli, maioríque gloria, velut cœlestis gazæ thesauros, templi sanctuarium, cæli adytum penitus à Deo affici. Nam vt Arca Noe, quò abundantioribus aquarum inundantiam gurgitibus innatabat, eò altius a terra in cælum vehebatur: sic viri sancti, quantò pluribus, & grauioribus impugnantur afflictionibus, tantò maiora subeunt meritorum, & virtutum incrementa, & consequenter, tantò illustriores in mundo, tantóque ipsi Deo gratiores fiunt, ac similiores. Quippe qui ab Isaia (vt suprà vidimus) gloria Domini appellantur: & super omnem gloriam protectio; sic enim sanctos viros per gloriam intelligunt Foret. Pintus, & plures alij; sensúsque videtur literæ consonantior.

Iustorum tribulatio ad maiorem gloriam.

5. Cum igitur Iacob vnus de iustis, sanctis, gloriosis, & absconditis Dei sit, quid mirum, si Diuina protectione armatus alacri studio susceptum carpat iter, atque in illud exilium procul à parentum conspectu solus, & pauper, atque omni humana ope destitutus rapiatur? In tuto est Iacob, securus cum Deo abit, non modo absconditus à Deo, & in protectione Altissimi habitans, sed habitantem in seipso Deum, atque omnem Diuinæ beneuolentiæ, ac beneficentiæ thesaurum gestans: quo summo Dei pauperes priuilegio potiuntur, iuxta illud: *Oculi eius in pauperem respiciunt.* Psalm. 10. Hebr. *ghenau lechelcah içepponu* עֵינָיו לְחֵלְכָה יִצְפֹּנוּ *abscondent se.* O admirabilem felicitatem pauperis, & afflicti, qui reconditos in se habet Dei oculos, qui omnium bonorum fons & origo sunt. Quòd si contendas in Psalm. 10. illa verba: *Oculi eius in pauperem respiciunt*, & Hebr. *abscondant se*, non attribui Deo, sed tyranno pauperis vitæ, ac saluti tanquam in occultis insidianti, de quo ibi sermo est; adhuc tamen Diuina prouidentia in pauperis salutem inuigilans in eo ostenditur, quòd nomen pauperis ibi sæpius repetitum Hebr. ponitur חלכאים *chelcaim*, reddique potest *pauperis*, vel *exercitus*, (vt bene aduertit Genebr.) quo impuritas insidiantis cohibetur: non enim pauperem omni præsidio carentem impugnat, sed in eo integrum exercitum Diuinæ virtutis instructum, armatúmque in acie ostendit. Verùm & ille sensus reddi potest in verbis Isaiæ; vt Diuina protectio, quæ iustos tuetur, ac fouet, excedere intelligatur omnem huius mundi gloriam: in hoc enim nihil est tam magnum, & gloriosum, quod temporis omnia consumentis edacitati non subiaceat: mundus enim transit, & omnis gloria eius fumo fugacior, & leui aura inconstantior, atque vti fulgetræ similis puncto vno, quo paruit, disparet. Stabilis verò est, semper constans, & ad omnem felicitatem recto, & infatigabili cursu perducens iustos ipsa Dei, sub qua viuunt absconditi, protectio; quam nec tempora dissoluent, nec hominum incursus aut vlla vnquam ærumnarum labefactabit iniuria. Cæterùm Diuina protectio, & prouidentia non in depellendis calamitatum incursibus, & in amplificanda, tuendáque iustorum humana prosperitate vim suam exercet, sed in eo maximè quòd à præmolestis effrænatarum appetitionum assultibus, & ab omni labe vitiorum illæsos, purósque custodiat, & gloriosos in mediis patientiæ certaminibus reddat: auent enim illi per multas tribulationes Christi Domini vestigiis insistendo introire in regnum Dei. Est quidem illa cuiusque sanctorum exclamatio: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Psalm. 16 Hebr. *behaqiç* בְּהָקִיץ [illegible]

Psalm. 10.

Pauper dicitur exercitus

Mundi temporis inqui[illegible] breuitas & fugacitas.

Dei protectio constans & potens.

Protegit Deus iustos à [illegible] & patientes reddit.

in euigilando, à radice *quiç* קיץ *euigilare, ac primo quidem angustiis affici.* Vnde vertunt quidam: *Cum euigilauero in similitudine tua*, & interpretantur de postrema resurrectione corporum in sempiternam immortalitatem. Alij non ineptè: *Cum angustiis affectus fuero ad similitudinem suam.* Digna vox viro iusto, quem fames vrget iniuriarũ & cruciatuum Domini Iesu: Tunc ego tandem (inquit) famem & sitim animæ meæ sedabo, cum innumeris afflictionibus exercebor ad similitudinem Dei mei; qui opprobriis pro me saturatus est, qui positus est in signum contradictionis, factus pro me maledictum, qui acerbissimam pariter, & summè infamem passionem proposito gaudio sustinuit, suámque esse gloriam reputauit, vt hic Propheta, & Ioan. *cap.* 12. conceptus verbis contestantur.

Iusti auent pati cum Christo.

Imitatio passionis Christi.

6. Pergit igitur Iacob alacer in Mesopotamiã, quam vulgata vocat terram Orientalem. Hebr. *arçah bene quédem* ארצה בני קדם *ad terram filiorum Orientis.* Frequens Hebraismus, quo additur vox Filij, vt filij sapientiæ filij mortis, Israel, Adam, Austri, pro sapientibus, reis, Israelitis, hominibus, australibus. Dicitur verò terra Orientalis, non quidem absolute, sed respectu Palæstinæ, ex qua in Mesopotamiam pergebat. Fuge, dixerunt Isaac, & Rebecca ad filium (vt bene subnotauit Philo Hebr.) in Mesopotamiam, hoc est, in medium torrentem huius vitæ, & caue ne vndis eius mergaris, sed sustinens aduersus impetus, & vndique prementes vortices, propulsa hos fortiter: nam in sapientiæ domo tranquillam stationem inuenies, in quam te facilè queas recipere, scilicet in domo Bathuel: vocatur enim in sacris literis sapientia Bathuel, quod nomen interpretatur filia Dei. hæc ille, *lib. de profugis.* Enimuero cum in salo huius vitæ innumeris periculis instar procellarum impetatur homo, in sola sapientia portum inuenit, & asylum. Sapiens enim, hoc est, qui sapientiam possidet, qui moratur cum sapientia (vt optimè definit S. Ambros.) non metu frangitur, non potestate mutatur, non attollitur prosperis, non tristibus mergitur. Vbi enim sapientia, ibi virtus animi, ibi constantia, & fortitudo. Sapiens ergo idem est animo, non minuitur, non augetur rerum mutationibus; nec vt paruulus fluctuat, vt circumferatur omni vento doctrinæ, sed manet perfectus. Sapiens ergo defectus rerum ignorat, & varium animum nescit. hæc ille, *Epistol.* 7. Idem paulo inferiùs: Sapiens semper liber, semper honoratus, semper is qui præsit legibus. Sapiens liber, quoniam ea facit, quæ vult, & sapientis est omnia quæ bona sunt, velle; & virtutis non coactus, sed voluntarius executor est sapiens. sic ille. Quantus verò sit honor sapientis, & quàm illustre illius imperium, latiùs deinde comprobat. Est enim (inquit) sapiens, qui ad ipsa peruenit diuinitatis secreta, & manifestata sibi cognouit occulta sapientiæ. Solus sapiens duce Deo vsus est ad cognoscenda veritatis cubilia, & mortalis homo immortalis Dei hæres & successor est factus per gratiam. Insurgit sapiens quasi victor debellatis a se, ac triumphatis vitiis, &c. sic Ambros. Itaque sapiens non tam rerum cognitioni, quam virtutum, & cœlestium gratiarum ac meritorum studio intentus a sacris doctoribus definitur. An non ergo Iacobo peregrino & exuli perfugium tutissimum est domus Bathuelis, & laboranti homini medios inter mundi huius fluctus, ac turbines, statio fidissima portus, ipsa in quam se recipit sapientia? Commendat Clem. Alex. 1. *strom.* dictum Platonis in politico: Sapientem esse regem. Et 2. *pedag. cap.* 2. pulchrè ostendit sapientiam esse animæ medicinam, quod etiam à Democrito philosopho celebratum refert. Quid autem mirum est, quod tantum in vna sapientia præsidium ad omnia tum vitæ, tum animæ, homo habeat, cum ipsemet sapientia conditus sit; sapientia, & (quod egregiè scripsit S. Irenæus) gloria hominis Deus; operationes verò Dei, & omnis sapientiæ eius, & virtutis receptaculum homo. sic ille, *lib.* 3. *aduersus hæres. cap.* 22.

Phil. Hebr. Sapiens inter pericula tutus. — *S. Ambros.* — *Constantia sapientis.* — *Libertas sapientis.* — *S. Ambros. Dignitas & potentia sapientis.* — *Sapiens virtutum studio intentus.* — *Sapientia hominum portus.* — Clem. Alex. — *Homo à sapientia totus.* — S. Irenæus.

7. Sed quænam est hæc sapientia, cuius studium pergratum homini est, & inuentio nullum illi non inducit bonum? Et quidem (vt rectè describit Phil. Hebr.) sapientia rerum humanarum, diuinarúmque scientia, & causarum insuper, & sicut encyclopædia philosophiæ seruit, sic philosophia sapientiæ. sic ille, *lib. de congr. quær. erudit. gratia.* Hanc sapientiam veritatis nomine complures præfiniunt: veritatem subinde suopte ingenio amat homo & inquirit; sine qua rationalis animus nihil magnum & adipisci potest, & possidere. Etenim (vt S. Prosper contestatur) veritas per se tanta, & talis est, vt non sit tunc magna, si eam magni docuerint, sed potiùs ipsa magnos faciat eos, à quibus doceri, vel disci potuerit. sic ille, *in præfat. ad lib.* 2. *de vit. cont.* Cæterùm Christianam hanc sapientiam, non in sola veritatis contemplatione, quin etiam ad vitæ probitatem assurgat, accipiunt sacri doctores: inter quos S. Paulin. de huiusmodi argumento sic ad amicum scribit. Philosophiam fide condias, & religione conserta vtare sapientiùs, vt sis Dei philosophus, & Dei Vates, non quærendo, sed imitando Deum: sapiens vt non tam lingua, quàm vita eruditus, tam disseras magna, quàm facias. hæc Paulin. *Epist.* 36. Hunc ego sapientiæ, hoc est, scientiæ cum fide Christiana, virtutísque studio coniunctæ illam descriptionem conuenire arbitror, quam his verbis Philo Hebr. proponit: Qui quæsierunt, quodnam esset alimentum animæ, inuenerunt edocti esse id verbum, & rationem Diuinam, vnde omnes disciplinæ, scientiæque perennes fluunt: & hic est ille cœlestis cibus. quod sacra scriptura indicat ex persona Dei, dicens: *Ecce ego pluo vobis panes de cælo.* nam re vera sapientiam æthercam Deus supernè instillat generosis, & spectandi cupidis mentibus. At illæ hac visa, degustatáque delectatæ percontantur: Quid est hoc melle dulcius, niue candidius? Discent autem ex Moyse hunc esse panem, quem dedit eis Dominus vt ederent. sic Phil. *lib. de profugis.* Pulchrè sapientiam animæ alimentum dicit, & ipsum manna cælitus dimissum, cuius mira suauitate homines deliniti exclamando inquirunt: Quid est hoc? Accepto autem oraculo discunt esse Dei panem. quo quidem elogio non gaudent illæ (vt scribit Tertull.) doctrinæ hominum, & dæmoniorum prurientibus auribus natæ de ingenio sapientiæ secularis: quam Dominus stultitiam vocans, stulta mundi confusione, etiam philosophiæ ipsius elegit. Ea est enim materia sapientiæ secularis, temeraria interpres Diuinæ naturæ dispositionis. Ipsæ denique hæreses à philosophia subornantur. hæc ille, *de præscript. cap.* 2. Antiquarum scilicet hæresum, aut origo, aut certè fomentum erat seculi philosophia, cuius inanitas, & fallacitas cauillationum, in Christianæ fidei mysteria temere, ac sacrilegè irruentes veritate ipsa tartari nebulis offusa hæresum omnium insanias, & figmenta pepererunt. At nostra ætate non à philosophia subornatæ, sed ab ipsa rerum humanarum, diuinarúmque ignorantia, & (quod turpius est) ab ipsa vitiorum omnium, maximè verò carnis spurcitiæ, cœno, & orco enatæ hæreses emicue

Philo Hebr. Definitur sapientia. — *Veritas eadẽ cũ sapientia.* — S. Prosper. *Excellentia veritatis.* — S. Paulinus. *Sapientia Christiana in operibus.* — Phil. Hebr. — *Sapientia cibus animæ.* — Tertull. *Sapientia secularis.* — *Vana philosophia mater hæresum.* — *Hæreticorum imperitia, & impuritas.*

emicuerunt, vt iam hodie diiudicare vix queas, turpiórne vita sit, an stultior doctrina hæreticorum; magísne sit impurus, quam imperitus nostro nunc sæculo hæreticus. Hæc de sapientia dicere necesse fuit, nec incongrue ad hunc locum. Nam (vt cum S. Ambros. loquar) fons ille disciplinarum omnium Iacob vbertatem disputationis huius omnium pectoribus infudit, qui sapientiæ merito prælatus est fratri seniori. hæc S. Ambros. *Epist.* 7.

Ambros.

8. *Et vidit puteum*] Venit igitur Iacob ad puteum non valdè procul à Chatris, vt scribit Iosephus ad illum pecora iam bene pasta ducebantur adaquanda. Cæterùm, vt salubriùs, puriùs, & copiosiùs aquarum fieret potatio, nulli pastorum licebat haurire aquam, quin reliqui omnes cum suis gregibus adessent. Idcirco ingenti quodam saxo puteus claudebatur, quod præsentibus iam cunctis, & pastoribus, & gregibus remotum putei liberam, & communem præbebat aquam. Sola tunc moræ causa erat quartus grex, qui nondum aduenerat. Diuertit igitur ad hunc fontem Iacob, vel vt aliquantulum ibi quiesceret ex longo & molesto itinere fatigatus, vel vt sitim ex nimia lassitudine, ardoréque æstiuo leuaret: vel (quod potius est) vt ad fontē piæ, ac solitæ orationi vacaret, ratus, videlicet, iuxta fontes (quod benè subindicat Lyppomanus) & puteos magnalia Dei multa præstari consueuisse, quia nimirum illuc homines se conferre solerent fatigati, & debiles, Domini beneficium grato animo suscipientes. Multa, hoc loco, dum tantisper ad fontem recreari sinimus peregrinum, considerari possunt. Ac illud in primis: quid sit quòd sanctus, & iustus Iacob ad puteum iaceat mirum in modum delassatus; at ferus homo, multúmque parentibus, ac Deo ipsi ob morum prauitatem exosus Esau tranquillam, & fœlicem in patria vitam agat; insidiatúsque sanguini fratris illum secedere atque exulare compulerit. Nec mirum; quippe disparitas hæc est in moribus, in studiis, in vita, rerúmque euentibus bonorum, atque impiorum. quod S. Cyrill. Alex. ad hunc locum egregiè hisce verbis colligit: Verum illud profectò est, quod qui rectam viam, Deúmque sequi voluerint, suppliciis, persecutionéque durissima afficientur. Nam iniquitatis filij, cum clarorum hominum virtutem, reprehensionem quodammodo suæ prauitatis existiment, veluti immanes quædam feræ in eos crudeliter ruunt. hæc ille, *lib.* 10. *in Genes.* Perculsus igitur aspectu, & virtute iusti iniustus nullum non lapidem mouet, vt (quò liberiùs, ac lætiùs viuat) perpetuum prauarum opinionum, ac vitiorum obiurgatorem de medio tollat, vel saltem ab oculis, & conuictu procul amoueat. Vitia enim (addit S. Cyrill.) tum deprehendi solent, cum virtutes in medium afferuntur, & quæ honesta, & legitima sunt, flagitiosa quidem, & turpia indicant. Atque ita fit, vt cum scelerati homines victos se perspexerint, inuidiæ statim iacula inter se fabricent, atque ignem odij permagnum incendant. Vitam enim probatissimorum virorum suæ insaniæ causam, suorúmque scelerum esse existimant: sic S. Cyrill.

Ioseph.

M[...] & bonorum dis[...]

S. Cyr. Alex.

Cur mali bonos oderunt. S. Cyrill.

9. Hæc prima mali labes, hic fons illius inexplicabilis odij, quo impij iustos prosequuntur, & persequuntur, indignati scilicet suam iniquitatem ab integritate, innocentiáque piorum condemnari. Nimirum aduersis hinc inde castris virtus, & vitium, boni ac mali, Deus, ac mundus cum concupiscentia simul carnis, dæmonisque fraudibus stant, & deprælìantur: *Mundus* (ait ipse Dominus ad suos milites) *gaudebit, vos verò contristabimini.* Ioann. 16. An non mali agricolæ vineam à domino traditam ingrati, ac rebelles sibi vsurparunt, illius fructibus tanquam propriis per summam iniuriam potiti, pastíque deinde impunita peccandi licentia insolescentes primò contra seruos, ac deinde in ipsummet dominum vineæ desæuierunt? Ac serui, quia planè serui pro domino laborantes, à proditoribus illis lapidati, contusi, obtruncati sunt? Hoc igitur charactere insigniti videntur improbi, quod prosperantur in viis suis, & iustos deuorant, sicut escam panis: signo autem suo notantur iusti, cum eos oderunt homines, & cum separant; & exprobrant, & eiiciunt sicut malum aliquid, ac detestabile; qui tamen patienter audiunt, silent, ac perferunt, ad exemplum Domini sui; qui cum malediceretur, non maledicebat, tradebat autem iudicanti se iniustè, & tanquam agnus coram tondente se obmutescens non aperuit os suum, vt iustam vltionem exigeret à sacrilegis, & blasphemis, qui conoiciabantur: *Samaritanus es tu, & dæmonium habes.* Ioann. 8. Et quidem, tam impudenti, atque insano conuicio appetitus admirabilem, Deóque dignam exhibuit patientiam, qua euidentissimè demonstraret nullum sibi cum dæmonio esse commercium: doceretque nos (inquit S. Chrysost.) ita mites esse erga inimicos, vt etiamsi aduersum nos dicant, quæ nulla ratione mirantur, non commoueamur tamen, sed æquo animo feramus. Quod ideo maximè tunc peregit, vt vel hoc signo mentitos esse aduersus ipsum eos confirmaret, quoniam non sit dæmoniaci tanta clementia, mansuetudine; humanitatéque vti. hæc S. Chrys. *hom.* 42. *in Matth.* Deus enim mitis, ac patiens suos reddit mites, ac patientes: at fera illa & furia tartari ad omnem impatientiam, & furorem suos incitat, & accendit. Satisque proinde signum euidens habetur, non ibi esse dæmoniacum spiritum, ac furorem, vbi corporis, ac mentis videtur tranquillitas, & mansuetudo.

Virtus & vitiū inuicem pugnant.

Ioan. 16.

Pati iniuriā nocere malorum nota est.

Matth. 21.

Ioan. 8.

Mira Christi patientia.

S. Chrysost.

Patientia Deitatem Christi demonstrat.

Diabolus iræ ac belli pater.

10. Sed quid sub istius putei symbolo mysteriorum lateat, inspiciamus. Christum ipsum Dominum aqua putei significari existimat Procop. cuius hæc sunt verba: Christus in profundo latet lapide, ceu obscuritate quadam obtectus. sic ille. Optimè quidem diuinitas aquæ symbolo innuitur, ad quam peregrinando per ipsas rerum creatarum naturas, & effecta veluti per Dei vestigia tandem accedunt hominum ingenia. Cuius aquæ, seu veræ Deitatis inuentu non minus recreatur philosophantis mens, quàm viator post exactum longi itineris laborem, æstúsque ardorem, ad scaturientem aquis fontem accumbit. Grauiter admodum in hanc sententiam profatur Philo Hebræus hisce verbis. Summum illud bonum, & incomparabile, Deum autorem omnium si quis quærat, exhilaratur mox in primo eius contemplationis aditu, nec frustratus suo proposito, prodeunte obuiam illa propitia natura per Virgines gratias, & ostendente se visendi sui cupidis, non qualis est, quod fieri nequit, sed quantum creaturæ datur ad res intelligibiles accedere. sic ille, *lib. de profugis.* Quærenti scilicet Deum ipsemet Deus occurrit per Virgines gratias, hoc est pulchras, & nulla rerum inferiorum macula, næuóque infectas. Etiam ipsæ Diuinitatis prænotiones adeo rationali menti sese offerunt gratas, spectabilesque, vt nihil extra Deum, aut æque purum, & pulchrum, aut iucundum, dulcéque videatur. Sic illa infinita Dei maiestas hominum amans ad nostrum commercium descendit, ac si vel nobis ad-

Procop.

Aqua Diuinitatis symbolum.

Phil. Hebr.

Dei cognitio humanæ menti dulcissima.

Deus quærentibus lætus occurrit.

Deus hominum amans.

aliquod suum emolumentum indigeret, vel cum suam humanitatem, ac beneficentiam creaturis vellet impertire, Angelos multitudine innumerabiles, dignitate præstantissimos, aut non haberet aut non curaret, sed præ hominibus (vt ita loquar) nihili faceret. Proh Dei omnipotentis erga homines beneuolentiam incredibilem! Solum se Deus ostet innumeris, & clarissimis constipatus Angelis reputat, si homines secum non habeat, si cum hominibus non versetur. Iccirco ait: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Ioan. 12. Sensus est: si cruci affixus non moriar, homines non elucrabor, atque adeo solus ero, quia hominibus carebo: si verò moriar, mortéque mea homines coemam, diues, & locuples fiam.

Deus solum se absque hominibus reputat.

Ioan. 12.

11. Eodem sensu dixerat: *Singulariter sum ego donec transeam.* Psalm. 140. Donec moriar; mortem enim transitum de hoc mundo ad Patrem vocauerat. Sed qui singulariter, seu singularis (vt alij legunt) erit, nisi moriatur, siue dum pro hominibus non moritur? Donec ego (declarat S. August.) transeam, singularis sum: cum transiero multiplicabor. Vnus ego sum, donec transeam: multi in me vnus erunt dum transiero. sic August. Itaque solum se dicit esse quantalibet numerositate Angelorum circumseptus, dum secum homines non habet, quos tanti facit, támque vehementer diligit, vt eorundem societatem, & conuictum, vel ipsa morte sua libentissimè comparare velit, non dedignatus coram Angelis suis contestari: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Prouerb. 8. Quin etiam ea vis amoris est, vt licet similes in eadem specie adsint plurimi, adhuc tamen solitudo, & orbitas censeatur, vbi non adest ille, in quo tota intentio amoris collocata est. Iccirco honesta mulier, dum vir abest, in domo patria cum parentibus, & fratribus simul commorans, nihilo tamen minùs, cum ab externis inuisitur, palam testatur orbam se, ac solam mœrere. O infinitam Dei misericordiam, & amorem erga homines! circuncinctus Angelis in cælo, dum caret hominibus se solum prædicat, & cælum habet instar eremi. Profectò licet homo in Dei sui obsequium, & amorem profundat cum sanguine animam, atque vltra vires totum se dederet, conficiátque, non tamen efficiet minimam eorum partem quæ debet. Quocirca (vt rectè interpretatur S. Cyrill. Alex.) aquam viuam Diuinum sermonem esse intelligimus. Sed magna ipse in profunditate iacet, & sine magno labore, magnóque sudore quisquam eum haurire non potest. Non enim quisque eum facilè ad se detrahit, cum obscuritas eius velut grauissimus lapis ostium putei cooperiat. sic ille, *lib. 11. in Genes.* Itaque Christus, hoc est, Deus homo, seu Christi vera fides viua est, & indeficiens aqua saliens in vitam æternam, cuius siti rationales, ac pij animi inardescunt: quod vel ipsum Iudæum, & Platonicum philosophum videtur non latuisse, cum ita scribit Phil. Hebr. Qui cursu valet, sine respiratione contendat ad summum illud Verbum Diuinum, fontem sapientiæ; vt de riuo eius hauriens pro morte præmium æternæ vitæ inueniat. hæc ille, *lib. de profugis.*

Psalm. 140. *Immensus Christi amor erga homines.*

S. August.

Prouerb. 8. *Mira vis amoris.*

Deo debita plenè non soluimus.

S. Cyr. Alex.

Christus aqua viua.

Phil. Hebr.

12. Clariùs (vt mysterium expliceemus) dicere possumus ipsum Dei verbum, ac Filium Deum Vnigenitum per aquam nobis vtcunque significari: at in puteo contineri, & claudi; quia Verbum caro factum est Dei Filius, verúsque Deus sub humanitate, quam suæ Deitati, ac personæ in hypostasim aduniuit, hominum sensibus delitescens, fidei tamen oculis certò omnia penetrantibus innotescit. An non sub operculo summæ humilitatis, ac paupertatis latebat Deus homo, cum in Bethleheomtico stabulo nocte intempesta natus est? At ibi tamen occultus admiranda suæ Diuinæ omnipotentiæ signa exhibens, Angelos è cælo, ex agris pastores, & a longe dissitis regionibus gentium exterarum ipsos reges pariter, ac sapientes ad sui ortum adorandum attraxit. Illius nec infantia poterat adulantium obsequia conciliare, nec vllus vestium ornatus, aut famulorum apparatus, aut armorum terror, militúmque instructæ cohortes, & satellitium aliquod venerationem vltrò, coactéue vindicabat. Sed hæc eadem præstat audire a D. August. in hunc modum. Nec enim ætas erat saltem cui adulatio humana inseruiret: non de membris purpura, non de capite diadema fulgebat. Non pompa famulantium, non terror exercitus, non gloriosorum fama præliorum, hos ad eum viros ex remotis terris cum tanto voto supplicationis attraxerat. hæc S. Aug. *serm. 35. de temp. & 7. in Epiphan.* En Dei verbi potentia, & maiestas, quæ sic tot per miracula prodebatur; en aqua saliens in vitam æternam, ad quam sitientes vndique occurrebant. Sed vide puteum, & putei operculum. progreditur enim sic idem Aug. Iacebat in præsepi puer ortu recens, exiguus corpore, contemptibilis paupertate: sed magnum aliquid latebat in paruo, quod illi homines primitiæ gentium non terra portante, sed cælo narrante didicerant. hæc ille; qui subinde colligit: Ille, qui sapientia Dei est, infirmitate carnis indutus, adhuc per pusillam ætatem iacebat in terris; & iam per amplissimam maiestatem clamabat in cælis. hactenus S. Aug.

Deus in humanitate latens.

Christus in præsepi potens.

Infantia Iesu omnipotentia.

D. August.

D. August. *Infans Iesus attraxit reges ad præsepe.*

13. Cæterùm profundior, & obscurior adhuc ipsa Domini Crux, & passio fuit, vti prædixerat Isaias: *Nō est species ei, neque decor; & vidimus eum, & non erat aspectus, & quasi absconditus vultus eius, & despectus.* sic Isaias *cap. 53.* Nimirum sic absconditus, & despectus, vt (interprete S. Hier.) humano corpore Diuina potentia celaretur. ita S. Hier. qui pulchrum eo in loco excitat hanc quæstionem: Si non habebat speciem, neque gloriam, sed erat despectus, & nouissimus virorum, quomodo in psalmis dicitur: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, pulchritudine, & decore tuo?* Psalm. 44. hæc ille. Quæstionem mox ita dissoluit. Despectus erat, & ignobilis, quando pendebat in cruce, & factus pro nobis maledictum peccata nostra portabat. Inclytus autem erat, & decorus aspectu, quando ad passionem eius terra contremuit, saxa dirupta sunt, & fugiente sole æternam noctem elementa timuerunt. ita S. Hier. At S. Cyrill. Alex. locum præsentem intelligit de ipsamet vita Domini Iesu, in qua præ cunctis mortalibus admirabilem exhibuit humilitatem. sic enim commentatur: Videre est quosdam inter homines, dignitatis quodam splendore fulgentes, diuitiarum quasi satellitio, & comitatu elatos, & amplos, vel alio modo in terrena dignitate constitutos. Sed non inter hos erat Christus, at in humili & abiecto ordine, ita vt aliis hominibus inferior videatur. sic ille. Quod quidem satis apertum est in Euangelio; & in summa sic idem Cyrill. colligit. Non enim ex sancta Virgine Matre diuite ortus est: sed in omni humilitatis genere versatus est. ita Cyrill. Sed quorsum hanc Deus humilitatem suscepit? Respondet Cyrill. Vt quod humile est, eueheret; & quod inhonoratum est, redderet æmulandum; alioqui Deus, & Do-

Isaiæ 53. *Christus in passione despectus & gloriosus.*

D. Hieron.

Psalm. 44.

S. Cyr. Alex.

Christi humilitas.

S. Cyrill.

minus,

Maiestas Christi per humilitatem innotuit.

Humilitatem Christus deificauit.

minus,& Rex vniuersorum quo splendore humano indigebat? hæc Cyrill. Enimuero Christi Domini maiestas sine præsidio humanæ gloriæ, quin etiam per ipsam humilitatem, paupertatem, & ignominiam,& mundo tandem innotuit, & mundum subiugauit vniuersum: atque adeo humilitatem,& paupertatem qoodammodo deificauit. Itaque Dei Filius habitum sumpsit Esau, talémque humanis obiectum oculis mundus reputauit: verùm ad perspicacis,& nunquam fallentis fidei auditum (*quis credidit auditui nostro?* quærit Isai.) iusti Iacobi vocem referebat. Enimuerò (vt bene considerat S. Bernard.) suum est quod auditur ex eo, quod in eo videtur, nostrum; quod loquitur, spiritus, & vita est; quod apparet mortale, & mors: aliud cernitur, & aliud creditur: nigrum sensus renunciat, fides candidum, & formosum probat. hæc Bernard. *serm.* 28. *in Cant.* Quid plura in hanc sententiam? Optimè idem S. Bernard. paulò inferiùs attestatur: Non est veritas in oculo, non sapientia. *Væ qui sapientes estis in oculis vestris*, ait Isai. 5. Num bona sapientia, cui maledicitur? Mundi est, ac per hoc stultitia; apud Deum bona,& *vera sapientia trahitur de occultis*, vt sapit beatus Iob 28. sic ille. Latet quidem in puteo, indéque multo cum labore, studióque hauritur sapientia.

Isaiæ 53. *S. Bernard.* *Fides hominis erga Christũ.* *S. Bernard.* *Isaiæ. 5.* *Iob 28.* *In puteo vera sapientia.*

14. Latet etiam in puteo, hoc est, in multiplici mysteriorum inuolucro, atque hoc diuinitus detecto hausta est aqua, videlicet Rex Messias in plurimis,& clarissimis figuris præsignatus, in Prophetarum vaticiniis velut monstrante digito demonstratus. Quamobrem (vt colligit S. Augustin.) quem non moueat ad credendum tantus ab initio ipse rerum gestarum ordo, & ipsa connexio temporum, præteritis fidem de præsentibus faciens, priora posterioribus, & recentioribus antiqua confirmans? hæc S. August. *Epist.* 2. *ad Volusianum*, & infra: Venit Christus, complentur in eius ortu, vita, dictis, factis, passionibus, morte, resurrectione, ascensione omnia præconia Prophetarum. sic ille. At quis audeat dicere casu, non consilio; fortuitò, non autem diuinitus factum esse, vt figuræ, ac vaticinia de IESV Nazareni ortu, vita, morte, resurrectione, ascensione, signis, doctrina, & ad eum gentium tam admirabili conuersione sigillatim, atque integrè completa demum esse videantur? profectò non tam stabili,& multiplici rerum fundamento nititur falsitas, & mendacium. Veritatis isthæc est constantia, & concentus. Proculdubio si Iudæi deposita perfidia, & inueterato odio, quo Christum gratis habuerunt, non dicam intentissimo studio, sed aliquali tantùm suas ipsorum scrutarentur scripturas; vtique Iesum Nazarenum, quem crucifixerunt, verum Messiam promissum patribus, Deum, simúlque hominem vti natus est, vti vixit, vti mortuus est, vti resurrexit, & in cælos triumphator ascendit, facillimè, atque euidentissimè inuenirent. Iccirco minus est laboriosum Iudæis Diuinarum literarum peritis, quàm illarum prorsus imperitis gentilibus Christi fidem prædicare. Hanc sententiam luculenter admodum colligit S. Irenæus ex D. Paulo. sic enim infit: Plus omnibus laborauit Paulus, cum gentium Apostolus esset. Iudæis enim facilis catechizatio fuit, videlicet, cum ex scripturis haberent ostensiones. Illos enim adiuuabant scripturæ, quas confirmauit Dominus,& adimpleuit, talis veniens, qualis & prædicabatur. hæc ille, *lib.* 4. *cap.* 41.

Messias in scripturis. *S. August.* *S. August.* *In Christo completæ omnes scripturæ.* *Iudæi Christum facilè agnoscent si volent.* *S. Irenæus.* *Laboriosior de Christo prædicatio gentilibus, quàm Iudæis.*

15. Ideò ipse Dominus Iudæos ad scripturarum testimonia remittit: *Scrutamini scripturas, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Ioan 5. Atque vt demonstret, quàm facili negotio Iudæorum credulitas stare posset, adiecit: *Et non vultis venire ad me.* Quasi dicat: Nō desideratis lucernas, quæ nocte itiuri viam monstrent: non duces ad ignotum iter. Haberis Prophetarum vaticinia, & Patriarcharum figuras. nihil iam facilius, quàm vt præeuntibus lucernis, ac viarum ducibus, ad ipsum, quem promissum patribus venturum tandem speratis, inoffenso cursu peruenire possitis. At gentilium conuersio fuit omni ratione perquam ardua, & laboriosa. Hic enim (adiungit S. Irenæus) peregrina quædam eruditio,& noua doctrina Deos gentium, non deos esse, sed idola dæmoniorum; esse autem vnum Deum,& huius Filium hominem factum vsque ad mortem crucis descendisse. Eos autem, qui in eum credunt, immortales futuros, & percipere regnum cælorum: & hæc prædicabantur gentibus sine scripturis. sic ille. Quidemum ex his præmissis rectè concludit. Quapropter, & plus laborabant, qui in gentes prædicabant. Generosior autem rursus fides gentium ostenditur, sermonem Dei assequentium sine instructione scripturarum. hæc omnia S. Irenæus. Generosa quidem fides gentium, quæ omnem difficultatem perrumpentes, solo Dei lumine, ductúque veram Dei cognitionem sibi pepererunt. Prærogatiua diuinitus data gentibus est: vt absque notitia scripturarum, nec in Iudaicum nomen proselytorum ritu adscripti gentiles, sed sola Euangelij prædicatione inuitati, ac Diuino instructi lumine generosam,& gloriosam Christo fidem, quã patet vniuersus orbis, detulerint. Atque (vt in simili negotio Tertull. edixit) occasio quidem defendendi etiam gentibus sibi Diuinam gratiam (quod in præsentia mihi licuit) habuit hinc prærogatiuam, quòd sibi vendicare Dei legem instituerit homo ex gentibus, nec de prosapia Israelitûm Iudæus. Hoc enim sat est posse gentes admitti ad Dei legem, ne Israel adhuc superbiat, quòd gentes velut stillicidium situlæ, aut puluis ex area deputentur. hæc Tertull. *lib. aduersus Iudæos, cap.* 1.

Ioan. 5. *Iudæi ex scripturis conuincuntur.* *S. Irenæus.* *Gentilium conuersio difficilis.* *S. Irenæus.* *Generosior fides gẽtium.* *Gloriosa gentiliũ cõuersio ad Christum.* *Tertull.*

16. Porrò etiam hic puteus, de quo præsens decurrit commentatio, haud dubiè Diuinam scripturam significat, in qua est profunditas arcanorum,& obscuritas sententiarum, ipsáque Dei sapientia velut in profundo conditur; vnde non sine hominum industria, laboréque extrahitur. In quam sententiam multa dicuntur diuinitus à S. August. Hæc tantùm ex *Epist.* 2. *ad Volusianum*, referre liceat. Tanta est (inquit) Christianarum profunditas literarum, vt in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia vsque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere. sic August. En quàm vbere, diuite, atque inexhausto studio summorum hominum præclara ingenia possint exerceri, tametsi, quæ necessaria sunt saluti, non tam abdita, inuentúque difficilia in sacris voluminibus continentur. quod statim subnotauit S. August. cum adiungit: Non quod ad ea, quæ necessaria sunt saluti, tanta in eis perueniatur difficultate: sed cum quisque ibi fidem tenuerit, sine qua piè, rectéque non viuitur, tam multa, támque multiplicibus mysteriorum vmbraculis opaca intelligenda proficientibus restant, tantáque non solùm in verbis, quibus ista dicta sunt, verum etiam in rebus, quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, vt annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem scriptura quodam loco habet: *cum consummauerit homo, tunc incipit.* Ecclesi. 18. hæc S. August. Huiusce quoque studij diligentiam commendans

Scripturarũ profunditas. *S. August.* *Inexhaustus thesaurus scripturarũ.* *S. August.* *Ecclesi. 18.*

S. Chrysost.

mendans S.Chrysost.in hunc modum effatur: Diuina quidem, quæ de Christo dicuntur, summa indigent diligentia: In vmbra enim maioribus illis non abs te locutus est. Iccirco effodere profundiùs iubet, vt quæ altè delitescunt inuenire possimus. Non enim rem in superficie, & in promptu positam effodimus, sed quæ tanquam thesaurus profunde reconditur. Qui enim huiusmodi quærit, nisi summam adhibeat diligentiam, & laborem, nunquam quæsita inueniet. Quamobrem *scrutamini scripturas* Ioan. 5. hæc S.Chrysost. *homil.* 40. *in Ioan.* Quare in hac putei significatione optimè S.August. de Diuina scriptura, sic Deum alloquitur: Mira profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce, ante nos superficies blandiens paruulis; sed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas. Horror est intendere in eam, horror honoris, & tremor amoris. sic August. *lib.* 12. *confess. cap.* 14. Allicit ad hauriendum, ad bibendum sitientes aqua putei. nihil illa gratius, nihil dulcius. Sed quia puteus altus est, latet in profundo aqua, non nisi à diligentibus & laborantibus extrahenda. Cæterùm labor omnia vincit.

Scriptura summo egent studio. — Ioann. 5. — S.August. — *Studium scripturarum dulce ac laboriosum.*

17. Verumenimverò aptissima, & pulcherrima illa est putei significatio ad declarandam aliqua ex parte admirabilem iuxta & amabilem virtutem semper Virginis Deiparæ. Puteus Virgo Mater immensę altitudinis, quippe immensum, & incomprehensibilem in se recepit, & condidit. Salue igitur (sic Virginem salutat S.Cyrill. Alex.) quæ incomprehensibilem in sancto Virginali vtero comprehendisti: per quam sancta Trinitas per vniuersum orbem glorificatur, & adoratur: per quam cælum exultat, Angeli, & Archangeli lętantur: per quam dæmones fugantur, prolapsus homo in cælum recipitur, & vniuersa creatura ad cognitionem veri Dei venit; Apostoli salutem gentibus prædicarunt, & gentes ducuntur ad pœnitentiam: per quam vnigenitus Dei Filius sedentibus in tenebris, & vmbra mortis lux resplenduit. Et quis adeo valet eloquio, vt plurimùm laudatam Mariam satis celebret? ipsa & Mater est, & Virgo. O rem admirabilem! miraculum hoc me stupidum reddit. hæc S.Cyrill. *homil.* 6. *contra Nestorium.* Immensa est in hoc Virginali puteo profunditas, inexhausta aquarum scaturigo. Quis enim, licet Angelorum summus, vel vnam ex omnibus illius virtutibus, & gratiis, intemeratam, & sempiternam virginitatem dignè valeat explicare? Quis limpidissimam istius putei aquam cælis ipsis, ac syderibus longè puriorem non suspiciat, non veneretur? Vnum hoc loco dixerim admirandum quidem, sed mihi haud dubiè certum, & contestatum. Enimuero haud de virgine matre nata quidem Maria est, sed de parentibus tamen citra virgineam integritatem purissimis ortum habuit. Et quidem solam in ipsa iam deputata senectute filiam parentes susceperunt. Nec enim decebat, (vt Fulbertus adnotauit) vt huius singularis Virginis sanctissimi progenitores fœdarentur plurimorum propagatione filiorum, qui erant futuri vnicæ Matris Dei prouisores, & educatores egregij. sic Fulb. Carnot Episcop. *de ortu Virginis.* Merito proinde S Ioannes Damasc. exclamat: O beatos Ioachim lumbos, ex quibus semen omnino immaculatum fluxit. *Orat.* 1. *de Nat Virgin.* Hoc idem multò expressiùs Virgo ipsa Deipara reuelasse traditur S.Brigitæ hisce verbis: Pro certo dico tibi, quòd ex charitate Diuina, & ex verbo Angeli nunciantis conuenerunt carne parentes mei, non ex concupiscentia aliqua voluptatis, sed contra voluntatem suam ex Diuina dilectione; & sic ex semine eorum per Diuinam charitatem caro mea compaginata est. hæc *in reuelat. S.Brigit.*

B. Maria puteus Iacob. — Cyril. Alex. — *Mira & infinita bona per B. Mariam.* — *Inexplicabilis Virginitas B. Mariæ.* — *B. Maria vnigenita suorū parentum.* — Fulbertus. — S Ioan. Dam. — *B. Maria parentes absque concupiscentia genuerunt.* — S.Brigit.

18. Porrò qua puritate Virgo eadem Deum Filium conceperit, gestarit, pepereritque, atque adeo in omnem deinde vitam, æternitatémque floruerit, quis aut mente comprehendere, aut verbis poterit declarare? Quis enim ingressus est thesauros niuis? Vnum equidem, ac vere dicam. Ad Virgineam puritatem Matris Dei quicquid sub Deo comparetur, impurum est: & florum venustas inuenusta, & margaritarum pulchritudo fœditas, & stellarum splendor obscuritas, & sol ipse noctis chaos, & cælorum integritas dissolutio esse videbuntur. Quid quòd infinito virtutum aliarum, donorum, & gratiarum profluuio abundat hic puteus, ex quo ipsamet vita, Deus homo, Verbum caro factum ad Angelorum lætitiam, ad hominum salutem, ad ipsius sacrosanctæ Trinitatis gloriam promanauit? Ad hunc puteum quieuit Iacob, eo quòd in Virgine Deum pariente Patriarcharum promissiones, & figuræ, Prophetarum vaticinia, & legis cæremoniæ, ritúsque velut in portu, ad quem vnum diuinitus dirigebantur, tandem conquieuerunt. Ad hunc puteum assident, & recreantur quicunque in terris ad cæli patriam peregrinantur. Est enim beatissima Virgo (vt loquitur S.Ephrem) vnica spes desperatorum, & ad illam recurrentium auxilium præsentissimum. *orat. ad Virgin. Dei Matrem.* Illa est (vt ait S. Gregor. Nazianz.) Regina mundi, gaudium mortalium, *in Carm.* Mariam igitur cogita (monet S.Bern.) Mariam inuoca: non recedat à corde, nec ab ore. Nam ipsam cogitans non erras, ipsam rogans non desperas, ipsam sequens non deuias, ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia ad portum peruenis. Et sic in teipso experiri poteris, quàm meritò dictum sit nomen Virginis Maria, id est maris stella. hæc Bernardin. *tom.* 2. *serm.* 52. *cap.* 4. Aue igitur ô gratia plena. & meritò ita diceris: Quia (inquit Hugo) de te ortus est fons gratiæ: ideo totum nobis quodammodo à te per illum, quod nobis est, qui natus est ex te. Bene enim dicta es gratia plena, & in tantum plena, vt ex tuo redundante totus hauriat mundus. sic Hugo de S.Victore *apud Pomær. lib.* 1. *part.* 5.

Inexplicabilis puritas B. Mariæ. — *Nil in creaturis comparandum cum puritate B. Mariæ.* — *B. Maria legis Mosaicæ portus.* — S.Ephrem. — *B. Maria hominum spes & auxilium.* — S.Greg. Naz. — S.Bernardin. — *Dulcis & salutaris inuocatio B. Mariæ.* — Hugo.

SECTIO II.

Dixitq́, ad Pastores: Fratres, vnde estis? Qui responderunt: De Haran. Quos interrogans, Numquid, ait, nostis Laban filium Nachor? &c. vsque ad *pascebat.*

1. AFfatur Iacob pastores, qui aderant cum gregibus de puteo potandis; sciscitatus statum familiæ Nachoris, cuius filium vocat Labanum, qui tamen erat nepos patre Bathuele filio Nachoris natus. In quo duo adnotabis, & filium apud Hebræos pro quolibet descendentium capi solitum: & Nachorem, non Bathuelem nominari patrem Labani, eo quòd nobilior esset, & caput illius familiæ, vnde & Haran vocatur *cap.* 24. vrbs Nachor. Salua dixerunt omnia Nachoris. Hebr. *hasalom lo* השלום לו *Numquid salus, aut sanitas, aut pax illi? xalom* nomen est *pax.* item adiecit: *pacificus.* Hæc est Hebræorum familiaris salutatio, quæ fausta omnia, & prospera significat. L X X. vertunt χαῖρε. interpres Latinus: *Aue, pax tecum, pax vobis, saluus sis.* At Iacob, vt pastoritiæ artis peritus

A ritus monet pastores, cum adhuc multum diei superesset, non ad caulas reducendos fore greges, sed statim hausto potu ad pastum remittendos. Ecce tibi accedit cum suo grege Rachel, ouis cum ouibus. Hebr. quippe *Rachel* רחל *ouis*; quam esse filiam Labani è pastoribus acceperat. Siste quæso mecum parumper gradum hoc loco, atque demiremur illius æui pudicitiam, ac simplicitatem. Enimuerò Rachel inter pastores, hoc est, fœmina inter viros, & quidem puella diues, nobilis, speciosa, nubilis, in agro per pascua versabatur, nec tamen aut vllum suberat periculum, aut tantula mali suspicio. Proh grande miraculum! fœmina inter viros! quid illi, & istis æquè periculosum? Rectè S. Cyprian. hac de re sic effatur: Sapientiæ arma gestanda sunt, vbi fœminei, & virilis sexus B certamen indicitur. Vnde Salomon sic instruit dicens: *Prudentiam fac notam tibi, vt te seruet à muliere aliena.* Prouerb. 2. Videte nunc prudentiam in isto bello, non fidem nobis datam esse victricem, quæ nos timiditatis remedio liberasset: & contemplamini quæ sunt modo arma sumenda, si vultis habere legis auxilia. Estote timidi, vt sitis intrepidi: & licet timor in certamine infirmitas esse videatur, tamen secundum verbum Apostoli: *Virtus in infirmitate perficitur.* 2. Corint. 12. hæc S. Cyprian. *de singul. Cler.* Optimum sanè consilium: vbi fœmina, virque simul versantur, acies est in prælio; atque ad vincendum summa opus est sapientia: nihil ita securum reddit ac timor; timentibus quippe Diuinum occurrit auxilium, C sine quo inter carnis certamina omnium difficillima nec vlla castitas victricem gerit lauream, nec anima illæsa, impollutáque euadit.

Graue periculum inter virum & fœminam.
S. Cyprian.
Prouerb. 2.
Timendum à viri & fœminæ consortio.
2. Cor. 12.
Timor ad certamina carnis.

2. Temerè quis audet in hoc conflictu: stultè sibi de propria fortitudine blanditur. Quantos enim (adiungit ibi S. Cyprian.) leones domuit vna infirmitas delicata, quæ cùm sit vilis, & misera, de magnis efficit prædam? quod Salomon loquitur dicens: *Pretium meretricis tantùm est vnius panis, mulier autem pretiosas animas capit.* Prouerb. 6. hæc ille. Quod periculum non modò & Ecclesiastici, & cælibes incurrunt, sed & qui vxores habent, cum inter ancillarum greges incauti, & intrepidi versantur. Certè S. Saluian. profusam peccandi licentiam, quæ tandem Romano imperio D extremam vastitatem inuexit, suo tempore a bonis deploratam coarguens: Pater (inquit) familias ancillarum maritus est. Quis potentum, ac diuitum, non in loto libidinis viuit? Quis non se barathro sordidissimę colluuionis immersit? quanta seruorum corruptela! vbi dominorum tanta corruptio? morbido enim capite nihil sanum est: neque vllum omnino membrum officio suo fungitur, vbi quod est principale, non constat. hæc Saluian. *de vero iudic. & prouid. lib. 7.* Sibi quidem mutuò alter alteri, vir & mulier bellum inferunt, incendium conflant, pestem, ac mortem inducunt. Et erit tamen, qui concorditer, ac tutò viuendum sibi putet in hoc tam exitiali animarum discrimine? Optimè S. Cyprian. monuit: In hac familiari- E tate non habitat amica concordia, quoniam non nisi discordantes inimicitias creat. sic ille, *lib. indicato.* & mox adiungit: Quid est, quod in hac coniunctione delectet, in qua sunt solæ pugnæ? aut quæ vtilitas fauet, vbi non sunt officia coniugalia, quando nec ipsa possunt esse secura? hæc Cyprian. Dicit, nec ipsa coniugum officia posse esse secura, quia, teste Apostolo, *Tribulationem carnis habebunt huiusmodi.* 1. Cor. 7. Refert Diogenes Protagoram rogatum à quopiam, cur filiam vnicam in coniugium tradiderit homini valdè inimico, respondisse: Nihil illi dare poteram deterius. sic ille, *in Protag.* Enimuerò si mulier lasciuire incipiat, quid misero fiet marito? Licuit ethnico poetæ dicere:

Viri à fœmineis vitii blanditiis.
S. Cyprian.
Prouerb. 6.
Domini ancillarū amoribus irretiti.
S. Saluian.
Libido domini totam familiam corrumpit.
Periculosa familiaritas viri & fœminæ.
S. Cyprian.
Mala vxore nihil peius.
1. Corint. 7.

Dic mihi, quis potuit lectum seruare pudicum?
Quæ Dea cum solo viuere sola Deo?

Ita Propert. *lib. 2.* Est quidem adulterium, vt Iob appellauit, iniquitas maxima, *cap. 31.* Nam viro sic est dedecorosum, atque infame, vt verè affirmarit S. Hieron. Libentiùs audit maritus vxorem interfici, quàm pollui sic ille, *in cap. 7. Amos.* Quæ nam hac incontinentia? (ait S. Chrys.) de his dicitur: *Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguetur.* Isaiæ 66. Perhorresce minas, formida supplicium. Non est tanta hic voluptas, quanta illic pœna. hæc S. Chrysost. *homil. 61. in Ioann.* At quæ stultitia, quæ temeritas, pro fœda, breuique voluptate sempiternum in gehenna supplicium elucrari?

Propert.
Iob. 31.
Adulterij dedecus infame.
D. Hieron.
D. Chrysost.
Isaiæ 66.

3. Denique fœmina virorum consuetudine faciliùs ob innatam mollitudinem, ac fragilitatem, pertentatur, ac vincitur. Ea verò vbi primum lethi poculum, amorem (inquam) hausit; nulla deinceps audacior, & effrænatior bellua reperitur. hinc illud:

Mira fœminæ turpiter amantis audacia.

Fortem animum præstant rebus, quas turpiter audent.
——Et nihil est audacius illis
Deprensis, iram, atque animos à crimine sumunt.

Iuuen. Satyr. 6.

Debilitatur quidem viris animus in delicto, si deprehendantur; mulieri additur in libidine, quamuis furorem potiùs præcipitem quàm fortitudinem constantem dixerit Seneca, cuius est:

Quid sinat inausum fœminæ præceps furor?

Seneca.

in Hippolyt. Sed magistrum se primò exhibeat pudicitiæ maritus, qui vindex esse vult vxoris impudicitiæ. Nam (vt egregiè scribit Lactant.) exemplo continentiæ docenda vxor, vt se castè gerat: iniquum est enim, vt id exigat, quod ipse præstare non possit. *lib. 6. de vero cultu, cap. 23.* Hanc enim causam Clytemnestra (vt priscorum tradunt historiæ) intemperantiæ suæ habuit, vti cecinit Ouid. *lib. 2. de arte amand.*

Vir vxori sit exemplo pudicitiæ.
Lactant.
Ouid.

Dum fuit Atrides vna contentus, & illa
Casta fuit. Vitio est improba facta viri.

Quòd si vxor marito adultero adhuc fidem præstat, egregia sane laus fœminæ, quæ malè docta ab improbo magistro improbitatem non hausit: si verò fidem violat, iniustus erit vir, qui vindictam repetat: nam vt Seneca, *Epist. 94. ad Lucilium.* his verbis edixit: Improbus est, qui ab vxore pudicitiam exigit, ipse alienarum corruptor vxorum. sic ille. Denique, vt tam lubricum, ac periculosum concludamus negotium, mulieris ingenium vir agnoscat, ac timeat, vt cautè viuat, & mulier seipsam nouerit, vti audaciam cohibeat. *Mulier* enim (vt legimus *Ecclesiast. 7.*) *laqueus venatorum est, & sagena cor eius: vincula sunt manus illius. Qui placet Deo, effugiet illam: qui autē peccator est, capietur ab illa, &c.* cap. 7. O infelicitas hominum deploranda! Vili quadam, sordida, & fugaci delectatione ad immortalitatem creatæ animæ capiuntur, captæque in sempiternos cruciatus detruduntur! In quam sententiam ita S. Aug. Quanta iniquitas, & quàm lugenda peruersitas, vt animam, quam Sanguine suo Christus redemit, luxuriosus quisque propter vnius momenti delectationem diabolo vendat? nimiùm plangenda conditio, vbi citò præterit quod delectat, & manet sine fine quod cruciat. *serm. 150. de temp.* Idem vniuersim de fallaci, & futili vitiorum omnium voluptate, qua cæci homines inescantur, disserens postquam admonuit: Viriliter mollia vitia

Adulter adulteram inique vindicat.
Seneca
Periculosa mulier viro.
Ecclesi. 7.
Animarum interitus libido.
S. August.
Breuis voluptas sempiternus punitur cruciatibus.
D. August.

A abiicite. Rationem egregiam subiicit. Quod enim putatur dulce modò satis esse in breuitate temporum, qoàm amarum erit in ignem æternumquàm graui, & perpetua pœna punienda erit breuitas delectationis? delectatio occidit, & præterit; vulnerauit, & transiuit; miserum fecit, & abiit; infelicem reddidit, & reliquit, *serm. 3. de Nat.* Quisquis igitur & vitiosæ delectationis breuitatem, & sempiternom illius supplicium seriò expendet, haud dubiè non tam insanus, sibique inimicus erit, vt æternum gehennæ incendium momentanea voluptate velit emercari.

Puella pulchra & casta, miraculum.

4. Quid verò tanta laude, admirationéque dignum, quàm puellam (vt scriptura vocat) decoram, venustóque aspectu, & pudicam esse, & inter viros per agros ductando greges pudicissimè B versari. O tempora, ô mores, ô priscam fidem, & honestatem! Inimica solet esse castitati pulchritudo; nec vllum ad libidinem maius, & ardentius incitamentum. Dei quidem donum est polchritudo corporis decorem animæ insinuans, vel delineans; & Creatoris ipsius incomprehensibilem venustatem gratiámque aliquantulum repræsentans. Cæterum (vti est hominum peruersitas, & corruptela) hoc maximè telo perditus, turpísque amor mentes vulnerat, ac deturpat. Hoc præsertim fomite illecebrarum tentamenta & accenduntur, & fouentur. Aureum est naturæ ornamentum, sed eo dæmon abutitur ad spurcissimas vitiorum sordes. *Circulus* enim (legitur) *aureus in naribus suis mulier pulchra, & fatua.* Prouer. C 11. quem locum S. Hieron. aut fortè veriùs Beda sic interpretatur: Circulum aureum si in naribus suis infixeris, nihilominùs ille terram vertere naso, & volutabro luti properat immergi: ita mulier fatua, si pulchritudinem vultus, vel habitus acceperit, suam tamen faciem ad infima declinare: suam speciositatem ad euertendos vbique castitatis flosculos circunferre: & se cœno voluptatis inquinare diligit. sic ille. Itaque leuicula, & lasciuiens fœmina, quæ pulchritudinem oris turpiter exponit, similis porco dicitur: quemadmodum fœda hæc bestia naribus appositum aureum annulum cœno, in quo volutatur, conspurcat, sic impodica mulier auream pulchritudinem à Deo D donatam vitæ polluit impuritatibus. Qoo qoid potest esse detestabilius? Porrò huiusmodi fœminæ tam stultæ, ac turpi, vt porcinam fœditatem amet, atque imitetur, persimilis esse videtur, quæcunque anima rerum Diuinarum scientiam habitu, statúque religioso professa, vitæ nihilominus impuræ sordibus ornamentum cognitionis, aut intelligentiæ, aut etiam status contaminat. sic enim aliter idem autor Salomonis sententiam euoluit: Qui ornamentum Diuinorum eloquiorum meditando consequitur, sed hoc malè viuendo insequitur, circulum aureum habet in naribus: sed more suis terram sobigere non desistit: quia quod odore iustitiæ percipit, immunda actione sordidauit. Ideóque talis anima, mulier pulchra E & fatua esse censetur: quia carnalibus dedita illecebris pulchra est per scientiam, sed per actionem fatua. sic ille.

Periculis plena pulchritudo.

Prouerb. 11.

D. Hieron.

Mulier lasciuiens porco similis.

Pulchritudo fœdata vitys.

D. Hieron.

Scientia cum impuritate.

5. Sed quæ tandem est hominum dementia, vt tam leuiculo, ac propè nullo pulchritudinis bono capiantur? Flaccescit (inquit Clem. Alex.) pulchritudo, & citiùs, quàm folia, homi decidit, quando amatoriæ eius petulantiæ procellæ expirauerint, & priusquam venerit autumnus, marcescit, & interit. hæc ille, *3. pædag. cap. 1.* Nimirum vbi se flosculi produnt pulchritudinis, aspirant illico amantium desideria, suspiria, curæque, atque A adeo nusquam animum, & vitam passa consistere amoris quædam velut tempestas; deinde post inqoietudinum turbines accenduntur æstus flammarum, quibus correpta, & auide vorata corporis pulchritudo in ipso iuuentutis vere ante virilem maturitatem in cineres abit, & fauillas. Cæterùm maius illud malum pulchritudinis, quod in Helena totus penè orbis deplorauit. Quam historiam repetens Clem. Alex. exclamauit: O adulteria incitantem pulchritudinem! Græciam euertit barbarum sui ornandi studium, & effæminatæ deliciæ. Laconicam pudicitiam corrupit vestis, & luxus, & pulchra species. Propter effrænatas, voluptates Græcia, & Asia commotæ sunt. A barbaro adolescentulo omnia agitantur. Tota Græ-B cia nauigat, vehementia erumpunt prælia, campi implentur cadaueribus, dominatum obtinet iniquitas, pectora pulsantur planctibus, & luctus terram possidet, &c. *lib. 3. pædagog. cap. 2.* Vnius quidem fœminæ pulchritudo, & lasciuia, Græciam & Phrygiam propè vniuersas labefactauit in bello Troiano. quare licuit poetæ lamentari.

Breui transiens pulchritudo.

Clem. Alex.

Iuuentutis venenũ pulchritudo.

Clem. Alex.

Helena pulchritudo exitialis.

Troianum bellum.

Troia nefas commune sepulchrum Europæ, Asiæque:
Troia virûm, & virtutum omnium acerba cinis.

Catull. in Carm.

Non est igitur corporis, sed animæ quærenda, & amanda pulchritudo, quæ & vera est, & constans, & salutem, immortalitatémque sempiternam importat. In sola vero anima (vt subnotauit idem Clem.) pulchritudo apparet, & turpitudo; & ideò is solus, qui est virtute præditus, is verè C est pulcher, & honestus. Sola virtus vel per pulchrum corpus apparet, & in carne efflorescit, moderationis speciem amabilem ostendens, quando mores tanquam lux quædam in forma resplenduerint. hæc Alex. *2. Pædag. cap. 12.* Virtus itaque sola est animæ pulchritudo, quæ non interiùs cohibetur, sed foras egreditur; inde siquidem veluti sol ad externam corporis structuram splendores suos diffundit. sunt autem modestia, pudor, temperantia, sobrietas, & similia pudicitiæ ornamenta, quæ ab interiore anima procedunt, & in corporis functionibus splendescunt.

Vera & sola pulchritudo animæ.

Clem. Alex.

Anima pulchritudo vt sol splendescit.

Pulchra animæ ornamenta.

6. Laudanda etiam Rachel eo sobinde capite, quòd pulchra esset natiuo decore contenta, non domi ad vmbram in penetralibus assideret, infati-D gabile studium impendens poliendæ cuti, ori colorando, & crinibus eleganti lenocinio commendis; sed vt erat puella, & venosta, agros, & saltus, non æstum, non frigora, non imbres, & auras timẽs, pastoritiam, & laboriosam vitam agens peragraret. Rachelem inspiciant, & ad illius modestiam suffundantur pudor, quæcumque nimium, hoc est meretriciũ (vt rectè appellat Clem. Alex.) ornandi sui studium domi exercent. Quæ quidem mulieres (vt scribit) domus apud maritos seruandæ, administrandæque familiæ curam gerunt exiguam; sed soluta mariti crumena, quæ eis suppeditantur, conuertunt in suas cupiditates, & quòd pulchræ videantur multos testes habent, & ornandi artificio toto die assidentes vacant: carnem E ergo mollem & suauem reddont. sic ille. Qualis ergo status erit familiæ, vbi vana, & stolida mulier, soli suæ cuti poliendæ, orique ornando totum studium, curámque impendit? Vide nunc etiam artem, & fraodem molieris næuos, & vitia, occultantis, & fallacem speciem ostentantis. Et interdiu quidem (adiungit) in thalamis versantes, arti ornandi affixæ sunt, ne floridis coloribus depictæ deprehendantur. Vesperè autem tanquam ex antro ad lucernam prorepit hæc adulterina pulchritudo. Nam lux paulò obscurior incrustationi earom opem fert. hæc ille, *3. pædag. cap. 1.*

Pulchritudo natiua sine fuco.

Nimium ornandi studiũ.

Clem. Alex.

Mulier lenocinio curas & opes impendit.

Clem. Alex.

Hoc

Hoc vnum, & perenne folet effe poliendi, & colorandi faciem miferis, ac fatuis ftudium, vt pulchræ appareant, non quidem ad lucem, qua fucus, & mendacium proditur; fed ad vmbram, in qua quæ funt afcititia pro innatis, falfa pro veris facile reputantur.

Ars & dolus in lenocinio.

Atque id quidem non modò rerum omnium opifici Deo, fed etiam toti familiæ, cuius curam defpiciunt, &(quod valde mirandum eft)ipfi quoque naturali pulchritudini, fi qua eft, ori, corpori, falutíque eft iniuriofum.

Valde iniuriofum lenocinium.

Clem. Alex.

Hæc omnia idem Alex. Clem. ftatim digerit in hunc modum. Non intelligunt miferæ fe propriam perdere pulchritudinem, dum externam inducunt. Summo itaque manè fe lacerantes, & extendentes, variífque, ac confufis mixtionibus effingentes, viuum quidem cutis colorem refrigerant, carnem venenis effodiunt, curiofifque, ac fuperfluis abfterfionibus proprium decoris florem corrumpunt, & marcidum efficiunt. fic ille.

Lenocinio perditur pulchritudo.

Sanè perquàm ridiculum eft, & quotidie vifitur, fuperiùs incruftationem in fœmineo vultu nitere; fubtúfque ipfam carnis cutem vitio natiuo pallefcere. addit ergo:

Ridiculū fœmina lenocinium.

Clem. Alex.

Quocirca ex cataplafmatibus cernuntur pallidæ, & a morbis facilè arripiuntur, vt quæ adumbratam carnem venenis iam liquefactam habeant, hominum opificem contumelia afficientes, tanquam, qui pro meritis non fuerit eis largitus pulchritudinem. Iure ergo, quod ad domum feruandam, & adminiftrandam familiam attinet, funt otiofæ, vt quæ fedeant veluti depictæ ad fpectaculum, non natæ ad domus cuftodiam, familiæve adminiftrationem. hæc ille, *indicato loco.*

Fœmina vti ftatua depicta.

C Sed ô miferos illarum maritos, quorum opes in iftam contumeliam & vanitatem effunduntur! ô infelices familias, quibus componendis & curandis non matres inuigilant; fed in quibus fimulachra malè depicta ad externorum lafciuiam, & domefticorum ignominiam exponuntur!

7. Atque ô deplorandam iftarum matrum fobolem! Iccirco enim tam curta eft æui nunc breuitas, tam multa paffim, & noua quotidie prodeūt morborum genera, tótque in ipfis ftatim primis pueritiæ, aut iuuentutis annis earum liberos intempeftiua mors corripit, & funere mergit acerbo; eo quòd de vitiofa, tabida, veneníſque (vti fublimato) ad ementiendam pulchritudinem

Nocet fœtus lenocinium matris.

D infecta radice nati prodierunt. Plura in hanc fententiam à Patribus congeruntur; femper enim in Ecclefia Chrifti nimium iftud, & ad libidinem arte compofitum in fœminis lenocinium damnatum fuit; atque in primis infignia funt, &(vt vocat)grandis dictionis exempla, quæ S. Aug. *lib. 4. de doctrina Chriftiana, cap. 21.* commemorat, ex S. Cyprian. *Epift. de habit. Virg.* & S. Ambrof. *lib. 1. de Virg.*

D. Auguft.

Et quidem Cypriani verba iam alibi omnia retulimus, & non pauca fimiliter Ambrofij. Ambo autem (inquit Auguft.) inuecti funt in eas, quæ formam pigmentis colorant, vel potius decolorant.

D. Ambrof.

Adulterium vultus fucus.

Ambrof. quidem: Hinc illa, inquit, nafcuntur incentiua vitiorum; vt quæfitis coloribus ora depingant, dum viris difplicere formidant, & de

E adulterio vultus meditantur adulterium caftitatis. Dum verentur maritale iudicium, perdiderunt fuum. Prior enim de fe pronunciat, quæ cupit mutare quod nata eft. ita dum alij ftudet placere, priùs ipfa fibi difplicet. hæc S. Ambrof.

Præftringitur vanum lenocinium.

Vt nulla iam iftarum caufari poffit in hoc fuo ftudio lenocinandi, & comendi, iuftum & caftum amorem mariti, cui pulchra, & compta placere ftudet. Sic enim magis difplicet, dum fe aliam ac nata & nupta eft, adulterino ornatu effingit. Et (quod miferæ plus doleat) fuam marito inculcat deformita-

A tem, quam exquifitis lenociniis occultare nititur, aperte fibi diffidens, ac difplicens, dum a pigmentorum fuco, & veftium elegantia decorem alienum, cum natiuo careat, vel furatur, vel emendicatur.

D. Ambrof.

Belle igitur addit Ambrof. Quem iudicem mulier veriorem requirimus deformitatis tuæ, quàm teipfam, quæ videri times? Si pulchra es, cur abfconderis? fi deformis, cur te formofam effe mentiris, nec tuæ confcientiæ, nec alieni gratiam erroris habitura? Ille enim alteram diligit, tu alteri vis placere. & irafceris, fi amat alteram, qui adulterare in te docetur? Mala magiftra es iniuriæ tuæ, &c. hæc S. Ambrof.

Superfluum maritata lenocinium.

D. Auguft.

Ex quibus colligit S. Auguft. Satis, vt exiftimo, apparet fœminàs, ne fuam fucis adulterent formam, & ad pudorem, & ad ti-

B morem hac facundis vehementer impelli. Proinde grande omnino genus hoc elocutionis agnofcimus. hæc S. Auguft.

8. Coaceruarunt miferæ ad effingendam hanc pulchritudinem ornamentorum, veftium, & variorum vtenfilium comendi, & colorandi, fupellectilem, dicam, an armamentarium?

Clem. Alex.

Multiplex varietas ornamētorum.

Certè Clem. Alex. longam admodum feriem rerum huiufmodi, ac nominum ex Ariftophane comico narrationem diducens feffus tandem narrando concludit: Ego quidem defeffus fum, & indignor dicendo tot earum ornamentorum multitudinem. Mihi autem in mentem venit admirari quòd ex non enecentur, dum tantum onus baiulant. O curam valde inanem. Vanam, & infanam gloriæ cupidi-

Vanū corporis lenocinium.

C tatem! Ritu meretricio opes effundunt in probra, ac dedecora; fuáque improba, & arroganti ftoliditate Dei dona corrumpunt, & adulterant, artem maligni imitantes. hæc ille, *2. pedag. cap. 12.* Et quidem omnia hæc ornamenta & pigmenta comparantur in ftudium, curam, & cultum corporis, quod lutum eft, puluis, & cinis, & quàm primùm in cineres refolutum, & vermibus efca euanefcet. At animæ, quæ potior, ac nobilior pars eft, nulla omnino habetur cura.

Nulla cura habetur animæ.

D. Chryfoft.

O deteftabilem hominum dementiam! Ignoras(inquit S. Chryfoft.)ciuitatis principem magnificè magis, quàm ciuitatem ornari oportere? propterea principi purpura, & diadema contexta funt. Pariter ergo tu etiam viliora corpori tribue; animam verò purpura atque co-

D rona magnificè polias, & in fublimi folio atque fplendido federe facito. hæc ille, *hom. 70. in Matth.*

Anima ornāda vt regina.

Eft enim anima corporis regina; iftud autem vile mancipium. Quid igitur tam indecens, atque ab omni ratione alienum, quàm vt regina lateat in fqualore; at mancipium pulchro, diuitéque in folio refideat? Quid tam præpofterum, ac ridiculum, quàm vt domus tota ferico, & auro refplendeat; at ipfe domus habitator nudus in cinere & cilicio federe compellatur?

D. Chryfoft.

Ornāda anima nō corpori ftudendum.

Bene idem Chryfoft. adiungit: Si quis domum tuam aureis tapetis depenfis ornare velit, te verò nudum in ciliciis federe cogeret; non æquo animo id ferre poffes. Nunc verò non alius, fed tu ipfe domicilium animæ tuæ, id eft, corpus, auro, & gemmis exornas; animam

E verò in turpitudine cilicij fedentem negligis. ita S. Chryfoft.

Clem. Alex.

Quamobrem (vt rectè monet Clem. Alex.) non externi hominis afpectus, fed animus probitatis ornamento ornandus eft.

Continentia corporis ornamentum.

Dici poteft ornandam quoque effe carnem ornamento continentiæ. Mulieres autem iftæ non animaduertunt dum colunt id quod eft extrinfecus, quæ intus in profundo fita funt, effe planè inculta, horrida, & fterilia. hæc ille, *3. pedag. x.*

Pulchritudo & ornatus in moribus.

Tertull.

9. Itaque verus ornatus ipfa virtus animæ eft: pulchritudinem fancti mores efficiunt. quod ex Tertulliano audiant fœminæ, qui fic illas affatur:

Prodite

Prodite iam medicamentis, & ornamentis extructæ Apostolorum: sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia, & spiritus taciturnitate inserentes in aures sermonem Dei, annectentes ceruicibus iugum Christi. Caput maritis subiicite, & satis ornatæ eritis. Manus lanis occupate, pedes domi figite, & plusquam in auro placebunt. Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ. Taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem. hæc ille, *ad finem lib. de cultu famin.* Planè si quantum suæ famæ officiunt, attenderent, ab isto inani, & infami studio prorsus abstinerent. suas enim corporis ornatu nimio infamant animas. Quemadmodum enim (inquit Clemens Alexand.) cui impositum est cataplasma, & cui inuncti sunt oculi, vel ipso aspectu præbet morbi suspicionem: ita faci tincturæ, & colores illitæ animam intrinsecus ægrotare significant. Hæc ille, *3. pedag. cap. 2.* bellè dictum, ornatur corpus? anima ægrotat. An non Christiani symbolum est, vt templum Dei sit iuxta illud Apostoli: *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus sanctus habitat in vobis?* 1. Corint. 3. Et quidem templum apud Christianos ita construitur, vt licet externa facie speciosum videatur, maxima tamen illius maiestas, amplitudo, gloria, diuitiæ, & pulchritudo, & quæ in illo potissimum visenda, & augusta sunt, in ipsa interiori parte ædificij, parietum, adytorum, & altarium conspiciantur. Sic planè Christiani (vt loquitur S. Gregor. Nazianz.) externam speciem, ac velut picturam parum admodum curamus: in interno autem homine multo plus operæ, studijque ponimus; idque potissimum studemus, vt spectatorem ad ea, quæ animo cernuntur, retrahamus. hæc ille, *orat. 3. in Iulianum.* Hoc igitur Christiani debet esse studium, curáque omnis, vt externum negligat ornatum, internum amet, & comparet. Vbi enim insignis est ornatus corporis; animæ autem incuria, deformitas, ac turpitudo: ibi non Christi templum, sed Ægyptium delubrum visitur, in quo quicquid erat externum, mira pulchritudine, & magnificentia extructum visebatur: at in adytis sacratioribus, & templi penetralibus spurcissima pro dijs animantia colebantur.

Ornatus Christianæ mulieris.

Ornatus corporis animã ægrotam innuit.

Clem. Alex.

Christiani Dei templũ.

1. Corint. 3.

S. Greg. Naz.

Christiani cura de interno ornatu, non curia de externo.

Templũ Ægyptium corporis ornatum, & animæ incuria.

10. Hoc ipsum docuit Clemens Alex. hisce verbis: Huiusmodi sunt etiam ornamenta Ægyptiorum, apud quos templa, eorúmque porticus, vestibula, ac luci magnificè instructi; eorúmque atria [...] columnis cincta sunt: parietes autem lapidibus externis, & artificiosè depictis resplendent, ita vt nihil desit; ædes autem auro, argento, & electro collucent, & ex India, atque Æthyopia varijs fulgentibus lapillis: adyta verò intextis auro obumbrantur peplis. hæc ille, *lib. 3. pedag. cap. 2.* de apparatu externo templi Ægypti, cui persimilis est mulierculárum iste meretricius corporis ornatus. At de interna turpitudine templorum, & animarum ita progrediens disserit: Sed si penetralia templi ambitus subieris, & ad eius, quod est præstantius, spectaculum properans, imaginem, quæ templum habitat, quæ sieris, sacerdos quispiam graui, & venerando vultu aspiciens, & Ægyptiorum lingua pæanem concinens, tum veli aliquantulum contraxerit tanquam Deum ostensurus, abunde nobis suppeditat occasionem ridendi numinis: intus enim inuenitur felis, vel crocodilus, vel serpens, vel aliqua eiusmodi bellua, quæ templo quidem est indigna, sed antro, ac cæno magis congruit. Apparet Deus Ægyptiorum bellua, quæ super vestem stragulam purpuream volutatur sic ille. Quid quæso magis indignum templi ornatu magnifico? quid tam ridiculum, quid etiam tam execrandum? Colligit denique in hunc modum: Sic mihi videntur fœminæ, quæ aurum gestant, & in crispandis crinibus exercentur; & in genis vngendis, oculísque pingendis, & pilis tingendis versantur, & aliam mollitiem atte improba persequuntur, carnalem ambitum ornantes, & vere Ægyptios imitantes infelices amatores attrahere. sic ille de meretricio istarum ornatu. at de interna fœditate demum ita concludit: Sed si quis veli templum aperuerit, vitam inquam, vestem, aurum, fucum, tincturam, & quæ eis intrita, & incrustata sunt, hoc est, velamentum quod ex eis contextum est, tanquam illic veram inuenturus pulchritudinẽ rectè scio eum abominaturum. Non enim Dei imago habitat, sed loco eius fornicatrix & adultera animæ occupauit adytum; & vera esse bestia conuincetur, fuco scilicet intrita, & incrustata simia, & seductor ille serpens mentis excedens intelligentiam pro spelunca habet animam, & cum erroris sui virus eructauerit, mulieres in meretrices transformat hic draco, fungens lenonis officio; non est enim mulieris, sed meretricis illud nimium sui ornandi studium. hactenus Clem. Alex. Atque vtinam miseræ suam istam internam, & propriam fœditatem intuentes ab externæ, atque alienæ, falsæque formositatis amore, studióque animum auerterent, nec sese oculis intuentium Ægyptiacum delubrum bestijs dicatum spurcissimis exhibeant, sed Christi templum, & Christianæ honestatis sacrarium.

Clem. Alex.

Ridiculũ Ægypti templũ.

Clem. Alex.

Clem. Alex.

Fœditas in meretricio ornatu.

Clem. Alex.

A diabolo lenone meretricius ornatus.

11. Horum omnium, quæ de ornatu, ac pulchritudine diximus, opportunam satis occasionem præbuit Rachel Virgo, vt scribitur, decora, & venusta; quæ tamen ornata, & compta non legitur, sed in agris, ad auras, soles, & imbres duriorem vitam agens puella casta, & pulchra in pascendo grege laborabat: digna sanè, quam Dei Filius homo futurus vnam inter cæteras sui generis humani auias deligeret, quæ tum etiam eo pulchrior, & purior, quòd futuram de suo semine semper Virginem Dei Matrem præcellenti admodum symbolo repræsentaret. Fuit quidem beatissima Virgo admirabili super omne genus mulierum, vti decebat Reginam mundi, pulchritudine: nec enim in terris aliquid adeo pulchrum existit, quod ad exprimendum Virginis decorem à cœlesti Sponso assumeretur. in cælo tantùm Virginalis pulcritudinis aliquales vmbræ, ac lineamenta visuntur. Hinc est quòd pulchra vt luna, electa vt sol, castrorum (scilicet Angelicæ naturæ) acies ordinata dicitur; & decora sicut Hierusalem, vtique illa cœlestis, in qua beatorum mentes inenarrabilem Dei gloriam contemplantur. At externa hæc est tantùm facies, huius templi exterius vestibulum, primíque aditus. Sacratior illa, quæ interior templi Virginei pars, longéque speciosior: vbi maiestas oris, vultus modestia, genarum pudor, incessus grauitas, motus omnis concentus, atque omnium sensuũ, operationum, & totius habitus admirabilis gratia relucebat, oculos, & animos intuentium, & contemplantium dulcedine, paríque stupore detinebat. Quod etiam complecti voluit Angelus cum dixit: *Aue gratia plena.* Occurrit Rachel peregrino Iacobo, cessitque in eiusdem coniugium, in quo etiam Virginem beatissimam præfigurauit, quæ nimirum Deo redemptionem humani generis decernenti per incarnationem Diuini Verbi, sola inquam ex vniuerso sexu mulierum, quæ vel essent, vel creari possent, occurrit. vt in filiam Æterni Patris, in Matrem Filij, & in Sponsam Spiritus sancti, atque in totius sanctissimæ

Rachel typus B. Mariæ.

B. Mariæ pulchritudo incomparabilis.

Cant.

Species interior & exterior B. Mariæ.

Luc. 1.

B. Maria electa in Dei Matrem.

simæ Trinitatis augustissimum templum deligeretur. Gratum sane, ac dulce peregrinationum, & laborum suorum in præmium Iacobus Rachelem accepit: felicésque illæ haberi debent ouiculæ, quæ a tam pulchra, & pura Virgine pascebantur! felices agri, felicia pascua, quibus virgineæ plantæ ductando gregem impressæ vagabantur! Sed quid hoc ad Virginem Dei Matrem de cuius plenitudine gratiarum cæli terræque conspersi plausu festiuissimo collætantur?

S. Germ. Laudāda & inuocanda B. Maria.

12. Dicamus & nos cum S. German. Archiep. Constant. Nos te ô Domina Dei genitrix, fide benedicimus, desiderio honoramus, & metu adoramus: te semper extollentes, te laudantes, & te venerabiliter beatam pronunciantes! Beati qui te viderunt, beati qui tecum sunt versati, beati qui tibi seruierunt: beata loca tua, beatus lectus tuus, & beatum sepulchrum tuum. Tu es enim honor honorum, & præmium præmiorum; & altitudo altitudinum. sic ille, *de præsent. Virgin.* Pascebat oues Rachel eò tantum quòd illas ad pascua duceret: at multò veriùs. ac feliciùs a Virgine Dei Matre pascimur; benedictus enim fructus ventris illius est Dominus IESVS, qui est panis vitæ; & rite manducantibus vitam præbet æternam; de quo ipsamet Virgo cecinit: *Esurientes impleuit bonis.* Luc. 1. Quicquid enim gratiarum, & cœlestium donorum mentes hominum esurire, ac desiderare possunt à Virgine Matre, illa scilicet nube leui, super quam Deus ipse ascendit magnificentissimè, ac suauissimè descendit. Hinc illa egregiè ad beatam Virginem dicuntur ab Idiota pio, & prisco autore: De tua supereminenti Virginitate iuste dici potest quod scribitur: *Pulchritudinem candoris eius admirabitur oculus; species celi est in visione gloriæ.* Eccles. 36. & Isaiæ 11. *Ascendet super nubem leuem.* Vt sit visibilis imago solis, cum fit arcus, sed non nisi in die profusionis pluuiæ species solis consistit in splendentium radiorum emissione; & significat in te. aduocata nostra Virgine Maria largam gratiarum affectionem in omnes qui se conuertunt ad te. sic ille, *lib. de contemplat. Virg. cap. 2.* Dicitur quidem Virgo beatissima & arcus cæli, & nubes leuis: arcus sole irradiante collucens, & variorum colorum admirabili venustate depictus. Plena siquidem Deo Mater Virgo donorum omnium supernaturalium & cœlestium gratiarum incredibili varietate irradians admirabiles iuxtà, & amabiles, in cælum, in terrásque suæ pulchritudinis, & maiestatis dimittit splendores. Nubes verò leuis, ab omni vitio, labéque humanæ concupiscentiæ libera, per quam purissima verbi Diuinitas in terras descendit, & quæ sola potuit venienti Deo in terras & Matrem desideranti dicere: *Ecce ancilla Domini.* Luc. 1. hoc est (inquit Andr. Cret.) Ecce parata sum, & nihil prohibet: animus promptus est, vterus opportunus, vtpote minimè inquinatus, & soli seruatus Creatori. Eccce ancilla Domini ad obediendum parata, ad seruiendum idonea, ad suscipiendum prompta. hæc ille, *de annunt. Virg.*

Lucæ 1. Fons gratiarum B. Maria. Idiota. Eccles. 36. Isaiæ 11. B. Maria cæli arcus, & nubes leuis. Effusio gratiarum à B. Maria. Luc. 1. Andr. Cret. B. Maria Deo se exhibet promptā.

13. Neque verò nouum, & incredibile omnino videri debet, Rachelis venustatem cum pudicitia coniunctam in puellari ætate per agros, etiam inter viros illæsam conseruati: austeram quippe, rigidam, & ab omni deliciarum genere abhorrentem ductrix illa ouiom vitam transigebat. Non nisi inter spinas rosa nascitur, nec suam diu gratiam, & decorem retinet. nisi inter spinas: mollibus tacta manibus, natiuo spoliata rigore syluatum, citò marcescit. Quid enim tam inimicum & iniquum pudicitiæ, omníque virtuti, quàm deliciæ in mensa, in lecto, in vestitu? Hinc illud Apostoli iudicium de vidua parum honesta: *Quæ in delicijs est, viuens mortua est.* 1. Timoth. 5. *Mortua*, dicit quia velut in putridum, & purulentum cadauer in ipso turpium libidinum cœno iacet consepulta, quæ delicate corpus suum curat. Etenim (vt ad locum Pauli animaduertit Theod.) immodicæ deliciæ rationem obruunt, & efficiunt, vt in corpore tanquam in aliquo sepulchro iaceat. sic ille. Sententiam Apostoli euoluens S. Hieron. omnem deliciarum vsum Saluianæ nobili, & adolescentulæ viduæ adimit hisce verbis: Procul sint à conuiuijs tuis phasides aues, crassi turtures, attagen Ionicus, & omnes aues, quibus amplissima patrimonia auolant. Comedant carnes, quæ carni seruiunt, quæ maritis alligatæ sunt. Tu verò quæ in tumulo mariti sepeliisti omnes pariter voluptates, &c. nihil habes necesse aliud, nisi in ieiunio perseuerare. Pallor, & sordes, gemmæ tuæ sint: plumarum mollities iuuenilia membra non foueat: balnearum calor nouum adolescentulæ sanguinem non incendat. hæc S. Hier. *Epist. ad Saluian.* Obiter expende, quàm bellè ac verè dixerit auolare patrimonia in epulis: quotidie siquidem amplissimos familiæ reditus, & ingentia hæredibus relicta patrimonia, ac thesauros opulentissimos, quos diuitum solicitudo acquisiuit, & auorum tenacitas multo, & longo sudore congestos custodiuit, breui tempore ab helluonibus liguriri, & consumi videmus. In pærnemiam iam abiit filius ille prodigus, qui acceptum patrimonium ipso plane momento ita prodegit viuendo luxuriosè; vt pene nudus, faméque enectus ad quærendas porcorum siliquas sese abiecerit. *Luc. 15.* Pallor igitur, & sordes, ornamenta sunt, & gemmæ viduarum, ieiunium, totiúsque habitus, & vitæ rigor, deliciæ. Nec verò tantùm omnis deliciarum corporis, sed etiam parietum, & tectorum vsus ab honestate viduæ ablegandus est. quod idem S. Hier. ad locum Apostoli sic ostendit: Quicquid modum naturæ excedit, delicijs deputatur. Hic maximè nostri temporis viduas tangit: quæ cum hominem suæ naturæ qualicunque panno non vestiant, parietes preciosis marmorum crustis exornant. sic ille. Ea quidem est virorum, ac mulierum interdum impietas, & amentia, vt cum ad ornatum, & elegantiam parietum ingentes sumptus effundant, si pauperculus fores pulset, stipémque inclamet, ne obolum quidem se habere dicant.

Castitas in vita austera. Deliciæ inimica castitati. 1. Tim. 5. Corpus delicatosum castitatis sepulchrum. Theod. D. Hieron. Abstinentia ad seruandā castitatem. Castitas in vita austera. Helluones patrimonia liguriunt. Luc. 15. Viduæ à delicijs alienæ. D. Hieron. Parietes ornare, & pauperes despicere.

14. Sed ad vitam Sanctorum au[...]m, & laboriosam redeuntes, illam Tertulliani sententiam quotidiana ipsa experientia comprobari videmus. Virtus duritia extruitur, mollitie verò destruitur, *lib. ad Martyres.* Agresti, & pastoritio amictu Rachel induta quidni ab omni mollitie pudicitiæ robur eneruante alienam vitam ducat? Qui verò fieri potest, vt delicatæ puellæ mollissimis, ac preciosissimis amictæ indumentis constantem, & insuperabilem conseruent corporis, & animæ puritatem? molle siquidem vestimentum (autore S. Chrysost.) etiam fortem dissoluit, & frangit animum, & diffundit. Et licet corpus acceperit asperum & durum, id molle reddit, & imbecillum. *homil. 29. in Epist. ad Hebræos.* Quod si robustum viri corpus mollitudine vestium eneruatur, quid fiet imbecilli, & delicatulo puellæ corpori, cum tenuissimis, & delicatissimis amicitur vestibus? Quid etiam de mensis, & reliquarum deliciarum genere dicam, quibus affixi mortalium plures carnem (vt loquitur S. Chrys.) adipant, & animam frangunt, ac molliunt, & graue onus conficiunt,

Tertull. Virtus in duritia, non mollitie. Molle vestimentum eneruat. D. Chrysost. Deliciæ nocēt puellis. D. Chrysost.

&

& multas tenebras, & crassum velum obtendunt? sic ille, *hom. 39. in 1. Cor.* Probat deinde assumptum hoc modo: Nam deliciis quidem id quod est melius, redigitur in seruitutem; quod est autem peius, dominatum obtinet: & illud quidem vndique excæcatur, mancumque, ac mutilum trahitur: hoc autem in omnes partes agit, cum deberet esse in loco, & ordine eorum quæ aguntur. ita S. Chrys. ostendit quantum animæ officiant deliciæ corporis: sed hoc idem deliciis labefactari ad hunc modum probat: Corpus eget alimento, non deliciis. Corpus opus habet, vt alatur, non vt infringatur, & dissluat. Neque enim animæ tantùm, sed etiam ipsi corpori hostes sunt deliciæ. Nam pro robusto fit imbecillius, & pro firmo mollius, & pro salubri valetudinarium, & pro leui grauius, & pro denso rarius, & turpe pro formoso, & pro bene olente peiùs olens, ac fœtidum, & pro mundo immundum, & vetus pro nouo, & putridum pro forti, &c. hæc S. Chrysost.

Deliciæ animam ligant, & debilitant.

S. Chrysost.

Deliciis corpus debilitatur.

15. At obiicies Virginem virginum Matrem Dei affluentem deliciis a diuino Spiritu celebrari cum scribitur: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Cãt. 8. Non sunt Virginis deliciæ, quas hucusque inimicas puritati damnauimus. Illæ quidem sunt deliciæ, quæ summam post Deum continent, & redolent puritatem. Ascendere dicitur de deserto, seu non in ipsa infœcunditate prolis, quam secum Virginitas affert, consistere: sed de sterilitate ad fœcunditatem, de maledicto, quo sterilis feriebatur, in benedictionem puerperæ ascendere. Hæ pulcherrimæ, suauissimæ ac purissimæ deliciæ, vt eadem Virgo sit, & Mater: intemerata, & Angelicis mentibus purior fœtum concipiat, partum edat, Filium Virgineis lactet vberibus; ancilla sit, & Mater Dei. Quare ipsa Virginis puritas, simul cum conceptu, & partu Dei Filij sui semper Virginem Matrem suauissimis, & inexplicabilibus gaudiis, ac deliciis cumulauit. Quidni enim (ait S. Bern.) delicias dixerim virginitatis decus cum munere fœcunditatis? *serm. 4. de Assumpt.* Cæterum corporis delicias illa nesciuit, quæ vitam omnem in summa paupertate, fuga, exiliis, doloribus, angustiis, & Iudaici populi insectationibus simul cum Deo ipso Filio suo in exemplum admirabilis patientiæ, vsque ad suam in cælum Assumptionem transegit. quod ipsamet beatissima Vir[illegible]ificauit illis verbis: *Nolite me considerare quod fusca sim: quia decolorauit me sol: filij Matris meæ pugnauerunt contra me. Vineam meam non custodiui.* Cant. 1. Nigrorem suum dicit illam ærumnarum multitudinem, & magnitudinem, quam in passione, ac morte Filij sui pertulit, cum vidit suis oculis Solem iustitiæ Deum hominem, quem ipsa Mater Virgo Filium ediderat, ac nutrierat, ignominiosæ mortis caligine occultari: cum seruare non potuit saluum, & incolumem à suæ gentis, Iudaicæ nimirum, odiis acerbissimis, quem in Ægypto inter alienigenas, & infideles Puerum custodierat. Quænam ergo vitæ asperitas, quis pœnitentiæ rigor, quæ Martyrum patibula cum Deiparæ Virginis doloribus pro Filij passione susceptis aliquo pacto queant comparari?

Deliciæ B. Mariæ, vt Virgo & Mater Dei sit. Cantic. 8.

S. Bernard.

B. Mariæ vita laboribus & doloribus plena.

Cant. 1.

Incomparabilis dolor B. Mariæ in passione Filij.

SECTIO III.

Quam cùm vidisset Iacob, & sciret consobrinam suam, ouésque Laban auunculi sui: amouit lapidem quo puteus claudebatur.

1. Vidit Iacob Rachelem cum suo grege ad puteum accedere, quam à pastoribus audierat filiam esse Labani auunculi sui; cumque intelligeret, solam expectari, operculum illud putei sustulit, vt in consobrinam, & futuram coniugem officiosus videretur. Sed qui fieri potuit, vt solus quod multi simul vix possent, haud difficili negotio præstaret? Erat quidem (vt ferebant illa tempora) iuuenis, & natura robustus, & castitas corporis vires auxerat: non quales hodie iuuenes, dum intemperanter indulgent Veneri, fracti viribus, ac miserè debilitati elanguescunt. Nimiùm ardore concupiscentiæ adolescentes exæstuant, & dum se blando illo, sed lethali incendio comburi sinunt, dissoluta compage artuum exhausta corpora, immaturo funere, in sepulchrales cineres rediguntur; & dum cœco impetu rapti nauem in salo appetitioum turbinibus conquassandam tradunt, breui & virium, & vitæ miserandum naufragium faciunt. In adolescentibus enim (ait S. Chrys.) maius est naturæ incendium, maior concupiscentiæ tempestas, infirmiora consilia; ratio, quæ vitia gubernet, infirmior. ita Chrysost. *Epist. ad Olymp.* Quis verò in multis præliis diu, multúmque certauit, & nullum accepit vulnus, numquam periclitatus, sed omnino euasit illæsus: maximè si cum armatis inter flammarum globos, & incendiorum volumina conflixit? Multa quippe (vt scribit S. Hieron.) corporis bella sustinet adolescentia, & inter incentiua vitiorum, & carnis titillationes, quasi ignis in lignis viridibus, suffocatur sapientia, *Epist. ad Nepot.* Dicit optimè in ætate iuuenili, vbi omnia ignescunt quamcunque prudentiam carnis titillationibus, atque illecebris, quasi tenuem ignis scintillam in humida, & incocta stirpium materia sopitam extingui. Vigilandum ergo adolescentibus est, ne incauti libidinum occasionibus, ac tentamentis sese immiscéant. sola vitæ, victoriæque spes in fuga est. Vel ipsa nocet aura iuuentuti: cum proinde S. Greg. Nyss. iuuenem appellet florem, qui marcescit. *lib de Creat. hom. cap. 16.*

Adolescentes exhausti venere moriuntur immaturi.

Adolescentia periculosa. S. Chrysost.

D. Hieron.

Sapientia in iuuene à libidine opprimitur.

S. Greg. Nyss.

2. Igitur adolescentibus præcipuè commendatur illud Cyprian. Auertite occasiones impuras. Amputanda sunt omnia vobis quæcunque igniferi fomitis sulphurantibus flammis candens fornax ebullientis carnis exæstuat, ne vel tenuis quidem scintilla maiora conflet incendia; quod Salomon manifestat, dicens: *Ab scintilla vna augetur ignis.* Eccles. 11. hæc S. Cyprian. *de singul. Cler.* Periclitatur nauis, si vel tantula scintilla inter pulueris tormentarij capsulas forte inciderit: haud dubiè, nisi summo consilio, atque præueniator, omnes epibatæ cum ipso myoparone pariter conflagrabunt. Et securum se ducet iuuenis, cum inter ardentissimas gehennæ prunas voluptatum scilicet irritamenta discurrat? Quòd si lasciuia, & intemperantia in adolescentibus iure damnatur, quàm graue quæso piaculum erit ætate senem, iuueniliter lasciuire? Enimuerò (vt rectè scribit Philo Hebr.) sicut non eadem discunt viri, quæ pueri, sed suæ cuique ætati disciplinæ conueniunt: sic interdum natura fert, vt animæ pueriles maneant etiam in senilibus corporibus, &

S. Cyprian.

Vitanda occasio impuritatis.

Adolescentia exæstuat libidinibus.

Philo Hebr.

Libido in senibus.

Castitas vires corpori adijcit.

& contra perfectæ inueniẽtur in florentibus adhuc,& pubeſcẽtibus.ſic ille,*lib.de profugis*. Quid mirum igitur ſi Iacob adhuc iuuenis,& peregrinus poſt longos, ac permoleſtos itineris labores tanto polleat animi,corporiſque robore, cũ animi,& corporis caſtitatem coluerit?

S. Cyprian. Encomia castitatis.

Egregia ſanè deſcriptio caſtitatis apud S. Cyprianum legitur, de qua liceat hæc paucula delibare. Caſtitas eſt munimen inuictũ ſanctimoniæ, fortitudinis firmitas, animæ victoria, vbertas gloriarũ, pax ſecura virtutum, & debellatio inquieta bellorum, honeſtatis portus,ignominiæ naufragalis locus, lorica pudoris, corruptionis exitiũ, diſſolutionis occiſor, armatura virium,acquiſitio triumphorũ, requies ſalutis, vita ſpiritus, ſtatus qualitatis angelicæ,&c.hæc S.Cypr. *de ſing. cler.* Vide quátùm non ad animæ tantummodo ſalutem, ſed etiam ad corporis ornamentum,viréſque conferat pudicitia, quæ rectè appellatur armatura virium.

Nonij Aluarez de castitate sententia.

Nouerat hanc prærogatiuã caſtitatis Nonius Aluarez Pereira Luſitanorum ducum ſine controuerſia fortiſſimus,& feliciſſimus. Cum enim adhuc adoleſcens iã bellico arderet ſpiritu,natúmque ſe ad arma diceret,primò omnium ſtatuit ſecum in cælibe vita perpetuam ſeruare continentiam. Cæterum à Rege Ferdinando cõpulſus primariam fœminam & viduã duxit vxorem.Suſceptáque vna tãtùm filia Beatrice vſque ad mortem deinceps abſtinuit ab vxore, dicere ſolitus virum bello deditum non vxorio cõmercio implicandum , non carnis voluptatibus corrumpendum fore; ac ſubinde implicatus in Hiſpania grauiſſimis bellis , quæ glorioſiſſimus de regibus triumphator cõfecit:illámque(vt Hiſpanicus Hiſtóriographus optimè ſcripſit)inter omnes gentium duces palmam extulit,quòd ſemper victor, nunquã victus extiterit.

Garibai. Nonij Aluarez bellica gloria.

Ad tam incredibilẽ rei militaris gloriam caſtitatis, & pietatis in Deum euectus præſidio fuit Nonius, meritóque dignus,quem auum agnuſcant reges Luſitaniæ, Hiſpaniæque,Imperatores Germaniæ,magníque Proceres in Italia. Enimuero ex Nonij filia, quæ primo Duci Brigantino Alphonſo regis Ioannis primi filio nupſit, duxerũt originem Emmanuel rex Luſitaniæ , & Iſabella regina Catholica Hiſpanorum : ex his autem omnes pene Chriſtianæ gentis principes ortum habuerunt.

A Nonio ducunt originẽ imperatores & reges.

3. Hoc etiam Iacobi robur,támque admirãda virium magnitudo,& aucta,& cõſeruata eſt Diuino quodam conſilio, vt luculenter admodum conſiderat Procop.his verbis: Iacob declarat, dũ ſolus lapidem de puteo voluit,Deum non ſolùm iuſtis ſuppeditare diuitias,ſed etiam corporis robur,& pulchritudinem,vt aliquo modo ad æmulationẽ prouocet gentes, & impellat ad Dei veram cognitionem.hæc ille.

Procopius. Rudiores bona tẽporalia expectant à Deo.

Hoc interdum conſilio vtitur Diuina prouidẽtia præſertim erga homines rudiori præditos ingenio , qui bonorum præſentium ſola felicitate, ac dulcedine capiuntur.Vtinam vel ipſa bonorum temporalium abũdantia. quam iugiter à Domino accipimus, noſtram ſocordiam permoueat,vt benefactorẽ noſtrum debito pietatis officio , cultúque veneremur,& amemus! Fuit igitur Dei beneficium , vti Iacob , quod vix multi paſtores efficerent, ſolus exequeretur.

Beneficijs trahimur ad Deum.

Quid ſi etiam animos,viréſque addiderit Rachelis conſpectus,in quã pius,& amãs videri voluit? Id enim S. Chryſoſt. non obſcurè ſubindicat hiſce verbis: Cum Rachelem filiam auunculi ſui Laban, & greges oculis ſpectaſſet, viderétque paſtores non ſufficere, vt lapidem à fonte ipſi amouerent,& aquarent oues,accurrit,

D.Chryſoſt. Amor vires, animoſq; addit.

A & id quod illi facere non valebant,ipſe ſuperno auxilio roboratus , præueniens beneficiis Laban amouit lapidẽ, & adaquauit oues , quas paſcebat Rachel.hæc S.Chryſoſt.*homil.55.in Geneſ.* Sed heu nos miſeros! ad præſentiam Rachelis vires , animóſque ſumit Iacob, vt arduum ſubeat laborẽ, & immanem amoueat molem : & nos neque ad oculos Diuinæ maieſtatis,neque ad æternæ beatitudinis , quæ nobis promittitur , fidem , atque ſpem;neque ad ipſius virtutis,quæ ſeſe nobis offert, pulchritudinem admirabilem aut vires,aut animos ſumimus,vt laborem tantulũ ſubeamus: vti quid virtute, gloria cœleſti, Deóque ipſo dignum in Chriſtiana profeſſione ſuſcipiamus!

Socordia hominum circa res diuinas,

Enimuero cum Dominus ſtatutum iã habuiſſet, B vti Rachel coniux foret Iacobi,pulchrè rem omnem ita diſpoſuit, vt egregium aliquod virtutis, pietatis, & amoris, adoleſcẽs præberet ſpecimẽ, quo & generis ſui nobilitatẽ , & amabiles ingenij ſui mores puellæ demõſtraret,eámque pio, & grato officio ſibi deuinciret. Sed hæc eadẽ præſtat audire ex S.Cyrill.Alex.qui ſic effatur:A Rachele filia Laban cognoſcitur Iacob , cum veluti primitias ſuæ bonitatis exhibent,oues eius potare curam adhibuiſſet. Nam cum optimis ſemper moribus educatus eſſet,inſignibúſque virtutibus præditus,conſiderabat quàm turpe eſt Virginem nubilem ætatem gerẽtem,paſtores expectare, & vbi lapidem ipſi voluerent, ob imbecillitatẽ fœmineam,pudorémque virgineum oues ſuas vltima omnium C potaret. Sed & lex quoque pietatis eum mirificè cõpellebat, vt ei, quæ ex ſanguine ſuo erat,ſeſe vtilem exhiberet. Quamobrẽ cum ſolus lapidem ab oſtio putei amouiſſet , libenti animo oues eius potauit.hæc S. Cyrill. *lib. 11. in Geneſ.*

S. Cyrill. Ingeniũ prõptũ ad benefaciendum.

Hæc eſt optima ratio ſponſam,& ſponſum comparandi ; videlicet,cum nobilitas ingenij,& pietatis inſigne demonſtratur : non verò (quod ſæpius contingit)aut pulchritudo corporis . aut diuitiarum opulentia, aut(quod peius eſt)libidinoſa quædã per amatoria colloquia mutuóſque aſpectus,voluptas,amorem conciliat , & coniugium inſtituit; qua miſeri adoleſcentes,ac puellæ ineſcati ruunt impudenter,atque impudẽter in D nuptias, quæ temeratis inſtitutę auſpiciis infeliciſſimo interdum exitu diſſoluuntur.

Coniugium ex amore, ac pietate contrahatur.

Nuptię malè auſpicatæ.

4 Hoc enim in genere(ſcripſit S.Gregor.Nyſ.) nuptiæ ſunt, quæ quaſi capulum aliquẽ artificioſo opere illoſtratum politam quandã voluptatis ſpeciem guſtoi,contrectationique præ ſe ferunt. Cũ verò in manibus eius ſunt,qui ill[illegible]gerit, luctus miſeriarúmque ipſæ mortalibus cũ effectrices exiſtant,rerum omnino grauium, quæ ſecum connexæ ſunt,aditũ aperuerunt. Hę nuptię miſerabilia ſpectacula,lacrymarúmq; plena ediderunt. hæc S.Gregor. *lib de Virgin. cap.* 13. Bellè matrimoniũ gladio facit perſimile , cuius ex argẽto,auréve, ac gemmis capulus ſplendeſcit,at acies verò ex chalybe vulnus,mortémque intenE rat. Prima ſiquidem initia nuptiarum læta ſolẽt eſſe,ac periucunda: voluptas eſt in capulo . Cætera deinde ferrum & chalybs:denique mucro,& corpora,& animas vulnerãs,ac perimẽs. Ac fortè in hunc ſenſum defixus animo Latinus Poëta Reginam Carthaginis ab hoſpite Troiano, cui malè nupſerat,deſertã perfidi & profugi hominis gladio, ſed propria tamẽ dextera,cæſam periiſſe commentus eſt: niſi enim miſera hoſpitem excipiens,ac dicentẽ audiens , vulnus aleret venis,& cæco carperetur igne,non extero viro nupſiſſet, ab illóque relicta vel doloris impatiẽtia, vel morte violenta periiſſet. Quod ipſa iã ferro collapſa,

S.Greg.Nyſ.

Nuptiæ gladio ſimiles.

In coniugio læta initia, triſtes exitus.

Dido infelix agnat & perit.

collapsa, & infelicem agens animam significa- A uit, cum interrupto eiulatu diceret:

Vir. Æn. 4.

Felix, heu nimium felix, si littora tantùm
Numquam Dardaniæ tetigissent nostra carinæ!

In gratiam Rachelis amouit putei lapidē Iacob, illiúsque oues hausta aqua adaquauit. Huius rei mysterium satis celebre inuenio apud doctores. Atque in primis per aquam putei Christum Dominum, Christique veram fidem, quam Paulus, aliique Apostoli per Iacobum significati mūdo & hominibus annunciarūt, vnanimi cōsensione interpretantur. Hinc Procop. ita effatur. Christus in profundo latet, lapide, ceu obscuritate quadā, obtectus; at Græcorum philosophi garruli ad veritatis profunditatem venire haud poterant. Verùm vnus pastor à Christo missus, & sacris dogmatis instructus lapidem deuoluere valet. B Hanc aquam Paulus Atheniensibus annunciauit, dum concionatur de ignoto Deo, & desiderat ex gentibus Ecclesiam, instar Iacobi ambientis Rachelem, quæ exponitur ouis, parere Domino. sic ille.

Christi fides mūdo prædicata.

Procopius.

S. Paulus gētium doctor.

Veritas difficilis inuentu ante Euangelium.

5. Itaque veritas, hoc est, nuda, veráque Dei cognitio latebat in profundo, cum omnes pene gentes vanissimis, ac turpissimis idolorum cultibus addictæ in orbe tenerētur. Interim verò græci, Latinique Philosophi, atque aliarum gentium sapientes, disputando scribendóque veritatē inuenire, ac mortalibus refūdere conabātur: vano tamen studio, laboréque irrito propter immensam putei molem, hoc est, rei difficultatem, quā viribus humanis tota natura impar amouere ac C superare non poterat. Et miseri tamen homines, veluti oues longa siti enectæ ad puteum desiderantes aquam veritatis assidebāt. Venit ergo doctor gentiū Paulus (quod & alij Apostoli præstiterunt) sostulit illam saxeam molē, obscura illustrauit, mysteriorum inuolucra aperuit, veritatē ipsam, & fidem veri Messiæ validis rationū momentis, & validioribus etiam miraculorum, & virtutum viribus pastorū omnium robustissimus explicauit. Enimuero tegebat puteum petra illa scandali, quam gētiles, & Iudæi de cruce, & morte Christi ante oculos habentes, ab ipsa veritate procul abhorrebant. quod Paulus ipse ita contestatur: *Prædicamus Christum, & hunc crucifixū, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* D 1. Corinth. 1. Iudæis quidem (animaduertit S. Anselm.) Christus crucifixus non est signum potentiæ, sed scandalum, quia irascuntur cōtra præcones rubore sceleris sui. sic ille. Talis quippe Iudæorū pertinacia, & stoliditas est. Nolunt Christi fidem suscipere, ne fateri suum facinus cogātur: pudor illis est credere, verum esse Deum, quē factum hominem impij, & sacrilegi peremerunt. Turbantur igitur (adiungit S. Anselm.) & indignantur, atque irascuntur, dum audiunt Dei Filium prædicari, quem ipsi crucifixerunt. hæc ille. Et 5. ad Galat. *Euacuatum est* (siue, vt in Græco habet, *cessauit*) *scandalum crucis.* Ad hunc verò locū E ita S. Hieron. Quòd crux Iudæis scandalum sit, gentibus autem stultitia, ipse Dominus noster ostendit, qui lapis dicitur offensionis, & petra scandali: propter nihil aliud, puto, nisi quia prædicatio cum plenis velis ad audientes processerit, statim vt ad crucem venerit, impingit, & nequaquam libero cursu potest vltra procedere. hæc S. Hieron. Cætera quidem gentes in Euangelio Christi libenter amplectebantur; at vbi veniebatur ad crucem, repedabant, & refugiebāt horrore crucis, & ignominia perculsi. verbum enim crucis meram stultitiā reputabant. Videlicet (vti explicat S. Anselm.) immortalē potuisse mori, & eum, qui in potestate habebat persecutores vna voce prosternere, pertulisse ab ipsis flagellari, & crucifigi. Stultum quippe gentilibus videtur, vt pro hominibus autor vitæ moreretur, quia hoc mundanæ sapientiæ non congruit. hæc Anselmus. Tanto igitur carior nobis esse debet Deus noster, quantò pro nobis viliorē se reddidit gētium oculis. Ac veniens in terras Deus non sua consilia, non opera, iudiciis hominum vanis & stultis debuit metiri. Hanc molem sustulit Paulus, cum ostendit prædicando crucē esse Dei virtutem, & sapientiam. 1. *Corinth.* 1. Intelligebant quidem (explicat S. Hieron.) credentes Iudæi & gentes, virtutē Dei esse, quæ deuicta morte hominem reuocauit ad vitam, & sapientiā, quæ nos B à dominatione diaboli liberauit, quod antè per incredulitatem intelligere nō valebant. hæc ille.

S. Paulus valide Christi fidem prædicat.

S. Anselm. *Prædicatio crucifixi malè excepta à Iudæis, & gētibus.*

Pudet Iudæos fateri Christum Deum.

ad Galat. 5.

D. Hieron. *Christi crux scandalum, quibus prædicatur.*

S. Anselm.

Deū pati & mori gentiles indignū putant.

Christus eo charior, quò vilior putatur.

1. Corint. 1.

S. Hieron. *Crucifixi virtus manifestata mundo.*

6. Idem pertractans hoc idem argumentū ex eodē Apost. ita rursus scribit in procem. ad 3. *lib. Com. ad Galat.* Quamobrē & ipse Apost. ad Cor. loquebatur. Et ego veniēs ad vos nō per sublimitatem sermonum, & sapientiæ, non iudicaui scire me aliquid inter vos, nisi Christum Iesum, & hūc crucifixū. Et ne forsitan putaretur hæc dicēs esse insipiētiæ prædicator, mēte præsaga, quod opponi poterat, euertit; sed loquimur, inquit, Dei sapientiam in mysterio, quæ abscōdita est, quam nemo principū huius seculi cognouit. Quotus quisque nunc Aristotelē legit, quanti Platonis vel libros nouere, vel nomē. Vix in angulis otiosi eos senes C recolunt. Rusticanos verò & piscatores nostros totos orbis loquitur, vniuersus mūdus sonat. hæc ille. Itaque Philosophi, qui sapientiam venditabant, nihil hominibus persuadere potuerunt: at Apostoli crucem, scandali petram, imbecillitatis, atque ignominiæ signū prædicantes totum orbē subiugauerunt. Magnæ igitur virtutis (inquit S. Chrysost.) & sapientiæ est argumentū, persuadere per contraria; crux enim videtur esse res scandali, & tamen non solùm non offendit, & affert scandalum, sed etiam attrahit. Quantū laborauit Plato, & eius asseclæ? & cum eundens nihil dixisset, & nulli auditori persuasisset, sic excessit. Crux autem per homines imperitos & persuasit toti D orbi terrarum de Deo dilletēs & de vera pietate, ac religione; & rusticos, & indoctos omnes fecit philosophos. hæc S. Chrysost. *Homil. 4. in 1. Corin.* Vtique per resurrectionem Domini scandalum crucis sublatum est, Deique virtus, velut aqua de puteo, in quo latebat, remoto operculo, reuelatoque mysterio mortalibus ostēsa, & propinata est. Pulchrè S. Bernard. Iudæos ipsos affatur: Vbi est, quod dicebatis: *Descendat de cruce, & credimus ei?* Matth. 27. Crucis signaculum dirumpere voluistis, promittentes ad fidem vos introituros. Ecce apertum, non diruptum est: introite. Alioqui si non creditis resurgenti, vtique nec credidissetis descendēti. Sic vos scādalizabat crux Christi. Excitet vos saltem nouitas resurrectionis. Inueni- E mus nos in cruce gloriam. Nobis, qui saluamur, Dei virtus est, & omnium plenitudo virtutum. Sit vobis pars vel in resurrectione. hæc Bernard. *serm. 1. de Resurrect.* Similiter S. Hieron. ad eundē locum detegit fraudē Iudæorum. Nec enim credidissent, etsi Dominus ad illorum postulata descendisset de cruce. Quod ita proponit: Fraudulenta promissio; quid est plus, de cruce adhuc descendere viuentem, an de sepolchro mortuū resurgere? Resurrexit, & nō credidistis: ergo si etiā de cruce descenderet, similiter non crederetis. Sic optimè infert S. Hieron. Nā qui resurrectione Domini suam peruicaciam non deposuerunt,

D. Hieron. *Fides Christi mundum occupat.*

Aristotel.

Philosophorū scita ad crucem Christi disparuerunt

D. Chrysost. *Christi crux mundum cōuertit.*

Christianis vera est sapientia.

Resurrectio Christi passionem honorat.

S. Bernard.

Matth. 27.

In cruce virtus & salus mundi.

D. Hieron. *Infidelitas Iudæorū nullo Christi miraculo victa cessit.*

quomodo

quomodò illam ad descensum de Cruce (multo quidem minus prodigium) deposuissent.

Clem. Alex.

7. Eidem interpretationi S. Cyrill. Alex. insistent, cum putei aqua scientiam Dei, siue Diuinum sermonem significari contendat, ita mysterium euoluit:

Vera Dei cognitio eget studio & labore.

Aquam viuam Diuinum sermonem esse intelligimus; sed magna ipse in profunditate iacet, & sine magno labore, magnóque sudore quisquam eum haurire non potest. Non enim quisque eum facilè ad se detrahit, cum obscuritas eius, velut lapis grauissimus, ostium putei cooperiat. hæc ille, *lib. 5 1 in Genes.* Consequēter gentilitatis doctores cum Ecclesiæ doctoribus, ac magistris, Paulo maximè, conferens hunc in modum progreditur: Quamobrē magnis sudoribus opus est, vt eum qui rationales oues pascat, amouere possint, & eis sermonem quasi aquam ex profundo puteo haustam, perfruēdam apponant. At pastores Gentilium, hoc est, eorum sapientes eloquentésque viri, quamuis plurimi sint, veritatem tamen Dei, eiúsque Diuinorum decretorum disciplinam haud quaquā agnoscere possunt, quin etiam temere eam tumultuāt, atque obfuscant. Non enim rectè de eo sentiunt. ita Cyrill. Sed adhuc inquirer, vnde probet illos gentilitatis sapientes veritatem, hoc est sincerā

S. Cyrill.

Dei cognitionem assequi non potuisse. Nam (inquit) etsi naturam Diuinam profitentur, dignitatem tamen Diuinitatis quibuscunque voluerint attribuere non erubescunt. sic ille.

Philosophi impudentes idola colunt.

Nimirum inscij, prorsúsque amentes Deum verum, qui non nisi vnus esse potest, ita multiplicem prædicarūt, vt innumerabilem deorum, ac dearum multitudinem confingerent.

Cyrill.

Sed vnus (ait idem Cyrill.) è Christi pastoribus lapidem illum, hoc est obscuritatem Diuini sermonis, quamuis grauis immobilísque, vt ita dixerim, habeatur, generosè amouere potest, & veritatem nudam, dilucidámque gentibus explicare, ac vnum Deum verum

S. Paulus gētium prædicator.

ostendere. Nam & Paulus Atheniensibus dixit, cum inuenit aram, in qua superscriptum erat, *Ignoto Deo*: Quem vos ignorantes colitis, hunc ego annuncio vobis. *Actor.* 17. hæc S. Cyrill.

Actor. 17.

Difficultas in credendo & operādo iuxta fidem.

Putatim ego hunc lapidem, quo Dei veritas, Diuinus sermo, fidésque ipsa in Christo velut aqua saliens in vitam æternam, obtegitur, non tā difficultatem esse in credendo, etsi ea, vt superetur Diuina ope indigeat, quàm in operando. Enimuero vel ipsi infideles hoc maximè offenduntur scandalo, si Christianorū vitam à doctrina Christi, ac fide, quam profitentur, videant abhorrere. Hoc ipsum argumentum luculenter pertractās S. Saluian. multa diuinitus dicit. inter alia colligit in hunc modum:

S. Saluian.

Vita infamis malorū Christianorum.

Nihil est aliud scientia nostra, quam culpa, qui ad hoc tantummodo legē nouimus, vt maiore offensione peccemus: quia quod lectione, & corde nouimus, libidine, ac desperatione calcamus. Christiani nomē Dei infamamus, cuncta in Dei facimus iniuriam. *Nomen Dei per nos blasphematur inter gētes.* ad Rom. 2. hæc ille. Prauitatem morum, & vitiorum turpitudinem, quibus & nostrum, & Dei nomen, ac fidem infamamus, cōsiderans adiungit subinde:

S. Saluian.

Cumque Saluator clamet: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificēt Patrem vestrū, qui in cælis est.* Matth. 5. nos econtrario ita viuimus, vt filij hominum videant opera nostra mala, & blasphement Patrem nostrū, qui in cælis est. Ecce quales sumus, qui Christiani dicimur. hæc Saluiā. *Lib. 4. de vero iudicio, & Dei prouidentia.*

Matth. 5.

Blasphematur Deus per malos Christianos.

8. Valde quidem aliena est vita nostra, vti ne-

A

mo bonus hodie non luget, à Christi fide, quam profitemur, & à doctrina, quam & addiscimus, & docemus. Atque vt videas quam grauiter infideles offendantur, cum nostra hæc monstra considerent; audi vlteriùs eundem Episcopū Massiliensem.

S. Saluian.

Vbi (inquit infidelium dicta cōmemorans) Catholica est lex, quam credunt? Vbi sunt pietatis, & castitatis præcepta, quæ discunt? Euāgelia legunt, & impudici sunt. Christum sequūtur, & rapiunt. Vitam improbam agunt, & probam legē habere se dicunt. De nobis omnia ista dicuntur. sic ille.

Gentilium dicta in Christi fidem ob malos Christianos.

S. Saluian.

Quæ quidē infidelium dicta nō modò nobis contumeliam inferunt; sed ipsi etiā Christianæ fidei, atque adeò Christo Domino grauissimam pariter iniuriam, & ignominiam moliuntur.

B

quod statim ostendit idem Saluian. ita progrediēs: In nobis Christus patitur opprobrium: in nobis patitur lex Christiana maledictum. De nobis dicitur: Falsum planè illud est, quod aiunt se bona discere, quod iactāt se sanctę legis præcepta retinere. Si enim bona discerent, boni essent. sic ille. Nec sibi malè videntur colligere infideles, cum vitam Christianorū, à Christi fide vidēt tam absurdè, ac turpiter discrepare.

Mala vita Christianorum fidem Christi infamat & Christum.

S. Saluian.

Talis profectò (ait illorū nomine) secta est, quales, & sectatores; hoc sunt absque dubio, quod docentur: sancta à Christianis fierent, si Christus sancta docuisset Æstimari de cultoribus suis potest ille, qui colitur. Quomodo enim bonus magister est, cuius tam malos videmus esse discipulos?

C

Ex ipso enim Christiani sunt, ipsum audiunt. Vide Christianos quid agant, & euidenter potes de ipso scire qui doceat. hactenus Saluianus. Hāc nos improbi causam præbemus infidelibus tam ignominiosè, atque sacrilegè philosophandi de Christo Domino, quem magistrum, & doctorē prædicamus; sed malè imitamur, & vitiosis actibus repræsentamus: quem Deum ac Dominum colimus, & adoramus, sed infinitis propemodū, & grauissimis sceleribus dehonestamus apud infideles, qui apertè dicunt: Quales discipuli, talis & magister; quales adoratores, tale illud Numen, quod isti venerantur. Proh execrandam hominum blasphemiam! & proh detestandum fidelium, sed improborum sacrilegium!

D

9. O si quis nostrum Apostuli verba secum pensitaret; lugeret profectò, ac timeret pariter nomen Dei per ipsius improbam vitam blasphemari inter gentes! Non solùm enim (occurrit eo loco Theodor.) causam ô scelerate) non dedisti, vt Deus glorificaretur, sed multorum etiam linguas ad maledicta commouisti.

Theodor.

Cum tuam enim sceleratam, & iniquam vitam viderent, eum, qui te elegit blasphemiis, & maledictis apertè incessebant. hæc Theod. Enimuero (vt explicat eundem locum S. Anselm.) sicut bona vita fidelium causa est, vt Deus glorificetur à videntibus: sic malè viuentibus praua conuersatio causa est, vt Deus blasphemetur:

S. Anselm

Vita Christianorum in Christum ab infidelibus refunduntur.

E

sicut per Ezechielem Deus de illis, qui in Chaldæa tenebantur captiui, conquestus est, dicens: *Ingressi sunt ad gentes, & polluerunt nomen sanctum meū cum diceretur de eis: Populus Domini iste est, & de terra egressi sunt.* Ezechiel. *cap.* 36. putabant enim gentes, quod ea, quæ Iudæi faciebant, placerent Deo ipsorum.

Ezech. 36.

Sic nunc per nonnullos religionis professores, dum prauitatis exempla de se ostendunt, blasphematur plerumque Deus ab imperitis & secularibus hæc S. Ansel. at verò S. Ambros. Pauli dictum refert ad Isaiam *cap.* 5 2. Hoc (ait) Isaias dixit, quia Dei nomen blasphematur inter gentes, quando Iudæos pro noxiis suis traditos sibi non aduertebant, sed

D. Ambros.

Infideles suis idolis referūt acceptas de Christianis victorias.

idolis ſuis dabant glorias, quaſi Iudæorum Deũ viciſſent in Iudæis. hæc S. Ambroſ. Sic autẽ fert Infidelium cæcitas, vt ſuas, quas de Chriſtiania reportant victorias ſuis falſis Numinibus acceptas referant: cum eas tamen Deus ipſe verus, quem coſimus, noſtris irritatus ſceleribus ad iuſtam ſuorum vltionem ſuis hoſtibus tãquam iuſtitiæ ſuæ ſatellitibus cõcedat. Mali ſerui Dominum noſtrum delictis noſtris offendimus, meritòque proinde à læſo, & irato Domino tortoribus puniendi tradimur. Benè igitur quærit S. Saluiã. Quid miramur Chriſtiani, ſi cædimur, ſi caſtigamur, ſi in ius hoſtium tradimur, ſi infirmiores omnibus ſumus? ſiue miſeriæ noſtræ, ſiue infirmitates, ſiue euerſiones, ſiue captiuitates, & pene improbæ ſeruitutes, teſtimonia ſunt mali ſerui, & boni Domini. ſic ille, *lib. 4. de prouid.* Itaque in omnibus, quæ patimur ſupplicijs duo hæc oſtenduntur: ſeruorum videlicet iniquitas, & Domini clementia. Probat aſſumptum hocmodo: Quomodo mali ſerui? Quia patior ſcilicet ex parte, quod mereor. Quomodo boni Dei? Quia oſtendit quid mereamur, etſi non irrogat, quæ mereamur. Clemẽtiſſima enim caſtigatione mauult nos corrigere, quàm perire. ita Saluian. Dicam igitur cum pœnas luam pro delictis: Iuſtè quidem malus ſeruus patior, quæ mereor. Sed ò te pium, & benignum Dominũ, qui minora delictis meis à me ſupplicia exigis, vti filiũ caſtigas, quin iniquum ſeruum ſe fecit. Porrò fidelibus nihil eſſe potius debet, quàm vt eorum linguæ manus, & fidei vita, & doctrinæ mores non contradicant. Amoueant ergo iſtud operculum, tollant de regno Dei ſcandalum, quod præpoſterè viuendo vel ipſis infidelibus præbent. Nouerint vt inutilis eſſet aqua putei, niſi remoto lapide foras extraheretur, ita omnino eſſe infructuoſam Chriſtiano fidem, ſi eam bonis operibus viuam, & conteſtatam eſſe non demonſtret.

A Deo tradimur ob delicta infidelibus.
S. Saluian.

In ſupplicio hominis oſtẽditur malus ſeruus, & bonus dominus.
S. Saluian.

Grande ſcãdalum vita improbi Chriſtiani.

10. Talentum ille ſeruus, aut mnam domini ſui otioſus, & piger, non ad lucrum tradidit, ſed abſcõdit, atque adeo grauiter eſt à domino acceptus, & carceri, tormentiſque addictus. *Luc.* 19. Eſt quidem hoc vnum, quod ſeruus accepit, talẽtum vera Dei fides, quam quiſque per bona opera oſtendere, exercereque debet ad plurium meritorum emolumenta. Cæterùm iniquus ille ſeruus (vti explicat S. Chryſ.) abſcõdit talentum in terram qui accipiens fidem Chriſti contemnit vitam ſpiritualem, & in terrenis actibus, & delicijs conuerſans obruit illud in carne ſua. & ſolicitudinibus mundi, quaſi ſpinis ſuffocat fidei ſuæ bonum, & non facit fructum. Iſte, qui fodit talentũm ſuum, ſimilis eſt virginibus fatuis, quæ habentes lampades, oleum non habebant. Tam enim iſte, quàm iſtæ putauerunt ſibi ad ſalutem hoc ſolum, quod credebant in Chriſtum, poſſe ſufficere. hæc S. Chryſoſt *homil. 53. in Matth.* Videant nũc hæretici noſtro hoc ſeculo, quàm inaniter ac turpiter ſibi blãdiantur de fide Chriſtiana quam falsò putant ſe profiteri, quã ſine operibus, & mandatorum Dei integra obſeruantia ſufficere prædicant ad ſalutem. Et quidẽ (vt cætera deeſſent) hoc vno ea capite vera eſſe non poteſt ea fides, quam venditant, quod ſola putetur ſufficiens, nec bonorum operum vita velut corpus anima indigeat. Sed cum Chriſtiano Catholico, qui tamen improbè viuit, mihi res eſt. Sic enim agit, ac ſi fidem ſuam ſine bonis operibus ſufficere crederet. Verè quidẽ iſte (ait S. Chryſ.) talentum non perdidit domini ſui, tamẽ reus eſt damni. Non enim propter hoc ſolum vnuſquiſque ſit Chriſtianus, vt ſit Chriſtianus ſeruans talentum fidei ſuæ, ſed vt operetur iuſtitiam Chriſto. Sicut enim qui ſeminandi cauſa accipiẽs ſemen tempore ſeminationis nõ ſeminauerit, damnũ facit domino ſuo, etſi non perdiderit ſemẽ, eſt tamen tantum damnum, quantũ poterat lucrum facere; ſic qui accipit fidem Chriſti, & in hoc ſeculo non fuerit operatus iuſtitiam, etſi fidem ſuam non perdiderit, tamen tantùm videtur peccaſſe, quantùm potuit iuſtitiam facere, ſi non neglexiſſet. hæc S. Chryſ.

Lucæ 19.
Fides ſine operibus otioſa & infructuoſa.
D. Chryſoſt.

Vana & turpis hæreticorum fiducia.
Vana fides ad ſalutem ſine operibus.
D. Chryſoſt.

Chriſtianus in fide, atque in operibus.
Grãde Chriſto damnum fides noſtra ſine operibus.

11. Nequam igitur ſeruus fidem ſub humo ſepultam habuit, mortuam ſcilicet, bonorúmque operum vita, & Diuinæ gratiæ ſpiritu carentem inter ceſpites terrenarum ſolicitudinum, in cœnóque turpiſſimarum libidinum obrutam. Támque impudens extitit, vt in domini ſui contumeliam linguæ procacitatem, ac virulẽtiam diſtringeret; aiebat enim: *Domine, ſcio quia homo durus es, metis vbi non ſeminaſti, & cõgregas, vbi non ſparſiſti, & timens abij, & abſcondi talentum tuum in terra. Ecce habes quod tuum eſt.* Matth. 25. Viden vt inſaniat iſte, qui tam contumelioſè agat, iniuſtũ durum, & intractabilem dominum ſuum incuſans. En quod in barathrum tãdem corruat fides mortua & ſepulta, in cõtumeliam ſcilicet ipſius Dei: vt inueniatur iniquitas eius ad odium. *Pſal.* 33. nimirum iniquitas, ſiue praua chriſtiani hominis vita, interdum eò tandem deducit miſerum, vt oderit ipſum Deum, cuius videlicet iuſtitia peccanti minatur ſupplicia, cuius omnipotentia hominem à peccando cohibet, cuius mandata caſtitatem, & iuſtitiam indicunt; impudentiam verò, atque iniquitatem prohibent. Nec ſemel etiam in atheiſmum omnium malorum, & miſeriarum extremum chaos præcipitatur: quam ſibi hodie coronidem imponunt hæreticorum noſtri temporis errores, ac mores pariter execrãdi. Sed miſſis, qui à nobis abierunt, hæreticis, vitam multorum, qui Catholicam fidem profitentur, ab iſta longè alienã, vtpote vitioſam neceſſe eſt & arguamus, & lugeamus. Quo in argumento præſtat audire S. Saluianũ ita ſui temporis vitia perſtringentem. Graue, & luctuoſum eſt, quod dicturus ſum! Ipſa Dei Eccleſia, quæ in omnibus debet eſſe placatria Dei, quid eſt aliud, quàm exacerbatrix Dei? aut præter pauciſſimos quoſdam, qui mala fugiunt, quid eſt aliud pene omnis cœtus Chriſtianorum, quàm ſẽtina vitiorum? & quod omnibus peius eſt, propè hæc cũcta ſine fine. hæc ille, *lib. 3. de prouid.* Eccleſiã Dei hoc loco accipit pro Republica Chriſtianorum, quæ vtique multis & grauibus inquinata eſt malorum fidelium ſceleribus. Alioqui Eccleſia Dei, vt accipitur pro cœtu fideliũ & iuſtorum, Sponſa quidem eſt Chriſti, ſine ruga, & ſine macula. Negandum tamen haud eſt (dicã de noſtra ætate) etſi maior ſit, & copioſior zizaniorum ſeges in Chriſti agro; grandem videri iuſtorum fidelium ſegetem, vbi eſt infinita propemodũ multitudo virorum, ac fœminarum, qui cum Catholica Chriſti fide ſanctitatem vitæ coniunctã habent, boniſque operibus demõſtrant. Et quid fieret mundo, ſi iuſti, & amici Dei in eo complures non viuerent?

Fides ſine operibus obruta cœno.

Matth. 25.

Fides ſine operibus in Dei odiũ deſinit.
Pſalm. 33.

Hæretici ruunt in atheiſmum.

S. Saluian.
Scatet vitiis gens Chriſtiana.

Inter Chriſtianos multi iuſti.

12. Iacob etiam, dum lapidem amouet, puteum detegit, aquam haurit, & Rachelis potat gregem, ſignificat Eccleſiæ paſtores, & doctores, qui ſua induſtria, virtute atque eruditione errorum omnium offendicula tollunt, viuámque Diuinæ veritatis, & Chriſtianæ ſapientiæ aquã hominibus ad Chriſti fidem vocatis refundũt, quod

Doctores Eccl. ſiæ aquam ſapientiæ refundunt.

præcipuè

præcipuè in generalibus Conciliis præstare consueuerunt, tam inde ab illo primo Apostolorum, in quo Iacobus Hierosolymæ antistes, & vnus de maximis Ecclesiæ magistris, cum quæstio illa de circoncisione imponenda fidelibus agitaretur, multa diuinitus dixit, ac demum conclusit: *Propter quod ego iudico non inquietari eos, qui ex gentibus conuertuntur ad Deum.* Act. 15. Sic igitur Iacobus lapidem sustulit, quo fides Christiana tegebatur, & offensi tam graui iugo circuncisionis Iudaicæ gentiles Christianam legem amplecti metuebant. Hoc sensu enim Procop. ad hunc locum Genes. ita effatur. Lapis ille magnus petra offendiculi erat, quod amoliri oportebat pastores præfectos gregi singulis suas vires afferentibus; vt contigit sæpissimè in Synodis, & Conciliis Episcoporum in profligandis hæresibus. Verum Iacobus solus nulla externa opera adiutus lapidem deposuit. hæc ille. Egregius sanè locus ad commendādam pastoribus, rectoribus, & doctoribus, vitæ probitatem. Exemplo enim esse debent omnibus, quibus præsunt, & quos edocent: ante omnia tollant oportet lapidem, putei operculum, si quid videlicet in ipsis vitiosum, ac minùs syncerum, & probatum appareat. Vita enim doctoris, quæ à doctrina discrepat, petra est offensionis, aquam prohibet, & greges repellit. Sint in homine, vel ad regendum, vel ad docendum eximia naturæ ornamenta, si virtus absit; cathedra, & baculo indignus est. Nihil est enim (inquit S. Hildebert.) homini bonum sine se bono. *Epistol.* 15. Hoc de argumento multa scribit S. Greg. ad Anthem. inter alia exemplum Aaronis adducit, cuius vitam ac mores exprimebat sacerdotale ornamentum, quod pectori adnectebatur. Sic enim loquitur: Hinc & Aaron pectore rationale iudicij imprimebatur, vt illud ratio sola constringeret: describebantur etiam & duodecim Patriarcharum nomina; nam tunc irreprehensibiliter gradimur, cum præcedentium sanctorum vestigia intuemur. hæc Pontifex. Enimuero qui Aaronis officio fungitur, & rationalem pascit gregem, seipsum primò ratione moderetur, se iudicio constringat, necesse est, vitámque suam ad exempla sanctorum hominum, quibus in munere pastorali successit, studiosissimè componat. Alioqui malo exemplo doctrinæ suæ bonitatem dedecorabit, plúsque nocebit viuendo, quam proderit edocendo, aut regendo. Quin etiam bonus esse aliorum rector non potest, qui sui ipsius est perditor, & proditor. Nam qui alienam vitam custodiet, qui suam subuertit, & succendit? quî aliorum animas seruabit, qui suam prodigit, & in gehennam detrudit?

In Conciliis generalibus tolluntur scandala. — *Actor. 15.* — *Procopius.* — *Exemplū vitæ necessariū prælato, & doctori.* — *Exemplum vitæ super omnia necessarium.* — *S. Hildebert.* — *S. Gregor.* — *Exemplum in sacerdote.* — *Sine exemplo regimen vanum est.*

13. Igitur vtroque prælatus, & doctor excellat oportet, vt & scientiam in se habeat, sitísque propinet, & manus ipsemet adhibeat ad remouendum lapidem offensionis, hoc est, ita suæ vitæ mores effingat, vt nihil intuentes offendat, sed bonorum operum exemplo cæteros ad sui æmulationem accendat. Sanctè (inquit S. Prosper) viuere debet sacerdos propter exemplum, & docere propter suæ administrationis officium; certus quòd ei nihil sua iustitia suffragetur, de cuius manu anima pereuntis exigitur. Quid ei proderit non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato? hæc ille, *lib.* 1. *de vit. contempl. cap.* 17. Vtrumque igitur à prælato, doctoréque exigitur, & vitæ exemplo, & doctrinæ sublimitate, cæteris prælucere. quod ex Ezechiele ita idem comprobat. *Speculatorem dedi te domui Israel.* Ezechiel. 33. Sacerdotem speculatorem appellat: & sicut speculatoris est, de loco editiori prospicere, & plus omnibus contempla-

Doctrina cum exemplo. — *S. Prosper.* — *Zelus animarum in prælato.* — *S. Prosper.* — *Ezech. 33.*

A ri; ita sacerdos debet esse proposita sublimitate celsior cunctis, & maioris scientiæ habere gratiam, vt possit sub se viuentes instruere. hæc S. Prosp. loco indicato. Cæterùm cum scientiæ sublimitate, vitæque, ac morum eminentia in sacerdote ipso Dei speculatore coniuncta esse debet.

Sacerdos emineat exemplo.

14. Est præterea lapis iste, quo puteus obtegitur, symbolum cuiuscunque laboris, quem Iacob ad potandos Domini greges sub Rachelis, hoc est Ecclesiæ Catholicæ, manu, iuréque pascendos debeat adaquare. Laboriosum enim est regêdi munus; at si à Deo imponitur, non recusandum, sed vigilanter, industriè, ac fideliter administrandum. Indigni autem (vt hoc loco Procop. subnotauit) B Diuino thesauro abscondito in puteo illi existimantur, qui abnuunt adire laborem, cuius mercedem accipiunt, illam aquam salutarem, vt inde potent alios, quos illo liquore refocillari par est. sic ille. Magnum quippe sibi comparat emolumentum, qui dignitatem Ecclesiæ non ambiens, sed per obedientiam suscipiens Christi iugo collum submittit, ac deinde impigram, & diligentem nauat operam in curando Domini grege; cuius cura, & studium non plus laboris diligenti pastori, quàm præmij, & coronarum solet importare. Contra verò (vt egregiè scribit S. Prosp.) iniustitiam faciunt hi, qui merito suæ conuersationis, vel eruditionis electi, otiosum studium fructuosæ vtilitati regendæ multitudinis anteponunt. Et cum C possint laboranti Ecclesiæ subuenire, operosæ administrationis laborem fruendæ quietis contemplatione refugiūt. hæc ille, *lib.* 3. *de vit. contemp. cap.* 28. Nimirum cum Dei maius obsequium, & animarum certior fructus speratur, maximè si obedientiæ præscriptum intercedat, priuatæ quietis dulcedo, & Diuinæ quoque studium contemplationis tumultuoso, atque insuaui regendarum, ac docendarum animarum muneri humiliter, & constanter erit posthabendum. At quid agam miser, si me omni virium ad tantum subeundum onus præsidio destitutum video? Occurrit statim S. Prosper: Sed quoniam (inquiens) sunt multi, qui se impares tantæ sarcinæ norunt; tales iustè se etiam quæsiti non offerunt. Dignitas Eccle- D siastica nec ambienda est, nec vitanda. sic Prosper. Non vitandam dicit; cum Dei iussu, ac præscripto obedientiæ, vbi etiam accedit grandis animarum fructus, imponitur. Optimū sanè consilium, ne temere ambias honorem, cuius non valeas onus sustinere. Vel requisitus abnue, fuge, abscôdere. quod Ambrosij, Gregorij, pluresque alij sanctissimorum Patrum præstiterunt. Nam si gigantes huiusmodi onus recusarunt, quid paruuli, quid nani, quid omni ex parte insanuli tanta nunc audacia, aut verius dicam tam inuerecunda, proiectâque temeritate inhiant, ambiúntque dignitates, sub quarum pondere, vel ipsi gigantes gemunt, ac succumbunt? O felix nostra ætas, si duo, quæ maximè desidero, prioribus frequentata viderentur! Nimirum, vt oblatam in Ecclesia digni- E tatem, imò & vi intrusam refugeremus: inuitique subinde, coactis, & lugentibus impositam præ studio humilitatis, & amore quietis constanter demum abdicaremus. At non est nostri temporis isthæc virtus, ista constantia, iste contemptus honoris, ista Domini Iesu crucifixi, & exinaniti ad mortem vsque ignominiosam imitatio. Dignitates omni conatu ambimus, & inuerecundo studio, vel fugientes persequimur; seméque obtentas etiam indigni viribus, & virtute impares, ad mortem vsque retinemus. Dulciùs planè, quietiùs & securiùs moritur, quem mors intercipit in pri-

Labor in regimine. — *Procopius.* — *Diligenti pastori præmiū copiosum.* — *S. Prosper.* — *Priuata quies ti preferendus animarum zelus.* — *S. Prosper.* — *Non ambienda dignitas Ecclesiastica.* — *Ambitio dignitatis impudens ac temeraria.* — *Dignitas refugienda & abdicanda.*

abiicite. Rationem egregiam subiicit. Quod enim putatur dulce modò satis esse in breuitate temporum, quam amarum erit in ignem æternum quam graui, & perpetua pœna punienda erit breuitas delectationis: delectatio occidit, & præterit; vulnerauit, & transiuit; miserum fecit, & abit; infelicem reddidit, & reliquit, *serm. 3. de Nat.* Quisquis igitur & vitiosæ delectationis breuitatem, & sempiternum illius supplicium seriò expender, haud dubiè non tam insanus, sibique inimicus erit, vt æternum gehennæ incendium momentanea voluptate velit emercari.

Puella pulchra & casta, miraculum.

4. Quid verò tanta laude, admirationéque dignum, quam puellam (vt scriptura vocat) decoram, venustoque aspectu, & pudicam esse, & inter viros per agros ductando greges pudicissimè versari. O tempora, ô mores, ô priscam fidem, & honestatem! Inimica solet esse castitati pulchritudo; nec vllum ad libidinem maius, & ardentius incitamentum. Dei quidem donum est pulchritudo corporis decorem animæ insinuans, vel delineans; & Creatoris ipsius incomprehensibilem venustatem gratiámque aliquantulum repræsentans. Cæterum (vti est hominum peruersitas, & corruptela) hoc maximè telo perditus, turpisque amor mentes vulnerat, ac deturpat. Hoc præsertim fomite illecebrarum tentamenta & accenduntur, & fouentur. Aureum est naturæ ornamentum, sed eo dæmon abutitur ad spurcissimas vitiorum sordes. *Circulus* enim (legitur) *aureus in naribus suis mulier pulchra, & fatua.* Prouer. 11. quem locum S. Hieron. aut fortè verius Beda sic interpretatur: Circulum aureum si in naribus suis infixeris, nihilominùs ille terram vertere naso, & volutabro luti properat immergi: ita mulier fatua, si pulchritudinem vultus, vel habitus acceperit, suam tamen faciem ad infima declinare: suam speciositatem ad euertendos vbique castitatis flosculos circumferre: & se cœno voluptatis inquinare diligit. sic ille. Itaque leuicula, & lasciuiens fœmina, quæ pulchritudinem oris turpiter exponit, similis porco dicitur: quemadmodum fœda hæc bestia naribus appositum aureum annulum cœno, in quo volutatur, conspurcat, sic impudica mulier auream pulchritudinem à Deo donatam vitæ polluit impuritatibus. Quo quid potest esse detestabilius? Porrò huiusmodi fœminæ tam stultæ, ac turpi, vt porcinam fœditatem amet, atque imitetur, persimilis esse videtur, quæcunque anima rerum Diuinarum scientiam habitu, statúque religioso professa, vitæ nihilominus impuræ sordibus ornamentum cognitionis, aut intelligentiæ, aut etiam status contaminat. sic enim aliter idem autor Salomonis sententiam euoluit: Qui ornamentum Diuinorum eloquiorum meditando consequitur, sed hoc malè viuendo insequitur, circulum aureum habet in naribus: sed more suis terram subigere non desistit: quia quod odore iustitiæ percipit, immunda actione sordidauit. Ideóque talis anima, mulier pulchra & fatua esse censetur: quia carnalibus dedita illecebris pulchra est per scientiam, sed per actionem fatua. sic ille.

Periculis plena pulchritudo.
Prouerb. 11.
D. Hieron.
Mulier lasciuiens porco similis.
Pulchritudo fœdata vitys.
D. Hieron.
Scientia cum impuritate.

5. Sed quæ tandem est hominum dementia, vt tam leuiculo, ac propè nullo pulchritudinis bono capiantur? Flaccescit (inquit Clem. Alex.) pulchritudo, & citiùs, quàm folia, humi decidit, quando amatoriæ eius petulantiæ procellæ expirauerint, & priusquam venerit autumnus, marcescit, & interit. hæc ille, 3. *pædag. cap.* 1. Nimirum vbi se flosculi produnt pulchritudinis, aspirant illico amantium desideria, suspiria, curæque, atque adeo nusquam animum, & vitam passa consistere amoris quædam velut tempestas; deinde post inquietudinum turbines accenduntur æstus flammarum, quibus correpta, & auide vorata corporis pulchritudo in ipso iuuentutis vere ante virilem maturitatem in cineres abit, & fauillas. Cæterùm maius illud malum pulchritudinis, quod in Helena totus penè orbis deplorauit. Quam historiam repetens Clem. Alex. exclamauit: O adulteria, incitantem pulchritudinem! Græciam euertit barbarum sui ornandi studium, & effœminatæ deliciæ. Laconicam pudicitiam corrupit vestis, & luxus, & pulchra species. Propter effrænatas, voluptates Græcia, & Asia commotæ sunt. A barbaro adolescentulo omnia agitantur. Tota Græcia nauigat, vehementia erumpunt prælia, campi implentur cadaueribus, dominatum obtinet iniquitas, pectora pulsantur planctibus, & luctus terram possidet, &c. *lib. 2. pædagog. cap. 2.* Vnius quidem fœminæ pulchritudo, & lasciuia, Græciam & Phrygiam propè vniuersas labefactauit in bello Troiano. quare licuit poetæ lamentari.

Breui transiens pulchritudo.
Clem. Alex.
Iuuentutis venenū pulchritudo.
Clem. Alex.
Helena pulchritudo exitialis.
Troianum bellum.

Troia nefas commune sepulchrum Europæ, Asiæque:
Troia virum, & virtutum omnium acerba cinis.

Catull. in Carm.

Non est igitur corporis, sed animæ quærenda, & amanda pulchritudo, quæ & vera est, & constans, & salutem, immortalitatémque sempiternam importat. In sola vero anima (vt subnotauit idem Clem.) pulchritudo apparet, & turpitudo; & ideò is solus, qui est virtute præditus, is verè est pulcher, & honestus. Sola virtus vel per pulchrum corpus apparet, & in carne efflorescit, moderationis speciem amabilem ostendens, quando mores tanquam lux quædam in forma resplenduerint. hæc Alex. 2. *Pædag. cap.* 12. Virtus itaque sola est animæ pulchritudo, quæ non interiùs cohibetur, sed foras egreditur; inde siquidem veluti sol ad externam corporis structuram splendores suos diffundit. sunt autem modestia, pudor, temperantia, sobrietas, & similia pudicitiæ ornamenta, quæ ab interiore anima procedunt, & in corporis functionibus splendescunt.

Vera & sola pulchritudo animæ.
Clem. Alex.
Animæ pulchritudo vt sol splendescit.
Pulchræ animæ ornamenta.

6. Laudanda etiam Rachel eo subinde capite, quòd pulchra esset natiuo decore contenta, non domi ad vmbram in penetralibus assideret, infatigabile studium impendens poliendæ cuti, ori colorando, & crinibus eleganti lenocinio comendis; sed vt erat puella, & venusta, agros, & saltus, non æstum, non frigora, non imbres, & auras timēs, pastoritiam, & laboriosam vitam agens peragraret. Rachelem inspiciant, & ad illius modestiam suffundantur pudor, quæcumque nimium, hoc est meretricium (vt rectè appellat Clem. Alex.) ornandi sui studium domi exercent. Quæ quidem mulieres (vt scribit) domus apud maritos seruandæ, administrandæque familiæ curam gerunt exiguam; sed soluta mariti crumena, quæ eis suppeditantur, conuertunt in suas cupiditates, & quòd pulchræ videantur multos testes habent, & ornandi artificio toto die assidentes vacant: carnem ergo mollem & suauem reddunt. sic ille. Qualis ergo status erit familiæ, vbi vana, & stolida mulier, soli suæ cuti poliendæ, orique ornando totum studium, curámque impendit? Vide nunc etiam artem, & fraudem mulieris neuos, & vitia, occultantis, & fallacem speciem ostentantis. Et interdiu quidem (adiungit) in thalamis versantes, arti ornandi affixæ sunt, ne floridis coloribus depictæ deprehendantur. Vesperè autem tanquam ex antro ad lucernam prorepit hæc adulterina pulchritudo. Nam lux paulò obscurior incrustationi earum opem fert. hæc ille, 3. *pædag. cap.* 1.

Pulchritudo natiua sine fuco.
Nimium ornandi studiū.
Clem. Alex.
Mulier lenocinio curas & opes impendit.
Clem. Alex.

Hoc

Hoc vnum, & perenne solet esse poliendi, & colorandi faciem miseris, ac fatuis studium, vt pulchræ appareant, non quidem ad lucem, qua fucus, & mendacium proditur; sed ad vmbram, in

Ars, & dolus in lenocinio.

qua quæ sunt ascititia pro innatis, falsa pro veris facile reputantur. Atque id quidem non modò rerum omnium opifici Deo, sed etiam toti familiæ, cuius curam despiciunt, &(quod valde mirandum

Valde iniuriosum lenocinium.

est) ipsi quoque naturali pulchritudini, si qua est, ori, corpori, salutique est iniuriosum. Hæc omnia idem Alex. Clem. statim digerit in hunc modum.

Clem. Alex.

Non intelligunt miseræ se propriam perdere pulchritudinem, dum externam inducunt. Summo

Lenocinio perditur pulchritudo.

itaque manè se lacerantes, & extendentes, variisque, ac confusis mixtionibus effingentes, viuum quidem cutis colorem refrigerant, carnem venenis effodiunt, curiosisque, ac superfluis abstersionibus proprium decoris florem corrumpunt, & marcidum efficiunt. sic ille. Sanè perquàm ridiculum est, & quotidie visitur, superiùs incrustationem in fœmineo vultu nitere; subtúsque ipsam carnis cutem vitio natiuo pallescere. addit ergo:

Ridiculū fœmina lenocinium.

Clem. Alex.

Quocirca ex cataplasmatibus cemuntur pallidæ, & a morbis facile arripiuntur, vt quæ adumbratam carnem venenis iam liquefactam habeant, hominum opificem contumelia afficientes, tanquam, qui pro meritis non fuerit eis largitus pulchritudinem. Iure ergo, quod ad domum seruandam, & administrandam familiam attinet, sunt

Fœmina vti statua depicta.

otiosæ, vt quæ sedeant veluti depictæ ad spectaculum, non natæ ad domus custodiam, familiæve C administrationem. hæc ille, *indicato loco*. Sed ô miseros illarum maritos, quorum opes in istam contumeliam & vanitatem effunduntur! ô infelices familias, quibus componendis & curandis non matres inuigilant; sed in quibus simulachra malè depicta ad externorum lasciuiam, & domesticorum ignominiam exponuntur!

7. Atque ô deplorandam istarum matrum sobolem! Iccirco enim tam curta est æui nunc breuitas, tam multa passim, & noua quotidie prodeūt morborum genera, tótque in ipsis statim primis pueritiæ, aut iuuentutis annis earum liberos intempestiua mors corripit, & funere mergit acerbo; eo quòd de vitiosa, tabida, venenísque (vti

Nocet fœtui lenocinium matris.

sublimato) ad ementiendam pulchritudinem infecta radice nati prodierunt. Plura in hanc sententiam à Patribus congeruntur; semper enim in Ecclesia Christi nimium istud, & ad libidinem arte compositum in fœminis lenocinium damnatum fuit; atque in primis insignia sunt, & (vt vocat) grandis dictionis exempla, quæ S. Aug. *lib. 4. de doctrina Christiana, cap.* 21. commemorat, ex S.

D. Augus̄t.

Cyprian. *Epist. de habit. Virg.* & S. Ambros. *lib. 2. de Virg.* Et quidem Cypriani verba iam alijs omnia retulimus, & non pauca similiter Ambrosij. Ambo autem (inquit August.) inuecti sunt in eas, quæ formam pigmentis colorant, vel potius decolorant. Ambros. quidem: Hinc illa, ac nascuntur incentiua vitiorum; vt quæsitis coloribus ora

D. Ambros.

Adulterium vultus fucus.

depingant, dum viris displicere formidant, & de E adulterio vultus, meditantur adulterium castitatis. Dum verentur maritale iudicium, perdiderunt suum. Prior enim de se pronunciat, quæ cupit mutare quod nata est. ita dum alij studet placere, priùs ipsa sibi displicet. hæc S. Ambros. Vt nulla

Præstringitur vanum lenocinium.

iam istarum causari possit in hoc suo studio lenocinandi, & comendi, iustum & castum amorem mariti, cui pulchra, & compta placere studet. Sic enim magis displicet, dum se aliam ac nata & nopta est, adulterino ornatu effingit. Et (quod misera plus doleat) suam marito inculcat deformita-

A tem, quam exquisitis lenociniis occultare nititur, aperte sibi diffidens, ac displicens, dum a pigmentorum fuco, & vestium elegantia decorem alienum, cum natiuo careat, vel furatur, vel emendicatur. Bellè igitur addit Ambros. Quem iudicem mulier veriorem requirimus deformitatis tuæ, quàm teipsam, quæ videri times? Si pulchra es, cur absconderis? si deformis, cur te formosam esse mentiris, nec tuæ conscientiæ, nec alieni gratiam erroris habitura? Ille enim alteram diligit, tu alteri vis placere. & irasceris, si amat alteram, qui adulterare in re docetur? Mala magistra es iniuriæ tuæ, &c. hæc S. Ambros. Ex quibus colligit S. Augu̇st. Satis, vt existimo, apparet fœminas, ne suam fucis adulterent formam, & ad pudorem, & ad ti- B morem hac facundia vehementer impelli. Proinde grande omnino genus hoc elocutionis agnoscimus. hæc S. August.

D. Ambros.

Superfluum maritata lenocinium.

D. August.

8. Concertarunt miseræ ad effingendam hanc pulchritudinem ornamentorum, vestium, & variorum vtensilium comendi, & colorandi, supellectilem, dicam, an armamentarium? Certè Clem. Alex. longam admodum seriem rerum huiusmodi, ac nominum ex Aristophane comico narrationem diducens fessus tandem narrando concludit: Ego quidem defessus sum, & indignor dicendo tot earum ornamentorum multitudinem. Mihi autem in mentem venit admirari quòd eæ non euecentur, dum tantum onus baiulant. O curam valde inanem. Vanam, & insanam gloriæ cupidi- C tatem! Ritu meretricio opes effundunt in probra, ac dedecora; suáque improba, & arroganti stoliditate Dei dona corrumpunt, & adulterant, artem maligni imitantes. hæc ille, 2. *pedag. cap.* 12. Et quidem omnia hæc ornamenta & pigmenta comparantur in studium, curam, & cultum corporis, quod lutum est, puluis, & cinis, & quàm primùm in cineres resolutum, & vermibus esca euanescet. At animæ, quæ potior, ac nobilior pars est, nulla omninò habetur cura. O detestabilem hominum dementiam! Ignoras (inquit S. Chrysost.) ciuitatis principem magnificè magis, quàm ciuitatem ornari oportere? propterea principi purpura, & diadema contexta sunt. Pariter ergo tu etiam viliora corpori tribue; animam verò purpura atque co- D rona magnificè polias, & in sublimi solio atque splendido sedere facito. hæc ille, *hom.* 70. *in Matth.* Est enim anima corporis regina; istud autem vile mancipium. Quid igitur tam indecens, atque ab omni ratione alienum, quàm vt regina iaceat in squalore; at mancipium pulchro, diuitéque in solio resideat? Quid tam præposterum, ac ridiculum, quàm vt domus tota serico, & auro resplendeat: at ipse domus habitator nudus in cinere, & cilicio sedere compellatur? Bene idem Chrysost. adiungit: Si quis domum tuam aureis tapetis depensis ornare velit, te verò nudum in ciliciis sedere cogeret; non æquo animo id ferre posses. Nunc verò non alius, sed tu ipse domicilium animæ tuæ, id est, corpus, auro, & gemmis exornas; animam E verò in turpitudine cilicij sedentem negligis. ita S. Chrysost. Quamobrem (vt rectè monet Clem. Alex.) non externi hominis aspectus, sed animus probitatis ornamento ornandus est. Dici potest ornandam quoque esse carnem ornamento continentiæ. Mulieres autem istæ non animaduertunt dum colunt id quod est extrinsecus, quæ intus in profundo sita sunt, esse planè inculta, horrida, & sterilia. hæc ille, 3. *pedag.* 2.

Clem. Alex.

Multiplex varietas ornamētorum.

Vanū corporis lenocinium.

Nulla cura habetur animæ.

D. Chrysost.

Anima ornāda vt regina.

D. Chrysost.

Ornāda anima nō corpori studendum.

Clem. Alex.

Continentia corporis ornamentum.

9. Itaque verus ornatus ipsa virtus animæ est: pulchritudinem sancti mores efficiunt. quod ex Tertulliano audiant fœminæ, qui sic illas affatur:

Pulchritudo & ornatus in moribus.

Tertull.

Prodite

A Prodite iam medicamentis, & ornamentis extructæ Apostolorum: sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia, & spiritûs taciturnitate inserentes in aures sermonem Dei, annectentes ceruicibus iugum Christi.

Ornatus Christianæ mulieris.

Caput maritis subiicite, & satis ornatæ eritis. Manus lania occupate, pedes domi figite, & plusquam in auro placebunt. Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ. Taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem. hæc ille, *ad finem lib. de cultu fœmin.*

Ornatus corporis animã ægrotam innuit.

Planè si quantum suæ famæ officiunt, attenderent, ab isto inani, & infami studio prorsus abstinerent. suas enim corporis ornatu nimio infamant animas.

Clem. Alex.

Quemadmodum enim (inquit Clemens Alexand.) cui impositum est cataplasma, & cui inuncti sunt B oculi, vel ipso aspectu præbet morbi suspicionem: ita fuci tincturæ, & colores illiti animam intrinsecus ægrotare significant. Hæc ille, *3. pedag. cap. 2.*

Christianus Dei templũ.

bellè dictum, ornatur corpus? anima ægrotat. An non Christiani symbolum est, vt templum Dei sit iuxta illud Apostoli: *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus sanctus habitat in vobis?* 1. Corint. 3.

1. Corint. 3.

Et quidem templum apud Christianos ita construitur, vt licet externa facie speciosum videatur, maxima tamen illius maiestas, amplitudo, gloria, diuitiæ, & pulchritudo, & quæ in illo potissimum visenda, & augusta sunt, in ipsa interiori parte ædificij, parietum, adytorum, & altarium conspiciantur.

S. Greg. Naz.

Sic planè Christiani (vt loquitur S. Gregor. Nazianz.) externam speciem, ac velut pictu- C ram parum admodum curamus: in interno autem homine multo plus operæ, studiique ponimus; idque potissimum studemus, vt spectatorem ad ea, quæ animo cernuntur, retrahamus. hæc ille, *orat. 3. in Iulianum.*

Christiani cura de interno ornatu, incuria de externo.

Hoc igitur Christiani debet esse studium, curáque omnis, vt externum negligat ornatum, internum amet, & comparet. Vbi enim insignis est ornatus corporis; animæ autem incuria, deformitas, ac turpitudo: ibi non Christi templum, sed Ægyptium delubrum visitur, in quo quicquid erat externum, mira pulchritudine, & magnificentia extructum visebatur: at in adytis sacratioribus, & templi penetralibus spurcissima pro diis animantia colebantur.

Templũ Ægyptium corpore ornatum, & anima inculta.

Clem. Alex.

D 10. Hoc ipsum docuit Clemens Alex. hisce verbis: Huiusmodi sunt etiam ornamenta Ægyptiorum, apud quos templa, eorúmque porticus, vestibula, ac luci magnificè instructi; eorúmque atria m[...] columnis cincta sunt: parietes autem lapidibus externis, & artificiosè depictis resplendent, ita vt nihil desit: ædes autem auro, argento, & electro collucent, & ex India, atque Æthyopia variis fulgentibus lapillis: adyta verò intextis auro obumbrantur peplis. hæc ille, *lib. 3. pedag. cap. 2.* de apparatu externo templi Ægyptij, cui persimilis est mulierculарum iste meretricius corporis ornatus.

Ridiculũ Ægypti templũ.

Clem. Alex.

At de interna turpitudine templorum, & animarum ita progrediens disserit: Sed si penetralia templi ambitus subieris, & ad eius, quod est præstantius, spectaculum properans, imaginem, E quæ templum habitat, quæsieris, sacerdos quispiam graui, & venerando vultu aspiciens, & Ægyptiorum lingua pæanem concinens, cum veli aliquantulum contraxerit tanquam Deum ostensurus, abundè nobis suppeditat occasionem ridendi numinis: intus enim inuenitur felis, vel crocodilus, vel serpens, vel aliqua eiusmodi bellua, quæ templo quidem est indigna, sed antro, ac cæno magis congruit. Apparet Deus Ægyptiorum bellua, quæ super vestem stragulam purpuream volutatur sic ille. Quid quæso magis indignum tem- A pli ornatu magnifico? quid tam ridiculum, quid etiam tam execrandum? Colligit denique in hunc modum:

Clem. Alex.

Sic mihi videntur fœminæ, quæ aurum gestant, & in crispandis crinibus exercentur, & in genis vngendis, oculísque pingendis, & pilis tingendis versantur, & aliam mollitiem arte improba persequuntur, carnalem ambitum ornantes, & vere Ægyptios imitantes infelices amatores attrahere. sic ille de meretricio istarum ornatu.

Fœditas in meretricio ornatu.

Clem. Alex.

at de interna fœditate demum ita concludit: Sed si quis veli templum aperuerit, vitam inquam, vestem, aurum, fucum, tincturam, & quæ eis intrita, & incrustata sunt, hoc est, velamentum quod ex eis contextum est, tanquam illic veram inuenturus pulchritudiné rectè scio eum abominaturum. B Non enim Dei imago habitat, sed loco eius fornicatrix & adultera animæ occupauit adytum; & vera esse bestia conuincetur, fuco scilicet intrita, & incrustata simia, & seductor ille serpens mentis excedens intelligentiam pro spelunca habet animam, & cum erroris sui virus eructauerit, mulieres in meretrices transformat hic draco, fungens lenonis officio; non est enim mulieris, sed meretricia illud nimium sui ornandi studium. hactenus Clem. Alex.

A diabolo lenone meretricius ornatus.

Atque vtinam miseræ suam istam internam, & propriam fœditatem intuentes ab externæ, atque alienæ, falsæque formositatis amore, studióque animum auertant: non sese oculis intuentium Ægyptiacum delubrum bestiis dicatum spurcissimis exhibeant, sed Christi tem- C plum, & Christianæ honestatis sacratum.

11. Horum omnium, quæ de ornatu, ac pulchritudine diximus, opportunam satis occasionem præbuit Rachel Virgo, vt scribitur, decora, & venusta; quæ tamen ornata, & compta non legitur, sed in agris, ad auras, soles, & imbres duriorem vitam agens puella casta, & pulchra in pascendo grege laborabat: digna sanè, quam Dei Filius homo futurus vnam inter cæteras sui generis humani auias deligeret, quæ tum etiam eo pulchrior, & purior, quòd futuram de suo semine semper Virginem Dei Matrem præcellenti admodum symbolo repræsentaret.

Rachel typus B. Mariæ.

Fuit quidem beatissima Virgo admirabili super omne genus mulierum, vti decebat Reginam mundi, pulchritudine: D nec enim in terris aliquid adeo pulchrum existit, quod ad exprimendum Virginis decorem à cœlesti Sponso assumeretur. In cælo tantùm Virginalis pulcritudinis aliquales vmbræ, ac lineamenta visuntur.

B. Mariæ pulchritudo incomparabilis.

Cant.

Hinc est quòd pulchra vt luna, electa vt sol, castrorum (scilicet Angelicæ naturæ) acies ordinata dicitur; & decora sicut Hierusalem, vtique illa cœlestis, in qua beatorum mentes inenarrabilem Dei gloriam contemplantur.

Species interior & exterior B. Mariæ.

At externa hæc est tantùm facies, huius templi exterius vestibulum, primúsque aditus. Sacratior illa, quæ interior templi Virginei pars, longéque speciosior: vbi maiestas oris, vultus modestia, genarum pudor, incessus grauitas, motus omnis concentus, atque omnium sensuũ, operationum, & totius ha- E bitus admirabilis gratia relucebat, oculos, & animos intuentium, & contemplantium dulcedine, parique stupore detinebat. Quod etiam complecti voluit Angelus cum dixit: *Aue gratia plena.*

Luc. 1.

Occurrit Rachel peregrino Iacobo, cessítque in eiusdem coniugium, in quo etiam Virginem beatissimam præfigurauit, quæ nimirum Deo redemptionem humani generis decernenti per incarnationem Diuini Verbi, sola inquam ex vniuerso sexu mulierum, quæ vel essent, vel creari possent, occurrit, vt in filiam Æterni Patris, in Matrem Filij, in Sponsam Spiritus sancti, atque in totius sanctissimæ

B. Maria electa in Dei Matrem.

ſimæ Trinitatis auguſtiſſimum templum deligeretur. Gratum ſane, ac dulce peregrinationum, & laborum ſuorum in præmium Iacobus Rachelem accepit: felicéſque illæ haberi debent ouiculæ, quæ a tam pulchra, & pura Virgine paſcebantur! felices agri, felicia paſcua, quibus virgineæ plantæ ductando gregem impreſſæ vagabantur! Sed quid hoc ad Virginem Dei Matrem de cuius plenitudine gratiarum cæli terræque conſperſi plauſu feſtiuiſſimo collætantur?

S. Germ. *Laudanda & inuocanda B. Maria.*

12. Dicamus & nos cum S. German. Archiep. Conſtant. Nos te ô Domina Dei genitrix, fide benedicimus, deſiderio honoramus, & metu adoramus: te ſemper extollentes, te laudantes, & te venerabiliter beatam pronunciantes! Beati qui te viderunt, beati qui tecum ſunt verſati, beati qui tibi ſeruierunt: beata loca tua, beatus lectus tuus, & beatum ſepulchrum tuum. Tu es enim honor honorum, & præmium præmiorum; & altitudo altitudinum. ſic ille, *de præſent. Virgin.* Paſcebat oues Rachel eò tantum quòd illas ad paſcua duceret: at multò veriùs, ac feliciùs a Virgine Dei Matre paſcimur; benedictus enim fructus ventris illius eſt Dominus IESVS, qui eſt panis vitæ; & tibi manducantibus vitam præbet æternam; de quo ipſamet Virgo cecinit: *Eſurientes impleuit bonis.* Luc. 1. Quicquid enim gratiarum, & cœleſtium donorum mentes hominum eſurire, ac deſiderare poſſunt à Virgine Matre, illa ſcilicet nube leui, ſuper quam Deus ipſe aſcendit magnificentiſſime, ac ſuauiſſimè deſcendit. Hinc illa egregiè ad beatam Virginem dicuntur ab Idiota pio, & priſco autore: De tua ſupereminenti Virginitate iuſte dici poteſt quod ſcribitur: *Pulchritudinem candoris eius admirabitur oculus; ſpecies cœli eſt in viſione gloriæ.* Eccleſ. 36. & Iſaiæ 11. *Aſcendet ſuper nubem leuem.* Vt ſit viſibilis imago ſolis, cum ſit arcus, ſed non niſi in die profuſionis pluuiæ ſpecies ſolis conſiſtit in ſplendentium radiorum emiſſione; & ſignificat in te, aduocata noſtra Virgine Maria largam gratiarum affectionem in omnes qui ſe conuertunt ad te. ſic ille, *lib. de contemplat. Virg. cap. 1.* Dicitur quidem Virgo beatiſſima & arcus cæli, & nubes leuis: arcus ſole irradiante collucens, & variorum colorum admirabili venuſtate depictus. Plena ſiquidem Deo Mater Virgo donorum omnium ſupernaturalium & cœleſtium gratiarum incredibili varietate irradians admirabiles iuxtà, & amabiles, in cælum, in terráſque ſuæ pulchritudinis, & maieſtatis dimittit ſplendores. Nubes verò leuis, ab omni vitio, labéque humanæ concupiſcentiæ libera, per quam puriſſima verbi Diuinitas in terras deſcendit, & quæ ſola potuit venienti Deo in terras & Matrem deſideranti dicere: *Ecce ancilla Domini.* Luc. 1. hoc eſt (inquit Andr. Cret.) Ecce parata ſum, & nihil prohibet: animus promptus eſt, vterus opportunus, vtpote minimè inquinatus, & ſoli ſeruatus Creatori. Ecce ancilla Domini ad obediendum parata, ad ſeruiendum idonea, ad ſuſcipiendum prompta. hæc ille, *de annunt. Virg.*

Luc. 1. *Fons gratiarum B. Maria.* Idiota. Eccleſ. 36. Iſaiæ 11. *B. Maria cæli arcus, & nubes leuis.* *Effuſio gratiarum à B. Maria.* Luc. 1. Andr. Cret. *B. Maria Deo ſe exhibet promptã.*

13. Neque verò nouum, & incredibile omnino videri debet, Rachelis venuſtatem cum pudicitia coniunctam in puellari ætate per agros, etiam inter viros illæſam conſeruari: auſteram quippe, rigidam, & ab omni deliciarum genere abhorrentem ductrix illa ouium vitam tranſigebat. Non niſi inter ſpinas roſa naſcitur, nec ſuam dio gratiam, & decorem retinet. niſi inter ſpinas: mollibus tacta manibus, natiuo ſpoliata rigore ſyluarum, citò marceſcit. Quid enim tam inimicum & iniquum pudicitiæ, omníque virtuti, quàm deliciæ in menſa, in lecto, in veſtitu? Hinc illud Apoſtoli iudicium de vidua parùm honeſta: *Quæ in delicijs eſt, viuens mortua eſt.* 1. Timoth. 5. *Mortua,* dicit quia velut in putridum, & purulentum cadauer in ipſo turpium libidinum cœno iacet conſepulta, quæ delicate corpus ſuum curat. Etenim (vt ad locum Pauli animaduertit Theod.) immodicæ deliciæ rationem obruunt, & efficiunt, vt in corpore tanquam in aliquo ſepulchro iaceat. ſic ille. Sententiam Apoſtoli euoluens S. Hieron. omnem deliciarum vſum Saluianæ nobili, & adoleſcentulæ viduæ adimit hiſce verbis: Procul ſint à conuiuijs tuis phaſides aues, craſſi turtures, attagen Ionicus, & omnes aues, quibus ampliſſima patrimonia auolant. Comedant carnes, quæ carni ſeruiunt, quæ maritis alligatæ ſunt. Tu verò quæ in tumulo mariti ſepeliſti omnes pariter voluptates, &c. nihil habes neceſſe aliud, niſi in ieiunio perſeuerare. Pallor, & ſordes, gemmæ tuæ ſint: plumarum mollities iuuenilia membra non foueat: balnearum calor nouum adoleſcentulæ ſanguinem non incendat. hæc S. Hier. *Epiſt. ad Saluian.* Obiter expende, quàm bellè ac verè dixerit auolare patrimonia in epulis: quotidie ſiquidem ampliſſimos familiæ reditus, & ingentia hæredibus relicta patrimonia, ac theſauros opulentiſſimos, quos diuitum ſolicitudo acquiſiuit, & auorum tenacitas multo, & longo ſudore congeſtos cuſtodiuit, breui tempore ab helluonibus liguriri, & conſumi videmus. In parœmiam iam abiit filius ille prodigus, qui acceptum patrimonium ipſo planè momento ita prodegit viuendo luxurioſè; vt pene nudus, faméque enectus ad quærendas porcorum ſiliquas ſeſe abiecerit. *Luc. 15.* Pallor igitur, & ſordes, ornamenta ſunt, & gemmæ viduarum, ieiunium, totiúſque habitus, & vitæ rigor, deliciæ. Nec verò tantùm omnis deliciarum corporis, ſed etiam parietum, & tectorum vſus ab honeſtate viduæ ablegandus eſt. quod idem S. Hier. ad locum Apoſtoli ſic oſtendit: Quicquid modum naturæ excedit, delicijs deputatur. Hic maximè noſtri temporis viduas tangit: quæ cum hominem ſuæ naturæ qualicunque panno non veſtiant, parietes pretioſis marmorum cruſtis exornant. ſic ille. Ea quidem eſt virorum, ac mulierum interdum impietas, & amentia, vt cum ad ornatum, & elegantiam parietum ingentes ſumptus effundant, ſi pauperculus fores pulſet, ſtipémque inclamet, ne obolum quidem ſe habere dicant.

Caſtitas in vita auſtera. *Deliciæ inimica caſtitati.* 1. Tim. 5. *Corpus deliciosum caſtitatis ſepulchrum.* Theod. D. Hieron. *Abſtinentia ad ſeruandã caſtitatem.* *Caſtitas in vita auſtera.* *Helluones patrimonia ligurriunt.* Luc. 15. *Vidua à delicijs aliena.* D. Hieron. *Parietes ornare, & pauperes deſpicere.*

14. Sed ad vitam Sanctorum au[...], & laborioſam redeuntes, illam Tertulliani ſententiam quotidiana ipſa experientia comprobari videmus. Virtus duritia extruitur, mollitie verò deſtruitur, *lib. ad Martyres.* Agreſti, & paſtoritio amictu Rachel induta quidni ab omni mollitie pudicitiæ robur eneruante alienam vitam ducat? Quî verò fieri poteſt, vt delicatæ puellæ molliſſimis, ac pretioſiſſimis amictæ indumentis conſtantem, & inſuperabilem conſeruent corporis, & animæ puritatem? molle ſiquidem veſtimentum (autore S. Chryſoſt.) etiam fortem diſſoluit, & frangit animum, & diffundit. Et licet corpus acceperit aſperum & durum, id molle reddit, & imbecillum. *homil. 29. in Epiſt ad Hebræos.* Quod ſi robuſtum viri corpus mollitudine veſtium eneruatur, quid fiet imbecilli, & delicatulo puellæ corpori, cum tenuiſsimis, & delicatiſsimis amicitur veſtibus: Quid etiam de menſis, & reliquarum deliciarum genere dicam, quibus affixi mortalium plures catenam (vt loquitur S. Chryſ.) adipant, & animum frangunt, ac molliunt, & graue onus conficiunt,

Tertull. *Virtus in duritia, non mollitie.* *Molle veſtimentum eneruat.* D. Chryſoſt. *Delicia nocet puellis.* D. Chryſoſt.

&

A & multas tenebras, & crassum velùm obtendunt: sic ille, *hom. 39. in 1. Cor.* Probat deinde assumptum hoc modo: Nam deliciis quidem id quod est melius, redigitur in seruitutem; quod est autem peius, dominatum obtinet: & illud quidem vndique excæcatur, mancumque, ac mutilum trahitur: hoc autem in omnes partes agit, cum deberet esse in loco, & ordine eorum quæ aguntur. ita S. Chrys. ostendit quantum animæ officiant deliciæ corporis: sed hoc idem deliciis labefactari ad hunc modum probat: Corpus eget alimento, non deliciis. Corpus opus habet, vt alatur, non vt infringatur, & dissluat. Neque enim animæ tantùm, sed etiam ipsi corpori hostes sunt deliciæ. Nam pro robusto fit imbecillius, & pro firmo mollius, & pro salubri valetudinarium, & pro leui grauius, & pro denso rarius, & turpe pro formoso, & pro bene olente peiùs olens, ac fœtidum, & pro mundo immundum, & vetus pro nouo, & putridum pro forti, &c. hæc S. Chrysost.

Deliciæ animam ligant, & debilitãt.

S. Chrysost.

Deliciis corpus debilitatur.

15. At obiicies Virginem virginum Matrem Dei affluentem deliciis a diuino Spiritu celebrari cum scribitur: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Cãt. 8. Non sunt Virginis deliciæ, quas hucusque inimicas puritati damnauimus. Illæ quidem sunt deliciæ, quæ summam post Deum continent, & redolent puritatem. Ascendere dicitur de deserto, seu non in ipsa infœcunditate prolis, quam secum Virginitas affert, consistere: sed de sterilitate ad fœcunditatem, de maledicto, quo sterilis feriebatur, in benedictionem puerperæ ascendere. Hæ pulcherrimæ, suauissimæ ac purissimæ deliciæ, vt eadem Virgo sit, & Mater: intemerata, & Angelicis mentibus purior fœtum concipiat, partum edat, Filium Virgineis lactet vberibus; ancilla sit, & Mater Dei. Quare ipsa Virginis puritas, simul cum conceptu, & partu Dei Filij sui semper Virginem Matrem suauissimis, & inexplicabilibus gaudiis, ac deliciis cumulauit. Quidni enim (ait S. Bern.) delicias dixerim virginitatis decus cum munere fœcunditatis? *serm. 4. de Assumpt.* Cæterum corporis delicias illa nesciuit, quæ vitam omnem in summa paupertate, fuga, exiliis, doloribus, angustiis, & Iudaici populi insectationibus simul cum Deo ipso Filio suo in exemplum admirabilis patientiæ, vsque ad suam in cælum Assump[illegible]em transegit. quod ipsamet beatissima Vir[illegible]ificauit illis verbis: *Nolite me considerare q[illegible] fusca sim: quia decolorauit me sol: filij Matris meæ pugnauerunt contra me. Vineam meam non custodiui.* Cant. 1. Nigrorem suum dicit illam ærumnarum multitudinem, & magnitudinem, quam in passione, ac morte Filij sui pertulit, cum vidit suis oculis Solem iustitiæ Deum hominem, quem ipsa Mater Virgo Filium ediderat, ac nutrierat, ignominiosæ mortis caligine occultari: cum seruare non potuit saluum, & incolumem à suæ gentis, Iudaicæ nimirum, odiis acerbissimis, quem in Ægypto inter alienigenas, & infideles Puerum custodierat. Quænam ergo vitæ asperitas, quis pœnitentiæ rigor, quæ Martyrum patibula cum Deiparæ Virginis doloribus pro Filij passione susceptis aliquo pacto queant comparari?

Deliciæ B. Mariæ, vt Virgo & Mater Dei sit.

Cantic. 8.

B

C

S. Bernard.

B. Mariæ vita laboribus & doloribus plena.

D

Cant. 1.

Incomparabilis dolor B. Mariæ in passione Filij.

E

SECTIO III.

Quam cùm vidisset Iacob, & sciret consobrinam suam, ouésque Laban auunculi sui: amouit lapidem quo puteus claudebatur.

1. VIdit Iacob Rachelem cum suo grege ad puteum accedere, quam à pastoribus audierat filiam esse Labani auunculi sui; cumque intelligeret, solam expectari, operculum illud putei sustulit, vt in consobrinam, & futuram coniugem officiosus videretur. Sed qui fieri potuit, vt solus quod multi simul vix possent, haud difficili negotio præstaret? Erat quidem (vt ferebant illa tempora) iuuenis, & natura robustus, & castitas corporis vires auxerat: non quales hodie iuuenes, dum intemperanter indulgent Veneri, fracti viribus, ac miserè debilitati elanguescunt. Nimium ardore concupiscentiæ adolescentes exæstuant, & dum se blando illo, sed lethali incendio comburi sinunt, dissoluta compage artuum exhausta corpora, immaturo funere, in sepulchrales cineres rediguntur; & dum cœco impetu rapti nauem in salo appetitionum turbinibus conquassandam tradunt, breui & virium, & vitæ miserandum naufragium faciunt. In adolescentibus enim (ait S. Chrys.) maius est naturæ incendium, maior concupiscentiæ tempestas, infirmiora consilia; ratio, quæ vitia gubernet, infirmior. ita Chrysost. *Epist. ad Olymp.* Quis verò in multis prælijs diu, multúmque certauit, & nullum accepit vulnus, numquam periclitatus, sed omnino euasit illæsus: maximè si cum armatis inter flammarum globos, & incendiorum volumina conflixit? Multa quippe (vt scribit S. Hieron.) corporis bella sustinet adolescentia, & inter incentiua vitiorum, & carnis titillationes, quasi ignis in lignis viridibus, suffocatur sapientia, *Epist. ad Nepot.* Dicit optimè in ætate iuuenili, vbi omnia ignescunt quamcunque prudentiam carnis titillationibus, atque illecebris, quasi tenuem ignis scintillam in humida, & incocta stirpium materia sopitam extingui. Vigilandum ergo adolescentibus est, ne incauti libidinum occasionibus, ac tentamentis sese immisceant. sola vitæ, victoriæque spes in fuga est. Vel ipsa nocet aura iuuentuti: cum proinde S. Greg. Nyss. iuuenem appellet florem, qui marcescit. *lib de Creat. hom. cap. 16.*

Adolescentes exhausti venere moriuntur immaturi.

Adolescentia periculosa.

S. Chrysost.

D. Hieron.

Sapientia in iuuene à libidine opprimitur.

S. Greg. Nyss.

2. Igitur adolescentibus præcipuè commendatur illud Cyprian. Auertite occasiones impuras. Amputanda sunt omnia vobis quæcunque igniferi fomitis sulphurantibus flammis candens fornax ebullientis carnis exæstuat, ne vel tenuis quidem scintilla maiora conflet incendia; quod Salomon manifestat, dicens: *Ab scintilla vna augetur ignis.* Eccles. 11. hæc S. Cyprian. *de singul. Cler.* Periclitatur nauis, si vel tantula scintilla inter pulueris tormentarij capsulas forte inciderit: haud dubiè, nisi summo consilio, atque præueniatur, omnes epibatæ cum ipso myoparone pariter conflagrabunt. Et securum se ducet iuuenis, cum inter ardentissimas gehennæ prunas voluptatum scilicet irritamenta discurrat? Quòd si lasciuia, & intemperantia in adolescentibus iure damnatur, quàm graue quæso piaculum erit ætate senem, iuueniliter lasciuire? Enimuerò (vt rectè scribit Philo Hebr.) sicut non eadem discunt viri, quæ pueri, sed suæ cuique ætati disciplinæ conueniunt: sic interdum natura fert, vt animæ pueriles maneant etiam in senilibus corporibus,

S. Cyprian.

Vitanda occasio impuritatis.

Adolescentia exæstuat libidinibus.

Philo Hebr.

Libido in senibus.

&

Castitas vires corpori adijcit.

& contra perfectæ inueniatur in florentibus adhuc,& pubescétibus.hæc ille,*lib.de profugis.* Quid mirum igitur si Iacob adhuc iuuenis,& peregrinus post longos, ac permolestos itineris labores tanto polleat animi,corporisque robore, cũ animi,& corporis castitatem coluerit?Egregia sanè

S. Cyprian. Encomia castitatis.

descriptio castitatis apud S. Cyprianum legitur, de qua liceat hæc paucula delibare. Castitas est munimen inuictũ sanctimoniæ, fortitudinis firmitas, animæ victoria, vbertas gloriarũ, pax secura virtutum,& debellatio inquieta bellorum, honestatis portus,ignominiæ naufragalis locus, lorica pudoris, corruptionis exitiũ, dissolutionis occisor, armatura virium,acquisitio triumphorũ, requies salutis, vita spiritus, status qualitatis angelicæ,&c.hæc S.Cypr. *de sing. cler.* Vide quãtùm non ad animæ tantummodo salutem, sed etiam ad corporis ornamentum,viresque conferat pudicitia, quæ rectè appellatur armatura virium. Nouerat hanc prærogatiuã castitatis Nonius Aluarez Pereira Lusitanorum ducum fine controuersia fortissimus,& felicissimus. Cum enim adhuc adulescens iã bellico arderet spiritu,natũmque se ad arma diceret,primò omnium statuit secum in cælibe vita perpetuam seruare continentiam. Cæterum à Rege Ferdinando cõpulsus primariam fœminam & viduã duxit vxorem.Susceptâque vna tãtũm filia Beatrice vsque ad mortem deinceps abstinuit ab vxore, dicere solitus virum bello deditum non vxorio cõmercio implicandum, non carnis voluptatibus corrumpendum fore; ac subinde implicatus in Hispania grauissimis bellis, quæ gloriosissimus de regibus triumphator cõfecit:illámque(vt Hispanicus Historiographus optimè scripsit)inter omnes gentium duces palmam extulit,quòd semper victor, nunquã victus extiterit. Ad tam incredibilẽ rei militaris gloriam castitatis, & pietatis in Deum euectus præsidio fuit Nonius, meritóque dignus,quem auum agnoscant reges Lusitaniæ, Hispaniæque,Imperatores Germaniæ,magnique Proceres in Italia. Eni nuero ex Nonij filia, quæ primo Duci Brigantino Alphonso regis Ioannis primi filio nupsit, duxerũt originem Emmanuel rex Lusitaniæ, & Isabella regina Catholica Hispanorum; ex his autem omnes pene Christianæ gentis principes ortum habuerunt.

Nonij Aluarez de castitate sententia.

Guaribai. Nonij Aluarez bellica gloria.

A Nonio ducunt originẽ imperatores & reges.

3. Hoc etiam Iacobi robur,támque admirãda virium magnitudo,& aucta,& cõseruata est Diuino quodam consilio,vt luculenter admodum considerat Procop.his verbis: Iacob declarat, dũ solus lapidem de puteo voluit, Deum non solùmiustis suppeditare diuitias,sed etiam corporis robur,& pulchritudinem,vt aliquo modo ad æmulationẽ prouocet gentes, & impellat ad Dei veram cognitionem.hæc ille.Hoc interdum consilio vtitur Diuina prouidẽtia præsertim erga homines rudiori præditos ingenio , qui bonorum præsentium sola felicitate, ac dulcedine capiuntur. Vtinam vel ipsa bonorum temporalium abũdantia. quam iugiter à Domino accipimus, nostram socordiam permoueat,vt beneFactorẽ nostrum debito pietatis officio , cultúque veneremur,& amemus!Fuit igitur Dei beneficium , vti Iacob , quod vix multi pastores efficerent, solus exequeretur.Quid si etiam animos,viresque addiderit Rachelis conspectus,in quã pius,& amãs videri voluit?Id enim S. Chrysost. non obscurè subindicat hisce verbis: Cum Rachelem filiam auunculi sui Laban, & greges oculis spectasset, videretque pastores non sufficere, vt lapidem à fonte ipsi amouerent,&c aquarent oues,accutrit,

Procopius. Rudiores bona tẽporalia expectant à Deo.

Beneficijs trahimur ad Deum.

D.Chrysost. Amor vires, animosq; addit.

Ben. Fernand. in Genes. tom. 2.

A & id quod illi facere non valebant,ipse superno auxilio roboratus , præueniens beneficiis Laban amouit lapidẽ, & adaquauit oues , quas pascebat Rachel.hæc S.Chrysost.*homil.* 55. *in Genes.*Sed heu nos miseros!ad præsentiam Rachelis vires , animósque sumit Iacob, vt arduum subeat laborẽ, & immanem amoueat molem : & nos neque ad oculos Diuinæ maiestatis,neque ad æternæ beatitudinis, quæ nobis promittitur . fidem , atque spem;neque ad ipsius virtutis,quæ sese nobis offert, pulchritudinem admirabilem aut vires,aut animos sumimus,vt laborem tantulũ subeamus: vti quid virtute, gloria cœlesti, Deóque ipso dignum in Christiana professione suscipiamus! Enimuero cum Dominus statutum iã habuisset, B vti Rachel coniux foret Iacobi,pulchrè rem omnem ita disposuit, vt egregium aliquod virtutis, pietatis, & amoris, adolescẽs præberet specimẽ, quo & generis sui nobilitatẽ , & amabiles ingenij sui mores puellæ demõstraret,cámque pio,& grato officio sibi deuinciret. Sed hæc eadẽ præstat audire ex S.Cyrill.Alex.qui sic effatur:A Rachele filia Laban cognoscitur Iacob , cum veluti primitias suæ bonitatis exhibens,oues eius potare curam adhibuisset.Nam cum optimis semper moribus educatus esset,insignibúsque virtutibus præditus,considerabat quàm turpe est Virginem nubilem ætatem gerẽtem,pastores expectare, & vbi lapidem ipsi voluerent, ob imbecillitatẽ fœmineam,pudorémque virgineum oues suas vltima omnium potaret. Sed & lex quoque pietatis C eum mirificè cõpellebat, vt ei, quæ ex sanguine suo erat,sese vtilem exhiberet. Quamobrẽ cum solus lapidem ab ostio putei amouisset, libenti animo oues eius potauit.hæc S. Cyrill. *lib.* 11. *in Genes.*Hæc est optima ratio sponsam,&sponsum comparandi ; videlicet,cum nobilitas ingenij,& pietatis insigne demonstratur: non verò (quod sæpius contingit)sur pulchritudo corporis . aut diuitiarum opulentia, aut(quod peius est)libidinosa quædã per amatoria colloquia mutuóque aspectus,voluptas,amorem conciliat , & coniugium instituit;qua miseri adolescentes,ac puellæ inescati ruunt imprudenter,atque impudẽter in nuptias, quæ temerariis institutę auspiciis infeD licissimo interdum exitu dissoluuntur.

S. Cyrill. Ingenij pietatis ad benefaciendum.

Coniugium ex amore, ac pietate contrahatur.

Nuptiæ malè auspicatæ.

4 Hoc enim in genere(scripsit S.Gregor.Nys.) nuptiæ sunt, quæ quasi capulum aliquẽ artificioso opere illustratum poliam quandã voluptatis speciem gustui,contrectationique præ[illegible] ferunt. Cũ verò in manibus eius sunt,qui illa[illegible]igerit, luctus miseriarúmque ipsæ mortalibus eũ effectrices existant,rerum omnino grauium, quæ secum connexæ sunt,aditũ aperiunt Hę nuptię m̃ serabilia spectacula,lacrymarúmq; plena edidetunt.hæc S.Gregor. *lib.de Virgin. cap.* 13. Bellè matrimoniũ gladio facit persimile , cuius ex argẽto,auróve, ac gemmis capulus splendescit,at acies vero ex chalybe vulnus,mottémque intenE tat. Prima siquidem initia nuptiarum læta solẽt esse,ac periucunda: voluptas est in capulo . Cæteta deinde ferrum & chalybs:denique mucro,& corpora,& animas vulnerãs,ac perimẽs.Ac fortè in hunc sensum defixus animo Latinus Poëta Reginam Carthaginis ab hospite Troiano, cui malè nupserat,desertã perfidi & profugi hominis gladio, sed propria tamẽ dextera,cæsam periisse commentus est: nisi enim misera hospitem excipiens,ac dicente audiens , vulnus alerer venis,& cæco carperetur igne,non extero viro nupsisset, ab illóque relicta vel doloris impatiẽtia, vel morte violenta periisset. Quod ipsa iã ferro

S.Greg.Nys.

Nuptia gladio similes.

In coniugio læta initia, tristes exitus.

Dido infelix agnat & perit.

A

collapsa, & infelicem agens animam significauit, cum interrupto eiulatu diceret:

Vir. Æn. 4.

Felix, heu nimium felix, si littora tantùm
Numquam Dardaniæ tetigissent nostra carinæ!

In gratiam Rachelis amouit putei lapidē Iacob, illiúsque oues hausta aqua adaquauit. Huius rei mysterium satis celebre inuenio apud doctores. Atque in primis per aquam putei Christum Dominum, Christique veram fidem, quam Paulus, aliique Apostoli per Iacobum significati mūdo & hominibus annunciarūt, vnanimi cōsensione interpretantur. Hinc Procop. ita effatur. Christus in profundo latet, lapide, ceu obscuritate quadā, obtectus; at Græcorum philosophi garruli ad veritatis profunditatem venire haud poterant. Verùm vnus pastor à Christo missus, & sacris dogmatis instructus lapidem deuoluere valet. Hanc aquam Paulus Atheniensibus annunciauit, dum concionatur de ignoto Deo, & desiderat ex gentibus Ecclesiam, instar Iacobi ambientis Rachelem, quæ exponitur ouis, parere Domino. sic ille.

Christi fides mūdo prædicata.

Procopius.

S. Paulus gētium doctor.

B

5. Itaque veritas, hoc est, nuda, veráque Dei cognitio latebat in profundo, cum omnes pene gentes vanissimis, ac turpissimis idolorum cultibus addictæ in orbe tenerētur. Interim verò Græci, Latinique Philosophi, atque aliarum gentium sapientes, disputando scribendóque veritatē inuenire, ac mortalibus refūdere conabātur: vano tamen studio, laboréque irrito propter immensam putei molem, hoc est, rei difficultatem, quā viribus humanis tota natura impar amouere ac superare non poterat. Et miseri tamen homines, veluti oues longa siti enectæ ad puteum desiderantes aquam veritatis assidebāt. Venit ergo doctor gentiū Paulus (quod & alij Apostoli præstiterunt) sustulit illam saxeam molē, obscura illustrauit, mysteriorum inuolucra aperuit, veritatē ipsam, & fidem veri Messiæ validis rationū monentis, & validioribus etiam miraculorum, & virtutum viribus pastorū omnium robustissimus explicauit. Enimuero tegebat puteum petra illa scandali, quam gētiles, & Iudæi de cruce, & morte Christi ante oculos habentes, ab ipsa veritate procul abhorrebant. quod Paulus ipse ita contestatur: *Prædicamus Christum, & hunc crucifixū, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* 1. Corinth. 1. Iudæis quidem (animaduertit S. Anselm.) Christus crucifixus non est signum potentiæ, sed scandalum, quia irascuntur cōtra præcones rubore sceleris sui. sic ille. Talis quippe Iudæorū pertinacia, & stoliditas est. Nolunt Christi fidem suscipere, ne fateri suum facinus cogātur: pudor illis est credere, verum esse Deum, quē factum hominem impij, & sacrilegi peremerunt. Turbantur igitur, adiungit S. Anselm.) & indignantur, atque irascuntur, dum audiunt Dei Filium prædicari, quem ipsi crucifixerunt. hæc ille. Et 5. ad Galat. *Euacuatum est* (siue, vt in Græco habet, *cessauit*) *scandalum crucis.* Ad hunc verò locū ità S. Hieron. Quòd crux Iudæis scandalum sit, gentibus autem stultitia, ipse Dominus noster ostendit, qui lapis dicitur offensionis, & petra scandali: propter nihil aliud, puto, nisi quia prædicatio cum plenis velis ad audientes processerit, statim vt ad crucem venerit, impingit, & nequaquam libero cursu potest vltra procedere. hæc S. Hieron. Cætera quidem gentes in Euangelio Christi libenter amplectebantur; at vbi veniebatur ad crucem, repedabant, & refugiebāt horrore crucis, & ignominia perculsi. verbum enim crucis meram stultitiā reputabant. Videlicet (vti explicat S. Anselm.) immortalē potuisse mori, &

Veritas difficilis inuentu ante Euangelium.

C

S. Paulus validè Christi fidem prædicat.

D

S. Anselm. *Prædicatio crucifixi malè excepta à Iudæis, & gētibus.*

Pudet Iudæos fateri Christum Deum.

ad Galat. 5.

E

D. Hieron. *Christi crux scandalum, quibus prædicatur.*

S. Anselm.

A

eum, qui in potestate habebat persecutores vna voce prosternere, pertulisse ab ipsis flagellari, & crucifigi. Stultum quippe gentilibus videtur, vt pro hominibus autor vitæ moreretur, quia hoc mundanæ sapientiæ non congruit. hæc Anselmus. Tanto igitur carior nobis esse debet Deus noster, quantò pro nobis viliorē se reddidit gētium oculis. Ac veniens in terras Deus non sua consilia, non opera, iudiciis hominum vanis & stultis debuit metiri. Hanc molem sustulit Paulus, cum ostendit prædicando crucē esse Dei virtutem, & sapientiam. 1. *Corinth.* 1. Intelligebant quidem (explicat S. Hieron.) credentes Iudæi & gentes, virtutē Dei esse, quæ deuicta morte hominem reuocauit ad vitam, & sapientiā, quæ nos à dominatione diaboli liberauit, quod antè per incredulitatem intelligere nō valebant. hęc ille.

Dei pati & mori gentiles indignū putant.

Christus eo charior, quò vilior putatur.

1. Corint. 1.

S. Hieron. *Crucifixi virtus manifestatur mundo.*

B

6. Idem pertractans hoc idem argumentū ex eodē Apost. ita fusius scribit in prooem. ad 3. *lib. Com. ad Galat.* Quamobrē & ipse Apost. ad Cor. loquebatur. Et ego veniēs ad vos nō per sublimitatem sermonum, & sapientiæ, non iudicaui scire me aliquid inter vos, nisi Christum Iesum, & hūc crucifixū. Et ne forsitan putaretur hæc dicēs esse insipiētiæ prædicator, mēte presaga, quod opponi poterat, euertit; sed loquimur, inquit, Dei sapientiam in mysterio, quæ abscōdita est, quam nemo principū huius seculi cognouit. Quotus quisque nunc Aristotelē legit, quanti Platonis vel libros nouere, vel nomē. Vix in angulis otiosi eos senes recolunt. Rusticanos verò & piscatores nostros totus orbis loquitur, vniuersus mūdus sonat. hæc ille. Itaque Philosophi, qui sapientiam venditabant, nihil hominibus persuadere potuerunt: at Apostoli crucem, scandali petram, imbecillitatis, atque ignominiæ signū prædicantes totum orbē subiugauerunt. Magnæ igitur virtutis (inquit S. Chrysost.) & sapientiæ est argumentū, persuadere per contraria; crux enim videtur esse res scandali, & tamen non solùm non offendit, & affert scandalum, sed etiam attrahit. Quantū laborauit Plato, & eius asseclæ? & cum euidens nihil dixisset, & nulli auditori persuasisset, sic excessit. Crux autem per homines imperitos & persuasit toti orbi terrarum de Deo dilectēs & de vera pietate, ac religione; & rusticos, & indoctos omnes fecit philosophos. hæc S. Chrysost. *Homil. 4. in 1. Corint.* Vtique per resurrectionem Domini scandalum crucis sublatum est, Deíque virtus, velut aqua de puteo, in quo latebat, remoto operculo, reuelatoque mysterio mortalibus ostēsa, & propinata est. Fulchrè S. Bernard. Iudæos ipsos affatur: Vbi est, quod dicebatis: *Descendat de cruce, & credimus ei?* Matth. 27. Crucis signaculum dirumpere voluistis, promittentes ad fidem vos introituros. Ecce apertum, non diruptum est: introite. Alioqui si non creditis resurgenti, vtique nec credidissetis descendēti. Sic vos scādalizabat crux Christi. Excitet vos saltem nouitas resurrectionis. Inuenimus nos in cruce gloriam. Nobis, qui saluamur, Dei virtus est, & omnium plenitudo virtutum. Sit vobis pars vel in resurrectione. hæc Bernard. *serm. 1. de Resurrect.* Similiter S. Hieron. ad eundē locum detegit fraudē Iudæorum. Nec enim credidissent, etsi Dominus ad illorum postulata descendisset de cruce. Quod ita proponit: Fraudulenta promissio; quid est plus, de cruce adhuc descendere viuentem, an de sepulchro mortuū resurgere? Resurrexit, & nō credidistis: ergo si etiā de cruce descenderet, similiter non crederetis. Sic optimè infert S. Hieron. Nā qui resurrectione Domini suam peruicaciam non deposuerunt, quomodo

D. Hieron. *Fides Christi mundum occupat.*

Aristotel.

C

Philosophorū secta ad crucem Christi disparuerunt.

D. Chrysost. *Christi crux mundum cōuertit.*

Christianis vera est sapientia.

D

Resurrectio Christi passionem honorat.

S. Bernard.

Matth. 27.

E

In cruce virtus & salus mundi.

D. Hieron. *Infidelitas Iudæoris nullo Christi miraculo victa cessit.*

quomodò illam ad descensum de Cruce (multo quidem minus prodigium) deposuissent.

Clem. Alex. 7. Eidem interpretationi S. Cyrill. Alex. insistens, cum putei aqua scientiam Dei, siue Diuinum sermonem significari contendat, ita mysterium euoluit: Aquam viuam Diuinum sermonem esse intelligimus; sed magna ipse in profunditate iacet, & sine magno labore, magnóque sudore quisquam eum hautire non potest. Non enim quisque eum facilè ad se detrahit, cum obscuritas eius, velut lapis grauissimus, ostium putei cooperiat. hæc ille, *lib. 5. in Genes.* Consequentes gentilitatis doctores cum Ecclesiæ doctoribus, ac magistris, Paulo maximè, conferens bune in modum progreditur: Quamobrè magnis sudoribus opus est, vt eum qui rationales oues pascat, amouere possint, & eis sermonem quasi aquam ex profundo puteo baustam, perfuſuẽdam apponant. At pastores Gentilium, boc est, eorum sapientes eloquentésque viri, quamuis plurimi sint, veritatem tamen Dei, eiúſque Diuinorum decretorum disciplinam haud quaquā agnoscere possunt, quin etiam temere eam tumultuāt, atque obfuscant. Non enim rectè de eo sentiunt. ita Cyrill. Sed adhuc inquies, vnde probet illos gentilitatis sapientes veritatem, hoc est sinceram Dei cognitionem assequi non potuisse. Nam (inquit) etsi naturam Diuinam profitentur, dignitatem tamen Diuinitati quibuscunque voluerint attribuere non erubescunt. sic ille. Nimirum inscij, prorsúsque amentes Deum verum, qui non nisi vnus esse potest, ita multiplicem prædicarūt, vt innumerabilem deorum, ac dearum multitudinem confingerent. Sed vnus (ait idem Cyrill.) è Christi pastoribus lapidem illum, hoc est obscuritatem Diuini sermonis, quam vis grauis immobilísque, vt ita dixerim, habeatur, generosè amouere potest, & veritatem nudam, dilucidámque gentibus explicare, ac vnum Deum verum ostendere. Nam & Paulus Atheniensibus dixit, cum inuenit aram, in qua superscriptum erat, *Ignoto Deo*: Quem vos ignorantes colitis, hunc ego annuncio vobis. *Actor. 17.* hæc S. Cyrill. Putatim ego bunc lapidem, quo Dei veritas, Diuinus sermo, fidésque ipsa in Christo velut aqua saliens in vitam æternam, obtegitur, non tā difficultatem esse in credendo, etsi ea, vt superetur Diuina ope indigeat, quàm in operando. Enimuero vel ipsi infideles hoc maximè offenduntur scandalo, si Christianorū vitam à doctrina Christi, ac fide, quam profitentur, videant abhorrere. Hoc ipsum argumentum luculenter pertractās S. Saluian. multa diuinitus dicit. inter alia colligit in hunc modum: Nihil est aliud scientia nostra, quam culpa, qui ad hoc tantummodo legē nouimus, vt maiore offensione peccemus: quia quod lectione, & corde nouimus, libidine, ac desperatione calcamus. Christiani nomē Dei infamamus, cuncta in Dei facimus iniuriam. *Nomen Dei per nos blasphematur inter gētes.* ad Rom. 2. hæc ille. Prauitatem morum, & vitiorum turpitudinem, quibus & nostrum, & Dei nomen, ac fidem infamamus, cōsiderans adiungit subinde: Cumque Saluator clamet: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificēt Patrem vestrū, qui in cælis est.* Matth. 5. nos econtrario ita viuimus, vt filij hominum videant opera nostra mala, & blasphement Patrem nostrū, qui in cælis est. Ecce quales sumus, qui Christiani dicimur. hæc Saluiā. *lib. 4. de vero iudicio, & Dei prouidentia.*

Vita Dei cognitio eget studio & labore.

B

S. Cyrill.

Philosophi impudentes idola colunt. C

Cyrill.

S. Paulus gētium prædicator.

Actor. 17. *Difficultas in credendo & operādo iuxta fidem* D

S. Saluian. *Vita infamis malorū Christianorum.*

E

S. Saluian.

Matth. 5. *Blasphematur Deus per malos Christianos.*

8. Valde quidem aliena est vita nostra, vti ne- *Ben. Fernand. in Genes. tom. 5.*

A mo bonus hodie non luget, à Christi fide, quam profitemur, & à doctrina, quam & addiscimus, & docemus. Atque vt videas quam grauiter infideles offendantur, cum nostra hæc monstra considerent; audi vlterius eundem Episcopū Massiliensem. Vbi (inquit infidelium dicta cōmemorans) Catholica est lex, quam credunt? Vbi sunt pietatis, & castitatis præcepta, quæ discunt? Euāgelia legunt, & impudici sunt. Christum sequūtur, & rapiunt. Vitam improbam agunt, & probam legē habere se dicunt. De nobis omnia ista dicuntur. sic ille. Quæ quidē infidelium dicta nō modò nobis contumeliam inferunt, sed ipsi etiā Christianæ fidei, atque adeò Christo Domino grauissimam pariter iniuriam, & ignominiam moliuntur. quod statim ostendit idem Saluian. ita progrediēs: In nobis Christus patitur opprobrium: in nobis patitur lex Christiana maledictum. De nobis dicitur: Falsum planè illud est, quod aiunt se bona discere, quod iactāt se sanctę legis præcepta retinere. Si enim bona discerent, boni essent. sic ille. Nec sibi malè videntur colligere infideles, cum vitam Christianorū à Christi fide videāt tam absurdè, ac turpiter discrepare. Talis profectò (ait illorū nomine) secta est, quales, & sectatores; hoc tant absque dubio, quod docentur: sancta à Christianis fierent, si Christus sancta docuisset. Æstimari de cultoribus suis potest ille, qui colitur. Quomodo enim bonus magister est, cuius tam malos videmus esse discipulos: Ex ipso enim Christiani sunt, ipsum audiunt. Vide Christianos quid agant, & euidentet potes de ipso scire qui doceat. hactenus Saluianus. Hæc nos improbi causam præbemus infidelibus tam ignominiosè, atque sacrilegè philosophandi de Christo Domino, quem magistrum, & doctorē prædicamus; sed malè imitamur, & vitiosis actibus repræsentamus: quem Deum ac Dominum colimus, & adoramus, sed infinitis propemodū, & grauissimis scelerib us dehonestamus apud infideles, qui apertè dicunt: Quales discipuli, talis & magister; quales adoratores, tale illud Numen, quod isti venerantur. Proh execerandam hominum blasphemiam! & proh detestandum fidelium, sed improborum sacrilegium!

9. O si quis nostrum Apostoli verba secum pensitaret; lugeret profectò, ac timeret pariter nomen Dei per ipsius improbam vitam blasphemari inter gentes! Non solùm enim (occurrit eo loco Theodor.) causam ô scelerate) non dedisti, vt Deus glorificaretur, sed multorum etiam linguas ad maledicta commouisti. Cum tuam enim sceleratam, & iniquam vitam viderent, eum, qui te elegit blasphemiis, & maledictis apertè incessebant. hæc Theod. Enimuero (vt explicat eundem locum S. Anselm.) sicut bona vita fidelium causa est, vt Deus glorificetur à videntibus: sic malè viuentibus praua connessatio causa est, vt Deus blasphemetur: sicut per Ezechielem Deus de illis, qui in Chaldæa tenebantur captiui, conquestus est, dicens: *Ingressi sunt ad gentes, & polluerunt nomen sanctum meū cum diceretur de eis: Populus Domini iste est, & de terra egressi sunt.* Ezechiel. *cap. 36.* putabant enim gentes, quod ea, quæ Iudæi faciebant, placerent Deo ipsorum. Sic nunc per nonnullos religionis professores, dum prauitatis exempla de se ostendunt, blasphematur plerumque Deus ab imperitis & secularibus hæc S. Ansel. at verò S. Ambros. Pauli dictum refert ad Isaiam *cap. 52.* Hoc (ait) Isaias dixit, quia Dei nomen blasphemabatur inter gentes, quando Iudæos pro noxiis suis traditos sibi non adnertebant, sed idolis

S. Saluian.

Gentilium dicta in Christi fidem ob malos Christianos. S. Saluian.

Mala vita Christianorum fidem Christi infamat & Christum. S. Saluian.

Theodor.

S. Anselm. *Vita Christianorum in Christum ab infidelibus refunduntur.*

Ezech. 36.

D. Ambros. *Infideles suis idolis referūt acceptas de Christiani. victorias.*

idolis suis dabant glorias, quasi Iudæorum Deũ vicissent in Iudæis. hæc S. Ambros. Sic autẽ fert infidelium cæcitas, vt suas, quas de Christianis reportant victorias suis falsis Numinibus acceptas referant: cum eas tamen Deus ipse verus, quem colimus, nostris irritatus sceleribus ad iustam suorum vltionem suis hostibus tãquam iustitiæ suæ satellitibus cõcedat. Mali serui Dominum nostrum delictis nostris offendimus, meritóque proinde à læso, & irato Domino torturibus puniendi tradimur. Benè igitur quærit S. Saluiã. Quid miramur Christiani, si cædimur, si castigamur, si in ius hostium tradimur, si infirmiores omnibus sumus? siue miseriæ nostræ, siue infirmitates, siue euersiones, siue captiuitates, & pene improbæ seruitutes, testimonia sunt mali serui, & boni Domini. sic ille, *lib. 4. de prouid.* Itaque in omnibus, quæ patimur supplictis duo hæc ostenduntur: seruorum videlicet iniquitas, & Domini clementia. Probat assumptum hoc modo: Quomodo mali serui? Quia patior scilicet ex parte, quod mereor. Quomodo boni Dei? Quia ostendit quid mereamur, etsi non irrogat, quæ mereamur. Clemẽtissima enim castigatione mauult nos corrigere, quàm perire. ita Saluian. Dicam igitur cum pœnas luam pro delictis: Iustè quidem malus seruus patior, quæ mereor. Sed ô te pium, & benignum Dominũ, qui minora delictis meis à me supplicia exigis, vti filiũ castigas, quin iniquum seruum se fecit. Porrò fidelibus nihil esse potius debet, quàm vt eorum linguæ manus, & fidei vita, & doctrinæ mores non contradicant. Amoueant ergo istud operculum, tollant de regno Dei scandalum, quod præposterè viuendo vel ipsis infidelibus præbent. Nouerint vt inutilis esset aqua putei, nisi remoto lapide foras extraheretur, ita omnino esse infructuosam Christiano fidem, si eam bonis operibus viuam, & contestatam esse non demonstret.

A Deo tradimur ob delicta infidelibus. S. Saluian.

In supplicio hominis ostẽditur malus seruus, & bonus dominus. S. Saluian.

Grande scãdalum vita improbi Christiani.

10. Talentum ille seruus, aut mnam domini sui otiosus, & piger, non ad lucrum tradidit, sed abscõdit, atque adeo grauiter est à domino acceptus, & carceri, tormentisque addictus. *Luc.* 19. Est quidem hoc vnum, quod seruus accepit, talẽtum vera Dei fides, quam quisque per bona opera ostendere, exercereque debet ad plurium meritorum emolumenta. Cæterùm iniquus ille seruus (vti explicat S. Chrys.) abscõdit talentum in terram qui accipiens fidem Christi contemnit vitam spiritualem, & in terrenis actibus, & delictis conuersans obruit illud in carne sua, & solicitudinibus mundi, quasi spinis suffocat fidei suæ bonum, & non facit fructum. Iste, qui fodit talentũm suum, similis est virginibus fatuis, quæ habentes lampades, oleum non habebant. Tam enim ille, quàm istæ putauerunt sibi ad salutem hoc solum, quod credebant in Christum, posse sufficere. hæc S. Chrysost. *homil. 53. in Matth.* Videant nũc hæretici nostro hoc seculo, quàm inaniter ac turpiter sibi blãdiantur de fide Christiana quam falsò putant se profiteri, quã sine operibus, & mandatorum Dei integra obseruantia sufficere prædicant ad salutem. Et quidẽ (vt cætera deessent) hoc vno ex capite vera esse non potest ea fides, quam venditant, quod sola putetur sufficiens, nec bonorum operum vita velut corpus anima indigeat. Sed cum Christiano Catholico, qui tamen improbè viuit, mihi res est. Sic enim agit, ac si fidem suam sine bonis operibus sufficere crederet. Verè quidẽ iste (ait S. Chrys.) talentum non perdidit domini sui, tamẽ reus est damni. Non enim propter hoc solum vnusquisque sit Christianus, vt sit Christianus seruans talentum fidei suæ, sed vt operetur iustitiam Christo. Sicut enim qui seminandi causa accipiẽs semen tempore seminationis nõ seminauerit, damnũ facit domino suo, etsi non perdiderit semẽ, est tamen tantum damnum, quantũ poterat lucrum facere; sic qui accipit fidem Christi, & in hoc seculo non fuerit operatus iustitiam, etsi fidem suam non perdiderit, tamen tantùm videtur peccasse, quantùm potuit iustitiam facere, si non neglexisset. hæc S. Chrys.

Luc. 19
Fides sine operibus otiosa & infructuosa.

D. Chrysost.

Vana & turpis hæreticorum fiducia.

Vana fides ad salutem sine operibus.

D. Chrysost.

Christianus in fide, atque in operibus.

Grãde Christo damnum fides nostra sine operibus.

11. Nequam igitur seruus fidem sub humo sepultam habuit, mortuam scilicet, bonorúmque operum vita, & Diuinæ gratiæ spiritu carentem inter cespites terrenarum solicitudinum, in cœnóque turpissimarum libidinum obrutam. Támque impudens extitit, vt in domini sui contumeliam linguæ procacitatem, ac virulẽtiam distringeret; aiebat enim: *Domine, scio quia homo durus es, metis vbi non seminasti, & cõgregas, vbi non sparsisti, & timens abij, & abscondi talentum tuum in terra. Ecce habes quod tuum est.* Matth. 25. Viden vt insaniat iste, qui tam contumeliosè agat, iniustũ durum, & intractabilem dominum suum incusans. En quod in barathrum tãdem corruat fides mortua & sepulta, in cõtumeliam scilicet ipsius Dei: vt inueniatur iniquitas eius ad odium. *Psal.* 33. nimirum iniquitas, siue praua christiani hominis vita, interdum eò tandem deducit miserum, vt oderit ipsum Deum, cuius videlicet iustitia peccanti minatur supplicia, cuius omnipotentia hominem à peccando cohibet, cuius mandata castitatem, & iustitiam indicunt; impudentiam verò, atque iniquitatem prohibent. Nec semel etiam in atheismum omnium malorum, & miseriarum extremum chaos præcipitatur: quam sibi hodie eorundem imponunt hæreticorum nostri temporis errores, ac mores pariter execrãdi. Sed missis, qui à nobis abierunt, hæreticis, vitam multorum, qui Catholicam fidem profitentur, ab ista longè alienã, vtpote vitiosam necesse est & arguamus, & lugeamus. Quo in argumento præstat audire S. Saluianum sui temporis vitia perstringentem. Graue, & luctuosum est, quod dicturus sum! Ipsa Dei Ecclesia, quæ in omnibus debet esse placatrix Dei, quid est aliud, quàm exacerbatrix Dei? aut præter paucissimos quosdam, qui mala fugiunt, quid est aliud pene omnis cœtus Christianorum, quàm sẽtina vitiorum? & quod omnibus peius est, propè hæc cũcta sine fine. hæc ille, *lib. 3. de prouid.* Ecclesiã Dei hoc loco accipit pro Republica Christianorum, quæ vtique multis & grauibus inquinata est malorum fidelium sceleribus. Alioqui Ecclesia Dei, vt accipitur pro cœtu fideliũ & iustorum, Sponsa quidem est Christi, sine ruga, & sine macula. Negandum tamen haud est (dicã de nostra ætate) etsi maior sit, & copiosior zizaniorum seges in Christi agro; grandem videri iustorum fidelium segetem, vbi est infinita propemodũ multitudo virorum, ac fœminarũm, qui cum Catholica Christi fide sanctitatem vitæ coniunctã habent, bonísque operibus demõstrant. Et quid fieret mundo, si iusti, & amici Dei in eo complures non viuerent?

Fides sine operibus obruta carne.

Matth. 25.

Fides sine operibus in Dei odiũ desinit.
Psalm. 33.

Hæretici ruunt in atheismum.

S. Saluian.
Scatet vitiis gens Christiana.

Inter Christianos multi iusti.

12. Iacob etiam, dum lapidem amouet, puteum detegit, aquam haurit, & Rachelis potat gregem, significat Ecclesiæ pastores, & doctores, qui sua industria, virtute atque eruditione errorum omnium offendicula tollunt, viuámque Diuinæ veritatis, & Christianæ sapientiæ aquã hominibus ad Christi fidem vocatis refundũt, quod

Doctores Ecclesiæ aquam sapientiæ refundunt.

præcipuè

præcipoè io generalibus Conciliis præstare consueuerunt, iam inde ab illo ptimo Apostolorum, in quo Iacobos Hierosolymæ antistes, & vnus de maximis Ecclesiæ magistris, cum quæstio illa de circuncisione imponenda fidelibus agitaretur, multa diuinitus dixit, ac demum conclusit: *Propter quod ego iudico non inquietari eos, qui ex gentibus conuertuntur ad Deum.* Actor. 15. Sic igitur Iacobus lapidem sustulit, quo fides Christiana tegebatur, & offensi tam graui iugo circuncisionis Iudaicæ gentiles Christianam legem amplecti metuebant. Hoc sensu enim Procop. ad hunc locum Genes. ita effatur. Lapis ille magnus petra offendiculi erat, quod amoliri oportebat pastores præfectos gregi singulis suas vires afferentibus; vt contigit sæpissimè in Synodis, & Conciliis Episcoporum io profligandis hæresibus. Verum Iacobus solus nulla externa opera adiutus lapidem deposuit. hæc ille. Egregius sanè locus ad commendādam pastoribus, rectoribos, & doctoribus, vitæ probitatem. Exemplo enim esse debent omnibus, quibus præsunt, & quos edocent: ante omnia tollant oportet lapidem, putei operculum, si quid videlicet in ipsis vitiosum, ac minùs syncerum, & probatum appareat. Vita eoim doctoris, quæ à doctrina discrepat, petra est offensionis, aquam prohibet, & greges repellit. Sint in homine, vel ad regendum, vel ad docendum eximia naturæ ornamenta, si virtus absit; & cathedra, & baculo indignus est. Nihil est enim (inquit S. Hildebert.) homini bonum sine se bono. *Epistol.* 15. Hoc de argumento multa scribit S. Greg. ad Anthem. inter alia exemplum Aaronis adducit, cuius vitam ac mores exprimebat sacerdotale ornamentum, quod pectori adnectebatur. Sic enim loquitur: Hinc & Aaroo pectore rationale iudicij imprimebatur, vt illud ratio sola constringeret: describebantur etiam & duodecim Patriarcharum nomina; nam tunc irreprehensibiliter gradimur, cum præcedentium sanctorum vestigia intuemur. hæc Pontifex. Enimuero qui Aaronis officio fungitur, & rationalem pascit gregem, seipsum primò ratione moderetur, ac iudicio constringat, necesse est, vitámque suam ad exempla sanctorum hominum, quibus in munere pastorali successit, studiosissimè componat. Alioqui malo exemplo doctrinæ suæ bonitatem dedecorabit, plúsque nocebit viuendo, quam proderit edocendo, aut regendo. Quin etiam bonus esse aliorum rector non potest, qui sui ipsius est perditor, & proditor. Nam qui alienam vitam custodiet, qui suam subuertit, & succendit? qui aliorum animas seruabit, qui suam prodigit, & in gehennam detrudit?

In Conciliis generalibus tolluntur scandala. — Actor. 15. — Procopius. — *Exemplū vitæ necessariū prælato, & doctori.* — *Exemplum vitæ super omnia talenta [illegible].* — S. Hildebert. — S. Gregor. — *Exemplum in sacerdote.* — *Sine exemplo regimen vanum est.*

13. Igitur vtroque prælatus, & doctor excellat oportet, vt & scientiam io se habeat, aliísque propinet, & manus ipsemet adhibeat ad remouendum lapidem offensionis, hoc est, ita suæ vitæ mores effingat, vt nihil intuentes offendat, sed bonorum operum exemplo cæteros ad sui æmulationem accendat. Sanctè (inquit S. Prosper) viuere debet sacerdos propter exemplum, & docere propter suæ administrationis officium: certos quòd ei nihil sua iustitia suffragetur, de cuius manu anima pereuntis exigitur. Quid ei proderit non puniri suo, qoi puniendus est alieno peccato? hæc ille, *lib.* 1. *de vit. contempl. cap.* 17. Vtrumque igitur à prælato, doctoréque exigitur, & vitæ exemplo, & doctrinæ sublimitate, cæteris prælucere. quod ex Ezechiele ita idem comprobat. *Speculatorem dedi te domui Israel.* Ezechiel. 33. Sacerdotem speculatorem appellat: & sicut speculatoris est, de loco editiori prospicere, & plus omnibus contemplari; ita sacerdos debet esse proposita sublimitate celsior cunctis, & maioris scientiæ habere gratiam, qua possit sub se viuentes instruere. hæc S. Prosp. loco indicato. Cæterùm cum scientiæ sublimitate, vitæque, ac morum eminentia in sacerdote ipso Dei speculatore coniuncta esse debet.

Doctrina cum exēplo. — S. Prosper. — *Zelus animarum in prælato.* — S. Prosper. — Ezech. 33. — *Sacerdos emineat exēplo.*

14. Est præterea lapis iste, quo puteus obtegitur, symbolum cuiuscunque laboris, quem Iacob ad potandos Domini greges sub Rachelis, hoc est Ecclesiæ Catholicæ, manu, iuréque pascendos debeat adaquare. Laboriosum enim est regēdi munus; at si à Deo imponitur, non recusandum, sed vigilanter, industriè, ac fideliter administrandum. Indigni autem (vt hoc loco Procop. subnotauit) Diuino thesauro abscondito in puteo illi existimantur, qui abnuunt adire laborem, cuius mercedem accipiunt, illam aqoam salutarem, vt inde potent alios, quos illo liquore refocillari par est. sic ille. Magnum quippe sibi comparat emolumentum, qui dignitatem Ecclesiæ non ambiens, sed per obedientiam suscipiens Christi iugo collum submittit, ac deinde impigram, & diligentem nauat operam in curando Domini grege; cuius cura, & studium non plus laboris diligenti pastori, quàm præmij, & coronarum solet importare. Contra verò (vt egregiè scribit S. Prosp.) iustitiam faciunt hi, qui merito suæ conuersationis, vel eruditionis electi, otiosum studium fructuosæ vtilitati regendæ multitudinis anteponunt. Et cum possint laboranti Ecclesiæ subuenire, operosæ administrationis laborem fruendæ quietis contemplatione refugiūt. hæc ille, *lib.* 3. *de vit. contemp. cap.* 28. Nimirum cum Dei maius obsequium, & animarum certior fructus speratur, maximè si obedientiæ præscriptum intercedat, priuatæ quietis dulcedo, & Diuinæ quoque studium contemplationis tumultuoso, atque iosuaui regendarum, ac docendarum animarum muneri humiliter, & constanter erit posthabendum. At quid agam miser, si me omni virium ad tantum subeundum onus præsidio destitutum video? Occurrit statim S. Prosper: Sed quoniam (inquiens) sunt multi, qui se impares tantæ sarcinæ norunt; tales iustè se etiam quæsiti non offerunt. Dignitas Ecclesiastica nec ambienda est, nec vitanda. sic Prosper. Non vitandam dicit; cum Dei iussu, ac præscripto obedientiæ, vbi etiam accedit grandis animarum fructus, imponitur. Optimū sanè consilium, ne temere ambias honorem, cuius non valeas onus sustinere. Vel requisitus abnue, fuge, abscōdere. quod Ambrosij, Gregorij, plurésque alij sanctissimorum Patrum præstiterunt. Nam si gigantes huiusmodi onus recusarunt, quid paruuli, quid nani, quid omni ex parte infantuli tanta nunc audacia, aut verius dicam tam inuerecunda, proiectáque temeritate inhiant, ambiúntque dignitates, sub quarum pondere, vel ipsi gigantes gemunt, ac succumbunt? O felix nostra ætas, si duo, quæ maximè desidero, prioribus frequentata viderentur! Nimirum, vt oblatam in Ecclesia dignitatem, imò & vi intrusam refugeremus: inuitísque subinde, coactis, & lugentibus impositam præ studio humilitatis, & amore quietis constanter demum abdicaremus. At non est nostri temporis isthæc virtus, ista constantia, iste contemptus honoris, ista Domini Iesu crucifixi, & exinaniti ad mortem vsque ignominiosam imitatio. Dignitates omni conatu ambimus, & inuerecundo studio, vel fugientes persequimur; semélque obtentas etiam indigni viribus, & virtute impares, ad mortem vsque retinemus. Dulciùs planè, quietiùs & securiùs moritur, quem mors intercipit in priuato

Labor in regimine. — Procopius. — *Diligentis pastoris præmiū copiosum.* — S. Prosper. — *Priuata quies ei præferendus animarum zelus.* — S. Prosper. — *Non ambienda dignitas Ecclesiastica.* — *Ambitio dignitatis impudens ac temeraria.* — *Dignitas vel fugienda & abdicanda.*

uato & humili statu suæ tantùm animæ prouidentem. Quod si Dominus paruulū te subleuet, ac nano athlanticum istud onus imponat, ne recuses laborem, ne reiicias onus, ne ascensum refugias. Præsto erit Diuina gratia homini, quem non ambitio inflauit, sed humilis obediētia ascendere coëgit.

5. Sed quid mysterij adhuc in eo latet, quòd lapide puteus non semper tegatur, sed illo interdum amoto ad hauriendam aquā patescat, atque iterum occultetur? Illud in primis euoluit Procopius hisce verbis: Quemadmodum thesaurum in agro absconditum si quis inueniat, non statim ipsum in propatulum protrahit imprudenter: sic quoque oportebat operculum lapideum puteo impositum auferri, donec sitim, quos decebat compescerent; & deinde reduci, ne aquæ vsus ad indignos prumanaret. hæc ille. Sunt enim indigni salutaribus aquis illi delicatuli, quos vel leuis, ac tantulus deterret labor, nec manum ad amouendum putei lapidem audent admouere. Virtus nimirum labore comparatur, nō otio: nec molles, sed fortes; non somnolenti, sed violenti regnū cælorum expugnant, ac diripiunt. Etenim vel ipso præ se fert nomine virile quid-lā, ac robustum virtus. Hinc illud perbellè scriptū à Philone Hebræo: Sapientia (videlicet) nomen fœmininum habet, naturam verò masculam. Siquidē virtutes omnes habēt appellationes fœmininas, vires autem, & actiones virorum perfectissimorum. hæc ille, *lib. de profugis*. Sic etiā Diuina scriptura, velut puteus, viuā in se aquam recondens, vt nostrum laborem exigat, ingeniúmque exerceat, obscuritatis suæ operculum adeuntibus obiicit. Cæterùm illius mysteria (vt S. Augu. scribit) ne aperta fastidirētur, eadem rursus operta desiderantur, desiderata quodammodo renouantur, renouata suauiter intimantur. *Epist. 2. ad Volusiā.* Deniq; inter mysteria huius putei hoc vel maximum, & augustissimū sese offert. Peruenit Iacob tandem ad puteum aquæ: sed tamen opertū, hoc est Iudaica lex post longas retū, rituúmque ambages, & quasi peregrinando lassata, subsistit ad virginē illam, quam Isaias multo ante prædixerat: *Dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filiū & vocabitur nomē eius Emmanuel. cap. 7.* Signum dicit per excellentiam, quo nullum admirabilius Diuina sapiētia architectari, & potentia moliri, aut potuit, aut poterit: Deū scilicet nasci hominem de intemerata Virgine. Hic enim (vt sapiēter docet August.) si ratio quæritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare nō posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis. hæc S. August. *Epist. 2. ad Volusian.* Itaque omnipotens Deus voluit nascens ex Virgine demonstrare palam Angelis, & hominibus quantū ipse posset operando, & quantū illi deberent Diuinis operibus, atque imperiis obediēdo. Accedamus & nos ad puteum istum aquarum viuentiū cum S. Methodio martyre sic Virginem Dei Matrem salutantes: Benedicta tu, celeberrima, & desideratissima: tuum Dei Genitrix nomen Diuinis benedictionibus, & gratiis omni ex parte refertū, tu fidelium fax, tu impollutum Dei indumentū. sic ille *orat. de hypopantem Domini*. Ancilla Domini est, eu putei operculum, sed tamē sub eo latet Dei Mater: vbi puteus, ibi aqua; vbi Virgo Mater, ibi vera & sempiterna salus, ibi Deus. Iccirco ab Isaia dicitur: *Vocabitur nomen eius Emmanuel*, hoc est, *nobiscum Deus*. Vocabit (vt Chaldæus, & doctores Hebræi legunt in tertia persona, & Pagnin. testatur in suo thesauro) ipsa nimirum Virgo Dei Mater dicit: *nobiscum Deus*. Vbi Virgo adest propitia, vbi fauet, Deus procul dubio ibidem assistit, fauétque propitius. Felices illi, ac beati, qui Virgini Deiparæ studiosius famulantur: certum quippe in suo famulatu Dei præsidiū, præmium, & amorem sibi pepererunt.

Procopius. — *Virtus labore comparatur.* — Phil. Hebr. *Virtus nomē fœmineū habet, vim masculam.* — *Scriptura instar putei.* — S. August. — Isaiæ 7. — *Nil mirabilius quā Deū de Virgine hominē nasci.* — D. August. — *Summū Dei opus incarnatio Verbi.* — S. Method. *Salutatur B. Maria.* — Isaiæ 7. — *Salutaris ergo B. Mariæ pietas.*

SECTIO IV.

Osculatus est eam, & eleuata voce fleuit, & indicauit ei, quod frater esset patris sui, & filius Rebeccæ.

1. Amoto iam lapide ab ore putei aquam Iacob extraxit, & refudit in canales, vnde gregem Rachelis adaquauit. Hæc omnia solus Iacob impigrè atque alacriter peregit in gratiā puellæ consobrinæ, dicitur enim: *Quam cum vidisset, &c.* Propter hoc (animaduertit Burgensis) supposuit se tanto labori. Amor siquidem etiam pigros excitat; & ad omne facinus quantumuis arduum, subministrat animos, viréisque: vt propterea S. Petr. Chrysolog. non minùs verè, quàm elegāter amoris vim expresserit hisce verbis: Nihil durum, nihil amarum, nihil graue, nihil lethale computat amor verus. Quod ferrum? quæ vulnera? quæ pœnæ? quę mortes amorem præualent separare perfectum? Amor impenetrabilis lorica est, respicit iacula, gladios excutit, periculis insultat, mortē ridet; si amor est, vincit omnia. hæc ille, *serm. 40.* Hæc tā insuperabilis in amore vis inde prouenit, quòd qui amat, suum computat, eius, qui amatur, bonū, malúmve. Ac de bono quidem illud Apostoli dictum contestatur: *Capite nos. 2. Corinth. 7.* id est (exponit S. Chrysost.) *diligite nos.* Petit accipere donū minimè molestū, & suppeditantibus antea, quàm acceptātibus vtille. hæc ille. Scilicet (ait) me diligite Corinthij, capite me, seu, captiuum me sub vestro iure, ditionéque abducite: captiuat enim qui amat, blando quidem, sed insolubili amoris nexu illigat, quē diligit; quis enim resistat amori? nouum sanè istud est petendi, & obsecrandi genus: petitur siquidē illud donum, sic adeo dulce, atque vtile, vt dantem potius, quàm accipientem ditet, & recreet. Quo etiam sensu idem Apostolus Philippensiū amans dixit: *Gaudium, & corona mea. ad Philip. 4.* Per vos (declarat S. Hieron.) in præsēti lætificor, & in futuro coronabor. Vide quantum amanti commodum importet sanctus amor; in hac vita gaudio amantem perfundit, in altera beatū efficit, & cœlesti diademate vti regem coronat. Huiusce vtilitatis dulcedine inuitat Dominus, eum zelum charitatis erga proximū, à quo læsus quis fuit, accendit: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Matth. 18. Hoc est (vt S. Hieron. explicat) si audierit, lucrifacimus animam eius, & per alterius salutē nobis quoque acquiritur salus. sic ille. Ea siquidem salus, quā mea charitas proximo importauit, mea prorsus est; amor ipse quo proximū prosequor copiosum mihi lucrum, vti fœneratorem, inuehit.

2. Sic planè Iacob iam tunc consobrinam vehementer amans illius iniuriam à pastoribus illatam vti propriā depellit, & adaquandi greges vtilitatem omnino suam reputans, quocunque proposito labore, ac periculo eluctari contendit. Tanta siquidem vi charitas adunit, vt in vnum duos faciat coalescere: quemadmodum beati Spiritus

Burgens. — *Mira vis amoris.* — S. Pet. Chrys. — *Captiuat qui amat.* — 2. Corinth. 7. S. Chrysost. — Philipp. 4. D. Hieron. — *Vtilitas ex sancto amore.* — Matth. 18. — *Sāctus amor ex alienis bonis lucrū acquirit.*

ritus Deum, sicut est, contemplantes in sacrosancto mysterio Trinitatis euidentissimè deprehédunt, in quo tres personæ non modò propter identitatem naturæ, sed etiam ob incomprehébilem amoris vnitatem, & concordiam inter se personarum, vnum omnino Deum, ac Dominũ adorant, & diligunt. quod S. Greg. Nazianz. *orat. de pace*, sic insinuauit: Trinitas siquidem (ait) illis Deus vnus est, & esse creditur, non minùs propter concordiam, quàm propter substātiæ identitatem. hæc Nazianz. Vnus igitur Deus est in Trinitate personarum, tresque personæ, realiter quidem distinctæ, vnus Deus est non solum vnitate naturæ, sed etiam vnitate amoris. Hinc in pluribus, quos amor in vnum coniunxit, vna eadémque cernitur bonorum, ac malorum communicatio, vt vnus lædi nequeat, quin alteri pariter offendantur. nec illi bonum aliquod possideant, quin isti consimiliter illo perfruantur. Idcirco Deus omnipotens, eum Hebræ gentis nefandis sacrilegiis, atque idololatriæ (quo facinore nullum Deo magis cōtraire solet) turpissimis ritibus, atque abominationibus, quotidie offensus irritaretur; de iis tamen maximè cōqueritur, qui proximos, ac pauperes præsertim opprimebant; hos quidem, non verò idololatras peracerba significatione doloris exclamans appellat inimicos: *Pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos*. Propter hoc ait Dominus Deus: *Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis*. Isaiæ 1. Hostes mei sunt inimici mei, quippe hostes & inimicos se præbent aduersus illos, quos ego diligo, cumque mei serui, & amici læduntur, pariter ego lædor; nec enim iniuria separat, quos amor in spiritus vnitatem coniunxerat. Tanta subinde iusti hominis cum Deo est vnitas, vt quædam quasi communicatio idiomatum sit inter eos illam, quæ inter Deum, & hominem ex admirabili mysterio Incarnationis intercedit, quodãmodo referens, esse videatur. Enimuerò cum peccata hominũ in Deum directò referantur, iusti viri contra seipsos perpetrata esse iudicant, tolerant, & condonant iuxta Domini præceptum, *Si peccauerit in te frater tuus, &c*. Mat. 18. En de iustis dicitur, quod proprium est de Deo idioma. deinde ad Ephes. 4. scribitur: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei*; hoc est, ne peccando in Deum scandalo fitis fidelibus, qui tristitia contabescunt cum Deum offendi consuetur. Itaque tristitia est iustorum, & Spiritus Dei contristari dicitur: peccatur propriè in Deum, & cōtra iustos peccata fieri dicuntur. Nec mirum, qui enim adhæret Deo, vnus spiritus fit eum eo, vt vna fit amborum & communicatio in bonis, & in malis tolerantia. O egregiam amoris vim! Deum ad humana descendere, & hominē ad Diuina facit ascedere, vt hominis tristitiam Deo propriam, & iniuriam Dei homini propriam efficiat.

Incomprehensibilis vnitas amoris in Trinitate.

S. Greg. Naz.

Vbi amor, ibi vnitas malorum & bonorum.

Suorum iniurias, non suas queritur Deus.

Isaiæ 1.

Iniurias hominum suas Deus reputat.

Matth. 18. *Vnitas Dei & hominis.* ad Ephes. 4.

1. Cor. 6. *Iusti suas reputant iniurias Dei.*

3. *Osculatus est eam.*] Tria hîc narrātur à Iacob gesta; osculari, flere, nunciare; quæ quidem vt rectè aduertit S. Aug. *in quæst.* 87. *super Genes.* & post Aug. Caiet. & Lyppoman. inuerso narrātur ordine, vt sæpè aliàs fit in sacra scriptura. Nam primum omnium Iacob adaquato grege Rachelis, nunciauit puellæ se ipsius esse consobrinum, videlicet filium Rebeccæ sororis Labani, qui pater erat Rachelis; deinde, vt ferebat consuetudo in simplicioribus illis seculis osculandi sese inuicem propinquos honesti amoris, & beneuolētiæ gratia, Iacob Rachelem osculatus est, ac demum eiulatu magno clamorem extulit. Bene quidam

S. August. Caietan. Lyppom.

A vertunt: iam verò renunciauerat, per præteritum plusquam perfectum, quod in Hebr. est ויגד *vaiagued*. Sunt qui dicant Rachelem vitio in oscula irruisse; quod vt minùs honestum est, sic omnino falsum conuincitur ex ipsa terminatione masculina verbi: sic enim habet: *Vaixaq Iagbacob le rachel, vaixaa eth qolo*. וישק יעקב לרחל וישא את קלו; *Et osculatus est Iacob Rachelem, & leuauit vocem suam, & fleuit*. ויבך *vaiebech*. Hæc omnia gesta narrantur à Iacob, qui nominandi casum habet ad tria illa verba, & Rachelem in accusandi casu esse ipsa præpositio *le* cōtestatur, & verbum præcedens *ixaq* ישק, *osculatus est*, apertè demonstrat. Tam minutim porrò grammaticam hoc loco Hebræam dispunxi, vt illos arguerem, qui puellæ attribuunt & osculum, & fletũ.

B S. Ambros. Iacobo osculum, at fletum Racheli adscribit in hunc modum: Quid Rachel? quemadmodum extorto osculo fleuit, & gemuit, nec flere desiisset, nisi proximum cognouisset. Ita & pudoris seruauit officium, & pietatis non amisit affectum, *lib. 3. de Virgin.* Itaque puella, cum à Iacobo extorqueretur osculum, fleuit contestans inuitam se (vti decebat honestissimam Virginē) virili osculo cessisse, quod quidem eiulatu prorumpens in lamēta quodammodo voluit expiare. Quod sanè puellis debet esse exemplo, ac documento. In quibus (ait ibidem S. Ambros.) pudor ornat ætatem. Quod si (adiungit) viso dicitur, Virginem non consideres, ne quando scandalizet te: quid dicendum sacræ virgini, quæ si

C amet animo peccat; si ametur, & facto? hæc Ambros. Bellè quidem (vt par est de pudicissima iuuencula cogitare) hæc à S. Ambros. dicuntur. Cæterùm vt ex fonte ipso Hebræo demonstraui, mus, nec flere, nec vocem edere ponitur Rachel, sed Iacob. Ambrosij sententiæ cum per se pulchræ, aureæque sunt, tum sacris Deo Virginibus commendari debēt, & re ipsa omnino adimpleri: at quia non firmum ex literali sensu (vt vidimus) habere videntur fundamentum, non plura, vt tam egregium postulabat argumentum, commentando adiungimus.

S. Ambros.

Rachelis fletus pro modestia.

Pudor puellam ornat. D. Ambros.

Monialem dedecent amores.

D 4. Ad aquas porrò sese inuicem viderunt, & amarunt, Iacob, & Rachel; quo quidem symbolo mysterium illud augustissimum, & dulcissimũ repræsentatur: *Ego autem dico* (ait Apostolus) *in Christo & Ecclesia*. Hanc enim de Gentili populo venientem, vti Rachelem Chaldæam, & filiam Labani sacrilegis ritibus idolorum seruientis, per salutare baptismatis lauacrũ Christus Dominus sibi copulauit, non quidem virginem, & immaculatam, & pulchram inueniēs, sed efficiens: meretricem enim (vti vocant Prophetæ) nefandis videlicet impuritatibus idololatriæ fœdā, ac putulentā cœlestis ipse Sponsus suo sanguine abluit, formosāmque, & sine ruga, & macula nitētem virginem reddidit. Hoc scilicet officio paranymphus ille Domini functus aiebat: *Æmulor vos Dei æmulatione. Despondi vos vni viro Virginē castam exhibere Christo*. 2. Corinth. 11. Id est (expli-

E cat S. Hier.) non stimulo liuoris inflammor, sed vos tanquā pater Diuina æmulatione custodio, vt possim vos immaculatos Christo coniungere, tanto maiore studio conuersatos, quāto meliori estis Sponso iungendi. hæc S Hier. Itaque sicut pater filiam omni sedulitate curāque instituit, & custodit, vt Sponso, quem illi comparauit, benè moratam, atque impollutam tradat: qui zelus, etsi patris, rectè appellari potest Spōsi æmulatio: ita cum Paulus patrem agat fidelium, paterno studio inuigilat, vt illos Christo Domino socie-

ad Ephes. 5. *Ecclesia à Deo Sponso inuenta & abluta.*

2. Cor. 11. *Christo fideles & puri ac exhibenda nobis est.* D. Hieron.

 tuna

Deus animarum Zelotypus.

ornamento virtutum pulchros, & intemerata fide, morúmque sanctitate illibatos instar pudicarum, formosarúmque Virginum. quem zelum aptissimè vocat Dei æmulationē. Quod ita comprobat S. Chrysost. *homil. 23. in 2. ad Corinth.*

S. Chrysost.

Non dixit: Amo enim vos: sed quod multo vehementius erat, ponit. Zelotypia enim laborant eorum animi qui erga eos, quos amant, ardentiùs affecti sunt. Deinde *Dei æmulatione.* Mihi enim curæ est, ne vos depravatos, & corruptos videam. Huiusmodi enim Dei zelus est, huiusmodi quoque meus, vehemens simul, ac purus. hæc S. Chrys.

S. Paulus Ecclesiæ paranymphus.

Est quidem Pauli amor erga fideles, quos Christo peperit, vehemens, uti ardor zelotypiæ; purus, quia non sua quærit, sed quæ sunt Domini sui, cuius est legatus, ac paranymphus.

S. Chrysost.

5. Sequitur: *Despondi enim vos, &c.* Quare (exponit S. Chrys.) non mea causa, sed illius, cui vos despondi, zelo ardeo. Sponsalium enim præsens hoc tempus, alterum nuptiarum, cum videlicet dicetur: *Surrexit Sponsus.* Matth. 25. hæc ille.

Matth. 25.

Sed quid illud est, *Despondi vos Virginem castam exhibere?* anne fideles omnes virginali pudore in Ecclesia elucent? O rem novam (exclamat idem Chrys.) in mundo Virgines ante matrimonium manent, post matrimonium non item. Hîc autem non sic. Verùm etiamsi Virgines ante hoc matrimonium non sint, post initum matrimonium Virgines efficiuntur. Ad hunc modum tota Ecclesia Virgo est. ita Chrys.

Ecclesia secundum fidem Virgo.
S. Anselm.

Sed quomodo Ecclesia Virgo dicitur? respondet S. Anselm. Omnis Ecclesia Virgo est in mente. Virginitas enim mentis est integra fides, solida spes, syncera charitas. Ergo & Ecclesia imitans Domini sui Matrem, quoniam corpore non potuit, mente tamen & Mater, & Virgo est. hæc ille. Qui autem virginitatem mentis in Ecclesia corrumpere, aut saltem diminuere conantur, sunt quidem & dæmones per varia, & hæretici per falsa dogmata.

S. Anselm.

Dein ex virginitate Ecclesiæ validum sumit argumentum S. Anselm. ad comprobandam virginitatem Matris Dei, hæc adiungens

Natus ex Virgine Matre Christus.

Nullo itaque modo virginitatem Matris suæ nascendo Christus ademit, qui Ecclesiam suam de fornicatione dæmonum redimendo Virginem fecit. sic ille. Valde seipsum (dicet aliquis) Apostolus commendat, cum se paranymphum Dei appellat, quod tamen in magistro humilitatis minùs probari videtur. Cæterùm quis Divini Apostoli prudentiam cum egregia humilitate non admiretur?

S. Chrysost.

Magister enim (declarat S. Chrysost.) vester sum, nec mea causa hæc dico: sed quod potissimùm illis dignitatem afferebat, hoc ponit; nimirùm se pronubæ, illos autem Sponsæ loco constituens. hæc S. Chrysost.

Mira S. Pauli humilitas.

Admirabilis sanè modestia Pauli: Fideles quippe omnes apud Deum Sponsas Domini vocat, & reveretur; se verò amicum Sponsi aut servum, qui ad contrahendas nuptias Domini fuit internuncius in Ecclesia reputat. Primum locum in domo Domini quem habet Sponsa, eadémque Regina Regi nupta cæteris fidelibus attribuit, sibi postremum, tanquam servo internuncio assumit. Verumenim verò hunc eundem Apostoli locum cum Iacobi, & Rachelis historia coniungit S. Cyril. Alex. *lib. 11. in Genes.* sic effatus:

S. Cyr. Alex.
Apostoli Ecclesiam Christo copularunt.

Rachel ovem Dei rectè interpretari possumus, quæ personam Ecclesiæ gerat, cum & ipsa ovis Christi; priscisque gregibus annumerata, in Salvatorísque atriis, liberatorísque nostri commorata. *Quamobrem & alias,* (inquit) *oves habeo, quæ non sunt de hoc ovili, & illas oportet me adducere, & fiet unum ovile, & unus pastor.* Ioan. 10.

Ioan. 10.

Discipuli enim Christi Ecclesiam eius, hoc est, rationales oves pascebant, eiúsque amatores effecti sunt, ut eam Christo puram, immaculatam, castam, sanctámque sponderent. hæc S. Cyrill.

Gentes eliguntur, Iudæi repelluntur à Deo.

6. Commendat planè charitatem suam Dominus, cum è cælo descendat in terras, & quærat, copulétque sibi in fide, & charitate Ecclesiam de gentibus omni superstitioni, & impuritati deditis congregatam; at verò synagogam Iudæorum iusto sane iudicio, à sua gratia, domóque dimittat. Illam siquidem simul atque invenit, abstersa omni macula, rugáque puram & pulchram effecit: istam verò, quæ sese omnibus impuritatibus polluit, omni labore industriáque adhibita incassum tamen abluere, ac decorare contendens exclamat: *Nonne, ut filij Æthiopum vos estis mihi filij Israël, dicit Dominus?* Amos 9.

Amos 9.

quasi dicat: Sic laboro in vestris abominationibus abstergendis, frustra tamen ob duritiem cordis vestri, & cor impœnitens, ut qui Æthiopi dealbando multam quidem, sed inanem operam adhiberet.

Pulchra metamorphosis ex pœnitentia.

Cæterùm ea vis est pœnitentiæ, ut Æthiopes, hoc est, Gentiles ad fidem meam conversi in candidissimam, & pulcherrimam Ecclesiam congregentur: at vos, qui de pulchro, ac puro Patriarcharum, & Prophetarum genere gloriamini, ob teterrimam scelerum caliginem in Æthiopum indelebilem nigredinem commutati estis.

Fœda quorundā ruina.
D. Hieron.

Æthiopes quidem (explicat S. Hier.) vertuntur in filios Dei, si egerint pœnitentiam, & filij Dei transeunt in Æthiopes, si in profundum venerint peccatorum. hæc S. Hierôn.

Mira Iudæorū infamia

Significat etiam S. Propheta miseram illam & deplorandam Iudaicæ gloriæ commutationem, qua scilicet inter omnes mundi gentes renidebat, in sempiternum chaos ignominiæ, qua ubique terrarum exsibilatur. Ad Rempublicam quippe Iudæorum dicitur à Domino extremam illius calamitatem minitante: *Decalvare, & detondere super filios deliciarum tuarum: dilata calvitium tuum sicut aquila; quoniam captivi ducti sunt ex te.* Mich. 1.

Mich. 1.
Iudaica gloria naufragium.

Sic hodie calva, detonsa, ac deplumata omnibus, quibus decorabatur ad gloriam, ornamentis Hebræorum gens suæ gloriæ miserabile, atque irrevocabile fecit naufragium. Ubi est enim (inquit S. Hieron.) Propheta? ubi doctor legis? ubi Angelorum præsidia? ubi contra plura à paucis insperata victoria? Decalvata est Hierusalem quæ proprium comam pristinæ gloriæ perdidit. hæc Hieron.

Iudæi Christianos suis bonis potiri vident.
D. Hieron.

7. Atque ad graviorem synagogæ contumeliam, & dolorem, quæ iacturam bonorum suorum fecit, illis omnibus Ecclesiam gentium perfrui videt. Et tanto tempore (animadvertit S. Hier.) derelicta est filia Sion, & sedet sine altari, & sine sacerdotibus; & aliis fruges eorum comedentibus, ipsi siccis faucibus sibi futura promittunt, quæ nesciunt. hæc ille, *in Mich.* 2.

Iudæi inanes, Christiani divites.

Christiani quidē cum Deo ipso facto homine læti, & gloriosi, & saturi accumbimus: at Iudæi chamæleontis instar ore inhiante futura, & nunquam ventura sperantes, ventum, & inanitatem venātur. Idcirco Dominus per Isaiam comminatur. *Propter hoc hæc dicit Dominus. Ecce servi mei comedent, & vos esurietis. Ecce servi mei bibent, & vos sitietis. Ecce servi mei lætabuntur, & vos confundemini. Ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis.* Isaiæ 65.

Isaiæ 65.
D. Hieron.
Misera Iudæorum fames.
Lucæ 1.
Psalm. 33.

Verbis Isaiæ consonant illa (ut hîc indicavit S. Hier.) Virginis Deiparæ: *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* Luc. 1. & illa Psalm. 33. *Divites eguerunt, & esurierunt;* id est, populus Iudæorum. Qui autem quærunt Dominum, hoc est, turba Gentilium, non egebunt omni bono. sic ille. Itaque Iudæis

dæis fame cœlestis, ac vitalis cibi deficientibus Christiani ex gentili populo ad Christum aggregati sic omni supercœlestium gratiarum abundantia perfruentur, vt illorum animæ Dei hominis corpore, & sãguine saginatæ, velut hortus irriguus, admirabili virtutum, ac meritorum pulchritudine in vitam sempiternam pullulet. Vnde fiet, vt Christiani diuinis affluant voluptatibus; at Iudæi confusione pariter, & liuore contabescãt.

Christiani cũ Deo de Deo saginantur.

D. Hieron. *Christiani agni, Iudæi hædi.*

Cum scilicet (adiungit S. Hieron. ad verba Isai.) seruientes Christo, & credentes ei lætati fuerint, & laudauerint Deum præ exultatione cordis, & gaudio, tunc Iudæi confundentur videntes in suum locum alios successisse, & clamabunt præ dolore cordis implentes illud quod scriptum est: *Ibi erit fletus, & stridor dentium.* Matth. 25. quando steterint agni gentium atque iustorũ ad dexteram, & hædi Iudæorum, atque impiorum à sinistris, aliis recipiẽtibus æterna præmia, aliis externa supplicia. hæc S. Hieron. *in 65. Isai.*

Matth. 25.

8. Porrò ne Iudæorum gens vllam de Deo cõquerendi vel leuem causam obtenderet, sæpiùs in Diuina scriptura eorũ perfidia, obduratio, cæcitas; peruicacia, & grauissima in omni genere flagitia præstringuntur, quibus tandem irritata Dei iustitia debitas de tam scelerato, atque indigno populo pœnas expetiuit. Quo in argumẽto illustrissima sunt illa Domini nimiùm aculeata sanè atque omni terrore plena, quæ per Hieremiam, verba denunciat. *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, dedi dilectam animã meã in manum inimicorum eius. Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylua: dedit contra me vocem: ideò odiui eam.* Hierem. 12. Cuius loci commentarium egregium hisce verbis ponitur à S. Hieron. Qui in Euangelio locutus est: *Surgite, abeamus hinc.* Ioan. 14. Et iterum: *relinquetur vobis domus vestra deserta.* Luc. 13. hic etiam in Propheta eadem cõminatur, & quod facturus est fecisse se dicit. Facta est autem hæreditas, quõdam Domini populus Iudæorum, contra eum quasi leo in sylua, quando pari aduersus illum in passione voce clamauit. Et quia dedit contra eum vocem suam, ideò eam odio habuit, & abiecit, & quæ quõdam fuit dilecta, nunc apparet odiosa. hæc S. Hieron.

Iudæorum impietas in Christum & ruina.

Hierem. 12. D. Hieron.

Ioann. 14. Lucæ 13.

Duo itaque in Iudaico populo subnotantur, quæ Domini vindictam cõcitarunt, atque extremam denique vastitatem inuexerunt: sylua, & leo: synagogam, quæ antea sicut paradisus Dei habebatur, syluescente vitiorum horrore in calamitosã sterilitatem bonorum omnium, ac virtutũ defecisse. Reliquit ergo Dominus infœcundam illam syluam, & commigrauit ad hortum irriguum, atque ad segetem cuius *semen cecidit in terrã bonã, & ortum fecit fructum centuplum.* Luc. 8. Quod etiam non obscurè significatur ipso eodẽ capite, in quo hæmorroissæ, & puellæ narrãtur historiæ: de quibus ita S. Ambros. Quid sibi vult, quod & principis filia annorũ duodecim moriebatur, & mulier ista fluxu sãguinis ab annis duodecim laborabat, nisi vt intelligatur, quia quãdiu synagoga viguit, laborauit Ecclesia? Defectus illius, huius virtus est: quia illorum delicto salus gentibus: & consummatio illius, huius exordiũ est, nõ naturæ exordiũ, sed salutis; *quia cæcitas ex parte Israel cõtigit, donec plenitudo gentiũ intraret.* Rom. 11. hæc S. Amb. Puella quidẽ moritur, vbi mulier sanitatẽ recipit; simul enim & synagoga Iudæorũ periit, & Ecclesia de gentibus ad Christum conuersa surrexit: impletúmque illud est: *Tempus pariendi & tempus moriendi.* Ecclef. 3. Quod eo tempore (declarat S. Hieron.) quo ex sterili natus est gentiliũm populus, amiserit filios synagoga. hæc ille, *in S. Mich.*

Sylua Iudæorum sterilis.

Fœcunda Christianorũ seges.

Lucæ 8.

S. Ambros.

Pereunte synagoga surrexit Ecclesia.

ad Rom. 11.

Ecclef. 1. D. Hieron.

9. Clariùs adhuc Anna Samuelis mater cum Phenena contendens eandem sententiam ita expressit. *Repleti prius pro panibus se locauerunt: & famelici saturati sunt, donec sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est.* 1. Reg. 2. Nimirũ Iudæi cum synagoga cũ antea Diuinæ legis, & cœlestium gratiarum conuiuio pascerentur; & gentium populi diuino carẽtes epulo, miserabili fame interim torquerentur; tandem ingrati, & rebelles illi contra Deum pœnas suis flagitiis dignissimas receperunt, vt procul à Dei mensa, & conuiuio repulsi æternam patiantur esuriem. Atque, vt præ inuidia, & dolore eorum oculi, atque animi contabescerent, gentiles populi ad Deum conuersi in illorum felicitatem introgressi cœlestibus pasti deliciis vitam agunt cũ Christo Iesu Deo suo iucundam pariter, & gloriosam.

1. Reg. 2. *Misera Iudæorũ fames.*

Dolent Iudæi Christianorũ gloriam.

Alterũ deinde ab Isaia subnotatur: Quasi leo in sylua; barbaram scilicet ac ferinam immanitatẽ in eo populo extitisse, quæ in cæde Prophetarum & sanguine iustorum, vsque ad cædem, & sanguinẽ Dei ipsius facti hominis debacchata est. Peperit enim aluítque illa vitiorum omnium sylua, tot leones, tot serpentes, quot homines in Iudæa nati sunt, iuxta illud Domini; *secundum multitudinẽ eorum, sic peccauerunt mihi.* Oseæ 4. Vbi S. Hieron. Quot homines habuit Israel, tot aras extruxit dæmonibus, in quorum victimis peccauit mihi. sic ille. Instar quidem prodigij est, tam infinitam fuisse in eo populo multitudinem altarium, in quibus spurcissima idola venerabatur. Quæ desior quæso, & horribilior sylua bestiarum? Bene S. Cyrill. Theod. & Theoph. exponunt: Ego hunc populũ multiplicaui; & quot homines in eo nati sunt, tot ex eo habeo hostes peccantes in me. sic illi. Multitudo quidem impiorũ dedit meritò locum hyperboli: pauculos enim in fide habuit Deus constantes. Fremuerunt igitur in illa sylua bestiæ, irrugierunt leones: *Tolle, tolle, crucifige eum:* ac tandem mansuetissimum Dei agnũ immanissimis vulneribus concisum, & dilaniatũ in crucis igne absumpserunt. Idcirco Agnus ipse resurgens leo syluã illam, eiúsque bestias debito supplicio subuertit. *Venite* (scilicet, clamat Hieremias ad locum citatum) *congregamini omnes bestiæ terræ, properate ad deuorandum.* Hierem. 12. Conuocat Dominus bestias terræ contra synagogam illam perfidam, atque inhumanam. Diuersarum gentium multitudo (inquit S. Hieron.) intelligitur, vt deuoret eam, quæ suum Dominum non cognouit. Spelonca ferarum est Israel offendens Dominum suum, & idcirco omnium bestiarum morsibus traditus. hæc ex S. Hieron. O te infelicem synagogam, quæ Agnum Dei recipere noluisti; & leonem contra te fecisti: & quæ linguam, ac dẽtes in Agnum mansuetissimũ distrinxisti, vnguibus, & dentibus ferocium bestiarum discerpẽda succubuisti. sic etiam fit plerumque, vt Christianus populus ob immania scelera, quibus Deum offendit, eundem de agno in leonem, de patre in iudicem commutet seuerissimum. Quod in calamitatibus sui temporis iam deplorauit S. Saluia. Exacerbamus (inquiẽs) Deum impuritatibus nostris, & ad ponendos nos trahimus inuitum. Ad expugnandam misericordiã Dei omni peccatorum immanium scelere, quasi omni telorum genere pugnamus: & iniuriosum nobis Deum existimamus, cum ipsi iniuriosissimi Deo simus. hæc ille, *lib. 4. de prouid.* Bellum itaque nostris sceleribus inferimus diuinæ misericordiæ, pro qua vindicanda

Feritas Iudæorum.

Oseæ 4. D. Hieron. *Effusa Iudæorum idololatria.*

Ioann. 19. *Crucifixus à Iudæis Dominus.*

Hierem. 12.

D. Hieron. *Exitium Iudæi populi.*

S. Saluian. *Bellum impij faciunt diuinæ misericordiæ.*

Christiani barbaris traditi.

dicanda insurgit Dei iostitia, & qoi agnum offẽderunt, innumeris facti sunt leonibus præda, cuiusmodi fuerũt Gothi, Vandali, Mausi, Torcæ, & reliqua bestiarum, & monstrorũ multitudo, quæ sæpius in Christianum orbem ad miserabile, infandúmque exitium inundaoit. Factáque proinde fuit sylua belluarum, quæ Domini Iesu noluit seges esse, hortúsve irriguus, aut paradisus voluptatis.

10. Reliquit Dominus illam speluncam ferarum. Nam quæ conuentio agno cum lopis, & oui cum leonibus, Christo cum Belial? Transtulit verò gloriam suam ad gentes, in quibus Rachelem, hoc est ouẽ, inuenit, cui agnus sempiterno amore copulatus est.

In Ecclesia tantùm agni & oues.

B Enimuero Catholica Ecclesia ouile est ouium, & agnorum, quam scilicet Dominus Petro sui amoris, & honoris in terra Vicatio commẽdans aiebat: *Pasce agnos meos*, iterúmque: *Pasce oues meas*. Ioan. 21. Itane verò contestatum reliquit Dominos in cælũ statim rediturus in sua Ecclesia præter agnos & oues à Petro pascendos, amplius nihil inueniri? Vbi ergo lupi, qui aliena diripiunt; vulpes, quæ fraudes intentant, dolósque machinantur? vbi equi ad libidinem adhinnientes, porci fœdissimarum voluptatum incubantes volutabro? vbi malitiæ veneno armati serpẽtes, atque humano sanguine, & carnibus pasti leoones? Planè hæc, & similia monstra non sunt de ouili, de grege Christi.

Ioan. 21.

Fera, ac monstra nõ sũt de grege Christi.

Non dictum C est Petro: Pasce lupos, vulpes, equos, porcos, serpentes, leones, & id genus bestias, quarũ ferocitas, & inhumaoitas ab agno Dei, atque illius spõsa Rachele, hoc est, oue procul aliena est. Ad oues enim, & agnos dicitur: *Beati mites, quoniã ipsi possidebunt terram*. Matth. 5. Cæterùm ne terrã à mitibus possidendam accipias istam, super quã militia est vita hominum: bellorũ quippe area est, certaminum theatrum, litium, & controuersiarùm forum, iniuriarum denique, rapinarum, & cædium maledictus ager. Vix enim sine sanguine, vel suo, vel alieno, duo illius iogera securus vspiam homo possidet.

Inhumanitas aliena à Christi Ecclesia.

Math. 5.

Terra litibus plena.

Quam in seotentiam sic Domini verba S. Hieron. interpretatur. Non terram istius mundi, non terram maledictã spinas, & tribulos afferentem, quam crudelissimus quisD que, & bellator magis possidet, sed terram, quã Psalmista desiderat dicens: *Credo videre bona Domini in terra viuentium*. Psalm. 26. sic ille. Possidebunt igitur mites terrã, io qua bona omnia permanent; procul enim inde præcipitabitor mors in sempiternum. Ista verò, in qua degimus, terra mortuorũ est, quippe cum in ea omnia orta occidant, & aucta senescant, & senescentia pereãt, & pereuntia sepeliantur. At viuentiũ terræ possessor (adiungit S. Hier.) & post victoriam triumphator, etiam in Psal. 44. describitur: *& intende, prosperè procede, & regna, propter mansuetudinem & iustitiam*. Nemo enim terram istam per mãsuetudinem, sed per superbiam possidet. hæc S. Hiero. *in Matth.* 5.

D. Hieron.

Mitium terra viuentium.

Psalm. 26.

D. Hieron. Psalm. 44.

Terra à superbis possessa.

E At verò terrã promissam mansuetis, benedictam illã possumus accipere, in qua omnis diuinitatis plenitudo habitauit corporaliter, & omnes diuini Spiritus gratiæ, donáq; pullularunt; nimirum sacrosanctum Domioi Iesu corpus, cuius visio corporea, & ad illius exemplar, gloriæ, atque immortalitatis, dotes erunt corporibus beatarum mentium diuinitus impertiẽdæ ob mansuetudinem, qua mansuetum, & humilẽ agnum iusti in hac vita sunt imitati. sic enim exponit S. Hilar. Mitibus terræ hæreditatem pollicetur, id est eius corporis, quod ipse Dominus assumpsit, habitaculum. Et quia per mansuetudi-

Corpus Christi terra mitibus promissa.

S. Hilarius.

A nem mẽtis nostræ habitauerit Christus in nobis, nos quoq; gloria clarificati eius corporis vestiamur. hæc S. Hilar. *Can. 4. in Matth.*

11. Porrò autem Rachel, & pulchritudine, & pudore, atque ipso nominis egregio symbolo, pulcherrimã, purissimam, atque sanctissimã semper Virginem Dei Matrẽ luculentissime repræsentat, quæ diolnitus electa est in Filiam æterni Patris, in Matrẽ Diuini Verbi, in Sponsã Spiritus sancti. Verùm ne abyssũ gratiarũ audaci conatu subintremus, humili tamẽ silentio reliqua õnia venerãtes, de nominis tantùm symbolica significatione in Deiparæ Virginis gratiam nonnihil dicemus.

Rachel typus B. Mariæ.

Hæc enim vera, & vnica in mũdo RaB chel, vna ouis, sempérque io omni statu cãdidissima, & innocentissima ouis extitit. Si enim vel in ipso suæ conceptionis momento maculã originalem habuisset, quî obsecro digna fuisset, quæ agnum Dei peremptorem omnis peccati ex suis visceribus iam ante conceptum ederet? Quod si oonnulli aliter opinantur, videriut ipsi ac timuerint grauem illam censuram acutissimi omniũ in dominicana familia ingeoiorum Caietani, qui D. Thomam commentatus, ad 1. 2. & q. 81. art. 3. hæc effatur: Et hæc bene notabis tu Thomista, ne oimio zelo, non secundùm scientiam accẽsus erronea dicas, quæ erronea nõ sunt, cum de beatissimæ Virginis conceptione disputas, aut prædicas. ita Caietan. II. partibus D. Thom. Romæ C impressis anno 1570

Astruitur conceptio immaculata B. Mariæ.

Caietan.

Caiet. pro cõceptione immaculata B. Mariæ.

Accẽduntur igitur (autore ipso Caietan.) sinistrè de cõceptione immaculata Virginis opinantes, zelo nimio, & non secundùm scientiam. Optimum ego illum summè debitum, ac secundùm veram, ac diuinam sapientiam agnosco zelũ in Deo ipso, qui Zelotes nominatur, quo accensus dignissimã illam, & sanctissimam Virginem, quam sibi Matrẽ ab omni æternitate delegerat, originali reatu maculari, ac teterrimi hostis inuri stigmate passus nõ est. Profectò supremus gradus amoris, vt Plato, *dialog. de amore*, cõtestatus, & luce clariùs ipsa quotidiana experientia cõprobat, in eo maximè spectari solet, quòd patem & consortem amans nõ admittat: quæ impatientia consortis zelum efficit, & D accendit.

Deus Zelotes pro conceptione immaculata B. Maria.

Plato.

Zeli impatientia.

12. Huius rei ea ratio potissima videtur; quoniam amor simul atque subintrat in animã, totũ cor occupat, totique animæ dominatur; ideóque aoimæ domicilium & cordis ostiũ, omni vi, & præsidio claudit, ac munit, ne socio, & cõsorti alicui vllus subinde ad sedem amoris pateat aditus. Quærit enim, & inducit vnitatem amor, & pluralitatem odit pariter ac nescit: nimirum vti dolor ex diuisione continui resultat, sic amor nascitur ex vnione: quid enim aliud est amor, quàm gluten, nexus, vnio, & vnitas cordium, animarum, rerúmque alioqui dispariũ, ac distinctarum? quo fit, vt qui amat, appropinquet ad rem amatam, in eam quodãmodo pulchra, & suaui metamorphosi transformetur. adeóque illi aduniatur, & adhæreat, vt magis sit vbi amat, quàm E in seipso. Vides naturã vimque amoris humani?

Vis amoris, vnde nascitur Zelus.

Hinc altiùs mecum assurge. Eo quidem puncto æternitatis, quo ante omnia Angelorum, & hominum Christus Dominus fuit prædestinatus vti verus, & vnicus Filius Mariæ, simul ipsamet ante omnem creaturam prædestinata est, ob indiuiduam, ac necessariam connexionem, quæ inter Matrem eiusdémque Filium intercedit; atque adeo primò, & maximè omnium creaturarum à Deo beatissima Virgo dilecta est, vtpote in veram Matrem electa, quippe cum (autore S. Ioan.

B. Maria cũ Filio prædestinata.

S. Io. Damas.

Damasce

Damasceno) decretũ huiusmodi prædestinationis ex ipso Diuino amore, sicut ex prima radice, fontéque oriatur: alloquens enim Virginem Deiparam, hæc adiungit. Te rerum omniũ Deus dignã prænoscens amauit, amatam prædestinauit. sic ille, *serm. 1. de natiuit. Mar.* Quòd si Dei amor erga Virginem & primus, & maximus omnium fuit, qui fieri potest, vt Deus ille zelotes consortem in corde, animáque Virginis admitteret, imò, vt veriùs dicam, immanem bestiam, ac fœtidam in ea sedẽ figere, ante ipsius Dei ingressum pateretur? vt animam Matris suæ à diabolo maculari, captiuam fieri, filiam iræ, Deóque exosam reddi sineret? quæ quidem omnia, vt Matrem dehonestarent, sic in Filij dedecus, & & ignominiam redundarent.

Deus B. Mariam ab originali labe præseruauit.

Originalis reatus B. Mariæ Filiũ dehonestaret.

13. Itane verò, vt Deus omnipotens sibi domum ædificasset; at gehennale monstrum lucifer illam priùs incoluisset? vt ipsam diuinus Spiritus sibi despondisset, ornassétque, at illam teterrimus hostis in seruam occupasset? Melius quidem hominibus consultum ipse Dominus voluit, cum à militia illos dimittebat, de quibus ita cõstituitur. *Quis est homo, qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam? Vadat, & reuertatur in domum suã, ne alius homo eius fungatur officio. Quis est homo, qui despondit vxorem, & non accepit eam? Reuertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, & alius homo accipiat eã.* Deut. 20. Eritque istud Domini decretũ audiens, qui dicat, Deum æquo animo tulisse, vti suam sibi ædificatam domum teterrimus eiusdem hostis occupasset, priùs habitasset, ac deturpasset? vt Virginem corpore, animáque sibi delectam in filiam, in matrem, in sponsam diabolus ancillam sibi, & fœdo reatus originalis charactere insignitam primus oppressisset? non patiar, non credam. Labe igitur omni cum anima, tum corpus beatissimæ Virginis caruit, vti decebat innocentissimã, & candidissimam, ouẽ, omninóque pulchram, & perfectam Rachelem, Spiritus Sancti Sponsam, Verbíque Matrẽ Quocirca egregiè concludit S. Anselm. Nulli denique dubium est castissimum corpus, & sanctissimam animã eius funditus fuisse ab omni macula peccati, vtpote aulam, quam suus, & omnium creator Deus corporaliter erat habitaturus. *lib. de excel. Mar. cap. 3.* Hanc æternus ipse Pater omni ex parte perfectam in Virgine puritatem Filio suo cum de matre nasceretur commendauit. *In splendoribus sanctorum ex vtero ante luciferum genui te.* Psalm. 109. In splendoribus sanctitatum, neutrũ est illud (*sanctorum*) nec enim in Virgine Matre per vterum haud dubiè (vel ipsis Hebræorum doctoribus cõtestãtibus) significata visebatur aliud, aut vnquam extitit, nisi sancta, & pura omnia; quæ quidem talia non forent, si originalis macula præextitisset. Hæc enim prima vitiorum omnium radix, fons, & origo scelerum animæ, libidinum, ac turpitudinum corporis. Est quidẽ lues inferni, venenum, quo totus homo inficitur; tabes, qua corporis membra, sensúsque, & animæ facultates contabescunt. Tam execrandum igitur, & pestilens malum à Virgine Dei Matre procul abesse, quàm decet Matris honorem, tam decet Filij amorem.

Egregiè astruitur immaculata conceptio B. Mariæ.

Deuter. 20.

S. Anselm. *in B. Maria omnia pura & sancta.*

Psalm. 109.

Originalis labes fons vitiorum.

A

SECTIO V.

At illa festinans nunciauit patri suo. Qui cùm audisset venisse Iacob filium sororis suæ, cucurrit obuiam ei: complexúsque eum, & in oscula ruens, duxit in domum suam. Auditis autem causis itineris.

1. HOspitalis, officiosáque puella, & iam tunc mirificè affecta erga adolescẽtem modestum, robustum, peramantem, atque humanum (quarum omnium virtutũ perillustre specimen dederat) denique magna sibi propinquitate coniunctum, concito statim gradu domum regreditur, patríque Labano aduentum, & ingeniũ nepotis ex sorore Iacobi denuntiat. Nuntio lætus, & alacer auunculus egreditur in occursum Iacobo, nepotémque officiosissimè excipiẽs domum introducit, ab eóque discit, quæcunque ipse cum Esau egerat, & iussionem parentum de vxore petenda, & periculum suum, quæ scilicet causæ aduentus sui; & quæ in itinere, & ad puteum sibi acciderãt. Hæc omnia disertè in Hebr. & Chald. exprimuntur, quæ tamen Latinus interpres breuitati studens vno verbo complectitur: *Auditis causis itineris.* Et quidem homo barbarus, à veráque Dei veri cognitione alienus, egreditur tamẽ in occursum aduentanti peregrino, licet nepoti pietatis debitum officium præstiturus: at (ô pudor!) inter nos qui Christiani sumus, & filij Dei censemur, fratrésque inuicem nominamur, fratrum hodie concordia, & gratia rara est. Quin etiam (quod magis detestandum est) quotidie nouercalibus exardescunt odiis, & mutuis lædũtur fraudibus, quos natura vno ex vtero fratres produxit. Cum tamẽ iura omnia postulent, cogántque, vti (iuxta S. Ambros.) iungat gratia, quos iunxit natura, *lib. de Ioseph cap. 2.* At maior adhuc, & astrictior, & sanctior fraternitas ex Christi fide prouenit; quam furiosi, & amentes perenniter violamus Nam vt subtiliter obseruat S. Aug & habetur. *d. 14. q. 5. cap. Immolans:* Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit, necessariò fratres sunt. sic ille. Fraternitatis amorem primum omnium Christus Dominus in sua Ecclesia commendauit, cum Apostolatum instituẽs, in primis duo fratrum paria ex omni genere mortalium elegit. *Matth. 4.* Ideò (vt animaduertit S. Chrys.) super fraternitatem charitatis Ecclesiæ composuit fundamenta, vt radicibus charitatis exoberans, quasi humor ascendat in ramos. hæc ille, *hom. 7. ex cap. 4. Matth.* Cæterùm, quæ morũ corruptela est in peius semper labentium, etsi radix Christianæ gentis fraterna extiterit charitas, iam nunc ad ramos ea virtus haud quaquã peruasit, quin isti omni exuto charitatis humore marcescentes in gehennales odiorum, iniuriarum, litium, fraudum, & interdum bellorum flammas exarserunt. Respiciamus ergo ad petram, vnde excisi fuimus, natiuam fraternæ charitatis pinguedinem pariter, ac dulcedinem à radice nobis auita petamus. Fratres Dominus nostræ fidei parentes primò instituit: & hoc (adiungit S. Chrys.) super naturalem charitatem, vt non solùm per gratiam, sed etiam per naturam ipsa charitas firmior habeatur. sic ille. Itaque prima Christiani ædificij cæmenta duplicatæ charitatis præsidio constabilita sunt, quippe fraternam charitatem ex ipso naturæ sanguine habuerunt, & vnius fidei, sub vno Deo Patre, ac Redemptore, in vna Ecclesia

B C D E

Dissidium inter fratres.

S. Ambros. *Mutua discordia inter Christianos.*

S. August.

D. Chrysost. *Radix Christianæ Ecclesiæ charitas fraterna.*

Odia inter Christianos.

S. Chrysost.

Fundamentum Ecclesiæ duplicata charitas fratrum.

A Ecclesia indiuiduum amorem, veréque Christianum addiderunt. Et quidem non solùm duo ista fratrum paria ad Ecclesiam suam Dominus primò vocauit, sed etiam vtrosque conciues in eodem oppido Galilææ voluit esse, ad maiorem scilicet fraterni amoris, & Christianæ charitatis firmitaté. Quo in sensu ita occurrit S. Chrys. *Vidit alios fratres, &c.* Matth. 4. Erant enim habitatione ciues, dilectione concordes, arte officij pares, fraternitate pietatis coniuncti, ideo sic vocauit & istos, ne tot bonis rebus coniunctos dissimilis vocatio separaret. sic ille. Igitur tá admirabili, omninóque perfecta concordia primorum Apostolorum, eiusdem nationis, eiusdem prouinciæ, B eiusdem oppidi, eiusdem ministerij, piscaturæ scilicet in eodem mari, eiusdem ad Euangelium vocationis, parísque fraternitatis gens Christianorum fundata est.

S. Chrysost. Matt. 4.

Prima vocatio ad Apostolatum.

2. Neque verò illud mysterio caret, quòd prisca lex Hebræorum à duobus fratribus Moyse, & Aarone initium habuerit, at noua Christianorũ in suis ipsa primordiis duo fratrum paria cum numero simul accrescente charitate recensuerit. quod ita euoluit idem Chrysost. Sic & in veteri testamento super Moysem & Aaron fratres posuit ædificationis initium. Quoniam autem abũdantior est gratia noui testamenti, quàm veteris, ideo primum populum ædificauit super vnã fraternitatem, hunc autem super duas. hæc S. Chry. C Tamen cum longè abundantiora Diuinæ gratiæ præsidia Christi Domini meritis habeat populus Christianus, optimo iure maiorem ab illo ipse Dominus charitatis, in qua finis, & perfectio legis consistit, exigit solutionem. Quo in argumẽto multa diuinitus dicuntur à S. Saluian. Massiliẽsium Episcopo. paucula seligam. sic enim scribit, *lib. 2. ad Ecclesi. Cathol.* Plus exigit Deus nunc à Christianis per Euangelium, quàm à Iudæis antè per legem. Ideo enim maiora nunc Domino nostro soluimus, quia maiora debemus. Iudæi quippe habebant vmbram rerum, nos veritatem: Iudæi fuerunt serui, nos adoptiui: Iudæi acceperũt iugum, nos libertatem: Iudæi male dictum, nos gratiam: Iudæi literam, nos spiritum. hæc ille. D Profectò ab eo, cui plura, & maiora donata sunt, consequenter plura, & maiora exigantur necesse est: & quidem Iudæis ita diuinitus prælati sumus, vt quod illis tantùm cupere, sperareque licuit, nobis videre, ac possidere concessum sit. Enimuerò (vt statim subiicit idem Saluianus) Iudæis seruus magister missus est, nobis Filius: Iudæi per mare transierunt ad eremum, nos per Baptisma introimus in regnum: Iudæi manna manducauerunt, nos Christum: Iudæi carnes auium, nos corpus Dei: Iudæi pruinam cæli, nos Deum cæli. sic ille. Quæ maior quæso gloria Christiano populo supra omnia priuilegia Iudæorum potuit aduenire, quàm vt magistrum habeat Filiũ Dei, &(quod omnem excedit humani cordis cogitationem spémque) magnificentissimorum Redemptorem? Qui nimirum (adiungit Saluianus) hu- E miliauit semetipsum vsque ad mortem Crucis: non contentus scilicet simplicem pro nobis subire mortẽ, nisi ipsam voluntariæ necis susceptionem summorũ suppliciorum perpessione cumulasset. Pro hoc igitur solo quid soluere homo poterit, cui se per vltimam pœnarum acerbitatem Christus impendit? hæc Saluian.

Vetus lex fundata in fratribus.

S. Chrysost.

Maior charitas & gratia legis Christianæ, quàm Mosaicæ.

S. Saluian.

Deo plus debet Christianus, quàm Iudæus.

Plura Christiano Deus cõcessit, quàm Iudæo.

S. Saluian.

Nimia redẽptoris charitas erga hominem.

S. Saluian.

Homo redẽptori suo non est soluendo.

S. Saluian.

Incomparabilis gratia redemptionis.

3. Incomparabile quidem est beneficium redemptionis, cùm propter infinitam charitatem Dei, ex qua processit, tum propter sanguinem ipsius infinito valore pretiosum, qui pro redi- A mendo homine effusus est; tum etiã propter innumerabilem multitudinem, incredibilémque acerbitatem cruciatuum, & iniuriarum, quibus vsque ad mortem crucis affectus est Dei Filius. Si ergo Deus ita dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret concisum, & humiliatum vsque ad mortem, & ignominiam crucis, quid tandem homo redemptus retribuet Domino, pro omnibus, quæ ab illo accepit? Aut quid (apponit idem Saluian.) pro se dignum Domino repensabit, qui ipsum Deo, à quo redemptus est, Deum debet? Hæc ergo causa est, quare deuotiores esse nos Dominus sibi velit, quia tam magno deuotionem nostrã pretio comparauit. ita concludit B antistes Massil. Morté vtique Domini morte nostra (nec aliud maius præstare possumus) soluere aliqua ex parte debemus. Quòd si moriendi occasio desit, hoc vnum exigitur: vt (autore ipso Saluiano) si debitum morte non soluimus, amore soluamus: affectu enim suo Dominus nos quasi amoris sui manibus admouit, vt agnoscentes dona sua, ac beneficia, intelligeremus, quid nos pro Domino tam bono facere conueniret, cũ ille pro malis suis tanta fecisse comperiretur. hæc S. Saluian. *lib. 4. de vero iudicio, & Dei prouid.* Egregia sanè argumẽtatio. Si enim Deus hostes suos ita magnificis cumulat beneficiis, quid nos retribuemus Domino ipsi magnificentissimo, & clementissimo? Si Deus hominum iniuria, ac sce- C leribus amorem, & sanguinem suum, & infinita beneficia reddidit, cur homines, si minus sanguiné, certè amorem ipsum totum Dei sui amori, ac beneficiis non rependent? Hoc vno contentus Dominus dicet: Diligite, & satis est, quia finis legis est dilectio: ea nimirum qua Deum super omnia diligimus, ac proximũ sicut nosipsos; atque adeò illa, qua propter Deũ inimicos diligimus, oramus pro persequentibus nos, & benefacimus iis, qui oderunt nos. *Matth. 5.*

Deum Deo redẽptus homo debet.

S. Saluian.

Christo debemus mortem, & amorem.

S. Saluian.

Dei clementia erga inimicos.

Charitatem Dei charitati rependamus.

Matth. 5.

4 Quem summum charitatis gradum, si non agnouit, nec exercuit Iudæorum populus, profectò à suo populo Christus non exigit: *Vt sitis* (inquit) *filij Patris vestri, qui in cælis est.* Matth. 5. Hæc enim potissima omnium ratio est ad comparan- D dam huiusmodi propinquitatem, ac similitudinem cum Deo, videlicet cũ diligimus inimicos ad exemplũ Domini qui pro crucifixoribus suis orauit, & sanguinem fudit. Et quia pro inimicis mortuus nimiam suam (vt vocat Apostolus) charitatem commendauit, eum adhuc inimici essemus Deo, per mortem suam Deo Patri reconcilians: idcirco Filium se Patri suo vnicum ostendens audit: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam* Psalm. 2. Illa nimirũ sua dilectione, & Filium se Patri exhibuit, & cunctarum gentium dominium comparauit, quod Psalm 7. videtur insinuari, vbi Dominum vates excitat: *Exurge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorũ suorum.* sensus est: Surge Domine, potentiam tuam excita, vires exere, sentiant hostes tui vltricem iram tuam. Sed quænam isthæc est ira Do- E mini, & vltio irascentis? *Exaltare in finibus inimicorum suorum.* Hæc est ira tua, hæc vltio, tua scilicet exaltatio inter inimicos tuos. Pro inimicis enim (exponit S. Hier.) rogat, vt in inimicorũ finibus exaltetur. Cum inimici esse cessauerint, tunc tu Domine exaltaberis in eis. sic ille. Conuertes igitur ad fidem tuam hostes tuos, facies de inimicis amicos, qui tuum amorem admirantes pariter ac venerantes te Deum suũ verè agnoscent, ritéque adorabunt: tuam videlicet Diuinitatem, & omnipotentiam, ex nimia charitate tua,

Matth. 5.

Charitas erga inimicos.

Christi charitas erga inimicos.

Psalm. 2.

Psalm. 7.

D. Hieron.

Conuertit Christus inimicos suos.

Mirâ Christi patientia. tua, & plusquàm humana patientia colligentes, quæ non in creatura, sed in Deo solo potuit inueniri. Vel etiam exaltare, amando, & benefaciendo: exaltatur enim Deus iuxta Isaiam cum hominibus beneficium confert, tantoque sublimiùs exaltatur, quanto sunt indigniores, quibus beneficia conferuntur. *D. August.* At verò S. August. victoriam, & triumphum Domini de diabolo, sub cuius tyrannide mortalium genus tenebatur, ad hunc modum intelligit: *Triumphat Christus de diabolo.* Non aduersus homines precatur, sed aduersus diabolum, & angelos eius, quorum possessio peccatores, atque impij homines sunt. Et quoniam pœna est, vt cuique auferatur possessio, in qua dominari desiderat, hanc pœnam dicit iram Dei aduersus diabolum, vt desinat possidere, B quod possidet. Fines dicit ipsam possessionem, vbi vult Deum exaltari potiùs, id est, honorari, & glorificari, quam diabolum, dum impij iustificantur, & laudant Deum. hæc S. August.

Psalm. 7. 5. Sequitur: *Et exurge Domine Deus meus in præcepto, quod mandasti, & synagoga populorum circundabit te.* *Charitas Christi erga inimicos.* Quasi dicat: Surge Domine, prodique in aciem debellaturus orbem, sume arma tua. hoc est illud ipsum præceptorum omnium certè maximum antonomasticè mandatum tuum, quod tu *S. Chrysost.* ipse nobis iniunxisti. Quod tu (exponit S. Chrysost.) nobis lege constituisti, hoc etiam factis nobis exprime. nimirum iussisti nos non habere odio inimicos. hæc ille. Hac igitur via, quòd misericors Dominus non se vlciscatur de inimicis suis, C sed eos amore suo donet, beneficiis cumulet, veniam iis; & misericordiam concedat, arbitratur *Christus amando inimicos mundum subiugauit.* Vates regius Christum Dominum eò tandem processurum, vt domet orbem non ferro, sed ligno, hominúmque genus (vocat synagogam populorum) ad se pertrahat, faciátque ex inimicis amicos, & filios charissimos, atque obsequentissimos. *Parcendo, non vlciscendo Christus triumphauit.* Pudeat nunc hominem Christianum vindictæ rabie, furoréque percelli, cum antè oculos habeat Dominum crucifixoribus parcentem; & ignoscendo quidem, non vlciscendo gloriosissimos agere de vniuerso orbe triumphos. Penum habet, ac thesaurum possidet, quisquis habet inimicos, ex quibus incomparabile lucrum comparabit. *Psalm. 7.* Probe id intelligens Dauid eodem Psalmo aiebat: D *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis.* Non sibi malè imprecatur Dauid; sed quod contingere solet iis, qui sese vindicant, vaticinatur: qui enim reddunt retribuenti- *Thesaurus iusto est inimicus.* bus sibi mala, iure optimo decidunt inanes ab inimicis: hoc est, à tam diuite illo thesauro, quem in manibus habebant, vacui sine vllo quæstu, vel obolo quidem, aut teruntio euadunt. Hebr. *Recham* ריקם *Fatuus*: quis enim æquè fatuus, & demens, atque is, qui inter thesauros nescit, aut non vult ditescere? Ait igitur Vates regius: Si reddidi malum pro malo, si meas vltus iniurias fui, & (vti legit ex Hebr. S. Hieron.) *si dimisi hostes meos vacuos*, hoc est, si non multis & magnis affeci hostes E *Ingens lucrum ex inimicis.* meos beneficiis, illud mihi, quod fatuo, continget, vt ingentia; quæ facilè ex inimicorum dilectione, atque iniuriarum tolerantia colligere possem si vellem, abire, periréque per summam ignauiam patiar emolumenta. Non fabulam ex his emolumentis necto, quæ dico ex inimicis prouenire. An non Zacharias diuino afflatus Spiritu concinuit: *Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium* *Lucæ 1.* *qui oderunt nos?* Luc. 1. Enimuero vti Deus omnipotens de manu Pilati, Pharisæorum, atque Dæmonum, qui omnes in Christi sui sanguinem, & cædem conspirarunt, de tam horrenda, ac sacrilega iniquitate salutem humani generis collegit: sic

Ben. Fernand. in Genes. tom. 2.

A ex iniuriis, conuiciis, dolis, ac violentiis inimicorum, à quibus diuexamur, si Christiana patientia toleramus, multa nobis, & magna erunt bona, & (quod omne pretium excedit) salutem animæ sempiternam. Sic Mardochæus de Aman odiis, & persecutionibus insignem à rege Assuero dignitatem extulit. *Hester* 8. *Hester 8.* & ex iniuriis, & ignominiosissima Semei maledicentia Dauid regni sui recuperationem locratus est gloriosissimam. 2. *Reg.* 16. *2. Reg. 16*

6. Profectò, vt rem omnino conficiam, hac vna *Charitas erga inimicos filium Dei facit, cæloque donat.* inimicorum dilectione, vti à Domino audiuimus, in filios Dei assurgimus. At quis in cælum tutior, ac certior commeatus, & tessera, quàm filium Dei nominari, Diuinóque huiusmodi stemmate insi- *Matth. 5.* B gnitum valuisse repræsentare cælorum? securiùs in cælum graditur, qui diligendo in terra inimicos filium Dei se præbuit. Non illum manet iudicium, ac ratio strictè seueréque exigenda. id quidem seruorum est, non filiorum. Loquor equidem ex Euangelio. *Simile est regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis.* Matth. 18. *Matth. 18.* Eu tribunal, iudicium, examen, exigendæ rationis horribile spectaculũ, sed tamen cũ seruis tota res est. & quidpiam simile apud Matth. 25. legitur. Contra verò filius ille patrimonij sui *Deus à seruis, non à filiis rationem exigit.* dissipator, non minùs vitiorum sordibus, quàm miseriarum ignominiis coopertus, audet sese iterum dare in patris conspectum, quem offenderat, quem reliquerat, cuius patrimonium in ganeis, & C lupanaribus consumpserat, cuius nobilitatem, ac nomen porcarius dedecorauerat: *Ibo* (inquit) *ad Patrem meum, & dicam, Pater, &c.* Luc. 15. *Lucæ 15.* Nec tamen pater conqueritur, expostulat, irascitur, aut saltem in turpitudinibus exactæ vitæ rationem à prodigo, & perdito exigit; quinimò errata omnia condonat; quia hic filius meus perierat, & inuentus est: debetur quippe filio patris indulgentia: cum titulo filij inseparabiliter coniuncta est omnium venia erratorum. Neque verò dicere omittam ad verba Regij vatis, quibus commentandis tandiu immoramur: hic hostes à Propheta appellari, non tam sibi infestos, quàm Deo iniuriosos, quorum non quidem naturam, sed improbitatem odit, & vt puniatur, exposcit. Hinc optimè ad ea- D dem verba subinfert S. Chrysost. *S. Chrysost.* Magna est autem iusti virtus, quando eosdem habet Dei inimicos, & eosdem amicos: *Iusti est Deo communicatio circa amicos, & inimicos.* quemadmodum magnum vitium, quando Dei amicos inimicos, & inimicos amicos habeat. Quemadmodum ergo Deus dicitur habere inimicos, non odio habens, neque eos auersans, sed improbas eorum actiones, abhorrens: ita etiam iustus habet inimicos, non eos vlciscens, sed improbitatem auersans. hæc ille. Hæc est iustorum, cum malè afficiuntur, vindicta: *Odium non in hominem, sed in peccatum hominis.* peccatum in homine, non hominem oderunt, ac vindicari deprecantur: quod quidem insignis testimonium est amoris. O admirabilem Diuinæ gratiæ in homine virtutem: vt iniustum odium E spontaneo, ac non promerito amore Christianus exsoluat!

7. Quo in argumento præclarum illud est, quod in verbis sponsæ inuenimus: *Vulnerauerunt* (ait) *me, percusserunt me, tulerunt me custodes murorum.* Cant. 5. *Cantic. 5.* Quid quæso vel ad dolorem, vel ad contumeliam grauius, & indignius? *Iustus non queritur, non vlciscitur.* spoliatam, contusam, & concisam, sanguine vbertim effuso madentem se videns adolescentulas ad eiulatum accitas compellat: *Cantic. 5.* Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum, vt nuncietis ei. Sic affatur socias, commendat obnixè, vt sponso nuncient. Quid obsecro? An sponsam vulneribus concisam, fluente sanguine, penéque fugiente anima cum

ipsa iam morte colluctari? Nuncient igitur, vti properet, accurrat, ferat opem iacenti moribundæ? Vt iusto armatus zelo tantum carnificum facinus, eorundem supplicio, sanguine, cædéque ad solatium curet dilectæ expiari? Non ad eiulatum inuitat: non tristia, non indigna, non virulenta, non vltionis mandata socius ad sponsum defert. Vt nuncietis (inquit) ei, quia amore langueo. O nouum, & inauditum seculis prodigium! ô Deo Patre filiam, Deóque sponso, sponsam longe dignissimam! Nunciate dilecto, quia amore langueo. Læsa quidem fui, iaceo volutata in sanguine, vulnerum acerbissimis discrucior doloribus; iniuriis, contumeliis, rapinis per summam violentiam, & iniustitiam afflictata sum: sed non indignor, non irascor, non vindictam expeto. Nihil post vulnera, spoliationem, ignominiam, dolorem, sanguinem aliud in pectore, quam amorem inuenio. Hanc igitur vulneratæ, læsæque sponsæ dilectionem nunciate; qua vna ille permotus forte non amplius amantem, & sequentem fugiet; quin expertus suam in sponsa virtutem, quòd amorem odio, iniuriis beneuolentiam rependit, sese tandem mihi & inueniendum, & videndum, ac tenendum præbebit. Nec irrita sponsæ verba, & vota. Sic illico sponsum offendit, tenuitque, cuius vno conspectu sanitatem consecuta est. Etsi autem hæc omnia ita se habeant, nihilo tamen minùs sibi caueant ab vltrice Dei potentia, qui malè iustorum abusi tolerantia illos violenter opprimunt. Enimuero (vti monet S. Saluian.) benignissimus Dominus communem sibi cum seruis suis honorem simul, & contumeliam facit, ne quis cum læderet Dei seruum, hominem tantùm a se lædi arbitraretur: cum absque dubio iniuriis seruorum dominicorum Dei admiscetur iniuria; testante id suis Deo affectu indulgentissimo. *Qui vos tangit, quasi qui tangit pupillam oculi mei.* Zachar. 2. hæc ille, *lib. 8. de vero iudic. & prouid.* Communis quidem, & vna causa est Dei, & seruorum Dei. Exultent illi, & triumphent, cum Deo suo simul affligi: at persecutores timeant; rem enim habent cum Deo, Deum affligunt Dei seruos affligendo.

Mira hominis patientia.

Similis Deo qui patiens est.

S. Saluian.
Communis causa Dei, & seruorũ Dei.

Zachar. 2.

Deum lædit seruorum illius læsor.

8. Cæterùm mirabitur aliquis, quid sit, quòd ad Labani fores tandiu Iacobum remoremur, tam longè, latéque commentando expatiantes. Consulto facimus: locus est enim de iustorum patientia & dilectione, atque de improborum iniquitate, & violentia; quorum omnium non alibi facilè inuenies, quàm hoc loco, illustriora testimonia. Ingreditur iustus ad iniquum, patiens, & innocens ad tyrannum & carnificem. quo in argumento amborum deinde historia tota excurret; minusque iam in consequentibus huiusmodi commentationibus negotium Iacobi apud Labanum patientia, & iniquitas Labani iustum diuexantis facesset. Ingrediamur ergo domum Labani, in qua rerum istarum illustrissimum spectaculum exhibebitur: sed ante ingressum ostij considerari oportet Rachelis pietatem erga peregrinum, quem patri suo tam claris virtutum nominibus commendauit, vt permoueret patrem foras egredi, aduentantique hospiti ruere in amplexus. O egregiam Iacobi peregrini, & laborantis patronam, & aduocatam Rachelem! Sed vmbra fuit Rachel, veritas ipsa Maria Dei Genitrix, quæ mortalium in hoc ærumnoso lacrymarum exilio degentium vnica est post Deum spes, vnica fiducia. Ductabat nubes Israeliticum populum de Ægypto ad promissam cælitus regionem per inuia & aspera solitudinum æquora peregrinantem; at ô pia Virgo, nubes (ait Andreas Cret.) tota lucida, & mons vmbrosus, non adumbrans ingratum populum Iudæorum, sed electum Dei populum, gentem sanctam maternis suis tædis illustrans: te vniuersus mundus continet commune propitiatorium. sic ille, *de dormit. Virgin.*

Rachelis pietas B. Mariæ pietatem adumbrauit.

Andr. Cret.
B. Maria mũdi propitiatorium.

9. Talem scilicet nostra imbecillitas, & miseria matrẽ exposcebat, talem ab ipso Deo Filio eius accepimus, cum discipulum totius humani generis gerentem vices Virgini parenti commendauit: *Mulier ecce filius tuus.* Ioan. 19. Discipulus enim (adnotauit S. Laur. Iustin.) typum gerit Ecclesiæ. Hanc in persona discipuli tibi (ô Mater) relinquo, tuis informationibus erigetur, tua protectione solidabitur, atque ex præsentia tua deperditas, si quæ fuerint, recuperabit vires. Volo igitur vt illam de cætero in filiam habeas. hæc ille, *lib. de triumph. Christi agon. cap.* 18. Et quidem peccatori difficilis ad Deum aditus videbatur. Cur enim reus conspectum iudicis non formidet? Opus est (inquit S. Bernard.) ad Deum mediatore, nec aliter nobis vtilior, quàm Maria. Nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suauis est, plena omnia pietatis, & gratiæ, plena mansuetudinis, & misericordiæ, quæ ad eam pertinent inuenies. Omnibus copiosissima charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi. hæc S. Bernard. *serm. super Signum magnum.* Trahit illa de longè, ducítque ad Deum venientes, introducit in regiam Patris cœlestis, ac placabilem, & misericordem pœnitentibus Deum, quem antè offenderant, reddit. Hanc Deiparæ Virginis potentiam pariter & humanitatem, vt perpetuò experiuntur, ita miris efferunt laudibus, & celebrandam, atque implorandam fidelibus viri sanctissimi, & doctissimi commendant suo nobis exemplo. Satis nunc erit S. German. Arch. Constant. qui tam dulciter Virginem Dei Matrem affatur: O mihi sola Domina mea ex Deo consolatio: ardoris, qui est in me, ros diuinus, exsiccati mihi cordis diuinitus irrorans aspersio, tenebrosæ animæ meæ lampas lucidissima. Vires meæ imbecillitatis, nuditatis amictus, opes mendicitatis, immedicabilium vulnerum curatio, lacrymarum ablutio, requies gemituum, alleuatio dolorum, vinculorum solutio, spes meæ salutis, & bonorum omnium remuneratio. hæc ille, *de præs. Virgin.* nimirum ad omnia thesaurum possidet, qui pie Virginem Matrem colit, qui in protectione Virginis Deiparæ commoratur.

Ioan. 19.
S. Laur. Iust.
B. Maria Ecclesiæ Mater.

S. Bernard.
B. Maria peccatoribus dulce patrocinium.

B. Maria pietas celebratur à sanctis viris.

S. German.

Bona omnia à B. Maria.

Thesaurus est pietas erga B. Mariam.

SECTIO VI.

Respondit: Os meum es, & caro mea. Et postquam impleti sunt dies mẽsis vnius, dixit ei: Num quia frater meus es, gratis seruies mihi? dic quid mercedis accipias. Habebat verò duas filias. nomen maioris Lia: minor verò appellabatur Rachel. Sed Lia lippis erat oculis: Rachel decora facie, & venusto aspectu.

1. Officiosè Iacobum excipit Laban, libentérque annuit illius de nuptiis voto, quia, videlicet consanguineus est, vtpote sororis Rebeccæ filius: hoc enim significat Hebræa phrasis frequens in sacra scriptura. Latinè dixisset, *sanguis meus, viscera mea.* Nescio quid de ossibus & carne potiùs à matre, quàm à patre subindicari hoc loco intelligunt aliqui; sed ego sensum illum diuino Vati præconceptum, & insinuatum non intelligo

telligo. Natura ipsa consanguineos, ad omnia pietatis, & amoris debiti obsequia obligat, quod etiam barbari contestantur: sed ea solet esse vis in quæstu, & pecunia, & in honore, vt omnia cognationum, ac necessitudinum iura violentur, vbi cupiditas animos quouis vinculo coniunctissimos occupauit. Petiit quidam à Domino, vti substantiam inter fratres diuideret: at Dominus cum hominem à se repulisset, conuersus ad discipulos dixit: *Videte, cauete ab auaritia.* Luc. 12. quasi dicat: Discordiarum, ac litium radix est ipsa cupiditas: frustrà verò laborabitis ad habendam, firmandámque pacem, & concordiam etiam inter charissima naturæ pignora, quandiu malorum omnium radix non extirpatur cupiditas: hac vna funditus euulsa, non opus erit arbitro, ad sopiendas lites, & constituendam amicitiam. Integrum poëma de hoc ipso argumento nobilis poëta edidit Thebanorum fratrum Eteoclis & Polynixæ decantans:

Lucæ 12. *Cupiditas discordiarum origo inter fratres.*

Fraternas acies, alternáque regna profanis
Decertata odiis. Statius.

Statius.

Quam etiam calamitatem tragicam cothurno suo deplorandã proposuit mortalibus ille, qui scripsit.

Nam regna repetens frater
In bello cunctos Graciæ populos agit,
Septeni muros castra Thebanos premunt.

Seneca in Thebaid. *Actor.* 2.

Seneca.

2. Quòd si cupiditas arctissimos quosque propinquitatis nexus dissoluit, quid esse tutum potest, vbi cupiditatis flamma ebullit? Rectè auarum, vti hominum labem, ac pestem sic affatur S. Saluian. Penè iuxta te nullus intrepidus, nullus potest esse securus. Faciliùs præcipitati ex alpina rupe torrentes, aut incendia ventis agitata tolerantur. Non sic pereuntes, vt ita dicam, nautæ Charybdis voracitate, aut scyllæis (vt aiunt) canibus deuorantur. Exturbas possessiunculis suis vicinos tuos, habitatione, ac facultate proximos tuos. hæc ille, *de vero iud. & prouid. lib. 5.* Vnum seipsum auarus agnoscit, cætera verò ignorat, ac respuit. Filius terræ, filius huius sæculi, alios secum non patitur esse consortes. Totam sibi soli terram, totum hunc mundum (habeant cælum, & Deum alij) cupit, & quærit, & arrogat. Itaque in terra communis hostis omnium est auarus. Quid longiùs excurram? Ipsemet Laban, qui nuoc Iacobum vocat os suum & carnem suam, paulò post cupiditate occæcatus, vti alienum, & hostem persequetur. Cæcum, & nescium præ cupiditate Saulem in Amalech excidio legimus. Misit hominem Deus omnipotens ad vniuersalem illius gentis euersionem; at miser optima quæque, & pretiosissima cùm animantium, tum supellectilium vnà cum ethnico rege seruauit, contra præceptum Domini, & antiquum illud vaticinium: *Delebo memoriam Amalech de sub calo.* Exod. 17. Cæterùm vox Hebræa זכר sine punctis æquè duo significata importat; nã iisdem omnino literis, si accedant puncta, fit זכר *Zecher*, hoc est, *memoria*, & זכר *Zachar*, hoc est, *masculinum*. Igitur Saul cum deberet legere *memoriam*, vti Dominus præceperat, legit *masculinum*, atque adeò non memoriam Amalech, sed tantummodo viros delendos esse credidit, cuius tamen interpretationis, & erroris cupiditas ipsa, & auaritia fuit magistra. Deo enim (inquit S. Hier.) præcipiente, vt deleretur omnis memoria Amalech, non tam errore, quàm cupiditate prædæ pro memoria masculinum interpretatus est. ita S. Hier. *de quæst. Hebr.* Malè causa habet, vbi est auaritia interpres, aut consulens, & (quod peius multò est) imperans. Semper enim

Auarus omnium hostis.
S. Saluian.
Auarus terræ filius cælum renuntiat.
Saul cæcus auaritia.
Exod. 17.
Auaritia errorum magistra.
D. Hieron.

Ben. Fernand. in Genes. tom. 2.

iniusta, indigna, impia, contra omnem virtutem Deúmque ipsum interpretatur, consulit, imperat. O miseras, ô infames terræ diuitias, quarum studium, cura, cupiditas malorum omnium seminarium, & sentina vitiorum est! Cæterum id quidem fit ob improbitatem hominum illis contra Dei institutum abutentium. Non enim (inquit S. Saluian.) ipsæ diuitiæ per se noxiæ, sed mentes malè vtentium criminosæ, nec ipsæ opes homini pœnæ causa sunt; sed de opibus sibi pœnas diuites faciunt; quia dum vti diuitiis bene nolunt, ipsas sibi diuitias in tormenta conuertunt. sic ille, *lib. 1. ad Eccles. Cathol.* in malo nostro vsu, non in ipsis diuitiis malignitatem illarum constitutam esse dicit. Nec vlla in Deum culpa meritò à diuitibus, si pereant, refundi potest. Deus enim (adiungit S. Saluian.) præstat nobis omnia ad fruendum in voluntate operum bonorum. hæc ille.

Diuitiarum non natura, sed abusus noxius.
S. Saluian.
Diuitia à Deo in bonũ.
S. Saluian.

3. *Et postquam impleti sunt, &c.*] Ingressus domum auunculi Iacob noluit otiosè agere, & gratis ali; sed vt erat natura impiger, assuetúsque labori, pascendos Labani greges suscepit: nepotem enim auunculus (teste Iosepho) cunctis gregibus suis præfecerat. Nec enim tam antiqua, & sæpius probata Iacobi virtus inter delicias, & eneruantia mentem, corpúsque otia, vel nasci potuit, vel adolescere: laboribus, ac sudoribus comparatur virtus, & conseruatur. Iccirco Anachoretarum vocibus illud increbuerat: Da sanguinem, & accipe spiritum; vti scribitur à S. Dorotheo, *serm.* 10. Quis enim vnquam otiosus, ac deses ad spiritalem perfectionem euectus est; quin multis magnisque laboribus, quin multo sanguine viam, ascensumque sibi munierit? An non si Christiani sumus, Dominum Iesum sequimur, qui totus madens cruore baiulat crucem ad mortis infamiam? Delicatuli ergo crucifixum imitari contendimus? Non planè sic Paulus, cuius vita in mortibus (vt loquitur) frequenter in periculis, in fame, & siti, in naufragiis, in flagellis traducta est: audacterque proinde, sed vere, sanctéque tamen exclamat: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* 1. Corint. 11. Boni siquidem domini (exponit S. Saluian.) bonus famulus, & singularis magistri præclarus imitator, qui in vestigiis domini sui ambulans patentiora quodammodo, & expressiora pedibus suis fecit Domini sui esse vestigia. hæc Saluian. *lib. 3. de vero iudic. & Dei prouident.* Pressa nimirum, ac trita pedibus Domini per sanguinem, crucémque ad virtutem, & cælum via, eo tamen ingredientes deterrebat, quod ipsius Dei pedibus, etsi carneis, facilè succubuisset. At quis deinde homuncio Dei vestigiis insistere ausus esset? Oportuit igitur, vt Paulus Diuina gratia roboratus eandem insequeretur viam, suisque humanis, atque à nobis facilè imitandis vestigiis Diuina contingens vestigia hominibus subinde ad imitandum redderet faciliora. Imitatur verò maximè Christum, qui & vitæ sanctitate supereminet, & nihilominus suæ infirmitatis conscius ad omnia humilitatis officia seipsum deprimit. Quæ duo ad hunc locum in Apostolo demiratur S. Chrysost. Cum ergo (inquit) quod attinet ad accuratam, & exactam vitæ rationem sit Paulus omnibus superior; quod attinet ad sui demissionem, & ad alios accommodationem est omnibus inferior. hæc S. Chrys. *homil. 25. in 1. ad Corinth.*

Ioseph.
Iacob à deliciis alienus.
Labor virtutem parit, & conseruat.
S. Doroth.
Deliciosus non imitatur Christum.
S. Paulus laboribus exercitus.
1. Cor. 11.
S. Saluian.
Viam Christi reddit S. Paulus imitandam hominibus.
S. Chrysost.
Sanctitas & humilitas S. Pauli.

4. At cum humilitate Christiana facilè deliciosæ vitæ blanditiis resistitur; castitatis quippe fulcimentum est, ac nutrimentum humilitas, quam multi abiicientes circa honestatem naufragauerunt, & in cœnum fœdissimarum turpitudi-

Humilitas castitatem fulcit, ac nutrit.

num prolapsi homines se, imò & iumenta in sterqore iacentia esse cognouerunt. Icciro vt plurimum cum nobilitate ac sublimitate seculi, vbi maximè intumescit arrogantia, libidinum sordes copulantur. Vere siquidem scripsit S. Saluian. Plurimi (inquiens) fermè ac nobilissimi prope idem omnes: vnus gurges, omnium gula: pene vnum lupanar omnium vita. Vbi ciuitas in locupletissima, ac nobilissima sui parte, non quasi lupanar est? hæc ille, *de vero iudicio, & Dei prouid. lib. 7.* Tanto iam laudabilior Iacobi virtus exister, qui nimirum iuuenis, ac nobilis, & in domo parentum opulentissima virtutem masculam retinens non se deliciis tradidit eneruandum. Illud etiam in mortalium cedit exemplum, quòd Iacob nihil vnquam de laboriosa, & humili exercitatione corporis, animique remisit: sed post molestissimos peregrinationis labores, cum sibi quiescendum paulisper foret, alacer tamen ad pastoritiæ vitæ fastidiosum pariter, atque abiectum, & laboriosum opus se accinxit. Est quidem viro iusto irreconciliabile cum deliciis, ac vitiis bellum; magno, & indefesso studio obluctandum est vitiosarum appetitionum per lasciuiam assultibus, à quibus etiam valida industria compressis interdum dantur induciæ, nunquam verò securitas. Quod quidem exercitatissimus ille Cheremon sic edocebat: Quicquid cum labore comprimitur, temporales dimicanti præstat inducias, non tamen perpetuam securitatis quietem tribuit post laborem. hæc ille apud Cassianum, *collat. 12. cap. 10.*

S. Saluian. Luxuria cũ nobilitate. — *Iuuentus casta & laboribus exercita.* — *Bellum à iusto indictum deliciis.* — Cheremon. *Inducia, non securitas à tentationibus.* — Cassian.

5. Porrò Iacob pascendis auunculi gregibus sedulam integro mense operam nauauit, nihil interim cum homine pro suo labore paciscens mercedis; gratis vtique seruiuit. Cæterùm Laban, etsi barbarus & impius, gratuitum, ac liberale nepotis ministerium vltrà non admisit, vt pudeat nunc plerosque dominorum ita barbaros, & impios se ostendere, vt pauperum opificum, & operarum sudoribus & sanguine ad omne seruitij genus abutantur, nec miseros debita mercede, vel ad vitæ vtcunque trahendæ alimentũ consolentur. Quod si pauperculus quicquam debeat opulento, & nobili, miserum dictu, ac visu est, quanta cum crudelitate illico exigatur. Rei atrocitatem multis, & præstringit & deplorat S. Saluian. sic enim fatur: Pauperculos homines tributa diuitum premunt, & infirmiores ferunt sarcinas fortium: nec alia causa est, quod sustinere non possunt, nisi quia maior est miserorum sarcina, quam facultas. Res diuersissimas patiuntur, inuidiam, & egestatem: inuidia est enim in solutione, egestas in facultate. Si respicias, quod defendunt, abundare arbitreris: si respicias, quod habent, egere reperies. Solutionem sustinent diuitum, & indigentiam mendicorum. hæc ille, *lib. 5. de ver. iudic. & Dei prouident.* Hanc in pauperculos carnificinam, vsque adeò detestandam videt sæpius, ac luget orbis, cum indictiones tributariæ a Principibus, & a Rebuspublicis fiunt, quarum tempestas non in diuitum & magnatum, sed in pauperum, & humilium capita solet desæuire. Soluunt quidem miseri vt diuites, egent vt mendici.

Nobiles in pauperes desæuiunt. — S. Saluian. *Opprimuntur pauperes à diuitibus.* — *Pauperes ad soluendum abundant, egent verò vt mendici.* — *Tributa in pauperes.*

6. *Habebat verò duas filias, &c.*] Quæsinit Laban à nepote quid mercedis pro ministerio pascendi greges sibi dari vellet, sed ante responsionem Iacobi refert diuinus Autor, duas fuisse filias Labano, Liam, & Rachelem; & quidem illam natu maiorem oculorum lippitudine laborasse; sic enim vertit Latinus interpres, quod in fonte ponitur רכות *Raccoth*, cuius vocis radix *Racac* רכך, *mollescere, tenerascere*; ideóque vertunt pleríque *oculi Liæ teneri*, siue *molles, delicati, debiles, infirmi, deformes.* Vitium quidem est in oculis ex humidiore temperie, qua redduntur sic molles, ac debiles, vt proni sint ad lacrymas, & irretorti, atque inconniuentes obiectum contueri non possint, eo quòd ipsæ in orbibus pupillæ quodámodo fluitare, & innatare videantur. Vno verbo dicimus Lusitanè *olhos molles*: ægritudinem satis vulgo notam. Malè igitur cum Chaldæo *teneros*, hoc est, *pulchros & elegantes*, quidam vertunt. Quasi Lia solis oculis pulcbra, Rachel verò non tantum oculis, sed tota facie, totóque habitu corporis pulchritudinem præ se ferret. Nec etiam docti approbant, quod ab aliquibus confingitur deficere in voce Hebræa *Aleph*, subintelligique ארוכות *arucoth*, *hoc est, oblongos*, atque ideo haberi deformes. Itaque frequentiore in oculis morbo lippitudinis debilitatem illam, ac mollitudinem Latinus interpres optimè explicauit. *Rachelis pulchritudo efflorescebat ex decora facie, & venusto aspectu*, videlicet ex totius oris apta compositione, colorúmque eleganti suauitate; deinde ex ipsa venustate oculorum, quæ primas in cunctorum membrorum specie solet obtinere, vt proinde à S. Chrysost. dicatur: Sanè pars est pulchritudinis maximè violenta, oculorum decor. *homil 7. in 2. Cor.*

Liæ oculi molles. — S. Chrysost. *Decor oculorum violentus.*

7. Hinc præcipuè amantium pectora sauciantur, hinc prima, & summè periculosa in miseros virorum, ac fœminarum animos euibrantur iacula. Delectant oculi, ac delectantur, qui mutuam inuicem pulchritudinem obiiciunt; vulnerant quidem, & vulnerantur: sed breuis ipsa, fucatáque voluptas in dolorem sæpius desinit. Quapropter (vti monet S. Chrys.) propter breuem visus voluptatem, diuturnum quendam, & continuum dolorem sustinemus. *homil. 15. ad populum Antioch.* Vniuersimque illud obseruatu est quàm dignissimum: Intueri non decet, quod non licet concupiscere. ita S. Greg. *lib. 21. Moral. cap. 2.* Adeoque coniuncta est per oculos admissa voluptas cum dolore cordis, vt verè in hanc sententiam ponatur illud à S. Bern. Vulgò dicitur: Quod non videt oculus, cor non dolet, *serm 5. in fest. omnium Sanct.* Satis verò ad sui contemptum habet pulchritudo, quòd ea nihil breuius, ac fugacius inter bona huius vitæ habeatur: certum est enim quod Imperator Domitianus Dictitabat: Decore nihil gratius, nihil breuius. Et quidem venustas oculorum, quam intuentes sibi armatam, violentam, & nunquam non insidiatricem, ac periculosam contestantur, prima est, quæ in corpore humano solet interire; quippe cum prima mortis aduentantis signa in oculis reddi consueuerint. Acies oculorum prima elanguescit, venustas oculorum prima commoritur, atque in mortis caligine sepelitur. Quæri video, liceatne vxorem eo eligere, ac diligere, quod pulchra sit. Compendio satisfaciam. Etsi virtutes, animíque dotes primò, & maximè in vxore æstimandæ sint, ac diligendæ; cæterùm quia gratior est (vt poeta cecinit) pulchro veniens de corpore virtus; non erit vitio tribuendum si vir vxorem in primis ob virtutem, deinde ob venustatem eligat. Forma enim Dei donum est, & quidam aptus, elegánsque amictus animæ in corpore degentis; ideóque vxorem commendat, amabilioremque marito reddit: sic enim facilius concupiscentiæ potest ad solet mederi, dum pulchræ vxoris ab alienarum desideriis arcet coniuctus, & patrem formosiore, ac decentiore sobole consolatur. Solius autem libidinis causa decoram vxorem malle, & diligere, Christiano viro indignum est.

Voluptas in dolorem desinit. — S. Chrysost. *Periculosus oculorum visus.* — S. Gregor. — S. Bernard. — *Pulchritudo fugax.* — *Prima moritur oculorum venustas.* — *Pulchritudo vxorem commendat.* — Virgil.

8. Porrò

Rachel & Lia duas vitas significāt.

8. Porrò autem duæ istæ sorores iisdem natæ parentibus, eidémque viro (vt statim videbitur) in coniugium copulatæ celeberrimo apud Patres, doctorésque symbolo, duo rectè viuendi instituta, seu (vt cum multis loquar) duas illas vitas significant; alteram actiuam, quæ scilicet in bonis, & in proximorum vtilitatem operibus, atque etiam in corporis afflictationibus, externísque mortificationis, & Christianæ pœnitentiæ actionibus versatur: alteram verò (vti vocant) contemplatiuam, quæ totum sopernaturalibus, ac Diuinis rerum sublimiorum mysteriis intelligendis, & contemplandis, Deique amori affectando, & accendendo studium impendit. Noo omnia, quæ à patribus in hanc sententiam dicuntur, sed eorum tantum paucula hic subscribam. Et quid (inquit S. Gregor.) per Rachelem nisi contemplatiua; quid per Liam, nisi actiua vita signatur? sic ille, *lib.6. mor.cap.* 18. Fusiùs in hanc eandem sententiam ita effatur Nicetas apud S. Gregor. Nazianz. *orat.2.in quadrag.* Lia Hebræis laborem, aut laborantem sonat, ac proinde ad actionem accipitur. Rachel autem idem est quod pascens, aut quæ pascitur, ac contemplationem designat. Hanc post Liam Iacob vxorem accipit; actio enim contemplationis est fundamentum. Rachel igitur est omnis anima contemplationis studiosa, quæ lege Dei velut agna pascitur: Lia verò omnis anima contemplationem amplectens, quæ virtutis causa laboribus premitur, quam quisquis ad diuinæ Philosophiæ studium adiicit animum, primam fere sibi contubernalem asciscit. hæc Nicetas. Vtramq; igitur sibi vitam copulet vir iustus oportet, vti Iacob ambas in coniugium sorores suscepit: altera verò sine altera vel lippitudine sua virum dedecorat, vel pulchritudinis vanitate inflatum reddit. Vtriusque vitæ studium inseparabili nexu coniunctum habebat illa, quæ meritò sponsum inuitabat: *Lectulus noster floridus.* Cant. 1. In lecto enim prædulcem contemplationis somnum intelligit; in floribus, quibus lectus erat constratus, pietatis, aut pœnitentiæ actiones insinuat. Quo in sensu egregiè virum iustum admonet S. Bernard. his verbis: En fortè appetis & ipse contemplationis quietem, & bene facis; tantum ne obliuiscaris flores, quibus lectulum sponsæ legis aspersum. Ergo cura & tu tuum similiter circundare bonorum floribus operum, virtutum exercitio tanquam flore fructum sanctum otiom præuenire. Alioqui delicato satis otio dormitare voles, si non exercitatus quiescere appetas, & Liæ fœcunditate neglecta, solis cupias Rachelis amplexibus oblectari. hæc ille, *serm.46. in Cantic.*

D. Gregor.

Nicetas.

Iustus vitam contemplantem simul & agentem exercet.

Cantic. 1.

S. Bernard.

Contemplatio in lecto, actio in floribus insinuatur.

9. Et quidem etiam appositè maior natu Lia ponitur, priórque (vt statim narrabitur) in Iacobi nuptias venit, vt significet per flores ad lectuli somnum, hoc est, per bonorum operum quasi præludia ad vitæ contemplantis delicatius, & quietius studium fore homini assurgendum. Alioqui (vti mox subdit S. Bernard.) præposterus ordo est, ante meritum exigere præmium, & ante laborem sumere cibum, cum dicat Apostolus: *Qui non laborat, non manducet.* 2. Thess. 3. sic ille. Hæc autem doctrina maximè religiosum informat, ne dulcedine contemplationis illectus amet otium, & actionum, quæ præscripto obedientiæ iniunguntur, quasi tumultuosum, ac permolestum strepitum execretur. Adiungit enim S. Bernard. *A mandatis tuis intellexi* (inquit Psalm. 118) vt scias nisi obedientiæ mandatorum contemplationis gustum penitus non deberi: non igitur putes de propriæ amore quietis sanctæ obedientiæ actibus, seniorúmque traditionibus præiudicium vllatenus faciendum. Alioquin non dormiet tecum sponsus in lecto vno, illo præsertim, quem tibi pro obedientiæ floribus, cicutis, atque vrticis inobedientiæ aspersisti. hæc ille. In quibus in primis expositionem illius versiculi ex Psalm. 118. egregiam, licet expendere. *A mandatis tuis intellexi.* hoc est, ex eo quòd ô Domine Deus tuis præceptis obediui, fructum obedientiæ meæ collegi, nimirum Diuinorum mysteriorum intelligentiam, eam videlicet, quæ cum pio cordis affectu, & charitatis dulcedine solet esse coniuncta, vnóque illo verbo à doctis vocari consueuit sapientia. Deinde subnotabis in lecto quietis, in quo anima contemplatrix quodammodo cum Deo Sponso videtur conquiescere, si loco florum scilicet bonorum ex obedientia operum, vitiosa, & virulenta prauarum actionum inobedientiæ germina inspergantur, nullo modo Dominum inueniri posse. Propter quod (subiungit Bernard.) non exaudiet orationes, vocatúsque non veniet: nec enim dabit inobedienti copiam sui tantus obedientiæ amator, vt mori, quam non obedire maluerit. hæc ille.

Antecontemplationem actio præmittenda.

S. Bernard.

2. Thess. 3.

S. Bernard.

Psalm. 118.

Actiones ex obedientia religiosus obeat.

Psalm. 118.

Fructus obedientiæ sapientia

Inobediēs non exauditur à Deo.

S. Bernard.

Christus obedientiæ amator.

10. Præstringitur hoc loco illius sinistra contemplatio, qui regendis, pascendis, edocendísque proximis obedientiæ mandato præpositus illorū curam vtique laboriosim negligat, abiicítq; totus nimirum deditus tranquilliori statui orationis, & Liæ lippitudinem delectatus Rachelis pulchritudine odit, & execratur, vti contigit Episcopo, qui gregem suum pro quærendo, & amando contemplationis affectu dereliquit; quem ita impugnat S. Prosper. Si periculosum est nauim inter fluctus cautè non regere, quantò periculosius est eam vndis intumescentibus fluctuantem in tempestate relinquere? ad quam sicut satius est non ascendere, ita semel susceptam conuenit fluctuantis pelagi proiecta formidine, ac spe perueniendi concepta vsque in portum sine vlla mercium iactura perducere. hæc ille, *lib.1. de vit. cōtemp. cap.* 26. Etsi hæc rectè habeant, nihilo tamen minùs timendum est, ne dum quis proximorum inuigilat saluti, & lippientis Liæ fœcunditati nimiùm studet, veluti æstuantis pelagi raptetur vndis, procúlque & à portus quiete, & à Rachelis amore repulsum se videat. Quod S. Hildebert. aliquando ita deplorauit: Sequuntur captiuæ mentis occupationes innumera virtutum dispendia; quibus dum miseri subiacemus, nec etiam cum Martha ministramus. Martha quippe ministrauit, sed Christo: nos verò quis dicat discurrere, & cum Martha ministrare, qui dum discurrimus, non pro Christo ministramus, sed non Christo? Omnes nos quærimus, quæ nostra sunt, non quæ Iesu Christi. *ad Philip.* 2. hæc ille, *Epist.* 37. Optimè quidem animaduertit S. Pater studiosum hominem vitæ actiuæ dū sese nimiùm immergit salo actionum temporalium, ferri æstu interdum vanissimarum occupationum, & solicitudinum, quibus interturbatur animæ requies, & propriis, aut propinquorum commodis inseruire, non autem Dei sui amori, & honori. Quia verò Marthæ, & Mariæ sororum quæ Christo Domino inseruierunt, ad Liæ, & Rachelis sororum pariter historiam meminimus, non omittam dicere in vtrisque eandem vitæ contemplantis, & agentis æquali symbolo significationem celebrari. Et quidem S. Gregor. paulò antè citatus, postquam Liæ maioris, & Rachelis minoris euoluit mysterium, ita prosequitur; Quia contemplatiua vita minor quidem tempore, sed merito maior est, quàm actiua, sacri Euangelij verbis ostenditur, in quo duæ mulieres diuersa egisse re-

Rector animarum vitā actiuā fundeat.

S. Prosper.

Zelus animarum.

Pro proximis nō negligenda salus propria.

S. Hildebert.

ad Philip. 2.

Inutilis & indecens religioso cura

S. Gregor.

Vita contemplatrix actiua antepenitur.

feruntur. Maria quippe Redemptoris nostri verba audiens ad pedes illius residebat; Martha autem corporalibus ministeriis insistebat. Quid verò per Mariam, quæ verba Domini residens audiebat, nisi contemplatiua vita exprimitur? Quid per Martham exterioribus obsequiis occupatam, nisi actiua vita signatur? sic ille. Quantum subinde Rachelis pulchritudo, & Mariæ quies ad pedes Domini, & laudari, & amari debeat, sic vlteriùs ex verbis Domini ostendit: Marthæ cura non reprehenditur, Mariæ verò etiam laudatur: quia magna sunt actiuæ vitæ merita, sed contemplatiuæ potiora. Vnde nec auferri vnquam Mariæ pars dicitur, quia actiuæ vitæ opera cum corpore transeunt, contemplatiuæ autem gaudia meliùs ex fine conualescunt. hæc Pontifex.

Lucæ 10.

S. Gregor.

11. Itaque pulchrior, & amabilior est Rachel, & longè quietior, & dulcior vita contemplatrix Mariæ, hoc est, animæ ad pedes Domini assidentis, Deum audientis, & cum Deo familiariter sermocinantis: quapropter & illius cura & studium laudabili alioqui Marthæ ministerio, & fœcunditati Liæ præferri debet. quod etiam sanctissimus Doctor in Ezechielis visione sic statim distinguit. Hoc Ezechiel exprimit, cum volantia animalia contemplans ait: *Et similitudo manus hominis sub pennis eorum erat.* cap. 1. Quid enim per pennas animalium, nisi contemplationes possumus sentire sanctorum, quibus ad summa transvolant, & terrena deserentes, sese in cælestibus librant? Quid per manus, nisi operationes accipimus? Qui cum in proximi amore se dilatant, & bona quæ præualent, etiam corporaliter administrant. Sed manus eorum sub pennis sunt, quia sua opera virtute contemplationis vincunt. S. Gregor. Itaque symbolicis illis figuris animalium animæ iustorum significantur, per alas sublimia volantes contemplatio; per manus suppositas alis bonorum operum cura; & solicitum ministerium figuratur. Potior quidem contemplatio est, quàm operatio, vti alæ manibus superponi videntur: sed illa insuper esse potest actiua, quia vti manus alam sustinet, ita vita actiua contemplantem adiuuat, & ad volandum, quiescendumque cum Deo fulcit. Vana siquidem, & inutilis, ea contemplatio videbitur, quæ bonarum operum fulcimento non roboratur: otium enim tunc otiosum; Mariæque ad pedes Domini assessio, Marthæ ministerio destituta, Dominum nec laudat, nec honorat. Idcirco toties à cœlesti Sponso, qui adhuc in terris agit, à somno ad vigiliam, à quiete ad actionem excitatur sponsa. Amor enim (inquit S. Bernard.) qui otiosus esse non potest, de his quæ Dei sunt solicitat, & suadet. Ideo sponsa audit, vt surgat, & properet. *Cantic.* 2. haud dubiom, quin ad animarum lucra. Hoc siquidem verus zelus, & casta contemplatio habet, vt mentem, quam Diuino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo, & desiderio acquirendi Deo, qui eum similiter diligant, vt otium contemplationis pro studio prædicationis libentissimè intermittat. hæc ille, *serm.* 57. *in Cant.* Nimirum qui non sua quærit, sed quæ Dei sunt, Rachelis pulchritudini anteponat interdum necesse est fœcunditatem Liæ, paulisperque intermisso contemplandi, & assidendi ad pedes Domini otio ad docendum & regendum Domini gregem descendat, ipsique in proximorum cura, & solicitudine administret. Laboriosum quidem istud est opus, sed tamen valde fructuosum.

S. Gregor.

Actio non potest esse otiosa.

S. Bernard.
Cantic. 2.

Pro zelo animarum relinquitur contemplatio.

12. Quare optimè S. Gregor. suæ interpretationi adhuc insistens hæc apponit: Rachel visum principium; Lia autem laboriosa dicitur. In contemplatione quippe principium, quod Deus est, quæritur: in operatione autem sub graui necessitatum fasce laboratur. Vnde & Rachel pulchra, sed sterilis; Lia autem lippa est, sed fœcunda: quia nimirum mens cum contemplando otia appetit, plus videt, sed minus Deo filios generat. Cum verò ad laborem prædicationis se dirigit, minus videt, sed amplius parit. hæc ille, *lib.* 6. *moral. cap.* 18. Hunc sanè fructum in sobolis amans, & quærens aliquando S. Bernard. Rachelem suam, & Mariam, hoc est vitæ quietioris contemplationem remittens, aiebat: Patienter auellor ab infœcundæ Rachelis amplexibus, vt de Lia mihi exuberent fructus profectuum vestrorum: minimè pigebit me intermissæ quietis pro cura sermonis, cum videro in vobis germinare semen meum, atque ex eo augeri incrementa frugum iustitiæ vestræ. Charitas enim, quæ non quærit, quæ sua sunt, id mihi iam dudum facilè persuasit, nil scilicet desiderabilium meorum vestris præferre vtilitatibus. hæc S. Bernard. Cæterùm, & illud in doctrinam cedit egregiam, quòd Lia prior nubit, deinde Rachel, vti ordo inter actionem, & contemplationem obseruandus innuatur. Post Liæ ergo (adiungit S. Gregor.) amplexus ad Rachelem Iacob peruenit; quia perfectus quisque antè actiuæ vitæ ad fœcunditatem iungitur, & pòst contemplatiuæ ad requiem copulatur. sic ille. Ab actione itaque procedendum viro iusto est ad contemplationem: celebrandæ in primis cum Lia fœcunda nuptiæ, deinde cum Rachele speciosa. Nec enim ita quis in externis actionibus sensum omnem, animúmque defigere debet, vt amorem Rachelis deleat, illiúsque desiderium prorsus extinguat: sed post collectum feliciter bonorum operum fructum ad otium contemplationis recurrendum est. Nam rursum (aduertit S. Bernard.) anima potita votis aliquatenus in hac parte tanto ardentiùs redeat in idipsum, quanto se fructuosiùs intermisisse meminerit, & item sumpto contemplationis gustu valentiùs ad conquirenda lucra solita alacritate recurrat. hæc ille.

Zelus animarum in prædicatore.

S. Bernard.

D. Gregor.

Actio contemplationem præcedit.

S. Bernard.
Post actionis fructum ad contemplationem recurrendum.

13. Verumenim verò (cum religioso, & docto viro agimus) tria hæc perenni alternatione versare opus est, vt oret, contempletur, & prædicet, quæ in tribus (autore eodem Bernardo) commendantur, & designantur vocabulis, quibus à Domino compellatur sponsa: *Veni amica mea, columba mea, formosa mea,* Cantic. 2. Etenim (inquit) meritò *amica* dicitur, quæ sponsi lucra studiosè, ac fideliter prædicando, consolendo, ministrando conquirit. Meritò *columba*, quæ nihilominus pro suis delictis in oratione gemens, & supplicans Diuinam sibi non cessat conciliare misericordiam. Meritò quoque *formosa*, quæ cœlesti desiderio fulgens, supernæ contemplationis decorem se induit, horas duntaxat, quibus commodè, & opportunè id potest. ita S. Bernard. Triplex hoc studium apprimè conuenit viro iusto, vt bene operetur, gemendo oret, & contemplando quiescat: illaque domus, & familia felici instituto procedit, in qua operando, lugendo, & contemplando, sua tempora, suáque studia rite designata obseruantur. Qualis planè fuit domus illa Domini Iesu ingressu & hospitio toties consecrata. quod statim S. Bernard. animaduertit: Sed & illud (inquiens) vide si valeat coaptari huic triplici voius animæ bono, de tribus videlicet personis illis in domo vna commanentibus, amicis vtique Saluatoris, & admodum familiaribus ei Martham loquor ministrantem, & Mariam vacantem, & Lazarum quasi gementem sub lapide,

Tria exercentur à religioso, oratio, contemplatio, prædicatio.

S. Bernard.

Cantic. 2.

S. Bernard.

lapide, & resurrectionis gratiam flagitantem. hæc ille. O felix anima, quæ sic in Dei obsequium, & sui ipsius profectum tria hæc studia diligenter excolit! Profectò (vti concludit S.Bern.) & salutabitur, vt *amica*; consolabitur, vt *columba*; amplexabitur, vt *formosa*. Perfectus omnis reputabitur, in cuius anima tria hæc congruenter, atque opportunè concurrere videbuntur; vt & gemere pro se, & exultare in Deo nouerit, simul & proximorum vtilitatibus potens sit subuenire, placens Deo, cautus sibi, vtilis suis. hactenus ille, *serm. 57. in Cant.* Studeat igitur, & obnixè, constantérque nitatur anima religiosi viri, vt amicam, vt columbam, vt formosam, se Deo suo exhibeat, vt placeat Deo, caueat sibi, prosit aliis. Hæc siquidem tria perfecta consummatam reddunt vitæ religiosæ perfectionem.

S. Bernard.

Placens Deo, cautus sibi, vtilis aliis.

Tria perficiunt religiosum.

14. Quanquam & illud verum sit multò esse periculosius externis, & forensibus Liæ infirmioris, ac deformioris, etsi aliquando fœcundioris, operibus, & negotiis implicari: longè autem securius in religioso secessu Rachelis omni ex parte formosæ, & spectabilis dulcissima quiete, Diuinam speciem contemplando potiri. Quamobrem errat, errat (vt scribit S.Petr.Dam.) qui confidit se sibi monachum esse, & curiæ deseruire. Vndis erutus sanus est piscis, non vt sibi viuat, sed vt alios pascat. Vocamur, attrahimur, sed vt aliis viuamus, moriamur nobis. Amat venator ceruum, sed vt sibi faciat cibum; persequitur lepusculos, sed vt ipse bene sit, illi nihil sint: amant & homines nos, sed non nobis; sibimet diligunt, in suas nos vertere delicias concupiscunt. hæc ille, *lib. de omnipot. cap.* 1. Egregium sanè documentum, atque vtinam illo edocti seculum, & secularia omnia refugeremus, qui Deo soli vacare, & militare spopondimus. Fieri nequaquam potest, vt Liæ lippitudinem haud contrahat, qui nimiùm illos consuetudine implicatur; & secularia pertractans negotia seculari puluere lutóque non inspergatur. Forte id erat vnum maximè, quod regius Vates ad stuporem, & dolorem sui, & mortalium addocebat. *Filij hominum vsquequò, &c.* Psalm. 4. Hebr. *Beni isch ad mech chebodi liclimmah* בני איש עד כבודי לכלמה. *Filij viri vsquequò gloriam meam in ignominiam?* Legunt alij: *Viri religiosi mei*, vel *viri gloria mea*. Interpres Latinus loco istorum posuit *graui corde*. Deinde, *vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Quod etiam ponitur in Hebræo סלה, additúrque *sela*: quæ dictio vt peritiores dicunt, erat velut interiectio tantùm indicans in eo puncto vocem in cantu eleuandam esse præ stupore alicuius mysterij, quod in præcedentibus innuebatur. Igitur Propheta exclamare videtur in persona Dei: O homines, quorum est genus tam gloriosum, qui Patrem habetis Deum, qui ad æternam beatitudinem nati, itáne verò vestram nobilitatem sic abiicitis, vt rerum cœlestium obliti ad cupienda, ad amanda, ad pertractanda quæcunque in mundo sunt vilia, & nihili, vestrum omne studium, & curam conferatis? mittamus ergo secularibus secularia: tractent fabrilia fabri: nos isti quærunt religiosos, non vt à nobis Diuina petant, sed vt nobis terrena ingerant. Quàm multi (proh pudor!) ex secularibus veniunt ad nos, vt fiant ditiores: quàm pauci, vt fiant meliores? Quare non glorietur religiosus de frequentia secularium aduentantium: doleat potiùs, ac ploret vicem suam, quod cum viro religioso seculares de seculo agere; & ab illo terrena, non cœlestia sperare, peteréque audeant.

Vita contemplatiua tutior, ac dulcior.

S. Petr. Dam.

Nocent religiosis secularia negotia.

Psalm. 4.

Dedecet hominem cœlo natum terrenis implicari.

Seculares pro secularibus adeunt religiosos.

15. Est & aliud in his sororibus mysterium

A non obscurè significatum, vti Patres edocuerunt. Et quidem Lia (inquit S. Ambros.) lippientibus oculis synagogæ accepit figuram, quia Christi gratiam videre non potuit hebetato debilis mentis obtutu. *serm. 19. in Psalm. 118.* vbi Rachelem pro Ecclesia Christi accipit. In eodem sensu loquitur S.Cyrill.Alex. Cœlestis (inquiens) sponsus Laban filias, hoc est synagogam, Ecclesiámque accepit. Primam enim synagogam Iudæorum, Lia significatam, quæ laborans, renouatáque interpretatur, sibi Christus coniunxit. Laborauit enim cùm ab Ægyptiis diutissimè opprimeretur. Sed Rachel, hoc est, Ecclesiam gentium magis dilexit. Liæ oculi imbecilles fuerunt, Rachel pulchra

B specie, formosáque vultu vehementer erat. Nam de Iudæis fatur Christus: *Dimitte eos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Matt. 15. *Vestri verò beati oculi, quia vident, &c.* Luc. 10. hæc S.Cyrill. *lib. 11. super Genes.* Deinde vberiùs explicat disparitatem Synagogæ, & Ecclesiæ: Ergo (ait) imbecillitatem oculorum Iudæorum oculi Liæ repræsentant, cum nullo pacto Saluatorem humani generis Christum inspicere potuissent. Sapientiam verò gentium, quæ in Christum crediderunt, pulchritudinémque, atque acumen ingenij, rerúmque præclarè gestarum celebritatem Rachelis illa pulchritudo, venustásque præ se certissimè fert. Nam ad Iudæorum Matrem Isaias clamitat: *Ecce non sunt oculi tui, neque cor tuum pulchrum*, cap. 1. ad Ecclesiam verò gẽtium Christus inquit: *Oculi tui columba sunt.* Cant. 2. *Concupiuit eum decorem eius.* Psal.

C 44. hæc ille. Non mudo autem synagoga, cuius Lia typus est, debilitate, ac lippitudine oculorum laborauit, eo quòd in lege scripta omnia (vt ait Apostolus) in figuris contingebant illis, videbántque per ænigmata rerum futurarum; erat quippe adhuc nox, & in vmbra mortis viuebant antiqui mortales, antequàm Sol iustitiæ Christus IESVS de Virgine Matre, vti aurora oriretur, *illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Luc. 1. verùm etiam moltò grauior, ac turpior lippitudo synagogæ apparuit, cum orientem ex alto solem, terrasque immensis suarum virtutum splendoribus illustrantem, irretorto oculo, sanóque; &

D puro Iudæi contueri non potuerunt, seu potiùs noluerunt; quin etiam cæco, ac furiali impetu autorem vitæ peremerunt.

Lia synagogam, Rachel Ecclesiam significat.

S. Ambros.

S. Cyr. Alex.

Lucæ 10.

Matth. 15.

S. Cyrill.

Iudæorum cæcitas, Christianorum acumen.

Isaiæ 1.

Cantic. 2.

Psalm. 44.

1. Cor. 10.

Lucæ 1.

16. Et quidem appositè lippis oculis erat synagoga, non quidem prorsus exoculata, & cæca; tunc enim excusationem haberet de peccatis suis, sed oculis vitioso humore suffusis malè affecta: intuebatur quidem, nec aut negare, aut dissimulare poterat Diuinitatis in Christo constantissima, & clarissima testimonia, sed inuidia, odióque excandescens in Magistrum, in Pastorem, in Regem, Deúmque suum maligna, iniusta, crudelísque potiùs extitit, quàm cæca. *Nunc autem & viderunt, & oderunt me gratis* ait Dominus. Ioann. 15. Celebris quidem hæc est apud Patres interpretatio, vt

E etiam ex Victorino martyre in Glossa ordinaria refertur, cuius hæc sunt verba: Victorinus martyr, Rachel, & Liam, in similitudinem Ecclesiæ, & synagogæ interpretatus est. Liam maiorem natu, synagogam significare existimat, quæ prior populum Dei genuit, quæ oculis lippa dicitur, quia lex per Moysem data cooperta est, & signata: Rachelem minorem, & pulchram, quia priùs sterilis fuit, pòst fœcunda, Ecclesiam indicare, quæ tempore posterior, & sancta corpore, & spiritu, cuius oculi decori, quia Euangelium videre meruit hæc in Glossa. Itaque Dominus Iesus in Iacob signifi-

Synagoga potius maligna, quàm cæca.

Ioan. 15.

Christiani barbarorum tradit.

dicanda insurgit Dei iustitia; & qui agnum offē-derunt, innumeris facti soot leooibus præda, cuiusmodi fuerūt Gotbi, Vandali, Mauri, Torcæ, & seliqua bestiarum, & monstrorū multitudo, quæ sæpius io Cbristianum orbem ad miserabile, infandūmque exitium inundauit. Factáque proinde fuit sylua belluarum, quæ Domini Iesu noluit seges esse, bortúsve irriguus, aut paradisus voluptatis.

10. Reliquit Dominus illam speluncam ferarum. Nam quæ conoentio egno cum lupis, & oui cum leonibus, Christo cum Belial? Transtulit verò gloriam suam ad gentes, in quibus Racbelem, hoc est ouē, inoenit, cui agnus sempiteroo amore copulatus est. Enimoero Catholica Ecclesia ouile est uoium, & agnotum, quam scilicet Dominus Petro sui emosis, & honoris in terre Vicario commēdens aiebat: *Pasce agnos meos*; iterúmque: *Pasce oues meas*. Ioan. 21. Itane verò contestatum reliquit Dominus in cælū statim rediturus in sua Ecclesie præter agnos & oues è Petro pescendos, amplius nihil inueniri? Vbi ergo lupi, qui aliena diripiunt; vulpes, qoæ fraudes iutentant, dolósque machinantur? vbi equi ad libidinem adhinnientes, porci fœdissimarum voluptatum incubantes volutabro? vbi malitiæ veneno armati serpētes, atque bumano sanguine, & carnibus pasti leooes? Planè hæc, & similia monstra non sunt de ouili, de grege Cbristi. Non dictum est Petro: Pasce lopos, volpes, eqoos, porcos, serpentes, leones, & id genus bestias, quarū ferocitas, & inbumanitas ab agno Dei, atque illius spō-se Racbele, hoc est, oue procul aliena est. Ad oues enim, & egnos dicitur: *Beati mites, quoniā ipsi possidebunt terram*. Matth. 5. Cæterùm ne terrā à mitibus possidendam accipias istam, super quā militia est vita hominum: bellorū quippe area est, certaminom theetrum, litium, & controuersiarùm forum, iniuriarum denique, sepinarum, & cædium maledictus ager. Vix enim sine sanguine, vel soo, vel alieno, duo illius iugera securus vspiam homo possidet. Quam in sententiam sic Domini verba S. Hieron. interpretatur. Non terrem istius mundi, non terrem maledictā spinas, & tribulos afferentem, quam crudelissimus quisque, & bellator magis possidet, sed terrem, quā Psalmista desiderat diceos: *Credo videre bona Domini in terra viuentium*. Psalm. 26. sic ille. Possidebunt igitur mites terrā, io que bona omoia permenent; procul enim inde præcipirabitor mors in sempiternum. Ista verò, in qua degimus, terra mortuorū est, quippe cum in ea omnia orta occidant, & aucta senescent, & senescentia pereāt, & pereuntie sepeliantur. At vioentiū terræ possessor (adiongit S. Hier.) & post victoriam triumphatur, etiam in Psal. 44. describlitur: *& intende, prosperè procede, & regna, propter mansuetudinem & iustitiam*. Nemo enim terram istam pes māsuetudinem, sed per superbiam possidet. hæc S. Hieso. *in Matth.* 5. At verò tesrā promissem mansuetis, benedictam illā possumns accipere, in qua omnis diuinitatis plenitudo habitauit corporaliter, & omnes diuini Spiritus gratiæ, donáq; pullularunt; nimirum sacrosanctum Domini Iesu corpus, cuius visu corporea, & ad illius exemplar, gloriæ, atque immortalitatis, dotes erunt corporibus beaterum mentium diuinitus impertiēdæ ob maosuetudinem, qua mansuetum, & humilē agnum iusti in bac vita sunt imitati. sic enim exponit S Hilar. Mitibus terræ hæreditatem pollicetur, id est eius corporis, quod ipse Dominus assumpsit, habitaculum. Et quia pes mansuetudinem mētis nostræ habitauerit Chsistus io nobis, nos quoq; gloria clarificati eius corporis vestiamur. hæc S. Hilar., *Can. 4. in Matth.*

In Ecclesia tantùm agni & oues.

Ioan. 21.

Feræ, ac monstra nō sūt de grege Christi.

Inhumanitas aliena à Christi Ecclesia.

Matth. 5.

Terra litibus plena.

D. Hieron.

Mitium terra viuentium.

Psalm. 26.

D. Hieron.

Psalm. 44.

Terra à superbis possessa.

Corpus Christi terra mitibus promissa.

S. Hilarius.

11. Portò autem Rachel, & polchritudine, & pudore, atque ipso nominis egregio symbolo, pulcherrimā, purissimam, atque sanctissimā semper Virginem Dei Matsē luculeotissime repræsentat, quæ dioinitus electa est in Filiam æterni Patris, in Matrē Diuioi Verbi, in Sponsā Spiritus sancti. Verùm ne abyssū gratiarū audaci conatu subintremus, humili tamē silentio relique ōnia venerātes, de nominis tantùm symbolica significatione in Deiparæ Virginis gratiam noonihil dicemus. Hæc enim vere, & vnice in mūdo Rechel, vna ouis, sempérque in omni statu cādidissima, & ionocentissima ouis extitit. Si enim vel in ipso suæ conceptionis momento maculā originalem habuisset, quî obsecro digna fuisset, quæ agnum Dei peremptorem omnis peccati ex suis visceribus iam ante conceptum ederet? Quod si nonnulli eliter opinantur, videtint ipsi ac timuerint grsoem illam censuram acutissimi omniū in dominicana famiba ingeniorum Caietani, qui D. Thomam commentetus, ad 1. 2. & q. 81. art. 3. hæc effatur: Er hæc bene notabis tu Thomista, ne oimio zelo, non secundùm scientiam accēsus erronęe dicas, quæ erronea nō sunt, cum de beatissimæ Virginis conceptione disputas, aut prædicas. Ita Caietan. in partibus D. Thom. Romæ impressis anno 1570 Accēduntur igitur (autore ipso Caietan.) sinistrè de cóceptione immaculata Virginis opinantes, zelo oimio, & non secundùm scientiam. Optimum ego illum summè debitum, ac secundùm vesam, ac diuinam sapientiam agnosco zelū in Deo ipso, qui Zelotes nominatur, quo accensus dignissimā illem, & sanctissimam Virginem, quem sibi Matsē ab omni æternitate delegerat, originali reatu maculari, ac teterrimi hostis inuri stigmate passus nō est. Profectò supremus gradus amoris, vt Plato, *dialog. de amore*, cōtestatur, & luce clariùs ipsa quotidiana experientia cōprobat, in eo maximè spectari solet, quòd parem & consortem amans nō admittat: quæ impatieotia consortis zelum efficit, & accendit.

Rachel typus B. Mariæ.

Astruitur conceptio immaculata B. Mariæ.

Caietan.

Caiet. pro conceptione immaculata B. Mariæ.

Deus Zelotes pro conceptione immaculata B. Mariæ.

Plato.

Zeli impatientia.

12. Huius rei ea ratio potissima videtur; quoniam amor simul atque subintrat in animā, totū cor occupat, totique animæ dominatur; ideóque animæ domicilium & cordis ostiū, omni vi, & præsidio cleudit, ac munit, oe socio, & cōsorti alicui vllus subinde ad sedem amoris pateat aditus. Quærit enim, & inducit vnitatem amor, & pluralitatem odit pariter ac nescit: nimirum vti dolor ex diuisione continui resultat, sic amor nascitur ex vnione; quid enim eliud est amor, quàm gluten, nexus, vnio, & vnites cordium, animarum, rerúmque alioqui dispasiū, ac distinctarum? quo fit, vt qoi emat, approprioquet ad sem ematam, io eam quodāmodo pulcbra, & suaui metamorphosi transformetur, adeóque illi aduniatur, & adhæreat, vt magis sit vbi emat, quàm in seipso. Vides naturā vímque amoris humani? Hinc altiùs mecum assurge. Eo quidem puncto æternitatis, quo ante omnia Angelorum, & hominum Christus Dominus fuit prædestinatus vti verus, & vnicus Filios Mariæ, simul ipsamet ante omnem creaturam prædestinata est, ob indiuiduam, ac necessariam coonexionem, quæ inter Matrem eiusdémque Filium intercedit; atque adeo primò, & maximè omnium creaturarum à Deo beatissima Virgo dilecta est, vtpote in verem Matrem electe, quippe cum (autore S. Ioan.

Damasce

Vis amoris, vnde nascitur zelus.

B. Maria cū Filio prædestinata.

S. Io. Damas.

A

Damasceno) decretũ huiusmodi prædestinationis ex ipso Diuino amore, sicut ex prima radice, fontéque oriatur: alloquens enim Virginem

Deus B. Mariam ab originali labe præseruauit.

Deiparam, hæc adiungit. Te rerum omniũ Deus dignã præuoscens amauit, amaram prædestinauit. sic ille, *serm. 1. de natiuit. Mar.* Quòd si Dei amor erga Virginem & primus, & maximus omnium fuit, qui fieri potest, vt Deus ille zelotes consortem in corde, animàque Virginis admitteret, imò, vt veriùs dicam, immanem bestiam, ac fœtidam in ea sedẽ figere, ante ipsius Dei ingressum pateretur? vt animam Matris suæ à diabolo maculari, captiuam fieri, filiam iræ, Deóque exosam reddi sineret? quæ quidem omnia, vt Matrem dehonestarent, sic in Filij dedecus, & & ignominiam redundarent.

Originalis reatus B. Mariæ Filiũ dehonestaret.

t 3. Itane verò, vt Deus omnipotens sibi domum ædificasset; at gehennale monstrum lucifer illam priùs incoluisset? vt ipsam diuinus Spiritus sibi despondisset, ornassétque, at illam teterrimus hostis in seruam occupasset? Melius quidem hominibus consultum ipse Dominus voluit, cum à militia illos dimittebat, de quibus ita cõstituitur. *Quis est homo, qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam? Vadat, & reuertatur in domum suã, ne alius homo eius fungatur officio. Quis est homo, qui despondit vxorem, & non accepit eam? Reuertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, & alius homo accipiat eã.* Deut. 20. Eritque istud Domini decretũ audiens, qui dicat, Deum æquo animo tulisse, vti suam sibi ædificatam domum teterrimus eiusdem hostis occupasset, primus habitasset, ac deturpasset? vt Virginem corpore, animáque sibi delectam in filiam, in matrem, in sponsam diabolus ancillam sibi, & fœdo reatus originalis charactere insignitam primus oppressisset? non patiar, non credam. Labe igitur omni cum anima, tum corpus beatissimæ Virginis caruit, vti decebat innocentissimã, & candidissimam, ouẽ, omninóque pulchram, & perfectam Rachelem, Spiritus Sancti Sponsam, Verbíque Matrẽ. Quocirca egregiè concludit S. Anselm. Nulli denique dubium est castissimum corpus, & sanctissimam animã eius funditus fuisse ab omni macula peccati, vtpote aulam, quam suus, & omnium creator Deus corporaliter erat habitaturus. *lib. de excel. Mar. cap. 3.* Hanc æternus ipse Pater omni ex parte perfectam in Virgine puritatem Filio suo cum de matre nasceretur commendauit. *In splendoribus sanctorum ex vtero ante luciferum genui te.* Psalm. 109. In splendoribus sanctitatum. neutrũ est illud (*sanctorum*) nec enim in Virgine Matre per vterum haud dubiè (vel ipsis Hebræorum doctoribus cõtestãtibus) significata visebatur aliud, aut vnquam extitit, nisi sancta, & pura omnia; quæ quidem talia non forent, si originalis macula præextitisset. Hæc enim prima vitiorum omnium radix, fons, & origo scelerum animæ, libidinum, ac turpitudinum corporis. Est quidẽ lues inferni, venenum, quo totus homo inficitur; tabes, qua corporis membra, sensúsque, & animæ facultates contabescunt. Tam execrandum igitur, & pestilens malum à Virgine Dei Matre procul abesse, quàm decet Matris honorem, tam decet Filij amorem.

Egregiè astruitur immaculata conceptio B. Mariæ.

Deuter. 20.

C

S. Anselm. *in B. Maria omnia pura & sancta.*

D

Psalm. 109.

Originalis labes fons vitiorum.

E

SECTIO V.

At illa festinans nunciauit patri suo. Qui cùm audisset venisse Iacob filium sororis suæ, cucurrit obuiam ei: complexúsque eum, & in oscula ruens, duxit in domum suam. Auditis autem causis itineris.

t- HOspitalis, officiosáque puella, & iam tunc mirificè affecta erga adolescẽtem modestum, robustum, peramantem, atque humanum (quarum omnium virtutũ perillustre specimen dederat) denique magna sibi propinquitate coniunctum, concito statim gradu domum regreditur, patríque Labano aduentum, & ingeniũ nepotis ex sorore Iacobi denuntiat. Nuntio lætus, & alacer auunculus egreditur in occursum Iacobo, nepotémque officiosissimè excipiẽs domum introducit, ab eóque discit, quæcunque ipse cum Esau egerat, & iussionem parentum de vxore petenda, & periculum suum, quæ scilicet causæ aduentus sui; & quæ in itinere, & ad puteum sibi acciderãt. Hæc omnia disertè in Hebr. & Chald. exprimuntur, quæ tamen Latinus interpres breuitati studens vno verbo complectitur: *Auditis causis itineris.* Et quidem homo barbarus, à veráque Dei veri cognitione alienus, egreditur tamẽ in occursum aduentanti peregrino, licet nepoti pietatis debitum officium præstiturus: at (ô pudor!) inter nos qui Christiani sumus, & filij Dei censemur, fratrésque inuicem nominamur, fratrum hodie concordia, & gratia rara est. Quinetiam (quod magis detestandum est) quotidie nouercalibus exardescunt odijs, & mutuis lædũtur fraudibus, quos natura vno ex vtero fratres produxit. Cum tamẽ iura omnia postulent, cogántque, vti (iuxta S. Ambros.) iungat gratia, quos iunxit natura, *lib. de Ioseph cap. 2.* At maior adhuc, & astrictior, & sanctior fraternitas ex Christi fide prouenit; quam furiosi, & amentes perenniter violamus. Nam vt subtiliter obseruat S. Aug. & habetur. *d. 14. q. 5. cap. Immolans:* Qui effundit sãguinem, & qui fraudem facit, necessariò fratres sunt. sic ille. Fraternitatis amorem primum omnĩum Christus Dominus in sua Ecclesia commendauit, cum Apostolatum institués, in primis duo fratrum paria ex omni genere mortalium elegit. *Matth. 4.* Ideò (vt animaduertit S. Chrys.) super fraternitatem charitatis Ecclesiæ composuit fundamenta, vt radicibus charitatis exuberans, quasi humor ascendat in ramos. hæc ille, *hom. 7. ex cap. 4. Matth.* Cæterùm, quæ morũ corruptela est in peius semper labentium, etsi radix Christianæ gentis fraterna extiterit charitas, iam nunc ad ramos ea virtus haud quaquã peruasit, quin isti omni exuto charitatis humore marcescentes in gehennales odiorum, iniuriarum, litium, fraudum, & interdum bellorum flammas exarserunt. Respiciamus ergo ad petram, vnde excisi fuimus, natiuam fraternæ charitatis pinguedinem pariter, ac dulcedinem à radice nobis auita petamus. Fratres Dominus nostræ fidei parentes primò instituit: & hoc (adiungit S. Chrys.) super naturalem charitatem, vt non solùm per gratiam, sed etiam per naturam ipsa charitas firmior habeatur. sic ille. Itaque prima Christiani ædificij cœmenta duplicatæ charitatis præsidio constabilita sunt, quippe fraternam charitatem ex ipso naturæ sanguine habuerunt, & vnius fidei, sub vno Deo Patre, ac Redemptore, in vna Ecclesia

B

C

Dissidium inter fratres.

S. Ambros. *Mutua discordia inter Christianos.*

S. August.

D

D. Chrysost. *Radix Christianæ Ecclesiæ charitas fraterna.*

Odia inter Christianos.

E

S. Chrysost.

Fundamentum Ecclesiæ duplicata charitas fratrum.

Ecclesia indiuiduum amorem, veréque Christianum addiderunt. Et quidem non solùm duo ista fratrum paria ad Ecclesiam suam Dominus primò vocauit, sed etiam vtrosque conciues in eodem oppido Galilææ voluit esse, ad maiorem scilicet fraterni amoris, & Christianæ charitatis firmitatē. Quo in sensu ita occurrit S. Chrys. *Vidit alios fratres, &c.* Matth. 4. Erant enim habitatione ciues, dilectione concordes, arte officij pares, fraternitate pietatis coniuncti. ideo sic vocauit & istos, ne tot bonis rebus coniunctos dissimilis vocatio separaret. sic ille. Igitur iā admirabili, omninóque perfecta concordia primorum Apostolorum, eiusdem nationis, eiusdem prouinciæ, eiusdem oppidi, eiusdem ministerij, piscaturæ scilicet in eodem mari, eiusdem ad Euangelium vocationis, parisque fraternitatis gens Christianorum fundata est.

S. Chrysost. Matt. 4.

Prima vocatio ad Apostolatum.

2. Neque verò illud mysterio caret, quòd prisca lex Hebræorum à duobus fratribus Moyse, & Aarone initium habuerit; at noua Christianorū in suis ipsa primordiis duo fratrum paria cum numero simul accrescente charitate recensuerit. quod ita euoluit idem Chrysost. Sic & in veteri testamento super Moysem & Aaron fratres posuit ædificationis initium. Quoniam autem abūdantior est gratia noui testamenti, quàm veteris, ideo primum populum ædificauit super vnā fraternitatem, hunc autem super duas. hæc S. Chry. Tamen cum longè abundantiora Diuinæ gratiæ præsidia Christi Domini meritis habeat populus Christianus, optimo iure maiorem ab illo ipse Dominus charitatis, in qua finis, & perfectio legis consistit, exigit solutionem. Quo in argumēto multa diuinitus dicuntur à S. Saluian. Massiliēsium Episcopo. paucula seligam. sic enim scribit, *lib. 2. ad Eccles. Cathol.* Plus exigit Deus nunc à Christianis per Euangelium, quàm à Iudæis antè per legem. Ideo enim maiora nunc Domino nostro soluimus, quia maiora debemus. Iudæi quippe habebant vmbram rerum, nos veritatem: Iudæi fuerunt serui, nos adoptiui: Iudæi acceperūt iugum, nos libertatem: Iudæi maledictum, nos gratiam: Iudæi literam, nos spiritum. hæc ille. Profectò ab eo, cui plura, & maiora donata sunt, consequenter plura, & maiora exigantur necesse est: & quidem Iudæis ita diuinitus prælati sumus, vt quod illis tantùm cupere, sperareque licuit, nobis videre, ac possidere concessum sit. Enimuerò (vt statim subiicit idem Saluianus) Iudæis seruus magister missus est, nobis Filius: Iudæi per mare transierunt ad eremum, nos per Baptisma intrauimus in regnum: Iudæi manna manducauerunt, nos Christum: Iudæi carnes auium, nos corpus Dei: Iudæi pruinam cæli, nos Deum cæli. sic ille. Quæ maior quæso gloria Christiano populo supra omnia priuilegia Iudæorum potuit aduenire, quàm vt magistrum habeat Filiū Dei, & (quod omnem excedit humani cordis cogitationem spémque) magnificentissimum Redemptorem? Qui nimirum (adiungit Saluianus) humiliauit semetipsum vsque ad mortem Crucis: non contentus scilicet simplicem pro nobis subire mortē, nisi ipsam voluntariæ necis susceptionem summorū suppliciorum perpessione cumulasset. Pro hoc igitur solo quid soluere homo poterit, cui se per vltimam pœnarum acerbitatem Christus impendit? hæc Saluian.

S. Chrysost.

Maior charitas & gratia legis Christianæ, quàm Mosaica.

S. Saluian.

Deo plus debet Christianus, quàm Iudæus.

Plura Christiano Deus cōcessit, quàm Iudæo.

S. Saluian.

Nimia redēptoris charitas erga hominem.

S. Saluian.

Homo redēptori suo non est soluendo.

S. Saluian.

3. Incomparabile quidem est beneficium redemptionis, cùm propter infinitam charitatem Dei, ex qua processit, tum propter sanguinem ipsius infinito valore pretiosum, qui pro redimendo homine effusus est; tum etiā propter innumerabilem multitudinem, incredibiliéque acerbitatem cruciatuum, & iniuriarum, quibus vsque ad mortem crucis affectus est Dei Filius. Si ergo Deus ita dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret occisum, & humiliatum vsque ad mortem, & ignominiam crucis, quid tandem homo redemptus retribuet Domino, pro omnibus, quæ ab illo accepit? Aut quid (apponit idem Saluian.) pro se dignum Domino repensabit, qui ipsum Deum, à quo redemptus est, Deum debet? Hæc ergo causa est, quare deuotiores esse nos Dominus sibi velit, quia tam magno deuotionem nostrā pretio comparauit. ita concludit antistes Massil. Mortē vtique Domini morte nostra (nec aliud maius præstare possumus) siniuere aliqua ex parte debemus. Quòd si moriendi occasio desit, hoc vnum exigitur: vt (autore ipso Saluiano) si debitum morte non soluimus, amore soluamus: affectu enim suo Dominus nos quasi amoris sui manibus admouit, vt agnoscentes dona sua, ac beneficia, intelligeremus, quid nos pro Domino tam bono facere conueniret, cū ille pro malis suis tanta fecisse comperiretur. hæc S. Saluian. *lib. 4. de vero iudicio, & Dei prouid.* Egregia sanè argumētatio. Si enim Deus hostes suos ita magnificis cumulat beneficiis, quid nos retribuemus Domino ipsi magnificentissimo, & clementissimo? Si Deus hominum iniuriis, ac sceleribus amorem, & sanguinem suum, & infinita beneficia reddidit, cur homines, si minus sanguinē, certè amorem ipsum totum Dei sui amori, ac beneficiis non rependent? Hoc vno contentus Dominus dicet: Diligite, & satis est, quia finis legis est dilectio: ea nimirum qua Deum super omnia diligimus, ac proximū sicut nosipsos; atque adeò illa, qua propter Deū inimicos diligimus, oramos pro persequentibus nos, & benefacimos iis, qui oderunt nos. *Matth. 5.*

Deum Deo redēptus homo debet.

S. Saluian.

Christo debemus mortem, & amorem.

S. Saluian.

Dei clementia erga inimicos.

Charitatem Dei charitati rependamus.

Math. 5.

4 Quem summum charitatis gradum, si non agnouit, nec exercuit Iudæorum populus, profectò à suo populo Christus non exigit: *Vt sitis (inquit) filij Patris vestri, qui in cælis est.* Matth. 5. Hæc enim potissima omnium ratio est ad comparandam huiusmodi propinquitatem, ac similitudinem cum Deo, videlicet cū diligimus inimicos ad exemplū Domini qui pro crucifixoribus suis orauit, & sanguinem fudit. Et quia pro inimicis mortuus nimiam suam (vt vocat Apostolus) charitatem commendauit, cum adhuc inimici essemus Deo, per mortem suam Deo Patri reconcilians: idcirco Filium se Patri suo vnicum ostendens audiit: *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam.* Psalm. 2. Illa nimirū sua dilectione, & Filium se Patri exhibuit, & cunctarum gentium dominium comparauit. quod Psalm 7. videtur insinuari, vbi Dominum vates excitat: *Exurge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorū suorum.* sensus est: Surge Domine, potentiam tuam excita, vires exere, sentiant hostes tui vltricem iram tuam. Sed quænam isthæc est ira Domini, & vltio irascentis? *Exaltare in finibus inimicorum suorum.* Hæc est ira tua, hæc vltio, tua scilicet exaltatio inter inimicos tuos. Pro inimicia enim (exponit S. Hier.) rogat, vt in inimicorū finibus exaltetur. Cum inimici esse cessauerint, tunc tu Domine exaltaberis in eis. sic ille. Conuertes igitur ad fidem tuam hostes tuos, facies de inimicis amicos, qui tuum amorem admirantes pariter ac venerantes te Deum suū verè agnoscent, ritéque adorabunt: tuam videlicet Diuinitatem, & omnipotentiam, ex nimia charitate tua,

Math. 5.

Charitas erga inimicos.

Christi charitas erga inimicos.

Psalm. 2.

Psalm. 7.

D. Hieron.

Conuertit Christus inimicos suos.

Mirà Christi patientia.

tua, & plusquàm humana patientia colligentes, quæ non in creatura, sed in Deo solo potuit inueniri. Vel etiam exaltare, amando, & benefaciendo: exaltatur enim Deus iuxta Isaiam cum hominibus beneficium confert, tantoque sublimiùs exaltatur, quanto sunt indigniores, quibus beneficia conferuntur. At verò S. August. victoriam, & triumphum Domini de diabolo, sub cuius tyrannide mortalium genus tenebatur, ad hunc modum intelligit: Non aduersus homines precatur, sed aduersus diabolum, & angelos eius, quorum possessio peccatores, atque impij homines sunt. Et quoniam pœna est, vt cuique auferatur possessio, in qoa dominari desiderat, hanc pœnam dicit iram Dei aduersus diabolum, vt desinat possidere, quod possidet. Fines dicit ipsam possessionem, vbi vult Deum exaltari potiùs, id est, honorari, & glorificari, quàm diabolum, dum impij iustificantur, & laudant Deum. hæc S. August.

D. August.

Triumphat Christus de diabolo.

5. Sequitur: *Et exurge Domine Deus meus in præcepto, quod mandasti, & synagoga populorum circumdabit te.* Quasi dicat: Surge Domine, prodique in aciem debellaturus orbem, sume arma tua, hoc est illud ipsum præceptorum omnium certè maximum antonomasticè mandatum tuum, quod tu ipse nobis iniunxisti. Quod tu (exponit S. Chrysost.) nobis lege constituisti, hoc etiam factis nobis exprime. nimirum iussisti nos non habere odio inimicos. hæc ille. Hac igitur via, quòd misericors Dominus non se vlciscatur de inimicis suis, sed eos amore suo donet, beneficiis cumulet, veniam iis, & misericordiam concedat, arbitratur Vates regius Christum Dominum eò tandem processurum, vt domet orbem non ferro, sed ligno, hominúmque genus (vocat synagogam populorum) ad se pertrahat, faciátque ex inimicis amicos, & filios charissimos, atque obsequentissimos. Pudeat nunc hominem Christianum vindictæ rabie, furoréque percelli, cum antè oculos habeat Dominum crucifixoribus parcentem; & ignoscendo quidem, non vlciscendo gloriosissimos agere de vniuerso orbe triumphos. Peculium habet, ac thesaurum possidet, quisquis habet inimicos, ex quibus incomparabile lucrum comparabit. Probè id intelligens Dauid eodem Psalmo aiebat: *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis.* Non sibi malè imprecatur Dauid; sed quod contingere solet iis, qui sese vindicant, vaticinatur: qui enim reddunt retribuentibus sibi mala, iure optimo decidunt inanes ab inimicis: hoc est, à tam diuite illo thesauro, quem in manibus habebant, vacui sine vllo quæstu, vel obolo quidem, aut teruntio euadunt. Hebr. *Recham* ריקם *Fatuus*: quis enim æquè fatuus, & demens, atque is, qui inter thesauros nescit, aut non vult ditescere? Ait igitur Vates regius: Si reddidi malum pro malo, si meas vltus iniurias fui, & (vti legit ex Hebr. S. Hieron.) *si dimisi hostes meos vacuos*, hoc est, si non multis & magnis affeci hostes meos beneficiis, illud mihi, quod fatuo, continget, vt ingentia; quæ facilè ex inimicorum dilectione, atque iniuriarum tolerantia colligere possem si vellem, abire, periréque per summam ignauiam patiar emolumenta. Non fabulam ex his emolumentis necto, quæ dico ex inimicis prouenire. An non Zacharias diuino afflatus Spiritu concinuit: *Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos?* Luc. 1. Enimuerò vti Deus omnipotens de manu Pilati, Pharisæorum, atque Dæmonum, qui omnes in Christi sui sanguinem, & cædem conspirarunt, de tam horrenda, ac sacrilega iniquitate salutem humani generis collegit: sic

Ben. Fernand. in Genes. tom. 5.

Psalm. 7.

Charitas Christi erga inimicos.

S. Chrysost.

Christus amando inimicos mundum subiugauit.

Parcendo, non vlciscendo Christus triumphauit.

Psalm. 7.

Thesaurus iusto est inimicus.

Ingens lucrum ex inimicis.

Lucæ 1.

ex iniuriis, conuiciis, dolis, ac violentiis inimicorum, à quibus diuexamur, si Christiana patientia toleramus, multa nobis, & magna eiuit bona, & (quod omne pretium excedit) salutem animæ sempiternam. Sic Mardochæus de Aman odiis, & persecutionibus insignem à rege Assuero dignitatem extulit. *Hester* 8. & ex iniuriis, & ignominiosissima Semei maledicentia Dauid regni sui recuperationem lucratus est gloriosissimam. 2. *Reg.* 16.

Hester 8.

2. Reg. 16.

6. Profectò, vt rem summam conficiam, hac vna inimicorum dilectione, vti à Domino audiuimus, in filios Dei assurgimus. At quis in cælum tutior, ac certior commeatus, & tessera, quam filium Dei nominari, Diuinóque huiusmodi stemmate insignitum valuis se repræsentare cælorum? securiùs in cælum graditur, qui diligendo in terra inimicos filium Dei se præbuit. Non illum manet iudicium, ac ratio strictè seueréque exigenda. id quidem seruorum est, non filiorum. Loquor equidem ex Euangelio. *Simile est regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis.* Matth. 18. En tribunal, iudicium, examen, exigendæ rationis horribile spectaculũ, sed tamen cũ seruis tota res est. & quidpiam simile apud Matth. 25. legitur. Contra verò filius ille patrimonij sui dissipator, non minùs vitiorum sordibus, quàm miseriarum ignominiis coopertus, audet sese iterum dare in patris conspectum, quem offenderat, quem reliquerat, cuius patrimonium in ganeis, & lupanaribus consumpserat, cuius nobilitatem, ac nomen porcarius dedecorauerat: *Ibo* (inquit) *ad Patrem meum, & dicam, Pater, &c.* Luc. 15. Nec tamen pater conqueritur, expostulat, irascitur, aut saltem in turpitudinibus exactæ vitæ rationem à prodigo, & perdito exigit; quinimò errata omnia condonat; quia hic filius meus perierat, & inuentus est: debetur quippe filio patris indulgentia: cum titolo filij inseparabiliter coniuncta est omnium venia erratorum. Neque verò dicere omittam ad verba Regij vatis, quibus commentandis tandiu immoramur: hic hostes a Propheta appellari, non tam sibi infestos, quam Deo iniuriosos, quorum non quidem naturam, sed improbitatem odit, & vt puniatur, exposcit. Hinc optimè ad eadem verba subinfert S. Chrysost. Magna est autem iusti virtus, quando eosdem habet Dei inimicos, & eosdem amicos: quemadmodum magnum vitium, quando Dei amicos inimicos, & inimicos amicos habeat. Quemadmodum ergo Deus dicitur habere inimicos, non odio habens, neque eos auersans, sed improbas eorum actiones, abhorrens: ita etiam iustus habet inimicos, non eós vlciscens, sed improbitatem auersans. hæc ille. Hæc est iustorum, cum malè afficiuntur, vindicta: peccatum in homine, non hominem oderunt, ac vindicari deprecantur: quod quidem insignis testimonium est amoris. O admirabilem Diuinæ gratiæ in homine virtutem: vt iniustum odium spontaneo, ac non promerito amore Christianus exoluat!

Charitas erga inimicos filium Dei facit, cæloque donat.

Matth. 5.

Matth. 18.

Deus à seruis, non à filiis rationem exigit.

Lucæ 15.

S. Chrysost.

Iusti est Deo communicatio cum amicis, & inimicis.

Odium non in hominem, sed in peccatum hominis.

7. Quo in argumento præclarum illud est, quod in verbis sponsæ inuenimus: *Vulnerauerunt* (ait) *me, percusserunt me, tulerunt me custodes murorum.* Cant. 5. Quid quæso vel ad dolorem, vel ad contumeliam grauius, & indignius? spoliatam, contusam, & concisam, sanguine vbertim effuso madentem se videns adolescentulas ad eiolatum accitas compellat: Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum, vt nuncietis ei. Sic affatur socias, commendat obnixè, vt sponso nuncient. Quid obsecro? An sponsam vulneribus concisam, fluente sanguine, penéque fugiente anima cum

Cantic. 5.

Iustus non queritur, non vlciscitur.

Cantic. 5.

ipſa iam morte colluctari? Nuncient igitur, vti properet, accurrat, ferat opem iacenti moribundæ? Vt iuſto armatus zelo tantum carnificum facinus, eorundem ſupplicio, ſanguine, cædéque ad ſolatium curet dilectæ expiari? Non ad eiulatum inuitat: non triſtia, non indigna, non virulenta, non vltionis mandata ſocius ad ſponſum defert. Vt nuncietis (inquit) ei, quia amore langueo. O nouum, & inauditum ſeculis prodigium! ô Deo Patre filiam, Deóque ſponſo, ſponſam longe digniſſimam! Nunciate dilecto, quia amore langueo. Læſa quidem fui, iaceo volutata in ſanguine, vulnerum acerbiſſimis diſcrucior doloribus, iniuriis, contumeliis, rapinis per ſummam violentiam, & iniuſtitiam afflictata ſum: ſed non indignor, non iraſcor, non vindictam expeto. Nihil poſt vulnera, ſpoliationem, ignominiam, dolorem, ſanguinem aliud in pectore, quam amorem inuenio. Hanc igitur vulneratæ, læſæque ſponſæ dilectionem nunciate; qua vna ille permotus forte non amplius amantem, & ſequentem fugiet; quin expertus ſuam in ſponſa virtutem, quòd amorem odio, iniuriis beneuolentiam rependit, ſeſe tandem mihi & inueniendum, & videndum, ac tenendum præbebit. Nec irrita ſponſæ verba, & vota. Sic illico ſponſum offendit, tenuítque, cuius vno conſpectu ſanitatem conſecuta eſt. Etſi autem hæc omnia ita ſe habeant, nihilo tamen minùs ſibi caueant ab vltrice Dei potentia, qui malè iuſtorum abuſi tolerantia illos violenter opprimunt. Enimuero (vti monet S. Saluian.) benigniſſimus Dominus communem ſibi cum ſeruis ſuis honorem ſimul, & contumeliam facit, ne quis cum læderet Dei ſeruum, hominem tantùm a ſe lædi arbitraretur: cum abſque dubio iniuriis ſeruorum dominicorum Dei admiſcetur iniuria; teſtante id ſuis Deo affectu indulgentiſſimo. *Qui vos tangit, quaſi qui tangit pupillam oculi mei.* Zachar. 2. hæc ille, *lib. 8. de vero iudic. & prouid.* Communis quidem, & vna cauſa eſt Dei, & ſeruorum Dei. Exultent illi, & triumpheot, cum Deo ſuo ſimul affligi: at perſecutores timeant; rem enim habent cum Deo, Deum affligunt Dei ſeruos affligendo.

Mira hominum patientia.

Similis Deo qui patiens eſt.

S. Saluian.

Communis cauſa Dei, & ſeruorũ Dei.

Zachar. 2.

Deum lædit ſeruorum illius læſor.

8. Cæterùm mirabitur aliquis, quid ſit, quòd ad Labani fores tandiu Iacobum remoremur, tam longè, latéque commentando expatiaremur. Conſulto facimus: locus eſt enim de iuſtorum patientia & dilectione, atque de improborum iniquitate, & violentia; quorum omnium non alibi facilè inuenies, quàm hoc loco, illuſtriora teſtimonia. Ingreditur iuſtus ad iniquum, patiens, & innocens ad tyrannum & carnificem. quo in argumento amborum deinde hiſtoria tota excurret; minuſque iam in conſequentibus huiuſmodi commentationibus negotium Iacobi apud Labanum patientia, & iniquitas Labani iuſtum diuexantis faceſſet. Ingrediamur ergo domum Labani, in qua rerum iſtarum illuſtriſſimum ſpectaculum exhibebitur: ſed ante ingreſſum oſtij conſiderari oportet Rachelis pietatem erga peregrinum, quem patri ſuo tam claris virtutum nominibus commendauit, vt permoueret patrem foras egredi, aduentantique hoſpiti ruere in amplexus. O egregiam Iacobi peregrini, & laborantis patronam, & aduocatam Rachelem! Sed vmbra fuit Rachel, veritas ipſa Maria Dei Genitrix, quæ mortalium in hoc ærumnoſo lacrymarum exilio degentium vnica eſt poſt Deum ſpes, vnica fiducia. Ducebat nubes Iſraeliticum populum de Ægypto ad promiſſam cælitus regionem per inuia & aſpera ſolitudinum æquora peregrinantem; at ô pia Virgo, nubes (ait Andreas Cret.) tota lucida, & mons vmbroſus, non adumbrans ingratum populum Iudæorum, ſed electum Dei populum, gentem ſanctam maternis ſuis tædis illuſtrans: te vniuerſus mundus continet commune propitiatorium. ſic ille, *de dormit. Virgin.*

Rachelis pietas B. Mariæ pietatem adumbrauit.

Andr. Cret.

B. Maria mũdi propitiatorium.

9. Talem ſcilicet noſtra imbecillitas, & miſeria matrē expoſcebat, talem ab ipſo Deo Filio eius accepimus, cum diſcipulum totius humani generis gerentem vices Virgini parenti commendauit: *Mulier ecce filius tuus.* Ioan. 19. Diſcipulus enim (adnotauit S. Laur. Iuſtin.) typum gerit Eccleſiæ. Hanc in perſona diſcipuli tibi (ô Mater) relinquo, tuis informationibus erigetur, tua protectione ſolidabitur, atque ex præſentia tua deperditas, ſi quæ fuerint, recuperabit vires. Volo igitur vt illam de cætero in filium habeas. hæc ille, *lib. de triumph. Chriſti agon. cap.* 18. Et quidem peccatori difficilis ad Deum aditus videbatur. Cur enim reus conſpectum iudicis non formidet? Opus eſt (inquit S. Bernard.) ad Deum mediatore, nec aliter nobis vtilior, quàm Maria. Nihil auſterum in ea, nihil terribile, tota ſuauis eſt, plena omnia pietatis, & gratiæ, plena manſuetudinis, & miſericordiæ, quæ ad eam pertinent inuenies. Omnibus copioſiſſima charitate debitricem ſe fecit, omnibus miſericordiæ ſinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi. hæc S. Bernard. *ſerm. ſuper Signum magnum.* Trahit illa de longè, ducítque ad Deum venientes, introducit in regiam Patris cæleſtis, ac placabilem, & miſericordem pœnitentibus Deum, quem antè offenderant, reddit. Hanc Deiparæ Virginis potentiam pariter & humanitatem, vt perpetuò experiuntur, ita miris efferunt laudibus, & celebrandam, atque implorandam fidelibus viri ſanctiſſimi, & doctiſſimi commendant ſuo nobis exemplo. Satis nunc erit S. German. Arch. Conſtant. qui tam dulciter Virginem Dei Matrem affatur: O mihi ſola Domina mea ex Deo conſolatio: ardoris, qui eſt in me, ros diuinus, exſiccati mihi cordis diuinitus irrorans aſperſio, tenebroſæ animæ meæ lampas lucidiſſima. Vires meæ imbecillitatis, nuditatis amictus, opes mendicitatis, immedicabilium vulnerum curatio, lacrymarum ablutio, requies gemituum, alleuatio dolorum, vinculorum ſolutio, ſpes meæ ſalutis, & bonorum omnium remuneratio. hæc ille, *de præſ. Virgin.* nimirum ad omnia theſaurum poſſidet, qui piè Virginem Matrem colit, qui in protectione Virginis Deiparæ commoratur.

Ioan. 19.

S. Laur. Iuſt.

B. Maria Eccleſiæ Mater.

S. Bernard.

B. Maria peccatoribus dulce patrocinium.

B. Mariæ pietas celebratur à ſanctis viris.

S. German.

Bona omnia à B. Maria.

Theſaurus eſt pietas erga B. Mariam

SECTIO VI.

Reſpondit: Os meum es, & caro mea. Et poſtquam impleti ſunt dies mēſis vnius, dixit ei: Num quia frater meus es, gratis ſeruies mihi? dic quid mercedis accipias. Habebat verò duas filias, nomen maioris Lia: minor verò appellabatur Rachel. Sed Lia lippis erat oculis: Rachel decora facie, & venuſto aſpectu.

1. OFficioſè Iacobum excipit Laban, libentérque annuit illius de nuptiis voto, quia, videlicet conſanguineus eſt, vtpote ſororis Rebeccæ filius: hoc enim ſignificat Hebræa phraſis frequens in ſacra ſcriptura. Latinè dixiſſet, *ſanguis meus, viſcera mea.* Neſcio quid de oſſibus & carne potiùs à matre, quàm à patre ſubindicari hoc loco intelligunt aliqui; ſed ego ſenſum illum diuino Vati præconceptum, & inſinuatum non intelligo

telligo. Natura ipsa consanguineos, ad omnia pietatis, & amoris debiti obsequia obligat, quod etiam barbari contestantur: sed ea solet esse vis in quæstu, & pecunia, & in honore, vt omnia cognationum, ac necessitudinum iura violentur, vbi cupiditas animos quouis vinculo coniunctissimos occupauit. Petiit quidam à Domino, vti substantiam inter fratres diuideret: at Dominus cum hominem à se repulisset, conuersus ad discipulos dixit: *Videte, cauete ab auaritia.* Luc. 12. quasi dicat: Discordiarum, ac litium radix est ipsa cupiditas: frustrà verò laborabitis ad habendam, firmandámque pacem, & concordiam etiam inter charissima naturæ pignora, quandiu malorum omnium radix non extirpatur cupiditas: hac vna B funditus euulsa, non opus erit arbitro, ad sopiendas lites, & constituendam amicitiam. Integrum poëma de hoc ipso argumento nobilis poëta edidit Thebanorum fratrum Eteoclis & Polynixæ decantans:

Lucæ 12.
Cupiditas discordiarum origo inter fratres.

Fraternas acies, alternáque regna profanis
Decertata odiis. Statius.

Statius.

Quam etiam calamitatem tragicam cothurno suo deplorandã proposuit mortalibus ille, qui scripsit.

Nam regna repetens frater
In bello cunctos Græciæ populos agit,
Septeni muros castra Thebanos premunt.

Seneca in Thebaid. *Actor.* 2.

Seneca.

2. Quòd si cupiditas arctissimos quosque propinquitatis nexus dissoluit, quid esse tutum C potest, vbi cupiditatis flumma ebullit? Rectè auarum, vti hominum labem, ac pestem sic affatur S. Saluian. Penè iuxta te nollus intrepidus, nullus potest esse securus. Faciliùs præcipitati ex alpina rupe torrentes, aut incendia ventis agitata tolerantur. Non sic pereuntes, vt ita dicam, nautæ Charybdis voracitate, aut scyllæis (vt aiunt) canibus deuorantur. Exturbas possessiunculis suis vicinos tuos, habitatione, ac facultate proximos tuos. hæc ille, *de vero iud. & prouid. lib. 5.* Vnum seipsum auarus agnoscit, cætera verò ignorat, ac respuit. Filius terræ, filius huius sæculi, alios secum non patitur esse consortes. Totam sibi soli terram, totum hunc mundum (habeant cælum, D & Deum alij) cupit, & quærit, & arrogat. Itaque in terra communis hostis omnium est auarus. Quid longiùs excurram? Ipsemet Laban, qui nunc Iacobum vocat os suum & carnem suam, paulò post cupiditate occæcatus, vti alienum, & hostem persequetur. Cæcum, & nescium præ cupiditate Saulem in Amalech excidio legimus. Misit hominem Deus omnipotens ad vniuersalem illius gentis euersionem; at miser optima quæque, & pretiosissima cùm animantium, tum supellectilium vnà cum ethnico rege seruauit, contra præceptum Domini, & antiquum illud vaticinium: *Delebo memoriam Amalech de sub cælo.* Exod. 17. E Cæterùm vox Hebræa זכר sine punctis æquè duo significata importat; nã iisdem omnino literis, si accedant puncta, fit זכר *Zecher*, hoc est, *memoria*, & זכר *Zachar*, hoc est, *masculinum*. Igitur Saul cum deberet legere *memoriam*, vti Dominus præceperat, legit *masculinum*, atque adeò non memoriam Amalech, sed tantummodo viros delendos esse credidit, cuius tamen interpretationis, & erroris cupiditas ipsa, & auaritia fuit magistra. Deo enim (inquit S. Hier.) præcipiente, vt deleretur omnis memoria Amalech, non iam errore, quàm cupiditate prædæ pro memoria masculinum interpretatus est. ita S. Hier. *de quæst. Hebr.* Malè causa habet, vbi est auaritia interpres, aut consulens, & (quod peius multò est) imperans. Semper enim

Auarus omnium hostis.
S. Saluian.
Auarus terræ filius solum veneratur.
Saul cæcus auaritia.
Exod. 17.
Auaritia errorum magistra.
D. Hieron.

A iniusta, indigna, impia, contra omnem virtutem Deúmque ipsum interpretatur, consulit, imperat. O miseras, ô infames terræ diuitias, quarum studium, cura, cupiditas malorum omnium seminarium, & sentina vitiorum est! Cæterum id quidem fit ob improbitatem hominum illis contra Dei institutum abutentium. Non enim (inquit S. Saluian.) ipsæ diuitiæ per se noxiæ, sed mentes male vtentium criminosæ, nec ipsæ opes homini pœnæ causa sunt; sed de opibus sibi pœnas diuites faciunt; quia dum vti diuitiis bene nolunt, ipsas sibi diuitias in tormenta conuertunt. sic ille, *lib. 1. ad Eccles. Cathol.* in malo nostro vsu, non in ipsis diuitiis malignitatem illarum constitutam B esse dicit. Nec vlla in Deum culpa meritò à diuitibus, si pereant, refundi potest. Deus enim (adiungit S. Saluian.) præstat nobis omnia ad fruendum in voluntate operum bonorum. hæc ille.

Diuitiarum non natura, sed abusus noxius.
S. Saluian.
Diuitiæ à Deo in bonũ.
S. Saluian.

3. *Et postquam impleti sunt, &c.*] Ingressus domum auunculi Iacob noluit otiosè agere, & gratis ali; sed vt erat natura impiger, assuetúsque labori, pascendos Labani greges suscepit: nepotem enim auunculus (teste Iosepho) cunctis gregibus suis præfecerat. Nec enim tam antiqua, & sæpius probata Iacobi virtus inter delicias, & eneruantia mentem, corpúsque otia, vel nasci potuit, vel adolescere: laboribus, ac sudoribus comparatur virtus, & conseruator. Icciréo Anachoretarum vocibus illud increbuerat: Da sanguinem, & accipe C spiritum; vti scribitur à S. Dorotheo, *serm.* 10. Quis enim vnquam otiosus, ac deses ad spiritalem perfectionem euectus est; quin multis magnísque laboribus, quin multo sanguine viam, ascensúmque sibi munierit? An non si Christiani sumus, Dominum Iesum sequimur, qui totus madens cruore baiulat crucem ad mortis infamiam? Delicatuli ergo crucifixum imitari contendimus? Non planè sic Paulus, cuius vita in mortibus (vt loquitur) frequenter in periculis, in fame, & siti, in naufragiis, in flagellis traducta est: audactérque proinde, sed verè, sanctéque tamen exclamat: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* 1. Corint. 11. Boni siquidem domini (exponit S. Saluian.) bonus D famulus, & singularis magistri præclarus imitator, qui in vestigiis domini sui ambulans patentiora quodammodo, & expressiora pedibus suis fecit Domini sui esse vestigia. hæc Saluian. *lib. 3. de vero iudic. & Dei prouident.* Pressa nimirum, ac trita pedibus Domini per sanguinem, crucémque ad virtutem, & cælum via, eo tamen ingredientes deterrebat, quod ipsius Dei pedibus, etsi carneis, facilè succubuisset. At quis deinde homuncio Dei vestigiis insistere ausus esset? Oportuit igitur, vt Paulus Diuina gratia roboratus eandem insequeretur viam, suisque humanis, atque à nobis facilè imitandis vestigiis Diuina contingens vestigia hominibus subinde ad imitandum redderet faci- E liora. Imitatur verò maximè Christum, qui & vitæ sanctitate supereminet, & nihilominus suæ infirmitatis conscius ad omnia humilitatis officia seipsum deprimit. Quæ duo ad hunc locum in Apostolo demiratur S. Chrysost. Cum ergo (inquit) quod attinet ad accuratam, & exactam vitæ rationem sit Paulus omnibus superior; quod attinet ad sui demissionem, & ad alios accommodationem est omnibus inferior. hæc S. Chrys. *homil. 25. in 1. ad Corinth.*

Ioseph.
Iacob à deliciis alienus.
Labor virtutem parit, & conseruat.
S. Doroth.
Deliciosi non imitantur Christum.
S. Paulus laboribus exercitus.
1. Cor. 11.
S. Saluian.
Viam Christi reddit S. Paulus imitandam hominibus.
S. Chrysost.
Sanctitas & humilitas S. Pauli.

4. At cum humilitate Christiana facilè deliciosæ vitæ blanditiis resistitur; castitatis quippe fulcimentum est, ac nutrimentum humilitas, quam multi abiicientes circa honestatem naufragauerunt, & in cœnum fœdissimarum turpitudi-

Humilitas castitatem fulcit, ac nutrit.

num prolapsi homines se, imò & iumenta in sterqore iacentia esse cognouerunt. Icciico vt plurimum cum nobilitate ac sublimitate seculi, vbi maximè intumescit arrogantia, libidinum sordes copulantur. Vere siquidem scripsit S. Saluian. Plurimi (inquiens) ferme ac nobilissimi prope idem omnes: vnus gurges, omnium gula: pene vnum lupanar omnium vita. Vbi ciuitas in locupletissima, ac nobilissima sui parte, non quasi lupanar est? hæc ille, *de vero iudicio, & Dei prouid.lib.7.* Tanto iam laudabilior Iacobi virtus exister, qui nimirum iuuenis, ac nobilis, & in domo parentum opulentissima virtutem masculam retinens non se deliciis tradidit eneruandum. Illud etiam in mortalium cedit exemplum, quòd Iacob nihil vnquam de laboriosa, & humili exercitatione corporis, animique remisit: sed post molestissimos peregrinationis labores, cum sibi quiescendum pauliper foret, alacer tamen ad pastoritiæ vitæ fastidiosum pariter, atque abiectum, & laboriosum opus se accinxit. Est quidem viro iusto irreconciliabile cum deliciis, ac vitiis bellum; magno, & indefesso studio obluctandum est vitiosarum appetitionum per lasciuiam assultibus, à quibus etiam valida industria compressis interdum dantur induciæ, nunquam verò securitas. Quod quidem exercitatissimus ille Cheremon sic edocebat: Quicquid cum labore comprimitur, temporales dimicanti præstat inducias, non tamen perpetuam securitatis quietem tribuit post laborem. hæc ille apud Cassianum, *collat.12.cap.10.*

S. Saluian. *Luxuria cũ nobilitate.*

Iuuentus casta & laboribus exercita.

Bellum à iusto indictum delicus.

Cheremon. *Induciæ, non securitas à tentationibus.* Cassian.

5. Porrò Iacob pascendis auunculi gregibus sedulam integro mense operam nauauit, nihil interim cum homine pro suo labore paciscens mercedis; gratis vtique seruiuit. Cæterùm Laban, etsi barbatus & impius, gratuitum, ac liberale nepotis ministerium vltrà non admisit, vt pudeat nunc plerosque dominorum ita barbaros, & impios se ostendere, vt pauperum opificum, & operarum sudoribus & sanguine ad omne seruitij genus abutantur, nec miseros debita mercede, vel ad vitæ vtcunque trahendæ alimentũ consolentur. Quod si pauperculus quicquam debeat opulento, & nobili, miserum dictu, ac visu est, quanta cum crudelitate illico exigatur. Rei atrocitatem multis, & perstringit & deplorat S. Saluian. sic enim fatur: Pauperculos homines tributa diuitum premunt, & infirmiores ferunt sarcinas fortium: nec alia causa est, quod sustinere non possunt, nisi quia maior est miserorum sarcina, quam facultas. Res diuersissimas patiuntur, inuidiam, & egestatem: inuidia est enim in solutione, egestas in facultate. Si respicias, quod defendunt, abundare arbitreris: si respicias, quod habent, egere reperies. Solutionem sustinent diuitum, & indigentiam mendicorum. hæc ille, *lib.5 de ver. iudic. & Dei prouident.* Hanc in pauperculos carnificinam, vsque adeò detestandam videt sæpius, ac luget orbis, cum indictiones tributariæ à Principibus, & à Rebuspublicis fiunt, quarum tempestas non in diuitum & magnatum, sed in pauperum, & humilium capita solet desæuire. Soluunt quidem miseri vt diuites, egent vt mendici.

Nobiles in pauperes desæuiunt.

S. Saluian. *Opprimuntur pauperes à diuitibus.*

Pauperes ad soluendum abundant, egent verò vt mendici.

Tributa in pauperes.

6. *Habebat verò duas filias, &c.*] Quæsiuit Laban à nepote quid mercedis pro ministerio pascendi greges sibi dari vellet, sed ante responsionem Iacobi refert diuinus Autor, duas fuisse filias Labano, Liam, & Rachelem; & quidem illam natu maiorem oculorum lippitudine laborasse; sic enim vertit Latinus interpres, quod in fonte ponitur רכות *Raccoth*, cuius vocis radix *Racac* רכך, *mollescere, tenerascere*; idcóque vertunt pleA rique *oculi Liæ teneri, siue molles, delicati, debiles, infirmi, deformes.* Vitium quidem est in oculis ex humidiore reioperie, qua redduntur sic molles, ac debiles, vt proni sint ad lacrymas, & irretorti, atque inconniuentes obiectum contueri non possint, eo quòd ipsæ in orbibus pupillæ quodámodo fluitare, & innatare videantur. Vno verbo dicimus Lusitanè *olhos molles*: ægritudinem satis vulgo notam. Malè igitur cum Chaldæo *teneros*, hoc est, *pulchros & elegantes*, quidam vertunt. Quasi Lia solis oculis pulchra, Rachel verò non tantum oculis, sed tota facie, totoque habitu corporis pulchritudinem præ se ferret. Nec etiam docti approbant, quod ab aliquibus confingitur deficere in voce B Hebræa *Aleph*, subintelligique ארוכות *arucoth, hoc est, oblongos*, atque ideo haberi deformes. Itaque frequentiure in oculis morbo lippitudinis debilitatem illam, ac mollitudinem Latinus interpres optimè explicauit. *Rachelis pulchritudo efflorescebat ex decora facie, & venusto aspectu*, videlicet ex totius oris apta compositione, colorúmque eleganti suauitate; deinde ex ipsa venustate oculorum, quæ primas in cunctorum membrorum specie solet obtinere, vt proinde à S. Chrysost. dicatur: Sanè pars est pulchritudinis maximè violenta, oculorum decor. *homil 7.in 2. Cor.*

Liæ oculi molles.

S. Chrysost. *Decor oculorum violentus.*

7. Hinc præcipuè amantium pectora sauciantur, hinc prima, & summè periculosa in miseros virorum, ac fœminarum animos eiibrantur iacuC la. Delectant oculi, ac delectantur, qui mutuam inuicem pulchritudinem obiiciunt; vulnerant quidem, & vulnerantur: sed breuis ipsa, fucatáque voluptas in dolorem sæpius desinit. Quapropter (vti monet S.Chrys.) propter breuem visus voluptatem, diuturnum quendam, & continuum dolorem sustinemus. *homil.15.ad populum Antioch.* Vtriuersimque illud obseruatu est quam dignissimum. Intueri non decet, quod non licet concupiscere. ita S.Greg. *lib. 21. Moral.cap.* . Adeoque coniuncta est per oculos admissa voluptas cum dolore cordis, vt verè in hanc sententiam ponatur illud à S.Bern. Vulgò dicitur: Quod non videt oculus, cor non dolet, *serm 3. in fest omnium Sanct.* Satis verò ad sui contemptum habet pulchritu- D do, quòd ea nihil breuius, ac fugacius inter bona huius vitæ habeatur: certum est enim quod Imperator Domitianus Dictitabat: Decore nihil gratius, nihil breuius. Et quidem venustas oculorum, quam inuentes sibi armatam, violentam, & nunquam non insidiatricem, ac periculosam contestantur, prima est, quæ in corpore humano solet interire; quippe cum prima mortis aduentantis signa in oculis reddi consueuerint. Acies oculorum prima elanguescit, venustas oculorum prima commoritur, atque in mortis caligine sepelitur. Quæri video, liceatne vxorem eo eligere, ac diligere, quod pulchra sit. Compendio satisfaciam. Etsi virtutes, animíque dotes primò, & maE ximè in vxore æstimandæ sint, ac diligendæ; cæterùm quia gratior est (vt poëta cecinit) pulchro veniens de corpore virtus; non erit vitio tribuendum si vir vxorem in primis ob virtutem, deinde ob venustatem eligat. Forma enim Dei donum est, & quidam aptus, elegánsque amictus animæ in corpore degentis; idcóque vxorem commendat, amabiliorémque marito reddit: sic enim facilius concupiscentiæ potest ac solet mederi, dum pulchræ vxoris ab alienarum desideriis arcet coniuctus, & patrem formosiore, ac decentiore sobole consolatur. Solius autem libidinis causa decoram vxorem malle, & diligere, Christiano viro indignum est.

Voluptas in dolorem desinit.

S. Chrysost. *Periculosus oculorum visus.*

S. Gregor.

S.Bernard.

Pulchritudo fugax.

Prima moritur oculorum venustas.

Pulchritudo vxorem commendat. Virgil.

8. Porrò

Rachel & Lia duas vitas significãt.

8. Porrò autem duæ istæ sorores iisdem natæ parentibus, eidémque viro (vt statim videbitur) in coniugium copulatæ celeberrimo apud Patres, doctoréfque symbolo, duo rectè viuendi instituta, seu (vt cum multis loquar) duas illas vitas significant; alteram actiuam, quæ scilicet in bonis, & in proximorum vtilitatem operibus, atque etiam in corporis afflictarionibus, externísque mortificationis, & Christianæ pœnitentiæ actionibus versatur: alteram verò (vti vocant) contemplatiuam, quæ totum supernaturalibus, ac Diuinis rerum sublimiorum mysteriis intelligendis, & contemplandis, Deique amori affectando, & accendendo studium impendit. Non omnia, quæ à patribus in hanc sententiam dicuntur, sed eorum tantum paucula hìc subscribam. B Et quid (inquit S. Gregor.) per Rachelem nisi contemplatiua; quid per Liam, nisi actiua vita signatur? sic ille, *lib.6. mor.cap.* 18. Fusiùs in hanc eandem sententiam ita effatur Nicetas apud S. Gregor. Nazianz. *orat.2.in quadrag.* Lia Hebræis laborem, aut laborantem sonat, ac proinde ad actionem accipitur. Rachel autem idem est quod pascens, aut quæ pascitur, ac contemplationem designat. Hanc post Liam Iacob vxorem accipit; actio enim contemplationis est fundamentum. Rachel igitur est omnis anima contemplationis studiosa, quæ lege Dei velut agna pascitur: Lia verò omnis anima contemplationem amplectens, quæ virtutis causa laboribus premitur, quam quisquis ad diuinæ Philosophiæ studium adiicit animum, primam fere sibi contubernalem asciscit. C hæc Nicetas. Vtramq; igitur sibi vitam copulet vir iustus oportet, vti Iacob ambas in coniugium sorores suscepit: altera verò sine altera vel lippitudine sua virum dedecorat, vel pulchritudinis vanitate inflatum reddit. Vtriusque vitæ studium inseparabili nexu coniunctum habebat illa, quæ meritò sponsum inuitabat: *Lectulus noster floridus.* Cant. 1. In lecto enim prædulcem contemplationis somnum intelligit; in floribus, quibus lectus erat constratus, pietatis, aut pœnitentiæ actiones insinuat. Quo in sensu egregiè virum iustum admonet S. Bernard. his verbis: En fortè appetis & ipse contemplationis quietem, & bene facis; tantum ne obliuiscaris flores, quibus lectulum sponsæ legis aspersum. D Ergo cura & tu tuum similiter circundare bonorum floribus operum, virtutum exercitio tanquam flore fructum sanctum otium præuenire. Alioqui delicato satis otio dormitare voles, si non exercitatus quiescere appetas, & Liæ fœcunditate neglecta, solis cupias Rachelis amplexibus oblectari. hæc ille, *serm.46 in Cantic.*

D. Gregor.

Nicetas.

Iustus vitam contemplantem simul & agentem exercet.

Cantic. 1.

S. Bernard. Contemplatio in lecto, actio in floribus insinuatur.

9. Et quidem etiam appositè maior natu Lia ponitur, priórque (vt statim narrabitur) in Iacobi nuptias venit, vt significet per flores ad lectuli somnum, hoc est, per bonorum operum quasi præludia ad vitæ contemplantis delicatius, & quietius studium fore homini assurgendum. Alioqui (vti mox subdit S. Bernard.) E præposterus ordo est, ante meritum exigere præmium, & ante laborem sumere cibum, cum dicat Apostolus: *Qui non laborat, non manducet.* 2. Thess. 3. sic ille. Hæc autem doctrina maximè religiosum informat, ne dulcedine contemplationis illectus amet otium, & actionum, quæ præscripto obedientiæ iniunguntur, quasi tumultuosum, ac permolestum strepitum execretur. Adiungit enim S. Bernard. *A mandatis tuis intellexi* (inquit Psalm. 118) vt scias nisi obedientiæ mandatorum contemplationis gustum penitus non deberi: non igitur putes de propriæ amore quietis sanctæ obedientiæ actibus, seniorúmque traditionibus præiudicium vllatenus faciendum. Alioquin non dormiet tecum sponsus in lecto vno, illo præsertim, quem tibi pro obedientiæ floribus, cicutis, atque vrticis inobedientiæ aspersisti. hæc ille. In quibus in primis expositionem illius versiculi ex Psalm. 118. egregiam, licet expendere. *A mandatis tuis intellexi.* hoc est, ex eo quòd ô Domine Deus tuis præceptis obediui, fructum obedientiæ meæ collegi, nimirum Diuinorum mysteriorum intelligentiam, eam videlicet, quæ cum pio cordis affectu, & charitatis dulcedine solet esse coniuncta, vnóque illo verbo à doctis vocari consueuit sapientia. Deinde subnotabis in lecto quietis, in quo anima contemplatrix quodammodo cum Deo Sponso videtur conquiescere, si loco florum scilicet bonorum ex obedientia operum, vitiosa, & virulenta prauarum actionum inobedientiæ germina inspergantur, nullo modo Dominum inueniri posse. Propter quod (subiungit Bernard.) non exaudiet orationes, vocatúsque non veniet: nec enim dabit inobedienti copiam sui tantus obedientiæ amator, vt mori, quam non obedire maluerit. hæc ille.

Antecontemplationem actio præmittenda.

S. Bernard.

2. Thess. 3.

S. Bernard. Psalm. 118.

Actiones ex obedientia religiosus obeat.

Psalm. 118.

Fructus obedientiæ sapientia.

Inobedient: non exauditur à Deo.

S. Bernard. Christus obedientiæ amator.

10. Præstringitur hoc loco illius sinistra contemplatio, qui regendis, pascendis, edocendísque proximis obedientiæ mandato præpositus illorũ curam vtique laboriosam negligat, abiicitq; totus nimirum deditus tranquilliori statui orationis, & Liæ lippitudinem delectatus Rachelis pulchritudine odit, & execratur, vti contigit Episcopo, qui gregem suum pro quærendo, & amando contemplationis affectu dereliquit; quem ita impugnat S. Prosper. Si periculosum est nauim inter fluctus cautè non regere, quantò periculosius est eam vndis intumescentibus fluctuantem in tempestate relinquere? ad quam sicut satius est non ascendere, ita semel susceptam conuenit fluctuantis pelagi proiecta formidine, ac spe perueniendi concepta vsque in portum sine vlla mercium iactura perducere. hæc ille, *lib. 1. de vit. cõtemp. cap. 26.* Etsi hæc rectè habeant, nihilo tamen minùs timendum est, ne dum quis proximorum inuigilat saluti, & lippientis Liæ fœcunditati nimiùm studet, velnti æstuantis pelagi raptetur vndis, procúlque & à portus quiete, & à Rachelis amore repulsum se videat. Quod S. Hildebert. aliquando ita deplorauit: Sequuntur captiuæ mentis occupationes innumera virtutum dispendia; quibus dum miseri subiacemus, nec etiam cum Martha ministramus. Martha quippe ministrauit, sed Christo: nos verò quis dicat discurrere, & cum Martha ministrare, qui dum discurrimus, non pro Christo ministramus, sed non Christo? Omnes nos quærimus, quæ nostra sunt, non quæ Iesu Christi. *ad Philip. 2.* hæc ille, *Epist. 37.* Optimè quidem animaduertit S. Pater studiosum hominem vitæ actiuæ dũ sese nimiùm immergit salo actionum temporalium, ferri æstu interdum vanissimarum occupationum, & solicitudinum, quibus interturbatur animæ requies; & propriis, aut propinquorum commodis inseruire; non autem Dei sui amori, & honori. Quia verò Marthæ, & Mariæ sororum quæ Christo Domino inseruierunt, ad Liæ, & Rachelis sororum pariter historiam meminimus, non omittam dicere in vtrisque eandem vitæ contemplantis, & agentis æquali symbolo significationem celebrari. Et quidem S. Gregor. paulò antè citatus, postquam Liæ maioris, & Rachelis minoris euoluit mysterium, ita prosequitur; Quia contemplatiua vita minor quidem tempore, sed merito maior est, quàm actiua, sacri Euangelij verbis ostenditur, in quo duæ mulieres diuersa egisse re-

Rector animarum vitã actiuã studeat.

S. Prosper.

Zelus animarum.

Pro proximis nõ negligenda salus propria.

S. Hildebert

ad Philip. 2.

Inutiles & indecentes religioso curæ.

S. Gregor.

Vita contemplatrix actiua antisponitur.

ferunturMaria quippe Redemptoris nostri verba A audiens ad pedes illius residebat; Martha autem corporalibus ministeriis insistebat. Quid verò per Mariam, quæ verba Domini residens audiebat, nisi contemplatiua vita exprimitur? Quid per Martham exterioribus obsequiis occupatam, nisi actiua vita signatur? sic ille. Quantum subinde Rachelis pulchritudo, & Mariæ quies ad pedes Domini, & laudari, & amari debeat, sic vlteriùs ex verbis Domini ostendit: Marthæ cura non reprehenditur; Mariæ verò etiam laudatur: quia magna sunt actiuæ vitæ merita, sed contemplatiuæ potiora. Vnde nec auferri vnquam Mariæ pars dicitur, quia actiuæ vitæ opera cum corpore transeunt, contemplatiuæ autem gaudia meliùs ex fide conualescunt. hæc Pontifex. B

Lucæ 10.

S. Gregor.

11. Itaque pulchrior, & amabilior est Rachel, & longè quietior, & dulcior vita contemplatrix Mariæ, hoc est, animæ ad pedes Domini assidentis, Deum audientis, & cum Deo familiariter sermocinantis: quapropter & illius cura & studium laudabili alioqui Marthæ ministerio, & fœcunditati Liæ præferri debet. quod etiam sanctissimus Doctor in Ezechielis visione sic statim disiungit. Hoc Ezechiel exprimit, cum volantia [illegible] alia contemplatus ait: *Et similitudo manus hominis [illegible] sub pennas eorum erat.* cap. 1. Quid enim [illegible] pennas animalium, nisi contemplationes [illegible] sentire sanctorum, quibus ad summa transeunt, & terrena deserentes, sese in cælestibus C [illegible] Quid per manus, nisi operationes accipi[illegible] Quæ cum in proximi amore se dilatant, & [illegible] quæ præualent, etiam corporaliter administrant. Sed manus eorum sub pennis sunt, quia [illegible] suæ opera virtute contemplationis vin[illegible] S. Gregor. Itaque symbolicis illis figuris [illegible] animæ iustorum significantur; per [illegible] summa volantes contemplatio; per ma[illegible] positas alis bonorum operum cura, & so[illegible] ministerium figuratur. Potior quidem contemplatio est, quàm operatio, vti alæ manibus superpositæ videntur: sed illa insuper esse potest [illegible], quia vti manus alam sustinet, ita vita actiua contemplantem adiuuat, & ad volandum, quiescendumque cum Deo fulcit. Vana siquidem, & [illegible] ea contemplatio videbitur, quæ bonarum D actionum fulcimento non roboratur: otium enim [illegible] otiosum; Mariæque ad pedes Domini assessio, Marthæ ministerio destituta, Dominum nec laudat, nec honorat. Iccirco toties à cœlesti Sponso, quæ illius in terris agit, à somno ad vigiliam, à quiete ad actionem excitatur sponsa. Amor enim (inquit S. Bernard.) qui otiosus esse non potest, de his quæ Dei sunt, sollicitat, & suadet. Ideo sponsa audit, vt surgat, & properet. *Cantic.* 2. haud dubium, quin ad animarum lucra. Hoc siquidem vera, & casta contemplatio habet, vt meotem, quam Diuini igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo, & desiderio acquirendi Deo, E qui eum similiter diligant, vt otium contemplationis pro studio prædicationis libentissimè intermittat. hæc ille, *serm.* 57. *in Cant.* Nimirum qui non sua quærit, sed quæ Dei sunt, Rachelis pulchritudini anteponat interdum necesse est fœcunditatem Liæ, paulisperque intermisso contemplandi, & assidendi ad pedes Domini otio ad docendum & regendum Domini gregem descendat, ipsique in proximorum cura, & solicitudine administret. Laboriosum quidem istud est opus, sed tamen valde fructuosum.

Amor non patitur esse otiosus. S. Bernard. Cantic. 2. Pro zelo animarum relinquitur contemplatio.

12. Quare optimè S. Gregor. suæ interpretationi adhuc insistens hæc apponit: Rachel visum principium; Lia autem laboriosa dicitur. In contemplatione quippe principium, quod Deus est, quæritur: in operatione autem sub graui necessitatum fasce laboratur. Vnde & Rachel pulchra, sed sterilis; Lia autem lippa est, sed fœcunda: quia nimirum mens cum contemplando otia appetit, plus videt, sed minus Deo filios generat. Cum verò ad laborem prædicationis se dirigit, minus videt, sed amplius parit. hæc ille *lib. 6. moral. cap.* 18. Huoc sanè fructum in subditis amans, & quærens aliquando S. Bernard. Rachelem suam, & Mariam, hoc est vitæ quietioris contemplationem remittens, aiebat: Patienter auellor ab infœcundæ Rachelis amplexibus, vt de Lia mihi exuberent fructus profectuum vestrorum: minimè pigebit me intermissæ quietis pro cura sermonis, cum videro in vobis germinare semen meum, atque ex eo augeri incrementa frugum iustitiæ vestræ. Charitas enim, quæ non quærit, quæ sua sunt, id mihi iam dudum facilè persuasit, nil scilicet desiderabilium meorum vestris præferre vtilitatibus. hæc S. Bernard. Cæterùm, & illud in doctrinam cedit egregiam, quòd Lia prior nubit, deinde Rachel, vti ordo inter actionem, & contemplationem obseruandus innuatur. Post Liæ ergo (adiungit S. Gregor.) amplexus ad Rachelem iacob peruenit; quia perfectus quisque antè actiuæ vitæ ad fœcunditatem iungitur, & pòst contemplatiuæ ad requiem copulatur. sic ille. Ab actione itaque procedendum viro iusto est ad contemplationem: celebrandæ in primis cum Lia fœcunda nuptiæ, deinde cum Rachele speciosa. Nec enim ita quis in externis actionibus sensum omnem, animúmque defigere debet, vt amorem Rachelis deleat, illiúsque desiderium prorsus extinguat: sed post collectum feliciter bonorum operum fructum ad otium contemplationis recurrendum est. Nam rursum (aduertit S. Bernard.) anima potita votis aliquatenus in hac parte tanto ardentiùs redeat in idipsum, quanto se fructuosiùs intermisisse meminerit, & item sumpto contemplationis gustu valentiùs ad conquirenda lucra solita alacritate recurrat. hæc ille.

Zelus animarum in prædicatore.

S. Bernard.

D. Gregor.

Actio contemplationem præcedit.

S. Bernard. Post actionis fructum ad contemplationem recurrendum.

13. Verumenim verò (cum religioso, & docto viro agimus) tria hæc perenni alternatione versare opus est, vt oret, contempletur, & prædicet, quæ in tribus (autore eodem Bernardo) commendantur, & designantur vocabulis, quibus à Domino compellatur sponsa: *Veni amica mea, columba mea, formosa mea.* Cantic. 2. Etenim (inquit) meritò *amica* dicitur, quæ sponsi lucra studiosè, ac fideliter prædicando, consulendo, ministrando conquirit. Meritò *columba*, quæ nihilominus pro suis delictis in oratione gemens, & supplicans Diuinam sibi non cessat conciliare misericordiam. Meritò quoque *formosa*, quæ cœlesti desiderio fulgens, supernæ contemplationis decorem se induit, horas duntaxat, quibus commodè, & opportunè id potest. ita S. Bernard. Triplex hoc studium apprimè conuenit viro iusto, vt bene operetur, gemendo oret, & contemplando quiescat: illáque domus, & familia felici instituto procedit, in qua operando, lugendo, & contemplando, sua tempora, suáque studia rite designata obseruantur. Qualis planè fuit domus illa Domini Iesu ingressu & hospitio toties consecrata. quod statim S. Bernard. animaduertit: Sed & illud (inquiens) vide si valeat coaptari huic triplici votis animæ bono, de tribus videlicet personis illis in domo vna commanentibus, amicis vtique Saluatoris, & admodum familiaribus ei. Martham loquor ministrantem, & Mariam vacantem, & Lazarum quasi gementem sub lapide,

Tria exercentur à religioso, oratio, contemplatio, prædicatio.

S. Bernard.

Cantic. 2.

S. Bernard.

lapide, & resurrectionis gratiam flagitantem. hæc ille. O felix anima, quæ sic in Dei obsequium, & sui ipsius profectum tria hæc studia diligenter excolit! Profectò (vti concludit S.Bern.) & salutabitur, vt *amica*; consolabitur, vt *columba*; amplexabitur, vt *formosa*. Perfectus omnis reputabitur, in cuius anima tria hæc congruenter, atque opportunè concurrere videbuntur; vt & gemere pro se, & exultare in Deo nouerit, simul & proximorum vtilitatibus potens sit subuenire, placens Deo, cautus sibi, vtilis suis. hactenus ille, *serm.* 57. *in Cant.* Studeat igitur, & obnixè, constantérque nitatur anima religiosi viri, vt amicam, vt columbam, vt formosam, se Deo suo exhibeat, vt placeat Deo, caueat sibi, prosit aliis. Hæc siquidem tria perfecta consummatam reddunt vitæ religiosæ perfectionem.

S. Bernard.

Placens Deo, cautus sibi, vtilis aliis.

Tria perficiunt religiosum.

14. Quanquam & illud verum sit multò esse periculosius externis, & forensibus Liæ Infirmioris, ac deformioris, etsi aliquando fœcundioris, operibus, & negotiis implicari: longè autem securius in religioso secessu Rachelis omni ex parte formosæ, & spectabilis dulcissima quiete, Diuinam speciem contemplando potiri. Quamobrem errat, errat (vt scribit S.Petr.Dam.) qui confidit se sibi monachum esse, & curiæ deseruire. Vndis erutus sanus est piscis, non vt sibi viuat, sed vt alios pascat. Vocamur, attrahimur, sed vt aliis viuamus, moriamur nobis. Amat venatur ceruum, sed vt sibi faciat cibum; persequitur lepusculos, sed vt ipse bene sit, illi nihil sint: amant & homines nos, sed non nobis; sibimet diligunt, in suas nos vertere delicias concupiscunt. hæc ille, *lib. de omnipot. cap.* 1. Egregium sanè documentum, atque vtinam illo edocti seculum, & secularia omnia refugeremus, qui Deo soli vacare, & militare spopondimus. Fieri nequaquam potest, vt Liæ lippitudinem haud contrahat, qui nimiùm illius consuetudine implicatur; & secularia pertractans negotia seculari puluere lutóque non inspergatur. Forte id erat vnum maximè, quod regius Vates ad stuporem, & dolorem sui, & mortalium adducebat. *Filij hominum vsquequò, &c.* Psalm. 4. Hebr. *Beni ixghad mech chechodi lichlimmah* איעד בני כבודי לכלמה טה. *Fily viri vsquequò gloriam meam in ignominiam?* Legunt alij: *Viri religiosi mei*, vel *viri gloria mea*. Interpres Latinus loco istorum posuit *graui corde*. Deinde, *vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Quod etiam ponitur in Hebræo סלה, additúrque *sela*: quæ dictio vt peritiores dicunt, erat velut interiectio tantùm indicans in eo puncto vocem in cantu eleuandam esse præ stupore alicuius mysterij, quod in præcedentibus innuebatur. Igitur Propheta exclamare videtur in persona Dei: O homines, quorum est genus tam gloriosum, qui Patrem habetis Deum, qui ad æternam beatitudinem nati, itáne verò vestrám nobilitatem sic abiicitis, vt rerum cœlestium obliti ad cupienda, ad amanda, ad pertractanda quæcunque in mundo sunt vilia, & nihili, vestrum omne studium, & curam conferatis? mittamus ergo secularibus secularia: tractent fabrilia fabri: nos isti quærunt religiosos, non vt à nobis Diuina petant, sed vt nobis terrena ingerant. Quàm multi (proh pudor!) ex secularibus veniunt ad nos, vt fiant ditiores: quàm pauci, vt fiant meliores? Quare nonglorietur religiosus de frequentia secularium aduentantium: doleat potiùs, ac ploret vicem suam, quod cum viro religioso seculares de seculo agere; & ab illo terrena, non cœlestia sperare, peteréque audeant.

Vita contemplatrix tutior, ac dulcior.

S. Petr. Dam.

Nocent religioso secularia negotia.

Psalm. 4.

Dedecet hominem cœlo natum terrenis implicari.

Seculares pro secularibus adeunt religiosos.

15. Est & aliud in his sororibus mysterium non obscurè significatum, vti Patres edocuerunt. Et quidem Lia (inquit S. Ambros.) lippientibus oculis synagogæ accepit figuram, quia Christi gratiam videre non potuit hebetato debilis mentis obtutu. *serm.* 19. *in Psalm.* 118. vbi Rachelem pro Ecclesia Christi accipit. In eodem sensu loquitur S.Cyrill. Alex. Cœlestis (inquiens) sponsus Laban filias, hoc est synagogam, Ecclesiámque accepit. Primam enim synagogam Iudæorum, Lia significatam, quæ laborans, renouatáque interpretatur, sibi Christus coniunxit. Laborauit enim cum ab Ægyptiis diutissimè opprimeretur. Sed Rachel, hoc est, Ecclesiam gentium magis dilexit. Liæ oculi imbecilles fuerunt, Rachel pulchra specie, formosáque vultu vehementer erat. Nam de Iudæis fatur Christus: *Dimitte eos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Matt. 15. *Vestri verò beati oculi, quia vident, &c.* Luc. 10. hæc S.Cyrill. *lib.* 11. *super Genes.* Deinde vberiùs explicat disparitatem Synagogæ, & Ecclesiæ: Ergo (ait) imbecillitatem oculorum Iudæorum oculi Liæ repræsentant, cum nullo pacto Saluatorem humani generis Christum inspicere potuissent. Sapientiam verò gentium, quæ in Christum crediderunt, pulchritudinémque, atque acumen ingenij, rerúmque præclarè gestarum celebritatem Rachelis illa pulchritudo, venustásque præ se certissimè fert. Nam ad Iudæorum Matrem Isaias clamitat: *Ecce non sunt oculi tui, neque cor tuum pulchrum*, cap. 1. ad Ecclesiam verò gẽtium Christus inquit: *Oculi tui columbæ sunt.* Cant. 2. *Concupiuit enim decorem eius.* Psal. 44. hæc ille. Non modo autem synagoga, cuius Lia typus est, debilitate, ac lippitudine oculorum laborauit, eo quòd in lege scripta omnia (vt ait Apostolus) in figuris contingebant illis, videbántque per ænigmata rerum futurarum; erat quippe adhuc nox, & in vmbra mortis viuebant antiqui mortales, antequàm Sol iustitiæ Christus IESVS de Virgine Matre, vti aurora oriretur, *illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Luc. 1. verùm etiam multò grauior, ac turpior lippitudo synagogæ apparuit, cum orientem ex alto solem, terrasque immensis suarum virtutum splendoribus illustrantem, irretorto oculo, sanóque; & puro Iudæi contueri non potuerunt, seu potiùs noluerunt; quin etiam cæco, ac furiali impetu autorem vitæ peremerunt.

Lia synagogam, Rachel Ecclesiam significat.

S. Ambros.

S.Cyr.Alex.

Lucæ 10.

Matth. 15.

S. Cyrill.

Iudæorum cæcitas, Christianorum acumen.

Isaiæ 1.

Cantic. 2.

Psalm. 44.

1.Cor. 10.

Lucæ 1.

16. Et quidem appositè lippis oculis erat synagoga, non quidem prorsus exoculata, & cæca; tunc enim excusationem haberet de peccatis suis, sed oculis vitioso humore suffusis malè affecta: intuebatur quidem, nec aut negare, aut dissimulare poterat Diuinitatis in Christo constantissima, & clarissima testimonia, sed inuidia, odióque excandescens in Magistrum, in Pastorem, in Regem, Deúmque suum maligna, iniusta, crudelisque potiùs extitit, quàm cæca. *Nunc autem & viderunt, & oderunt me gratis* ait Dominus. Ioann. 15. Celebris quidem hæc est apud Patres interpretatio, vt etiam ex Victorino martyre in Glossa ordinaria refertur; cuius hæc sunt verba: Victorinus martyr, Rachel, & Liam, in similitudinem Ecclesiæ, & synagogæ interpretatus est. Liam maiorem natu, synagogam significare existimat, quæ prior populum Dei genuit, quæ oculis lippa dicitur, quia lex per Moysem data cooperta est, & signata: Rachelem minorem, & pulchram, quia priùs sterilis fuit, pòst fœcunda, Ecclesiam indicare, quæ tempore posterior, & sancta corpore, & spiritu, cuius oculi decori, quia Euangelium videre meruit hæc in Glossa. Itaque Dominus Iesus in Iacob signifi-

Synagoga potius maligna, quàm cæca.

Ioan. 15.

catus Rachelem, hoc est, Ecclesiam de gentibus congregatam synagogæ Liam figuranti prætulit. Omnia autem ille (inquit S Irenæus) faciebat propter illam iuniorem bonos oculos habentem Rachel, quæ præfigurabat Ecclesiam, propter quam sustinuit Christus. *lib. 4. aduersus hæreses, cap. 38.* Minus apposita illa est interpretatio, quam etiā adiungit Rupertus in Lia Ecclesiam, in Rachele synagogam significari. Porrò etiam mihi videtur Lia significare illam animam, quæ terrenis implicata negociis, & bonorum huius vitæ amore, cupiditatéque velut cœno immersa oculos ad contemplandum, mentem ad desiderandum, amandúmque cœlestia, & Diuina non attollit: contra verò Rachelem puto illam, quæ quicquid extra Deum, aut esse, aut fingi potest, generosæ mentis volatu transcendens in Deo ipso castam, & puram aciem mentis, qua nihil pulchrius, defigens, contemplando, amandóque Deum vti Sponsa Sponsum dilectissimum, conquiescit. Hinc fit, vt illa ad studium orandi turpiter admodum torpescat, damnatóque sopore dies, noctésque stertat lippa, & cœnosa: ista verò peracutos, vigiles, atque ideo pulchros habeat oculos, vt in lege Domini meditetur die ac nocte.

Christi amor in Ecclesiam. *S. Iren.*

Orandi studium commendabile.

17. Hoc illa quidem pulcherrima, & acutissima præstabat anima, quæ dicebat: *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.* Psal.118. quasi dicat: Tantus me tenet ardor orandi, & meditandi, vt vel debito, ac naturali somno excusso ad contemplandum excitus inconniuentibus, & lætis oculis orientem solem præueniam. Quo in sensu multa diuinitus disserens S. Ambros. hæc subinde colligit: Graue est enim si te otiosum in stratis radius solis inuerecundo pudore conueniat, & lux clara feriat oculos somnolento adhuc torpore depressos. Arguit nos tanti temporis spatium, sine vllius deuotionis munere, ac sacrificij spiritalis oblatione feriata transmissum. hæc ille, *serm. 19. in Psalm. 118.* Ah pudeat hominem sempiternæ vitæ natum tam longos producere somnos, moréque stipitis, aut etiam cadaueris tanquam in sepulchro, ita in lecto iacere! Exigit quidem somnum necessitas: sed moderatum illum tamen, neque verò in diem vsque producendum: contemplandi quippe munus Christiano homini summè necessarium, cum semper frequentari debeat, tum vel maximè matutinas, vtpote expeditiores sibi horas postulat. vnde monet vlterius idem Ambrosius: An nescis ô homo, quòd primitias tui cordis, ac vocis quotidie Deo debeas? quotidiana tibi messis, quotidianus est fructus. Occurre ergo ad solis ortus, vt te oriens inueniat iam paratum, ne lumina tua madido adhuc sopore mergentia primus diei fulgor exagitet. hæc S. Ambros. Manè igitur Deo assistens anima, pulchros, ac vigiles Rachelis oculos in rerum Diuinarum contemplationem intendens primitias cum sequentis dici, tum cogitationum, & actionum suarum offerre Deo consueuit. Pulchrum sanè studium orandi est, quo anima sordes vitiorum abstergit, & puritatem Dei, quem intentissimè contemplatur, in se paulatim effingit. Per eam quippe (f. orationem, aut doctrinam cœlestem, quæ in ea discitur) Deus sincerè percipitur, & conseruatur, atque in nobis adolescit. ita S. Greg. Naz. *orat. 12. quæ est 1. de pace.* Quid plura de Rachele, quam oculis decoram cœlestis Sponsus vehementer amat, & quæ iisdem pulchris oculis plorare filios dicitur. *Matth. 2. & Ierem. 31.* hoc loco commemorem? satis hoc vnum sit. Rachel pulchra Virgo, & pia Mater extitit: erga Spon-

Psal. 118.

S. Ambros. *Damnatur somnolentia ad orationē.*

Matutina oratio commendatur.

Orando pura fit anima.

S.Greg.Naz.

Rachel piam Matrem repræsentat.

A sum pulchra oculis, erga filios pia oculis vbertim lugentibus. Enimuerò Diuina scriptura in nomine Rachel (vt subnotauit Origen.) vniuersas pias matres significat, *homil. 3. ad 2. Matth.* Vtrobique (veriùs dixerim) & Virginem, & Matrem repræsentat Deiparam. *Origen.*

18. Nam quæ vlla Virginum æquè pulchra, quæ matrum æque pia, & misericors, & amans, atque semper Virgo Dei Mater Maria? Reliquæ animæ quantumuis virtutum decore, aciéque mentis conspicuæ ad Virgineu Deiparam Liæ prorsus lippæ, exoculatæ, deformésque sunt. Vna illa in genere humano Rachel decora, & venusto aspectu, tota pulchra est, & ab omni macula, nænóque aliena; quippe cum in ipso suæ conceptio-
B nis, vitæque momento, & ab originali culpa fuerit diuinitus præseruata, & supra omnem rationalem, & spiritualem creaturam supernaturalibus gratiis sanctificata, vti Dei Matrem decebat. Quocirca grauiter, piè, ac verè scripsit pius autor in hunc modum: Sacrosanctam Virginem primæuæ culpæ, & ab origine contractæ contagio, in ipso conceptu fuisse contaminatam, non modò Ecclesiæ Catholicæ determinationi, & pietati fidei est contrarium, sed & sacris literis: quæ sicut Christi carnem sacratissimam eximunt ab omni lue peccati cuiusuis generis, ita & sanctam Virginis atque Dei Matris carnem, cum eadem sit Christi, & dignissimæ parentis suæ caro. hæc Iacobus Stapulensis, *in Comment. lib. 3. Orthodox. cap. 2. S. Ioan.* *Immaculata conceptio B. Mariæ astruitur.* *Stapul.*
C *Damascen.* Quin etiam pia, & valde probabilis, ne dicam omnino certa, vtpote dignitati Matris Dei, quàm decentissima illa mihi semper opinio placuit, quæ asserit Virginem Dei Genitricem non modò ab originali reatu immunem, illæsámque extitisse, sed (quod amplius est) etiam in ipso Adamo peccante, quamuis veram illius filiam non peccasse, exemptam scilicet à communi illo totius humani generis debito, in priuilegium, ac pignus Matris Dei futuræ; ne videlicet Deus, qui puritas ipsa est, humanitatem suam ex Matre, quæ priùs rea, serua diaboli, filia iræ fuisset derelictum vitiosæ originis, & originalis culpæ stigmate inusta, & deformi assumeret. Quam sententiam grauissimi nostra ætate doctores suis monumen-
D tis tradiderunt. vide Salmer. *ad Rom. 5.* Bened. Iustin. *ad Hebr. 11. & 1. Tim. cap. 2.* Turrian. *de peccato orig.* Valent. *3. p. q. 27. art. 1. Galat.* Cathar. Cardin. Chusan. & iam pridem eandem ex antiquis patribus nonnulli tenuerunt, vti Dionys. Areopag. Gregor. Neocæs. & alij. *B. Maria non peccauit in Adam.*

19. Sola etiam Virgo Mater, vti Rachel, decora facie, venustóque aspectu; reliquæ autem quæ fœcunditatem Liæ habent, eiusdem pariter lippitudinem contraxerunt, lippis oculis deformes in toto humano genere matres sunt, quæ puræ, & incorruptæ cum conceptu, & puerperio esse non possunt. Vna est Dei Columba, vna Rachel venusto aspectu, quæ Deum ipsum vulnerauit in vno oculorum suorum. *Cant. 4.* Vtique amo-
E ris iaculo Dei Filium sauciauit, atque ad suum attraxit vterum, eo quòd puris oculis & mundo corde, Virgo mente, & corpore statim ab ipsa sui conceptione in omne æuum, constanti, & inuiolabili proposito permansura. Sic inuenit gratiam apud Deum, quæ firmissimè vouerat intemeratum virginitatis pudorem; *quoniam* (inquiens) *virum non cognosco.* Luc. 1. Ergo quæ virum Virgo pudoris corruptorem non cognoscit, Deum in se habet, Deum concipit, Deum parit hominem maternæ virginitatis defensorem & custodem. Denique Virgo Mater Filium Deum habet, quæ mari- *B. Maria Virginitas Deo gratissima.* *Cantic. 4.* *Luc. 1.*

tum

tum hominem dispendio pudoris habere noluit. O pulchram Matrem! ô fœcundam Virginem! ô vnicam in genere mulierum fœcunditate Liam, & Rachelem virginea venustate! Sic enim decebat, vt de Virgine Deus homo nasceretur. Nimirum (vt piè, ac verè scripsit Guarricus) per Spiritum sanctum immaculatus nascens de immaculata, vitia nostræ originis emendauit; atque secundæ natiuitatis nobis sacramenta dedicauit. *serm. 1. de natiuit.* Hanc Matris suæ puritatem Deus ipse multò antè prædixit, adumbrauit, & hominibus, maximè Iudæis, euidenter fecit credibilem, quod Eusebius Emissen. contra istos egregiè disserens ita demonstrat. Multa contra naturam fecit Deus, quæ negare non audet Iudæus. Virgam in serpentem, serpentem in virgam mutauit; aquas in sanguinem, & sanguinem in aquas conuertit; mare aperitur, manna pluit, asina loquitur, petra fundit aquas, & Iordanis conuersus est retrorsum. Sed & virga Aaron cum sicca esset, sub vna nocte, & frondes, & flores, & fructus germinauit. Virga sicca nuces dare potuit: & Virgo parere non potuit? Vbique Deus operatur quicquid vult, & in matre sua tantummodo amitteret potestatem? hæc ille, *homil. de annuntiat.* Optimè ac validissimè contra perfidiam, & imperitiam Iudæorum, qui multa mutatis rerum naturis edita diuinitus miracula & legunt, & credunt in scripturis, at Virginem parere nolunt credere; maximè cum hoc ipsum in iisdem scripturis commemoratum, & à Prophetis prænuntiatum esse videant, si lippi non sint, & filij matris lippæ, ac deformis.

Guarricus. — *Virginitas Matris Dei astruitur contra Iudæos.* — *Euseb. Emiss.* — *Iudæi cæci ex matre lippa oculis.*

10. Meliores nos, ac pulchriores oculos habemus, qui à Rachele speciosis, & pulchra oculis, venustóque aspectu, ab Ecclesia nimirum Christi sponsa sancta, & immaculata nati sumus. Videmus oculis fidei, veneramur, & prædicamus semper Virginem Mariam verè Dei Matrem esse. Aue (dicimus) ô benedicta inter mulieres, quæ Virgo, simúlque Mater esse meruisti: Filium ventris tui fructum, Deum hominem peperisti; filios amoris tui, & misericordiæ tuæ fructum, tot habes ô dulcissima, & piissima, quot homines materno subsidio foues, alis, protegis. Cum fiducia igitur ad te, ô Domina, clamamus, secura in te spes nobis est; clamantes ad te, & sperantes in te haud quaquam Regina mundi à te reiicies. Quoniam (inquit S. Athanas.) ex nobis oriunda es, & is, qui editus est ex te, carnigetus Deus noster est. sic ille, *in Euangel. de Virgin. Deip.* Eia ergo aduocata nostra, Mater nostra, istos tuos pulchros, venustos, virgineos, & misericordes oculos ad nos conuerte. O sanctorum (ait S. Ioan. Damascen.) sancta Dei Genitrix Virgo, expectatio gentium, atque salus credentium! sic ille, *in Canon. od. 9. de S. Trinit.* & ad Iesum benedictum fructum ventris tui nos in pace lætosque adducito. Etenim (vt bene aduertit quidam) sicut nemo aduenit ad tuum Filium nisi Pater traxerit eum, sic etiam quodammodo ausim dicere, quod nemo venit ad Filium tuum gloriosissimum, nisi tuis sanctissimis subsidiis traxeris eum. hæc Idiota, *lib. de contemp. Virg. cap. 1.*

Salutatur Virgo Mater. — *Fideles beatæ Mariæ filij vocantur.* — *B. Maria spes & fiducia fidelium.* — *S. Athan.* — *S. Io. Damasc.* — *Salutatur, & inuocatur B. Maria.* — *Idiota.* — *B. Maria ducit nos ad Filium.*

SECTIO VII.

Quam diligens Iacob ait: Seruiam tibi pro Rachel filia tua iuniore septem annis.

1. EXegerat iam mensem Iacob seruiens auunculo, eiúsque pecora pascens; de condonanda verò mercede egerat Laban. Ergo adolescens, qui iussu parentum ad quærendam vxorem de matris sanguine venerat, in sui laboris, ac seruitutis præmium poscit Rachelis coniugium. Nam quia inops tunc erat, nec habebat vnde pro nuptiis socero, & puellæ ducendæ fratribus de more satisfaceret: promittit se auunculo seruiturum pro sponsa septem annis. Hæc enim consuetudo obtinuit priscis seculis apud Hebræos, & Chaldæos. Vnde ad Romanos, & Græcos subinde manauit; vt per mutuam quasi coemptionem alter alterum coniugem compararet. Nimirum vir vxorem coëmebat donando parentibus, cognatis, & puellæ pecuniam, aliáque munera. quod supra præstitit Eliezer, quando de Rebeccæ cum Isaac sponsalibus egit. *cap. 24.* sic infrà *cap. 34.* Dinam Iacobi filiam à fratribus petens infelix amator aiebat: *Quæcunque statueritis, augete dotem & munera postulate, & libenter tribuam quod petieritis.* Sic 1. *Reg.* 18. Saul generum sibi asciscens Dauidem negat sibi opus esse, cum sit Rex, muneribus, quibus videlicet sponsalia contraherentur. Sic 2. *Reg.* 3. dicit Dauid se Michol filiam Saulis sibi despondisse, siue quod idem est, coëmisse centum præputiis Philisthinorum, vti Iosephus *lib. 7. cap. 1.* exponit. Similiter virum vxor dote coëmebat. Quo ritu vsa Lia est cum (vt videbimus cap. sequenti) dixit Iacobo: *Ad me intrabis, quia mercede conduxi te pro mandragoris.* Proh misera conditio coniugatorum: alter ab altero coëmitur vtique in seruitutem; alter alterum coëmit in dominum! Par tamen vtriusque sors illa est, vt quisque alterius & seruus, & dominus sit. Hinc illud Apostoli: *Alligatus es vxori? Noli quærere solutionem. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem.* 1. Corinth. 7. Vides coniugium esse carcerem, coniuges inuicem inter se catenis constringi? Cernis (inquit S. Ambros.) quia ligatus est, qui sui non habet corporis potestatem? *serm. 3. in Psalm.* 118. Videlicet qui tenetur in carcere constrictus compedibus, sui corporis potestatem non habet, quippe cum inde sese expedire, aliò abire, & vt libuerit, mouere non possit. Ita coniuges nec corporibus, nec animis liberi ab inuicem discedere queunt, & vitæ solicitudinibus, & molestissimis coniugij curis dies, ac noctes exeduntur. Aliquale tamen in isto carcere leuamentum amor ipse importat compedibus: quod si amor absit, quid nisi mors, & gehenna in coniugio est? Et ideò Apostolus (occurrit S. Ambros.) præmisit: *Iunctus es vxori? noli quærere solutionem.* Et bene ait: *Iunctus es.* Quodam enim vir & vxor nexu inter se amatorio copulantur, & quibusdam inuicem sibi habenis amoris adstricti sunt. Bona igitur vincula nuptiarum, sed tamen vincula; etsi vincula, tamen vincula charitatis. Bonum coniugium, sed tamen à vinculo tractum, & iugo mundi, vt viro potiùs cupiat placere, quàm Deo. *lib. 3. de Virgin.* Videtur ergo coniugium ex carcere, & publico; ex seruitute, & libertate; ex felle, & melle; ex doloribus, & amoris voluptatibus quodammodo conflatum, ac temperatum. Felicior tamen ille: qui (vt apponit idem Ambros.) liber est à vinculis, non solùm à vinculis solicitudinis secularis; sed etiam à vinculis charitatis humanæ. Vincula complura sunt in hoc seculo, vincula sunt desideria viuendi, vincula sunt oblectamenta voluptatum, vincula sunt honorum, vincula coniugij. Quare nectit sibi vincula mentis, qui solicitus est, quomodo placeat vxori. Beatior esset, si Deo soli placere desideraret. hæc Ambros. *serm. 3. in Psal.* 118. Cuncta in vno coniugio insunt vincula, vitæ, honorum, diuitiarum, voluptatum, solicitudinum:

Antiquis coemptio in coniugio. — *Inter coniuges mutua seruitus, ac dominium.* — *1. Cor. 7.* — *S. Ambros.* — *Carcer est coniugium.* — *Mutuus amor coniugij leuamentum.* — *S. Ambros.* — *Matrimoniũ ex disparilibus conflatum.* — *S. Ambros.* — *Felicitas extra matrimonium.* — *Cuncta in matrimonio vincula.*

hæc

hæc enim omnia ad rectum coniugij statum exiguntur.

Tribulatio in matrimonio.

2. Cæterùm quia voluptates carnis mentem alliciunt,& tantùm non occæcant, quarum specie mortales in coniugij seruitutem, atque ergastula temerario, ac furioso,interdum impetu sese contrudunt:idcirco Apostolus onera matrimonij vincula & molestias detegit. *Tribulationem*(inquiens) *carnis habebunt huiusmodi.* Nimirum (exponit S. Hieron.) maledictioni se Euæ subiicientes, siue solicitudinem secularis tribulationis, & tristitiæ patientur. sic ille de nupta quidem; in virum autem non dissimilis maledictio Adam,& carnis tribulatio, & seculi solicitudo ex matrimonio redundat. Quapropter Virginitatis, quæ hominem liberat ab his calamitatibus, admiranda pariter & amanda felicitas dignè laudari non poterit: adiungit enim Apostolus virgines affatus. *Ego autem vobis parco.* Vobis (explicat S.Hieron.) virginibus, vt minori labore maiorem possitis implere iustitiam. sic ille. Quasi dicat: Optarem ego, si fieri posset,vt Virginitatem omnes sectarent; ideòque virtutem hanc admirabilem prædicans liberas esse volo virgines à iugo,à crucibus, ab ergastulis, à cruciatibus coniugatarum: multò siquidem minora perferuntur in custodienda virginitate,quàm in potiundo matrimonio. At voluptatem carnis opponunt coniugium appetentes. Iccirco clamat Apostolus:*Hoc itaque dico,fratres:Tempus breue est: reliquum est,vt & qui habent vxores, tanquã non habentes sint: & qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur. Præterit enim figura huius mundi.* hæc Paulus de voluptate carnis, quæ quia breuis, non expetenda, non impensiùs quærenda, non ardentiùs captanda est. Vide (inquit S Chrysost.) quemadmodum eam voluptatem contraxerit breuitate temporis: *Tempus breue est.* Hoc est, iubemur peregrinari, & deinde excedere; quanquam etsi nihil graue haberet matrimonium,etiam sic oporteret festinare ad futura. Quando autem etiam habet afflictionem, quid opus est onus attrahere? quid tantam oporter molem suscipere, quando etiam postquam susceperis, ea vti oporteat tanquam non habentem: hæc S.Chrysost. *homil. 19. in 1.Corinth.* Cum igitur Apostolico consilio moneamur ita nos agere, sicut aduenas, & peregrinos,quæ isthęc insania est ingenti sarcina,& velut incomportabili onere prægrauari matrimonij, coniugis, liberorum, familiæ; cum possis, si voles, Dei gratia suffultus totum istud cum suo apparatu, & vanitatum omnium pompa, seculum percalcare, expeditúsque omni pondere, non modò currere,sed auolare ad præmium sempiternum?

1.Cor.7.

D.Hieron.

Mira Virginitatis felicitas.

1.Cor.7.

Laborat plus citius, quàm virgo.

1.Corinth.7

Breuis voluptas carnis.

D.Chrysost.

Graue onus matrimonij.

Breuis voluptas in matrimonio.

3. Et quænam ista voluptas est, quam etiam qui licitè habent, quasi eam non habeant, sic se gerere debent: ne illius, aut immoderato vsu corrumpantur, aut fucata dulcedine soporati cœlestem beatitudinem obliuiscantur, aut illius denique grauissima mole onerati in terra,lutoque consistant, quin ad supernaturalium bonorum spem, amorémque eleuentur? Itaque voluptatum amatores sciant: Quia tempus breue est. Nimirum (inquit S Hieron.) tempus vitæ nostræ modicum asserit: vt doceat voluptatem, quæ citò finitur, non magnoperè appetendam; sed magis concupiscendum esse æternum præmium castitatis. sic ille. Sed o quàm saperet,quàm in omni virtutum genere proficeret, qui rationem istius philosophiæ traditam à Paulo sæpe, multúmque expenderet: præterit enim figura huius mundi! Hinc siquidem addiscet, quàm breuia sint, quàm falsa, quam nihili omnia huius seculi bona. Hoc enim seculum(explicat S Hieron.) quasi vmbra pertransit. sic ille. Porrò adiungit figuram cum transitu, ne vel ea tantula soliditas, & quasi permanentia videatur inesse huic seculo, vt figura consistens, status nimirum immota esse dicatur: est quidem figura pertransiens, qualis vmbra corporis sese mouentis, pariter etiam præteriens, paulatímque dilabens. Nihil plane in seculo verum; cum totum ipsum nihil aliud quàm vmbra sit. Vnde infert optimè idem Hieron. ad mentem Apostoli: Nolite ergo de eo multum esse soliciti, ne huius possessione perdatis æternam; & figuram quærentes incipiatis amittere veritatem.hæc ille. Magna quidem amentia,nec hominum,sed pecudum stoliditas illa est, captare vmbram, quæ captari nequit, semper fugientem; at veritatem ipsam nec pensi habere, nec velle consequi, nec tenere. Quis iste furor, vt pomum ante oculos positum fastidio habeas: at inanem pomi vmbram inhianter appetas, & fugientem persequaris? Bene igitur arguit subinde S Hieronym. Hic mundus (inquiens) imago futuri est. Si ergo talis est imago ipsa veritas qualis est? Vnde si hoc tam impensè diligitis, quantò magis istud impensiùs amare debetis? sic ille. Pudor est omnia fieri propter amorem vmbræ transeuntis,& nihil effici propter studium veritatis. Quod autem hoc seculum verè dicatur à Paulo figura præteriens, & nos cum illo pariter caduci,& perituri dicamur, egregiè ita exponit S. Hieron. Nam seculum hoc nos dimissuros quotidiana morientium exempla testantur. An forte nos solos credimus immortales, quasi non simus ex hominibus generati? Vnde sapiens aliorum casibus emendatur dicente scriptura: *Cor sapientis in domo luctus, hic enim finis omnis hominis.* Ecclesf.7.hæc S.Hieron.*in cap.7.Corinth.*1. Mundus transit, & cum mundo pariter transuolat homo; nec tamen recordatur miser finis sui. Sic enim peccat, & in fæcibus suis hæret, iacet, volutatur: quasi nullam sit Deo videnti,& examinanti,& iudicati suorum scelerum rationem citò redditurus.

D.Hieron.

Aeternum castitatis præmium.

D.Hieron.

Mundus vmbra transiens.

D. Hieron.

Timeat amator seculi amittere cælu.

Amẽs est qui mundum cælo prefert.

D.Hieron.

D.Hieron.

Obliuio mortis in homine.

Ecclesf.7.

4. Admirabilis quidem Iacobi fuit continentia: septem quippe annos promittit se Labano seruiturum vt postea Rachelem ducat: atque interim tot per annos quotidie puellam venustissimam, & quam vnicè diligebat, atque vxorem certò futuram videt, affaturque in eodem hospitio; nec illius coniugio se statuit potiturum, nisi post exactum septennium. In quo etiam vehementem erga sponsam amorem suum declarauit. Vtrumque ita subindicat S.Chrysost. *homil. 55. Seruiam tibi*(ait)*septem annis pro Rachele.* Vide beneuolentiam viri; sibi ipsi & tempus præscribit, & tanto tempore sufficiens argumentum suæ continentiæ præbet.sic ille.Duo hęc valde commendant sponsum,reddúntque summè amabilem sponsæ, vt & insigniter amare censeatur, & egregiam ad nuptias conseruet continentiam. Et quidem de amore statim dicemus: continentiam in primis admiramur, quæ non sine miraculo seruari potuit illæsa, vbi tot erant, ac tanta illecebrarum irritamenta. Quid enim periculosius,quàm adolescentem cum puella,eáque pulcherrima,& sponsata in futuram vxorem sub eodem tecto versari? Virum castitati studentem cum fœmina simul cohabitare adeo extremum est periculum, vt non minus verè, quam eleganter scripserit S Cyprian. Nunquam(inquiens) securus cum thesauro latro tenetur inclusus,nec intra vnam caueam habitans cum lupo tutus est agnus. Ipse se voluit superari, qui hostem proprium in suas portas induxit, & intestinum gladium sibi ipse supposuit,qui locum habitationis

Mira Iacob continentia.

D.Chrysost.

S.Cyprian.

Graue periculum virum simul ac fœminam habitare.

bitationis

bitationis suæ aduersarij ingressibus reseranit. hæc ille, *de singul.cleric.* Plane sic res habet: vir & mulier non coniugari, & simul tamen cohabitantes, alter alteri, latro, lupus, vipera, gladius, & pestis est. Qui potest igitur à peccato, & ruina securus agere, qui sponte latronem excipit, cum lupo lusitat, cum vipera dormit, in gladium corruit, & pestem amplectitur? Adiungit enim optimè statim S. Cyprian. Qui fretus est conuersari cum scandalo, sine causa dicit: Pacatus volo esse cum diabolo, contra Apostolum dicentem: *Nolite locum dare diabolo.* ad Ephes. 4. hæc ille. Nimirum, (quod magis adauget periculi grauitatem) alter alteri diabolus est, atque gehenna: quippe cum mutuò vir, & fœmina gehennale, ac sempiternum sibi concitent, & insufflent incendium.

S.Cyprian.

ad Ephes. 4.

Vir, & fœmina alter alteri diabolus.

5. Locum Apostoli de quacunque aduersarij suggestione, qua ad peccandum, & consequenter recipiendum in hospitium mentis diabolum quis incitatur, luculentè interpretatur S.Hier. his verbis: Solet aduersarius, antequam veniat, quædam iacula præmittere, & præcursorem aduentus sui facere cogitationem. Hanc si nos in corde nostro susceptam nutriuerimus intrinsecùs, & crescere fecerimus: cum in nobis prolem suam auctam viderit, & ipse audebit intrare. hæc ille. Muniendus igitur aditus est, ne diaboli iacula in mentem intromittantur: repellendus est, vbi pulsauerit, illius præcursor, suffocandum ipso in exortu illius semen. Hac enim industria, & prouidentia nostra irriti omnino redduntur hostium conatus: nec enim illorum fortitudine, sed nostra ipsorum ignauia de nobis comparatur victoria, & triumphus ducitur. Hinc appositè idem Hieron subiicit: Huic, quod nunc præcipitur, ne locum detis diabolo, illud de Ecclesiastico comparatur: Si spiritus potestatem habens ascenderit super te, locum tuum ne dederis ei. Ille superbus, & temerarius vult ascendere; sed etiam si te oppressum putauerit, & se extulerit, tu ne dederis locum. Potestas quippe diaboli, non in temeritate illius, atque iactantia, sed in tua est voluntate. hæc ille. Locum habet suum in corde hominis Deus ipse per gratiam suam. Hunc igitur locum ait Apostolus nolite dare diabolo, qui per peccatum Deo repulso ad arcem cordis ascendit, & in solio mentis residet. Quare ad repellendam suggestionem diaboli, & (quod multò est periculosius) ad euitandam viri cum fœmina consuetudinem valet egregium illud S.Cypriani consilium; quod statim apposuit: Omni ergo (inquiens) modo muniendus est locus, vbi fuerit thesaurus absconditus, ne per vnam cauernam totum parietem latro suffodiat. Nam si deforis expugnans vix muris expellitur, quantum valebit, si intra muros acceperit habitaculum? ita S. Cyprian. quo nihil per quotidianam experientiam aut frequentius, aut euidentius. Isti enim & Deo addicti, à seculo, & à secularium conuictu, conspectúque longissimè in septa religionum inclusi vix vnquam a carnalium tentationum assultibus habent inducias. quid igitur fiet illis, qui in medio laqueorum incedunt, inter flammas versantur, cum serpentibus, & furiis gehennalibus commorantur? Intra muros pertentantur homines à solis cacodæmonum vmbris; & sic tamen extremum quotidie subeunt discrimen. quid ergo agent, qui in puluere, & in acie inermes ab armatis hostibus impetuntur? Rectè igitur concludit S.Cyprian. Si illi, qui contra eum claudunt aliquoties ab eodem capiuntur; quantò magis ille, qui vltroneus illi patefecerit ingressum, decipitur? Omnes ergo timæ, ne dicam por-

D Hieron.

Praua diaboli cogitatio.

Principiis obstandum in cogitationibus.

Vincit diabolus ob nostrã socordiam.

D.Hieron.

S.Cyprian.

Repellenda statim praua cogitatio.

Religiosos sola vmbra diaboli tentans.

Sponte sese immiscere periculis.

S.Cyprian.

A tæ, claudendæ sunt. hæc ille. Cæterùm ne quis nimiam existimet huiusmodi custodiam, & vigilantiam, subdit egregiam rationem: Ne per vnum (inquiens) foramen castra omnia penetrentur; & vniuersa componenda sunt munimenta, ne per modicum non munitum tota ciuitas ruat; sicut Salomon repetit: *Qui spernit modica, paulatim cadit.* Eccles. 19. hæc omnia S.Cyprian. Communis hic locus de vigilantia, vel in ipsis rebus minimis, quæ quia tales si parui fiant, paulatim in rerum grauissimarum excessus, ignauia hominem deducet; à parua quippe scintilla magnum interdum excitatur incendium.

Aduersus diabolũ omnino vigilantia opus est.

S.Cyprian.

Eccles. 19.

Non contemnendum in minimis.

6. *Seruiam* (inquit) *tibi pro Rachel.*] Dignam ducit vehemens amator puellam, B pro qua molestissimam seruitutem patiatur; & hominem pro Deo, atque animæ suæ immortali gloria nihil velle pati, aut efficere, nõ pudebit? Rem istam optimè præstringit, ac deflet in hunc modum S. Chrysost. Qualem nos habebimus excusationem qui non pari studio erga Dominum nostrum, & benefactorem, & curatorem, & qui nobis fit omnia, afficimur? Sed quando proponitur lucrum temporale, omnia alacriter sustinere volumus, etiam si quid laboriosum sit, & valde ærumnosum, & sordidum, & pœnam in præsenti, & in futuro præbens. Propter nostram autem salutem, & vt supernum nobis fauorem conciliemus, remissi, & supini, & dissoluti videmur hæc ille, *homil. 55. in Genes.* Si tanti creaturam facimus, quanti nobis faciendus erit Creator? si dignè (vt putatur) seruitus C pro vermiculo terræ, ac pro nihilo toleratur: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem* (inquit) *salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Psal. 115. Quibus ex verbis egregiè colligit S. Saluian. Prima ergo (inquiens) hęc retributio est, vt mortem pro morte reddamus, tametsi minoris pretij mors est nostra, quàm sua. Quo fit, vt etiamsi mortem suscipiamus, debita tamen non exoluamus. Sed tamen quia maius referre non possumus, totum reddere videmur, si totum quod possumus, reddere curamus. hæc ille, *lib. de vero iudic. & prouid.* 4. Non modò quantumuis grauem tota vita seruitutem, sed mille (si millies mori contingeret) mortes perferre debuisD set, qui à Deo innumeris afficitur quotidie beneficiis. At ingratus homo, nec benefactorem suum Deum officiis debitis reueretur, nec amori Dei amorem suum rependit; quin etiam (quod summè detestandum est) beneficia ipsa in benefactoris iniuriam conuertit. Quo in argumento multa diuinitus ab eodem Saluiano dicuntur. Missis aliis sic effatur: Deus nobis ad hoc bona præstat, vt boni simus: nos è diuerso, quoties bona accepimus, mala nostra cumolamus. Ille nos beneficiis suis vocat ad probitatem, nos ruimus in improbitatem. Ille beneficiis suis nos prouocat ad compunctionem, nos ruimus in dissolutionem. Vocat ille ad castitatem, nos ruimus in impuritatem. hæc ille, *lib. 6. de vero iudic. & prouid.* Enimuerò sensus omE nes, & facultates corporis, & animæ ipsa sanitas, ipsa totius hominis valetudo, forma, speciésque oris: ipsæ deinde ad vitæ subsidium, imò & ad honestatem, & gloriam opes; ipsi denique honores, quibus potiti mortales inter cæteros eminemus: hæc omnia (inquam) Dei beneficia sunt. At nos iisdem omnibus non abutimor tantùm, sed etiam armamur contra eundem Deum, à quo beneficia, donáque omnia accepimos. Hanc barbaræ ingratitudinis impietatem pariter, & stoliditatem quis nostrum in seipso non experitur, atque vtinam deploraret! Proh facinus! Præclare videlicet (concludit

D.Chrysost.

Ad terrena sumus alacres, ad Diuina ignaui.

Psal. 115.

S. Saluian.

Deo reddamus totum quod possumus.

Ingratus erga Deum homo.

S.Saluian.

Beneficiis Dei peiores efficimur.

Beneficiis Dei armamur in Deum.

S. Saluian.

Bn ficen Dei rependimus iniuriis.

cludit Saluian.) sacris muneribus respondemus. Præclare dona eius vel agnoscimus, vel honoramus, qui quantum ab eo beneficij accepimus, tantum ei iniuriarum repensamus. hæc Saluian.

A

7. Seruituti se libenter mancipat Iacob pro Rachele: sed in lege Christi, vbi gratiarum est plenitudo, acerbiori sese innumeri vtriusque sexus mortales dedicant seruituti, pro virtute, pro castitate, pro Dei amore à seculo in religiosam vitam recepti, quorum haud dubiè illa vox est cum Apostolo: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* Rom. 8.

Rom. 8.
S. Saluian.
Religiosus se suaque Deo debet.

Quæ verba Saluian. ad religiosam perfectionem ita conuertit: Non Apostolus solam pecuniam, nec solas deberi à nobis diuitias Deo dicit; sed & tribu-

B

lationem, angustiam, famem, passionem, effusionem sanguinis, mortem denique omni pœnarum genere sublimiter conditam. Vnde intelligant omnes religiosi non satis se Deo reddere, etiamsi vniuersas dederint facultates; quia licet sua cuncta dispensent, ipsos se tamen debent. hæc ille, *lib. 2. ad Eccles. Cathol.*

Nosipsos debitum sibi Deus exigit.

Nō tam vtique nostra, quàm nos ipsos Deus à nobis tanquam debitum exigit. Nullúmque illi gratius obiicitur spectaculum, quàm cum cernit hominem patienti, constanti, læto que animo pro Dei amore, cum periculis, cum ærumnis, & omnibus vitæ calamitatibus decertantem. Iccirco Dominus admirabili patientia Iobi delectatus mortem illius nequaquam hosti sanguinem sitienti concessit. *Animam* (inquiens)

Iob. 2.

C

illius serua. Iob. 2. cum tamen plenam in facultates, filios, & plagas corporis concesserit potestatem.

Iob theatrū Deo gratissimum.
D. Chrysost.

Animam illius serua. Ne Iobum mihi occidas, ne mihi tam egregium athletam de medio tollas. Si enim (occurrit S. Chrys.) eum de medio sustuleris, theatrum nobis non plaudet amplius. sic ille. Ne perimas inquam Iobum: quod si perimes, tollitur spectaculum, finitur comœdia, festum, lusus, quo frui amplius placet. Nihil mihi gratius, quàm vt spectem hominem carneum, luteum, fragilem, in mediis tamen cruciatibus, ac doloribus, patientia, & sanctitate collucentem.

Hominis patientia Deo gratissima.

8. Denique Rachel, hoc est, præsens vita cum bonis suis digna censetur, pro qua homines quotidie immensos exantlent labores: & pro sem-

D

piterna beatitudine vix vnquam pedem mouemus? Cogitemus quæso (monet S. Saluian.) &

S. Saluian.

præsentium rerum breuitatem, & futurarum æternitatem. Quàm parum illud, quàm grande istud? sic ille loco supra indicato, ad mentem quidem Apostoli dicentis: *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* ad Rom. 8. vbi sic S. Hier. Futuram gloriam commendat, vt præsentes pressuras faciliùs toleremus, & re vera nihil posset homo condignum pati gloriæ cœlesti, etiamsi talis esset illa, qualis modò est vita.

ad Rom. 8.
D. Hieron.

Præmi passionis sempiterna redditur gloria.

quicquid enim passus fuerit à morte, plus non est, quàm etiam pro peccatis suis antea merebatur. Nunc autem & peccata donantur, & tunc vita æterna præstabitur, consortium

E

Angelorum, splendor solis, & cætera, quæ legimus repromissa. hæc S. Hier. Profectò magnitudo beatitudinis futuræ tanta est, vt leue, ac nullum prope sit quicquid laboris, & doloris, & dedecoris, in terra potest homo pro illa comparanda tolerare. Quin etiam tot, ac tam grauia sunt hominis flagitia; vt licet aut beatitudo cœlestis promissa non fuerit, aut ea saltem non bonorum omnium sit fastigium (vti S. Chrys. eam sæpiùs appellat) sed vita quædam huic præsenti non absimilis, nulla ratione possint expiari, atque exol-

Minora peccatis nostris omnia patimur.
S. Chrysost.

A

ui, quantumuis innumeris & acerbissimis homo tribulationibus concidatur. Itaque præmiorum, quibus nostra tolerantia non æquatur, magnitudine, ac multitudine inuitamur quidem: sed in hoc tamen nostra ostenditur infirmitas, & inopia meritorum; quippe quæ semper ipsius mercedis magnificentia longè videntur inferiora. quod S. Chrysost. admodum subtiliter ex verbis Apostoli hoc modo colligit: Vide vt simul deprimat, atque attollat concertantium sensum. Cum enim ostendit maiora esse præmia laboribus, tum magis inuitat, nec sinit cristas illos tollere, vtpote, qui vincantur coronarum retributione. Nam alibi ait: *Momentanea leuitas afflictionis nostræ mire supra modum æternum pondus gloriæ parit nobis.* 2. Cor. 4. hæc S. Chrysost.

D. Chrysost.

Maiora meritis præmia Deus promittit.

2. Cor. 4.

B

9. Vtrumque Apostoli locum coniungens S. Hier. in 2. *Corint.* 4. hæc demum subintulit: Licet corpus passionum iniuriis corrumpatur: anima tamen spe futurorum quotidie confirmatur ad omnia sustinenda. Præsens enim tribulatio quantolibet tempore perseuerans ad comparationem immensæ gloriæ æternæ, breuis, & facilis est. hæc ille. Vberiùs multò S. Ambros. locum ad *Rom.* expendens excutit: Ad omnia (inquiens) exitia paratos esse debere dicit, quia magna pro his repromissa sunt præmia, vt in tribulatione consoletur se animus, & spes crescat. Nam & multos scimus pro præsentibus lucris ad modicum vtique profuturis asperos, & duros subinde labores,

D. Hieron.

Præmiorum spe tribulationes sustinentur.

S. Ambros.

Pro terrenis grauiora multa patimur.

C

& ad quæ aliquando, quia ipsa vita fragilis est, & incerta, peruenire non possunt. hæc Ambr. exemplis subinde rem confirmat nautarum, militum, &c. Ac tandem ita concludit: Quantò ergo magis pro Christo patiendum est, cuius etiam protelata sunt nobis beneficia, qui pro paruis magnificá, & pro temporalibus perpetua, præmia cum gloria pollicetur? hæc ille. At quî potest verè dici quòd homo patiatur pro Christo, cum nihil illi accrescat ex tolerantia, meritísque nostris, totúmque in hominis vtilitatem redundet? Respondet egregiè idem Ambros. hisce verbis: Pro Christo dicimur pati, cum nobis, non illi proficiat quod patimur. Sed quia ille occasionem quærit remunerandi nos, hoc præcipit. Vt bonus enim, vel

S. Ambros.

Dignus Deus pro quo infinita patiamur.

S. Ambros.

Mirus amor Dei erga homine.

D

profusus largitor, causas quærit, quomodo donet, aut indignis, aut verecundis. Denique vt ipsa exitia tolerari possint, ipse suggerit vires. hæc S. Ambros. Nostram itaque salutem bonus Dominus suam reputat, nostra merita coronas suas æstimat: quicquid in nostram vtilitatem dirigitur, sibi ad honorem, & lucrum iudicat redundare. Magnificus etiam Dominus mirificè laudat, ac celebrat quamcumque illi occasionem ex nostris operibus damus, vt sua magnificentia in nobis honorandis, & locupletandis amplius demonstretur.

Magnificentia Dei.

10. Seruit itaque pro Rachele sua impiger ille, ac laboribus assuetus Iacob. Parit enim (vt loquitur S. Greg. Nazianz.) virtus beatitudinem: hæc verò rerum expetendarum culmen est, ad

Beatitudo finis nostrarū actionum.
S. Greg. Naz.

E

quod omnis probi viri agitatio tendit. *orat.* 23. Multis vtique, magnísque laboribus ematur necesse est, quæ omnium laborum requies, omniúmque bonorum fastigium summum est beatitudo, cuius spe, ac desiderio, qui in vita anhelant, & laborant, iam nunc futuri gaudij perfunduntur, & excitantur, liceat dicere, *delibationibus*: quod quidem sorori suæ, dum adhuc viueret, contigisse scribit S. Greg. Nazianz. Sic enim postquam cœlestem descripsit beatitudinem, demortuam alloquitur: Omnino his frueris, quorum etiam dum adhuc in terra esses, ob sinceram ad ea mentis erectionem,

S. Greg. Naz.

Cœlestis beatitudinis liquoribus inspergimur iusti.

erectionem, riuulos habebas. *orat.* 11. Nimirum ex illo torrente voluptatis, quo viuentium patria irrigatur, & cælites ipsi potantur, in mentes mortalium in terra degentium puriores, solent Diuino beneficio pulcherrimi, purissimi, ac suauissimi, latices refundi: prægustant viatores dum adhuc peregrinantur demissos ex illo torrente voluptatis liquores: sed vbi fuerint comprehensores, toto ipso torrente potabuntur. *Inebriabuntur* (ait

Psalm. 35. Propheta) *ab vbertate domus tua.* Psalm. 35. ebrietatis symbolo magnitudinem beatitudinis declarat.

D.August. Quæ fuit enim (commentatur S. August.) verbum, vnde loqueretur de rebus humanis, quod diceret. Et quia vidit homines ingurgitantes se in ebrietate, accipere autem vinum immoderatè, & mentem perdere: vidit quid diceret: quia cum accepta fuerit illa ineffabilis lætitia, perit quodammodo humana mens, & fit diuina, & inebriatur ab vbertate domus Dei. hæc S. August. Multo plenii à se ipsis alienantur, omnium rerum, & sui in primis ipsorum, obliuione tantùm non consepulti. sic beatorum mentes, vbi Deum facie ad faciem contuentur, inenarrabili subinde voluptate perfusæ, ac repletæ ab omni rerum creatarum specie auocantur, & in ipsam diuinitatem absorptæ nihil in se, nec extra se præter ipsum Deum, aut sentiunt, aut gustant, aut sapiunt, aut cernunt, aut cogitant. ô dulcis illa, ô felix, ô pura, ô sancta, ô summè gloriosa ebrietas! *Et torrente* (adiungitur) *voluptatis tuæ potabis eos.* Psalm. 35. Torrens dici-

Cælestis beatitudinis ineffabile gaudium.

Psalm. 35.
D.August. tur (exponit S. Aug.) aqua vehemens cum impetu. Impetus erit misericordiæ Dei ad irrigandos, & inebriandos, qui modo ponunt spem sub velamento alarum eius. Voluptas illa quasi torrens inebrians sitientes. Modo ergo qui sitit, habeat spem, inebriatus habebit rem: antequam habeat rem, sitiat in spe. hæc S. August. Quantò magis ergo digna est illa, quam speramus in cælis, nostræ animæ beatitudo, pro qua nihil non durum, ac difficile, constanti, ac libenti animo patiamur, quàm sua septennij seruitute dignam duxerit Rachelem Iacob? Plenæ sunt gentium historiæ admirandis in omni malorum tolerantia pro honore, pro aura populari, pro auro, & diuitiis, pro impudicis amoribus, & potiundis libidinum irritamentis. Igitur (vt optimè argumentatur Tertull.) si tanti vitrum, quanti verum margaritum? quis non libentissimè tantum pro vero habeat erogare, quantum alij pro falso? Confundemur, si reformidauerimus pati pro veritate in salutem, quæ alij affectauerunt pro vanitate in perditionem. hæc ille *lib. ad martyres.* Pudeat, pudeat tam vilem nobis haberi, & videri Deum, vt pro illo saltem non paria, non eadem præstemus, quæ vani, & stulti homines pro mundo ipso inanissimo quotidie moliuntur! scilicet lucei, sordidi, lutum, & cænum cælo ac Deo ipsi præferimus.

Digna beatitudo malorum omnium tolerantia.

Tertull. *Vera cæli bona.*

Multum laboramus pro mundo, parum pro Deo.

11. *Seruiam tibi*: ait Iacob auunculo, iustus & pius, iniusto atque impio. Nec enim quis ideo melior, quia excelsior. longè aliud est virtus, atque dignitas. Errat, & vehementer errat, qui sibi de loco, quasi de vita, de dignitate, quasi de sanctitate gloriatur. Ne qui talis (occurrit S.Chrysost.) in appetendo primatum profectum pietatis piè prætendat, dico: Nunquid qui in ordine prior est, iam & meritis est melior? sic ille, *homil.* 35. *in Matth.* 20. Nunquid (inquam) meritis minor est Iacob, qui seruit; maior autem Labanus, qui dominatur? Et quidem de dignitate Ecclesiastica, quæ sacratior est, hoc idem demonstrat S. Chrysost. Aliud (inquiens) est bonum opus, aliud est primatus honoris. Et opus quidem bonum desiderare bonum

Non est idem dignitas & virtus.

S.Chrysost.

Ambitio honoris vana est.

est; primatum autem honoris concupiscere, vanitas est: quoniam bonum opus implere, nostræ voluntatis, & nostri laboris est, propter quod & nostra est merces: primatum autem consequi iudicij Dei est; propter quod ex primatu honoris nescio si aliquam mercedem iustitiæ adipisci meremur. hæc ille. Meritò quidem timet, ne in primatu comparando absit omnis veræ iustitiæ merces. Nam (subiicit) desiderium primatus ex iactantia nascitur cordis: qui autem humilis est corde, indignum se esse aliis arbitratur. Primatus autem fugientem se desiderat, desiderantem se odit. ita Chrysost. Cæterùm quia Ecclesiastici solum damnari desiderium primatus secularis à sanctissimo doctore fortassis existimabunt; opportunè statim subinfert: Secularem (inquiens) primatum desiderare, etsi ratio non est, vel causa est: quia etsi iustum non est, vel vtile est. Primatum autem Ecclesiasticum concupiscere, neque causa, quia neque iustum est, neque vtile. ita S.Chrysost. differentiam proponit egregiam inter vtrunque primatum. Vtrumuis enim appetere, ambireque summa est vanitas, & arrogantia contra verum, & Christianum iudicium rationis: at secularis dignitas fere humanæ vitæ magnum solet importare emolumentum: atque adeo licet vanum sit illius desiderium, cedit tamen in corporis vtilitatem, si tandem opere compleatur: at nihil est in primatu Ecclesiastico quod eiusdem commender, aut saltem excuset ambitionem. Est enim huiusmodi alia magis laboribus & incommodis, & periculis plena, quàm lucris. Audi subinde S.Chrysost. Quis enim sapiens (ait) vltro se subiicere festinat seruituti, labori, dolori, & quod maius est periculo tali, vt det rationem pro omni Ecclesia apud iustum iudicem, nisi forte, qui nec credit iudicium Dei, nec timet, vt abutens primatu suo Ecclesiastico seculariter conuertat eum in secularem? hæc S.Chrysost. *homil. indicata.* Viderint nunc quid respondeant Chrysostomo, qui pontificum, & principum aulas adeunt, & integris annis frequentant in Episcopatuum ambitione occupati, honores postulant, onera non respiciunt: humanam gloriam expetunt, fastu, & apparatu seculi titillantur, nec interim futuri iudicis tribunal rationem de gregibus, de talentis, de vinea, de agro reddendam aut tanquam ethnici nesciunt, aut tanquam amentes, ac stolidi contemnunt.

Desiderium dignitatis ex superbia. D.Chrysost.

S.Chrysost.

Dignitatem Ecclesiasticam ambire nec vtile nec iustum.

Dignitatis Ecclesiastica ambitio inexcusabilis.

S.Chrysost. *Insipiens ambit dignitatem Ecclesiæ.*

Damnatur ambitio Episcopatus.

Sententia extremi rationis ab Episcopis.

12. O si oculos in Christum Dominum attollerent! ô si Domini verba audirent, & humilitatis exempla imitarentur! *Qui voluerit* (inquit) *inter vos maior fieri, erit omnium minister; & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.* Matth. 20. vbi luculenter admodum S.Chrysost. apponit: Ad hoc enim ad imaginem Christi facti sumus, vt imitatores efficiamur voluntatis eius, & conuersationis. Nunquid ad similitudinem maiestatis eius facti sumus creati? Nam ille quidem nostram carnem imitari potuit, nos autem illius diuinitatem imitari non possumus. Sed in hoc sumus imago eius, vt quod bonum ei videtur & apud nos sit bonum; & quod ei malum videtur, & apud nos sit malum. hæc ille, *homil.* 35. *in Matth.* Hoc idem Dominus nos edocuit, cum dixit: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Matth. 11. in humilitate scilicet vult nos fieri discipulos, qui iugum illius suaue, & onus leue portare potius, quàm alijs illud imponere contendamus. Quod si hominis ad superbiam procliuis natura portare metuit, sciat graue iugum esse non posse, quod à mitì, & humili Domino imponitur. Quare appositissimè succlamat S.Chrysost. O grauissimum pondus, quod ma-

Math. 20. D.Chrysost. *Contemnendus honor ad exemplum Christi.*

Quo pacto imitari Christum possumus.

Math. 11. *Obediendo non imperando Christum imitamur.*

S.Chrysost.

Iugum Christi portantem roborat.

gis confortat portantes! nam pondus terrestrium A dominorum atterit paulatim ministrantium vires; pondus autem Christi magis adiuuat baiulantem, quia non nos portamus gratiam, sed gratia nos: nec nos ad auxilium gratiæ dati sumus, sed gratia magis ad nostrum. hæc ille, *homil. 28. in Matth.* Adiuuat quidem infirmitatem nostram Domini gratia, quæ præuenit, & subsequitur; excitat verò illius exemplum in mansuetudine, & humilitate: *non enim venit ministrari, sed ministrare.* Matth. 20.

Gratia Dei hominem adiuuat.

Matth. 20.

13. Planè iustorum omnium vti sanctissima, sic etiam maximè Filij sui imitatrix, & imago extitit semper Virgo Deipara, quæ se humilem ancillam Domini & reputabat, & nominabat: & cum Regina sit Angelorum, & creaturarum omnium, B sub Deo augustissimam possidebat dignitatẽ. At ipsa tamen sic maiestatem suam attemperat, & sese deprimit, vt terræ vermiculos, omni scelerum colluuione fœtentes, non dedignetur vocare. Attrahere, venientes recipere, virgineóque sinu fouere, matrémque verè benignissimam, & indulgentissimam peccatoribus se exhibere, quæ Dei Mater est: vnica post Filium suum mediatrix Dei, & hominum. Quare iure optimo debitam illam suam Ioan. Damascen. concinuit cantilenam: Gloriosa dicta sunt de te ciuitas animata Regis æterni. O quàm sanctum, cælísque patentius tabernaculum esse demonstrata es! ô sanctissima Virgo, cum Dei verbum excepisti! dignissima, quæ sola inter Creatorem, & homines intercessisti. hæc ille, *in Canon. od. 9. de sancta Trinitat.* C Felix ille, quem Dominus tam præclaro beneficio diuinitus affectum esse voluit, vt totum se ad cultum Deiparæ Virginis impendat! O quàm vtilis, quam opulenta est homini pietas erga Dei Matrem! Experta huiusmodi felicitatem illa confitetur anima: *Introduxit* (inquiens) *me Rex in cellaria sua.* Cantic. 1. Legunt alij: *In cubiculum suum*, vel *in promptuarium suum.* Profectò Virgo ipsa est cellaria, cubiculum, promptuarium Dei, & hominum. Sic enim videtur interpretari Philo Carpathius: Promptuarium (inquit) Christi primum est corpus illud, in quo sibi domicilium fabricauit. sic ille. Enimuero Deus Pater in Virgine Filiam, Dei Filius Matrem, Spiritus sanctus Sponsam, D totáque ipsa Trinitas complementum suorum operum in executione scilicet adinuenit. Angeli suarum sedium reparatricem, cæli ornamentum; nouámque & admirabilem ex Virgine Deipara, cælorum Regina, lætitiam pariter, ac dignitatem sibi pepererunt. Denique mortalibus ad omnia bona vitæ, honoris, gratiæ, supernaturalis, æternæque beatitudinis Virgo Mater est promptuarium.

B. Maria humilitas.

B. Maria misericordia erga homines.

Ioan. Damasc.

B. Maria mediatrix inter Deum & homines.

Vtilissima pietas erga B. Mariam.

Cantic. 1.

Philo Carp.

B. Maria gratia in omnes diffusa.

14. *Seruiam* (promittit Iacob) *tibi pro Rachele filia tua.* puellam suis sudoribus, & septennij seruitute coëmpturus. Amor quidem fuit verus, & vehemens, sed in vmbra tamen hæc omnia contingebant. Veritas extitit, cum Dei Verbum multò ante incarnationem à Deo Patre coëmit, ac rede- E mit Matrem sibi futuram; ne videlicet vti Adami filia in sua conceptione originalem maculam, per quam peccato, ac diabolo esset mancipanda, contraheret, futura suæ incarnationis merita, crucis patibulum, sanguinem, & mortem iam tunc obtulit, vt Virgo extra legem filiorum Adami, purissima, summéque immaculata conciperetur; vti nimirum tantæ Matris dignitatem, & tanti Filij maiestatem decebat. Meritò igitur triumphali suo carmine Vates occinuit: *Sol & luna steterunt in habitaculo suo.* Abachuc 3. hoc est, Filius, & Mater duo mundi lumina diem, noctémque & discrimi- A nantia, & illustrantia in sua conceptione non (vt cæterum Adami genus) ceciderunt, sed firmiter steterunt in habitaculo, id est, intra tabernaculum materni vteri, absque macula originali; ac subinde per totum vitæ curriculum steterunt in proprij corporis tabernaculo absque vllo casu, & labe, vel vmbra etiam peccati actualis. Libentissimè pro Matre sua Filius seruum se præbuit, vt illam sibi puram & immaculatam sine ruga, næuo, labéque exhiberet, támque pulchram efficeret, vt Angelos anima, solem corpore longissimè superaret. Est enim Virgo (inquit Georg. Archiepiscop. Nicomed.) thronus gloriosus, regium vehiculum, quo vehitur Verbum, cum in carne aduenit. Pulchritudo autem Virginis est incomparabilis, cuius lux B oculorum solis radios superauit. hæc ille, *de præs. Virg.* Eia ergo aduocata nostra, Mater nostra, naturæ nostræ decus, vitæ nostræ solatium, & spes vnica, istos tuos misericordes, lætos, virgineos, & omnium donorum, bonorúmque datores oculos ad nos conuerte. Respiciet Filius, ac fouebit, quos Matris inspexerint oculi, & Matris decor, gratiáque afflauerit.

B. Maria immaculatam conceptionem Filius suis meritis coëmit.

Abach. 3.

Christus & B. Maria concepti sine originali.

Georg. Nic.

Incomparabilis puritas & pulchritudo B. Mariæ.

Implorantur oculi B. Mariæ.

SECTIO VIII.

Respondit Laban: Melius est vt tibi eam dem, quàm alteri viro; mane apud me. Seruiuit C *ergo Iacob pro Rachel septem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.*

1. ANnuit Laban Iacobo Rachelem poscenti. Nec enim (inquit) meliorem mihi generum possum conciliare, quàm filium ex sorore mea: tua iam deinceps eris vxor, nunc sponsa & nominetur, & sit; modò tamen mihi seruias, suscepta meorum gregum custodia. Iacob igitur mirum in modum excitatus dilectæ Rachelis sponsalibus integros septem annos auunculo in pascendis gregibus seruiuit. In quo (vt bene obseruat S. Chrysost. *homil. 55. in Genes.*) mirificam continentiam præ se tulit. sic ille. Enimuero instar est D prodigij adolescentem pulcherrimæ puellæ iámque sponsæ vehementi amore affectum, potuisse tamen illius differre nuptias per totum septennium, quin iugiter dilectam contuitus vel tantulum quidem honestatis cancellos transgegerit. Seruitus quidem & longa, & molesta, & valde laboriosa extitit; sed eam tamen iugis conspectus Rachelis magnopere temperauit, vti propositum ante oculos brauium vehementer cursores excitat in stadium, luctatoribus vires subministrat, agonémque ipsum quantumuis arduum, & periculosum reddit facilem, ac suauem. Veritatem hanc in seipsa Domini Sponsa experta dixit: *Ordinauit in me charitatem.* Cant. 2. Hebr. *vediglo ghalai ahabah.* ודגלו עלי אהבה *Et vexillum eius super* E *me amor.* cuius loci multiplex est sensus. In primis enim sponsa laboriosam huiusce vitæ militiam pro sponso suo ingressa dulce, ac leue ducit quicquid amaritudinis, aut oneris, laborísque immineat; quippe cum oculos habeat defixos in dilectum suum sponsum, quem in canticis ferè semper amorem appellat. nec enim aliquid aliud in mundo dignum iudicat, quod amari, aut amor vocari debeat. Vnus quidem sponsus & amabilis est, & dignus, qui totus ipse amor, ac desiderium nominetur. Vt igitur milites alacri animo ruunt in prælium, mortémque vltro petunt, vexillum ante oculos

S. Chrysost.

Mira Iacob continentia.

Præmij conspectus vehementer excitat.

Cant. 2.

Omnia vincit amor.

oculos positum subsequentes: ita Dominum suum praeeuntem Sponsa per flagra, per cruces, rerúmque omnium, & mortis demum extrema discrimina forti animo, lætóque vultu consequitur.

Amor amorem excitat.

2. Deinde amor, quo videlicet Sponsam Dominus prosequutus est vsque ad mortem crucis, ita illam excitat ad ardua quæque subeunda, vt possit aliqua ex parte amori amorem rependere, veluti milites ad conspectum vexilli concitantur in pugnam.

Amor vexillum.

Aut etiam amor Sponsæ, quo fertur in Dilectum, dicitur vexillum; quippe trahit sequentem, regit euntem, pugnantem excitat, dulcéque facit & gloriosum pro Sponso bellare, periclitari, mortémque inter vulnera, & cruciatus subire.

Amori nullũ est periculũ.

Imò ea vis est amoris, vt non modo pericula nihili habeat, sed etiam illa nec esse iudicet, nec talia videat: vti Apostolus clamabat: *Quis nos separabit à charitate Dei? tribulatio, an angustia? &c.* ad Rom. 8.

ad Rom. 8. *S. Chrysost.*

Benè S. Chrysost. immensum Pauli amorem, & ardorem expendit: Vide (inquiens) dictionis emphasim, & latentem vim: vide amoris violenti furorem, vide charitatem immensam. Quasi liberatus à corpore, & sublimis factus (vt ita dicam) & neque super terram ambulare se putans ita loquitur: Amor enim in Deum, & succensa charitas mentem eius à sensibilibus ad spiritualia transtulit, & à præsentibus ad futura. Talis enim res est fides, & charitas in Deum. hæc S. Chrys. *homil. 55. in Genes.*

Mirus in Deum S. Pauli amor.

Cum enim Paulus cum Deo, & cum cœlitibus conuersaretur (vt alibi dixit) nihil in terra, nec prosperum, nec aduersum; nec dulce, nec amarum; nec facile, nec arduum spectabat, in solum Dei sui amorem defixus.

D. Hieron.

Post tanta quippe, & præclara (indicat ibi S. Hieron.) beneficia, vel promissa, quæ poterit tam grauis esse pressura, quæ nos ab eius charitate diuellat?

Charitas in Deum periculis non mouetur. *Vexillum Christiani amor sacius.*

In quo docet omnes tales esse debere, qui à Christo nec periculis debeant separari. ita S. Hier. Vexillum quidem Christianis est in pericula, in tormenta, in mortémque ruentibus amor, quo diliguntur à Domino, & quo ipsum Dominum diligunt. Hoc amore concitati pugnant, vincunt, triumphant. Subdit enim statim Apostolus: sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.

D. Hieron.

Has omnes (declarat S. Hieron.) tribulationes pro nihilo ducamus propter eum, qui nos tantum dilexit, vt etiam moreretur pro nobis. Et quando pro eius nomine morimur, tunc maximè triumphamus; præsertim cum leue sit pro se pati, quod pro aliis Christus Dominus pati dignatus est. hæc S. Hieron. *in cap. 8. ad Roman.*

Triumphat patiens pro Deo.

Tunc ergo triumphamus, cum pro Domino premimur, atque affligimur. Et leue quidem præter Dei amorem nostri etiam amor faciat oportet quicquid aduersum subeundum est: nobis enim occamus, & metimus, vbi sudamus, nostra erit vtilitas, nostra felicitas.

Tota vtilitas ex virtute nobis cedit. *ad Rom. 8.*

Nec sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. At Christus Dominus non suam, sed nostram suo sanguine gloriam comparauit

3. *Videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.*] Hebr. *Vni dies*, hoc est, non multi, sed admodum pauculi, vix vno, vel altero plures.

Vxor non amanda propter formam.

Commendatur amoris magnitudo in Iacob, non qui tamen vltra matrimonij terminos exiliens in mœchiam lasciuiret. quo vitio ij laborant, qui vxores eò tantum diligunt quod pulchræ sint, turpes quidem formæ, non vxorum amatores. Hoc autem paularim (vt solet) flore marrescente, cum iam omne perierit illicium, miseras aliquantò deformiores, vti pestem auersantur. Vehemens quidem amor Iacobi erga Rachelem, quia vxorem, eámque formosam, & primò omnium visam, atque amatam; sed nulla tamen infectus labe. Probatur verò illius magnitudo, eo quòd septem annos seruitutis tanquam dies pauculos seruienti, atque amanti reddiderit. At qui potest hoc fieri ac dici? Quid quæso æquè impatiens, atque amor?

Amor impatiens & modum nesciit. *S. Pet. Chrys.*

Amor enim (vt optimè docet S. Petr. Chrysol.) modum nescit. Amor non accipit de impossibilitate solatium, non recipit de difficultate remedium. Amor nisi ad desiderata perueniat, necat amantem: & ideò vadit quò ducitur, non quò debeat. hæc ille, *serm. 147.* Necat amantem dilatio, & desiderium rei amatæ, qua sperat aliquando tandem potiri. *Spes enim, quæ differtur, affligit animam.* Prouerb. 13.

Prouerb. 13. *Beda.* *Spes amantem & affligit.*

quem locum S. Hieron. aut Beda potiùs, ita commentatur: Quia nimirum quandiu differtur spes æternorum, affligitur anima fidelium; vel pro dilatione videlicet bonorum, quæ amat: vel pro illatione malorum, quæ tolerat. At vbi venerit quod desiderat, facilè obliuiscitur, quod sustinuerat; quia in æternum viuere incipit cum suo redemptore, quem tota intentione quærebat. hæc ille. Duo quidem spes præstare consueuit: animat, & affligit, alit, & necat sperantem: animat, virésque ministrat ad laborum, & molestiarum tolerantiam.

Spes æternorũ bonorum. *S. Chrysost.*

quod in viris iustis æterna bona sperantibus videre est. Cuiusmodi consilium illud à S. Chrysost. traditur: Ferto afflictionem, & dolorem spe futurorum nutritus. *homil. vlt. in Epist. ad Philipp.*

4. Quis quæso bonorum omnium affluentiam in æternitate sperans non alacri, & constanti animo, præsentia quantumuis aduersa sustineat?

S. Greg. Naz. *Spes iacta in Deum anchora.*

Pulchrè S. Gregor. Nazianz. vocat spem non confundentem, quæ scilicet certa est, & secura in Deum iacta anchora: commodum in malis pharmacum. *orat. 1. contra Iulian.*

Propter spem aduersa patienter sustinentur.

Degustata enim futuræ immortalitatis spe non onerant, non deprimunt, non impatientiam commouent; sed facilia, leuia, dulciáque redduntur, quæcunque in hac vita subeunt aduersa homini toleranda. Quapropter monet regius vates: *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Psal. 26.

Psalm. 26. *S. August.*

Verum egregiè quærit S. Aug & respondet quæsito ad hunc locum: Sed quando istud erit? arduum est mortali, tardum est amanti. Sed audi non fallacem vocem dicentis: Sustine Dominum, tolera vstionem renum viriliter, & vstionem cordis fortiter: non tibi negatum putes, quod nondum accipis, &c. hæc S. August.

D. Hieron.

Expressiùs hunc eundem locum ita S. Hieron. commentatur. Expecta primum, vt contra certamina mundi à Deo conforteris. Expecta deinceps, vt victor ab eodem Domino coroneris. Nos verò deprecemur Dominum, vt ipso confortante, sustinendo viriliter mundialium fluctuum procellas expectemus per fidem, quoadusque veniat reddere, quæ dignatus est polliceri. hæc S. Hieron. Confortat quidem, & excitat mirum in modum spes ad laborandum, certandum, & seruiendum pro rei amatæ possessione tandem comparanda: at dum ea possessio differtur, affligit spes amantem, necat sperantem, flammigero videlicet amore animam spe excitatam, desiderióque flagrantem, dilationísque impatientem vehementiùs accendente.

Spes, desiderium, impatientia amoris.

Itaque licet tempus admodum longum Iacobo, si desiderium respicias, videretur, cum omnis amanti mora mors sit; & breue tamen tempus, pauculos dies, leuem laborem, aspectus ipse Rachelis, magnitudo ipsius mercedis pretium omne amanti, & cupienti leue faciebat.

Amanti mora mors est. *S. Chrysost.*

Septem (inquit S. Chrys.) anni pauci dies videbantur ob ingentem erga puel-

Amans vt desiderij expleat nihil non sustinet, audetque.

lam amorem. Quando enim quis sauciatur charitatis desiderio, nihil difficile spectat: sed id quod fuerit plenum periculis, & multa miseria, leuiter fert ad vnum hoc attendens quomodo suo potiatur voto & desiderio. hæc S.Chrys. *homil.* 55. *in Genes.*

5. Quocirca duplicem explicationem patitur hic locus, vt dies pro labore dierum sumantur; quod S.Hieron. Aug. & aliis magis placuit; quorum vnus S.Chrys. prædicta homil. ita concludit: Vt ostendat nobis scriptura quomodo amor magnus & laborem, & temporis longitudinem succidit, & breue videri facit, dicit: Videbantur illi pauci dies, &c. hæc ille. Deinde vt dies suum significatum retinentes hunc reddant sensum, ita Lyranus aduertit: Videbantur ei pauci dies in comparatione ad rem tam amabilem, quia pluribus annis seruiisset pro ea, si fuisset requisitus. hæc ille. Quasi diceret secum Iacob: Tanti æstimo Rachelem, tam mihi pretiosa & chara est hæc merces, & gemma est, vt pro illa comparanda & potiunda leuem iudicem laborem & seruitutem integri septennij, septémque ipsos annos pro paucis æstimem diebus. Maiori siquidem pretio, grauiore seruitute, diuturniore labore, longioréque tempore laborandi, & seruiendi, & expectandi dignam mihi censeo Rachelem. quin etiam si pater pro filiæ nuptiis viginti annos seruitutis à me exegisset, non equidem grauem, diuturnam, & iniquam conditionem recusassem. Pauci ergo videntur dies secundum iudicium Iacobi reputantis secum excellentiam Rachelis omni quidem obsequio, pretio, ac seruitute superiorem: contra verò secundùm affectum, vehementem scilicet amoris ardorem & flagrantissimum desiderium concupito illo bono tandem potiundi, non pauci, sed plurimi, ac prope infiniti numero dies Iacobo videbantur. Nam quæ mora non longa, non diuturna est amanti? quam ille non sustinens apud Maronem aiebat:

Lyranus.

Incomparabile amanti pretium rei amatæ.

Si mihi non hæc lux toto iam longior anno est.

Virgil.

Dixisset scholasticus expediriore compendio: appretiatiuè paucos videri Iacobo dies; affectiuè autem plurimos. Appretiatiuè charitas iuxta Apostolum omnia sustinet. 1.*Cor.* 13. Nam licet mollius, ac blandius ad compatiendum amore nihil sit: in patiendo tamen videtur quodammodo omnipotens, aut si malis dicere omnipatiens. Omnia sustinet, humeros siquidem, ac vires ad omnia toleranda, & portanda libenter exhibet. Nihil enim (inquit S.Hier.) amantibus durum est. sic ille, *ad Eustoch. de Virgin.* Sic amor omnipatiens, aut omnipotens in Iacobo extitit, vt vltra septem & septuaginta, ne dicam mille, annos quantumuis grauem, & laboriosam seruitutem pertulisset, si tam grandi amori breuis non esset vita. Pauci denique amanti videbantur dies: amor siquidem labores non computat, labores nescit: de annis efficit dies, de mensibus horas. Septem seruiuit annos, nec anni pauci, sed pauci dies videbantur seruienti pariter atque amanti. Tot enim annos amoris magnitudo in breues dies commutabat; atque adeo pro re tam pulchra, & chara pretium septennæ seruitutis amanti videbatur exiguum; diésque tam laboriosi, ac longi, tempus breue, cum tanto pretio comparari.

1.Cor. 13.
Amor omnipatiens.

D.Hieron.

Mira vis amoris.

6. Seruitutem & diuturnam, & permolestam libens Iacob suscepit pro comparanda vxore, quam vnicè diligebat. Vtinam & laborando, & amando sese mariti vxoribus commendarent; nec tam grauibus hodie infelicitatibus coniugatorum vita vbique premeretur; vbi pax nulla, seditio perennis, odia nonnunquam implacabilia, fœda diuortia, deplorandæque ruinæ. Cuncta composuisset amor Iacobi erga Rachelē, si etiam nunc vigeret. Sponsatam sibi iam puellam, immensis tamen laboribus promeretur Iacob, vt discamus quæ nobis à Domino sunt promissa, non sine operibus nostris tandem obtinenda: nec enim otiosis, & oscitantibus Diuina beneficia conferuntur: sed ille solus *coronabitur, qui legitimè certauerit.* 2. Tim. 2. Animus igitur in præmium æternitatis intentus ad perferenda quæque grauia, & laboriosa excitatur, vt opere tandem obtineat, quod fide percepit, spéque appetiuit: hæ siquidem ambæ mirabiliter elucent in illo. Vnde illud egregiè dictum à S.Paulino: Quis dubitet in eius spiritu fidem veritatis habitare, in cuius vita videt fidei extare virtutem? *Epist.* 25. Maledicto Domini ficus illa meritò exaruit, quæ in vanitatis symbolum foliorum reuirescebat velamine; at in typum otiosæ infœcunditatis operum fructu debito carebat. Vt ergo in istum anima nostra exuberet Dominum ipsum pomarij custodem, & operatorem cum S.Paulino deprecemur: Cor meum (inquit) Diuinus amor fodiat, & stirpem meam necessaria pœnitudo stercore humilitatis impinguet. *Epist.* 33. Sic bene culta mens nostra nullum fructibus vacuum tempus habebit, nec dominicæ maledictionis periculum subibit, cum læta vberes exhibeat fructus, vbi collecturam ficui manum Dominus admouerit. Quapropter adiungit S.Paulin. Omni hora paratus assistam, & Domino absente sim trepidus, vt adueniente securus sim. Omni tempore me fertilem sibi Christus inueniat, id est, vt nunquam cuiquam operi voluntatis illius immaturus appaream. hæc ille. Etsi enim iuxta otiosi hominis desidiam non semper tempus est producendis fructibus maturum, aut iisdem colligendis opportunum: at iuxta Domini voluntatem iure optimo de nostra anima perennibus ipsius beneficiis, & gratiis præuenta debitum prouentum expetentis, & maturum, & opportunum tempus nunquam non erit.

Infelix domus vbi coniuges inuicem non amant.

2.Timot. 2.

S.Paulinus.

Matth. 21.

S.Paulinus.
Bona opera ad salutem.
Luc. 13.
Anima fœcunda operibus.

S.Paulinus.

Semper & vbique opportunitas benè operādi.

7. Quin etiam ipsa efferuescentis in anima passionis occasio importuna suppetens, ad virtutis fructum promendum sic matura, & opportuna viro sanctissimo videtur, vt egregiè hoc ipsum adiiciat: Sed si fortè in tempore iracundiæ desiderauerit Dominus à me pacem suam, non sit mens mea per iracundiæ acerbitatem cruda concordiæ: nec expectem, vt sol occidat super iram meam, ne occidat vita mea, si ante clauserit vesper, quàm extinxerit pax furorem. hæc Paulin. Exemplum posuit in iracundia, quæ passionum omnium maximè præceps, ac furiosa est, mentique adeo crassas offundit tenebras, vt rationis lumen depellat, Diuinæque gratiæ splendoribus occæcati furoris, obstinatique odij obicem opponat. Similiter philosophandum de quacunque alia passione, in cuius ardore (quod minimè reris) velut iam maturo, & opportuno tempore à nobis expectat Dominus debitam in obsequium ipsius fidelitatem: quæ maximè demonstratur, cum propter Deum effrænati motus comprimuntur, vitiosarúmque appetitionum ebullientes in animo scintillæ sopiuntur. Promissam sibi vxorem Iacob seruitutis labore promeretur: at non modò sub conditione promissam, sed certò iam infallibilem Dei gratiam, & salutis æternæ prædestinationem Apostolus, ac si non esset in Diuina gratia confirmatus, sanctissimis operibus, & (quod magis mirandum est) voluntaria corporis afflictione, quam vocat Iesu mortificationem, certam, ac securam facere,

S.Paulinus.
Periculosa vltra diem iracundia.

Iracundia mentem occæcat.

Comprimendæ animi passiones.

Mortificatio prædestinatis necessaria.

facere, ac demeteri contendebat: ait enim: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo; ne fortè cum alus prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* 1. Corint. 9. Ita vim (inquit) mihi infero, sic meum corpus affligo, ac si timerem æternam condemnationem, cum tamen certus sim de mea infallibili prædestinatione: vt omnes discant timere, suámque vocationem Christianis operibus, maximè verò corporis mortificatione certam facere. quod ita S. Chrysost. colligit: Si Paulus hoc timuit, qui factus est Angelus, quid nos dixerimus? Ne enim existimetis (inquit) quoniam credidistis, hoc vobis sufficere ad salutem. Nam si mihi prædicasse, & innumerabiles adduxisse, non satis est ad salutem, nisi meæ quoque actiones sint eiusmodi, vt in eas nulla cadat reprehensio, multò magis vobis. hæc S. Chrysost. *homil. 23. in 1. Corinth.* Et quidem præter tam multa, & egregia opera prædicandi, conuertendique gentes ad fidem, exantlando etiam infinitam admodum periculorum, persecutionum, ærumnarúmque multitudinem, adhuc tamen iudicat Apostolus sibi necessariò addendum esse, vt voluntariis afflictationibus corpus suum premat, maceretque; & nuncupatim (vt videtur elici) flagris diuerberet. At ô pudor, ô dedecus, ô cæcitas deploranda nostri temporis hæreticorum, qui aruina distenti, crapula sepulti, veneréque diffluentes in popinis, in ganeis, in volutabris fœdissimarum corporis voluptatum somniant miseri Diuinam gratiam, sempiternámque salutem sola fide contentos se adepturos.

1. Cor. 9.

D. Chrysost. Bonus timor circa salutem animæ.

Necessariam sibi indicat S. Paulus mortificationem.

Hæreticorum cæcitas & impuritas.

Sola fides non sufficit ad salutem.

8. Vide etiam quàm pium, quàm sanctum, quàm antiquum, vel ipsis primoribus Christianæ gentis doctoribus vsitatum habeatur voluntariæ diuerberationis exercitium. In quo sanè vir Christianus sanctissimorum martyrum virtutem in tormentorum suorum tolerantia quodammodo videtur imitari. Sed hoc ipsum audi potiùs ex D. Petr. Damian. qui sic scribit. Dum manus carnificis nunc ab infligendo martyrum verbera cessat, quid obest, si tanta deuotio ipsa sibimet, vnde sanctis martyribus particeps fieri mereatur, exhibeat? Nam cum sponte me propriis manibus ante conspectum Dei verbero, deuotionis ingenuæ desiderium, si carnifex accurreret, promptus ostendo. hæc ille. *Epist. 10. ad Petrum Cerebrosum.* Itaque qui se vltro flagris castigat, pietatem, & patientiam martyrum imitatur: quod enim isti patienter pro fide Christi tolerarunt, hoc ipsum ille voluntariè pro pietate sese affligendo molitur. Deinde hac eadem spontanea verberatione pium, atque ad subeundos pro fide cruciatus animum suum demonstrat. adiungit enim sanctissimus Cardinalis: Quia (inquiens) si pro amore Christi tam dulcis est mihi pœna, cum deest, quo susciperetur animo, si persecutor offerret? Vellem pro Christo subire martyrium, non habeo cessante studio facultatem, ipse me verberibus atterens ostendo saltem feruentis animi voluntatem. Enimuero si me persecutor allideret, ipse me verberarem: quia verberandum me vltroneum exhiberem. hactenus Cardinal. Quocirca martyr dum patienter verbera perfert, quodammodo spontaneam istam Christianæ mortificationis verberationem exhibet, & qui propriis manibus sponte illam suscipit, martyrij agonem, & triumphum in se ipso exprimit: adeo coniuncta est cum gloria martyrum ista, quam hæretici fugiunt, atque oderunt, mortificatio catholicis, & religiosis viris, quàm frequentissima; quæ ad Diuinam gratiam cum adipiscendam, tum etiam conseruandam magnopere conducit: addit enim Petr. Damian. Vt

Voluntaria verberatio ad imitationem martyrum.

S. Petr. Dam.

S. Petr. Dam. Voluntaria verberatio in martyrium oblato.

Mortificatio hæreticis odiosa.

S. Petr. Dam.

A quia (inquiens) me læta caro traxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam: & vt, dum corpus affligitur, animæ refrigerium procuretur. sic ille.

Afflictio carnis est leuamentum animæ.

9. Iure optimo queritur S. Chrysost. ad hunc locum seruitutis Iacob, de ignauia, & stoliditate hominum, qui pro Deo immortali, ne tantulum quidem suscipere volunt laborem. Audiamus (inquit) nos ignaui, & supini, magna ingratitudine in Deum viuentes. Nam si Iacob propter puellæ amorem septennium seruire, ferréque pastoralium laborum ærumnas decreuit, & non sentit vel labores, vel temporis longitudinem: sed omnia ei leuia, & facilia videntur, expectationéque, & spe fructus alitur; ita vt dies paucos longum illud tempus putet: qualem nos habebimus excu-B sationem, qui non pari studio erga Dominum nostrum, & benefactorem, & curatorem, & qui nobis sit omnia, afficimur? hæc S. Chrysost. *homil. 55. in Genes.* Adeo stolidi sumus, vt Deum nihili habeamus. Nam si Deum, prout est, iusta lance penderemus, dignissimus planè videretur, pro quo aduersa omnia, molesta, & periculosa libenti, & alacri animo susciperemus. In nobis ipsis est nostræ ignauiæ, atque impietatis origo, non autem in Deo; qui cum sit infinita bonorum omnium excellentia, non potest non amari, si cognoscatur. Pulchrè siquidem animaduertit Philo Hebr. Intra nos ipsos (inquiens) thesauri vitiorum sunt: apud Deum verò solorum bonorum. sic ille, *lib. de profugis.* Quis quæso abundantior vitiorum thesau-C rus, quàm ipsa de Deo conditore, summóque bono ignorantia? *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus: corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis, &c.* ait Psaltes, *Psalm. 13.* ostendens corruptelam morum, & omnium flagitiorum abominandam turpitudinem in hominibus à veri Dei ignorantia prouenire, non quòd existimem agere de atheismo, sed tantùm de stoliditate, & vecordia illorum mortalium, qui prorsus diuini Numinis obliti, ac si stipites, & pecudes essent, vitam suam in terra, & in luto agunt. *Insipiens* Græcè habetur ἄφρων, *mente carens, amens.* Hebr. *nabal* נבל à *defluendo, vacando.* Homo scilicet (si fas est ita monstrum istud nominare) ratione, & cerebro vacuus vanus in rebus omnibus, cui omnia diffluunt, D tantúmque flagitiis, & scelerum colluuione plenus: denique sceleratus pariter ac stultus vtrumque in voce Hebræa *nabal* contineri putat Geneb. Et ne plura commemorem, Deum agnoscens ac memorans Creatorem, si quis mente non careat, debito obsequio, & amore non poterit non prosequi. Vt enim optimè subnotauit Phil. Hebr. quisquis mundum creatum intelligit, non mediocre bonum lucratus est, Creatoris notitiam. Hæc enim citò persuadet, vt creatura Conditorem suum diligat. *lib. de profugis.*

D. Chrysost.

Stulti Deum non amamus nec æstimamus sicuti est.

Phil. Hebr. A nobis vitia, à Deo bona.

Psalm. 13. Ignorantia Dei fons omnium malorum.

Genebr. Cognitio Dei ad amorem ipsius ducit.

Phil. Hebr.

10. Vitiorum deinde thesaurus in nobis est ipsum caducarum rerum, quas flagrantissimo studio insectamur, prauum iudicium: licet enim bona isthæc mera sint vanitas, ac nihili: cæco tamen E mentis iudicio sese obiiciunt, ac si quidpiam soliditatis habeant: fitque subinde, vt (quod idem Philo statim subscribit) somniis, & imaginationibus bonorum vulgarium obuersantibus sibi homo delectetur. sic ille. Rectè bona ista pereuntis mundi, quibus homines inhiante ore student, somnia & imaginationes appellantur. Tantoque proinde magis detestanda, & deploranda hominum impietas, & stoliditas, qui mera bonorum insomnia Deo suo præferre audent. O si quis animam suam, salutem suam, Deũ suum æquali (proh pudor!) studio, & amore diligeret, atque Iacob

Phil. Hebr. Bona mundi somnia & imaginationes.

catus Rachelem, hoc est, Ecclesiam de gentibus congregatam synagogæ Liam figuranti prætulit. Omnia autem ille (inquit S Irenæus) faciebat propter illam iuniorem bonos oculos habentem Rachel, quæ præfigurabat Ecclesiam, propter quam sustinuit Christus. *lib.4. aduersus hæreses, cap. 38.* Minus apposita illa est interpretatio, quam etiã adiungit Rupertus in Lia Ecclesiam, in Rachele synagogam significari. Porrò etiam mihi videtur Lia significare illam animam, quæ terrenis implicata negotiis, & bonorum huius vitæ amore, cupiditatéque velut cœno immersa oculos ad contemplandum, mentem ad desiderandum, amandúmque cœlestia, & Diuina non attollit: contra verò Rachelem puto illam, quæ quicquid extra Deum, aut esse, aut fingi potest, generosæ mentis volatu transcendens in Deo ipso castam, & puram aciem mentis, qua nihil pulchrius, defigens, contemplando, amandóque Deum vti Sponsa Sponsum dilectissimum, conquiescit. Hinc fit, vt illa ad studium orandi turpiter admodum torpescat, damnatóque sopore dies, noctésque stertat lippa, & cœnosa: ista verò peracutos, vigiles, atque ideo pulchros habeat oculos, vt in lege Domini meditetur die ac nocte.

Christi amor in Ecclesiam. S. Iren.

Orandi studium commẽdabile.

17. Hoc illa quidem pulcherrima, & acutissima præstabat anima, quæ dicebat: *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.* Psal. 118. quasi dicat: Tantus me tenet ardor orandi, & meditandi, vt vel debito, ac naturali somno excusso ad contemplandum excitus inconniuentibus, & lætis oculis orientem solem præueniam. Quo in sensu multa diuinitus disserens S. Ambros. hæc subinde colligit: Graue est enim si te otiosum in stratis radius solis inuerecundo pudore conueniat, & lux clara feriat oculos somnolento adhuc torpore depressos. Arguit nos tanti temporis spatium, sine vllius deuotionis munere, ac sacrificij spiritalis oblatione feriata transmissum. hæc ille, *serm. 19. in Psalm.* 118. Ah pudeat hominem sempiternæ vitæ natum tam longos producere somnos, moréque stipitis, aut etiam cadaueris tanquam in sepulchro, ita in lecto iacere! Exigit quidem somnum necessitas: sed moderatum illum tamen, neque verò in diem vsque producendum: contemplandi quippe munus Christiano homini summè necessarium, cum semper frequentari debeat, tum vel maximè matutinas, vtpote expeditiores sibi horas postulat. vnde monet vlterius idem Ambrosius: An nescis ô homo, quòd primitias tui cordis, ac vocis quotidie Deo debeas? quotidiana tibi messis, quotidianus est fructus. Occurre ergo ad solis ortus, vt te oriens inueniat iam paratum, ne lumina tua madido adhuc sopore mergentia primus diei fulgor exagitet. hæc S. Ambros. Manè igitur Deo assistens anima, pulchros, ac vigiles Rachelis oculos in rerum Diuinarum contemplationem intendens primitias cum sequentis diei, tum cogitationum, & actionum suarum offerre Deo consueuit. Pulchrum sanè studium orandi est, quo anima sordes vitiorum abstergit, & puritatem Dei, quem intentissimè contemplatur, in se paulatim effingit. Per eam quippe (s. orationem, aut doctrinam cœlestem, quæ in ea discitur) Deus sincerè percipitur, & conseruatur, atque in nobis adolescit. ita S. Greg. Naz. *orat. 12. quæ est 1. de pace.* Quid plura de Rachele, quam oculis decoram cœlestis Sponsus vehementer amat, & quæ iisdem pulchris oculis plorare filios dicitur. *Matth. 2. & Ierem.* 31. hoc loco commemorem? satis hoc vnum sit. Rachel pulchra Virgo, & pia Mater extitit: erga Sponsum pulchra oculis, erga filios pia oculis vbertim lugentibus. Enimuerò Diuina scriptura in nomine Rachel (vt subnotauit Origen.) vniuersas pias matres significat, *homil. 3. ad 2. Matth.* Vtrobique (veriùs dixerim) & Virginem, & Matrem repræsentat Deiparam.

Psal. 118.

S. Ambros. *Damnatur somnolentia ad orationẽ.*

Matutina oratio commendatur.

Orando pura fit anima.

S. Greg. Naz.

Rachel piam Matrem repræsentat.

Origen.

18. Nam quæ vlla Virginum æquè pulchra, quæ matrum æque pia, & misericors, & amans, atque semper Virgo Dei Mater Maria? Reliquæ animæ quantumuis virtutum decore, aciéque mentis conspicuæ ad Virginem Deiparam Liæ prorsus lippæ, exoculatæ, deforméssque sunt. Vna illa in genere humano Rachel decora, & venusto aspectu, tota pulchra est, & ab omni macula, næuóque aliena; quippe cum in ipso suæ conceptionis, vitæque momento, & ab originali culpa fuerit diuinitus præseruata, & supra omnem rationalem, & spiritualem creaturam supernaturalibus gratiis sanctificata, vti Dei Matrem decebat. Quocirca grauiter, piè, ac verè scripsit pius autor in hunc modum: Sacrosanctam Virginem primæuæ culpæ, & ab origine contractæ contagio, in ipso conceptu fuisse contaminatam, non modò Ecclesiæ Catholicæ determinationi, & pietati fidei est contrarium, sed & sacris literis: quæ sicut Christi carnem sacratissimam eximunt ab omni lue peccati cuiussuis generis, ita & sanctam Virginis atque Dei Matris carnem, cum eadem sit Christi, & dignissimæ parentis suæ caro. hæc Iacobus Stapulensis, *in Comment. lib. 3. Orthodox. cap. 2. S. Ioan. Damascen.* Quin etiam pia, & valde probabilis, ne dicam omnino certa, vtpote dignitati Matris Dei, quàm decentissima illa mihi semper opinio placuit, quæ asserit Virginem Dei Genitricem non modò ab originali reatu immunem, illæsámque extitisse, sed (quod amplius est) etiam in ipso Adamo peccante, quamuis veram illius filiam non peccasse, exemptam scilicet à communi illo totius humani generis debito, in priuilegium, ac pignus Matris Dei futuræ; ne videlicet Deus, qui puritas ipsa est, humanitatem suam ex Matre, quæ priùs rea, serua diaboli, filia iræ fuisset detestando vitiosæ originis, & originalis culpæ stigmate inusta, & deformi assumeret. Quam sententiam grauissimi nostra ætate doctores suis monumentis tradiderunt. vide Salmer. *ad Rom. 5.* Bened. Iustin. *ad Hebr. 11. & 1. Tim. cap. 2.* Turrian. *de peccato orig.* Valent. *3. p. q. 27. art. 2. Galat.* Cathar. Cardin. Chusan. & iam pridem eandem ex antiquis patribus nonnulli tenuerunt, vti Dionys. Areopag. Gregor. Neocæs & alij.

Immaculata conceptio B. Mariæ astruitur.

Stapul.

B. Maria non peccauit in Adam.

19. Sola etiam Virgo Mater, vti Rachel, decora facie, venustóque aspectu; reliquæ autem quæ fœcunditatem Liæ habent, eiusdem pariter lippitudinem contraxerunt, lippis oculis deformes in toto humano genere matres sunt, quæ puræ, & incorruptæ cum conceptu, & puerperio esse non possunt. Vna est Dei Columba, vna Rachel venusto aspectu, quæ Deum ipsum vulnerauit in vno oculorum suorum. *Cant. 4.* Vtique amoris iaculo Dei Filium sauciauit, atque ad suum attraxit vterum, eo quòd puris oculis & mundo corde, Virgo mente, & corpore statim ab ipsa sui conceptione in omne æuum, constanti, & inuiolabili proposito permansura. Sic inuenit gratiam apud Deum, quæ firmissimè vouerat intemeratum virginitatis pudorem; *quoniam* (inquiens) *virum non cognosco.* Luc. 1. Ergo quæ virum Virgo pudoris corruptorem non cognoscit, Deum in se habet, Deum concipit, Deum parit hominem maternæ virginitatis defensorem & custodem. Denique Virgo Mater Filium Deum habet, quæ maritum

B. Mariæ Virginitas Deo gratissima.

Cantic. 4.

Luc. 1.

tum hominem dispendio pudoris habere noluit. O pulchram Matrem! ô fœcundam Virginem! ô vnicam in genere mulierum fœcunditate Liam, & Rachelem virginea venustate! Sic enim decebat, vt de Virgine Deus homo nasceretur. Nimitum (vt piè, ac vere scripsit Guarricus) per Spiritum sanctum immaculatus nascens de immaculata, vitia nostræ originis emendauit; atque secundæ natiuitatis nobis sacramenta dedicauit. *serm. 1. de natiuit.* Hanc Matris suæ puritatem Deus ipse multò antè prædixit, adumbrauit, & hominibus, maximè Iudæis, euidenter fecit credibilem, quod Eusebius Emissen. contra istos egregiè disserens ita demonstrat. Multa contra naturam fecit Deus, quæ negare non audet Iudæus. Virgam in serpentem, serpentem in virgam mutauit; aquas in sanguinem, & sanguinem in aquas conuertit; mare aperitur, manna pluit, asina loquitur, petra fundit aquas, & Iordanis conuersus est retrorsum. Sed & virga Aaron cum sicca esset, sub vna nocte, & frondes, & flores, & fructus germinauit. Virga sicca nuces dare potuit: & Virgo parere non potuit? Vbique Deus operatur quicquid vult, & in matre sua tantummodo amitteret potestatem? hæc ille, *homil. de annuntiat.* Optimè ac validissimè contra perfidiam, & imperitiam Iudæorum, qui multa mutatis rerum naturis èdita diuinitus miracula & legunt, & credunt in scripturis, at Virginem parere nolunt credère; maximè cum hoc ipsum in iisdem scripturis commemoratum, & à Prophetis præountiatum esse videant, si lippi non sint, & filij matris lippæ, ac deformis.

Guarricus.

Virginitas Matris Dei astruitur contra Iudæos.

Euseb. Emiss.

Iudæi caci ex matre lippa oculis.

10. Meliores nos, ac pulchriores oculos habemus, qui à Rachele speciosis, & pulchra oculis, venustóque aspectu, ab Ecclesia nimirum Christi sponsa sancta, & immaculata nati sumus. Videmus oculis fidei, veneramur, & prædicamus semper Virginem Mariam verè Dej Matrem esse. Aue (dicimus) ô benedicta inter mulieres, quæ Virgo, simúlque Mater esse meruisti: Filium ventris tui fructum, Deum hominem peperisti; filios amoris tui, & misericordiæ tuæ fructum, tot habes ô dulcissima, & piissima, quot homines materno subsidio foues, alis, protegis. Cum fiducia igitur ad te, ô Domina, clamamus, secura in te spes nobis est; clamantes ad te, & sperantes in te haud quaquam Regina mundi à te reiicies. Quoniam (inquit S. Athanas.) ex nobis oriunda es, & is, qui editus est ex te, carnigerus Deus noster est. sic ille, *in Euangel. de Virgin. Deip.* Eia ergo aduocata nostra, Mater nostra, istos tuos pulchros, venustos, virgineos, & misericordes oculos ad nos conuerte. O sanctorum (ait S. Ioan. Damascen.) sancta Dei Genitrix Virgo, expectatio gentium, atque salus credentium! sic ille, *in Canon. ad 9. de S. Trinit.* & ad Iesum tuu benedictum fructum ventris tui nos in pace lætosque adducito. Etenim (vt bene aduertit quidam) sicut nemo aduenit ad tuum Filium nisi Pater traxerit eum, sic etiam quodammodo ausim dicere, quod nemo venit ad Filium tuum gloriosissimum, nisi tuis sanctissimis subsidiis traxeris eum. hæc Idiota, *lib. de contemp. Virg. cap. 1.*

Salutatur Virgo Mater.

Fideles beatæ Mariæ filij vocantur.

B. Maria spes & fiducia fidelium.

S. Athan.

S. Io. Damasc. Salutatur, & inuocatur B. Maria.

Idiota. B. Maria ducit nos ad Filium.

SECTIO VII.

Quam diligens Iacob ait: Seruiam tibi pro Rachel filia tua iuniore septem annis.

1. EXegerat iam mensem Iacob seruiens auunculo, eiúsque pecora pascens; de condonanda verò mercede egerat Laban. Ergo adolescens, qui iussu parentum ad quærendam vxorem de matris sanguine venerat, in sui laboris, ac seruitutis præmium poscit Rachelis coniugium. Nam quia inops tunc erat, nec habebat vnde pro nuptiis socero, & puellæ ducendæ fratribus de more satisfaceret: promittit se auunculo seruiturum pro sponsa septem annis. Hæc enim consuetudo obtinuit priscis seculis apud Hebræos, & Chaldæos. Vnde ad Romanos, & Græcos subinde manauit; vti per mutuam quasi coemptionem alter alterum coniugum compararet. Nimirum vir vxorem coëmebat donando parentibus, cognatis, & puellæ pecuniam, aliaque munera. quod supra præstitit Eliezer, quando de Rebeccæ cum Isaac sponsalibus egit. *cap. 24.* sic infra *cap. 34.* Dinam Iacobi filiam à fratribus petens infelix amator aiebat: *Quæcunque statueritis, augete dotem & munera postulate, & libenter tribuam quod petieritis.* Sic 1. *Reg.* 18. Saul generum sibi asciscens Dauidem negat sibi opus esse, cum sit Rex, muneribus, quibus videlicet sponsalia contraherentur. Sic 2. *Reg.* 3. dicit Dauid se Michol filiam Saulis sibi despondisse, siue quod idem est, coëmisse centum præputiis Philistinorum, vti Iosephus *lib. 7. cap. 1.* exponit. Similiter virum vxor dote coëmebat. Quo ritu vsa Lia est cum (vt videbimus cap. sequenti) dixit Iacobo: *Ad me intrabis, quia mercede conduxi te pro mandragoris.* Proh misera conditio coniugatorum: alter ab altero coëmitur vtique in seruitutem; alter alterum coëmit in dominum! Par tamen vtriusque sors illa est, vt quisque alterius & seruus, & dominus sit. Hinc illud Apostoli: *Alligatus es vxori? Noli quærere solutionem. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem.* 1. Corinth. 7. Vides coniugium esse carcerem, coniuges inuicem inter se catenis constringi? Cernis (inquit S. Ambros.) quia ligatus est, qui sui non habet corporis potestatem? *serm. 3. in Psalm.* 118. Videlicet qui tenetur in carcere constrictus compedibus, sui corporis potestatem non habet, quippe cum inde sese expedire, aliò abire, & vt libuerit, mouere non possit. Ita coniuges nec corporibus, nec animis liberi ab inuicem discedere queunt, & vitæ solicitudinibus, & molestissimis coniugij curis dies, ac noctes excruciantur. Aliquale tamen in isto carcere leuamentum amor ipse importat compeditis: quod si amor absit, quid nisi mors, & gehenna in coniugio est? Et ideò Apostolus (occurrit S. Ambros.) præmisit: *Iunctus es vxori? noli quærere solutionem.* Et bene ait: *Iunctus es.* Quodam enim vir & vxor nexu inter se amatorio copulantur. & quibusdam inuicem sibi habenis amoris adstricti sunt. Bona igitur vincula nuptiarum, sed tamen vincula; etsi vincula, tamen vincula charitatis. Bonum coniugium, sed tamen à vinculo tractum, & iugo mundi, vt viro potiùs cupiat placere, quàm Deo. *lib. 3. de Virgin.* Videtur ergo coniugium ex carcere, & publicos ex seruitute, & libertate; ex felle, & melle; ex doloribus, & amoris voluptatibus quodammodo conflatum, ac temperatum. Felicior tamen ille, qui (vt apponit idem Ambros.) liber est à vinculis, non solùm à vinculis solicitudinis secularis; sed etiam à vinculis charitatis humanæ. Vincula complura sunt in hoc seculo, vincula sunt desideria viuendi, vincula sunt oblectamenta voluptatum, vincula sunt honorum, vincula coniugij. Quare nectit sibi vincula mentis, qui solicitus est, quomodo placeat vxori. Beatior esset, si Deo soli placere desideraret. hæc Ambros. *serm. 3. in Psal.* 118. Cuncta in vno coniugio insunt vincula. vitæ, honorum, diuitiarum, voluptatum, solicitudinum; hæc

Antiquis coemptio in coniugio

Inter coniuges mutua seruitus, ac dominium.

1. Cor. 7.

S. Ambros.

Carcer est coniugium.

Mutuus amor coniugij leuamentum.

S. Ambros.

Matrimoniū ex disparibus conflatum.

S. Ambros.

Felicitas extra matrimonium.

Cuncta in matrimonio vincula.

bitationis suæ aduersarij ingressibus reserauit. hæc ille, *de singul. cleric.* Plane sic res habet: vir & mulier non coniugati, & simul tamen cohabitantes, alter alteri, latro, lupus, vipera, gladius, & pestis est. Qui potest igitur à peccato, & ruina securus agere, qui sponte latronem excipit, cum lupo lusitat, cum vipera dormit, in gladium corruit, & pestem amplectitur? Adiungit eum optimè statim S. Cyprian.

S.Cyprian.

Qui fretus est conuersari cum scandalo, siue causa dicit: Pacatus volo esse cum diabolo, contra Apostolum dicentem: *Nolite locum dare diabolo.* ad Ephes. 4. hæc ille. Nimirum, (quod magis adauget periculi grauitatem) alter alteri diabolus est, atque gehenna: quippe cum mutuò vir, & fœmina gehennale, ac sempiternum sibi concitent, & insufflent incendium.

ad Ephes. 4.
Vir, & fœmina alter alteri diabolus.

5. Locum Apostoli de quacunque aduersarij suggestione, qua ad peccandum, & consequenter recipiendum in hospitium mentis diabolum quis incitatur, luculentè interpretatur S. Hier. his verbis: Solet aduersarius, antequam veniat, quædam iacula præmittere, & præcursorem aduentus sui facere cogitationem. Hanc si nos in corde nostro susceptam nutriuerimus intrinsecùs, & crescere fecerimus: cum in nobis prolem suam auctam viderit, & ipse audebit intrare. hæc ille.

D.Hieron.
Praua diaboli cogitatio.

Muniendus igitur aditus est, ne diaboli iacula in mentem intromittantur: repellendus est, vbi pulsauerit, illius præcursor, suffocandum ipso in exortu illius semen. Hac enim industria, & prouidentia nostra irriti omnino redduntur hostium conatus: nec enim illorum fortitudine, sed nostra ipsorum ignauia de nobis comparatur victoria, & triumphus ducitur.

Principiis obstandum in cogitationibus.
Vincit diabolus ob nostrã socordiam.

Hinc appositè idem Hieron subiicit: Huic, quod nunc præcipitur, ne locum detis diabolo, illud de Ecclesiastico comparatur: Si spiritus potestatem habens ascenderit super te, locum tuum ne dederis ei. Ille superbus, & temerarius vult ascendere; sed etiam si te oppressum putauerit, & se extulerit, tu ne dederis locum. Potestas quippe diaboli, non in temeritate illius, atque iactantia, sed in tua est voluntate. hæc ille.

D.Hieron.

Locum habet suum in corde hominis Deus ipse per gratiam suam. Hunc igitur locum ait Apostolus nolite dare diabolo, qui per peccatum Deo repulso ad arcem cordis ascendit, & in solio mentis residet. Quare ad repellendam suggestionem diaboli, & (quod multò est periculosius) ad euitandam viri cum fœmina consuetudinem valet egregium illud S. Cypriani consilium; quod statim apposuit: Omni ergo (inquiens) modo muniendus est locus, vbi fuerit thesaurus absconditus, ne per vnam cauernam totum parietem latro suffodiat. Nam si deforis expugnans vix muris expellitur, quantum valebit, si intra muros acceperit habitaculum? ita S. Cyprian.

S.Cyprian.
Repellenda statim praua cogitatio.

quo nihil per quotidianam experientiam aut frequentius, aut euidentius Iusti enim & Deo addicti, à seculo, & à secularium conuictu, conspectúque longissimè in septa religionum inclusi vix vnquam a carnalium tentationum assultibus habent inducias. quid igitur fiet illis, qui in medio laqueorum incedunt, inter flammas versantur, cum serpentibus, & furiis gehennalibus commorantur? Intra muros pertentantur homines à solis cacodæmonum vmbris; & sic tamen extremum quotidie subeunt discrimen. quid ergo agent, qui in puluere, & in acie inermes ab armatis hostibus impetuntur? Rectè igitur concludit S. Cyprian. Si illi, qui contra eum claudunt aliquoties ab eodem capiuntur; quantò magis ille, qui vltroneus illi patefecerit ingressum, decipitur? Omnes ergo timæ, ne dicam portæ, claudendæ sunt. hæc ille.

Religiosos sola vmbra diaboli tentant.
Sponte sese immiscere periculis.
S.Cyprian.

Cæterùm ne quis nimiam existimet huiusmodi custodiam, & vigilantiam, subdit egregiam rationem: Ne per vnum (inquiens) foramen castra omnia penetrentur; & vniuersa componenda sunt munimenta, ne per modicum non munitum tota ciuitas ruat; sicut Salomon repetit: *Qui spernit modica, paulatim cadit.* Eccles. 19. hæc omnia S. Cyprian.

Aduersus diabolũ omnis vigilantia opus est.
S.Cyprian.

Communis hic locus de vigilantia, vel in ipsis rebus minimis, quæ quia tales si parui fiant, paulatim in terrum grauissimarum excessus, ignauia hominem deducet; à parua quippe scintilla magnum interdum excitatur incendium.

Eccles. 19.
Non contemnendum in minimis.

6. *Seruiam* (inquit) *tibi pro Rachel.*] Dignam ducit vehemens amator puellam, pro qua molestissimam seruitutem patiatur; & hominem pro Deo, atque animæ suæ immortali gloria nihil velle pati, aut efficere, nõ pudebit? Rem illam optimè præstringit, ac deflet in hunc modum S. Chrysost. Qualem nos habebimus excusationem qui non pari studio erga Dominum nostrum, & benefactorem, & curatorem, & qui nobis sit omnia, afficimur? Sed quando proponitur lucrum temporale, omnia alacriter sustinere volumus, etiam si quid laboriosum sit, & valde ærumnosum, & sordidum, & pœnam in præsenti, & in futuro præbens. Propter nostram autem salutem, & vt supernum nobis fauorem conciliemus, remissi, & supini, & dissoluti videmur. hæc ille, *homil. 55. in Genes.*

D.Chrysost.
Ad terrena sumus alacres, ad Diuina ignaui.

Si tanti creaturam facimus, quanti nobis faciendus erit Creator? si dignè (vt putatur) seruitus pro verniculo terræ, ac pro nihilo toleratur: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem* (inquit) *salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Psal. 115. Quibus ex verbis egregiè colligit S. Saluian. Prima ergo (inquiens) hęc retributio est, vt mortem pro morte reddamus, tametsi minoris pretij mors est nostra, quàm sua. Quo fit, vt etiamsi mortem suscipiamus, debita tamen non exoluamus. Sed tamen quia maius referre non possumus, totum reddere videmur, si totum quod possumus, reddere curamus. hæc ille, *lib. de vero iudic. & prouid.* 4.

Psal. 115.
S. Saluian.
Deo reddamus totum quod possumus.

Non modò quantumuis grauem tota vita seruitutem, sed mille (si millies mori contingeret) mortes perferre debuisset, qui à Deo innumeris afficitur quotidie beneficiis. At ingratus homo, nec benefactorem suum Deum officiis debitis reueretur, nec amori Dei amorem suum rependit; quin etiam (quod summè detestandum est) beneficia ipsa in benefactoris iniuriam conuertit.

Ingratus erga Deum homo.

Quo in argumento multa diuinitus ab eodem Saluiano dicuntur. Missis aliis sic effatur: Deus nobis ad hoc bona præstat, vt boni simus; nos è diuerso, quoties bona accepimus, mala nostra cumulamus. Ille nos beneficiis suis vocat ad probitatem, nos ruimus in improbitatem. Ille beneficiis suis nos prouocat ad compunctionem, nos ruimus in dissolutionem. Vocat ille ad castitatem, nos ruimus in impuritatem. hæc ille, *lib. 6. de vero iudic. & prouid.*

S.Saluian.
Beneficiis Dei peiores efficimur.

Enimuerò sensus omnes, & facultates corporis, & animæ ipsa sanitas, ipsa totius hominis valetudo, forma, speciésque oris: ipsæ deinde ad vitæ subsidium, imò & ad honestatem, & gloriam opes; ipsi denique honores, quibus potiti mortales inter cæteros eminemus: hæc omnia (inquam) Dei beneficia sunt. At nos iisdem omnibus non abutimur tantùm, sed etiam armamur contra eundem Deum, à quo beneficia, donáque omnia accepimus.

Beneficiis Dei armamur in Deum.

Hanc barbaræ ingratitudinis impietatem pariter, & stoliditatem quis nostrum in seipso non experitur, atque vtinam deploraret! Proh facinus! Præclarè videlicet (concludit

erectionem, riuulos habebas. *orat.* 11. Nimirum ex illo torrente voluptatis, quo viuentium patria irrigatur, & cælites ipsi potantur, in mentes mortalium in terra degentium puriores, solent Diuino beneficio pulcherrimi, purissimi, ac suauissimi latices refundi; prægustant viatores dum adhuc peregrinantur demissos ex illo torrente voluptatis liquores: sed vbi fuerint comprehensores, toto ipso torrente potabuntur. *Inebriabuntur* (ait Propheta) *ab vbertate domus tuæ.* Psalm. 35. ebrietatis symbolo magnitudinem beatitudinis declarat. Quæ fuit enim (commentatur S. August.) verbum, vnde loqueretur de rebus humanis, quod diceret. Et quia vidit homines ingurgitantes se in ebrietate, accipere autem vinum immoderatè, & mentem perdere; vidit quid diceret: quia cum accepta fuerit illa ineffabilis lætitia, perit quodammodo humana mens, & fit diuina, & inebriatur ab vbertate domus Dei. hæc S. August. Multo pleni à se ipsis alienantur, omnium rerum, & in primis ipsorum, obliuione tantùm non consepulti. sic beatorum mentes, vbi Deum facie ad faciem contuentur, inenarrabili subinde voluptate perfusæ, ac repletæ ab omni rerum creatarum specie auocantur, & in ipsam diuinitatem absorptæ nihil in se, nec extra se præter ipsum Deum, aut sentiunt, aut gustant, aut sapiunt, aut cernunt, aut cogitant. ô dulcis illa, ô felix, ô pura, ô sancta, ô summè gloriosa ebrietas! *Et torrente* (adiungitur) *voluptatis tuæ potabis eos.* Psalm. 35. Torrens dicitur (exponit S. Aug.) aqua vehemens cum impetu. Impetus erit misericordiæ Dei ad irrigandos, & inebriandos, qui modo ponunt spem sub velamento alarum eius. Voluptas illa quasi torrens inebrians sitientes. Modo ergo qui sitit, habeat spem, inebriatus habebit rem; antequam habeat rem, sitiat in spe. hæc S. August. Quantò magis ergo digna est illa, quam speramus in cælis, nostræ animæ beatitudo, pro qua nihil non durum, ac difficile, constanti, ac libenti animo patiamur, quàm sua septennij seruitute dignam duxerit Rachelem Iacob? Plenæ sunt gentium historiæ admirandis in omni malorum tolerantia pro honore, pro aura populari, pro auro, & diuitiis, pro impudicis amoribus, & potiundis libidinum irritamentis. Igitur (vt optimè argumentatur Tertull.) si tanti vitrum, quanti verum margaritum, quis non libentissime tantum pro vero habeat erogare, quantum alij pro falso? Confundemur, si reformidauerimus pati pro veritate in salutem, quæ alij affectauerunt pro vanitate in perditionem. hæc ille. *lib. ad martyres.* Pudeat, pudeat tam vilem nobis haberi, & videri Deum, vt pro illo saltem non paria, non eadem præstemus, quæ vani, & stulti homines pro mundo ipso inanissimo quotidie moliuntur! scilicet lutei, sordidi, lutum, & cænum cælo ac Deo ipsi præferimus.

Psalm. 35. — D. August. — *Calestis beatitudinis ineffabile gaudium.* — Psalm. 35. — D. August. — *Digna beatitudo malorum omnium tolerantia.* — Tertull. — *Vera calibona.* — *Multum laboramus pro mundo, parum pro Deo.*

11. *Seruiam tibi:* ait Iacob auunculo, iustus & pius, iniusto atque impio. Nec enim quis ideo melior, quia excelsior. longè aliud est virtus, atque dignitas. Errat, & vehementer errat, qui sibi de loco, quasi de virtute dignitate, quasi de sanctitate gloriatur. Ne qui talis (occurrit S. Chrysost.) in appetendo primatum profectum pietatis piè prætendat, dico: Nunquid qui in ordine prior est, iam & meritis est melior? sic ille, *homil.* 35 *in Math.* 20. Nunquid (inquam) meritis minor est Iacob, qui seruit; maior autem Labanus, qui dominatur? Et quidem de dignitate Ecclesiastica, quæ sacratior est, hoc idem demonstrat S. Chrysost. Aliud (inquiens) est bonum opus, aliud est primatus honoris. Et opus quidem bonum desiderare bonum est; primatum autem honoris concupiscere, vanitas est: quoniam bonum opus implere, nostræ voluntatis, & nostri laboris est, propter quod & nostra est merces: primatum autem consequi iudicij Dei est; propter quod ex primatu honoris nescio si aliquam mercedem iustitiæ adipisci meremur. hæc ille. Meritò quidem timet, ne in primatu comparando absit omnis veræ iustitiæ merces. Nam (subdicit) desiderium primatus ex iactantia nascitur cordis: qui autem humilis est corde, indignorem se illius arbitratur. Primatus autem fugientem se desiderat, desiderantem se odit. ita Chrysost. Cæterum quia Ecclesiastici solum damnari desiderium primatus secularis à sanctissimo doctore fortassis existimabunt; opportunè statim subinfert: Secularem (inquiens) primatum desiderare, etsi ratio non est, vel causa est: quia etsi iustum non est, vel vtile est. Primatum autem Ecclesiasticum concupiscere, neque causa, quia neque iustum est, neque vtile. ita S. Chrysost. differentiam proponit egregiam inter vtrunque primatum. Vtrumuis enim appetere, ambitio, & summa est vanitas, & arrogantia contra verum, & Christianum iudicium rationis: at secularis dignitas fere humanæ vitæ magnum solet importare emolumentum: atque adeo licet vanum sit illius desiderium, cedit tamen in corporis vtilitatem, si tandem opere compleatur: at nihil est in primatu Ecclesiastico quod eiusdem commendet, aut saltem excuset ambitionem. Est enim huiusmodi alia magis laboribus & incommodis, & periculis plena, quàm lucris. Audi subinde S. Chrysost. Quis enim sapiens (ait) vltro se subiicere festinat seruituti, labori, dolori, & quod maius est, periculo tali, vt det rationem pro omni Ecclesia apud iustum iudicem, nisi forte, qui nec credit iudicium Dei, nec timet, vt abutens primatu suo Ecclesiastico seculariter conuertat eum in secularem? hæc S. Chrysost. *homil. indicata.* Videtint nunc quid respondeant Chrysostomo, qui pontificum, & principum aulas adeunt, & integris annis frequentant in Episcopatuum ambitione occupati, honores postulant, onera non respiciunt: humanam gloriam expetunt, fastu, & apparatu seculi nitilantur, nec interim futuri iudicis tribunal rationem de gregibus, de talentis, de vinea, de agro reddendam aut tanquam ethnici nesciunt, aut tanquam amentes, ac stolidi contemnunt.

Non est idem dignitas & virtus. — S. Chrysost. — *Ambitio honoris vana est.*

Desiderium dignitatis ex superbia. — S. Chrysost. — S. Chrysost. — *Dignitatem Ecclesiasticam ambire nec vtile nec iustum.* — *Dignitatis Ecclesiasticæ ambitio inexcusabilis.* — S. Chrysost. — *Damnatur ambitio Episcopatus.* — *Seuera exigitur ratio ab Episcopis.*

12. O si oculos in Christum Dominum attollerent! ô si Domini verba audirent, & humilitatis exempla imitarentur! *Qui voluerit* (inquit) *inter vos maior fieri, erit omnium minister; & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.* Matth. 20. vbi luculenter admodum S. Chrysost. apponit: Adhoc enim ad imaginem Christi facti sumus, vt imitatores efficiamur voluntatis eius, & conuersationis. Nunquid ad similitudinem maiestatis eius sumus creati? Nam ille quidem nostram carnem imitari potuit, nos autem illius diuinitatem imitari non possumus. Sed in hoc sumus imago eius, vt quod bonum ei videtur & apud nos sit bonum, & quod ei malum videtur, & apud nos sit malum. hæc ille, *homil.* 35. *in Math.* Hoc idem Dominus nos edocuit, cum dixit: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Matth. 11. in humilitate scilicet vult nos fieri discipulos, qui iugum illius suaue, & onus leue portare potius, quàm aliis illud imponere contendamus. Quod si hominis ad superbiam procliuis natura portare metuit, sciat graue iugum esse non posse, quod à miti, & humili Domino imponitur. Quare appositissime succlamauit S. Chrysost. O grauissimum pondus, quod magis

Math. 20. — D. Chrysost. — *Contemnendus honor ad exemplum Christi.* — *Qua parte imitari Christum possimus.* — Math. 11. — *Obediendo non imperando Christum imitamur.* — S. Chrysost.

Iugum Chriſti portantem vaberat.

gis conſortat portaotes! nam pondus terreſtrium dominorum atterit paulatim miniſtrantium vires: pondus autem Chriſti magis adiuuat baiulantem, quia non nos portamus gratiam, ſed gratia nos: nec nos ad auxilium gratiæ dati ſumus, ſed gratia magis ad noſtrum. hæc ille, *homil.* 28. *in Matth.* Adiuuat quidem infirmitatem noſtram Domini gratia, quæ præuenit, & ſubſequitur; excitat verò illius exemplum in manſuetudine, & humilitate: *non enim venit miniſtrari, ſed miniſtrare.* Matth. 20.

Gratia Dei hominem adiuuat.

Matth. 20.

13. Planè iuſtorum omnium vti ſanctiſſima, ſic etiam maximè Filij ſui imitatrix, & imago extitit ſemper Virgo Deipara, quæ ſe humilem ancillam Domini & reputabat, & nominabat: & cum Regina ſit Angelorum, & creaturarum omnium, ſub Deo auguſtiſſimam poſſidebat dignitatẽ. At ipſa tamen ſic maieſtatem ſuam attemperat, & ſeſe deprimit, vt terræ vermiculos, omni ſcelerum colluuione fœtentes, non dedignetur vocare. Attrahere, venientes recipere, virgineóque ſinu fouere, matrémque verè benigniſſimam, & indulgentiſſimam peccatoribus ſe exhibere, quæ Dei Mater eſt: vnica poſt Filium ſuum mediatrix Dei, & hominum. Quare iure optimo debitam illam ſuam Ioan. Damaſcen. concinuit cantilenam: Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas animata Regis æterni. O quàm ſanctum, cæliſque patentius tabernaculum eſſe demonſtrata es! ô ſanctiſſima Virgo, cum Dei verbum excepiſti! digniſſima, quæ ſola inter Creatorem, & homines interceſſiſti. hæc ille, *in Canon. od. 9. de ſancta Trinitat.* Felix ille, quem Dominus tam præclaro beneficio diuinitus affectum eſſe voluit, vt totum ſe ad cultum Deiparæ Virginis impendat! O quam vtilis, quàm opulenta eſt homini pietas erga Dei Matrem! Experta huiuſmodi felicitatem illa confitetur anima: *Introduxit* (inquiens) *me Rex in cellaria ſua.* Cantic. 1. Legunt alij: *In cubiculum ſuum*, vel *in promptuarium ſuum.* Profectò Virgo ipſa eſt cellaria, cubiculum, promptuarium Dei, & hominum. Sic enim videtur interpretari Philo Carpathius: Promptuarium (inquit) Chriſti primum eſt corpus illud, in quo ſibi domicilium fabricauit. ſic ille. Enimuero Deus Pater in Virgine Filiam, Dei Filius Matrem, Spiritus ſanctus Sponſam, totáque ipſa Trinitas complementum ſuorum operum in executione ſcilicet adinuenit. Angeli ſuarum ſedium reparatricem, cæli ornamentum; nouámque & admirabilem ex Virgine Deipara, cælorum Regina, lætitiam pariter, ac dignitatem ſibi pepererunt. Denique mortalibus ad omnia bona vitæ, honoris, gratiæ, ſupernaturalis, æternæque beatitudinis Virgo Mater eſt promptuarium.

B. Maria humilitas.

B. Maria miſericordia erga homines.

Ioan. Damaſ.

B. Maria mediatrix inter Deum & homines.

Vtiliſſima pietas erga B. Mariam.

Cantic. 1.

Philo Carp.

B. Maria gratia in omnes diffuſa.

14. *Seruiam* (promittit Iacob) *tibi pro Rachele filia tua.* puellam ſuis ſudoribus, & ſeptennij ſeruitute coëmpturus. Amor quidem fuit verus, & vehemens, ſed in vmbra tamen hæc omnia contingebant. Veritas extitit, cum Dei Verbum multò ante incarnationem à Deo Patre coëmit, ac redemit Matrem ſibi futuram; ne videlicet vti Adami filia in ſua conceptione originalem maculam, per quam peccato, ac diabolo eſſet mancipanda, contraheret, futura ſuæ incarnationis merita, crucis patibulum, ſanguinem, & mortem iam tunc obtulit, vt Virgo extra legem filiorum Adami, puriſſima, ſumméque immaculata conciperetur; vti nimirum tantæ Matris dignitatem, & tanti Filij maieſtatem decebat. Meritò igitur triumphali ſuo carmine Vates occinuit: *Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo.* Abachuc 3. hoc eſt, Filius, & Mater duo mundi lumina diem, noctémque & diſcriminantia, & illuſtrantia in ſua conceptione non (vt cæterum Adami genus) ceciderunt, ſed firmiter ſteterunt in habitaculo, id eſt, intra tabernaculum materni vteri, abſque macula originali; ac ſubinde per totum vitæ curriculum ſteterunt in proprij corporis tabernaculo abſque vllo caſu, & labe, vel vmbra etiam peccati actualis. Libentiſſimè pro Matre ſua Filius ſeruum ſe præbuit, vt illam ſibi puram & immaculatam ſine ruga, næuo, labéque exhiberet, támque pulchram efficeret, vt Angelos anima, ſolem corpore longiſſimè ſuperaret. Eſt enim Virgo (inquit Georg. Archiepiſcop. Nicomed.) thronus glorioſus, regium vehiculum, quo vehitur Verbum, cum in carne aduenit. Pulchritudo autem Virginis eſt incomparabilis, cuius lux oculorum ſolis radios ſuperauit. hæc ille, *de praeſ. Virg.* Eia ergo aduocata noſtra, Mater noſtra, naturæ noſtræ decus, vitæ noſtræ ſolatium, & ſpes vnica, iſtos tuos miſericordes, lætos, virgineos, & omnium donorum, bonorúmque datores oculos ad nos conuerte. Reſpiciet Filius, ac fouebit, quos Matris inſpexerint oculi, & Matris decor, gratiáque afflauerit.

B. Maria immaculatam conceptionem Filius ſuis meritis coëmit.

Abach. 3.

Chriſtus & B. Maria concepti ſine originali.

Georg. Nic.

Incomparabilis puritas & pulchritudo B. Mariæ.

Implorantur oculi B. Mariæ.

SECTIO VIII.

Reſpondit Laban: Melius eſt vt tibi eam dem, quàm alteri viro; mane apud me. Seruiuit ergo Iacob pro Rachel ſeptem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.

1. ANnuit Laban Iacobo Rachelem poſcenti. Nec enim (inquit) meliorem mihi generum poſſum conciliare, quàm filium ex ſorore mea: tua iam deinceps erit vxor, nunc ſponſa & nominetur, & ſit; modò tamen mihi ſeruias, ſuſcepta meorum gregum cuſtodia. Iacob igitur mirum in modum excitatus dilectæ Rachelis ſponſalibus integros ſeptem annos auunculo in paſcendis gregibus ſeruiuit. In quo (vt bene obſeruat S. Chryſoſt. *homil.* 55. *in Geneſ.*) mirificam continentiam præ ſe tulit. ſic ille. Enimuero inſtar eſt prodigij adoleſcentem pulcherrimæ puellæ iámque ſponſæ vehementi amore affectum, potuiſſe tamen illius differre nuptias per totum ſeptennium, quin iugiter dilectam contuitus vel tantulum quidem honeſtatis cancellos tranſegerit. Seruitus quidem & longa, & moleſta, & valde laborioſa extitit; ſed eam tamen iugis conſpectus Rachelis magnopere temperauit, vti propoſitum ante oculos brauium vehementer curſores excitat in ſtadium, luctatoribus vires ſubminiſtrat, agonémque ipſum quantumuis arduum, & periculoſum reddit facilem, ac ſuauem. Veritatem hanc in ſeipſa Domini Sponſa experta dixit: *Ordinauit in me charitatem.* Cant. 2. Hebr. *vediglo ghalai ahabah.* ודגלו עלי אהבה *Et vexillum eius ſuper me amor.* cuius loci multiplex eſt ſenſus. In primis enim ſponſa laborioſam huiuſce vitæ militiam pro ſponſo ſuo ingreſſa dulce, ac leue ducit quicquid amaritudinis, aut oneris, laboriſque immineat; quippe cum oculos habeat defixos in dilectum ſuum ſponſum, quem in canticis ferè ſemper amorem appellat. nec enim aliquid aliud in mundo dignum iudicat, quod amari, aut amor vocari debeat. Vnus quidem ſponſus & amabilis eſt, & dignus, qui totus ipſe amor, ac deſiderium nominetur. Vt igitur milites alacri animo ruunt in prælium, mortémque vltro petunt, vexillum ante oculos

S. Chryſoſt. Mira Iacob continentia.

Premij conſpectus vehementer excitat.

Cant. 2.

Omnia vincit amor.

oculos positum subsequentes:ita Dominum suum præeuntem Sponsa per flagra, per cruces, terúmque omnium, & mortis demum extrema discrimina forti animo,lætóque vultu consequitur.

Amor amorem excitat.

2. Deinde amor, quo videlicet Sponsam Dominus prosequutus est vsque ad mortem crucis, ita illam excitat ad ardua quæque subeunda, vt possit aliqua ex parte amori amorem rependere, veluti milites ad conspectum vexilli concitantur in pugnam. Aut etiam amor Sponsæ, quo fertur in Dilectum, dicitur vexillum; quippe trahit sequentem, regit euntem,pugnantem excitat, dulcéque facit & gloriosum pro Sponso bellare, periclitari, mortémque inter vulnera, & cruciatus subire. Imò ea vis est amoris, vt non modo pericula nihili habeat, sed etiam illa,nec esse iudicet, nec talia videat: vti Apostolus clamabat: *Quis nos separabit à charitate Dei? tribulatio,an angustia? &c.* ad Rom. 8.Benè S.Chrysost. immensum Pauli amorem,& ardorem expendit: Vide (inquiens) dictionis emphasim, & latentem vim: vide amoris violenti furorem, vide charitatem immensam. Quasi liberatus à corpore, & sublimis factus (vt ita dicam) & neque super terram ambulare se putans ita loquitur: Amor enim in Deum, & succensa charitas mentem eius à sensibilibus ad spiritualia transtulit, & à præsentibus ad futura. Talis enim res est fides, & charitas in Deum. hæc S. Chrys. *homil.55. in Genes.* Cum enim Paulus cum Deo, & cum cœlitibus conuersaretur (vt alibi dixit) nihil in terra, nec prosperum, nec aduersum; nec dulce, nec amarum; nec facile, nec arduum spectabat, in solum Dei sui amorem defixus. Post tanta quippe, & præclara (indicat ibi S. Hieron.) beneficia, vel promissa, quæ poterit tam grauis esse pressura, quæ nos ab eius charitate diuellat? In quo docet omnes tales esse debere, qui à Christo nec periculis debeant separari. ita S.Hier. Vexillum quidem Christianis est in pericula, in tormenta, in mortémque ruentibus amor, quo diliguntur à Domino, & quo ipsum Dominum diligunt. Hoc amore concitati pugnant, vincunt, triumphant. Subdit enim statim Apostolus: sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Has omnes (declarat S.Hieron.) tribulationes pro nihilo ducimus propter eum, qui nos tantum dilexit, vt etiam moreretur pro nobis. Et quando pro eius nomine morimur, tunc maximè triumphamus; præsertim cum leue sit pro se pati, quod pro aliis Christus Dominus pati dignatus est. hæc S.Hieron. *in cap.8. ad Roman.* Tunc ergo triumphamus, cum pro Domino premimur, atque affligamur. Et leue quidem præter Dei amorem nostri etiam amor faciat oportet quicquid aduersum subeundum est:nobis enim occamus,& metimus, vbi sudamus, nostra erit vtilitas, nostra felicitas. *Nec sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* At Christus Dominus non suam, sed nostram suo sanguine gloriam comparauit.

Amor vexillum. — *Amori nullū est periculū.* — ad Rom. 8. — S.Chrysost. — *Mirus in Deum S. Pauli amor.* — D.Hieron. — *Charitas in Deum periculis non mouetur.* — *Vexillum Christiani amor sāctus.* — D.Hieron. — *Triumphant patiens pro Deo* — *Tota vtilitas ex virtute nobis redit.* — ad Rom.8.

Vxor non amanda propter formam.

3. *Videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.*] Hebr. *Vni dies*, hoc est,non multi,sed admodum pauculi, vix vno, vel altero plures. Commendatur amoris magnitudo in Iacob, non qui tamen vltra matrimonij terminos exiliens in mœchiam lasciuiret. quo vitio ij laborant, qui vxores eò tantum diligunt quod pulchræ sint, turpes quidem formæ, non vxorum amatores. Hoc autem paulatim (vt solet) flore marcescente, cum iam omne perierit illicium, miseras aliquantò deformiores, vti pestem auersantur. Vehemens quidem amor Iacobi erga Rachelem, quia vxorem,

A cámque formosam, & primò omnium visam, atque amatam; sed nulla tamen infectus labe. Probatur verò illius magnitudo, eo quòd septem annos seruitutis tanquam dies pauculos seruienti, atque amanti reddiderit. At qui potest hoc fieri ac dici? Quid quæso æquè impatiens, atque amor? Amor enim (vt optimè docet S.Petr. Chrysol.) modum nescit. Amor non accipit de impossibilitate solatium, non recipit de difficultate remedium. Amor nisi ad desiderata peruaserit, necat amantem: & ideò vadit quò ducitur, non quò debeat. hæc ille, *serm.147.* Necat amantem dilatio, & desiderium rei amatæ, qua sperat aliquando tandem potiri. *Spes enim, quæ differtur, affligit animam.* Prouerb.13. quem locum S.Hieron. aut Beda potiùs, ita commentatur: Quia nimirum quandiu differtur spes æternorum, affligitur anima fidelium; vel pro dilatione videlicet bonorum, quæ amat: vel pro illatione malorum, quæ tolerat. At vbi venerit quod desiderat, facilè obliuiscitur, quod sustinuerat; quia in æternum viuere incipit cum suo redemptore, quem tota intentione quærebat. hæc ille. Duo quidem spes præstare consueuit: animat,& affligit:alit,& necat sperantem: animat, virésque ministrat ad laborum, & molestiarum tolerantiam. quod in viris iustis æterna bona sperantibus videre est. Cuiusmodi consilium illud à S.Chrysost. traditur: Ferto afflictionem, & dolorem spe futurorum nutritus. *homil. vlt. in Epist. ad Philipp.*

Amor impatiens & modum nescit. — S.Pet.Chrys. — Prouerb.13. — Beda. — *Spes amantem & affligit.* — *Spes æternorū bonorum.* — S.Chrysost.

4. Quis quæso bonorum omnium affluentiam in æternitate sperans non alacri, & constanti animo, præsentia quantumuis aduersa sustineat? Pulchrè S.Gregor. Nazianz. vocat spem non confundentem, quæ scilicet certa est, & secura in Deum iacta anchora: commodum in malis pharmacum. *orat.1, contra Iulian.* Degustata enim futuræ immortalitatis spe non onerant, non deprimunt, non impatientiam commouent; sed facilia, leuia, dulciáque redduntur, quæcunque in hac vita subeunt aduersa homini toleranda. Quapropter monet regius vates: *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Psal.26. Verum egregiè quærit S.Aug & respondet quæsito ad hunc locum: Sed quando istud erit? arduum est mortali, tardum est amanti. Sed audi non fallacem vocem dicentis: Sustine Dominum, tolera vstionem renum viriliter, & vstionem cordis fortiter: non tibi negatum potes, quod nondum accipis, &c. hæc S. August. Expressiùs hunc eundem locum ita S.Hieron. commentatur. Expecta primum, vt contra certamina mundi à Deo conforteris. Expecta deinceps, vt victor ab eodem Domino coroneris. Nos verò deprecemur Dominum, vt ipso confortante, sustinendo viriliter mundialium fluctuum procellas expectemus per fidem, quoadusque veniat reddere, quæ dignatus est polliceri. hæc S.Hieron. Confortat quidem, & excitat mirum in modum spes ad laborandum, certandum, & seruiendum pro rei amatæ possessione tandem comparanda: at dum ea possessio differtur, affligit spes amantem, necat sperantem, flammigero videlicet amore animam spe excitatam, desiderióque flagrantem, dilationísque impatientem vehementiùs accendente. Itaque licet tempus admodum longum Iacobo, si desiderium respicias, videretur, cum omnis amanti mora mors sit; & breue tamen tempus, pauculos dies, leuem laborem, aspectus ipse Rachelis, magnitudo ipsius mercedis pretium omne amanti, & cupienti leue faciebat. Septem (inquit S.Chrys.) anni pauci dies videbantur ob ingentem erga puel-

S.Greg.Naz. — *Spes iacta in Deum anchora.* — *Propter spem aduersa patienter sustinentur.* — Psalm.26. — S.August. — D.Hieron. — *Spes, desiderium, impatientia amoris.* — *Amanti mora mors est.* — S.Chrysost.

Amans vt desiderio expleat nihil non sustinet, vndique.

A lam amorem. Quando enim quis sauciatur charitatis desiderio, nihil difficile spectat: sed id quod fuerit plenum periculis, & multa miseria, leuiter fert ad vnum hoc attendens quomodo suo potiatur voto & desiderio. hæc S. Chrys. *homil.* 55. *in Genes.*

5. Quocirca duplicem explicationem patitur hic locus, vt dies pro labore dierum sumantur; quod S. Hieron. Aug. & aliis magis placuit; quorum vnus S. Chrys. prædicta homil. ita concludit: Vt ostendat nobis scriptura quomodo amor magnus & laborem, & temporis longitudinem succidit, & breue videri facit, dicit: Videbantur illi pauci dies, &c. hæc ille. Deinde vt dies suum significatum retinentes hunc reddant sensum, ita

Lyranus.

B Lyranus aduertit: Videbantur ei pauci dies in comparatione ad rem tam amabilem, quia pluribus annis seruisset pro ea, si fuisset requisitus. hæc ille. Quasi diceret secum Iacob: Tanti æstimo Rachelem, tam mihi pretiosa & chara est hæc merces, & gemma est, vt pro illa comparanda & potiunda leuem iudicem laborem & seruitutem integri septennij, septémque ipsos annos pro pauculis æstimem diebus.

Incomparabile amanti pretium rei amatæ.

Maiori siquidem pretio, grauiore seruitute, diuturniore labore, longioréque tempore laborandi, & seruiendi, & expectandi dignam mihi censeo Rachelem. quin etiam si patet pro filiæ nuptiis viginti annos seruitutis à me exegisset, non equidem grauem, diuturnam, & iniquam conditionem recusassem. Pauci ergo

C videntur dies secundum iudicium Iacobi reputantis secum excellentiam Rachelis omni quidem obsequio, pretio, ac seruitute superiorem: contra verò secundùm affectum, vehementem scilicet amoris ardorem & flagrantissimum desiderium concupito illo bono tandem potiundi, non pauci, sed plurimi, ac prope infiniti numero dies Iacobo videbantur. Nam quæ mora non longa, non diuturna est amanti? quam ille non sustinens apud Maronem aiebat:

Virgil.

Si mihi non hæc lux toto iam longior anno est.

Dixisset scholasticus expeditiore compendio: appretiariuè paucos videri Iacobo dies; affectiuè autem plurimos. Appretiatiue charitas iuxta Apostolum omnia sustinet. 1. *Cor.* 13. Nam licet mol-

1. Cor. 13. *Amor omnipatiens.*

D lius, ac blandius ad compatiendum amore nihil sit: in patiendo tamen videtur quodammodo omnipotens, aut si malis dicere omnipatiens. Omnia sustinet, humeros siquidem, ac vires ad omnia toleranda, & portanda libenter exhibet. Nihil enim (inquit S. Hier.) amantibus durum est. sic ille, *ad Eustoch. de Virgin.*

D. Hieron.

Sic amor omnipatiens, aut omnipotens in Iacobo extitit, vt vltra septem & septuaginta, ne dicam mille, annos quantumuis grauem, & laboriosam seruitutem pertulisset, si tam grandi amori breuis non esset vita.

Mira vis amoris.

Pauci denique amanti videbantur dies: amor siquidem labores non computat, labores nescit: de annis efficit dies, de mensibus horas. Septem seruiuit annos, nec anni pauci, sed pauci dies videbantur

E seruienti pariter atque amanti. Tot enim annos amoris magnitudo in breues dies commutabat; atque adeo pro re tam pulchra, & chara pretium septennæ seruitutis amanti videbatur exiguum; diésque tam laboriosi, ac longi, tempus breue, cum tanto pretio comparari.

6. Seruitutem & diuturnam, & permolestam libens Iacob suscepit pro comparanda vxore, quam vnicè diligebat.

Infelix domus vbi coniuges inuicem non amant.

Vtinam & laborando, & amando sese mariti vxoribus commendarent; nec tam grauibus hodie infelicitatibus coniugatorum vita vbique premeretur; vbi pax nulla, sedi-

A tio perennis, odia nonnunquam implacabilia, fœda diuortia, deplorandæque ruinæ. Cuncta composuisset amor Iacobi erga Rachelé, si etiam nunc vigeret. Sponsatam sibi iam puellam, immensis tamen laboribus promeretur Iacob, vt discamus quæ nobis à Domino sunt promissa, non sine operibus nostris tandem obtinenda: nec enim otiosis, & oscitantibus Diuina beneficia conferuntur: sed ille solus *coronabitur, qui legitimè certauerit.* 2. Tim. 2. Animus igitur in præmium æternitatis intentus ad perferenda quæque grauia, & laboriosa excitatur, vt opere tandem obtineat, quod fide percepit, spéque appetiuit: hæ siquidem ambæ mirabiliter elucent in illo. Vnde illud egregiè dictum a S. Paulino: Quis dubitet in eius

1. Timot. 2.

S. Paulinus.

B spiritu fidem veritatis habitare, in cuius vita videt fidei extare virtutem? *Epist.* 25. Maledicto Domini ficus illa meritò examit, quæ in vanitatis symbolum foliorum reuirescebat velamine; at in typum otiosæ infœcunditatis operum fructu debito carebat. Vt ergo in istum anima nostra exuberet Dominum ipsum pomarij custodem, & operatorem cum S. Paulino deprecemur: Cor meum (inquit) Diuinus amor fodiat, & stirpem meam necessaria pœnitudo stercore humilitatis impinguet. *Epist.* 33. Sic bene culta mens nostra nullum fructibus vacuum tempus habebit, nec dominicæ maledictionis periculum subibit, cum læta vberes exhibeat fructus, vbi collecturam ficui manum Dominus admouerit. Quapropter adiun-

Matth. 21.

S. Paulinus. *Bona opera ad salutem.*

Luc. 13. *Anima fœcunda operibus.*

C git S. Paulin. Omni hora paratus assistam, & Domino absente sim trepidus, vt adueniente securus sim Omni tempore me fertilem sibi Christus inueniat, id est, vt nunquam cuiquam operi voluntatis illius immaturus appaream. hæc ille. Etsi enim iuxta otiosi hominis desidiam non semper tempus est producendis fructibus maturum, aut iisdem colligendis opportunum: at iuxta Domini voluntatem iure optimo de nostra anima perennibus ipsius beneficiis, & gratiis præuenta debitum prouentum expetentis, & maturum, & opportunum tempus nunquam non erit.

S. Paulinus.

Semper & vbique opportunitas benè operandi.

7. Quin etiam ipsa efferuescentis in anima passionis occasio importuna suppetens, ad virtutis fructum promendum sic matura, & opportuna

D viro sanctissimo videtur, vt egregiè hoc ipsum adiiciat: Sed si fortè in tempore iracundiæ desiderauerit Dominus à me pacem suam, non sit mens mea per iracundiæ acerbitatem cruda concordiæ: nec expectem, vt sol occidat super iram meam, ne occidat vita mea, si ante clauserit vesper, quam extinxerit pax furorem. hæc Paulin.

S. Paulinus. *Periculosa vltra diem iracundia.*

Exemplum posuit in iracundia, quæ passionum omnium maximè præceps, ac furiosa est, mentique adeo crassas offundit tenebras, vt rationis lumen depellat, Diuinæque gratiæ splendoribus occæcati furoris, obstinatíque odij obicem opponat. Similiter philosophandum de quacunque alia passione, in cuius ardore (quod minimè reris) velut iam maturo, & opportuno tempore à nobis

Iracundia mentem occæcat.

E expectat Dominus debitam in obsequium ipsius fidelitatem: quæ maximè demonstratur, cum propter Deum effrænati motus comprimuntur, vitiosarúmque appetitionum ebullientes in animo scintillæ sopiuntur. Promissam sibi vxorem Iacob seruitutis labore promeretur: at non modò sub conditione promissam, sed certò iam infallibilem Dei gratiam, & salutis æternæ prædestinationem Apostolus, ac si non esset in Diuina gratia confirmatus, sanctissimis operibus, & (quod magis mirandum est) voluntaria corporis afflictione, quam vocat Iesu mortificationem, certam, ac securam

Comprimendæ animi passiones.

Mortificatio prædestinatis necessaria.

facere,

A facere, ac demeteri contendebat: ait enim: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo; ne fortè cum alius prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* 1. Corint. 9.

1. Cor. 9.

Ita vim (inquit) mihi infero, sic meum corpus affligo, ac si timerem æternam condemnationem, cum tamen certus sim de mea infallibili prædestinatione: vt omnes discant timere, suámque vocationem Christianis operibus, maximè verò corporis mortificatione certam facere. quod ita S. Chrysost. colligit: Si Paulus hoc timuit, qui factus est Angelus, quid nos dixerimus? Ne enim existimetis (inquit) quoniam credidistis, hoc vobis sufficere ad salutem. Nam si mihi prædicasse, & innumerabiles adduxisse, non satis est ad salutem, nisi meæ quoque actiones sint eiusmodi, vt in eas nulla cadat reprehensio, multò magis vobis. hæc S. Chrysost. *homil. 23. in 1. Corinth.*

D. Chrysost.
Bonus timor circa salutem animæ.

B Et quidem præter tam multa, & egregia opera prædicandi, conuertendíque gentes ad fidem, exantlando etiam infinitam admodum periculorum, persecutionum, ærumnarúmque multitudinem, adhuc tamen iudicat Apostolus sibi necessariò addendum esse, vt voluntariis afflictationibus corpus suum premat, macerétque; & nuncupatim (vt videtur elici) flagris diuerberet. At ô pudor, ô dedecus, ô cæcitas deploranda nostri temporis hæreticorum, qui aruina distenti, crapula sepulti, veneréque diffluentes in popinis, in ganeis, in volutabris fœdissimarum corporis voluptatum somniant miseri Diuinam gratiam, sempiternámque salutem sola fide contentos se adepturos.

Necessariam sibi iudicat S. Paulus mortificationem.
Hæreticorum cæcitas & impuritas.
Sola fides non sufficit ad salutem.

C 8. Vide etiam quàm pium, quàm sanctum, quàm antiquum, vel ipsis primoribus Christianæ gentis doctoribus vsitatum habeatur voluntariæ diuerberationis exercitium. In quo sanè vir Christianus sanctissimorum martyrum virtutem in tormentorum suorum tolerantia quodammodo videtur imitari. Sed hoc ipsum audi potiùs ex D. Petr. Damian. qui sic scribit. Dum manus carnificis nunc ab infligendo martyrum verbera cessat, quid obest, si tanta deuotio ipsa sibimet, vnde sanctis martyribus particeps fieri mereatur, exhibeat? Nam cum sponte me propriis manibus ante conspectum Dei verbero, deuotionis ingenuæ desiderium, si carnifex accurreret, promptus ostendo. hæc ille, *Epist. 10. ad Petrum Cerebrosum.*

Voluntaria verberatio ad imitationem martyrum.
S. Petr. Dam.

D Itaque qui se vltro flagris castigat, pietatem, & patientiam martyrum imitatur: quod enim isti patienter pro fide Christi tolerarunt, hoc ipsum ille voluntariè pro pietate sese affligendo molitur. Deinde hac eadem spontanea verberatione pium, atque ad subeundos pro fide cruciatus animum suum demonstrat. adiungit enim sanctissimus Cardinalis: Quia (inquiens) si pro amore Christi tam dulcis est mihi pœna, cum deest, quo susciperetur animo, si persecutor offerret? Vellem pro Christo subire martyrium, non habeo cessante studio facultatem, ipse me verberibus atterens ostendo saltem fermentis animi voluntatem. Enimuero si me persecutor allideret, ipse me verberarem: quia verberandum me vltroneum exhiberem. hactenus Cardinal.

S. Petr. Dam.
Voluntaria verberatio in martyrium oblatio.

E Quocirca martyr dum patienter verbera perfert, quodammodo spontaneam istam Christianæ mortificationis verberationem exhibet, & qui propriis manibus sponte illam suscipit, martyrij agonem, & triumphum in se ipso exprimit: adeo coniuncta est cum gloria martyrum ista, quam hæretici fugiunt, atque oderunt, mortificatio catholicis, & religiosis viris, quàm frequentissima; quæ ad Diuinam gratiam cum adipiscendam, tum etiam conseruandam magnopere conducit: addit enim Petr. Damian. Vt

Mortificatio hæreticis odiosa.
S. Petr. Dam.

A quia (inquiens) me læta caro traxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam: & vt, dum corpus affligitur, animæ refrigerium procuretur. sic ille.

Afflictio carnis est leuamentum animæ.

9. Iure optimo queritur S. Chrysost. ad hunc locum seruitutis Iacob, de ignauia, & stoliditate hominum, qui pro Deo immortali, ne tantulum quidem suscipere volunt laborem. Audiamus (inquit) nos ignaui, & supini, magna ingratitudine in Deum viuentes. Nam si Iacob propter puellæ amorem septennium seruire, ferréque pastoralium laborum ærumnas decreuit, & non sentit vel labores, vel temporis longitudinem: sed omnia ei leuia, & facilia videntur, expectationéque, & spe fructus alitur; ita vt dies paucos longum illud tempus putet: qualem nos habebimus excu-

D. Chrysost.

B sationem, qui non pari studio erga Dominum nostrum, & benefactorem, & curatorem, & qui nobis fit omnia, afficimur? hæc S. Chrysost. *homil. 55. in Genes.* Adeo stolidi sumus, vt Deum nihili habeamus. Nam si Deum, prout est, iusta lance penderemus, dignissimus planè videretur, pro quo aduersa omnia, molesta, & periculosa libenti, & alacri animo susciperemus. In nobis ipsis est nostræ ignauiæ, atque impietatis origo, non autem in Deo; qui cum sit infinita bonorum omnium excellentia, non potest non amari, si cognoscatur. Pulchrè siquidem animaduertit Philo Hebr. Intra nos ipsos (inquiens) thesauri vitiorum sunt: apud Deum verò solorum bonorum. sic ille, *lib. de profugis.* Quis quæso abundantior vitiorum thesau-

Stulti Deum non amamus nec æstimamus sicuti est.
Phil. Hebr.
A nobis vitia, à Deo bona.

C rus, quàm ipsa de Deo conditore, summóque bono ignorantia? *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus: corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis, &c.* ait Psaltes, *Psalm. 13.* ostendens corruptelam morum, & omnium flagitiorum abominandam turpitudinem in hominibus à veri Dei ignorantia prouenire, non quòd existimem agere de atheismo, sed tantùm de stoliditate, & vecordia illorum mortalium, qui prorsus diuini Numinis obliti, ac si stipites, & pecudes essent, vitam suam in terra, & in luto agunt. *Insipiens* Græcè habetur *ἄφρων, mente carens, amens.* Hebr. *nabal* נבל à *defluendo, vacando.* Homo scilicet (si fas est ita monstrum istud nominare) ratione, & cerebro vacuus vanus in rebus omnibus, cui omnia diffluunt,

Psalm. 13.
Ignorantia Dei fons omniũ malorũ.

D tantúmque flagitiis, & scelerum colluuione plenus: denique sceleratus pariter ac stultus vtrumque in voce Hebræa *nabal* contineri putat Geneb. Et ne plura commemorem, Deum agnoscens ac memorans Creatorem, si quis mente non careat, debito obsequio, & amore non poterit non prosequi. Vt enim optimè subnotauit Phil. Hebr. quisquis mundum creatum intelligit, non mediocre bonum lucratus est, Creatoris notitiam. Hæc enim citò persuadet, vt creatura Conditorem suum diligat. *lib. de profugis.*

Genebr.
Cognitio Dei ad amorem ipsius ducit.
Phil. Hebr.

E 10. Vitiorum deinde thesaurus in nobis est ipsum caducarum rerum, quas flagrantissimo studio insectamur, prauum iudicium: licet enim bona isthæc mera sint vanitas, ac nihili: cæco tamen mentis iudicio sese obiiciunt, ac si quidpiam soliditatis habeant: fitque subinde, vt (quod idem Philo statim subscribit) somniis, & imaginationibus bonorum vulgarium obuersantibus sibi homo delectetur. sic ille. Rectè bona ista pereuntis mundi, quibus homines inhiante ore student, somnia & imaginationes appellantur. Tantóque proinde magis detestanda, & deploranda hominum impietas, & stoliditas, qui mera bonorum insomnia Deo suo præferre audent. O si quis animam suam, salutem suam, Deũ suum æquali (proh pudor!) studio, & amore diligeret, atque Iacob

Phil. Hebr.
Bona mundi somnia & imaginationes.

Rachelem suam! Vmbra in Iacob transiit, stetit in Christo veritas. Quod erga Rachelem Iacob præstitit, Christi amorem erga Ecclesiam, & erga cuiusque nostri animam, aliqua etsi obscura ratione, adumbrauit. Dilexit enim nos Dominus, & tradidit semetipsum in mortem doloribus, & opprobriis plenam pro nobis; lauitque nos à peccatis nostris in sanguine suo. Nec Domini Iesu viscera dolor alius æquè discruciat, atque hominis animam perire, & in aliquo rerum statu à Deo, eiúsque gratia, & gloria desertam videri. Hoc vnum quippe pendens in cruce lamentari visus est: *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Ps. 21. & Matth. 27. vbi S. Hieron. Quòd me conquerar derelictum, non ex propria persona loquor, sed ex populi, cuius peccata in meo corpore ipse suscepi. Non enim tam mihi salutem postulo, qui Deus sum, quàm populo, qui salute indiget. hæc S. Hieron. *in Psalm.* 21. Extremum sanè malum hominis animam ob sua delicta deseri à Deo: quippe cum Dominus Iesus tanquam agnus coram tondente se obmutescens, & non aperiens os suum, non conquestus, non lamentatus sui corporis dilaniati cruciatus, & dolores incomparabiles, mortémque ipsam iam ingruentem acerbissimam: fletus tamen & gemitus ad lamentandam animæ desertionem confert.

Immensus erga nos Christi amor.

Desertio animæ defletur à Christo in cruce.

Psalm. 21. Matth. 27. D. Hieron.

11. Igitur (vt scribit Apostolus) *cum clamore valido, & lacrymis exauditus est.* ad Hebr. 5. ad quem locum S. Ambros. sic edisserit. B. Paul. hic dicit preces eum, & supplicationes fundere non timore mortis, sed nostræ causa salutis. hæc ille. De sua morte non curat Dominus, tantùm de nostra salute solicitus, ne videlicet à Deo vnquam deseramus, desertique in sempiternum pereamus: atque vt efficaciùs impetraret, in persona sua, quod in nostram salutem obsecrat, Æterno Patri proponit: *Vt quid me dereliquisti?* non illos, sed meipsum desetis: ne illos Pater deseras, si me deserere non vis. O incredibilem pietatem! ô immensum Domini Iesu amorem, vel ipsi Æterno Patri admirabilem, ac venerandum! adiungit enim Apostolus: *Exauditus est pro sua reuerentia.* Tanta nimirum (declarat S. Chrys.) fuit eius reuerentia, ac pietas, vt ideo eum reuereretur Deus. *hom. 8. in Epist. ad Hebr.* Reueretur quidem Deus Pater Filium pro hominibus supplicantem, eique libens petita concedit, admirabilem scilicet pietatem eiusdem magnificiens, & quodammodo venerans, cum videat suorum cruciatuum, opprobriorum, mortisque oblitum, de hominum salute anxium, & solicitum lamentari, & exclamare. Seruiuit denique Iacob septem annos, vt Rachelem coniugem lucraretur, & Dei Filius factus est homo, seruilique habitu indutus vitam duxit ærumnosam, & mortem oppetiit acerbissimam, vt Ecclesiam sibi fidelium, & iustorum copularet: ac principali intentione Matrem sibi Virginem omnibus diuitem gratiis eligeret, & quæ prima post Filium esset prædestinatorum, præstantiùs, & copiosiùs, quàm cæteri redempti, redimeretur à Filio. Enimuero cæteris post peccatum, saltem primæuæ, originalisque maculæ, lapsis, & captiuis Redemptoris gratia concessa est: at Virgo Dei Mater futura, ne caderet, ne caperetur ab hoste, ne seruitutem subiret, ne vlla vel primigenia labe inficeretur, ab ipso Filio longè antè præuenta est, sustentata, & oblato in pretium sanguine, qui de ipsius Matris visceribus trahendus esset, redempta singulari & vnico præ cunctis Adæ filiis priuilegio.

ad Hebr. 5. D. Ambros. Preces & lacrymæ Christi in cruce pro nobis.

S. Chrysost. Christi pietas vel ipsi Deo veneranda.

B. Maria post Filium prima prædestinatorum.

B. Maria excepta fuit ab originali reatu.

B. Maria sanguis ad redemptionem.

12. De Christo enim Dei Filio, quem Zorobabel præfigurabat, dixit Zacharias Propheta: *Et educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius.* Zachar. 4. legunt LXX. *lapidem hereditatis, æqualitatem gratiæ gratiam eius.* Hebr. ad verbum: *Cum acclamationibus gratia, gratia illi:* חן חן לה *chen chen lah*, hoc est, proh quam pulcher est ille! seu prospere succedat illi! Et quidem antiquissimi, & doctissimi Hebræorũ (vt scribit Galatin. *l. 7. cap. 3. & 4.*) petram istam primariam, de qua Zacharias, interpretantur Matrem Messiæ, de qua scilicet excidendus erat Messias. Gradu quidem, & excellentia primarios lapis, primúsque homo, vel prima creatura in genere humano dicitur a doctoribus Hebræorum Mater Messiæ, ob quam (aduertit Galatin. *cap. 4.*) Messias ipse, siue Christus Filius hominis dicitur. sic ille. In qua opinione ratio apparet optima, quare Christus Dominus frequentissimè Filium se hominis appellarit, testimonio videlicet, & argumento (vt vocant) ad hominem; quasi dicat: O Hebræi, ego ille ipse sum, quem vestri doctores intelligunt nasciturum de Matre illa, quam vocarunt primum hominem, siue in toto humano genere primam intentione Dei, primámque in dignitatis gradu, & virtutum, gratiarúmque excellentia creaturam. Huic igitur Virgini primo ipso instanti conceptæ tota rerum natura præcipuéque cælites ipsi, atque adeo Diuina Trinitas acclamarunt: *Gratia, gratia illi. Tota pulchra es, & macula non est in te.* Cant. 4. Quem locum iidem Hebræi de Matre Messiæ concepta in mundo intelligunt, vt Galat. obseruat. Mirabilis etiam sensus redditur ex vulgata versione. Deus quidem ipse Matrem suam eliget, & efficiet ex tota generis humani lapidicina, primum, & nobilissimum, & pulcherrimum lapidem, ex quo pretiosissimus humanitatis diuinitati Verbi aduniendæ lapis erat desumendus. Qua posita Matris Dei dignitate consequens est, vt exæquet gratiam gratiæ eius, hoc est, Filio Mater sit quàm simillima, æqualibus vtriusque gratiis, & virtutibus, prout tantæ Matris maiestatem decebit. Et quemadmodum Filius ipse suapte natura erit impeccabilis, ita ipsius Mater, saltem priuilegio, & gratia tanti Filij, ab omni labe, tum actuali, tum originali immunis, & mundissima apparebit.

Zachar. 4.

Galat.

B. Maria prima creaturarum.

B. Maria excepta Deus & creatura acclamarunt.

Cantic. 4.

Christus natura impeccabilis.

B. Maria immunis ab omni peccato.

SECTIO IX.

Da mihi vxorem meam: quia iam tempus impletum est, vt ingrediar ad illam. Qui vocatis multis amicorum turbis ad conuiuium fecit nuptias.

1. RAtum haud dubiè censendum est fuisse matrimonium Iacobi, & Rachelis iam ipso initio septennis seruitutis: tunc enim per verba de præsenti contractum est, sub ea tamen conditione consummandum, vt priùs vxorem maritus à socero septem annorum seruitute quodammodo sibi coemeret. Exacto igitur septẽnio Iacob iure ipso consummationem matrimonij cum sua vxore deposcit: *Da mihi* (inquiens) *vxorem meam*, non autem sponsam; quia iam tempus est, completa scilicet cõditione meæ seruitutis. Hoc vnum restat, non quidem vt ducam vxorem; iam enim duxi; sed vt eum mihi iampridem nupta vxore matrimonium ante septem annos ratum, & contractum, tandem maritali congressu perficiam, & consummem. Igitur Laban conuiuium ad nuptias instituit. Vox quidem Hebræa משתה *mixteh* conuiuium tantum significat. LXX. vertunt γάμον, quæ vox viri, & fœminæ congressum, simúlque nuptiale

nuptiale conuiuium importat, autore Iulio Polluce. Ac celebrari quidem nuptias apparatu conuiuiorum inuitatis hinc inde notis, & amicis non modò in cunctis ætatibus, sed etiam in regionibus, & gentibus semper extitit perquam solenne.

Abulensis.
Nuptiarum celebritas honesta & vtilis.

Nam vt optimè animaduertit hoc loco Abulensis, magna est in celebritate nuptiali honestas, & decentia, ingénsque vtilitas Reipublicæ, vt omnirum ita firmior, ac testatior existat matrimonialis contractus, & exinde suscepta proles cognoscatur legitima, & liquidò ab illegitima discernatur: ob quam etiam causam Ecclesiæ Christianæ instituto matrimonia publicè denuntiari, ac fieri iobentur. Cæterùm hæc ipsa tam vsitata, támque honesta celebritas nuptiarum neque in cantu, ioco, tripudio, epulóque modestiæ, temperantiæque limites debet excedere, vt in lasciuiam, ac turpitudinem fons iste, ac seminarium generis humani prolabatur.

Plato.

Quod Plato, etsi ethnicus, philosophiæ tamen ductu, & intellexit, & in sua Repub. præscripsit, *lib. 5. suarum legum de conuiuijs nuptialibus.*

Omnis intemperantia à nuptijs arcēda.

Vbi cum intemperantiam longè ab omni cōuiuio arcendam esse statuat: tum verò maximè hoc vitium alienum (inquit) est à noptiis: in quibus potissimum esse prudentes decet sponsum, & sponsam, vt qui iam vitæ non paruam incipiant mutationem: simúlque vt fœtus, quàm maximè à prudentibus nascatur. hæc ille.

Diabolus polluit nuptias intemperantijs.

Verum enimverò teterrimus humani generis hostis nullum non mouet lapidem, vt matrimonia instituto, & imperio Dei sacrosancta ebrietatibus, iocis, lusibus, scurrilitatibus, atque innumeris in omni genere intemperantiis, & libidinum irritamentis polluantur.

D. Chrysost.
Maritus lasciuiens vxorem lasciuire docet.

2. Quo de argumento multa diuinitus à S. Chrys. aliisque Patribus iam in superioribus dicta retulimus: maximè verò quæcunque lasciuia in viro damnabilior ideo censeri debet, eo quod cum sit dux, capútque vxoris, miseram suo exemplo ad omnem inuerecundiam instituat; & velit nolit, liberam illi faciat impudentiam. Nec enim iure ab vxore continentiam, & modestiam exigit, qui multa in se documenta, & exempla incontinentiæ, & immodestiæ exhibet.

S. Chrysost.

Quamobrem S. Chrysost. virum sic iniquum iudicem, ac pessimum vxoris magistrum affatus præstringit: Tu si Ecclesiam vxor frequentat, grauissimus illius accusator efficeris; ipse autem totum in theatris diem exigens, dignum te accusatione non credis: sed cum sis erga vxoris pudicitiam ita diligens, vt & superfluum te atque immoderatum esse non pudeat; quippe qui à necessariis processionibus sæpe contineas illam, tibi tamen cuncta prorsus arbitraris licere. hæc ille, *homil. 7. in Matth.*

Par obligatio inter virum, & vxorem.

Hæc est ignorantia, seu prauitas potius, & iniquitas viri vt ad omne facinus patrandum sibi liberam esse iudicet facultatem; at in vxore nullum esse non graue piaculum. Errat ille, turpitérque cæcutit.

D. Chrysost.

Rectè siquidem vltrà procedit S. Chrys. Sed minimè hoc tibi permiserit Paulus, qui eandem etiam mulieri tribuit potestatem.

1. Corint. 7.
Præstringitur adulterium mariti.

Vxori (inquit) *vir debitum reddat.* Quonam igitur modo à te honoratur vxor, quæ tam indigna sugillatur iniuria, cum tu corpus, quod in illius est potestate, meretricibus copulas? tuum quippe corpus vxoris est.

Vir adulter sibi ac toti familiæ nocet.

Quem illi tribuis honorem, cum tumultus, ac lites in domum introducas tuam; cum talia designas in foro, quæ dum domi narras, dedecoras quidem vxorem, quæ audit, & præsentem filiam rubore suffundis, ac præ cæteris temetipsum? hactenus ille. Audiant ista viri. nec ad vxores, & filias ea deferant, quæ vel oculis, vel auribus accipiunt turpia, & dedecorosa: nec etiam domi suæ talia narrari, dici, & audiri sinant, quæ scurrilitatem, atque impudentiam redoleant: his enim simpliciores atque infirmiores animi magnoperè commouentur, & irritantur, atque (vt totum dixerim) ad similia patranda faciliùs, & vehementiùs excitantur.

Turpia narrari non decet.

Longe adhuc impudentius erit, ac turpius, si vir suæ vxori narret adulteria, & infames cum meretriculis amores; harum enim & similium turpitudinum narrationibus miseræ vxores exeduntur, & lancinantur: & (quod accidit quotidie) vt par pari maritis referant, atque suas iniurias simili talione vlciscantur, ad consimilia exacerbatæ adulteria concitantur.

Vxor adultera de adultero marito se vlciscitur.

3. Nuptiarum celebritas damnari non debet, imò commendari, modò illæ extra suum institutum, & initium non euagentur.

Moderata nuptiarum celebritas commendatur.

Enimuerò primas in rerum natura, primásque subinde in lege gratiæ nuptias tam apparatu celebres, quam religione sacras legimus extitisse. Formatam quippe mulierem primam Deus ipse velut paranymphus in paradiso deliciarum ad primum virum adduxit, eósque ita coniunxit, vt vir omnibus aliis post Deum relictis adhæreret vxori suæ; fierétque ex duobus vna caro, vnum cor, & anima vna. O quàm felicia forent coniugia, si iuxta suam primæuam institutionem etiam nunc florerent; si debita pace, atque vnione coniugum sancta, tranquilláque consisterent!

Prima nuptia celebres & sacra.

Quid vos ô coniuges alias mundi opes & pretiosiores, & ad vestra onera leuanda quæritis aptiores? Illæ (inquit S. Chrysost.) illæ veræ sunt diuitiæ, illæ maximæ sunt facultates, si vir cum muliere non discordet, sed coniuncti sint, vt corpus vnum. Tales etsi in paupertate sint, etsi in vilitate omnium, sunt beatissimi, & in continua sunt tranquillitate. hæc S. Chrys. *homil. 38. in Genes.*

D. Chrysost.
Concordia inter coniuges nihil pretiosius.

Sic planè res habet: rata sunt, aut etiam nulla coniugum diuortia ob paupertatem, aut vilitatem: pauperes enim, & plebeij, vt plurimum in coniugio sese impensiùs amant, & coadiuuant, & tolerant, atque vt ille alius cecinit:

Pacatum inter pauperes matrimoniū.

——*Paupertatémque ferendo*
Effecere leuem, nec iniqua mente ferendam.

Ouid. Metam. 8.

Abundant siquidem veris opibus, pace, concordia, & amore: amor autem cum omnium maximè in vita sit dulcis, vel ipsam inopiæ, ac vilitatis amaritudinem reddit facilem, ac suauem.

Amor cuncta reddit suauia.

Contra verò (vt ipse scribit Chrysost.) nihil amarulentius, quàm si viro pugna sit aduersùs vxorem. sic ille, *homil. 10. ad Colossens.*

D. Chrysost.

Itaque istud mortalium genus ideò pacatiorem, & dulciorem transigit vitam, quia vir vxorem vnicè diligit: nec enim deliciis & vanitatibus, ad alienos toros, amorésque incitantibus, pertentatur: vxor autem obtemperat viro; nec enim simplex, & modestus animus libertatem quærit, & appetit lasciuire. Denique amat vir, obedit vxor; ille mansuetum se gerit, ista subditam, & modestam.

Felix inter plebeios coniugium.

4. Quæ tamen omnia inter nobiles, potentes, ac diuites, non tam facilè inueniri solent. Certum est enim illud S. Aug. Tanto delicatior, quantò ditior, *in Psalm. 125.* Ac proinde rixis, zelotypiis, odiis turbantur istorum coniugia, demúmque in adulteria nonnunquam, & diuortia desinunt luctuosissima.

D. August.
Diuitū coniugia inquieta.

Cæterùm (quæ est muliebris sexus impotentia, & licentia) nonnunquam pauperculæ domesticam turbant pacem.

Mulierum rixa.

M. Cato Censorius habuit vxorem Actoriam Paulam, humili loco natam, violentam, & impotentem, & (quod nemo posset credere) Catoni superbam, in quem nec viri solebant mutire: tantus erat hominis rigor, & autoritas. Hoc ideo dixerim: ne quis putet si

A pauperem duxerit, satis supérque se concordiæ prouidisse. Cognata sunt enim, & genuina mulieri iurgia, rixæ, querimoniæ, odiorúmque seminaria. At ô verum illud coniugium! ô felix humanæ vitæ status! talem Deus ipse instituit primæuam Adæ, atque Euæ societatem. Sed quonam appatatu bone Deus? In paradiso deliciarum primæ sunt celebratæ nuptiæ: at quis locus sub ipso cælo aut amœnior, aut pulchrior, aut pacatior, aut opulentior? Sponsi non auro textili, & margaritarum nitore conspicui; sed (quod rem omnem creatam excedit) iustitia originali, Diuina gratia, multarúmque, & maximarum virtutum amictu pretiosissimo collucebant. Aderant velut ad theatrum spectatores, & ad conuiuium inuitati omnes cælestium ordinum spiritus: & quidem humanis lætabantur nuptiis, quibus in terra propagandi essent Dei cultores, atque adeo in cælorum incolatum transferendi. Quid quæso felicius, quid nobilius, ac celebrius hisce nuptiis? Quid verò etiam sacratius, ac religiosius, vbi sancti sponsi, inuitati Angeli, Deus ipse pronubus, aula paradisus? hoc pacto decebat primæuam nostri generis originem, ac fontem à Deo honorari, & sacrari, cum animantium illi principes, & orbis terrarum imperatores in coniugalem societatem, & indiuiduam amoris vnionem ab ipso Deo copularentur.

Nuptiæ Adami cum Eua celeberrima.

B

5 Celebriores deinde, sacratiorésque multò extiterunt nuptiæ, quas post Dei ad terras descensum celebratas legimus in Cana Galilææ. Ad istas enim Deus ipse factus homo, & augustissima ipsius Mater Virgo purissima inuitati, simul cum discipulis, videlicet, summis in terra, & in cælo principibus iuerunt. Quis obsecro vel ornatior, vel sublimior, quis religiosior, vel diuinior consessus? Commendauit igitur Christus Dominus, & consecrauit pariter moderatam, & Christianam celebritatem nuptiarum. Nam vniuersim ad omnia valet illa S. Aug. sententia: In Christo venit hominibus magisterium, & adiutorium ad capessendam sempiternam salutem. *Epist. 2. ad Volusianum.* Docuit scilicet eas demum esse nuptias Christianorum, vt in eis Deus, Virgo Mater, & Apostoli reperiantur, hoc est, pura, & sancta omnia sint. Scitum est enim illud S. Chrys. Matrimonium non est theatrum: est mysterium, seu sacramentum, & rei magnæ typus; & si ipsum non reuerearis, reuerere id, cuius est typus. *Sacramentum* (inquit Paulus) *hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* ad Ephes. 5. Ecclesiæ est typus, & Christi. hæc ille, *homil. 12. ad Coloss.* vbi etiam valde præstringit inuerecundam & intemperantem celebritatem nuptiarum. Mulierem (inquit) ducis ob temperantiam, & liberorum procreationem. Licet exhilarare nuptias lautis mensis, & vestimentis. Licet præsentia venerandorum virorum, & reuerendarum mulierum. Quid ludibria, quid monstra inducis? Omnia oportet esse plena temperantia, ac modestia, grauitate, & honestate. Virgini solus est aptus thalamus. At est (inquis) pauper. Quoniam est pauper, debet etiam esse modesta, & honesta. Habeat mores pro diuitiis. Matrimonium est vnguentum, cur cœni fœtorem inducis in compositionem vnguenti? Hæc & multa in eandem sententiam S. Chrys. nimirum pro tuenda matrimonij puritate, ac nobilitate. adiungit enim: Volo ipsum expurgare matrimonium, vt reducam ad suam nobilitatem. Probro affectum est Dei donum, radix nostræ generationis. Nam multum fimi & cœni iniectum est radici. Hoc ergo ratione expurgemus. Est sacramentum Ecclesiæ, quæ ex Christo orta est, & cum qua Christus congressus est congressu spirituali. ne tantum igitur mysterium pudore afficiamus. Christi præsentiæ typus est matrimonium. At nunc omnia illic sunt turpitudo, & stultiloquium, & scurrilitas. Vbi est ebrietas, & lasciuia, sermo obscœnus, adest diabolus sua afferens. Cum his conuiuans, dic quæso, Christi mysterium peragis, & diabolum inuocas? sic ille. Cum ergo Dei præsentia, & gratia institutum, & honoratum sit coniugium, cur quæso diabolus, & illius vitia execranda introducuntur?

Ioan. 2. *Nuptiæ à Christo celebratæ, & sacratæ.* S. August.

C

S. Chrysost. *Matrimonij excellentia.* ad Ephes. 5.

D

Nuptiæ sint honestissimæ.

E

Mulieri mores pro diuitijs.

S. Chrysost.

Vitijs non polluenda coniugia.

6. At quinam sunt inuitandi? Respondet idem Chrys. Quando es facturus nuptias, ne domos obeas, specula, & vestes commodato accipiens. Res enim non fit ad ostentationem, neque filiam adducis ad pompam; sed iis, quæ in ea sunt, domum exhilarans voca vicinos, & amicos, & cognatos: quos nosti quidem bonos, & probos, eos voca, & qui iis quæ adsunt, contenti sint: ante alios omnes voca Christum, scilicet pauperes vocando. hæc Chrys. Quo autem ornatu & mundo muliebri procedere debet sponsa, & quo apparatu conuiuium instruendum? Videlicet (adiungit) orna sponsam, non aureis ornamentis, sed mansuetudine, & pudore, & consuetis vestibus; pro quouis mundo aureo, & implicaturis, & intexturis induens pudorem, & verecundiam, & quod illa non quærat. Nullus sit tumultus, nulla perturbatio; vocetur sponsus, accipiat virginem; prandia, & cœnæ non sint plena ebrietate, sed satietate cum voluptate. hactenus ille. Denique cum matrimonium dicatur mysterium, meritò explodit omnem impuritatem, & lasciuiam. In nostris (inquit idem) nuptiis silentium, honesta grauitas, pudor, & modestia: magnum peragitur mysterium, foras meretrices, foras profani. ita Chrys. Et quidem de componendis Christiano ritu nuptiis hæc satis fuerint.

Qui ad nuptias inuitandi. S. Chrysost.

D. Chrysost. *Virtus pro ornatu sponsæ.*

Quales inter Christianos nuptiæ. D. Chrysost.

7. Cæterùm quia Paulus coniugium vocat sacramentum magnum, hoc est, mysterium, siue arcanum, inquiri debet ratio huius nomenclaturæ; nec facilè occurret aptior, quàm quæ ab eodem S. Chrys. *homil. 20. in Epist. ad Ephes.* sic apponitur: Re vera mysterium est, & magnum mysterium, eo qui procreauit, qui genuit, qui educauit; ea quæ concepit, quæ cum dolore peperit, & afflictione; qui tot, & tantis affecerunt beneficiis, cum quibus diuturnus fuit vsus, & consuetudo, relictis, ei adhærere, quæ ne visa quidem fuit, & cum eo nihil habet commune, & eam omnibus præferre, reuera est mysterium. hæc ille Igitur inter maxima naturæ arcanum, & veluti miraculum censeri debet coniugium; in quo tanta vis, ac virtus inest, vt ambo coniuges, genere, loco, vitæque instituto, dissimiles, & plerumque antea nunquam mutuò visi, & cogniti, vbi matrimonium contrahunt, sic inuicem affectu conglutinentur, vt vna fiant caro, animáque vna: & præ isto mutuo amore, atque indiuidua consuetudine, etiam parentes ipsos, à quibus geniti, nutritique sunt, omnino relinquant, obliuiscantur, nesciant. Imò etiam adauget vim arcani, & miraculi, quod adiungit idem Chrys. Et parentes (inquiens) cum hæc fiunt, non ægrè ferunt, sed potiùs ægrè ferunt, si non fiant; & cum impenduntur pecuniæ, & fit sumptus, lætantur. Reuera magnum est mysterium arcanam quandam habens sapientiam ita Chrys. Nimirum per hanc admirabilem coniugij virtutem etiam ipsi parentes, qui summo iure à filiis amorem exigunt, vbi tamen eos in matrimonium coniungunt; volunt, monent, omnique studio nituntur,

D. Chrysost. *Matrimonium est summum arcanum.*

Mutuus coniugum amor.

D. Chrysost.

Parentes in coniugio filiorum effusi.

nituntur, vt ipsi filij posthabitis parentibus, ardenter, ac tenerè amantes inuicem adhæreſcant; lætique & alacres impendunt opes, ſuis ſeſe bonis ſpoliant, propriiſque domibus priuant, inopes demum eligunt viuere, vt filij abundent omnibus in coniugio. O admirabilem matrimonij virtutem!

8. Sed hæc tam mira virtus naturæ, figura tantùm eſt, & velut parabola ad Chriſti, & Eccleſiæ amorem & coniunctionem adumbrandam: addit enim Apoſtolus: *Ego autem dico in Christo, & Ecclesia.*

S. Chryſoſt.

Quoniam (exponit idem Chryſoſt.) & ipſe Dei Filius dimiſſo Patre deſcendit, & venit ad ſponſam, & factus eſt in ſpiritum vnum. Qui adhæret Domino eſt vnus ſpiritus. hæc ille. Subtilis admodum, nec minùs appoſita eſt interpretatio S. Hieronymi in gratiam matrimonij;

B

D. Hieron.

Matrimoniũ in lege Christi sacramentum.

quòd cum antea merus fuerit contractus, nunc in lege gratiæ vnum ſit de ſeptem Eccleſiæ ſacramentis, quę rite ſumpta Diuinam gratiam communicant. Ego (inquit) in Chriſto intelligendum dico, & in Eccleſia. Vnde vos maiore affectu debetis vxores veſtras ſanctas diligere ſpirituales, qui ante dilexiſtis peccatrices, & in gentilitate carnales. ſic ille. Arguit igitur in hunc modum Apoſtolus: Ante ſuſceptum Chriſti Euangelium ex vi ſola contractus naturalis coniugati ſeſe inuicem magnoperè diligebant. Ergo nunc iam Chriſtum induti, cum matrimonium factum à Domino ſacramentum ſuſcipiunt, ad multò maiorem, & ſanctiorem pariter amorem obligantur;

C

Inter Christianos coniuges maior amor interecedat oportet.

quippe cum non iam gentilem, & ſoli carni ſtudentem; ſed Chriſtianum, & gratia ſacramenti conſpicuum, & velut ſpiritualem, cœleſtique inſtituto incumbentem coniugem vnuſquiſque acquirat, habeat, & diligat. Præterea maiore affectu diligendas inſinuat vxores, quæ modeſtia, virtute, ſanctitatéque ſe potiùs, quam formæ venuſtate reddunt amabiles. Quia verò ad fraudem nuptiarum Liæ deformis pertractandam ſtatim accedendum eſt, conferet multum audire ex S. Chryſoſt. quænam magis eligenda ſit vxor. ſic enim *homil. 20. ad Ephes.* effatur:

S. Chryſoſt.

Ne auerſeris vxorem propter deformitatem. audi ſcripturam dicentem: *Parua in volucribus apis, & initium dulcedinum est fructus eius.* Eccleſiaſt. 11. ſic ille.

Eccleſ. 11.

D

9. Sanè quàm egregia ſimilitudo apis: nihil illa, ſi ſpeciem conſideres, contemptibilius: at ſi induſtriam, ſi ingenium, ſi mores (vt ita dicam) ſi fructum denique reſpicias, nihil tantula beſtiola pretioſius, ac iucundius. Sic planè ſe habet vxor bona, cui pudor, grauitas, pulchri mores, & animæ vera elegantia; etſi corporis habitu oriſque aſpectu minùs ſpectabilis appareat.

Non corporis, sed animæ pulchritudo laudanda.

S. Chryſoſt.

Non expellenda, non malè accipienda eſt vxor ob vnam corporis deformitatem. Dei ſiquidem (ait Chryſoſt.) eſt figmentum: non illam contumelia afficis, ſed eum, qui ipſam fecit. Et tu illam laudabis propter formæ elegantiã? Impudicarum eſt hæc laus. Quære animæ pulchritudinem. Externa pulchritudo plena eſt multæ arrogantiæ, & inſolentiæ, & iniicit in zelotypiam, & ſæpe te facit ſuſpicari rem abſurdam, & turpem. ita Chryſoſt. & quidem verè:

E

Zelotypus ob formam uxoris tabescit.

quàm triſtem enim, ac miſeram ducit vitam, qui noctes, ac dies zelotypiæ ſtimulis pungitur, ac lancinatur ob vxoris, quàm ſpecioſam, tam periculoſam formam? plus fellis, quàm mellis habet formæ venuſtas.

S. Chryſoſt.

At habet quidem (adiungit Chryſoſt.) voluptatem vſque ad primum, & ſecundum menſem, aut plurimum vſque ad annum.

Pulchritudo breuis.

Deinde non ampliùs, ſed à conſuetudine marceſcit miraculum. Quæ verò propter pulchritudinem mala

A

aduenerint, remanent, faſtus, arrogantia, & contemptus. In ea autem, quæ non eſt eiuſmodi, nihil tale, ſed meritò amor incipiens valde permanet, quoniam eſt pulchritudinis animæ, non corporis. hæc ille, perquàm luculenter, ac verè. Nihil enim fugacius oris pulchritudine: flos iſte coniugali actu tanquam falce demetitur, aut velut æſtu exuritur: pereuntéque decore, adhuc viuit ſuperbia, leuitáſque mulieris, & inſanum comendi, pigturandique ſtudium atque (vt ſanctus Doctor optime animaduertit) contemptus.

Mille vitia cum pulchritudine.

S. Chryſoſt.

Quæ videlicet primò nuptiis inducta eſt formoſa, talem deinceps etiam poſtquam emarcuit floſculus, ſeſe venditat, ſuóque iudicio digniorem ſe reputat marito: vnde rixæ, lites, diſcordiæ, atque implacabile mulieris odium vſque ad diuortium à viri thalamo, & contubernio.

B

Eſt quidem pulchritudo maximum humani corporis bonum: nihil illa charius & amabilius: nihil ad demerendam hominis gratiam, & beneuolentiam conciliandam potentius, & efficacius. quod veterum ſapientes elegantia verborum ſymbolica tradiderunt. Plato enim vocauit principatum naturæ: Carneades, regnum ſine cuſtodibus: Socrates tyrannidem non diuturnam: Ariſtoteles potiſſimam in commendando epiſtolam.

Plato.

Carneades.

Ariſtot.

Pulchritudinis commendatio.

Secum enim in facie geſtat, quo maximè commendetur omnibus, & amabilem ſe reddat, qui pulcher eſt.

C

10. Proinde regius Vates de regnatrice, ac præpotenti Chriſti Domini gratia, & pulchritudine concinuit: *Accingere gladio tuo super femur tuum Potentissime: specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna.* Pſalm. 44.

Pſalm. 44.

Victrix Domini IESV pulchritudo.

Armatum inducit animatum ſponſum in pugnam, gladióque præcinctum tam feliciter agere, vt ſecundo rerum euentu in regnum euehatur. nam Chald. vertit: *Gloria tua magna est, propterea prosperabis, vt equites super thronũ regni:* vel *sic prosperabis, vt equites super thronos regios.* Sed quis gladius iſte virtutis adeo prodigioſæ? vtique ipſa facies, ipſa pulchritudo ſponſi; primus enim verſus per ſequentem expreſſius declaratur; ac proinde gladius per appoſitionem dicitur ſpecies, & pulchritudo: vti poſt Tertull. 3. *contra Marcion. cap.* 17. volunt S. Hieron. S. Baſil. S. Chryſoſt. Theodor. & alij.

Tertull.

D. Hieron.

S. Baſil.

Theod.

D

Et quidem in verbo (*intende*) ſponſum arcu, & ſagittis inſtructũ ſupponit, vt S. Chryſoſt. animaduertit.

S. Chryſoſt.

Cùm dixit (inquiens) intende, arcum ſignificauit, & ſagittas, &c. Vóxque ipſa tam Latinè quàm Græcè, atque Hebraicè hoc habet ſignificatum. Adhortatur igitur ſponſum, vt in pugnam procedat, arcum intendat, ſagittas eiaculetur; nimirum ex facie, ex oculis, ex ore ipſo, & labiis omnigena gratia ſuperfuſis, atque adeo ex totius corporis admirabili pulchritudine. quippe cum ſit ſpecioſus forma præ filiis hominum.

Pulchritudo vincit, ac triumphat.

Pugnat ergo pulchritudo, ferit, vulnerat, equitat ſuper ipſos thronos regios, vincit, regnat, triumphat. Ac (ſi liceat de fabellis nonnihil attingere) armatam Palladem, & ferarum venatricem Dianam, videlicet hoc ſymbolo pulchritudinem vtriuſque inſinuantes, antiqui mortales effingebant.

E

11. Sed quænam iſthæc fuit Chriſti Domini pulchritudo?

Christus virorũ pulcherrimus.

Diuinitatis virtutem, gratiam & innocentiam humanitatis, potentiam verbo, & opere, Patrum complures intelligunt, quorum plerique deformem ore Chriſtum fuiſſe arbitrantur. quod mihi nunquam perſuadeant: quin potiùs indubitatum mihi eſt, Chriſtum Dominum virorum omnium pulcherrimum, & Virginem ipſius Matrem fœminarum omnium ſpecioſiſſimam extitiſſe: atque adeo in vtroque vtriuſque ſexus

B. Maria mulierũ formosissima.

humani

humanā naturam fuisse perfectissimam. Planè sic decuit, vt Christi Domini præsentia hominum animos non quidem molli, sed virili, ac regio quodam decore conciliaret, non autem deformitate vultus, horroréque fugaret. Quam in sententiam perbellè scripsit S. Hier. *in Epistol. ad Principiam*, hisce verbis: Vniuersis pulchrior est Virgo de Virgine, qui non ex voluntate viri, sed ex Deo natus est. Nisi enim habuisset & in vultu quiddam sydereum, nunquam eum statim secuti fuissent Apostoli: nec qui ad comprehendendū eum venerant, corruissent. hæc ille. Hanc verò corporis sui pulchritudinem obscurandam passioni Dominus tradidit, cum (ait ibidem Hieron.) corpus iniuriæ dereliquit, &c. Quare apud Isaiam *cap.* 53. (vbi de specus, & nouissimus virorū ponitur) ignobilitas corporis (adiungit Hieron.) propter flagella, & sputa, & alapas, & clauos, & iniurias patibuli commemoratur. sic illé. Tantóque nobis charior, & pulchrior videri debet, quantò pulchriorem suæ humanitatis speciem iniuriis, & cruciatibus, & plagis, ac morti demum pro nobis dedit labefactandam.

D.Hieron. — *Pulchritudo Christi in passione obscurata.* — *Isaiæ 53.* — *D.Hieron.* — *Christus nobis charior in passione.*

12. Pro vindicanda gratia pulchritudinis nimiùm fortasse oratio cucurrit. Atque vtinam cum virtute coniuncta illa foret, ne in barathrum vitiorum, & calamitatum homines plerumque deuoluerét! Enimuero humana pulchritudo (quæ naturæ nostræ corruptio est post peccatum) ferè semper secum inuehit molliciem, lasciuiam, imbecillitatem, leuitatem, inuerecundiam, nequitiam: quo vno extremo verbo cætera complexus ille cecinit:

Pulchritudo vitijs consitia.

Insignis forma, nequitiáque puer.

Martial.

Meritóque exoptandum erit in aliquibus deesse decorem, vt pudor, ac virtus adsit, iuxta illud eiusdem epigrammatarij *lib.* 8. *epigr.* 53.

O quam te fieri Catulla vellem
Formosam minus, aut magis pudicam!

Nihilo tamē minùs pulchritudo nuptias maximè conciliat: nec miser, insipiénsque sponsus aliud in fœmina ducenda pluris æstimat, & amat potiùs. Inolcuit iam hæc apud mortales consuetudo. Cæterùm quid inde intendatur periculi, audiant ex S. Hieron. Pulchra (inqoit) citò adamatur, fœda facilè concupiscit. Difficile custoditur, quod plures amant; molestum est possidere, quod nemo habere dignetur; minore tamen miseria deformis habetur, quàm formosa seruatur. Nihil tutum est, in quod totios populi vota suspirant. Alius forma, alius ingenio, alius facetiis, alius liberalitate solicitat: aliquo modo, vel aliquando expugnatur, quod vndique incessitur. hæc ille, *lib.* 1. *aduers. Iouinian.* Arduum quidem negotium suscipit, qui ducit vxorem: nam si deformis est, quæ grauior infelicitas? si formosa, quid periculosius? gemmam scilicet habet, quam omnes cupiant, multi oppugnent, &, cum difficilè custodiri queat, aliquando tandem expugnent. Formosam expetis vxorem? at fortè venenum tibi paras, mortem tibi consciscis. Audi eundem Hieronymum: Quid referam Pasiphaen, Clytemnestram, & Eriphylam? quarum prima deliciis diffluens, quippe regis vxor, tauri dicitur expetisse concubitus; altera occidisse virum ob amorem adulteri; tertia prodidisse Amphiaraum, & saluti viri monile aureum prætulisse? & propter vnius mulierculæ raptum, Europa, atque Asia decennali bello confligunt hæc ille, *citat. lib.*

Vxoris pulchritudo periculosa. — *D.Hieron.* — *Vxoris à formositas viro fastidiosa.* — *D.Hieron.* — *Grandia mala sæpè ob fœminæ pulchritudinem.*

13. Qui etiam insanum istud in viro pulchritudinis vxoris studium, & affectum non ex Christiana tantùm philosophia, sed etiam ex placitis

A ethnicorum sapientium præstringit in hunc modum: Amor formæ, rationis obliuio est, & insaniæ proximus: fœdum, minimèque conueniens animo sospiti vitium. Turbat consilia altos, & generosos spiritus frangit: a magnis cogitationibus ad humillimas detrahit: querulos, iracundos, temerarios, durè imperiosos, seruiliter blandos, omnibus inutiles, ipsi nouissimè amori facit. Nam cum fruendi cupiditate insatiabilis flagrat, plura tempora suspicionibus, lacrimis, conquestionibus perdit, odium sui facit: & ipsi nouissimè sibi odio est. hæc *ibidem*. Non fruitur miser voluptate pulchritudinis, quam deperit, sed dum eam custodit, & sibi corripi timet, grauissimis diu, noctúque exeditur curis. mortem dixeris, non vitam. Qua-

D.Hieron. — *Mille miserias patitur vir ob vxorē formosam.*

B propter ex sententia Auli Gellij, in noctibus Atticis, eligenda est vxor, quæ statam habeat formam. Est autem stata forma, quam vocant vxoriam, nec obnoxia amoribus multorum, neque molesta viro. Pulchritudo autem vxoris libidinosos irritat, & maritum facit. Etenim (concludit egregiè) origo quidem amoris honesta est, sed magnitudo deformis. Nihil autem interest, quàm ex honesta causa quis insaniat. Vnde & Xistus in sententiis: Adulter est (inquit) in suam vxorem amator ardentior. In aliena quippe vxore omnis amor turpis est, in sua nimius. Sapiens vir iudicio debet amare coniugem, non affectu. Reget impetus voluptatis, nec præceps feretur in coitum. Nihil est fœdius, quàm vxorem amare, quasi adulteram. ha-

Aul.Gell. — *Stata forma vxoris eligatur.* — *D.Hieron.* — *Xistus.* — *Damnatur nimius in vxorem amor.*

C ctenus S.Hieron. Modus quidem in rebus optimus est; maximè verò in amore, vel etiam coniugali: nam si ille modum transiliat, vt plurimùm in zelotypiam, atque insaniam desinit. Fuit à Deo ipso institutum matrimonium in statu innocentiæ; atque vtinam hic perdurarer! futurum enim illud tantùm fuisset in officium naturæ, hoc est, ad prolem gignendam, qua genus humanum propagaretur: at post peccatum primorum parentum inseruit etiam matrimonium in remedium concupiscentiæ. Hæc enim fræno iustitiæ originalis abiecto velut indomita bestia rationis moderamen excutiens ita lasciuit, ac ferocit, vt non nisi Diuina virtute perdometur, & comprimatur. Igitur Diuino beneficio institutum coniugium, & in

Modus in amore optimus.

D lege Christi factum sacramentum, & consequenter cœlesti gratia superfusum, sua virtute ferocem illam, & effrænem bestiam coërcet, vt expleta cupiditate intra debitum ac proprium torum contineatur, nec in alienum irrumpat. Est enim coniugium, vt alibi attigimus, veluti portus, in quem fluctuantes in salo, & iam naufragio proximæ humanorum corporum cimbæ recipiantur. Scitum est enim illud S.August. Vtriusque sexus infirmitas, propendens in ruinam turpitudinis, rectè excipitur honestate nuptiarum. Vt quod sanis possit esse officium, sit ægrotis remedium. hæc S. August. *lib.* 9. *de Gen. ad liter. cap.* 7.

Matrimonij concupiscentia remedium. — *Matrimonii portus.* — *S.August.*

14. Porrò siue vt officium naturæ, siue vt re-
E medium concupiscentiæ spectes coniugium, multo est inferius, quàm duo illi in Ecclesia Christiana non satis laudati, & commendati virginum, & viduarum status: isti enim concupiscentiam cohibent, non explendo quidem, & quodammodo nuptialibus blanditiis demulcendo bestiam; sed ingenio, & virtute comprimendo, & prorsus conterendo: vnde in immensum angescit virginalis, & vidualis status commendatio. Quare optime scribit S Hieron. Non ignoramus nuptias, & torum immaculatum: sed ita nuptias recipimus, vt virginitatem, quæ de noptiis nascitur, præferamus. sic ille, *lib.* 1. *aduersus Iouin.* in virginitatis laudem:

Virginum & viduarū status excellentior coniugali.

Vidualis castitas ardua & præclara.

D.Hieron.

laudem. de viduis autem pro Christo continentibus ita progreditur: Quantò maior est difficultas expertæ voluptatis illecebris abstinere, tantò maius est præmium. hæc S. Hieron. Expertæ quidem sunt aliquando voluptatem coniugalem viduæ, primæuo scilicet integritatis flore, atque honore viduatæ; atque ob eam causam magno interuallo distant à summo fastigio virginitatis, quæ tantò felicior est, quam vidualis continentia, quantò maiora cum minore labore præmia consequitur. Viduarum quippe pudicitia summè laboriosa est ob expertam coniugij voluptatem, cuius vel sola recordatio mirum in modum inflammat: difficiléque est huiusmodi ardorem extinguere; sed minùs gloriosum, quàm illius inexperto animo, sensúque nunquam non extitisse. Sed quid honestatem nuptiarum, quid continentiam vidualem cum virginitatis gloria comparamus? Quando enim (vt optime animaduertit S. Hier.) minora maioribus coæquantur, inferioris comparatio superioris iniuria est. sic ille citato libro. Nec sanè comparari, nec verbis explicari, aut cogitatione comprehendi potest virginitatis laus, postqoam illa Deum nobis hominem concepit, ac peperit. Flos est, ac fructus virginitatis, Dei Verbum caro factum. Vna hac fœcunditatis gratia deerat virginitati, quam Deus in terras adueniens illi contulit. Qoid iam nunc fœcundius virginitate, quæ Deum hominem peperit, terrámque fidelibus Dei seruis, & cælum humanis Angelis repleuit? Redempturus hominum genus in terras Dei filius descendit, seruilem indutus habitum, nostras in seipso vitæ, mortísque miserias libenter suscepit: at de nuptiis tamen, & de coniugali commercio, vti cæteri nascimur, nequaquam nasci voluit.

Vidualis continentia cum virginitate comparari non potest.

Incomparabilis laus virginitatis in Deo Filio Virginis.

B. Maria puritas incomparabilis.

15. Virginem Matrem elegit; & quàm subinde puram atque immaculatam? qua scilicet post Deum nihil & pulchrius, & purius esse, cogitaríque potest. Neque verò tantùm concipiens, ac pariens Dei Filium purissima Virgo extitit; sed etiam à parentibus suis, licet coniugali actu, concepta inexplicabilem tum in corpore, tum in anima diuinitus habuit puritatem. Enimuerò, vt in reuelationibus ad sanctam Brigitam legimus, sanctissimi Virginis Deiparæ parentes citra omnem sensum libidinis conceptionem illius diuino Spiritu impulsi exercuerunt. In quo argumento Galatinus eruditè, sanctéque expatiatus demum concludit: A sancto Ioachim, & à sancta Anna, omnem corporis libidinem, voluptatémque effrænatam Deus abstulit, vt eo modo ipsam immaculatam Virginem generarent, quo primi parentes, si oon peccassent, filios suos in paradiso genuissent. sic ille, *lib.7.cap.*8. Nimirùm fuissent (vt in *1.tom.* ostendimus) in statu innocentiæ, dignæ tamen illo, nuptiæ maris, ac fœminæ, de quorum coniunctione genus hominum propagaretur; caruissent autem omni sensu, ardoréque libidinis, vti etiam deinde puerperij doloribus. Quod ita S. Aug. docet. Non video quid prohibere potuerit, vt essent eis etiam in paradiso honorabiles nuptiæ, & torus immaculatus, hoc præstante Deo, vt sine vllo inquieto ardore libidinis fœtus gigneretur. hæc S. Aug. *lib.9. de Genes. ad liter. cap.3.* Hinc illorum somnium euanescit, qui fingunt nascituros in statu innocentię fuisse homines ex virginibus. quem nos errorem suo iam loco confutauimus. Igitur qua puritate in statu innocentiæ coniuges prolem genuissent, eadem omnino Virgo Dei Mater à suis est concepta parentibus. Videlicet (adiungit Galatin.) ex gratia, ac voluntate Diuina prouenisse dicimus, cum ipsa eius tabernaculum futura esset, ex cuius pretiosissimo sanguine Christi Dei, & hominis formandum corpus erat; ideóque necesse fuit, vt esset omnium creaturarum perfectissima ac purissima. hæc ille. Sed quid de puritate aoimæ Virginis in momento ipso suæ conceptionis dicam? Est enim mihi hoc placitum longè, quàm proximè positum, magis indubitatum; quippe Augustinum eundem auditio sic in persona Christi Domini de immaculata Virginis Matris suæ citra labem originalem conceptione statuentem: Si potuit inquinari Mater mea, cum eam facerem, potui inquinari ego, cum ex ea nascerer. *tom.6. lib. de quinque hæresibus, cap.5. contra Manichæos.* relege Galat. indicato loco. Nihilominus fideliùs citare debuisset Augustinum. Licet enim hanc sententiam esse Augustini credam, ex hoc tamen loco eam confirmari non puto. Sententia planè Augustino digna. Coniungit quidem puritaem filij cum puritate Matris, nec alteram sine altera consistere posse intelligit. Quare qui Virginem originali labe conceptam dicet, Filium eius pariter aliquali labe infectum affirmabit, quo nihil magis absurdum, magisque impium.

B.Maria cõcepta sine ardore libidinis in parentibus

Galatin.

S. August.

B. Maria cõcepta vt in statu innocentia conciperentur fœtus humani.

Galatin.

S.August.

B. Maria sine originali concepta.

SECTIO X.

Et vespere Liam filiam suam introduxit ad eum, ad quam cum ex more Iacob fuisset ingressus, facto manè vidit Liam.

1. ANtiquorum ea fuit consuetudo, vt sponsa duceretur ad virum vespertino tempore; id quidem honestatis causa, vt sic verecundiæ virginali consuleretur: sunt enim velut pro integumento nocturnæ tenebræ, quibus maximè velari oportet iniuriam, & contumeliam defloratæ virginis, ac deperditi pudoris; & quicquid indecens, atque indecorum in coniugali actu solet intercedere. Addere etiam ex Plutarcho in Roman. quæst. duo est operæpretium. Nimirũ sponsa domum viri non suis vltrò pedibus incedens, sed aliorum sublata manibus ingrediebatur, vt eo facto significaretur inuitam puellam illuc inferri, vbi esset virginitatem amissura. Deinde non nisi velata facie ducebatur, tanquam insigni pudore suffusa, quòd maximum sui corporis honorem exponere, atque adeò amittere cogeretur. Siue (quod alicui potius videbitur) obtecto vultu, (vt in defunctorum exequiis fit) perituræ virginitati cum mœrore, luctúque iusta soluebat. Vnde apud Latinos ductum est nuptiarum nomen ab obnubendo, id est, tegendo, & velando. Mulierum quidem gloria est pudor ipse, flósque virgineus, quo puritatem, & incorruptionem cœlestium spirituum quodammodo referunt, atque imitãtur. Huiusmodi gloria nuptæ priuantur, quibus illud vnum restat solatium, quod à D. Petro apponitur, cum fœminarum perstringit nimium in crine, vestéque ornatum. *Quarum (inquiens) non sit extrinsecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus; sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.* 1. Petr. 3. Ad quæ verba meritò exclamat S.Hier. O verè digna vox Apostolo, & petra Christi! damnato carnis ornatu, castitatem prædicat, & ornatum interioris hominis in incorruptione mitis, & silẽtis spiritus, quodammodò hoc dicens: Quoniam exterior vester homo corruptus est, & beatitudinem incorruptio

Nupta dispendium pudoris tegit, mœret, ac deflet.

Mulierum gloria pudor.

Nupta ornatus in bonis moribus.

1. Petr. 3.

D.Hieron.

incorruptionis, quæ propriè virginum est, habere desiistis, imitamini incorruptionem spiritus, saltem per seram abstinentiam, & quod corpore non potestis mente præstate. has enim Christus diuitias, & hos vestræ coniunctionis quærit ornatus. hæc S. Hieron *lib. 1. aduerf. Jouin.*

2. Itaque gloriosam corporis incorruptionem nuptæ amiserunt, qua virgines decoratæ, supra humanum statum ad Angelicum, & propè Diuinum honorem euehuntur. Inuident istis illæ, corruptæ incorruptis, humi reptantes per cælum volantibus; cum marito, cum prole luctantes iis, quarum conuersatio cum Angelis est, & cum Deo purissimi complexus. Nec enim (liceat dicere) virtutum omnium vlla est æquè honorabilis, & gloriosa, quàm virginitas, cui etiam Deus ipse vel in reprobis positæ quodammodo exhibet reuerentiam. Quod quidem subtiliter admodum colligit Theod. ex parabola decem Virginũ, *Matth.* 25. Enimuerò fatuæ Virgines intempestiuè clausa iam demum ianua, sponso cum prudentibus conuiuante, accedunt, pulsant, clamántque: *Domine, Domine aperi nobis.* Frustra quidem pulsant, & clamant; non enim fatuis cælum panditur. Ergo cum infinita Angelorum multitudo intus assisteret, potuit sponsus vni committere, vt ad ianuã accurreret, de strepitu, de clamoribus sciscitaretur: compertóque aduentu fatuarum, illas confestim dimitteret. At non sic res habuit. Sponsus ipse cælestis surgitè conuiuio, festum interturbat, accedit ad ianuam, respondet fatuis, illarum vtique virginitatem reueritus, dignam iudicans etiam in reprobis, cui Deus humo in cælo debitam reuerentiam exhiberet. Quod ita Theod. expressit. Prudentes Virgines ad nuptias introducit, fatuis occludit fores: respondet tamen ipsis virginitatem honorans; sed reiicit propter inertiam in reliquis virtutibus excolendis. hæc Theod. *in 1. Cant.* Hoc tandem corruptis solamen erit: si puritatem spiritus ament, & curent, in silentio, in pace, in quiete, in modestia coram Deo, & hominibus coniugalem vitam transigentes. Vbi autem hæc vita coniugatis extiterit, illud conciuet regius Vates: *Beatus es, & bene tibi erit. Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: filij tui sicut nouella oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.* Psal. 127. Humanam scilicet felicitatem, & quidem summam in hoc seculo promittit Dominus viro fideli, ac timenti Deum; bona quippe atque vtili, & suaui vxore, probis etiam, vtilibúsque liberis beabitur. Enimuerò donum Dei est vxor ad prolem fœcunda, ad conuictum grata, & iucunda sicut vitis flore, fronde, fructu, odoréque inter plantas nobilissima. Hæc deinde sit in penetralibus domus suæ familiam obseruans, curans, ac dirigens; non foris autem, modo impudicarum, & lasciuientium, quæ instabiles, & vagæ solent esse; oderunt, horréntque domum vti ergastulum; lucem verò forúmque amant, vt quibus vnum sit studium videre, & videri. Itaque (vt bene obseruat Caiet.) duplex laudabilis conditio vxoris describitur: scilicet fœcunditas, sicut vitis fructifera, & modestia, in lateribus domus tuæ. Vxoris enim est, non in atrio, non in porta, non in media domo (in qua sunt viri) sed in angulis, seu penetralibus domus esse. sic ille. De hac igitur vxore suscepti liberi (quod alterum est Dei donum) sunt plantæ oliuarum, quantum (inquit Caiet.) ad vigorem, seu augmentum; in circuitu mensæ tuæ quàntum ad conuictum. Hæc enim omnia felicitatis sunt domesticæ. ita Caiet. Pulchrè felicitatem viri auget demonstratio legitimæ prolis, quod Genebr. ex ipsis Prophetæ verbis ad hunc modum colligit: *Filij tui tanquam surculi oliuarum, qui non possunt neque inseri, neque conseri; quique perpetuo virent foliis non abiectis,* id est, filij tui carebunt suspicione spuriatus, erunt genuini, referent patrem vita, moribus, religione, lineamentis, valebunt vigore & animi, & corporis. Sola olea in proprio, & natiuo loco vigere dicitur; reliquæ autem stirpes etiam alibi plantantur, in alieno videlicet solo, vel trunco per insitionem, & consitionem. hæc Genebr. Plane vbi vxor domum exhorret, & publicum amat, hùc illùc vagatur, & lasciuit, adulterinæ prolis infami suspicione sese, ac maritum inficit. Quid enim mali, ac dedecoris de instabili, vaga, leuique muliere non timeatur?

Virtutũ gloriosissima Virginitas. — Matth. 25. — *Virginitas etiam in reprobis honoratur.* — Theod. *Nuptis modestia, & pax commendatur.* — Psal. 127. — *Felicitas bonæ familiæ.* — Caiet. *Mulier amãs secreti.* — Caiet. — *Legitima proles felicitas coniugij.* Genebr. — *Sola oliua nõ patitur insitionem.* — *Mulier inquieta & vaga.*

3. Cæterùm S. Hilar. psalmum eundem interpretans non de carnali huiusmodi felicitate intelligit, Nam (inquit) si hæc perfecta bona fuissent, quæ cum sint bona, non tamen cœlestia bona sunt: tum si in his beatitudo timoris Dei constitisset; obtinuisset vtique princeps fidei & timoris Dei Abraham, cui vxor sterilis bis abrepta est: filius ex promissione vnicus offerri in hostiam iussus, & sacrificio admotus intulit orbitatis dolorem. Hæc ille, iuxta institutum Dei suos in hac vita variis afflictionibus exercentis, vt quibus non hæc bona labentia, & peritura, sed æterna in cælo repromittat. Quod argumentum etiam idem Hilar. vlterius ita comprobat: Ipsi deinde Isaac duo filij dissidentes, & vsque ad odium mortis inimici. Iacob autem ignoratæ vxoris inopinatus maritus, & ad nuptias alias falsò coactus, & viuentis funus parricidali fratrum mendacio plangens, caruit timentium Dominum benedictionibus. Iam verò benedictionibus Dei priuabitur felix illa, & beata virginitas causam sibi beatitudinis non relinquens. hæc ille. Profectò non ita est: nec enim Abraham, Isaac, & Iacob, & quicunque iusti vitam in mœroribus, & calamitatibus ærumnosam trahunt, Dei beneuolentia priuati; nec Virgines Dei benedictionibus carere censentur, quibus non affluit numerosa filiorum proles, sed bonorum operum, ac meritorum. Vxor quippe, (vt exponit hoc loco S. Hieron) sapientia accipitur, quæ in animæ emundatæ domo, tanquam speciosa vitis, adducta in lateribus operum nostrorum extenditur: filij sunt actus bonorum in circuitu doctrinæ cælestis assistentes cum pinguedine pacis, & obumbratione virtutis. hæc Hier. Quæ sanè vera est, & Christiano homini expetita felicitas, quam Dominus suis seruis, & amicis pollicetur; non illa verò, quæ tandem intra carnis, ac terrenæ voluptatis bona breuissimè peritura consistit.

S. Hilarius. — *Iustis bona in cælis dantur in terra tribulationes.* — S. Hilarius. — *Vera felicitas in bonis cælestibus.*

4. Opportunum suæ fraudi tempus elegit Laban, vt iuuenem intruso, & coacto deciperet toro. Liam igitur filiam natu maiorem, lippitudine deformem, atque adeo despectam, & exolam veterator pater Iacobo supposuit. In quo multa sunt admissa flagitia: in primis stuprum defloratæ Virginis à viro non marito; deinde adulterium cum alieno coniuge, erat enim Iacob verus iam Rachelis maritus, etsi nondum matrimonium consummauerit: prætereà duplicatus incestus, vbi Iacob cũ cognata, & sorore suæ vxoris rem habebat: denique fraus, & iniustitia, cum nolentem adigerent vel ducere, vel cognatam ignominiæ obiicere. Horum omnium scelerum autor fuit Laban, persuasitque illa scelera filiæ maiori: ac minorem Liam suo iure, toro, ac marito spoliauit. Quod verò prætexuit de consuetudine priùs

Labani fraudes & scelera.

maiores

maiores natu, quàm minores locandi filias, videtur esse figmentum; quippe cum publicè conuocatis amicos, instructóque conuiuio nuptias celebrarit, haud dubie Rachelem Iacobo traditurus. Nam si rata illis locis, & vsurpata obstaret consuetudo, non publico apparatu Rachelis, sed Liæ nuptias celebrasset. Et quidem huiusmodi consuetudo, si vera esset, iniqua proculdubio haberetur, vtpote matrimoniorum tollens libertatem: & ne Iacobus tam iniustè deciperetur, priùs illa iuueni, quàm acceptaret promissam Rachelem, indicari debuisset. Nihilominus ea fraus non ex odio, sed ex amore potiùs videtur esse constructa, vti S. Chrysost. adnotauit. Possumus (inquiens) & hic videre quomodo Laban magna affectione dilexit Iacobum. Hoc enim commentus est, vt diutius apud se iustum retineret: sciebat enim, quòd alterius amore flagraret, & si voti compos fieret, non eligeret postea seruitutem propter Liam sustinere, nec vellet cum eo habitare. hæc ille, *homil. 56. in Genes.* Itaque amore, ac desiderio Rachelis virtutem, & officia Iacobi diutius voluit apud se retinere. Per fas, nefásque molitur omnia Laban homo improbus, & impius, vt Iacobum iustum, Deique amicum apud se retineat. Ea quidem est virtutis pulchritudo, vt illam etiam qui in se ipsis refugiunt, & oderunt, in aliis positam suspiciant, & ament. Iustus esse non vult Labanus, at sine Iacobo iusto viuere feret ægerrimè. prodest ad omnia virtus.

S. Chrysost.

Virtus omnibus grata & amabilis.

5. Ac Lia quidem ægrè à tot flagitiis excusari potest: etsi enim simplicitate quadam puellari crediderit obtemperandum patri, etiam in re iniusta, turpique; crassa tamen, & supina ignorantia, si non (quod fortè aliquis suspicetur) dolo, zelóque muliebri, tam indecoram, & iniquam fraudem instruait. Cæterùm Iacob nullum admisit peccatum, quippe bona fide putabat Rachelem sibi traditam, cum qua matrimonium, & nuptias paulò ante celebrarat. Sed qui fieri potuit vt Iacob per totam noctem Liam non cognouerit, & à Rachele discreuerit? In primis ne Liam de facie dignosceret, in causa fuerunt nocturnæ tenebræ, deinde quod puella (vt moris erat) velata facie ad virum deducta, & collocata in cubili fuit. Porrò autem de voce Liam non cognouit, eo quòd à patre instructa perpetuum, ac fraudulentum silentium tenuit, quod tamen castus iuuenis puellari verecundiæ adscribebat. Quare (vt subnotauit S. Chrysost.) primùm considerari potest simplicitas Iacob, & quomodo ab omni malitia alienus, deceptus sit. Deinde tanta facilitate omnia fiunt, & nusquam lampades, & faces præter vsus necessitatem, ita vt deceptio Laban locum habuerit. sic ille, *hom. 56. in Genes.* Vnusquisque enim alios ex seipso metiri, & iudicare solet: nec sincerum, & simplicem Iacobi animum subire potuit vllam posse fraudem, & iniustitiam ab auunculo & socero strui. Denique insigne pudoris, & modestiæ argumentum hac in re præbuit Iacob: solum enim coniugij fructum spectando generationem prolis, honesto, & sincero animo actum exercuit coniugalem, nec interim in lasciuiam diffluens amatorios, & vt ita dicam meretricios adhibuit tactus, & miscuit sermones; quod carnalis voluptatis mancipia ad libidinem vehementiùs inflammandam præstare consueuerunt. Hoc autem (vti est corruptio naturæ) vt plurimum in congressu viri, ac fœminæ adeo constans est, vt combustio, & incendium meritò possit nuncupari. Quo in sensu Apostolus per indulgentiam suadens coniugium, ne periculum adsit incontinentiæ sic edixit. *Si se non continent, nubant: melius est enim nubere, quàm vri.* 1. Cor. 7. Ad quæ verba S. Hieron. Vbi (inquit) ad nuptias venit, non dicit, bonum est nubere; sed melius est nubere, quam vri: si per se nuptiæ sunt bonæ; noli illas incendio comparare. Sed dic simpliciter: Bonum est nubere: suspecta mihi est bonitas eius rei, quam magnitudo alterius mali, malum esse cogit inferius. Ego autem non leuius malum, sed simplex per se bonum volo. hæc S. Hieron. *lib. 1. aduersus Iouin.* Itaque in carnali copula ignis est; si continet se intra modestiæ, ac temperantiæ terminos, ignescet quidem caro, & cum carne pariter animus; at non comburetur: si verò in libidinem per immoderata, & veluti meretricia irritamenta inardescat, quid nisi ardor, incendium, & cinis erit? Indicauit Apostolus (ait hoc loco S. Chrysost.) tyrannidem libidinis, & cupiditatis. sic ille. Eam verò desæuire (ex fomite peccati) etiam in congressu coniugum quis non dicat? id quidem vsu euenire solet post corruptam peccato naturam: nam in statu innocentiæ, vt suprà tetigimus, nullus esset ardor, nulla intemperantia, nulla libido in actu coniugali.

Lia fraus, & intemperantia.

S. Chrysost.

Quisque ex seipso alios iudicat.

D. Hieron.

Tyrannis & intemperantia libidinis.

S. Chrysost.

6. Intelligi quoque potest comparatio inter matrimonium, & fornicationem, quæ in lege ignibus puniebatur. Vti ad locum Pauli sic idem Hieron. Malo (exponit) fornicationis, meliùs, quod igne punitur. sic ille. Optimè Apostolus corruptionem nostræ naturæ dignoscens, ad altiorem, & puriorem statum nos euehi desiderat: *Bonum est eis si permanserint sicut & ego.* Et rursus: *Imitatores mei estote sicut & ego Christi.* Vtrumque locum ita explicat S. Hieron. Hoc (inquit) volo, hoc desidero, vt imitatores mei sitis, sicut & ego Christi. Ille Virgo de Virgine, de incorrupta incorruptus. Nos quia homines sumus, & natiuitatem Saluatoris non possumus imitari, imitemur saltem conuersationem. Illud diuinitatis est, & beatitudinis, hoc humanæ conditionis est, & laboris. *lib. 1. aduersus Iouinian.* Itaque nasci de Virgine nullus post Deum potuit, at virgines viuere, virginésque mori cum Dei gratia possumus: & quibus virginitas corporis iam non est, sit saltem mentis integritas, quæ in gratia, & charitate consistit. Ac noctu quidem Iacob deformem accepit vxorem nullo pacto accepturus, si nouisset. Sic plerunque in tenebris, & clausis vtrinque oculis matrimonia ineuntur, nec vitia coniugis alter nouit nisi post compedes, à quibus nequeat resilire. Quam infelicitatem ita deplorat S. Hieron. Nulla est vxoris electio, sed qualiscunque obuenerit, habenda. Si iracunda, si fatua, si deformis, si superba, si fœtida: quodcunque vitij est, post nuptias discimus. Equus, asinus, bos, canis & validissima mancipia, vestes quoque, & lebetes, sedile ligneum, calix & vrceolus fictilis probantur priùs, & sic emuntur: sola vxor non ostenditur, ne ante displiceat, quàm ducatur. hæc ille, *lib. 1. aduersus Iouin.* Quare optimè consuluit Lusitanicum adagium: *Cum vicino contrahendum coniugium.* Etenim vicinorum filij, ac filiæ assidua & familiari consuetudine inuicem dignoscuntur, & quicquid virtutis, ac vitij est, facilè proditur, ac scitur. Sic nocturnis tecta tenebris facies, & vitia Liæ Iacobum fefellerunt, quæ deinde lux adueniens prodidit, cum repudiare vitiosam, & nolenti intrusam, nec honestas, nec prudentia sinebat. Quare misertus cognatæ, quæ patris imperium, & nimium fortè erga cognatum prætendebat amorem, ille tandem in suam accepit vxorem; quippe illam deintegrarat, & graui subinde (si reiecisset) ignominiæ exposuerat: atque hoc modo consecutus consummationem consensus ratum fecit

D. Hieron.

D. Hieron.

Virginitas imitatio Christi.

Virginitas mentis.

Ante nuptias vitia coniugum nesciuntur.

D. Hieron.

Cum vicino contrahendum matrimonium.

matrimonium, quod alioqui nullum erat: extitque deinceps Lia Iacobi vera & legitima vxor, vt videre est apud Gratianum *d.19.q.1.* Coactus igitur matrimonium etsi iam casu illo voluntarium Iacob suscipit, satis ingentem sarcinam deinde humeris portaturus.

Gratian.

Graue onus coniugij

Theophrast.

7. Quod enim in vita mortalium grauius est onus coniugio? Et quidem Theophrastus aureolo illo suo de nuptiis libro, in quo quærit an vir sapiens ducat vxorem, post multa vtrinque argumenta rationum concludit: Non est ergo vxor ducenda sapienti, &c. probatque ex eo in primis, quòd per coniugium impediuntur studia philosophiæ; nec potest quisquam libris, & vxori pariter inseruire. Si doctissimus præceptor in qualibet vrbium fuerit, nec vxorē relinquere, nec cum sarcina ire possumus. sic ille. Quod comprobatur quotidie; quid enim tam arduū est, ac molestum, quàm cum maritus, aut in publicos ludos, aut etiam ad audiendam in Ecclesia concionem cum vxore ire contendat? manere domi vxor non fert, maritum incusat, tyrannum vocat, se miseram lamentatur, non vxorem, sed seruam in ergastulo teneri compeditam. Mors ista potiùs (inquit) imò & gehenna est dicenda, quam vita. Siccine, cum cæteræ libertate potitę quocunque lubet procedant, sola ego, vti mancipium, in tenebris, in vinculis, in sepulchro iacebo? Non feram, non patiar. Sic illa, si domi contineri cogatur. Quòd si foras prodeundum erit; ad ornandum, ad comendum, ad pingendum, ad instruendum vanitatis apparatum quid obsecro satis est in domo mariti, atque in cauponantium officinis? Pulchrè Theophrastus cum sarcina maritum prodire non posse dixit. Sarcinam videlicet ipsam vxorem cum sua pompa vocat. Igitur si domi relinquitur illa, offenditur; sin adducitur, grauis est sua pompa, cui quętendæ, conseruandæque nulla sufficit mariti substantia. Multa siquidem (apponit ille) sunt, quæ matronarum vsibus necessaria sint, pretiosæ vestes, aurum, gemmæ, sumptus, ancillæ, supellex varia, lecticæ, & esseda deaurata: deinde ad obsequium, & comitatem nutrix eius, & gerula, seruus, & alumnus, & formosus assecla, & procurator calamistratus, baiulus, anteambulo; sub quibus nominibus adulteri delitescunt. hæc ille. Quænam domus igitur tanto labefacta pondere non corruet? Præterquam quòd foras prodeunte vxore vniuersa familia veluti cymba gubernaculo destituta miserandum in modum aliquando fluctuabit. O te miserum qui talem duxisti, vt vel cum sudore tuo sustentes, vel cum pudore tuo sustineas. Nam si pauper illa est, granaris sumptu, quem vanitas, & leuitas, & lasciuia exigit: si diues, non fers superbæ fastidium.

Coniugiū ad studia impedimentum.

Vxoris querimonia.

Nimium comendi studiū.

Sarcina vxor.

Theophrast.

Multa necessaria in vsus vxorios.

Molesta, & querula vxor.

8. Porrò licet hæc omnia permolesta viro videantur, grauiora multò sunt, quæ de litibus, rixis, querimoniis consequuntur: videlicet per noctes totas garrulæ conquestiones: illa ornatior procedit in publicum; hæc honoratur ab omnibus, at ego in conuentu fœminarum misella despicior. Quid verò si furor desæuiat zelotypiæ? Cur (interrogat) aspiciebas vicinam? quid cum ancillula loquebaris? de foro veniens quid attulisti? miser itaque maritus non amicum habere potest, non sodalem: alterius quippe illa amorem suum odium suspicatur. Attendenda semper eius est facies, & pulchritudo laudanda: ne si alteram aspexeris, se existimet displicere; vocanda Domina, in publico honoranda; vt sit superstes optandum. Si totam domum ei commiseris, seruiendum est. Si aliquid tuo arbitrio reseruaueris, fidem sibi haberi non

Vxor zelotypa.

A putabit, sed in odium vertetur, ac iurgia, & nisi citò consulueris, parabit venena. Si amiculas hùc illuc cursitantes, si nuncios, si literulas, si munuscula, & institores gemmarum sericarúmque vestium intromiseris, periculum pudicitiæ est: si prohibueris, suspicionis iniuria. Verùm quid prodest (obseruat Theophrastus) etiam diligens custodia; cum vxor seruari impudica non possit, pudica non debeat? Infida enim custos est castitatis necessitas; & illa verè pudica dicenda est, cui licuit peccare, si voluit. hæc ille. Sed iam sit pudica, sit amans mariti, sit fidelis: at si rixosa fuerit, vt multæ sunt, quis æquo animo ferat perpetuo blaterantem? prudentia, & patientia Socratis opus erit ad Xantippen vxorem sustinendam. Dicere B solitus est ille, cum plures hortarentur, vt Xantippen repudiaret: Iam ab hac domi disco tolerantiam, qua mihi foris opus est. Et Alcibiadi demiranti, quòd talem ferret vxorem, Iam his (inquit) assueui; num tu domi toleras anserum clamorem? Cúmque ille respondisset: At mihi domi anseres ponunt oua. Et hæc (inquit) mihi ponit oua. Ad hæc cum quadam die haberet conuiuam philosophum, & in longum progressa disputatione, commota vxor mensam subuertisset, abire paranti conuiuæ: Mane, mane (inquit) quid nouæ rei accidit? Nunquamne domi tuæ gallina subuolans cyathos subuertit? Aliquando verò, cum infinita conuicia ex superiori loco ingerenti Xantippæ restitisset, non quidem repugnando vxori, sed C ibi tantisper subsistendo aqua immunda desuper immissa perfusus nihil ampliùs respondit, quam capite deterso: Sciebam (inquit) futurum, vt ista tonitrua imber sequeretur. O mentem, ô linguam tanto dignam philosopho! Et Christiano viro indignum, & indecorum videbitur, si vxorem iracundam, & rixosam ferat æquo animo: & illam velut sibi traditam à Christo Domino crucem baiulare admoneatur?

Difficilis custodia vxoris.

Theophrast.

Vxor rixosa.

Mariti patientia.

Toleranda vxor vt crux.

9. Sed quid hoc mirum (inquies) si fœmina virum despiciat, maléque accipiat, etsi philosophum, & sapientem; at facie tamen, corporéque deformem? Scribit enim Plato in dialogis Socratem fuisse ridicula corporis specie. Vnde Alcibiades D illum silenis, & satyris confert in Symposio: fœdissimus enim erat homo, simis naribus, recalua fronte, pilosis humeris, & repandis cruribus. Verùm ne formoso quidem viro pax esse solet ab vxore zelotypa, quæ ideo plus timet, magis solicita, magísque diffidens: non iudicio, sed furore ducitur, & maximè viri pulchritudini grauissimus custos accubat. Atque vt ista non insint in vxore vitia, satis arduum negotium ille suscipit, qui cum muliere vna in domo viuit; quæ nimirum in eo se existimat dominam, si aduersùm viri faciat voluntatem, id est, quod placet, non quod iubetur. At (dices) ad solatium, & remedium viro ægrotanti assidebit. Melius id quidem (inquit Theophrast.) E præstare possunt amici, & vernulæ beneficiis obligati, quàm illa, quæ nobis imputat lachrymas suas, & hæreditatis spe vendit illuuiem: & solicitudinem iactans, languentis animum desperatione conturbat. sic ille. Nimirum assidens ad lectum ægrotanti viro tantùm flet vxor, nihil subleuat, & hoc ipsum imputat marito velut officium cum obsit etiam ægrotanti: quasi ad hoc solum sese nuptam dicat, vt doleat, vt defleat. Et cum festiuis sermonibus alij subleuent, & erigant ægrotantis animum, illa molestis, ac putidis fabulis morbum exasperat, & exanimato vultu, continuóque eiulatu miserum consternat, atque in desperationem vitæ adducit. Interim verò mutato habitu,

Socratis deformitas.

Vxor zelotypa.

Theophrast.

Vxor maritum exasperat ægrotum.

facie,

Vxor subiat ad hæreditatem viri.

facie, oculis, colore, tota in luctum, & colluuiem composita, dolorem de mariti morbo, aut verum ostentat, aut fictum simulat, quo laborantis, aut moribundi beneuolentiam mereatur, testamentóque morientis amplissimam expiscetur hæreditatem. Antiquis enim celebre illud etiam nunc visitur: *Hæredis fletus sub persona risus est.*

Ex morbis vxoris graue onus.

Sed quid si vxor ipsa (vt frequenter euenit) aut quia nimis infirma, aut quia nimiùm delicata, & morosa, in morbum incidat? Respondet egregiè Philosophus:

Theoph.

Si vxor languerit, coægrotandum est, & nunquam ab eius lectulo recedendum. Aut si bona fuerit, & suauis vxor (quæ tamen rara auis est) cum parturiente gemimus, cum periclitante torquemur. hæc ille. Itaque vtcumque sors marito venerit, semper misero laborandum, ac dolendum est.

10. Ac satis quidem hæc fuerint pro coniugij oneribus explicandis, quorum pleraque ex Theophrasto, & ex S. Hier. *lib. 1. contra Iouiman.* referre libuit. Quòd si vna tantum vxor tam graue onus est marito; quid misero tandem fiet, si plures habeat, vt Iacob Liam, & Rachelem? Profectò Socrates (vtì enarrat S. Hier.) Xantippen & Myro neptem Aristidis duas habebat vxores; quæ cum crebrò inter se iurgarentur, & ille eas irridere esset solitus, quod propter se fœdissimum hominem disceptarent, nouissimè verterunt in eum impetum, & malè mulctatum, fugientémque diu persecutæ sunt. sic Hier. *citato lib.*

D. Hieron.

Maritus ab vxore pulsatus.

Deinde si cum rixosa muliere non minùs periculosum est habitare, quàm cum serpente, quid si cum duobus serpentibus commoretur? Maximè cum suopte ingenio mulier sit rixarum, & iurgiorum amans, vt propterea veterum trita sit parœmia: *Qui non litigat, cælebs est.*

Qualis vxorum pluralitas antiquis.

Præterea insignem arguit libidinem multiplicatio vxorum; nec sine Diuina dispensatione antiquis Patribus concessa esse potuit. qua de re statim dicemus. Magis foret illicitum, nisi Diuina dispensatio intercederet, duas sorores eidem viro nubere; quod factum Iacobi, vt non laudabile (etsi dispensabile) sic non imitabile, vel ipsimet Hebræi a suo Iacob acceperunt. Introducit enim Rabbi Simeon, *in expositione lib. Genes. ad caput 1.* Israelitas accedere ad Patriarcham Iacob, vt pro illis Deum precaretur; responderéque illum: Non valeo, quia duas sorores duxi vxores vtraque viuente. hæc ille apud Galatin. *lib. 7. cap. 4.*

Iacob à Rabbinis notatur ob polygamiam.

Galatin.

Censebant quippe hoc facto etsi non peccasset Iacob, propter dispensationem Diuinam, minùs tamen castum, conspicuum, & pium extitisse, quam vt familiari gratia valeret apud Deum omnis puritatis maximè amatorem. Quicquid illi censerint de polygamia patris sui Iacob, illud egregiè circa eandem adnotauit Procop. Ante legem (inquiens) & in lege sobolis fœcunditatem loco benedictionis suscipiebant prisci mortales: quapropter nulli prisco seculo dabatur vitio, etiam si quis complures sibi iungeret vxores.

Procopius

Studium castitatis in lege gratia.

At qui sumus in Christo, eiúsque dogmata sectamur, festinemus ad spirituales fructus edendos, nec tamen interim aspernemur nuptias: verùm eligamus id, quod potius est, scilicet, vt adhæreamus Deo, nullóque modo ab eo auellamur. hæc Procop. Nimirum postquam Deus homo factus ex Virgine Matre in mundum prodiit, vt nobiscum, & in nobis habitaret, iam & ipsa caro ad nobiliorem, ac puriorem statum euecta, multò fœcundiùs, ac feliciùs, castitati, sanctísque operibus, quàm voluptati, & liberorum propagationi affectum, studiúmque impendet.

S. Hilar.

11. Verbum siquidem (ait S. Hilar.) Deus caro factum est, vt per Deum Verbum carnem factum caro proficeret in Deum Verbum. Et ne nostri corporis caro esset, habitauit in nobis, vt dum habitat, non aliud quàm Deus maneret. hæc S. Hilar. *lib. 1. de Trinit.* & quidem perpulchre.

Per incarnationem & Eucharistiam nostra caro est Dei.

Beneficio quidem incarnationis Dominicæ, ac deinde admirabili communione Corporis Domini in augustissimo altaris sacramento id consequimur, vt vel ipsa caro iam nostra non sit, vtpote terrena, & animalis, qualis antea fuerat, sed planè Diuina: fitque homo consequenter per participationem velut alter Christus, ac Deus. Infinitas ergo Diuinæ bonitati gratias habeamus ob istud tam incomprehensibile beneficium: sed valdè tamen nobis timenda est Diuina vindicta, si Christi Verbi, ac Dei carnem vitiorum sordibus deturpemus.

Castitas vbique sempérque gloriosa.

Clara semper extitit omnibus ætatibus apud omnes gentes, & celebris gloria castitatis, vt ex libello illo aureo Theophrasti colligi posset, de quo nonnulla commemorans S. Hier ita concludit: Hæc & huiuscemodi Theophrastus disserens quem non suffundat Christianorum, quorum conuersatio est in cælis, qui quotidie dicunt: *Cupio dissolui, & esse cum Christo?* sic ille, *lib. 1. aduers. Iouinian.*

S. Hieron.

Castitatis amor & obseruatio in lege Christi.

Nato quidem in terris Deo homine de Matre semper Virgine pariter illuxit virginitatis, & pudicitiæ splendor, quo irradiante vtriusque sexus innumerabilis multitudo, hinc in cælibatus, hinc in vidualis continentiæ, hinc in virginalis integritatis, quàm pulchra, tam gloriosa agmina, chorósve sese diffudit. mutatam dixeris terram in cælum. Affectauit Lia Iacobi nuptias, furtímque præripuit debitum sorori thalamum, vt filios scilicet procrearet; at quantò foret sanctior, & commendatior, si pudicitiam, nec desiderio prolis exposuisset? Quid enim hac vna virtute clarius, & gloriosius? In hac (inquit S. Hier.) muliebrium virtutum principatus est. Hæc pauperem commendat, diuitem extollit, deformem redimit, exornat pulchram: bene meretur in primis de se, quam à contumelia externi corporis vindicat. Captiuitatis nulla maior calamitas est, quàm ad libidinem trahi. multa sunt, quæ præclara ingenia nobilitent. Mulieris virtus propriè pudicitia est. hæc ille, *libro citato.*

Encomia castitatis.

S. Hieron.

Libido mortalium tyrannus.

Optimè quidem captiuitatis nulla maior calamitas est, quàm ad libidinem trahi. Hæc vna omnium sæuissima, & durissima tyrannis. Hoc vno maximè iugo humanum genus premitur; quin à terra, à luto, à cœno, vel oculos, vel animum possit in cælum efferre.

Summa laus virginitatis ex Christi natiuitate.

12. Cæterùm illa omnium maxima laus est pudoris, quod nasciturus in terra Deus non nisi Matrem Virginem elegit, vt meritò Deus homo dicatur fructus, & Filius virginitatis. Vbi enim Virgo beatissima, vt Dei Mater fieret, consensit, Spiritus sanctus superuenit in eam, & virtus Altissimi obumbrauit illi. Nimirum (vt eleganter explicat S. Ioan. Damasc.) post consensum sanctæ Virginis Spiritus sanctus superuenit in eam, & virtutem diuinitatis Verbi susceptiuam præbuit, simul autem & generatiuam. hæc ille, *lib. 3. de fide Orthod. cap. 2.*

S. Ioan. Dam

Incarnatio Verbi in vtero Virginis.

Sic intelligitur superuenisse in Virginem Spiritus sanctus, cum ad incarnationem Verbi perficiendam inexplicabili quodam miraculo virtutem Virgini præbuit, vt creatura in se posset suscipere, ac gestare omnipotentem Creatorem, nec tam immenso fructus concepti, & nati pondere fragilitas humanæ, ac puellaris naturæ succumberet: ac deinde Virgo sola in suo purissimo vtero, sine virili semine, Filium Deum generare, concipere, paceréque posset incorrupta incorruptum. Sed quænam illa fuit virtutis Altissimi obumbratio? Vtique (vt statim exponit S. Ioann. Damasc.)

S. Ioan. Dam.

obumbrauit Virgini Dei altissimi in sua subsistens hypostasi, sapientia, & virtus Filius Dei Patri consubstantialis velut Diuinum semen; & construxit sibi ipsi ex castis, & purissimis semper Virginis sanguinibus carnem animatam anima rationali, primitias nostræ conspersionis, non cum semine, sed coadiutorio opere per spiritum sanctum, non paulatim per additamenta expleta figura, sed vno contextu absoluta. hæc Damasc. Itaque Dei verbum sua virtute obumbrauit Virgini, cum in eius immaculato vtero de sanguine virgineo, sine aliquo aduentitio semine corpus humanum effinxit, animam intellectualem creauit, & vtrumque inter sese, & suæ personæ, Diuinitatique coniungens, integram humanam naturam sibi hypostaticè aduniuit, extititque Deus homo, Verbum caro factum. Hæc est obumbratio Dei ad Virginem, quæ Dei Mater existens admirabili Diuinitatis sui Filij præsidio protecta, vallatáque fuit, vt supra omnes naturæ leges, quemadmodum Virgo concepit, sic Virgo pareret, & post partum Virgo in omnem æternitatem permaneret: obumbrauit etiam Dei virtus, hoc est Verbum ipsum Patris, Virgini, sicut fructus in arbore exuberans, ac subinde pendulus lætam solet, ac pulchram matrici arbori vmbram efficere.

B. Maria Dei præsidio vallata.

13. Sub hac igitur vmbra Verbi Diuini, quod beatissima Virgo venturum in terras desiderauerat, iam hominis facti Filij sui sedit; & fructus eius dulcis gutturi Matris lactentis, complexantis, & osculantis castissimarum, & inexplicabilium voluptatum gaudio Filium. Aue igitur ô Virgo gratia plena, Diuinitatis Sole circundata, & Solem ipsum pariter circundans; nam quæ maior, quàm Filij cum Matre coniunctio? Aue ô benedicta inter mulieres, quæ sola gratiam apud Deum inuenisti, vt virginitatem amans, & firmissimo animo seruans supra omnem naturam fœcunda Deum ipsum vera Mater, & Virgo procreares: scilicet lippis oculis, nec Lia, nec cæteræ coniugatæ pulchritudinem, & gloriam virginitatis contueri potuerunt, cum fœtæ potiùs matres, quàm integræ, decoræque Dei sponsæ esse voluerunt. Salue ô benedicta, & benedictus fructus ventris tui, a quo per te quæsumus æternam benedictionem in die iudicij consequentes, dulcissimam illam vocem audiamus: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi.* Matth. 25. Interim verò primitias, (vt vocauit Damascen.) nostræ conspersionis puerum Iesum Deo Patri munus omnium gratissimum offeramus; vt ad illius aspectum, & pro eiusdem meritis detestanda omnia vitia, & sordes generis nostri æquo animo ferat, & condonet; atque isto detersos luto puros, & gratos suo vultui nos sistat ad gloriam cum spiritibus beatissimis sempiternam possidendam.

B. Maria sub vmbra sui Filij, fructúsque. Cantic. 2. *Salutatur & inuocatur B. Maria.* *Nuptæ sunt lippis oculis vt Lia.* Matth. 25. *Christus primitiæ nostræ conspersionis.*

SECTIO XI.

Et dixit ad socerum suum: Quid est quod facere voluisti? nonne pro Rachel seruiui tibi? quare imposuisti mihi? Respondit Laban: Non est in loco nostro consuetudinis, &c. vsque ad *Balam tradiderat.*

1. VBi lux matutina dolum nocturnum patefecit, indignatus Iacob, quòd Liam sibi exosam, vtpote lippam, & deformem, & non sponsatam, pro Rachele vxore habuerit; Labanum fraudis, atque iniustitiæ obiurgat. Hiccine redditus fructus, ac merces septennij in laboribus ad tuum obsequium consumpti? Quid ergo tam frequens, tam proprium mundo (vt cum vulgo loquamur) quàm miseros homines concepta spe, debitóque præmio fraudare, ac pro Rachele, quam speciosam adamarant, & multis sudoribus quodammodo coëmerant, miseris ad mortem vsque fœdam, quam detestabantur velint nolint Liam intrudere? Ac cæci tamen, prorsúsque amentes tam fallaci veteratori, atque iniquo mundo, etiam cum quotidianis, & grauibus animæ periculis famulantur? Cur mundo misero creditis, cur mundo confiditis, qui nihil in se verum, ac solidum habet, totúsque ex dolis, fraudibus, & mendaciis coalescit? *Et Niniue quasi piscina aquarum aquæ eius: ipsi verò fugerunt: state, state, & non est, qui reuertatur.* Nahum. 2. Sensus literalis est de ignauia Niniuitarum, qui bello impetiti ab Assyriis, ad primum ictum cæsi, disiectíque fuerunt, vt quibus neque in victoria decus esset, neque in fuga flagitium. In hoc sensu sic habet interpretatio S. Hieronymi. Manifestum est, quòd ciuitatibus Niniue (quas filias eius scriptura cognominat) in captiuitatem deductis, ipsa Niniue, quæ tantos nutrierat populos, vt piscinarum aquis compararentur, inutilem habeat multitudinem: dum nullus est qui resistat, & irruentium Babyloniorum impetum ferat. Habebat enim populos, qui tantummodo fugerent, & clamante matre: state, state; claudite portas, muros ascendite, hostibus repugnate; nullus esset qui reuerteretur, nemo qui respiceret ad matrem: sed omnes terga vertentes prædæ inimicorum desererent ciuitatem. hæc S. Hieron. Similis ferè S. Cyrilli Alex. expositio sic habet. Piscinæ comparat Niniuen plenæ, & exundanti propter incredibilem ciuium multitudinem, quam continebat, & populorum auxiliariorum, quæ se infuderat, copiam innumerabilem. Irridet igitur fugientes, quod cum essent infiniti, tamen timore impellebantur, etsi olim cuiuis, quanquam numeroso exercitui obuiam ire non dubitassent, superciliúmque sibi placentes sustulissent. hæc S. Cyrill. Sic sæpenumerò fit, vt ante prælium vires, robur, animi sese prodant, iactántque præ arrogantia, quæ magnos sæpe profligauit exercitus: dum ad conspectum hostis arrogantia in timiditatem, & robore in ignauiam euanescente, consternatis animis, abiectísque armis, numerosissimæ copiæ mentis inopes profugerunt. Euentus quippe bellorum, ac quæcunque res alia in humanis maximè Diuinæ subiacet voluntati, quæ superbis semper obsistit, humilibus autem dat gratiam. Verum est enim illud: *Non saluatur Rex per multam virtutem, & gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ.* Psalm. 32. Non saluatur (inquit) nec Rex, nec gigas, nec potens, nec bellator fortis per humanam virtutem, ac potentiam, sed (vt benè occurrit S. Hieron.) per iustitiam, & auxilium Dei.

Merito fraudari præmio. *Mundo non credendum.* Nahum. 2. S. Hieron. *Niniue à Babylonijs expugnata.* S. Cyr. Alex. *Superbi ante prælium, in ipso timidi & ignaui.* *Humana subiacent Diuinæ voluntati.* Psalm. 32. S. Hieron.

2. Cum ergo nec fortis, nec potens per virtutem suam saluetur, quid restat, nisi quod S. Aug. suggerit ad hunc locum? Ad Dominum (inquit) omnes, in Deo omnes. Spes tua Deus sit, fortitudo tua Deus sit, firmitas tua Deus sit; exoratio tua ipse sit, laus tua ipse sit; finis in quo requiescas, ipse sit; adiutorium cum laboras, ipse sit. hæc S. Aug. Quid enim extra Deum aut est solidum, aut magnum, aut etiam verum, in quo mens hominis possit confidere? *Ego* (inquit ipse Dominus) *primus & nouissimus.* Isaiæ 41. Quasi dicat: Nullus præter me alius est: primus ego, & vltimus: quicquid enim non est Deus, nec facit numerum,

D. August. *In Deo nobis sint omnia.* Isaiæ 41. *Nihil omnia præter Deum æstimanda.*

merum, nec in numero computatur; merum quippe nihilum est. Quod si bona huius vitæ aut grandia, aut pretiosa videntur; vtique, non quòd in se talia sint, magnitudinémque, & pretium ex se habeant; sed quod talia iudicent, æstimentque praui illorum amatores; itaque fuco indigent, vti decipiant, quod quidem à prauo mundanorum iudicio, amoréque insano emendicantur. Pulchrè igitur Niniuem Propheta comparat piscinæ, vt intelligit S. Hieron. Quia (inquit) Niniuem speciosam, id est, mundum diximus, videamus quæ piscina sit mundi, in qua non sint aquæ maris, nec fluminum, nec fontium: quamuis enim in mundo magna videantur, tamen parua sunt, & angusto fine conclusa: iccirco arguitur populus in Hieremia; qui dereliquit fontem aquæ viuæ, & fodit sibi lacus contritos, qui non possunt aquam continere. hæc ex S. Hieron. Piscina quidem est mundus aquarum fœtentium, milléque hiatibus perforata, & ideo nihil firmum, purum, ac cœleste continet; nil in mundo nisi vanitas. Dic igitur si sapis (quod Clem. Alex. admonet) die vanæ gloriæ: Falsa valete somnia: eratis ergo nihil. sic ille ad gentes Has nugas, hæc insomnia, meráſque inanitates toto studio cupiunt, ac persequuntur amatores mundi, Deúmque, ac bona cœlestia relinquentes à tergo fugientem mundum rapido cursu insectantur: at fessi tandem, ac decepti seipsos deflebunt: Heu solam mundi fugientis prendimus vmbram! State igitur (clamat Dominus) state mundi sectatores, cursum ab insectandis vmbris, & insomniis inhibere; ad Deum vestrum, in quo vera omnia, solida & æterna persistunt, reuertimini.

Mundus eget fuco vt decipiat.

D. Hieron. Mundus piscinæ similis.

Vana omnia in mundo.

Clem. Alex.

Mundum fugientem illusi sequuntur.

A B C

3. At sunt adhuc plurimi, qui felicitatem in iis bonis collocatam habent, eósque prædicant beatos, qui diuitiis, honoribus, & voluptatibus, in mundo affluunt. Detestatur hoc genus hominum, aut pecudum potiùs Vates regius, dum illorum pestilentem halitum, & contactum refugiendo precatur Dominum. *Libera me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem.* Psalm. 143. Quem locum edisserens D. August. sic ait: Vides exaggeratione terrenæ felicitatis beatum populum non dici nisi à filiis alienis, id est, non pertinentibus ad regenerationem, qua efficimur filij Dei; à quorum manibus iste se eximi precatur, ne ab eis in hanc opinionem, atque in peccata impia pertrahatur. sic ille, *Epistol.* 51. Malè liquidem sibi ominantur, qui terrestrium bonorum affluentiam velut felicitatis hominis veram admirantur, & cupiunt. Signum istud est reprobationis æternæ: alieni à cælo, à cœlestibus, à Deo videntur, qui vana ilthæc, putida, & fœtida mundi bona, Diuinis omnino contemptis, perquirunt. Profectò non est vera felicitas, quam solam (inquit ibidem August.) dilectores huius mundi inquirunt, &c. Sed quid de Abraham, Isaac, Iacob, Dauid, Iobo, aliísque viris sanctitate præcellentibus dicendum est, quos bonorum temporalium affluentia legimus floruisse? Obiectioni tacitæ videtur idem Psaltes occurrisse, cum subiicit: *Dextera eorum dextera iniquitatis, &c.* Quia scilicet (exponit idem August.) hæc præposuerunt, quæ fuerant postponenda, sicut sinistræ præponitur dextera. Si enim habentur, non in eis beata vita ponenda est: sed subdita debent esse, non prælata: sequentia, non ducentia. hæc ille, *indicata Epistol.* Iniquus igitur est rerum æstimator, & dexteram habet iniquitatis, qui pluris æstimat, & in dextera tenet ærumnosæ vitæ commoda, quæ in sinistra geri, ac minori haberi debuissent. Vnde ipsemet

Psalm. 143. S. August.

Alieni à Deo mundum præ Deo diligunt.

S. August.

Psalm. 143. S. August. Terrena cælestia præponenda.

D E

August. ad eundem Psalmum 143. de Patriarcharum illa felicitate, quæ obiicitur, ita disserit: Sit licet ista felicitas, sed sinistra: scilicet temporalis, mortalis, corporalis. Nolo illam iam diffugias, sed neque dexteram putes. Non enim isti ideò maligni, ideò vani, quia his abundabant: sed quia id, quod sinistrum esse debuit, in dextera ponebant; ideo, & dextera eorum dextera iniquitatis: ideò os eorum locutum est vanitatem, quia hoc in dextera posuerunt, quod in sinistra habere debuerunt. hæc S. August.

4. Sed quæres adhuc, quænam sunt isthæc, quæ improbi, & iniqui amatores mundi à sinistra ad dexteram transtulerunt: Respondet idem August. In dextera ponere debuerunt Deum, æternitatem, annos Dei non deficientes. *Psalm.* 101. ibi dexteræ, ibi esse debet desiderium nostrum. Sinistra vtamur ad tempus, dexteram desideremus in æternum. sic ille. Quem optimum ordinem sponsa obseruabat, cum aiebat: *Laua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Cãt. 2. ad quæ verba sic idem August. Sinistra sub capite, dextera super caput. Non me deseret, & in temporalibus necessariis, sed tamen ipsa sinistra non capiti præponitur, sed sub capite erit; vt dextera eius complectatur me, pollicens vitam æternam. Vnde Dominus: *quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis.* Matth. 6. Habebitis hic, inquit, diuitias, & gloriam, & in futuro seculo vitam æternam: & sinistra continebo infirmitatem vestram, & dextera coronabo perfectionem vestram. hactenus S. August. Ex quibus haud dubiè colligi potest ad vitam necessaria non defutura fore subsidia, si recto ordine, quem Dominus præscribit, suas rationes quisque instituet, vt dexteram sinistræ præponat, hoc est, ad salutem animæ pertinentia in primis inquirat, ac deinde curando, non saginando, & ornando corpori debitum studium impendat. Sed quia inuerso ordine regno Dei terrena felicitas antefertur: icirco multiplicantur calamitates vt castigata hominis praua cupiditate bonis cœlestibus illatæ iniuriæ vindicentur. Non abs re fuerit tam longè, latéque ad mores expatiari, cum locus sit de Lia deformi, quam malè, atque iniustè veterator Laban speciosæ Racheli cum insigni iniuria Iacobi antepoſuit; in typum scilicet cacodæmonis, qui nobis aurum præripit, & lutum præbet; margaritas aufert, & sordes ingerit; terrestria bona offert, & sempiternam cum Deo felicitatem, quam infelix amisit, inuidendo suffuratur.

S. August.

Cant. 2. S. August. Primo cælestia, dein terrena.

Non deerunt terrena, vbi cœlestibus postihabentur.

Laban dæmonis veteratoris typus.

5. *Respondit Laban, &c.* Excusat fraudulentus, & iniquus dolum ex consuetudine prius maiores natu filias, quàm minores in matrimonium tradendi, quæ tamen aut nulla fuerat, aut certè omnino erat iniusta matrimonij tollens libertatem. Sed planè mentitur Laban, quippe cum publicè instructo conuiuio, inuitatis amicis & vicinis, Rachelem Iacobo desponsauit, quod nequaquam commisisset, si talis obstitisset consuetudo; quæ si vera esset, priùs Iacobo debuit indicari, quàm Rachelem in sponsam ex soceri pacto acciperet. Ergo (inquit Laban) non tibi nego Rachelis nuptias, sed tantùm differo vsque ad septem dies, quibus nuptiarum Liæ, quam duxisti, solemnia ex patriæ instituto perdurabunt. Hoc autem breui exacto tempore Rachelem tradam, pleno vt iure, vsque illam habeas vxorem. Probatur hic hebdomadæ nuptialis ritus ex 14. *Iudic.* & obseruatur à S. August. *quæst.* 89. *in Genes.* apud illas gentes coꝛ tempore vsitatus. Itaque non differuntur nuptiæ Rachelis ad septem annos; quod foret summè ini-

S. August.

A quum, sed ad septem tantummodo dies, vt S. Hieron. & S. August. egregie concludunt. Itaque res hoc modo se habuit, vt rectè iidem Patres colligunt. Iacob seruiuit Labano septem annis pro Rachele, quibus exactis desponsatam sibi publico conuiuio, ac solemni ritu accepit vxorem; sed qua nocte consummaturus esset matrimonium, dolo soceri putans Rachelem cum Lia sorore vxoris concubuit. cum hac igitur continuauit septem diebus celebritatem nuptialem. Transacta demum huiusmodi hebdomada in nuptiis Liæ potitus est Rachele; pacto tamen per socerum, etsi iniquè constituto, vt aliis deinde septem annis pro Rachelis concubitu inseruiret. Dixerat enim B Laban: *Et hanc quoque dabo tibi pro opere, quo seruiturus es mihi septem annis aliis.* Acquieuit placito, nimirum Iacob, &c. In quo sanè incredibilem suum amorem erga Rachelem Iacob demonstrauit: plus enim est vnum futuri septennij diem, quàm totum iam exactum septennium dare in pretium Rachelis. Qui videlicet dat præteritum, nihil prorsus dare censetur: solum est in pretio quod adhuc dandum est: exacti labores nihil habent amarum, imò dulces habentur: futuri autem & adhuc transigendi & horrori sunt, & mœrori. Facilè idcirco Petrus Apostolus virio concedit iam præteritum vitæ tempus: *Sufficit* (inquiens) *præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam.* 1. Petr. 4. quasi nihil concesserit, cum sit præ- C teritum: at futurum tempus, in quo solo vita est, non nisi virtuti esse impendendum iudicat; itaque totum vitæ tempus soli attribuit virtuti. Suam porrò quæque nupta seruam accepit à patre in dotem omnino quidem modicam, aut propè nullam. Sed ne ignominiam Labanus incurreret, quòd nepoti post septennium in pastorali ministerio exactum, mille perfuncto laboribus indotatas filias tradiderit; ancillulas in speciem dotis attribuit; quam subinde, vt inferiùs patebit *cap.* 31. nullam ipsæ filiæ esse duxerunt.

Solum quod est de futuro habetur in pretio.

1. Petr. 4.

Totum vitæ tempus virtuti impendendum.

6. Has porrò ancillas consensu, & rogatu vxorum in vxores pariter accepit: & consequenter quatuor simul duxit, habuítque vxores: duas sorores Liam, & Rachelem; duas itidem earum an- D cillas Zelpham, & Balam. Hanc verò tetragamiam Faustus Manichæus impudentissimis verbis perstrinxit, vt illicitam, & procaci lasciuia Iacobi perquam inuerecundam. Sed impudentior fuit hæreticus, vti & imperitior, qui polygamiam illis ætatibus licitam Diuina dispensatione fuisse nesciuit; & virum sanctissimum, non actum libidine, sed gignendi filios ad augendum Dei populum in tam numerosa illa infidelium colluuie, permotum desiderio, pluribus ad prolem se vxoribus coniunxisse non intellexit. Vsi quidem sunt hac polygamia prædictum ad finem laudatissimi viri in sacris literis Abraham, Iacob, Dauid, &c. Hinc illud S. Hieron *in Epist. ad Oceanum.* Sciebat Paulus le- E go concessum, & exemplo Patriarcharum familiare fuisse populo Hebræo nouerat in multis vxoribus liberos spargere, ipsisque sacerdotibus huius licentiæ patebat arbitrium. sic Hieron. Eandem polygamiam in lege Mosaica licitam sic contra Faustum S. August. defendit: Quando mos erat, crimen non erat: & nunc propterea crimen est, quia mos non est. Alia enim sunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. Quæ cum ita sint, quid tandem criminis est, quod de pluribus simul vxoribus obiicitur sancto viro Iacob? Si naturam consulas: non lasciuiendi, sed gignendi causa illis mulieribus vtebatur. Si morem: illo tempore, atque in illis terris

Impudentia & imperitia hæreticorum.

D. Hieron.

Antiquis licita polygamia.

D. August.

Nunc illicita polygamia.

hoc factitabatur. Si præceptum: nulla lege prohibebatur. Nunc verò cur crimen est, si quis hoc faciat, nisi quia & moribus, & legibus non licet? hæc S. August. *lib. 22. contra Faustum cap. 47.* Idem pro eadem sententia scribit *lib. 3. de doctrina Christiana cap. 12.* ad hunc modum: Sufficiendæ prolis causa erat vxorum plurium simul vni viro habendarum inculpabilis consuetudo. In huiusmodi autem vxoribus, quicquid illorum temporum sancti viri non libidinosè faciebant, quamuis ea facerent, quæ hoc tempore nisi per libidinem fieri non possunt, non culpat scriptura. hæc ille.

D. August.

7. Eadem ferè summorum Patrum fuit responsio, vt legenti perspicuum fiet: vnde Theodor. Iacobum à calumnia vindicans ita effatur: Illud etiam aduertendum est, tunc temporis nondum datam esse vllam legem, quæ multiplices nuptias prohiberet, & quòd felicissimi tunc existimabantur, qui multorum liberorum patres erant, vt testificantur Diuinæ promissiones *Genes.* 15. & *Genes.* 32. Nihil autem tale Deus promisisset, nisi copiosam sobolem quàm maximum bonū esse existimasset. hæc Theodor. *quæst. 84. in Genes.* Similia effatus S. Cyrill. Alex. ita demum concludit: Ergo maximæ curæ nostris maioribus fuit, felicitatémque summam existimabant, si complures filios procreassent: nos verò, qui in Christum traducti sumus, vt fructum spiritalem afferamus, etsi matrimonium honore prosequimur, munus tamen illud quod excellentius sit, magnísque laudibus apud scripturam sacram commendatur, omni studio eligimus, atque sectamur, vt soli scilicet Deo adhæreamus, nullæque nobis res mundanæ impedimento sint. *Qui* enim (inquit Apostolus 1. Corinth. 7.) *cum vxore est, solicitus est quæ mundi sunt, quomodo placeat vxori, & diuisus est.* sic ille *lib. 11. in Genes.* Quid igitur mirum si prisci mortales in Adamum terrenum, tanquam in archetypum oculis intenti felicitatem in carnis commercio, & propagatione collocatam habuerint? Iam abiit quod animale fuit: iam vetus homo de terra terrenus periit: noua subinde omnia fecit, qui de cælo nouus homo cælestis ad spiritualia, & Diuina propaganda in terras aduenit. cui non carne, sed spiritu; non filiorum numerosa prole, sed bonorum operum sanctitate seruiendum est. Fuerint igitur, quæ legimus de pluralitate vxorum, illa in tenebris, & in nocte: at iam nox præcessit, dies autem appropinquauit, abiecit mortalium genus opera tenebrarum, induítque arma lucis, à Deoque magistro didicit sicut in die honestè ambulare. Tunc enim (inquit S. Chrysost.) quia principia erant, permissum fuit cum pluribus vxoribus misceri, vt humanum genus propagaretur. Nunc verò, quia per Dei gratiam humanum genus valde multiplicatum est, & pietas incrementum accepit, adueniens vtique Christus, & virtutem in hominibus plantans, Angelósque (vt ita dicam) ex hominibus faciens, omnem illam veterem consuetudinem aboleuit. hæc S. Chrys. *homil. 56. in Gen.*

Theodor.

S. Cyrill.

Fœcunditas prolis antiquis felicitas.

Christianorum laus in castitate.

1. Cor. 7.

D. Chrysost.

Christus homines in Angelos mutauit.

8. Natus enim Dei Filius de Virgine Matre cælum in terram transtulit, aut terram ipsam in cælum commutauit: quippe cum Virgo Mater extulerit Virginitatis vexillum, sub quo innumerabilis castorum hominum, & sanctissimarum Virginum multitudo contra mundi illecebras, & carnis delicias, etsi periculoso quidem, valde tamen glorioso marte vsque ad triumphos decertauit. Quis enim complectatur numerando, aut pro dignitate explicet commendando, quot adolescentes, quot puellæ, quot viduæ, ad Christi Domini, & Virginis Matris imitationem admirabili castitatis

Periculosum, & gloriosum bellum contra carnis illecebras.

tatis gloria, vbique terrarum etiam hodie flo-
D.Hieron. reant? Quibus (vt loquitur S.Hieron.) quasi pul-
cherrimis gemmis Ecclesiæ monile decoratur?
Continentes ornamentum, & facies Ecclesiæ. *lib. 1. aduersus Iouinian.* Hæc sunt monilia, & ornamenta Ecclesiæ Christianæ, imò hæc illius facies, & genæ toties in Canticis commendatæ, viri scilicet, & fœminæ profitentes castitatem in ea lege, quæ iccircò à regio Vate dicitur: *Immaculata*
Psalm. 18. 9 *conuertens animas.* Psalm. 18. Planè immaculata lex Christi Domini, quæ docet amare, & seruare munditiem, purósque, ac velut Angelos & procreat, & supra omnem alium statum suorum fidelium effert, commendátque. certum est enim, quod
D.Hieron. scribit S. Hieron. In omni gradu, & sexu tenet pudicitia principatum. sic ille indicato lib. *Lex*
Sacerdotes in lege Christi continentes. *immaculata*, quam sacerdotes (veri scilicet reliquorum magistri, & principes) docent, prædicant, ac tuentur, quibus nunquam licuit carni simul, & spiritui; vxori, & Deo; matrimonio, & sacerdotio inseruire, vt vetusta & confirmata habet traditio Ecclesiæ; nuncupatimque testatur S.Hier. lib. illo 1. quem retulimus, vbi hæc inter alia scribit: Sacerdotibus non licet vxores tangere, & in eo sancti sunt, quia imitantur pudicitiam virginalem. sic ille. Quam corporis, & mentis puritatem
Sacerdotum continentia ob sacrificii, & precandi officium. à sacerdotibus exigit, cùm agni immaculati caro, quam manibus tractant, tum etiam proprium iugéque precandi Deum, cui sunt destinati, officium.

9. Hæc doctrina his verbis proponitur à S.
D.Hieron. Hier. Si laicus, & quicunque fidelis orare non potest, nisi careat officio coniugali: sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est: si semper orandum est, ergo
Sacerdotes Mosaici abstinebant à coniugio dum ministrabat. semper carendum matrimonio. Nam & in veteri lege, qui pro populo hostias offerebant, non solum in domibus suis non erant, sed purificabantur ad tempus ab vxoribus separati: & vinum, & siceram non bibebant, quæ solent libidinem prouocare. hæc S. Hieron. Quando nimirum antistes Mosaicus suo munere, quod per vices inter sacrificos distribui consueuerat, aut in thure adolendo, aut in mactanda pecude, aut fundendo preces erat defuncturus, in templo ab vxore, tebúsque domesticis procul seiunctus morabatur. At dices edicto Apostoli *Episcopum eligendum vnius vxoris*
1. Tim. 3. *virum.* 1. Timoth. 3. Bene; sed vt egregiè respon-
D.Hieron. det S.Hieron. non dicit, eligatur Episcopus, qui
Sacerdotes in Ecclesia Christi semper casti. vnam ducat vxorem, & filios faciat: sed qui vnam habuerit vxorem, & filios, &c. sic ille, *lib. præd. cap.* 19. Enimuerò cum adhuc paruulus esset Christi grex, eligebantur in sacerdotium, & Episcopatum etiam viri coniugati, sed qui tamen deinceps non vterentur vxoribus; quippe ab earum toro seiuncti ad finem vsque vitæ permanerent, vti est communis in Ecclesia Romana Catholica traditio, quicquid interim grunniant suo in volutabro
Hæreticorum impuritas. sues hæreticorum: quibus Deus venter est: & sacra, ritúsque sunt Veneris, & Bacchi orgia. Planè vt cætera deessent, ista vna morum spurcitia, & effusa passim in omnem turpitudinem petulan-
Impuritas infidelium. tia, quæ in mahometanis, infideliúmque nationibus, quibus non cedunt hæretici, inuenitur, omnium monstrorum huiusmodi sectas, nefandásque sacra, & dogmata, satis superque falsitatis, atque impietatis conuincit. *Lex Domini immaculata* sacerdotes suos in omni castitate puros, ac nitidos ad sacrosanctum Domini corpus tractandum esse debere præcepto inuiolabili edicit. cuius rei figuram in panibus propositionis egregiam demon-
D. Hieron. strat S.Hieron. Scimus (inquiens) etiam ad Dauid fugientem ab Achimelech sacerdote dictum: *Si*

A *mundi sunt pueri ab vxoribus?* & ille respondit: *ab heri, & nudiustertius.* 1. Reg. 21. Panes enim pro- 1. Reg. 21.
positionis, quasi corpus Christi, de vxorum cubi- Ad Eucharistiam non accedat quis post actum coniugalem.
libus consurgentes edere non poterant. *Si mundi* (ait) *sunt pueri ab vxoribus*: videlicet quod ad munditias Corporis Christi omnis coitus immundus sit. hæc ille, *citat. lib.*

10. Etiam matrimonium, alioqui in lege Christi sacramentum, planè censetur immundum ad corpus & sanguinem Domini IESV, coniugati sacerdotis manibus attingendum; quod etiam in Moyse præsiguratum esse contendit idem Hieron. D.Hieron.
hæc statim subiiciens: Moyses eum vidisset visio- Castitas accedentium ad Eucharistiã.
nem magnam, & Angelum siue Dominum loquentem in rubo, nequaquam valuit ad eum ac-
B cedere, nisi soluisset corrigiam calceamenti sui, & abiecisset vincula nuptiarum. Nec mirum hoc de amico & Propheta, & legifero Dei, cum omnis populus accessurus ad montem Sina, & Dei auditurus eloquium, tribus diebus sanctificari iussus, & se ab vxoribus abstinere. hæc ille. Porrò in calceamento Moysis significari coniugium dicit, ex antiquo scilicet illius gentis ritu, de quo Ruth 4. mentio fit: tum etiam quia in pelle calceamenti, vtpote detracta de pecude mortua, communi patrum, & doctorum sensu innuuntur opera carnis, quæ tandem in mortem desinunt. Ad mortis verò pabulum suos procreat matrimonium fœtus; meritóque laudatur illius ex antiquis Romanorum sententia, qui nuncium de obitu filij accipiens
C respondit: *Memini me genuisse mortalem.* Quod aotem sanctus Doctor de Sina monte subnotauit, insigniter conducit ad roborandum argumentum de castitate Christianæ gentis, in qua non modò sacerdotes dum sacra faciunt, verùm etiam laici, dum sacrosanctam Eucharistiam de illorum manibus in mensa Domini accipiunt, ad corporis habendam munditiem admonentur. Nec in monte ipso Sina, nec in tota illius vicinia carnalem Dominus ipse hominum consuetudinem esse permittit. Procul, ô procul este profani, conclamat legifer vates. Quid ergo nunc de templis, de altaribus, de mensa Domini dicendum erit? Cœlestia à cœlicolis, Diuináque ab Angelis, Diuinisque (vt ita dicam) spiritibus tractanda, sumendáque fo-
D rent. Puritatem circum circa montis ille Dei visio- Eucharistia castitati exigit, & ingerit.
ne, legéque nobilitatus exigit: at Dei aduentus in carnem non modo exigit, sed eam quoque ingerit, ac fouet in hominibus castitatem.

11. Fortè cum præsenti commentationi darem operam, & quidem peropportunè sermocinantem familiariter audiui vnum ex nostris hominibus non minus religiosum quàm eruditum de rebus Italiæ, in qua diu fuerat commoratus; demúmque de Lauretana domo Virginis Deiparæ mul- B. Maria Lauretana domus castitatem diffundit.
ta mihi tam noua, quàm dulcia fuerunt, quæ ab ore narrantis haurire licuit; illud præ cæteris maximè, admirabilem scilicet sparsam videri tota illa vicina regione fragrantiam castitatis, miráque perenniter exempla pudicitiæ quotidie repullu-
E lare; nimirum quia (vt grauis quidam è nostris in eodem cœlesti sacrario versatus aiebat) Virgo ipsa Dei Mater è sua illa in qua Deum conceperat, ac subinde Natum aluerat, domo augustissima in aëra, in terram, in vias, in vicos, in omnem mortalium sexum, in totam denique viciniam virginitatis suæ purissimum rorem, ac delicias diffundit. Nec id incredibile videri debet, cum in sacrosancta illa domo tot per annos Virgo Mater cum Deo Filio suo habitauerit; atque adeò gratiarum, virtutúmque Dei hominis, ac Deiparæ Virginis infinita copia, & varietas redundarit: vnde etiam

Invocatur B. Maria.

nunc supercœlestium illorum aromatum atque odorum suauissimi suffitus efflantur. Eia igitur ô semper Virgo Dei Mater, naturæ nostræ flos purissime ac pulcherrime, ornamentum luti nostri, per te quæsumus digni reddamur, quos virginalis tui fructus IESV optimi, ac purissimi odores pariter, ac rores perfundant. *Scius enim* (ait Sapiens) *quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia, scire cuius esset hoc donum.* Sap. 8. Donum vtique Dei, sed tamen etiam fructus humani laboris, orationis, ac pœnitentiæ. Sic enim Dominus de castitate agens, concludit: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est, qui potest capere capiat.* Matt. 19. vbi subtiliter S. Hieron. subnotauit: Nemo (inquiens) putet sub hoc verbo (sed quibus datum est) fatum, vel fortunam introduci, sed iis datum esse à Deo, qui petierunt, qui voluerunt, qui vt acciperent laborauerunt. hæc S. Hieron. Similem sensum vberiùs (vt solet) explicat S. Chrys. ad hunc modum: Non dixit, *non omnes possunt*: sed *non omnes capiunt*, id est, omnes quidem capere possunt, sed non tamen omnes capere volunt. Palma proposita est. Qui concupiscit gloriam, non cogitat de labore. hæc ille, *in Matth.* 19.

Sapient. 8. Castitas donum Dei, & fructus nostri laboris. Matth. 19. D. Hieron. D. Chrysost. Pro gloria suscipiendus labor. Difficile hominis seruare castitatem.

22. Nihil quidem homini tam difficile, arduum, atque adeò (spectatis naturæ viribus) impossibile est, quàm vt in mundo vitiorum vtique cœno, inter innumeras, atque insidiatrices voluptatum illecebras caro in peccatis concepta, sponte in natiuam impuritatem, & corruptionem propensa cœlestibus cognatam spiritibus puritatem conseruet. Donum id quidem est Dei, palma Dei manibus consita, & in altum consurgens, corona, & gloria humano corpori diuinitus intexta & imposita. Cæterùm Diuina gratia, vt donum, palmam, coronam, gloriam castitatis homini concedat, ab homine voluntatem, industriam, laborémque exigit. Iccirco enim etiam post baptismum adhuc fomes peccati, libidinúmque sentina in homine perseuerat, profectò ad virtutis exercitationem, & meritorum seminarium, coronarúmque theatrum. Volumus enim (inquit S. Aug.) vt nullæ sint concupiscentiæ, sed non possumus; velimus nolimus, habemus illas; titillant, blandiuntur, stimulant, surgere volunt, premuntur, non extinguuntur, quandiu caro concupiscit aduersus spiritum. hæc ille, *serm. 43. de verb. Domin. cap. 9.* Tantò igitur gloriosior victoria, & triumphus, quantò periculosior pugna: eò sublimior in homine castitas, quò infirmior, & abiectior caro, quæ iugiter impugnata libidinum incitamentis, non cedit, non succumbit, non expugnatur. Nec enim ignoramus (ait S. Cyrill. Hierof.) castitatis gloriam. Angelica est corona, & supra hominem est hæc perfectio. *Cathec.* 12. maximè quia huiusmodi bellum omnium difficillimum non ad paucos dies, menses, annósve protenditur: tandiu ignescit aduersus castitatem pugna, quandiu in corpore vitalis vigor persistit. Nemo igitur dum viuit, securum se iudicet: imò S. Bernard. audiat monentem. Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras, si vitia putas emortua, & non magis suppressa: velis, nolis, intra fines tuos habitat Iebusæus: subiugari potest, non exterminari, *serm.* 58. *in Cant.* Etiam Dei populus (hoc est. electi, iustique viri) ne pernicioſa securitate, otióque elanguescat, ac proinde hostilibus pateat insidiis, necesse omnino habet, vt Iebusæus, videlicet leuium pertentetur vitiorum insultibus; qui tamen Iebusæi in Philistæos, pygmæi in gigantes conuertentur, si homo stulta socordia tepescat,

Bellum contra luxuriem continuum. S. August. Gloriosissima castitatis victoria. S. Cyr. Hier. Induciæ, non pax à luxuria. S. Bernard. Cauendum etiam à leuibus occasionibus.

& emicantem scintillam velut nihili pensitans paulatim in flammas, & incendium sinat ebullire. Maximè verò qui sapit, suæque saluti, & castitati consulit, Philistæos, gigantes, incendia timere debet, vbi cum muliere familiariter sibi agendum videt. Quid enim est mulier (inquit S. Chrys.) nisi amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura boni colore depicta? hæc ille, *homil.* 32. *in Matth.*

Periculosa viro mulier.

13. Hæc pericula nobis à muliere perenniter intentata scimus viri, nostróque malo experti dolemus, nec tamen cauemus; sed huiusmodi commerciis temerè immixti laqueos sponte induimus, atque in voluntarium ruimus exitium. Rarus est enim, qui enauigans inter has Scyllam, & Carybdim; hisque fidens Sirenibus, honoris, ac virtutis, vel etiam multos per annos probatæ sanctitatis miserabile non fecerit naufragium. Quocirca optimè scripsit Bonauent. in quodam ex suis opusculis in hanc sententiam: Sermo rigidus, & breuis cum mulieribus adhibendus; nec tamen, quia sanctiores, eò minùs periculosiores. Quò enim sanctiores sunt, eò magis alliciunt sub prætextu blandi sermonis, & immiscent se vitiis impurissimæ libidinis. hæc ille. Species quidem virtutis securitatem præfert, illóque velamine occultatus hostis, cum non dignoscitur, nec præcauetur, impunè struit insidias, paulatímque in turpem amorem viri, fœminæque pectora succendit. Qui enim secura potest esse castitas, vbi caro interuenit, quæ dum furiis in voluptatem agitur, vri sanctis colloquiis non inflectitur, ita si quid prauum insonuerit, turpiter admodum misera emollitur? Meritò enim exclamat S. Chrys. O caro amica rerum malarum, & non amica rerum bonarum, quia non delectatur in bono, ideo facilè obliuiscitur bonum: malum autem quicquid audierit, quasi naturaliter in corde suo plantatum sic retinet semper. sic ille, *homil.* 23. *in Matth.* Testatur ergo S. Bonauent. quod sæpius viderit huiusce temeritatis supplicium, adiiciens: Episcopus sum, in Christo loquor, crede mihi, quia non mentior: vidi cedros libani, id est, magnæ contemplationis viros, & magnos Prælatos Ecclesiæ, sub hac specie corruisse: vidi de quorum casu non magis præsumebam, quàm de Hieronymo & Ambrosio, &c. hæc Bonau. Periculosum est homini etiam iusto, & sancto cum mulieribus nimis familiariter, audaciúsque agere: sed non minùs, imò ampliùs periclitatur fœmina, si viri quantumvis iusti, sanctique sese immisceat consuetudini. Quod sapienter prouidens S. Hieron. ita virgines admonet. Viri cuiuscunque status, etsi eum sanctitas exornet, etiamsi Ioanni Baptistæ æquaretur in meritis, quæraris effugere faciem, nec liceat secum dilectione feruenti adstringi; credatis experto. hæc ille, *Epistol. ad Eustoch.* Et quid obsecro mali, quid periculi timeat sibi virgo, si feruenti dilectione virum religiosum, & sanctum prosequatur? à sancto quid nisi sanctum procedet? sit ille sanctus, sit illa virgo sanctissima; sed ille tamen vir est, illa mulier. Nihil autem (inquit S. Hieron.) nihil omnino est periculosius viro, quàm mulier; & mulieri, quàm vir: vterque palea, vterque ignis. sic ille. Quis igitur securus agat inter ignes, in sicca, & leui palea iugiter, citóque conceptos, atque ad incendium vsque efferuescentes?

Homo temerè pericula incurrit. S. Bonauent. Pericula sub velamine familiaritatis. Periculosa viri & fœminæ consuetudo. D. Chrysost. S. Bonauent. Ruina magnorum in luxuriem. D. Hieron. Periculosa fœminæ consuetudo viri. Periclitantur inuicem vir & mulier. D. Hieron.

14. Omni ergo cura, & custodia vir & mulier, alter ab altero separandi, & custodiendi sunt: Ne (quod statim subiicit sanctissimus Pater) animis, &

D. Hieron.

oculis

Ruina magnorum in luxuriem. oculis lamentemur. ait enim: Dicam audacter, A proh dolor, Dei templa, Spiritus sancti vasa, & Deo dicata ædificia, nisi diligentissima seruentur custodia, prostibula fiunt: & aufertur tam nobile depositum, tam pretiosus thesaurus, irrecuperabile decus castitatis. hæc ille. Posset vnusquisque, si priscorum temporum, & nostrorum etiam historias euolueret, permultas huiusmodi ruinas, & exitia castitatis commemorare. Sed res exemplis non eget; ipsa naturæ humanæ infirmitas, ipsaque morum corruptela, fomes peccati, diaboli tentamenta, periculum huiusce incautæ consuetudinis satis ostendunt. Quapropter (monet iterum S. Hieron.) omni custodia seruetur cor; super muros Hierusalem ponantur custodes, tota die ac nocte non dormiant, ne fur introeat, ne spolia auferat, B quæ penitùs recuperari non possunt. hactenus ille, *Epistol. indicata*. Igitur omni studio, cura, & industria, vigilantiaque defendi, custodiri, conseruarique debet pudicitia, tanquam fructus, ac præmium nostri laboris, non quidem solius; magis enim pendet à Diuina gratia, iuxta Domini sententiam: *Non omnes capiunt verbũ istud, sed quibus datum est.* Matth. 19. In quo (vt benè occurrit S. Chrysost.) ostendit, quia nisi auxilium gratiæ acceperimus, nihil ex nobis valemus. Volentibus autem gratia non denegatur, *petite, & dabitur vobis.* Matth. 7. Debet autem voluntas præcedere, & sic sequitur gratia, nec voluntas sine gratia, nec gratia sine voluntate operatur. hæc ille, *homil. 32. in Matth.* præuenit quidem, incitat, & coadiuuat C gratia Dei voluntatem hominis, & voluntas gratiæ cooperatur. Huius Theologiæ statim egregium apponit exemplum. Nam & terra (inquiens) non germinat, nisi pluuiam susceperit, nec pluuia fructificat sine terra. hæc ille.

D. Hieron.
Custodia contra tentamenta carnis.

Matth. 19.
S. Chrysost.
Castitas à Dei gratia, & nostro labore.
Matth. 7.

Dei gratia, & cooperatio hominis.
S. Chrysost.

Donum Dei castitas.

15. Petamus igitur, & accipiemus; quæramus, & inueniemus; pulsemus, & aperiemus. Donum Dei, gratia Dei, est castitas, quam assidua, feruentique oratione à Domino postulare necesse est. Subinde verò apud Deum Virgo Mater inter omnes cælites hanc nobis admirabilem pariter atque amabilem impetrabit virtutem, vt quæ prima in genere humano virginitatem vouerit, ac docuerit. quod Albert. Magn. ita contestatur: Beata Virgo est Mater omnium in virginitate, quæ pri- D ma, sine præcepto, consilio, vel exemplo virginitatis munus Deo obtulit; per quod omnes virgines per imitationem virginitatis genuit. sic ille, *super Missus, cap. 81.* Idem tradiderat Origen. his verbis: Arbitror rationi consentaneum esse, virilis quidem puritatis in castitate primitias fuisse IESVM; muliebris verò Mariam: non enim pôssibile est alij præter hanc virginitatis primitias adscribere. hæc Orig. *in cap. 13. Matth.* Imò etiam (licet dicere) tam virilis, quàm muliebris pudoris mater extitit Virgo Deipara, cum Virgo purissima, & integerrima partu suo virgineo Deum hominem edidit, ex quo totius castitatis vexillifera, & magistra à S. Ambros. *de instit. Virg. cap. 5. & 6.* E princeps Virginum à S. Epiphanio, *serm. 78* Virginum Regina, mater & gloria à S. Damasceno, *homil. de assumpt. Virgin.* caput à S. Isidor. *de Ecclesiast. cap. 17.* Virginitatis primiceria à S. Bernard. *hom. 3. super Missus.* Virginum initium à S. August. *tract. 10. super Joan.* denique Virginum lumen à S. Greg. Naz. *in carm. de Christo*, iure optimo nuncupatur.

Albert. Magn.
B. Maria virginum prima & maxima.
Origen.
B. Maria virginitatis encomia.
S. Ambros.
S. Epiphan.
S. Io. Damasc.
S. Isidor.
S. Bernard.
S. August.
S. Greg. Naz.

SECTIO XII.

Tandémque potitus optatis nuptiis amorem sequentis priori prætulit, seruiens apud eum septem aliis annis.

1. EXacta nuptiali celebritate, quæ per septem integros dies agitari priscis illis sæculis consueuerat, Liam vxorem habens, amánsque Iacob Rachelem deinde suam, quam solam & primò appetierat, ac sibi desponsarat, à Labano socero traditam accepit, ea tamen conditione (quam vtique libens, lætúsque acceptauit) vt subinde alterius septennij seruitutem in pascendis gregibus præstaret socero. Cæterùm Rachele potiùs ipsius amorem amori, quem haud dubiè maritalem iam habebat, Liæ prioris vxoris antepofuit. Nimirum hæc deformior, per fraudémque intrusa thalamo: illa pulchrior, in primisque à viro visa, & expetita & à patre desponsata fuerat. En Iacob iustus, ac sapiens duas sorores simul in matrimonio habet, non sine Diuino consilio, quo actum est, vt omnia Patriarchis in figura contingerent, atque illis quasi inuolucris veræ virtutes, ac mysteria in lege gratiæ tandem euulganda symbolicè depingerentur. Ac celebre quidem est apud Patres, & Doctores in Iacobo virum iustum, ac virtutum perfectioni studiosè incumbentem designari: at in duabus istis sororibus eidem viro copulatis duplicem vitam, temporalem scilicet, & æternã adumbrari. Quod symbolum latiùs, & vberiùs iam nunc explicabitur. Igitur D. August. *lib. 22. contra Faustum, cap. 52.* sic huius loci mysterium euoluit: Duæ vitæ in Christo nobis prædicantur; vna temporalis, in qua laboramus; alia æterna, in qua delectationem Dei contemplabimur. Istam Dominus passione, illam resurrectione declarauit. Lia interpretatur *laborans*: Rachel autem *visum principium, siue verbum, ex quo videtur principium.* Actio ergo humanæ, mortalisque vitæ, in qua viuimus ex fide, multa laboriosa opera facientes, incerti quo exitu perueniant ad vtilitatem eorum, quibus consulere volumus, ipsa est Lia prior vxor Iacob, ac per hoc & infirmis oculis fuisse commemoratur. Spes verò æternæ contemplationis Dei habens certam, & delectabilem intelligentiam veritatis, ipsa est Rachel. Vnde etiam dicitur bona facie, & pulchra specie. hæc S. August. Itaque Lia vitam præsentem, Rachel æternam significat: illa ad operandum, laborandum, ac demerendum, & patiendum destinata est; hæc ad quietem, ad præmium, ad coronam possidendam: illa in salo fluctuans enauigat; hæc post exactam nauigationem in portu conquiescit: illa decertat, hæc coronatur: illa post Deum operando currit, hæc tandem cum Deo accumbit, & quiescit. Ac Lia quidem prior Iacobo coniungitur, posterior ducitur Rachel: priùs enim in præsenti vita laborandum, decertandúmque est, deinde in sempiterna gaudendum. Ad huius æterna gaudia non nisi per temporales illius sudores eundum est. Omnino insipiens, ac demens est, qui coronam sine certamine sibi pollicetur, qui de deliciis terræ ad cæli voloptates transmigrandum sibi arbitratur. Militiam Iob, stadium, luctam, agonem Apostolus præsentem vitam appellarunt. Quos igitur (subinfert S. Ambros.) manet gloria, expectat iniuria. Vnguentati spectare solent, non decertare: dicant ergo & ipsis athletæ: Venite, nobiscum laborate. Sed respondebunt spectatores: Nos hic interim

Patriarchis facta in symbolum legis gratiæ.
S. August.
Vita præsens, & æterna in Lia & Rachele significantur.
Quid intersit inter vitam præsentem & futuram.
Hic merita comparantur pro futuro præmio.
S. Ambros.

rim de vobis iudicamur, vos autem sine nobis coronæ (si viceritis) gloriam vindicabitis hæc S. Ambros. *lib. 1. de offic. cap. 18.*

2. Igitur qui bonis operibus, vel in proximorum vtilitatem, salutémque impensis, vel comprimendis vitiorum appetitionibus, affligendóque corpori per Christianam mortificationem diligenter student, egregiè colluctantur in agone huius vitæ: at desides, ignaui, deliciosi, alienæ luctæ spectatores se exhibent. Isti enim (adiungit S. Ambros.) qui in deliciis sunt, spectatores magis sunt, quàm præliatores. sic ille. Vtrique aliorum, quos in stadio laborantes spectauerant, etiam coronas, & præmia inuidentes, ac lugentes spectabunt. Iccirco Dominus discipulis in regno cælorum sedes petentibus calicem proposuit ebibendum. *Sedere enim* (inquit) *ad dexteram meam, & sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratũ est à Patre meo.* Matth. 20. Sensus est, cum ego sim à Patre ad coronandos luctatores præpositus, iuxta leges mei muneris coronam sine certamine, ob puram gratiam, ac liberalitatem non concedam. Decertantibus à Deo Patre (si vicerint) præmia destinantur. Regnum quippe cælorum (exponit ibi S. Hieron.) non est dantis, sed accipientis: non est enim acceptio personarum apud Deum; sed quicunque talem se præbuerit vt regno cælorum dignus fiat, hic accipiet quod non personæ, sed vitæ paratum est. Si itaque tales estis, qui consequamini regnum cælorum, quod Pater meus triumphantibus, & victoribus præparauit, vos quoque accipietis illud. hæc S. Hieron. Quapropter non ignauis defertur in sinum, sed luctantium, ac laborantium manibus cælestis corona donatur. Post calicem sedes, post passionem requies promitotur. Scilicet Domini responsio in eum scopum dirigitur, vt (inquit S. Chrysost.) omnes nos audiamus: quia nemo potest cum Christo regnare, nisi passionem Christi fuerit imitatus, iuxta Apostolum: *Si commortui sumus, & conuiuemus: si sustinemus, & conregnabimus.* 2. Timoth. 2. Res enim pretiosa vili pretio non comparatur. Magnum laborem necesse est nobis impendere, si volumus ad regna cælestia peruenire. hæc ille, *homil. 35. in Matth.*

Ignauia sine lucta & sine corona.
S. Ambros.
Matth. 20.
D. Hieron.
Sine meritis non datur cali præmium.
S. Chrysost.
2. Timoth. 2
Laborandum hic, & ibi regnandum.

3. At quàm istud arduum, & molestum est homini, quem labor deterret, otium oblectat; quem corporis voluptates illiciunt; sudores, ac labores pro virtute ac salute animæ suscepti frangunt, ac desolantur? Bene id quidem, sed *non sunt condignæ passiones huius tẽporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* ad Rom. 8. Vbi (declarat S. Chrysost.) Apostolus ostendit futuram gloriam, non qualitate tantùm, sed & quantitate afflictionibus præsentis temporis superiorem esse; siquidem afflictiones illæ, quales quales sunt, vitæ præsenti cohærentes sunt: futura autem bona ad immortalia vsque protogantur secula. hæc ille, *homil. 14. in Epistol. ad Roman.* Sint igitur quàm grauissima huius vitæ incommoda, quæ iusti patiuntur: at quid in hac vita diuturnum est? cum vita ipsa (quæ cum fumo pariter disparet) & bona & mala simul concluduntur, atque euanescunt. Tribulatio præsens finitur; futura verò quies, ac retributio in sempiternum æuum perdurabit. Leuis est in se, licet homini ignauo & infirmo grauis videatur, calix passionis; at gloria operatur, quæ videlicet (adiungit Chrysost.) bonorum fastigium, & caput est, &c. Meritò igitur concludit Guarricus Abbas: Non tenetur omnia pro salute, odium est sui ipsius, & inuidia. Quid enim grande esse potest in præcepto, vbi salus est in promisso? sic

ad Rom. 8.
S. Chrysost.
Tribulatio præsens finitur, præmium est æternum.
Definitur beatitudo.
S. Chrysost.
Guarricus.
Leue est quicquid fit pro beatitudine.

A ille, *serm. 4. de Epiphan.* Itaque primò præceptum, deinde salus: gustatur in primis fel in cruce, ac deinde mel, & fauus post resurrectionem in maris littore. *Osculetur me osculo oris sui*; aiebat, & auebat sponsa, *Cantic. 1.* Sed ne quis dulcedinem in osculis Domini aut expetitam, aut libatam esse arbitraretur, inferiùs eadem subiecit: *Labia eius distillantia myrrham primam.* Cant. 5. Vtique non mellita inuenit osculando labia Domini, sed infecta omni amaritudine, quam myrrha significat, cùm arbor videlicet spinis horrescens, vt eam describit Plin. *lib. 12. cap. 15. & 16.* tum etiam fructus ipse, hoc est, sudor ex arbore spinosa effluens. Anima igitur ad blanditias Domini suscepta in primis exosculans labia sensit amaritudinem, spi-
B nis est compuncta; nec enim in vita mortali, aut mel, aut flores Dominus ipse prætulit, promisitve seruis, & amicis suis. Labia quidem Domini (vti exponit, Theodor.) docent in præsenti vita mortificationem. sic ille. Cæterùm paulò post à labiis amaritudiem, spináfque ferentibus ad guttur Domini venitur, quo attacto exclamat: *Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis.* Cant. 5. *totus videlicet* (declarant Græci Patres) *est desiderium, vtpote rerum optabilium, atque expetendarum extremum.* sic illi. Ergo per amaritudinem ad dulcedinem, per fel ad fauos, per spinas ad rosas, per labores, ac pressuras huius vitæ ad æterna gaudia, & requiem proceditur.

Cant. 1.
Cantic. 5.
In terra labor, in cælo requies.
Theodor.
Cantic. 5.
Græci.

C 4. Hunc eundem ordinem Dominus in suo illo sermone præscribit, cum prima quasi ad conuiuium discipulis, & fidelibus omnibus inuitatis apponit fercula duriora quidem, & amariora: beati pauperes, qui esuriunt, sitiunt, lugent, persecutionem patiuntur. Quid quæso, aut magis durum, & asperum, aut æque insipidum, & amarum, quàm paupertas, fames, sitis, luctus, persequutio? Sed hæc tamen omnia quàm ocyssimè finiuntur. dicitur enim: *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Matth. 5. Et quidem amara illa, & dura, & aspera cum vita pariter breui compendio terminantur; at promissa bona, quæ succedent, sempiterna prorsus erunt. Propterea enim (inquit S. Chrysost.) in cunctis virtutibus, & promissionibus beatitudinem posuit, vt ne quid
D sensibile sperandum putares. Neque enim esset beatum talibus coronari, quæ in præsenti vita continuò soluuntur, ac defluunt, & fugacius, quàm vmbra, præteruolant. merces verò multa est in cælis. hæc ille, *homil. 15. in Matth.* Multa quidem, quia omnibus affluit bonis; multa, quia sempiterna cum Deo; multa etiam, quia post labores quies dulcior, & serenitas post tempestatem iucundior, & gratiores post famem epulæ, cùm vel ipsa memoria præteritorum malorum eò maximè soleat oblectare, quòd illa iam præterierint. Hinc illud poëticum: *Dulce est meminisse laborum.* Ouid. etsi eadem perferre graue sit, amarum, ac molestum. bene Tragicus: *Geminatur, cum succedit aduersitati prosperitas.* Euryp. *in Medea.* Denique nauem
E cum Domino discipuli conscendunt, ipsóque dormiente, procellis iactantur. *Luc. 8.* Neque enim (animaduertit optimè S. Ambros.) quisquam poterat hunc mũdum enauigare, sine Christo, quando eos quoque, quibus Dominus adest, tentationum secularium sæpe procella perturbat. Et œconomia seruatur in Apostolis, vt aduertas sine tentatione neminem posse ex hoc vitæ curriculo demigrare, quia exercitium fidei tentatio est. hæc S. Ambros. *in 7. Luc.* Non sine periculis mare huius vitæ prænauigant etiam, qui Christum habent comitem, ac tutorem; nec enim fides, otio ac desidia

Matth. 5.
Breui laboris æternum præmium.
S. Chrysost.
Dulcior post labores quies.
Ouid.
Euryp.
Luc. 8.
S. Ambros.
Sine tentationibus nec fides, nec vita est.

fidia torpefcit, fed tentationibus; ac tribulationibus ad palmam, & coronam exerceri neceffe eft. In mari cum Chrifto nautæ, atque epibatæ affliguntur: egreffos è mari Chriftus non minùs prodigiofo, quàm iucundo conuiuio excipit, pafcitque fupra fœnum viride recubantes. En quàm grata ferenitas poft exactam illam tempeftatem illuxit!

Marc. 6

5. Profectò, vt cætera deeffent, nec poft hanc vitam animabus vlla forent in cælo bona, & præmia deftinata: hoc folum, quòd corpora iuftorum fempiternis, caftiffimis ac maximis fint bonis, & gaudiis in cælo potitura, fatis, fupérque hominem deliciarum peramantem, & curandi, fouendíque corporis vfque adeò ftudiofum permouere debuiffet ad omnem virtutis actionem, per quam corporis æterna felicitas comparatur. Contendat, omnémque conatum adhibeat fui nimius amator corporis, faltem vt cœleftia illi bona comparet: pro beatitudine corporis nihil non moliatur, quam quia carnis amatores magni debent æftimare, Dominus in iudicium ad præftanda bona corporis aduenturus dicitur ab Apoftolo: *Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat.* & infrà: *Omnis creatura ingemifcit, & parturit vfque adhuc, non folum autem illa, fed & nos ipfi primitias fpiritus habẽtes, & ipfi intra nos gemimus adoptionem filiorũ Dei expectantes, redemptionẽ corporis noftri.* ad Rom. 8. Quorum verborum hîc fenfus eft: Infita eft hominibus naturalis quædam futuræ beatitudinis anxia, & folicita appetitio, & ficut arida tellus cæleftem pluuiam appetit, expectátque, vt quæ anteà velut mortua fuerat, in flores, in frondes, in fructus exuberans reuiuifcat: fic naturæ humanæ defiderium innatum eft, vt aliquando tandem exuta mortalitate in gloriofam immortalitatem Diuino beneficio per fanguinem Domini irrigata, & repullulans tranfmutetur. Quod quidem tunc demum fiet, cum corpus humanum, quod vfque ad diem iudicij velut in captiuitate, & in ergaftulo detinetur innumeris fubiectum calamitatibus, in libertatem æternæ vitæ deducetur ab omni miferia deinceps immune, atque alienum, immortale furgens per donum gloriæ, ad quam hæreditandam adoptati fumus. Vocat redemptionem corporis: Quia (vt explicat Caiet.) redimetur corpus fecundùm effectum liberationis ex foluto priùs in cruce pretio. fic ille. Igitur ô delicatuli mortales faltem propter glorificationem æternam corporum veftrorum, quorum voluptatibus, & honoribus acquirendis omnem induftriam, & folicitudinem impenditis, in virtutis, & falutis æternæ ftudium contendite. Tanta verò, támque admirabilis erit corporum glorificatio, vt illius defiderio etiam Apoftoli in Ecclefia Dei principes, qui à Deo pretiofiffima quæque, atque gratiffima (vti fructuum primi folent effe gratiores, ac pretiofiores) dona Spiritus fancti acceperunt, vehementer incitati doleant, ac lamententur, dum ea corporum felicitas vfque ad vniuerfalem refurrectionem differtur. Vocat adoptionem filiorum Dei, quam fcilicet iufti expectant, redemptionem corporis noftri, cum tamen per fidem, & gratiam, iam adoptionem filiorum Dei accepérimus. Docet nimirum (inquit Theodor.) quòd nomen nunc quidem accepimus, rei autem tunc erimus participes, quando noftra corpora à corruptione liberata fuerint, & immortalitatem induerint. fic ille. Itaque nunc habemus titulum adoptionis filiorum Dei, illóque gaudebunt animæ in cœlo beatæ; poffeffionem verò illius non nifi in glorificatione corporum obtinebimus. Tanti Deus omnipotens facit humanum corpus.

Pro gloria corporis futura nil non fubeundum.

ad Rom. 8.
Innatum nobis defideriũ beatitudinis.

Refurrectio corporum futura.

Caietan.

Admiranda corporũ glorificatio.
Apoftolorum dignitas.

Theodor.

Magni Deus facit corpus humanum.

6. Ac proptereà obfecrat Apoftolus; *Vt exhibeatis* (inquiens) *corpora veftra hoftiam viuentẽ, fanctam, Deo placentem, rationabile obfequium veftrum.* ad Rom. 12. Pulchrè ad eadem verba miratur S. Petr. Chryfol. Quid eft, quòd anima tacetur, & folum corpus ad hoftiam fic vocatur? fic ille, *ferm.* 109. Solius corporis mentionem facit Apoftolus; hoc ad virtutem, & puritatem effingi curat, de corpore fanctificando folicitus animæ haud quaquam meminit. At nihil animæ detrahit, cum foli corpori curam impendit. Non cedit in iniuriam animæ honor corpori delatus: auet Apoftolus, curátque perfectius reddere corpus cum animæ perfectiones fibi afciuerit, vt in Dei obfequium cum anima de perfectione corpus ipfum contendat. Honorat enim (fubiicit idem Chryfol.) corpus, non minorat animam, vt corpus ad originem animæ afcendat. hæc ille. Nimirum fe tale nunc effingat per virtutis ftudium, & chriftianam mortificationem corpus humanum redditum purum, fpirituale, fanctum, quale fiet in refurrectione. Deinde (vt bene animaduertit S. Ambr.) oftendit non mediocrem animarũ effe gratiam, quarum vigore & virtute in adoptionem filiorum Dei affurgit humanum corpus habens in fe, quod ad fimilitudinem, & imaginem Dei tributum eft fibi. hæc ille, *Epift.* 21. Nec enim aut puritas, cæterarúmque virtutum ornamenta corpori in hac vita, nec in cœlefti glorificatio æterna fine animæ fubfidio atque comitatu infundentur. Hæc autem illa eft animæ cum corpore perennis concertatio, vt illud fibi ac virtuti, & gloriæ aptum, habiléque reddat: licet è contrario corpus fuopte ingenio abiectum, luteum, ac prauum ad omnem immunditiem, prauitatémque attrahere animam obnitatur. *Hæc enim* (inquit Apoftolus) *fibi inuicem aduerfantur.* ad Galat. 5. *Inuicem* (dicit) alterum alteri vicem rependit iuxta cuiufque ingenium: corpus fibi, animæque perniciem molitur; anima fibi, & corpori falutem, & gloriam procurat. Etfi enim (declarat S. Aug.) fpiritus concupifcit aduerfus carnem, etiam in hoc ipfo confulit carni; non ficut caro concupifcens aduerfus fpiritum; nec fpiritui confulit talis repugnatio, nec fibi. hæc Aug. *lib. de contin. cap.* 9. O quantum fuis etiam nocent corporibus, qui breues, fugaces, & fallaces, penéque nullas libidinum terrenarum voluptates illis omni ftudio, curáque impendunt, per quas haud dubiè iifdem æterna gaudia furantur, & gehennæ incendia fuccendunt. Ne carnis quæfo pugnam contra fpiritum foueamus, fed pro anima decertante pariter infiftamus: caro enim vitiorum illecebris, quas fpiritui obiicit, & fibi, & fuo fpiritui æternum importat nocumentum: caro fiquidem præfentia tantùm apperens, futura fibi bona prorfus valere iubet, atque in omnem æternitatem grauiffimis fefe malis addicit. Contra verò anima refiftens corpori cupiditates illius cohibens, voluptatúmque blandimenta procul ablegans, & eidem, & fibi pariter confulit, fuámque vtriufque gloriam in cælis emercatur. Iuftus igitur Liam priùs coniugem ducit, deinde Rachelem; hoc eft, per labores, & fudores huius vitæ ad pulcherrima cœleftis patriæ gaudia contendit.

S. Pet. Chryf.

Sanctificandum virtutibus corpus.

S. Pet. Chryf.

S. Ambrof.
Mira dignitas animæ iuftæ ac puræ.

Pugna inter animam, & corpus.

ad Galat. 5.

S. Auguft.

Pugnandum pro anima.

7. Quis verò mortalium aliam fibi fperat muniendam ad cælum, quàm per labores viam, cum ipfemet Dominus dixerit: *Nonne oportuit pati Chriftum, & fic intrare in gloriam fuam?* Luc. 24. Si ergo Chriftus Dominus in fuam gloriam per paffionem intrauit: nos ferui abiectiffimi in Domini

Per paffiones itur ad cælum.

Lucæ 24

gloriam

gloriam per delicias, & vitæ oblectamenta intrabimus? *Simus igitur* (vt Petrus admonet) *communicantes Christi passionibus, vt in reuelatione gloriæ eius gaudeamus,* 1. Petr. 4. Nec enim lapides viui ad cœleste ædificium coaptabuntur primario suo, & fundamentali lapidi Christo Iesu, nisi pariter cum illo passionibus contundantur, cædantur, & expolantur. Hinc Paulus contestatur: *Omnes, qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionẽ patiuntur.* 2. Timoth. 3. Ex quibus verbis egregie subinfert S. Greg. Ego (inquiens) fidenter dico, quia minùs piè viuis, si minùs persecutionem pertuleris. *lib. 6. Epist. 27.* Vbi virtus, ibi lucta, ibi tentatio: vbi te Christi addicis obsequio, ibi vitia, & vitiorum satellites, ac dæmonum cateruas aduersum te armas, concitas, lacessis. Neque enim (inquit ad eundem locum S. Chrys.) fas est hominem pergẽtem virtutis viam, à tristitia, pressuris, doloribus, tentationibus immunem esse. Non est possibile, vt vir, qui malis indixerit bellum, pressuris careat: non est ille profectus. Nemo itaque certans requiem quærat. Nefas est pugilem Dei vacare delicijs, non licet epulari luctantem. Qua ratione hic requiem speres, cum libidinibus indixeris bellum, atque aduersùs naturam pugnare perrexeris? hæc ille, *homil. 8. in 2. Timoth.* Hac incedunt via spinosa, arcta, & ardua viri iusti, vsque ad apicem sanctitatis, ad coronam patientiæ, qua demum perfruentes exultabunt, & concinent: *Transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Psal. 65. vbi S. Remigius egregium apponit commentarium. Similitudo (inquiens) ab olla, quæ si sit bene cocta igne, non dissoluitur aqua: ita & nos fuimus solidati in passione, vt blanditiæ non possent nos dissoluere. hæc ille. Agit quippe nobiscum Deus omnipotens figulum; de nihilo nos effinxit, sed ne vasa fictilia, tum ob innatam fragilitatem, tum ob aliquam ingruentis humoris iniuriam facilè dissoluantur, vt firmiter obdurescant, in ignem inijcit: quo decocta tantam induunt firmitatem, vt tutò possint aquis exundantia, regalibus mensis apponi. Dominus igitur sibi ad cœlestem mensam nos effingit; quia verò lutea sumus vasa, vt debitam duritiem, firmitatémque habeamus, in tribulationum ignes inijcit.

1. Petr. 4.
2. Timot. 3.
S. Gregor.
Vbi virtus, ibi persecutio.
D. Chrysost.
Iustorum via spinosa, & ardua
Psalm. 65.
S. Remig.
Passionibus solidamur.

8. At quinam sunt isti, quos Propheta intelligit, ignes? præmiserat hæc ipsa cum Domino agens: *Probasti nos Deus; igne nos examinasti, sicut examinatur argentum, induxisti nos in laqueum: posuisti tribulationes in dorso nostro, &c.* Sensus est (vti explicat idem Remigius:) In experimentum ô Domine duxisti, vt cor nostrum probaremus, quod nobis ante laborem incognitum erat: toleranda sunt flagella corripientis, vt non sit tandem sententia punientis. Probasti nos igne tribulationis, non vt absumeres, sed vt sordes auferres; non incinerasti, vt paleam, sed vt liberationes tuas experiremur. Posuisti tribulationes in dorso malè priùs erecto, id est, fecisti nos incudem tuam. Erecti eramus superbiendo, incuruasti nos vt humiliaremur. hæc S. Remig. Ad hoc scilicet à Deo tribulationes nobis ingeruntur, vt vel præterita scelera patiendo eluamus, vel ne vlla in futurum pressi & humiliati contrahamus; aut qui iusti sunt, atque innocentes patientiæ flammis decocti purius, ac nitidius argentum, aurúmve reddantur. Nihil tam cognatum virtuti, quàm tribulatio, nihil æquè proprium sanctis, & electis Dei, atque in hoc mundo affligi, & humiliari. Concinent omnes in cælesti patria: Transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Et quidem post Christum Dominum Mater illius Virgo

Psalm 65.
S Remig.
Prodest anima tribulatio à Deo.
Insigne electorum affligi & pati.
Psalm. 65.

A sanctissima, & innocentissima inter cœlestium choros primum exultabit, cantabitque Dauidicum carmen. Quippe quæ mortalium potissimè tota vita per aquam, & ignem transiuit: per aquam scilicet lacrymarum, & per ignem dolorum. Totam Virgo Mater in lacrymis transegit vitam. Ab ortu quippe suo (nunquam enim rationis compos, & mentis etiam ab ipso conceptu non fuit) lacrymis ex nimia charitate, zeloque vbertim manantibus Diuini Verbi promissam humano generi, expetitámque Prophetis incarnationem à tota Trinitate suppliciter, & efficaciter postulabat. Natum subinde filium, Deúmque suum, in angustia, pauperie, humilitatéque præsepis materno sanè gemitu, & lacrymis excepit; ab Herode ad B necem inquisitum, in exteras regiones fugientem, inter Iudæos discurrentem, vbique malè acceptum iniurijs, denique in passione, flagellis, cruce, mortéque non minùs contumelijs, quàm cruciatibus dilaceratum comitata prosecutáque est lacrymis, & eiulatibus. Potiùs illa quidem, quàm Hieremias, aut etiam Hierusalem potuit dicere: *Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas.* Thren. 1. Hebraica lectio egregiam habet emphasim. *Ghal élleh ani bochiah ghem gheni ioreddh maim.* עלאלה אני בוכיה עיני עיני ירדה מים. *Super hæc ego: flens oculus meus, oculus meus deducens,* seu *faciens descendere aquas.* Et quia eodem vocabulo apud Hebræos oculus, & fons significantur; perbellè reddi potest: *oculus meus, fons meus deducens* C *aquas.* Erant quidem oculi Deiparæ Virginis perennes lacrymarum fontes: quibus enim oculis Filium suum spectabat inter ærumnas vitæ, cruciatúsque, & opprobria passionis, aut mortis, sepulturæque extrema discrimina, iisdem maternus dolor, ac pietas non tam fluuios, quàm maria lacrymarum iugiter effundebat.

B. Maria vita tribulationibus plena.
B. Mariæ vbertas lacrymarum.
Thren. 1.

9. Quid verò etiam dicerem, si memorare nunc vellem totum illud tempus, longos illos annos, molestissimum illud exilium, quod beatissima Virgo traxit in terra, postquam intuita oculis est Filium suum, cum admirabili gloria in cælos triumphando abeuntem? Vtique Matris desiderio Filij perenniter sauciatæ non tam vita, quàm mors continua dicenda erit. Certè desiderij D ria mentem tam graui dolore discruciant, vt planè sit importunior, ac truculentior desiderantis, quam morientis conditio. Enimuerò mors ipsa etsi amantem à conspectu amati diuellat, in eóque grauissime affligat; at deinde omnem adimit sensum doloris. Verùm qui absentis, quem vnicè amat, desiderijs angitur, tormentum quidem mortis patitur; sentiendi autem facultatem non amittit: mors enecat amantem, vt non sentiat; desideria viuum retinent, vt perpetuò miser emoriatur. *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Luc. 24. Oportuit similiter Christi Domini Matrem Virginem pati, & sic intrare in gloriam Filij sui: nec enim quia Deum Filium peperit, i- E circo ab omni fuit iniuria, & tribulatione immunis; quin etiam ideo grauioribus afflictata est doloribus ac pressuris, quia Deum Filium peperit. Nurui quidem Heli parturienti in ipso iam momento mortis dixerunt, quæ stabant circa eam: *Ne timeas, quia filium peperisti.* 1. Reg. 4. Quo pacto etiam parturientes medijs in doloribus sese consolantur: nato quippe filio cessant dolores, & festiua gaudia consequuntur. Non ita cum Virgine Dei Matre actum est: peperit illa quidem sine vllo sensu doloris, vti nullum in conceptu voluptatis humanæ sensum habuerat; at vbi peperit, statim dolere, angique, & flere cœpit, & in futu-

B. Maria vita post ascensionem Filij.
Cruciant, & necant desideria.
Lucæ 24.
1. Reg. 5.
B. Maria tribulationibus exercita vita.

tum

rum quotidiè grauiora mala formidare ob Filium A
suum in terris natum:cui meritò dici posset:Time
B.Maria tribulationes cũ Filio suo. ô Virgo Mater, quia talem Filium peperisti. *Hic*
enim positus est in signum, cui contradicetur. Luc.2.
Lucæ 2. Quod si Deus homo, & Virgo Dei Mater per
viam tam arctam, arduam, spinosámque in cælum
incesserunt; quid mirum si moueamur omnes
Christi serui, quoniam *per multas tribulationes o-*
Actor.14. *portet nos intrare in regnum Dei?* Actor.14.

SECTIO XIII.

Videns Dominus quòd despiceret Liam, aperuit vuluam eius, sorore sterili permanente.

1. QValem se maritum exhibuerit Iacob erga
duas istas sorores, quas in coniugium sibi
copulauerat; & quam dispar vtriusque fuerit in-
genium, vxoriáque conditio, iam deinceps de-
monstrat clarius autor diuinus. Rachelem Iacob
in amore ac deliciis habuit potiorem, Liam eò
minùs diligebat, vt odio potius, quàm amore ma-
ritali prosequi videretur. Rachel prima fuerat in
votis, in sponsalibus, in coniugio, sed extrema in
toro nuptiali. Lia per fraudem intrusa venit pri-
ma in thalamum coniugalem. Rachel pulchra ex-
titit, sed tamen infœcunda: Lia oculis lippa, &
Richard. deformis, sed felix prole virûm. Igitur Richard.
de S. Victore per duas huiusmodi sorores eidem C
Sapientiæ, ac iustitia symbola. Iacobo copulatas intelligit studium sapientiæ, ac
desiderium iustitiæ, quæ duo vir sapiens, ac iustus
inæquali amore prosequitur, & dispari conatu in-
quirit, pertractátque; nec mirum videri debet.
Quid enim (inquit) sapientia dulcius possidetur,
ardentiùs diligitur? eius decor superat omnem
pulchritudinem, eius dulcor excedit omnem sua-
uitatem. hæc ille de Rachelis symbolo, *lib.2. de 12.*
Patriarchis. Delectat impensiùs mentem sapientia,
cuius desiderio humanus animus insito à natura
vehementer incenditur. Cæterùm verus sapiens
Rachelem à Lia, sapientiam à iustitia, rerum Di-
uinarum intelligentiam, prædicationémque ab
officioso virtutum studio, vitæque exemplo non
Hypocritarũ vanitas & dolus. dissociat. Quod quidem symbolicum duarum so- D
rorum coniugium longè videas ab hypocritis, &
pseudoprophetis. Hi enim de Rachelis pulchritu-
dine, amoréque sibi mendaciter blandiuntur, dum
illius coniunctionem & in se inaniter iactant, &
aliis ingerendam inculcant: at Liæ fœcunditatem
laboriosam nec habent, nec amant. Prædicant il-
S.Prosper. li (inquit S.Prosper) magna, nec faciunt: accusant
vitia, nec deponunt. Publicè sibi displicere simu-
lant, quod occultè committunt. Magni student
videri, non fieri. Laudant eos, quorum cupiunt
prædicatione laudari. Suorum actuum negligen-
tes, fiunt aliorum procaci libertate censores. hæc
ille, *lib.2. de vita contemplat. cap.4.* En qui falsò no-
Sapientia bonorũ operum fœcunda. men sapientium sibi arrogant, qui adeo abundare
suam penum iudicant, vt etiam aliis sapientiæ do- E
gmata, & sanctioris vitæ normas dispensare se
posse arbitrentur: cum tamen miseri fallacem
quandam, & inanem sapientiæ vmbram vendi-
tantes in omni virtutum genere infœcundi ha-
beantur. Nam vera sapientia ab studio pietatis
erga Deum, atque homines exhibendæ in bonis
S.August. operibus aliena esse non potest; iuxta illud S.Au-
gust. Vera hæc est sapientia in præsenti seculo: ve-
rus veri Dei cultus, vt sit eius in futuro seculo
certus, atque integer fructus. Hic constantissima
pietas, ibi sempiterna felicitas. hęc S.Aug. *Epist.52.*

A 2. Laboriosa quidem Lia est, & aspectu minùs *Virtutis studium laboriosum.*
iucunda, quam homines minùs diligunt, cum
asperiori virtutum exercitio defatigari pertime-
scant. Hinc quærendum est (adiungit egregie Ri- Richard.
chard.) cur omnes coniugia Liæ tantopere exhor-
reant, qui in amplexu Rachel tantùm suspirant.
Perfecta iustitia iubet inimicos diligere, parentes
& propria quæque relinquere, illata mala patien-
ter ferre, oblatam gloriam vbique declinare. Sed
ab huius mundi amatoribus quid stultius, quid
laboriosius esse reputatur? Hinc est quod ab eis
Lia & lippa creditur, & laboriosa reputatur. sic
ille. Vellent omnes dulcedine vitæ cælestis per-
frui; at via spinosa, & aspera virtutum incedere
pauci admodum contendunt. Cæterùm, velint,
B nolint non intratur in vitam æternam nisi per an- *Per opera itur ad præmia.*
gustam portam: nec cæli gaudia, nisi post lacry-
mas, ac sudores, in terra conceduntur. Fœcundos
sese priùs Lia laboriosa in partus diffundit, quàm
speciosæ Rachelis laborantem quieti excipiant
amplexus: per opera siquidem ad præmia, per cur-
sum ad brauium, per merita in terris sedulò, pié-
que collecta peruenitur ad palmam sempiternæ
beatitudinis. In eodem sensu historiam exponens
S.Gregor. Iacob (inquit) Rachel quidem concu- D.Gregor.
pierat, sed in nocte accipit Liam: quia videlicet
omnis qui ad Deum conuertitur, contemplati-
uam vitam desiderat, quietem æternæ patriæ ap-
petit. Sed priùs necesse est, vt in nocte vitæ præ-
sentis operetur bona, quæ potest, desudet in labo-
C re, id est, Liam accipiat, vt post ad videndum prin-
cipium in Rachel amplexibus requiescat. Lia
quippe interpretatur laboriosa, Rachel ouis, vel
visum principium. hæc ille, *homil.14. in Ezech.* Ac
percelebris quidem significatio istarum sub vnius
viri coniugio sororum illa est, quam iam attigi-
mus, vt per illas duplex vita, scilicet actiua, & con-
templatiua intelligatur. Post Liæ ergo amplexus
(scribit S. Gregor.) ad Rachelem Iacob peruc- D.Gregor.
nit; quia perfectus quisque antè actiuæ vitæ ad *Dispar studiũ vita agentis, & contemplantis.*
fœcunditatem iungitur, & post contemplatiuæ
ad requiem copulatur. Quia enim contemplatiua
vita, minor quidem tempore, sed merito maior
est, quàm actiua, sacri Euangelij verbis ostenditur.
in quo duæ mulieres diuersa egisse referuntur.
D Maria ad pedes Domini assidebat; Martha autem
corporalibus ministeriis insistebat. hæc ille, *lib.6.*
Moral.cap.18.

3. Sed quæ Liæ, Marthæque, id est, actiuæ vitæ
sint officia, idem subiicit in hunc modum: Actiua S.Gregor.
vita est panem esurienti tribuere, verbo sapientiæ *Studia vitæ actiua.*
nescientem docere, errantem corrigere, ad humi-
litatis viam superbientem proximum reuocare,
infirmantis curam gerere, quæ singulis quibusque
dispensare, & commissis nobis qualiter subsistere
valeant, prouidere. hæc S.Gregor. *homil.14. in*
Ezech. Vno verbo actiuæ studia declarantur, ope-
ra scilicet misericordiæ, quæ in proximos impen-
duntur; & Christianæ mortificationis, ad compri-
mendos malarum appetitionum incursus, & cor-
E poris afflictionibus contractorum scelerum ma-
culas piè, atque humiliter expiandas. Contempla-
tiua verò ita est (progreditur Pontifex) charitatem *Vita contemplãtis studia.*
quidem Dei & proximi tota mente retinere, sed S.Gregor.
ab exteriore actione quiescere, soli desiderio Crea-
toris inhærere, vt nil iam agere debeat, sed calca-
tis curis omnibus ad videndam faciem sui Crea-
toris animus inardescat: ita vt iam nouerit carnis
corruptibilis pondus cum mœrore portare, totisq;
desideriis appetere admisceri cælestibus ciuibus,
de æterna in cõspectu Dei incorruptione gaudere.
hæc ille, *homil. indicata.* Tota igitur contemplantis

vita in Diuinarum rerum intelligentia,& in familiaribus cum Deo colloquiis procul ab exteriorum, ac terrestrium curarum solicitudine occupatur. Vtramque simul vitam coniungere, vti Liam, & Rachelem Iacob, in coniugium sibi copulauit, licèt præclatum quidem sit, & à maximis quibusque Ecclesiæ viris summa cum laude vsurpatum; at pusillis, imperfectis, atque incipientibus in stadio perfectionis, sic arduum est, ac difficile, vt miseri neutram in se vitam perbellè adumbrasse videantur. Quod quidem Petr. Damian. in audaculis quibusdam e religionis quiete ad seculum proximorum (vt sibi blandiuntur) causa egredientibus, in hunc modum ostendit: Quibus deprehenditur propriæ opinionis sententiam in contrarium verti, iis nimirum contra consuetudinem & Rachel lippa, & Lia redditur infœcunda. Quia videlicet isti per publicum discurrentes, vt puta sinistræ opinioni apud populum habiti nequaquam possunt spirituales Deo filios gignere: & velut ebrij de seculo redeuntes intima nequeunt penetrare. sic ille, *Apolog de cont. secul. cap.* 24. Nec animus, nec virtus, nec mentis, consiliique facultas istis audacioribus inest, vt vtramque vitam exerceant iuxta cuiusque ingenium, seruata Rachelis pulchritudine, impensáque Liæ fœcunditate.

Difficilè actiua & contemplatiua simul iunguntur vita.

S. Petr. Dam.

Nocet audacibus studiū vita actiua.

Nocet religiosis per seculum discursus.

4. O quàm multi vix prima contemplationis adyta ingressi, iam perfectam animæ pulchritudinem sibi falsò arrogant, ac temere se conuertunt ad externa opera exhibenda proximis: cùm tamen, vt lippam, ac deformem gerunt animam, ita infœcundo studio, maloque vitæ exemplo paruculos admodum elucrentur, ac fortasse iam ad virtutem natos, antequam adolescant, fœtus obterant, ac trucident. Humiliter in operationibus Liæ sese exerceat iustus necesse est, ac deinde ad pulchritudinem Rachelis assurget, securus, quin mali exempli quadam quasi lippitudine alios, quibus cum agit, offendat. in tuto enim semper incedit, & nauigat humilis. Hic autem non statim ad Rachelis nuptias contemplando euehitur, nisi prius in Liæ operibus agendo & instando, vires, vitámque insumat. Quem ordinem in Martha & Maria; in Lia & Rachele; in actiua & contemplatiua vita seruandum pluribus in locis Diuinæ scripturæ præscribitur. Et apud Iob scriptum est: *Ingredieris in abundantia in sepulchrum.* Iob cap. 5. id est (exponit Rupert.) cum ditatus fueris actiuæ vitæ ritibus, tunc demum non defecturus quiescere poteris intra contemplationis latibulum. Hæc vita pe Liam fœcundam quidem, sed minùs videntem rectè figuratur: nam quasi lippis oculis minùs contemplatur spiritualia, dum solicita est, & turbatur erga plurima. hæc Rupert. *lib. 7. in Genes. cap.* 31. Iustus ergo priùs Liam laboriosam sed fœcundam tamen ducat: priùs satagendum circa frequens ministerium est Marthæ ad Domini obsequium: ac deinde cum Maria sedeat ad pedes Domini optimámque partem eligat, pendens ab ore Dei loquentis; & Rachelis decore, ac requiete perfruatur. Alioqui si quis Rachelem ante Liam concupiscat, & contemplatiuam priùs, quàm actiuam amplectatur vitam, male inuertet à Deo præscriptum ordinem, suóque tandem loco cedens neutram possidebit: quam in sententiam ita Rupertus progreditur: Igitur dum repente quis omissis gradibus, festinando ad arcem contemplationis Rachelem præripere contendit, bene nonnunquam cum illo agitur, si priùs Liæ teneatur nuptiis, videlicet protractus foras ad actiones laboriosas frequentis ministerij, qui si contra, quid mussitat, vel querulo gestu strideat, dicit ei sancta scriptura: *Non est in loco nostro consuetudinis, vt minores ante tradantur ad nuptias:* id est, non ita se habet ordo, vt ad contemplatiuam vitam, quæ minùs operando maior est, ante vsum, & exercitium actiuæ quisquam prosiliat. hæc ille. Non est quidem consuetudinis apud Deum in via perfectionis, vt hominem ad fastigium contemplationis euehat, quin eundem priùs in actionibus pietatis erga proximos, atque in sudoribus Christianæ mortificationis exerceat, & quodammodo dedolet, ac poliat. Quis enim artifex effigiem in rudi trunco delineet, quin illum priùs dedolando, poliendóque recipiendæ imagini aptum efficiat?

Malo exemplo imperfectus nocet.

Iob 5.

Rupertus.

Prius opera deinde contemplatio.

Rupertus.

Post actiuam itur ad contemplatiuam vitam.

5. Commendatur vbique in sacra scriptura Marthæ solicitudo, vitæq; actiuæ pia, & frequens occupatio: sed pulchrius tamen, atque dulcius est Mariæ silentium, sessio, quies, contemplatio, cum Deo familiaris sermocinatio; atque vt actionum onera leuiùs, ac faciliùs portare quis valeat, vires à Mariæ otio expetat necesse est. O felicem illam animam, quæ sese à curis seculi abducens, ad orationis asylum sæpius in die confugit! Et quænam alia quæso ciuitas refugij, quàm Deus ipse, ad quem se recipit oraturus: Egregiè Philo Hebræus hac de re ita scribit. Dabo tibi locum (dicitur) quò fugiat, qui nolens occidit. Valde rectè dictum mihi videtur: locum enim vocat, non eum, qui occupatur à corpore, sed obscurè ipsum Deum subindicat. Continet enim ille, non continetur, & est omnibus refugium. Fas est igitur eum qui nolens mutatur, mutari diuinitus; quod de sponte peccantibus dicere non licet. hæc ille, *lib. de profugis.* Iustum quidem perfectioni studentem in orationis secreto Deus amplectitur: eúmque deinde qui adhuc vitiosis affectionibus impugnatur, etiamsi aliquoties ex infirmitate cadat, dum sese negotiis, curatúmque turbis subtrahit; in orationis perfugio excipit: mali verò, & iniqui sponte sese vitiis, ac seculi vanitatibus ingurgitantes orationem abhorrent, ac detestantur. Denique monendū etiam atque etiam est, vt quisque bene, piéque operando insudet, atque in bello contra vitiorum, & prauarum affectionum insultus fortiter strenuéque dæprælietur: ac deinde ad contemplationis pacatissimum sinum se recipiat, ne hoc loco subsistens, tanquam otiosus, & piger à Martha insimuletur. In quam sententiam ita disserit idem Philo *lib. indicato:* Decet in actiua vita periculum facere eum, qui in contemplatiua exerceri vult. Sic enim licebit otij pigritiæque crimen effugere. Sic & Leuitis præcipitur, vt fungantur ministerio vsque annum, vel deinde iam immunes contemplentur singula bene actæ in cæremoniis vitæ, præmium accipientes aliam gaudentem sola consideratione rerum, ac scientia. hæc ille. Itaque Leuitarum, hoc est virorum, qui Deo dicati ad perfectionem assurgunt, illud est munus, vt externis actionibus occupati Deo inseruiant, ac deinde in eiusdem contemplatione tanquam præmio vitæ actiuæ conquiescant. Diuina siquidem contemplatio non nisi post humana obsequia pietatis conceditur. Nam, vt statim subiicit idem Philo, Et alioqui (inquiens) etiam necessitas postulat, vt qui se putant dignè affectare Diuina, in iure humano priùs consummati fuerint. Est enim magna stultitia credere se assecutum maiora, qui spe minorum frustratus sit. sic ille. Magna sanè temeritas, & vesana erit sine studio bonarum actionum velle ad sublimiorum mysteriorum contemplationem assurgere. Quàm stultus esset, qui cum nequeat integris, ac firmis per humum pedibus incedere, in altum

Commendatur studium orandi.

Deus ciuitas refugij orantibus.

Phil. Hebr.

Oratio perfugium.

Phil. Hebr.

Per ... nem ... d... ... templationem.

Phil. Hebr.

Temerè sine actione ad contemplationem ascenditur.

sibiuo

subuolare sine alis contendat. Concludit igitur optimè: Innotesce primùm per virtutes humanas, vt mox per diuinas fias commendatior. Hactenus Philo.

Phil Hebr.

6. Euoluimus, vtcunque licuit, mysterium huius polygamiæ, quæ sicut alibi iam monuimus, ex Diuina dispẽsatione fuit licita, vt vir vnus plures eodem in matrimonio haberet vxores; nunquam verò licuit vlli fœminæ, vti pluribus copularetur maritis. Nam pluralitas vxorum viro concedebatur ad multiplicationem prolis, non verò ad effusiorem libidinem voluptatis, vti S. August. animaduertit: Quibusdam (inquiens) etiam singulis plures habere vxores concessum est, vbi ratio fuit prolis multiplicandæ, non variandæ appetitio voluptatis. hæc ille, *lib. 1. de nupt. & concupis. cap. 8.* Nunquam enim Dominus puritatis amans, imò & ipsamet puritas, carnali hominum impuritati voluit indulgere, quam si vt licitam concessisset, vtique pluralitas maritorum etiam fœminis licuisset. quod ita S. August. sequenti capite statim euoluit: Nam si Deo (inquiens) illa numerositas coniugum propterea non displicuisset, vt copiosiùs se libido iactaret, ita etiam sanctæ fœminæ seruissent pluribus singulæ: quòd si aliqua faceret, quid eam, nisi concupiscentiæ turpitudo compelleret, vt plures viros haberet, quando ista licentia plures filios non haberet? hæc S. August. Optima quidem ratio concludit illicitam pluralitatem maritorum; si enim mulier vna pluribus subiiceretur maritis, non illud quidem cederet in multiplicationem prolis, sed in copiosiorem, ac turpiorem libidinem; quin potiùs inde generatio filiorum tolleretur; nam mixtio inuicem, & confusio diuersorum virilium seminum, in eadem muliebri vulua planè corrumpit virtutem seminis proliferam, vt animaduertere est in meretricibus, quæ pluribus promiscuè copulatæ, omnino videntur infœcundæ. Quocirca pluribus nubens viris, non id faceret propter generationem prolis, sed vt maiorem captaret voluptatem, aut turpi quæstu vitam aleret, essétque non coniux, sed meretrix. Quod quidem S. August. ita obseruat. Plures fœminæ vni viro nunquam licitè iungerentur, nisi ex hoc plures filij nascerentur. Vnde si vna concumbat cum pluribus, quia non est ei hinc multiplicatio prolis, sed frequentatio libidinis, coniux non potest esse, sed meretrix. hæc ille.

S. August.

Vni fœminæ pluribus copulari nunquam licuit.

S. August.

S August.

7. Ratio etiam alia ducitur egregiè ex ipsa dignitate viri, qui caput, principiúmque est mulieris: at sub vno capite plura constitui membra, ad vnum principium multa referri posse non dubium est: contra verò vni plura capita, & plura perfecta inesse principia omnino repugnat naturæ. Vir creatus est, vt regat, & imperet; mulier, vt obediat; & quidem vni plures obedire, nulli legi repugnat; at vnum pluribus, hoc perdifficile. Quocirca plures fœminæ possent facilè obedire vni marito; at vnam pluribus ad torum, ad voluptatem, ad mensam, ad obsequium, ad curam domesticam benè inseruire, non modò laboriosum foret, sed impossibile. Rectè igitur adiungit S. Aug. magis pertinere ad nuptiarum bonum non vnum, & multas, sed vnum, & vnam satis indicat ipsa prima diuinitus facta coniugum copula, vt inde connubia sumerent initium, vbi honestius attenderetur exemplum. Progrediente autem genere humano, iunctæ sunt quibusdam bonis viris bonæ fœminæ, singulis plures. Nam & principatus magis naturaliter vnius in multos, quàm in vnum potest esse multorum. *Caput enim mulieris vir. 1. Cor. 11. Et mulieres subditæ estote viris vestris. ad Ephes. 5.* ait Apostol. hæc S. August. Præterea matrimonium licitum, & honestum, vti sacramentum est, repræsentat coniunctionem admirabilem Christi, & Ecclesiæ, vt docet Apostolus *ad Ephes. 5.* atqui Ecclesiæ vnicus est Sponsus Christus, nec plures esse possunt. Plura in hanc sententiam inuenies apud Perer. *disput. 7.* ad hunc locum. Cæterùm illa fuerint opera noctis, in qua rerum futurarum figuræ, atque vmbræ apparebant. Nox autem iam præcessit, dies appropinquauit, iam Sol iustitiæ Christus Dominus in cœlo regnans suæ fidei, ac veritatis splendoribus totum orbem illustrauit: iam non opera carnis, sed spiritus commendantur: iam non fœcunditas prolis, sed abundantia meritorum etiam apud homines laudem habet, & à Deo promittitur: iam non pluribus vxoribus Patriarchæ, ac Principes nostræ fidei coniunguntur, sed castitate mentis, & corporis angelicam puritatem imitantur.

Nunquam licuit fœminæ multos habere maritos.

S. August.

1. Cor. 11.
ad Ephes. 5.
Gloria castitatis in lege Christi.

8. Abraham pater Hebrææ gentis, Iacob Israëlitarum autor plures ex Diuina dispensatione coniuges habuere: at principes Christianæ gentis, prima nostræ fidei lumina, & columina, sancti Apostoli continentiam ab exordio suæ vocationis illibatam seruarunt; cum & eorum, qui priùs fuerant coniugati, vbi Dominum secuti sunt, vxores, & curam omnem domesticam reliquerint. Scimus quidem Apostolorum principem S. Petrum cum à Domino vocaretur, in matrimonio fuisse, cuius pro Domino renunciati cum omnibus sola officia pietatis superfuerant. Scribitur enim: *Socrus Petri tenebatur magnis febribus.* Luc. 4. Quem locum subtiliter expendens Tertull. concludit: Petrum solum inuenio maritum per socrum: cæteros cùm maritos non inuenio, aut spadones intelligam necesse est, aut continentes. *lib. de monogam. cap. 8.* Viuebat quidem adhuc vxor Petri, sed socrus tantùm commemoratur; illa, quia non vti vxor cum marito agebat, velut mortua censebatur: huius autem fit mentio, vt pietas erga illam Petri ostenderetur. Itaque Petrus habebat socrum, cui inseruiret, & pietatis debita officia præstaret; non habebat vxorem, cuius toro, mensa, domóque vteretur. Nam quod adhuc viueret Petri vxor, cum ille Apostolicam vitam ageret: ita scribit Clemens Alex. Aiunt certè beatum Petrum cum videret vxorem suam duci ad mortem, lætatum quidem esse propter vocationem, & quod domum reuerteretur: valde autem exhortando, & consolando, proprio nomine eam compellantem dixisse: Heus tu memento Domini. Tale erat matrimonium beatorum, & vsque ad amicissima perfecta affectio. Ea ratione Apostolus quoque: Qui vxorem ducit, tanquam qui non ducat (inquit) volens matrimonium non moueri affectione, & nequaquam diuelli à charitate in Dominum, quam tenere ad Dominum peregrinanti vxori suasit, qui verè erat vir. hæc ille, *lib. 7. stromat.* Habebat igitur Petrus vxorem, & tamen (vt scribit S. Hieron.) cum reti eam, & nauicula dereliquit. *Epistol. 34. ad Iulianum.* Similiter scripserat de omnibus, *lib. 1. aduers. Iouin. cap. 14.* hisce verbis: Petrus, & cæteri Apostoli habuerunt vxores, sed quas eo tempore acceperant, quo Euangelium nesciebant; qui assumpti postea in Apostolatum, relinquunt officium coniugale. sic ille. Ac fuit quidem antiquis patribus concessa illa polygamia, sed minùs tamen laudabilis, quàm multorum etiam illis seculis monogamia, vti subnotauit Tertull. Isaac ex libera natus certè vnum matrimonium pertulit. Habes & Ioseph monogamum,

Apostolorum continentia.

Tertull.

Clem. Alex.
S. Petrus vxorem ad mortem adhortatur.

D. Hieron.

Apostoli renunciarunt vxores.

Tertull.

gamum, & hoc nomine, audeo dicere, patre me- A liorem. Habes Moysen Dei de proximo arbitrum. Habes Aaronem principalem sacerdotem. hæc ille, *lib. de monogam. cap. 6.* Optimè contra pluralitatem vxorum sub eodem simul viro disputans: licet vlteriùs secundas nuptias post mortem vnius coniugis impiè tamen damnarit.

9. Sed quicquid sit de priscis illis seculis: nostra in ætate aurea, quam Dei aduentus in carnem, de cœlo in terras attulit, aut continentia, quæ vel in virginibus, vel in viduis, vel in cœlibatu inuenitur; aut pudicitia coniugalis in viro vno, vnáque vxore apud Christianos obseruatur; vtriusque exempla in ipso statim exortu Euangelij sese obtulerunt, vt idem Tertull. eodem *lib. cap.* 7. & 8. ita subiudicat: Ecce statim quasi in limi- B ne duo nobis antistites Christianæ sanctitatis occurrunt monogamia, & continentia: alia pudica in Zacharia sacerdote, alia integra in Ioanne antecursore: alia placans Deum, alia prædicans Christum, præferens eum, qui non tantùm prædicauerit, aut demonstrauerit coram, verùm etiam baptizauerit Christum. hæc ille. Fuit enim Zacharias coniugatus, sed cum vna tantùm vxore Elizabeth; at amborum filius Ioannes præcursor Domini virginitatem angelicam seruauit. quis enim (adiungit Tertull.) corpus Domini dignius initiaret, quam eiusmodi caro, qualis & concepit illud, & peperit? sic ille. Sed væ nobis, qui corpus Domini quotidie tractamus, & sumimus, & sacerdotes Domini, tam longe distamus à puritate Ioannis, C qui Dominum baptizauit, & in infinitum ab integritate Virginis Matris, quæ Dominum concepit, ac peperit? Propria quidem Christi, & Christianæ Ecclesiæ virtus est virginitas, quam in vtroque sexu Christus Virgo, & Christi Mater semper Virgo dedicarunt. Vbi enim agnus Dei natus ex purissima, & candidissima oue in terris apparuit, innumerabilis sanè multitudo agnorum pene secuta est agnum. *Hi sunt* (inquit Ioannes) *qui cum mulieribus non sunt coinquinati.* Ac ne putaremus (occurrit S. Hier.) de his dici qui scorta non norunt, statim intulit: *Virgines enim permanserunt.* Ex quo ostendit omnes, qui virgines non permanserunt, ad comparationem purissimæ & angelicæ castitatis, & ipsius Domini nostri Iesu D esse pollutos. Hi sunt primitiæ Dei & agni, sine macula. Si virgines primitiæ Dei sunt; ergo viduæ, & in matrimonio continentes erunt post primitias. hæc S. Hier. *lib. 1. aduersus Iouinian.* O egregiam virginitatis laudem! Ad virgines enim comparati coniuges etiam sancti cum mulieribus coinquinari significantur. Pomorum ea solent gratiora, dulcioráque haberi, quæ primò proueniunt: ideò vt ostendat Dominus quàm sibi grata fit, ac dulcis supra omnes alias virtutes vna hominum ac fœminarum virginitas, primitias beatorum hominum Virgines esse dicit.

Castitatem Christus attulit.

Tertull.

Tertull.

Magna puritas exigitur in sacerdotibus

Zacharias ... in castitatem

Apocal. 14.

D. Hieron.

Virginitas Deo gratissima.

10. Quòd si quis quærat, cur Dominus tanto in pretio habeat virgines, ac reliquis iustorum, & cœlituum anteponat, rationem illam egregiam E petat à S. Hieronymo qui lib. iam indicato sic infit: Ideò plus amat virgines Christus, quia sponte tribuunt quod sibi non fuerat imperatum: maiorisque gratiæ est offerre quod non debeas, quàm reddere quod exigaris. sic ille. Quid mirum igitur si Christus plus diligat, pluris faciat, cumulatiùs locupletet, sublimiùs honoret, eleuetque virgines, cum non solùm Deo debitum reddant, sed etiam officiosa quadam, & liberali pietate tribuant, quod absque vlla culpa negare potuissent? Gratiùs enim acceptatur, quod sponte offertur A non debitum, quàm quod debitum tandem soluitur. Et quidem castitatem Dominus ab omnibus tanquam debitam exigit, ea tamen coniugalis esse potest, quam si quis seruet, extra omnem offensam, & calumniam erit. Cæterùm qui vltrà offert etiam virgineam integritatem, valdè (liceat dicere) Deum ipsum sibi obligatum reddit; quippe cum iam non modò fidelem se Domino præstet, sed etiam officiosum, perantiamémque seruum se exhibeat, qui vltra quàm debeat, in obsequium, & amorem Domini sui se totum impendat. Ob hanc etiam rationem satis Dominus fecisse videtur iis, qui mirari possent, quid esset cur tot ac tanta beneficia in vnum Dauidem contulisset. *Nunquid* (ait) *loquens loquutus sum ad vnam* B *de tribubus Israel dicens: Quare non ædificastis mihi domum cedrinam?* 2. Reg. 7. Hoc est, nulli ex duodecim tribubus præcepi, vt mihi templum ædificaret: multis quidem commisi regimen populi mei, sed nulli tamen dixi: *Cur mihi templum non ædificas?* Cum igitur Dauid non iussus, non rogatus, non inuitatus, sed sponte mihi tam pium, tam singulare præstet officium, nemo iam nunc miretur, cur tam gratum, tam charum, támque in deliciis habeam Dauidem. Hinc videas quàm sit Deo grata religiosorum vita, qui vltro se, suáque omnia, in Dei obsequium deuouerunt; non coacti enim, sed sola voluntate ducti non modò sese offerunt, dicántque Deo, sed etiam sponte sic obligant, ac deuinciunt, vt aliud nec velle, nec facere possint C licitè: quod quidem (autore S. Thoma) multò est præstantius, ac Deo gratius, quàm si libera, solutáque fieret voluntate. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 6. & *opuscul.* 17. *cap.* 12. Hanc eandem doctrinam in voto castitatis inculcatam à S. Aug. legimus, cuius illa sunt verba in *lib. de virgin.* Neque enim ipsa virginitas, quia virginitas est, sed quia Deo dicata est, honoratur; quæ licet in carne seruetur, spiritus tamen religione, ac deuotione seruatur: ac per hoc etiam virginitas corporis spiritualis est, quam vouet, & seruat continentia pietatis. sic ille. Idémque paulò inferiùs: Honoratiùs in animi bonis illa continentia numeranda est, qua integritas carnis ipsi Creatori animæ, & carnis vouetur, consecratur, seruatur. hæc ille, *lib. prædicto cap.* 8. Quæ D doctrina de continentia pariter in vota obedientiæ, paupertatísque conueniet.

Gratiora illa Deo officia voluntaria.

2. Reg. 7.

S. Thom.

D. August.

Nobilior castitas quæ vouetur.

11. Tales iam erant vel in ipso nascentis Ecclesiæ exortu consecratæ Deo mulieres, de quibus scribit Philo Hebræus cum Christianorum suo tempore mores, & instituta commemorat: hæc enim adiungit: Apud illos mulieres quoque reperiuntur, quarum pleræque grandæuæ virgines castitatem non necessitate, sicut quædam sacerdotes apud gentes, magis quàm sua sponte, propter zelum, ac studium sapientiæ custodiant: cuius commercium studiosè colentes, corporum voluptates aspernantur, cum immortales potiùs liberos, quos solus amans Dei animus ex se gignere potest, quàm mortales habere cupiant. hæc E ille, *lib. de suppl. virtut.* Huiusmodi erant, súntque hodie in Ecclesia Christiana mulieres, non coactæ castitatis, sicut apud Græcos quædam sacrificulæ, sed sponte continentes præ amore sapientiæ, cuius studio per totam vitam contempserunt voluptates corporis, nimirùm Diuinæ, non mortalis prolis cupidæ; quam (adiungit) solæ charæ Deo animæ ex seipsis pariunt, excipientes pro semine intelligibiles Patris radios, vt decreta sapientiæ contemplando percipere valeant. hæc ille, *lib. de vita contemplat. seu de suppl. virt.* Etiam homo philosophus, sed non Christianus, virgines

Phil. Hebr.

Mulierum castitas in primaua Ecclesia.

Castæ mulieres ob sapientiam.

Phil. Hebr.

Deo

Sine oratione conseruari virtus nequit. *Fœtus operũ bonorum à Virginibus.*

Deo sacras ad seruandam corporis,& animi puritatem Diuinis contemplationibus pasci, & confirmari arbitratur. Enimuero sine orationis subsidio nulla virtus,nedum castitas omnium difficillima, subsistere potest, & conseruari. Sacræ igitur virgines orationi iugiter, ardentérque insistant, vbi Diuinis inspirationibus illarum animæ fœcundatæ complures,& egregios meritorum bonorum operum, virtutum, cœlestiúmque donorum liberos concipient, atque enitentur. Non omittam

Phil.Hebr. *Felicitas religiosorum.*

referre quonam encomio Hebræus Philo religiosos illos commendauerit,appellans nimirum *Contemplatores*; & huic tantum studio, curandæque animæ per totam vitam deditos, cæli & mundi ciues, Patri Conditoríque rerum propter suam virtutem commendatissimos: qua conciliante adepti cœlestis Numinis amicitiam, præmium conuenientissimum, fortuna virtuti posthabita, euaserunt ad supremum felicitatis fastigium. hæc ille. O præclarum, ac felicem religiosorum hominum statum,qui totam vitam curandæ, mundandæ,ornandæ,locupletandæqoe animę impendunt; felices dum viuunt, feliciores cum moriuntur, felicissimi cum post mortem intrant in gaudium Domini sui, à quo sempiterna obedientiæ, paupertatis, castitatis, & vitæ in clarissimis actæ virtutibus præmia consequentur!

Religiosi gaudent Dei patrocinio.

12. Quidni amorem Dei, ac patrocinium sibi concilient religiosi viri, quibus cum Propheta licet, ac libet dicere: *Anima nostra sustinet Dominum, quoniam adiutor, & protector noster est: in eo latabitur cor nostrum,& in nomine sancto eius sperabimus?* Psal. 32. Bene colligit ex hoc loco S.Hier.

Psalm. 32. D.Hieron.

Scimus quòd nullus sperauit in Deum, & confusus abscessit. sic ille. Si ergo spes in Deo posita, nunquam fallitur,fallitque;quid si vltra spem mille alia pietatis obsequia, quibus se totum religiosus vir Deo mancipauit,commemorem,quæ sane certum, & euidens Dei patrocinium,& maximarum abundantiam gratiarum promerentur? Illud

Religiosi sunt in tutela B. Mariæ.

etiam ad cumulũ solatij, & vtilitatis accedit religiosis,vt sint in tutela sẽper Virginis Matris Dei, sub vmbra eius viuant,ad illius auram recreentur, eius prędiis muniantur, maternis eius fauoribus & oblectentur,& honorentur. Est enim salutifera

B.Maria salutifera. S.Leo.

Virgo, vt loquitur S.Leo *serm. 1 de Passione.* Hinc est quòd religiosis nihil tam frequens in ore, ac dulce est,quàm post sacrosanctum IESV nomen, MARIÆ quoque sanctum,& melle dulcius nomen. Sic grauissimum, & religiosissimum virum

Tho. à Kẽp. *Inuocãda nomina IESV. & Mariæ.*

Thomam a Kempis, & commendate aliis, & secum identidem repetere accepimus: IESVS, *&* MARIA *sint mecum semper in via.* Fauet beatissima Virgo religiosis,quos suæ puritatis cernit imitatores. Vouent illi castitatem: prima illa in toto humano genere virginitatem, non solà quidem voluntatis deliberatione, sed voto insuper nuncupato coluit, & seruauit. quod & omnibus certum habetur, & S.August. egregiis ita concludit sen-

S.August. *B.Maria vouit virginitatem.*

tentiis: Ipsa virginitas Mariæ ideo gratior, & acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam conseruaret ipse præripuit, sed priùs quàm conciperetur, iam Deo dicatam, de qua nasceretur, elegit. Hoc indicant verba, quæ sibi fœtum annuncianti Angelo Maria reddidit: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?*

Lucæ 1.

Luc. 1. Quod profectò non diceret, nisi Deo Virginem se ante vouisset. Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant,desponsata est viro iusto, non violenter ablaturo,sed potiùs cõtra violentos custodituro, quod illa iam vouerat.hæc S.August. *lib. de sancta Virg.cap.4.tom.6.* Prima Virginum ex

A voluntate, ac voto etiam emisso beatissima Maria, eadem simul virginum sola Mater, sola matrum Virgo extitit. Non est ergo (addit S.August. *cap. 5.*) cur Dei virgines contristentur,quòd etiam ipsæ virginitate seruata matres carnis esse non

S. August.

possunt.Illum enim solùm virginitas decenter parere posset, qui in sua natiuitate parem habere non posset. Veruntamen ille vnius sanctæ Virginis partus omnium sanctarum virginum est decus. hæc ille.Gaudeant igitur sacræ virgines,& verius & purius, & sanctius de sponso Dei Filio, quàm cæteræ mulieres, quæ non nisi amissa virginitate matres sunt,de filiorum carnalium fœcunditate

Partus Virginis decus Virginum.

gloriantur.Gloriosius est esse Virginem Dei Sponsam, quàm esse corruptam matrem homuncio-

Gloriosior virgo quàm mater. S.August.

B num mortalium. Nam quæ coniugali (occurrit idem Aug.) vita corporaliter pariunt, non Christum,sed Adam pariunt:& ideo currunt, vt sacramentis imbuti Christi membra fiant partus earum,quoniã quid pepererint,norunt.hæc ille.c.6.

SECTIO XIV.

Quæ conceptum genuit filium,vocauitq́; nomen eius Ruben,dicens:Vidit Dominus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus. Rursumq́; concepit & peperit filium,& ait: Quoniam audiuit me Dominus haberi contem-
C *ptui, dedit etiam istum mihi. vocauitq́; nomen eius Simeon*, &c. vsque ad finem.

Chronologia Iacobi.

1. IAm de liberis Iacob à Deo donatis instituitur narratio,qua verò ætate illius operæpretium erit subnotare.Igitur vt ex sacris literis optimi quique scriptores colligunt, Iacob venit in Mesopotamiam, ingressúsque est domum Laban auunculi ætatis suæ anno septuagesimo septimo. ibi post septem annos, quibus auunculo seruiuit, duxit Liam;ac deinde post septem dies Rachelem, cum iam ageret octogesimum quartum.Inde quatuor annis sequentibus à nuptiis quatuor suscepit ex Lia filios, Ruben, Simeon,Leui, Iudam, hunc scilicet postremum genuit octogesimum octauum

Continentia Iacobi.

D annum agens. Et quidem insigne castitatis exemplum in Iacob elucet, qui vsque ad octogesimum quartum annum in cælibatu, & fortè in virginitate purus, & sanctus extitit, eóqoe primùm anno coniugium contraxit. Sed ô tempora, ô mores! Vix nunc infantiæ pannos, & crepondia dimittunt pueri, cum statim in lasciuiam effusi mirum in modum anhelant in cæno carnis peruolutari. Sic fit, vt à prima lanugine assuetus quis volutabro libidinum ad canos vsque in eodem iaceat stercore. De Ephraim vtique peccatoris & libidinosi typo dicit Oseas: *Et cani effusi sunt in eo, & ipse ignorauit.* c.7. hoc est,vsque ad extremam senectutem perseuerauit in incepto errore, tantæque vecordiæ fuit, vt deuoratum se esse nesciret. Sic

Ardor libidinis à pueritia. Oseæ 7.

E exponit S Hieron. Veternoso homini, & cum videtur quodam quasi lethargo consopitus, ingens consueuimus aquæ vas in faciem infundere, quo tandem miser excitetur: hoc etiam pacto natura ipsa libidinoso immittit caniciem, vt plurimùm immaturam, atque intempestiuam, videlicet, vt pudore suffusus lutum suum, ac sordes dispiciat, demúmque à somno peccati excitatus,in melioris vitæ puritatem resipiscat. Ah pudeat in carnis cæno plumescere, coruúmque deinde putrida,& putida carne vesci; nec tandem albescenti capite cycnum, & iam cum morte & Charonte luctan-

D.Hieron. *Cani in libidinoso.*

Libido cum cæcitate ac furore.

tem à cæno, & cadauerum sanie abstinere. *Et ignorauit*: adiecit Propheta; quia vitium carnis præcipuè comitatur ignorantia, & dementia; vti scilicet pecudes cæco feruntur impetu ad explendam libidinem Veneris mancipia.

Daniel. 7.

2. Cornutam bestiam vidit Daniel: *Et ecce oculi* (inquit) *quasi oculi hominis erant in cornu, & os loquens ingentia*. Dan. 7. O monstrum, ô prodigium! In cornu vno & oculi erant, & os. Idem in bestia erat & os & cornu; & loqui, & irruere; oculi in cornu! Quid si irruens oculos ipso impetu in molē impingat, & infringat? Ruant miseri in peccatum, libidinem expleant; hoc vnum auent, & amant, licet oculos, faciem, pudorem, iudiciúmque mentis amittant. Os, dentésque infringant, nec sibi ad vitam alēdam de pecunia, de re familiari quicquam relinquant; bonis (inquiunt) auibus pereant cuncta, modò carnis concupiscentia expleatur. Cur non sibi timeant ab extremo, ac sempiterno gehennæ supplicio, quod post hanc vitam manet libidinosos? Ludunt quidem, & lasciuiunt in pelago suarum voluptatum vti pisces, vel in maris salo, vel in fluento riuuli enatantes. At *signum* (inquit Ezechiel) *est domui Israel*. cap. 4. Prope orā riuuli, aut littus maris, quà pisces lusitant, signum erexit Diuina iustitia, vt minaci spectro lasciuientium compesceret intemperantiam. Sed quod tandem istud est supplicium? *Sume tibi* (dicitur Prophetæ) *sartaginem ferream, &c.* forte (explicat S. Hieron.) Dei supplicium designat. En ad conspectum vestrorum lusuum, ac deliciarum (ô miseri pisces) ferrea sartago gehennalibus flammis inardescens ebullit; in hanc è mari, riuulóve huius seculi transmigrabitis: flamma post aquas sempiterni cruciatus, post fugaces delicias, momentaneásque voluptates excipiet amatores mundi. Atque vt videas vnde cursus iste in libidinum stercore ortum habuit; Propheta Oseas præmiserat: *Calumniam patiens est Ephraim: fractus iudicio, quoniam cœpit abire post sordes*. cap. 5. quasi dicat, Nullus miretur cum videat istos infamia vitæ, morúmque apud homines laborare, sinistrúmque in Diuino iudicio inter hædos ad macellum inferni destinatos locum habere, imò, & suo naturali iudicio, cum tam effuse per carnis lutum grassantur, priuari commutatos planè in pecudes, atque stipites: primo siquidem ineuntis vitæ ingressu sordes, & stercora voluptatum amplexi sunt. O breuem, & absurdam carnis voluptatem! Vti appellat S. Chrysost. *homil. 20. in Genes.* Chald. *Cœpit abire post vana*; scilicet *Idola*. Quid autem inanius voluptatibus seculi, quibus mortales velut idolis mutæ pecudes mactantur, & incenduntur? Optimè de his adiicit Dominus: *Et ego quasi tinea Ephraim*. Enimuerò cum voluptate pariter libidinosa vermis enascitur, qui paulatim corporis sanitatem exedit, famam, & honorem, rémque omnem familiarem consumit, omniáque bona gratiæ, & naturæ depopulatur: denique totam hominis supellectilem, ornamentúmque putrefacit, & ipsum vitæ, animæque truncum in fauillas, cinerésque redactum & sepulchro & gehennæ tradit sempiternæ.

Grauè ac certū supplicium in luxuriosos.

Ezech. 4.

D. Hieron.

Oseas 5.

Libidinosi in pecudes & stipites conuersi.

Absurda breuisque voluptas.

Damna & mala libidinis.

3. Videtur aliquandiu sterilis apparuisse Lia, ideoque cum ob alia pleraque haberetur exosa marito, vel ob ipsam insuper infœcunditatem magis inuisa fuit, alioqui non apponeret sacra scriptura: *Videns Dominus quod despiceret Liam, aperuit vuluam eius, sorore sterili permanente*: in quo planè ostenditur Diuino beneficio sterilitas, quæ à natura obuenerat, fuisse adempta, vt per fœcunditatem prolis acceptior mulier viro suo redderetur: maximè verò additur; *sorore sterili permanente*: vt indicet Diuinus autor vtramque sororem suapte natura infœcundam extitisse. Cæterùm Diuino miraculo Liæ sterilitatem non diu permansisse; imò illa diuinitus fœcundata Rachelis adhuc infœcunditatem perdurasse. Quòd autem Lia quoque ita suopte ingenio aliquandiu perstiterit, non obscurè subindicat Theodoret. cum ostendit omnes Patriarcharum Abrahæ, Isaac, & Iacob, primarias vxores initio steriles à natura fuisse, ac subinde Diuina gratia fœcundatas. Sic enim quæstionem proponit: Quamobrem vxores Patriarcharū erant steriles? Nam Sara sterilis erat, & Rebecca: similiter & Rachel, & Lia. *Videns* enim (inquit) *Dominus, quòd despiceretur Lia, aperuit vuluam eius*. sic ille, *quæst. 74. in Gen.* Vbi vides inter steriles numerari etiam Liam. Dissoluit verò quæstionem hoc pacto, egregiam assignans istiusmodi sterilitatis rationem: Volens (inquit) Deus componere genus Israeliticum, ostendit illud non naturali successione, sed gratia, & fauore multiplicandum. Hanc autem prouidentiam adeptum est genus illud, quia Christus Dominus Vnigenitus Dei Filius inde secundùm carnem nasci debebat. hæc Theodor. Itaque steriles primò hæ fœminæ, ac deinde beneficio Dei fœcundæ extiterunt, vt moneremur genus, vnde Christus Dominus erat nasciturus, non tam concubitu, quàm Diuino munere à Deo conseruatum, propagatúmque fuisse.

Lia sterilis aliquando.

Theod.

Patriarcharum vxores diuinitus fœcundæ.

Hebræum genus diuinitus propagatum.

4. Hoc vel maximè Diuina prouidentia instituit in beatissima semper Virgine Dei Matre, quæ iuxta S. Ioannem Damascenum, & Ecclesiæ iam confirmatam opinionem de parētibus longo tempore infœcundis proles vnica nata est. Quinetiam (vt alibi ex Galat. & S. Brigit. adnotauimus) citra vllum sensum libidinis in concubitu parentum purissima, & beatissima Virgo concepta est, vt omnimodam puritatem haberet in sui conceptione Virgo futura Dei Mater Diuino priuilegio citra virginalem conceptionem, quam de ipsius vtero solus Dei Filius debuit habere. Decebat autem ita fieri ad maiorem Regis Messiæ gloriam, & Matris eiusdem laudem, & integritatem, vt clariùs, ac pleniùs de ipsa intelligatur propheticum illud: *Solium gloriæ altitudinis à principio locus sanctificationis nostræ, expectatio Israel Deus*. Hier. 17. Quem locum eruditè, veréque de Virgine Deipara interpretatur Galatinus ad hunc modum: Est Mater Messiæ solium Dei, *à principio*, vt ostendatur eam absque initiali peccato conceptam fuisse. sic ille, *lib. 7. cap. 18.* Nec minus commodè iuxta literam (*à principio*) ea puritas Virginis Deiparæ ex sancto citra vllam libidinem parentum commercio in primis satæ, conceptæque potest intelligi: vt videlicet nihil in ea minùs decorum, ac cœleste inueniretur, quæ omni ex parte impolluta, & perfecta pulcherrimo elogio solium gloriæ Dei nuncupatur. Elogij rationem ita Galatin. idem euoluit: In ea Deus ostendit gloriam suam, & claritatem, quæ est Messias totius mundi gloria, & lux, & vera expectatio Israel Messias ipse. Vnde Rabbenus Accados magister noster sanctus in *lib. reuel. arcan. ad 3. petit.* dicit Matrem Messiæ futuram sedem Dei, quam Deus construxit, vt in ea sederet Rex Messias, ad ostendendam maiestatis suæ gloriam cunctis mortalibus. hæc ille.

B. Maria concepta purissimè.

B. Maria solium gloriæ Dei.

Hierem. 7.

Galatin.

Galatin.

In B. Maria Deus maiestatem suam ostendit.

5. Misertus Liæ Dominus *aperuit vuluam eius*: hoc est, fœcundam reddidit, vt nimirum mulier, quæ viro suo ob faciem displicebat, ob fœcunditatem, quæ vtilior multò est, admodum placeret. Igitur primo partu Lia enixa est filium, quem appellauit Hebr. ראובן *Reuben*, hoc est, *videte filium*, scilicet,

A ſcilicet, quem Dominus mei miſertus mihi donauit. Videte filium, quem Lia, non Rachel peperit, qui non à pulchra, & concupita, ſed à deformi deſpectáque natus eſt: videte filium; ſuam nunc ſibi habeat pulchritudinem Rachel, de ſua ſibi facie, oculiſque blandiatur: at pro cunctis filium ego lippa & inuenuſta præfero. Videte filium cum magna emphaſi; quaſi diceret (explicat Procop.) videte filium chariſſimi, quem quæ amatur non præbet amanti, vtpote ſterilis exiſtens. hæc ille. Quid quæſo mulier pulchrius, & acceptius oſtentet, quàm filium? quorſum enim mulieris pulchritudo æſtimatur, niſi vt per illam viro placeat, amatáque fœcundetur, & ſuſcepta prole faciat illum parentem? Qui viderit ſororem, & venuſtam admirabitur; videat ſubinde filium, quem Lia peperit, quo quidem nullum pulchrius, ac pretioſius in coniugio eſſe poteſt ornamentum.

Procopius.

Nihil pretioſius inter res creatas filijs.

B Nec immeritò Lia ſibi de filio tam impensè gloriatur: quid enim res inter creatas ſub cælo aut formoſius, aut honoratius partu humano eſt? Iccirco Gracchorum mater Cornelia, cùm ei nobilis Matrona familiariter agens monilia, inaures, annulos, aliáque huiuſmodi muliebris mundi ornamenta oſtenderet, filios ipſos commonſtrans reſpondiſſe fertur: Et hæc ornamenta mea ſunt. Ac fortaſſe hunc eundem ſenſum Spiritus ſanctus voluit indicari, cum de Virgine dixit: *Collum tuum ſicut monilia.* Cant. 1. Nam quæ aut eſſe, aut fingi poſſunt pretioſiora, & pulchriora ad collum Virginis ornamenta, quàm ipſemet Deus humo infantilibus brachiis Matris ſuæ dulciſſimæ collum amplexando innectens? *Videte* (ait Lia) *filium quem Dominus mihi largitus eſt, eo quod reſpexit humilitatem meam*, humilem, ſcilicet vilem, & contemptam à marito propter deformitatem oris, me oculis ſuæ miſericordiæ contuitus gratam iam nunc, & amabilem ob filij partum viro meo reddidit.

Filij ornamēta parentum.

Cantic. 1.

B. Maria cū Filio ad collum innexo.

C Partus enim vxoris valde illam ſuo marito gratam, & charam efficit: quorſum enim ambo conueniunt, niſi vt vnum fiant in carne vna, hoc eſt, vt ex illis ita coniunctis vnum quid producatur, nimirum filius, in quo ipſi parentes, non quidem duo coniuncti, ſed vnum quid eſſe videantur? Ex quo amplius ſequitur, vt propter coniugatorum in vnam filij carnem coniunctionem arctius, & potentius multò ſit amoris vinculum ex coniugio, quàm ex ſanguinis propinquitate, iuxta illud Domini: *Propter quod relinquet homo patrem ſuum, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* Matth. 19.

Filij parentes arctius in amore connectunt.

Matth. 19.

D 6. Ac primum quidem operæpretium erit ſubnotare cum S. Hier. pluralitatem vxorum (remota Dei diſpenſatione, quæ priſcis patribus dabatur) à Domino condemnari, cum dixit: *Adhærebit vxori ſuæ*, nō autem vxoribus. Non autem præmiſerat: Deus maſculum, & fœminam fecit eos, non autem maſculum, & fœminas: vt vnius (inquit S. Hieron.) coniugis conſortia necterentur. ſic ille. Quam grande igitur adulter piaculum admittit, qui carnem ſuam diuidit, & meretrici tradit polluendam, & conſumendam? Erunt coniuges in carnem vnam. Eſt videlicet (exponit S. Hieron.) præmium nuptiarum è duobus vnam carnem fieri. ſic ille. Vtique proles coniugij fructus intelligitur, quo maximè inter ſe coniuges ad amorem connectuntur. Quare optimè ſic adnotauit S. Chryſ. Fratres licet ex vno naſcantur, tamen ideo naſcuntur, vt diuerſas vias petant; vir autem, & vxor, licet ex diuerſis naſcantur, tamen ideò naſcuntur, vt in vnum conueniant. hæc ille, *homil. 32. in 29. Matth.* Copulatis ergo coniugibus non modò carne, ſed affectu etiam, atque amore filij naſcuntur vtique amoris coniugalis fructus.

D. Hieron.

Pluralitas vxorū extra Dei diſpenſationem illicita.

D Hieron.

Grauitas adulterij.

D. Hieron.

Vinculum cōiugale.

D. Chryſoſt.

Filius amoris coniugalis fructus.

S. Chryſoſt.

Quocirca pulcherrimè adiungit S. Chryſ. Quod eſt (inquiens) in herbis, aut in arboribus humor, hoc eſt in hominibus amor; ſicut herbæ ex humore naſcuntur, & creſcunt, ſic homines per amorem incipiunt, & augentur ita Chryſoſt. Ex qua ſimilitudine colligit egregiè multò acriorem eſſe beneuolentiam, & affectum parentum in filius, quàm iſtorum erga illos. Humor quidem (ait) de radicibus aſcendit in herbam; de herba autem non reuertitur ad radices, ſed ſurſùm tranſmittitur in ſemen: ſic & charitas de parentibus aſcendit in filios; de filiis autem non reuertitur ad parentes. Ideo parentes quidem filius diligunt, ſed non ſic diliguntur à filiis: quia ſicut herba non deorsùm, ſed ſurſum ad ſemen tranſmittit humorem; ſic & homo non ad parentes, ſed ad procreandos filios tranſmittit affectum. hæc omnia S. Chryſ. Vehementiſſimus quidem amor eſt parentum erga filios, quo etiam maximè aduniri ſolent iidem inter ſe coniuges, velut vno clauo, aut glutine duorum corda, & animi admirandum in modum colligati. Vtinam & ipſi filij aliqua ſaltem ratione debitam reuerentiam, obſequium, honorem, & amorem parentibus redderent! Subtiliter, ac piè (vt ſolet) Richard. de S. Vict. *lib. de 12. Patriar.* In Iacob virum iuſtum, in filiis pios animi affectus, & virtutes intelligit. Ac de primo quidem Ruben ita ſymbolum explicat. Timor, qui & initium ſapientiæ, prima virtutum eſt proles: qui talem filium habere deſiderat, mala quæ fecit non ſolum diligenter, ſed & frequenter attendat. Ex tali conſideratione amor naſcitur, ſcilicet filius ille, qui iure Ruben, id eſt, filius viſionis vocatur. hæc ille. Felix pater, qui talem primogenitum ſuo ex animo protulit, quo & humilitatem ſui, & amorem Dei conſequitur! Quod quidem in Liæ Matris de prole geſtientis gaudio ſic idem Richard. perſcrutatur: Quare eo nato rectè mater eius exclamat: *Vidit Deus humilitatem meam*, eo quod tunc veraciter incipiat videre, & videri; videre Deum per intuitum formidinis, videri à Deo per conſpectum pietatis. hæc ille.

Maior parentum in filios amor, quàm horum in illos.

D. Chryſoſt.

Richard. de S. Vict.

Viri iuſti affectus pij in Iacob & filijs ſignificati.

Richard.

7. Mira ſanè Dei conditoris, & rectoris eſt in tractandis, ac moderandis mortalium rebus prouidentia. Sic enim dona ſua illis diſtribuit, vt neminem quidem excipiat, atque excludat. Quotus enim quiſque eſt, in quo (præter ea, quæ omnibus ſunt communia) ſpeciale donum Dei, & naturæ munus non inueniatur? Scitum enim, & certum illud eſt S. Aug. quod alibi iam retulimus: ſola bona alicubi eſſe poſſunt, ſola mala nuſquam, &c. Vnde amplius colliges neminem ſic eſſe Dei, naturæque donis deſtitutum, vt meritò queri poſſit: neminémque ſubinde in alterum iuſto ferri odio: etſi enim multa in iſto mala deprehendat, propter quæ hominem inuiſum & infenſum habeat, proculdubio tamen aliqua ſaltem bona in eodem, ſi volet, inſpiciet, quæ amorem, & beneuolentiam promereantur. Cæterùm licet nullum à ſuæ magnificentiæ gratiis, ac donis Conditor excludat, ſed vnicuique aliqua dona concedat, nullus tamen eſt, cui omnia conceſſerit. Sunt enim & gratiarum, & donorum diuiſiones, vti hoc loco videre eſt in Rachele pulchritudinem, ſed non fœcunditatem; in Lia verò fœcunditatem, ſed non pulchritudinem. Sunt itaque (ait Apoſtolus) diuiſiones gratiarum, &c. quod ſubinde oſtendit, atque adeo colligit: *Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus, diuidens ſingulis*

Nemo ſine donis Dei.

Homo non odio, ſed amore dignus.

Bona Dei non omnibus omnia donātur.

1 Corint. 12. Theod.

prout vult. 1. Corinth. 12. Quocirca bene concludit ad hunc locum Theod. Fieri non poteſt, vt omnes eadem habeant, & quòd ſui non indigeant inuicem. ſic ille. Diuino igitur conſilio ſtatutum eſt, vt nemo ſit ab omni parte beatus, ſed ſi aliquot bona habeat, multis etiam careat. Et quidem hominis ſaluti à Deo ſic prouiſum, ne inflaretur in ſuperbiam, ſi nullius indigeret; nam ſi modo cum ſis pauper, & abiectus, adeo temere, impudentérque ſuperbis, eo quòd alicuius boni vel auram, vel vmbram in te agnoſcis; quid obſecro faceres vilis homuncio, ſi plurium donorum præſidio abundares? quòd ſi cunctis abundans nullius adiumento egeres, quàm tibi arrogans, quamque aliorum contemptor eſſes? Ideò (inquit ad hunc locum S. Hier.) inuicem indigemus, vt magis, ac magis charitas confirmetur. Nam ſi vnus omnia haberet, aduerſus cæteros inflaretur. hæc ille. Quia ſcilicet aliis, vel ad corpus, vel ad animam egemus, eorundem præſidium quærimus, & imploramus; amórque mutuus, vel ex ipſa noſtrum mutua neceſſitate pariter, atque vtilitate mirum in modum coaleſcit.

Multis ſinguli ad humilitatem egemus.

S. Hieron.

Ex mutua inuicem indigentia mutuus inuicem amor.

A B (section letters in the inner margin)

8. Quod etiam Diuina prouidentia in regionibus terrarum ad gentium commercia conſtituenda inſtituit: nec enim terræ (vti Maro cecinit) ferre omnes omnia poſſunt. Sic ex India noſtri homines tapetia, cinnamomum, piper, cariophylum, tenuia byſſina, pyropos, lapides bazares, nucem, & macem, vellera ſerica: ex Braſilia, ſaccharum: ex Monomotapa, aliiſque Guineæ regionibus, aurum, argentúmque in noſtram Europam aſportant; hinc verò illùc multa deuehunt quæ apud nos vti communiora, ſic viliora, eis tamen gentibus & peregrina, & pretioſa æſtimantur: alioqui non eſſet cur Luſitani homines relicto ſolo, cælóque patrio in gentes, ac regiones immenſo ſpatio diſſitas per maria, per freta, per mortis quotidiana diſcrimina, Orientis mercimonia petituri ſe conferrent. Quam noſtrorum hominum audaciamne dicam, an cupiditatem? ſi poëta damnandam muſis, lyræque ſuſciperet, acriùs multo inueheretur, grauiúſque doleret, quàm olim inuectus, mœréuſque doluit Virgilium ab Italia per mare Adriaticum nauigare Athenas, vbi præter alia ſic lamentatur.

Luſitanorum audax nauigatio.

C D

Nequicquam Deus abſcidit
Prudens Oceano diſſociabili
Terras: ſi tamen impia
Non tangenda rates tranſiliunt vada.
Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas:
Nil mortalibus arduum eſt.

Horat. lib. 1. D. Chryſoſt.

Horat. *Carm. lib.* 1. Denique ad locum Apoſtoli adnotauit optimè S. Chryſ. *homil.* 29. *in* 1. *Corinth.* neminem ægrè laturum, ſi minora quàm alius acceperit dona, cum illa deſcendant à Patre luminum, qui vnicuique ad maiorem ſui gloriam, & hominis commoditatem ſua bona, gratiáſque diſtribuit. Sic igitur orditur S. Chryſ. Ne ergo angamur, neque doleamus, dicentes: Cur hoc accepi, & illud non accepi? neque ad reddendam rationem vocemus Deum. Nam ſi ſcis quòd id largitus ſit ob curam, quam tui gerit, cum cogitaris, quòd ob eandem curam menſuram quoque dederit, ſis contentus, & lætare ob ea, quæ accepiſti; nec ægrè feras quod alia non acceperis, ſed etiam habe gratiam, quod non acceperis maiora, quàm quæ vires tuæ ferre poſſent. hæc S. Chryſ.

Non inuidendum in alio Dei donum.

E

Gratia Deo habenda pro donis.

9. Et ſanè quàm optima doctrina iſthæc eſt, quam ſi quis obſeruet, nec dolebit, quòd minus habeat; nec aliis, quod maiora habeant, inuidebit: imò ſua ſorte contentus immortales Deo gratias aget, quòd & minora illa, ſed tamen ſuæ ſaluti accommodatiora acceperit. Nec enim minùs Deo gratus eſſe debes, quod ab illius beneficentia aliquot dona acceperis, quàm quòd ab ipſius prouidentia hæc vel minora, vel pauciora, vtique ad tui menſuram accommodata, & iſta quidem, non autem alia tibi non profutura ſuſceperis: quamobrem adoranda eſt ſumma veneratione Dei conditoris, & rectoris prouidentia, quæ mortalibus ſua dona mirabili quadam ratione diſtribuit, vt etiam qui aliis aut inferiores, aut deteriores iudicantur, aliquid habeant, quo alios, qui ſuperiores & meliores habentur, antecellant. Vincit omnes maieſtate ſua Princeps: at multis tamen Dei, naturæque donis caret, quibus etiam vulgares homines mirabiliter excellunt. Alius quidem illo formoſior, alius fortior, alius robuſtior, alius eloquentior, alius prudentior paſſim videtur, &c. Hoc ipſum eſt in fœminis frequentiſſimum, quæ nimirum facie minùs pulchræ ſunt, vt plurimum robuſtiores, vegetiores, prudentiores, & (quod potius eſt) honeſtioribus, & ſanctioribus adornatæ moribus inueniũtur. Quod quidem in Sponſa illa celebrant Cantica; cuius externa ſpecies minus commendatur; vtique ſubfuſca, ſolibus, ac pruinis peruſta; cortici mali punici, & pellibus aulæorum perſimilis; foris quidem informior, at internam condens animæ pulchritudinem, quam vel ipſi Angeli ſuſpiciant, ac demirentur. *Omnis enim gloria filiæ Regis ab intus.* Pſal 44. Quæ ſunt autem (quærit ibidem S. Aug.) interiora pulchritudinis? Conſcientia: ibi videt Chriſtus, ibi amat Chriſtus, ibi coronat Chriſtus. hæc ille. Nimirum in conſcientia, quæ interna eſt, ſolique Deo patet, atque innoteſcit, merita & virtutes conduntur, quibus nihil pulchrius, ac pretioſius. Senſus igitur Prophetæ iuxta Genebrardum eſt: Etiamſi externis veſtimentis ſit pulcherrima, interiùs tamen eſt multò pulchrior, adeò vt tota eius gloria interna eſſe, nihilque nitor externus ad internum addere videatur. Virtutes animi multo excedunt corporeas: itaque ſi cernerentur, mirabiliores excitarent ſui amores. hæc Genebr. Quocirca benè ad hunc locum illa ſententia D. Greg. Nazianz. recurrit. Curandum non vt videaris, verùm vt ſis optimus. *Carm.* 8. *de virt. humana.* Sic etiam ſe gerit Eccleſia, quam hoc loco plerique intelligunt cum S. Aug. Eſt enim (inquit ille) in nomine Chriſtiano intrinſecus beatitudo noſtra, ſicut de anima Eccleſiaſtica ore prophetico dicitur: (ſcilicet hoc loco) nam intrinſecus maledicta, perſecutiones, & detractiones promittuntur, de quibus tamen magna merces eſt in cælis. hæc S. Aug.

Mira Dei prouidentia in diuiſione donorum.

Alij alios ſuperamus donis Dei.

Exterior infirmitas cum interno decore.

Pſalm. 44. S. Auguſt.

Genebr.

S. Greg. Naz.

Cura vt ſis, non vt appareas optimus.

S. Auguſt.

Perſecutiones Eccleſiæ, ac promiſſiones.

10. *Rurſum concepit, &c.*] Tres ſubinde filios continentibus edidit partubus illa, quam lippitudo deformem, minúſque marito gratam fecerat, ſed fœcunditas valde charam, acceptabilémque reddidit. Quod Dei beneficium pia mulier grato animo, vocéque prædicat, dum ſingulis ſingula imponit nomina, quæ prolata, auditáque, & matrem, & prolem in recordationem dati à Deo beneficij adducerent, atque ad habendas benefactori gratias concitarent. Enimuero *Simeon* à voce Hebræa *xamag* שמע, *audire*, vnde filius iſte dicitur *auditio*, ſiue *obediens*, intellige obiectiuè: quia videlicet contemptam Liam ob deformitatem à viro, & ſorore, atque iccirco ſæpius illacrymantem (quæ natura mulierum eſt) & liberos à Deo rerum omnium opifice inſtanter poſcentem, quo poſſet fœcunda mulier ſuam temperare deformitatem,

Deo gratia pro beneficijs.

tatem, atque sibi maritum multiplicata prole amiciorem, & blandiorem efficere beneuolentissimus Deus exaudit. Audito igitur nomine Simeonis, imò etiam visa puero statim Lia recordatur, suas à Deo & preces, & lacrymas fuisse exauditas; erat enim ille filius ipsamet auditio, seu ipsemet effectus, atque impertatio precum, & lacrymarum matris. Erat etiam iuge testimonium Diuinæ beneficentiæ, quem scilicet Matri Deus misericorditer concedens mulieris supplicationibus, & gemitibus quodammodo victus est obedire; tunc
Orationi Deus dicitur obedire. enim dicitur Deus nostris precibus obediens, cum efficit, quod precamur, vti legimus *Iosue* 10. Sol-
Iosue 10. lem, & lunam stetisse, donec Hebræi Amorrhæorum reges continenti prælio funditus profligarent: obediente Deo voci hominis. quem lo-
Caiet. cum ita Caietan. exponit: Ratio obsequij Diuini operis in sole redditur, quia summus Deus erat tanquam bellator pro Israel. quasi diceretur: Par fuit, vt Deus audiret facto vocem Iosue, qui ipse erat ille, qui pugnabat in viribus, & manibus Israelitarum, erat prælium ipsius Dei. hæc ille.

11. Mira planè dignitas est orationis, cui vel ipse Deus dicitur obedire: & qui omnipotens supra omnia est, oranti homini quasi subiectum se præbet. Quid quod sæpius oramus, nec tamen exaudimur, nec quod petimus impetramus? Nun-
Deus exaudit orantem ad vtilitatem. quid istud est oranti homini Deum obedire, cùm illum ne audire quidem videatur? Vtique tunc etiam Deus audit, & exaudit orantem, atque illius non quidem voluntati, & voluptati, sed vtilitati,
D.August. & saluti obedit. Deus enim (inquit S. August.) etsi voluntati nostræ non dat, saluti dat. Non fit quod vis, sed fit quod tibi expedit: nó te exaudit ad voluntatem, sed exaudit ad sanitatem. hæc S. Au-
Deus peritus & amãs medicus erga orantem. gust. *tract. 6. in Epist. Ioann.* Peritum videlicet, pariterque amicum se homini medicum Deus exhibet. Nam febribus æstuanti, & aquam impensiùs inclamanti peritus, & amicus medicus aquam ipsam denegat, voluntati ægrotantis non consulens, sed sanitati; quòd si aquam concederet, vehementiorem febrem efficeret. Denique pietatem, & gratitudinem Liæ non modò patentes, sed
Perennis recordatio & gratitudo beneficiorũ Dei. & omnes qui Dei beneficia perenniter influentia suscipimus, imitemur, vt perennem memoriam beneficiorum Domini recolentes, debitas tam pio, ac magnifico largitori gratias incessanter habeamus: quo sanè pacto digniores efficiemur, quibus noua in dies, & maiora Deus suæ beneficentiæ munera largiatur. Piis enim & gratis aperiuntur Diuinæ misericordiæ fontes: impiis autem, & ingratis omnino recluduntur, & exsiccantur. Idcirco regius Vates nihil habet potius, ac frequen-

A tius, quàm vt Dei beneficii recordetur, extollat, ac prædicet. quod sæpius repetit in Psalm. 108. Psalm. 106.
Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius, &c. Qui quidem Psalmus (inquit idem S. Aug.) miserationes Dei commen- S.August.
dat nobis probatas in nobis, & ideo expertis est dulcior. sic ille. Quid quæso dulcius homini, quàm *Dulcis memoria beneficiorum Dei.*
vt Dei beneficia in se collata & memoret, & prædicet? Videbis igitur in hoc Psalmo (ait S. Hieron.) quartò misericordias petitas, & clementer D.Hieron.
indultas, quas & Dominus nobis pietate proflua dignetur quæsitas indulgere, pulsatas aperire, petitas non negare. hæc S. Hieron.

12. Primo igitur filio nomen mater indidit *Reuben*, cuius suprà exposuimus nomenclaturam:
B secundo *Simeon*, paulò ante explicauimus. In quo symbolum doloris ex timore subsecuti, Richard. Richard.
de S. Victore euoluit: Primo (inquiens) filio nato secundus subsequitur: quia magnum timorem *Timor ex dolore peccati ortus.*
necesse est vt dolor subsequatur. Deus cor contritum pro sua benignitate exaudit, ideóque talis filius *Simeon*, id est *exauditio* vocatur. hæc ille citato loco. Tertium appellauit *Leui* à radice לוה *Lauah*, cuius variæ sunt interpretationes: *mutuare, mutuo accipere, adhærere, copulari, coniungi.* Sed omnium ferè idem est sensus. Dicit itaque Lia filium hunc pariens, & nominans *Leui*: Adhuc ista vice concedatur mihi mutuò maritus meus à sorore mea, vt mihi ad prolem aliam adiungatur, cum illa sibi totum in amore virum deuinxerit, & ag-
C glutinauerit. Seu potiùs (vt S. Hieron. commenta- D.Hieron.
tur) peperit filium, & dixit: *Nunc mecum erit vir meus, quia peperi ei tres filios.* Vbi Aquila interpretatus est: *Applicabitur mihi vir meus*, Hebr. ילוה *illaueh*; à Doctoribus Hebræorum transfertur: *Prosequetur me vir meus*, id est, non ambigo de amore in me viri mei: erit mihi in hac vita comes, & eius dilectio me ad mortem vsque deducet, & prosequetur: tres enim filios genui ei. sic ille, *de quæst. Hebr.* Iungit enim animos coniugum partus simul. Quartum nominauit *Iehudah*, id est, *laudatio*, à radice *Iadah* ידה *leuare*, seu *attollere, confiteri*, siue
laudare. Porrò symbolum *Leui* sic euoluit Ri- Richard.
chard. Sed quæ consolatio potest esse pœnitentibus, & verè lugentibus, nisi vna spes veniæ? Hic
D est *Leui*, id est, *additus*. non datum, sed additũ sermo diuinus vocat, ne ante timorem, & condignum pœnitentiæ dolorem quis de spe veniæ præsumat. sic ille. In quarto, Iuda, amorem agnoscit,
qui post spem oritur. Iudas (inquit) confitens dici- Richard.
tur: quia quod animus, & ore laudamus, & corde confitemur. hæc ille. Quatuor his in lucem productis patere intermisit aliquot annis Lia, interea dum ancillæ duæ quatuor filios pariunt.

CAPVT TRIGESIMVM.

1. CErnens autem Rachel quòd infœcunda esset, inuidit sorori suæ, & ait marito suo: Da mihi liberos, alioquin moriar.

2. Cui iratus respondit Iacob: Num pro Deo ego sum, qui priuauit te fructu ventris tui?

3. At illa: Habeo, inquit, famulam Balam: ingredere ad illam, vt pariat super genua mea, & habeam ex illa filios.

4. Deditque illi Balã in coniugiũ: quæ,
E 5. ingresso ad se viro, concepit, & peperit filium.

6. Dixitque Rachel: Iudicauit mihi Dominus, & exaudiuit vocem meam, dans mihi filium, & idcircò appellauit nomen eius, Dan.

7. Rursúmque Bala concipiens peperit alterum,

8. pro quo ait Rachel: Comparauit me Deus cum sorore mea, & inualui: vocauítque eum Nephthali.

9. Sentiens

9. Sentiens Lia quòd parere desiisset, Zelpham ancillam suam marito tradidit.

10. Qua post conceptũ edente filium,

11 dixit: Feliciter. & idcircò vocauit nomen eius, Gad.

12 Peperit quoque Zelpha alterum.

13. Dixítque Lia: Hoc pro beatitudine mea: Beatam quippe me dicent mulieres. propterea appellauit eum, Aser.

14. Egressus autem Ruben tempore messis triticeæ in agrum, reperit mandragoras: quas matri Liæ detulit. Dixítque Rachel: Da mihi partem de mandragoris filij tui.

15. Illa respondit: Parúmne tibi videtur, quòd præripueris maritum mihi, nisi etiam mandragoras filij mei tuleris? Ait Rachel: Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filij tui.

16 Redeuntíque ad vesperam Iacob de agro, egressa est in occursum eius Lia, & ad me, inquit, intrabis: quia mercede conduxi te pro mandragoris filij mei. Dormiuítque cum ea nocte illa.

17. Et exaudiuit Deus preces eius: concepítque & peperit filium quintum,

18. & ait: Dedit Deus mercedem mihi, quia dedi ancillam meam viro meo. appellauítque nomen eius, Issachar.

19. Rursum Lia concipiens, peperit sextum filium.

20. & ait: Dotauit me Deus dote bona: etiam hac vice mecum erit maritus meus, eò quòd genuerim ei sex filios: & idcircò appellauit nomen eius, Zabulon.

21. Post quem peperit filiam, nomine Dinam.

22. Recordatus quoque Dominus Rachelis, exaudiuit eam, & aperuit vuluam eius.

23. Quæ concepit & peperit filium, dicens: Abstulit Deus opprobrium meum.

24. Et vocauit nomen eius, Ioseph, dicens: Addat mihi Dominus filium alterum.

25. Nato autem Ioseph, dixit Iacob socero suo: Dimitte me, vt reuertar in patriam, & ad terram meam.

26. Da mihi vxores, & liberos meos, pro quibus seruiui tibi, vt abeam: tu nosti seruitutem qua seruiui tibi.

27. Ait illi Laban: Inueni gratiam in conspectu tuo: experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te:

28. constitue mercedem tuam quam dem tibi.

29. At ille respondit: Tu nosti quomodo seruierim tibi, & quanta in manibus meis fuerit possessio tua.

30. Modicum habuisti antequam venirem ad te, & nunc diues effectus es: benedixítque tibi Dominus ad introitum meum. Iustum est igitur, vt aliquando prouideam etiam domui meæ.

A

31. Dixítque Laban: Quid tibi dabo? At ille ait: Nihil volo: sed si feceris quod postulo, iterùm pascam, & custodiam pecora tua.

32. Gyra omnes greges tuos, & separa cunctas oues varias & sparso vellere: & quodcumque furuum, & maculosum, variúmque fuerit, tam in ouibus quàm in capris, erit merces mea.

B

33. Respondebítque mihi cras iustitia mea, quando placiti tempus aduenerit coram te: & omnia quæ non fuerint varia, & maculosa, & furua, tam in ouibus, quàm in capris, furti me arguent.

34. Dixitque Laban: Gratum habeo quod petis.

35. Et separauit in die illa capras, & oues, & hircos, & arietes varios atque maculosos: cunctum autem gregem vnicolorem, id est, albi & nigri velleris, tradidit in manu filiorum suorum.

36. Et posuit spatium itineris trium

C

dierum inter se & generum, & qui pascebat reliquos greges eius.

37. Tollens ergo Iacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticauit eas: detractísque corticibus in his quę spoliata fuerant, candor apparuit: illa verò quæ integra fuerant, viridia permanserunt: atque in hunc modum color effectus est varius.

38. Posuítque eas in canalibus, vbi effundebatur aqua: vt cùm venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aspectu earum conciperent.

D

39. Factúmque est vt in ipso calore coitus, oues intuerentur virgas, & parerent maculosa, & varia, & diuerso colore respersa.

40. Diuisítque gregem Iacob, & posuit virgas in canalibus ante oculos arietum: erant autem alba & nigra quæque, Laban: cætera verò, Iacob, separatis inter se gregibus.

41. Igitur quando primo tempore ascendebantur oues, ponebat Iacob virgas in canalibus aquarum ante oculos

E

arietum & ouium, vt in earum contemplatione conciperent:

42. quãdo verò serotina admissura erat, & conceptus extremus, non ponebat eas. Factáque sunt ea quæ erant serotina, Laban: & quæ primi temporis, Iacob.

43. Ditatúsque est homo vltra modum, & habuit greges multos, & ancillas & seruos, & camelos & asinos.

SECTIO PRIMA.

Cernens autem Rachel quòd infœcunda esset, inuidit sorori suæ, & ait marito suo: Da mihi liberos, alioquin morior.

1. INuidit sorori suæ.] Discruciatur Rachel, quod se videat sterilem, at sororem iam tot liberorum matrem, & (quod muliebre ingenium est) mœrore, atque inuidia contabescit.

Muliebris zelotypia. Theodor.

Zelotypia Rachelem, qua etiam laborauit Lia, turbari putat Theodoret. nec mirum id esse potest in filiabus hominis idololatræ, neque bene, sanctéque educatis, imò patris idola tractantibus. sic enim quærit: Cur vxores Iacobi mutua zelotypia tenebantur? Respondétque: Imperfectiores erant, & hominis impij filiæ: nempe qui statuas deos nominabat. Hac de causa Deus, cum leges conderet, tales nuptias prohibuit: *Non accipies* (inquit) *vxorem zelotypam aduersus sororem suam.* B sic ille, *quæst.* 85. *in Genes.*

Pater filys exemplar.

Ex patre impio, idolisque dedito, quidni filiæ male moratæ oriantur, & instituantur? Est enim parens filio, ac filiæ, morum vitæque exemplar filij: non modo infecti næuis, masculisque parentum nascuntur, sed illorum etiam mores, gestúsque, & voces, visu, consuetudinéque ipsa continua in seipsis ad viuum exprimunt. Qualia verò pictores exemplaria proponunt, tales vtique delineando effingunt imagines. Ac magnam quidem esse vim in exemplo vtramque in partem cùm ad virtutem, tum verò potentiùs ad vitium impellendi nemo est, qui nesciat. Quamobrem dicitur, Prouerb. 13. *Qui cum sapiente graditur, sapiens erit; amicus stultorum similis efficietur,* &c. C

Prouerb. 13.

D. Hieron.

Vbi S. Hieron. siue (vt quidam volunt) Beda ita commentatur: Quamlibet ergo simplex quisque sit, & rusticus, qui arcana sapientiæ comprehendere nequeat; si tamen sapientum exempla sectatur, iure inter sapientes annumerabitur. Qui verò stultos, quia mimi sunt, vel histriones, vel aliqui tales, amat, stultorum nota peccat. vel turpitudine dignus, simul & damnatione tenebitur. hæc ille.

Familiaritas transmutat animos.

Profectò talis quisque efficitur, quales sunt, eum quibus familiariter conuersatur: miram quippe vim habet familiaris consuetudo ad imbuendos vel vitiis, vel virtutibus eorum animos, qui sese mutuò amant, inuicem conueniunt, & alloquuntur. D Quod quidem inter virum, & vxorem, vel maximè cernitur. Alter enim alterum facillimo negotio in suos mores, animúmque transmutat.

D. Chrysost. S. Bonauent.

A religiosa muliere vir efficaciter mouetur.

Ac de vxore quidem illam S. Chrys. in Ioannem sententiam valde commendat. S. Bonauent. quæ sic habet: Nihil fortius muliere religiosa, & prudente ad deliniendum virum & informandum eius animum ad quodcunque voluerit. hæc ille, *lib.* 1. *pharetr. cap.* 8. Quanta igitur pietate, religionéque florerent viri, si à piis, religiosisque vxoribus informarentur?

2. Certò igitur, ac diligenti iudicio nobis ij sunt deligendi ad humanæ vitæ consortium, qui E sapientia, virtutéque nobilitatam gerunt vitam, ac famam; hoc est enim gradi, vel ire cum sapientibus.

Cum sapiente. instoque agendum.

verum stultorum, atque impiorum commercio velut pestilenti aura, & putrida contagione miserandum in modum imperitæ, & improuidæ mentes inficiuntur. Hæc omnia petitis ex natura exemplis illustriora fiunt; qualia videntur in plantis, quæ à fontibus irrigatæ illorum in fructibus exprimunt qualitates; qualia in apibus, quæ à variis herbis, flosculísque humorem A delibantes varia mellis genera suis in aluearijs architectantur. Quòd si hæc tanta exempli, & consuetudinis efficacitas ad immutandos animos immortalium, qui nullo sanguinis vinculo nectuntur, ita omnibus in confesso est: quid quæso fiet, si ad familiare commercium, quotidianum vsum, & conuictum accedat illa vis naturæ & sanguinis, quæ inter parentes, filiósque intercedit?

Fily à parentibus mores imbibunt.

Præterea si (vt scribitur) *qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicauerit superbo, induet superbiam.* Eccles. 13. quid misero fiet, qui de pice, & cum pice natus à pice totus circunquaque implicatur, & qui de superbo natus innatam, & genuinam secum gestat superbiam?

Eccles. 13.

Non potest (ait Dominus) *arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere.* Matth. 7. Et ratio quidẽ illa optima est, quam apponit ad hunc locum S. Chrysost. Arbor siquidem non nisi iuxta suam naturam fructificare solet, *homil.* 24. *in Matth.*

Matth 7. D. Chrysost.

Quòd etsi dixerit de qualitate operum, quæ iuxta statum cuiusque, aut probi, aut improbi ab hominibus enascuntur: de filiis tamen in parentum naturam, ingenium, morésque abeuntibus, hoc ipsum percommode intelligi etiam potest. Quis enim vidit vnquam coruum à cycno, aut cycnum à coruo gigni? In filiis parentum effinguntur mores. Vt castitas in liberis & emineat, & commendetur; eadem in parentibus præluceat necesse est, alioqui videtur instar miraculi contingere vt ex adulteris casti procreentur filij.

3. Quapropter monet Salomon: *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui. deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.* Prouerb. 5.

Prouerb. 5.

Vocat vxorem propriam & cisternam, & puteum, cuius consuetudine sitis concupiscentiæ restinguitur. Hoc est, tua vxore vtere, ne diuertas ad alienam: si enim coniugalem Deo, vxorique debitam obserues castitatem, puros, honestósque, & conspicuos ex propria vxore suscipies liberos, qui erunt vti fontes limpidissimi, quorum aquis, id D est, bonis, & sanctis moribus cum vicinia tota, tum etiam Reipul. horti, ac viridaria feliciter irrigabuntur.

Filij legitimi parentes & Remp. honorant.

Sit vena tua (adiungit Salomon) *benedicta, & lætare cum muliere adolescentiæ tuæ. Cerua charissima, & gratissimus hinnulus,* &c.

Prouerb. 5.

Explicat optimè S. Hier. siue Beda: Tanta (inquiens) te temperantia cum muliere, quam adolescens accepisti, etiam cum senuerit, serua; vt meritò fidelis castimoniæ benedictionem consequaris in prole.

D. Hieron.

Commendatur viri amor fidelis erga vxorẽ.

Illa sit tibi semper charissima coniux, quæ sicut cerua serpentes, ita persequitur scorta, & suis effugat ab ædibus: sit natus ex ea filius & ipse castitatis amator gratissimus. hæc ille. Sciant parentes, non tam quia genuerint, quàm quia ad virtutem filios E informarint, verè sese illorum parentes demonstrari: parúmque idcirco, ac propè nihil parentibus debent filij, quòd ab iis nati; sed quod bonis instructi moribus, multum iisdem, nec integrè vnquam soluendum debere indicantur.

Multum debetur parentibus ob instructionem filiorum.

Denique, vt hunc locum concludamus, haud mirum est si fœminæ istæ Labano idololatra, & barbaro natæ aliquid vitiosum in zelotypia, & inuidia præ se ferant, maximè cum & huiusmodi labe fœmineum genus vt plurimum sit infectum. Quoniam

Zelotypia mulieris.

enim quæque mulier est, quàm in amore zeli non accendant, tabéſque in liuore non conſumat? qualis ea pingitur, de qua cecinit ille.

——Manet alta mente repoſtum
Iudicium Paridis, ſpretaque iniuria formæ.

Æneid. 1.

4. Inuidit Rachel fœcunditatem ſorori, alienóque bono tormentum ſibi, ac penè mortem (vt ſtatim videbimus) conciſcit. Scilicet hæc eſt inuidiæ malignitas, ob alterius felicitatem infeliciter cruciari; & quia viuit alius, miſerum, qui videt, perire. Bene Iudæi contra Dominum Ieſum inuidia ſuccenſi dicuntur à Ioanne *genimina viperarum* Matth. 3. Parit ſiquidem inuidus ſibi mortem, vti vipera (ſi vera eſt fama) fœtum abroſo vtero educit. quod ita S. Aug. explicat: Sicut aiunt viperas dilacerato materno vtero naſci, ita & inuidiæ natura illa animam, à qua concepta eſt, conſumit, & perdit. *ſerm. 1. Domin. 3. in quadrag.* Vipereum ſanè venenum eſt inuidia, quod à parentibus in filios diffunditur, vei S. Gregor. in hunc modum ſubnotauit: Notandum quòd malæ ſoboles malorum parentum actionem imitantes *genimina viperarum* vocantur. Quia per hoc, quod bonis inuident, quaſi venenati filij de venenatis parentibus nati ſunt. ſic ille, *hom. 10.* Veneno ſuo inuidus, vti vipera, mordet, inficit, perimítque alios, ſed ſeipſum ante omnes quàm atrociſſimè veluti vipera venenatos pariens fœtus in mortalium perniciem ſuo ipſa ſe partu diſruptis hianti aluo viſceribus interimit. En qualis erat Iudæorum natio, tota ſcilicet viperina & venenata, cum tamen patre ſeſe natos Abraham Iudæi gloriarentur: at inaniter quidem. Non enim (inquit S. Hilar.) ſucceſſio carnis quæritur, ſed fidei hæreditas. Dignitas igitur originis in operum conſiſtit exemplis, & proſapiæ gloria fidei imitatione retinetur. Itaque vniuſcuiuſque mores, atque vita propinquitatem acquirit. hæc ille, *Can. 2. in Matth.* Quapropter vera hominum aut nobilitas, aut ignobilitas, non tam ex parentum, & auorum ſanguine, quàm ex propria cuiuſque vita, & moribus proficiſcitur: quemadmodum Iudæi de ſemine Abrahæ procreati amiſſa generis gloria in viperas, & ſerpentes degenerarunt: contrà verò Chriſtiani homines de Gentilium rupibus velut exciſi lapides, in molliſſimam, ac ſuauiſſimam fidei, & charitatis lenitudinem ſunt transmutati. quod Ioannes ſtatim inſinuat, dicens: *Ne velitis dicere: Patrem habemus Abraham: dico enim vobis quoniam potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ, &c.* Coarguit videlicet iſtorum ſtultitiam, qui moribus impij ſanctum parentem ſibi fuiſſe prædicant. Quid enim (occurrit S. Chryſ.) prodeſt ei, quem ſordidant mores, generatio clara? Aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant? Ipſe ſe vacuū ab omnibus bonis actibus oſtendit, qui gloriatur in patribus. hæc ille, *homil. 3. in Matth.* Nihil igitur profuit Iudæis de ſancto, & fideli Abraham duxiſſe originem, quam ipſi ſuis moribus in viperas conuerſi dehoneſtarunt.

Inuidiæ malignitas & tormentum. — Matth. 3. — S. Auguſt. — *Inuidia malum vipereū.* — S. Gregor. — *Iudæorum inuidia.* — *Honor in virtutibus.* — S. Hilarius. — *Mores faciūt nobilem, aut ignobilem.* — Luc. 3. — *Pietas & mitigas Christianorum.* — S. Chryſoſt. — *Auorū qualitas nec prodeſt, nec obeſt.*

5. Nolite igitur, ô Iudæi, (adiungit idem Chryſ.) gloriari, dicentes: *Quia patrem habemus Abraham*: ſed magis erubeſcite, quia filij eius eſtis, & ſanctitatis eius non eſtis hæredes; ipſe enim ſuo teſtimonio ſe conuincit, quia de adulterio natus eſt, qui non ſimilatur patri. hæc Chryſ. Idcirco alibi vocatur *generatio praua, & adultera.* Matth. 12. eo quod Iudæi patrem ſuum Abraham nominantes illius ſanctitatem haudquaquam in ſeipſis exprimebant. *Imò* (vti illos arguit Dominus) *vos ex patre diabolo eſtis.* Ioan. 8. Nimirum inuidia, odio, fraudibus, & omni vitiorum ſpurcitia diabolum veluti patrem filij ad viuum exprimentes referebant. Hic etiam locus vehementer arguit illos, qui de generis nobilitate gloriantur; quam nihilominus aut vitiis, aut ignauia turpiſſimè infamant. Nam quò iſti clariùs emicant in nobilitate generis, eò turpiùs fœtent in propriis actionibus. Contrà verò & glorioſum eſt obſcuritati generis lucem operum, ac virtutum ingerere: & multò minus dedecorat hominem ſi obſcurus parentibus obſcurus etiam moribus oſtendatur: Quæ omnia ſic idem Chryſoſt. exemplis comprobat: Quid profuit Cham, quòd filius fuit Noë? nonne ſeparatus de medio filiorum? Qui ſecundum carnem frater natus fuerat, ſecundum animum factus eſt ſeruus: nec familia eius ſancta potuit defendere impios mores. Aut quid nocuit Abrahæ, quòd patrem habuit Thare luteorum deorum cultorem? Nonne ſeparatus à genere ſuo poſitus eſt in caput fidelium, vt iam non diceretur filius peccatorum, ſed pater ſanctorum? Nec potuerunt gloriam eius ſordidare paterni errores. hæc ille. *homil. 3. in Matth.* Hîc vides benè naſci, & malè viuere; contra etiam malè naſci, & bene viuere: Vides cum nobilitate generis turpitudinē morum, & infamiam vitæ: deinde cum obſcuritate generis, inſignem vitæ, morum, ſtatúſque ſplendorem. Nec id mirum, ac nouum videri debet. Nam (vt idem Chryſoſt. apponit) & aurum de terra naſcitur, ſed non eſt terra: & aurum quidem eligitur, terra verò contemnitur. Et ſtannum de argento egreditur, ſed non eſt argentum, itaque argentum colatum ſeruatur, ſtannum autem foras expellitur. ſic ille. Profectò propriis cuiuſque moribus auorum, ac parentum mores, neque obſunt ſi praui ſint; neque proſunt, ſi boni fuerint: ſed à propriis quiſque aut obſcurus, aut conſpicuus redditur.

S. Chryſoſt. — Matth. 12. — *Praui ex bonis orti parētibus.* — Ioann. 8. — S. Chryſoſt. — *Bonus pater malū filium non honorat.* — *Malus pater bonum filium non infamat.* — S. Chryſoſt. — *A propriis quiſque moribus afficitur.*

6. His poſitis egregiè concludit: Melius eſt de contemptibili genere clarum fieri, quàm de claro genere contemptibilem naſci. Qui enim de claro genere clarus naſcitur, gloria claritudinis eius non eſt eius ſolius, ſed communis videtur cum genere. Qui autem de contemptibili genere clarus egreditur, tota gloria claritudinis eius, ſolius ipſius eſt. ſic ille. Enimuerò nouus homo (vt appellabant Romani) ſuam habet lucem, quam aliunde non accepit, eadémque ſupereminēs obſcuritatem ſuorum auorum obtegit, atque illuſtrat. At nobilis ignauus, aut malè moratus ſua caligine auorum lucem obumbrat, & gloriam deturpat. An non præſtat inter ſpinas roſam naſci, quàm ſpinam inter roſas? An non quiſque potiùs eligeret quod de pauperculis, fœdíſque parentibus natus, & vultus tamen dignitate, & opum abundantia clareſceret: quàm ſi de opulentis natus emendicaretur, & de formoſis fœdus, monſtroſúſque videretur? Quin etiam magis nobilem, quā plebeium propria dedecorat turpitudo. Nam (vti adiungit) qui de contemptibili genere contemptibilis naſcitur, turpitudo contemptibilitatis illius, non eius ſolius, ſed etiam generis eius eſt. Qui autem de claro genere contemptibilis naſcitur, omnis turpitudo illius, eius ſolius eſt. Ideò melius eſt, vt in te glorientur parentes, qui talem filium habent, quàm tu glorieris in parētibus. hæc Chryſ. Igitur ô felicem, qui tanto virtutum tuarum ſplendore colluces, vt etiam generi tuo inter cimmerias tenebras caliganti lucem, diémque prætuleris! Sed ô te infelicem, qui tam denſa, fœdáque vitiorum tuorum caligine perhorreſcis, vt etiam generis tui ſplendoribus toto orbe diffuſis

S. Chryſoſt. — *Propria virtus, non ex parentibus clarior.* — *Nouus homo ſuis prælucet.* — S. Chryſoſt.

fusis metuendum chaos induxeris; si de ignobilibus natus, ignobiliter viuis, noctísque velamine tuam obtegis ignobilitatem! Contrà verò si de nobilibus natus vitam geris ignobilem, quid nisi facem splendentem geris, quæ tuam prodat, ac demonstret ignobilitatem? Erubescant igitur infideles Iudæi neque glorientur dicentes: *Patrem habemus Abraham*, vti eos perpungit Ioannes Matth 3. In quo admonentur (inquit S. Ambros.) claritatem sibi magis operis, quàm nobilitatem generis vindicare, quòd nulla in successione prærogatiua sit, nisi fidei astipuletur hæreditas. sic ille, *in 3. Luc.* Neque enim (ait Euthym. ad 3. *Matth.*) vllos oportet de progenitorum virtutibus gloriari, cum ipsi negligentes sint de propriarum virtutum operibus. sic ille. Sua quemque opera vel infamant, vel nobilitant:

Propria magis nobilem, quàm plebeiũ dedecorat turpitudo.

S.Ambros.

Euthym.

Nam genus & proauos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco, &c.

7. Illud etiam hoc loco adnotare operæpretium erit, quanta nimirum laus Rachelis fuerit in castimonia; quippe quæ puella speciosa, vehementérque à viro suo adamata, de liberis tantùm est solicita, matrimonij delicias, voluptatésque nihili habens; quòd prole careat, solùm excruciatur: nec enim aliud ex coniugio, quàm liberos quærebat, quibus carens, quicquid vlteriùs in eo statu accederet, honesta mulier fastidiebat. Quorsum verò institutum est coniugium, nisi ad gignendos liberos, quorum continua successione persistat genus humanum, ac per nascentium vices morientium iugiter defectus reparentur? Et quæ fuit alia causa procreandi fœminam, nisi ad prolem de viro pariendam, quo maximè dicitur adiutorium simile viro, iuxta illud: *Faciamus ei adiutorium simile sibi.* Genes. 2. videlicet fœminam adiutricem viri ad onus generationis filiorum. quod sic interpretatur D. August. Si ad adiutorium gignendi filios non est facta mulier; ad quod ergò adiutorium facta est? sic ille, *lib. 9. de Genes. ad liter. ca. 3.* Ad gignendam prolem data est humano generi distinctio sexuum, & maris, fœminæque instituta coniunctio; atque adeo connubij finis, & fructus ex humana ex parẽtibus procreata soboles, quę Deum colat, & veneretur. In prole siquidem (ait S. August.) attenditur, vt amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur. sic ille, *lib. citat. cap. 7.* Quod quidem erat harum mulierum (vel à Iacobo meliùs iam, & sanctiùs institutæ erant) desiderium. S. Thom. ad hunc locum de illis à viro pietatem edoctis, ita colligit: Quid mirum si hoc edoctæ pia charitate inardescebant ad prolem ex ipso habendam, cuius fidem, & sanctitatem tanta, & tam assidua experientia comprobauerant, quod de ea dubitare non poterant, nec debebant? sic ille, *in Glossa.* Nouerant quidem istæ fœminæ virum suum Abrahæ, cuius sanctitas instar miraculi toto celebrabatur orbe, nepotem, ac filium Isaac piissimi patris, vnúmque illum esse, in quo diuinitus factæ promissiones auo, & patri essent cõplendæ; vt in semine illius benedicerentur omnes gentes; verúsque Messias mundo promissus, expectatúsque secundùm humanam naturam ex ipso descenderet. Igitur tantarum rerum, summéque augustarum dignitate mulieres excitatæ mirum in modum prolis ex ipso tam felici, támque sancto viro habendæ desiderio tangebantur. Quid enim excellentius, atque optabilius fœminæ posset obuenire, quàm vt si non mater, saltem, vel aliquo in gradu Regis Messiæ, hoc est, Dei hominis auia diceretur? Hæc erat sanctitas matrimonij apud antiquos patres; nec enim ex

Rachelis honestas in coniugio.

Ad prolem primò nuptiæ institutæ.

Genes. 2.

D.August.

Qualiter proles a parentibus tractãda.

S.August.

D. Thom.

Sanctitas matrimonij apud antiquos.

illius copula (inquit Procop.) voluptatem, sed liberos venabantur. sic ille, *ad 16. Genes.*

Procopius.

8. *Da mihi liberos.*] Videntur hæc verba per muliebrem temeritatem, atque impatientiam dicta, quasi Rachel zelo arderet, non tam quia liberis careret, quàm quòd maritum alterius concubitu non suo detineri indignaretur. Cæterùm hic ipse locus mirifice commendat illam, quam paulò antè in antiquis honestatem prædicauimus. Enimuero hinc maximè colligimus solo prolis desiderio carnalem copulam expeti solitam apud illos, qui de prole desperantes à concubitu deinde abstinebant. Sed hoc idem audire præstat ex Procopio, qui ad *cap. 16. Genes.* ita differit: Antiquo gentis instituto abstinebant grauidis: nec accedebant ad lactantes, & nutrientes infantes; sed eo tantùm tempore, quo conceptus non negabatur sese dabant vxoribus. Hanc traditionem confirmat Iacob. Nam cum cognouisset sterilitatem Rachelis, non ampliùs cum illa concubuit: illa verò sperans ex concubitu prolem venturam, virum alloquitur: *Da mihi liberos.* Cum hæc diceret, satis illum non esse creatorem sciebat: verùm ad eum modum viri concubitum flagitabat, siquidem maritus concubitum, vt cum infœcunda, detrectabat. hæc ille. Admirabilis sanè illorum mortalium honestas, quippe ad solam filiorum procreationem carnali commercio vtebantur; vbi verò spes non esset prolis, abstinebant. Quod insigniter laudabile est in Iacob, qui Rachelis amplexus, puellæ quidem, & pulcherrimæ & quam vnicè amabat, & pro qua socero quatuordecim annis inseruierat, cuius concubitum vehementer admodum per tot annos expetierat, tandem, quia prolem ex illa iam non sperabat, omnino refugiebat. Et quidem castitatem Iacob multa in supradictis, & in præsentibus contestatam, & laudatã efficiunt. Quod S. Thom. ita in compendium colligit: Iacob erat septuaginta annorum quando venit ad Laban. Vide ergò quàm castus fuerit, qui tot annos absque vxore in virginitate permansit. Deinde si prima nocte nuptiarum omnino voluisset sensus suos pascere Rachelis decore, & alloquiis blandis, tunc non potuisset falli, an alteram vice illius ignoranter haberet. Præterea si Iacob libidinosè dilexisset Rachelem, quando pro ea septem annis seruiuit, non tantùm distulisset illi carnaliter commisceri, saltem per dolos, & vias occultas. Non enim fuit difficile captare ad hoc horas, & modos. hæc S. Thom. *ad 29. Genes. in Glossa ordin.*

Procopius.

Antiqui abstinebant à grauidis, lactantibus, & sterilibus.

Mira honestas Iacob in coniugio.

D. Thom.

9. Quid mirum igitur, si & vxores honestatem præ se ferrent, solúsque prolis desiderio maritalem copulam, non voluptatis libidine appeterent, cum tam præclaræ castitatis, quàm ipsæmet tot per annos expertæ fuerant, in marito laudem admirarentur, & addiscerent? Caput est, dux, & magister vxoris maritus: & quicquid vitij, aut virtutis in viro illa viderit, haud dubiè imitabitur. Quare qui vitam agit impuram, & nefandis meretricularum amoribus deturpatur, similis planè turpitudinis magistrum se præbet vxori. Quòd si illa torum alterius subeat, profectò in tam detestabili ausu caput suum sequitur, rectorem imitatur, ad magistri doctrinam sese componit, archetypum sui viuis in se ipsa coloribus exprimit; vt sicut vir meretrices, ita coniux lenones; adulterósque amet, & quærat. Heus tu quisquis es, ne castam, & fidelem tibi vxorem exigas; quam tuo exemplo, quod verbis omnibus longè est efficacius, lasciuire, adulteratéque doces discipulam è suggesto magister. Hinc sciant viri ferè grauius se peccare, cum torum coniugalem violant, quàm

Vxor honestatem à marito edocta.

Vir mulieri ductor ad vitium, & virtutem.

Malus mala vxoris magister imparum vir.

Turpior adulter, quàm adultera

ipsorum vxores, si quando in adulteria collabuntur. quam doctrinam, vt vera est, traditurque à S. August. alibi iam demonstrauimus.

10. Porrò autem eò commendabilior est continentia Iacob, quò gratior erat pulchritudo Rachelis, quæ solet esse in fœmina ad alliciendum virum (vti fert mortalium natura) potentissimum incitamentum. Qua ratione potest excusari, si qua est in viro erga formosam coniugem propensio immoderata iuxta doctrinam Hugonis de S. Victore, quam D. Thom. loco indicato adducit in hæc verba: Hugo de S. Victore in quodam libello suo dicit, quòd sicut idem ferculum plus placet in scutella pulchra, & munda, quàm in minus munda: sic æqualis charitas plus placet, & vehementiùs ad sui amorem allicit in persona suauium gestuũ & verborum, quàm io persona rusticanorum, vel agrastium, seu incompositorum verborum, & gestuum. hæc ille. Hinc etiam fit, vt magis proiectæ, ac profusæ libidinis arguatur, qui cæco impetu in quamcunque, vel deformem, ac vilem rapitur, quàm qui solius pulchritudinis amore incitatur: illum quippe sola carnis voluptas, hunc verò elegantia vultus pertentat: ille corruit nemine impellente, istum vis ardua, poténsque impellit, & quodammodo cogit: ille sine armis vincitur, de isto victoriam armata illa gestat, quæ valentium, & heroum triumphus appellari consueuit, pulchritudo.

Pulchritudo mulieris virum allicit. Hug. à S. Victore. D. Thom.

Libido ad deformem turpior, quàm ad pulchram.

Victrix pulchritudo.

11. Vehementer angitur Rachel, quòd se videat infœcundam, & liberis carentem, quos tamen Deus omnium conditor non quidem negabat, sed differebat, vt ipsamet Rachel, & Saræ, & Rebeccæ, quæ multis annis fuerant steriles, similior fieret; ideoque partus illius quando aduenīret, sublimior ac præstantior, quasi per miraculum à Deo concessus haberetur, vt simile quid ex Procop. *ad cap. 16.* supra de sterilitate Saræ adnotauimus. *Da mihi* (inquit) *liberos, alioqui moriar.* Proh cæcam humanæ mentis aciem! ah quàm improuidi, quàm inscij, quàm cæci ad nostrum bonum sumus! Morituram se dicit Rachel, ni pariat liberos, & postea in partu filij morietur: proculdubio non tam acerbam, & laboriosam obiret in doloribus mortem, si filios non conciperet, nec pareret. Sæpe quidem euenit, vt vbi minimè putabatur, mille adsint pericula; & mors quasi ex insidiis assultet, vbi cuncta vitam, & felicitatem inesse contestantur. Deo igitur cum omni humilitate, piáque fiducia nostrarum actionum momenta, nostræque vitæ sortes committamus. Fiat Domine in nobis voluntas tua. Age mecum Domine, dispone, statue quod mihi expedire tu meliùs, quàm ego, nosti. Quid quòd pulcherrima mulier, vti sua pulchritudine, ac verecundia venturam mundo Virginem Dei Matrem significabat, sic etiam sua sterilitate diuinitus fœcundata figuram quandam, & quasi præludium exhibebat augustissimi illius mysterij aliquando tandem inter mortales reuelandi, quòd Virgo integerrima, & purissimaDeum hominem conceptura, & paritura esset? Iccirco monentur Hebræi, apud quos hoc miraculum Virginei partus à Diuina omnipotentia erat exhibendum, & qui mortalium maximè fidem illi erant negaturi, ab Isaia: *Attendite ad petram, vnde excisi estis.* Isai. 51. Semper nimirum vt oculos haberent, animósque conuersos io Hebrææ gentis Patriarchas, & Patriarcharum coniuges adeo infœcundos, vt instar saxorum ac rupium aridi, & infœcundi extiterint, nec nisi mirabili beneficio Dei prolem fœcundati reddiderint. O vos (inquit) perfidi, qui Dei Filium de Virgine Matre in terris

Sterilis partus à Deo donati. Procopius.

Deo committenda nostri prouidentia.

Virginis partus in antiquis præludiis.

Isaia 51. Partus sterilium præfigurabant fidē Virginis partus.

naturum credere non vultis; attendite ad Saram, ad Rebeccam, ad Rachelem steriles, & instar saxorũ arentes; quibus parentibus vestrum genus mirabiliter generatum est, vt figura esset, ac præludium natiuitatis Christi ex Virgine. Maximè verò id operata est Dei omnipotentia proximè ante partum Virginis in ortu Ioannis Baptistæ, quem suo Messiæ præcursorem præmittebat, ex parentibus longæuis, atque infœcundis. In partu siquidem Elizabeth sterilis, ac vetulæ Deus quasi prolusit ad partum Virginis. Quod S. Gregor. Nyssen. *orat. in diem natal. Christi* eleganter his verbis explicat: Viam hominibus muniens Diuina gratia, ne Virginis partus incredibilis putaretur, minoribus miraculis fidelium assensum sic exercuit, vt fœmina sterilis, & vis iam ætate confectus filium susciperent. Hoc mirandi Virginis partus procœmiũ fuit. Et enim sicut Elizabeth, quæ sterilis ad senectutem peruenerat, non potestate naturæ fit mater, sed ei Diuino consilio filius nascitur: sic quod in virgineo partu non credendum videtur, si referatur ad Deum, credibile est. hæc ille.

S. Greg. Nyss. Ioan. Baptistæ natiuitas ex sterilibus.

12. Anxia desiderio prolis Rachel petit à marito liberos; oimirum, vt Procop. intelligit, virilem congressum pro concipienda sobole appetebat quasi vna è reliquis mulieribus, quarum conuersio ad viros est, appetitus videlicet, ad concipiendum fœtum, qui non nisi à viro fatus in aluo fœminæ coalescit. At ô sola inter mulieres benedicta, quæ prima virginitatis erexit vexillum, votóque speciali corporis, & animæ perpetuam integritatem promisit! Profectò non sibi aliam inuenisset certiorem viam, qua gratiam illam mereretur apud Deum, vt ex infinito numero fœminarum, quæ à Deo creata sunt, aut creari possent, sola in Dei matrem assumeretur. Nec enim decebat ex alia, quàm ex Virgine incorrupta Deum hominem nasci. Quare optimè Origen. *lib. 1. contra Celsum* loquitur in hanc sententiam: Veri magis conuenit gignere *Emmanuelem*, quod est *nobiscum Deus*, mulierine more fœminarum grauidæ, an puræ, & castæ Virgini? Certè hanc decet parere talem prolem, quæ nata dicatur *nobiscum Deus*. hæc Origen. Est quidem insigne diuinitatis Christi natum esse ex Virgine; nec aliud sublimius, & supra naturæ leges miraculum Dei Filius in mundo est operatus, quàm vt de Matre omnino in cōceptu, & partu, & post partum illibata nasceretur. Vt propterea Virginem parere per antonomasiam dicatur à S. Ambros. signum salutis *lib. de fide resurr.* eo quòd inter omnia Redemptoris, & redemptionis miracula, hoc vnum Virginei partus maxime sit principale, atque ipsomet mundi Seruatore dignum, qui salutem hominibus allaturus integritatem pudoris Matris suæ non (vt reliqui filij) temerauit, sed conseruauit, & sacrauit. Meritò (inquit S. Leo) virgineæ integritati nihil corruptionis intulit partus salutis; quia custodia fuit pudoris, editio veritatis, oportuit vt primò genitricis integritatem nascens incorruptio custodiret, & complacitum sibi claustrum pudoris, & sanctitatis hospitium diuini Spiritus virtus infusa seruaret, qui statuerat deiecta erigere, confracta solidare, & superandis carnis illecebris multiplicatam pudicitiæ donare virtutem. hæc ille, *serm. 1. de Natiuit.*

Procopius.

B. Maria votum virginitatis Deiparæ effecit.

Decebat Deū hominē nasci ex Virgine. Origen.

Summum Christi miraculum nasci de Virgine.

S. Ambros.

S. Leo. Natiuitas Christi de Virgine.

13. Egregiè vocat partum salutis, in quo saluata est Matris integritas: quam in conceptu perditam, iterum etiam in partu grauiùs (quia laxiùs) deperdi cæteræ matres dolent, ac gemunt. At in Virgine Deipara multiplicatam dicit pudicitiæ virtutem in conceptu scilicet, atque in partu. cum etiam

B. Maria multiplicata virginitas.

etiam quia Virginis puritas Deum pariens longè pulchriùs irradiauit iuxta illud S. Aug. Cum seruilem casam pes ostium fidei speratus quondam dominator intraret, rubuit inuiolata virginitas, nec pellulum pudoris infregit, quia in sacris visceribus radius æternæ claritatis effulsit. hæc S. Aug. *serm. 17. de Natiuit.* Illustrior quidem, ac pulchrior Virginis puritas cum Deum Filium suum peperit, ad eum modum apparuisse videtur, quo vitreum aut crystallinum speculum, quod in se pulchrum, & clarum est, solis radio per ipsum commeante, nitidius, formosius, splendidiúsque redditur. Hoc ipsum Spiritus sanctus expressum voluit, cum Virginem affatus dixit: *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis.* Cant. 7. In tritico summa fœcunditas in liliis summa integritas indicatur. Nam quæ fœcundior vnquam Mater, quàm quæ vno partu edidit Regem cæli, & terræ, Deum hominem, & cum eo pariter Angelis gloriam, hominibus pacem, peccatoribus redemptionem, ac salutem? Quæ Virgo integrior, ac purior, quàm ea, cuius venter ante conceptum erat viridarium consitum liliis, & post conceptum, partúmque sic integrior, ac purior extitit, vt præter interna lilia, exteriùs vndique ad instar sepis, ac muri circundetur liliis, ac muniatur? Matres omnes deflorat conceptus, laxat, disrumpit, & quodammodo labefactat partus: at hæc vna mulierum benedicta, sola inter matres Virgo, sola inter virgines Mater, etsi antea infinita puritate floruerit, in ipso tamen conceptu, & partu in immensum florida, pulchra, & pura extitit. Decebat enim, vt misericors Deus ad præstandam hominibus misericordiam veniens, infinitum misericordiarum cumulum Matri suæ, ventríque illius, in quo morabatur, elargiretur.

S. August.

Cantic. 7.

B. Maria Virgo Mater

Deus infinitè misericors erga Matrem.

14. Quapropter Virgo Mater inseruata, & aucta sui corporis, & animi puritate à Filio Saluatore primitias tulit salutis: vt per quam (ait S. Ambros.) salus omnibus parabatur, eadem fructum salutis hauriret ex pignore. hæc S. Ambros. *ad Luc. 1.* Proh quàm magnificus mundo Princeps nascitur! Proh quanta homines fiducia, spéque repleri æquum est! Effundendæ siquidem hominibus beneficentiæ, infinita immensi pretij pignora Matri suæ confert veniens in terras, qui diues est in misericordia, & in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. Quicquid igitur in Patriarchis sanctísque illorum fœminis, aut pulchrum, aut purum, aut laudabile fuisse legitur, omne illud ad virginis Deiparæ gratiam repræsentandam velut vmbra, primáque cælorum lineamenta extitisse credendum est. Vniuersim quippe omnia contingebant illis in figuris: quo pacto etiam tota hæc historia Iacobi, & vxorum, haud dubiè Christum Dominum eiúsque familiam præfigurabat. Hic enim Liæ cóplures in Christiano coniugio, non tam fœcundę liberis, ad Christi Domini gloriam, quàm virtutum operibus visuntur. Hîc innumeræ Racheles Christo tantùm copulatæ admirabilem, atque Angelis parem corporis & animæ puritatem colunt, eò pulchriores Rachele, quò cæteras corporis dotes vna gratiarum omnium pulcherrima continentia excellit. Hanc legis Christianæ felicitatem non significarunt modò, & prædixerunt antiqui Patres, & prophetæ, sed etiam videre cupientes à longè (vt ait Apostolus) salutarunt. Nimirùm, quòd inter mortales iustum, purum, sanctum, ac Diuinum primæui Patres futurum præscierunt, & oculis suis gestum, & completum vsurpare desiderarunt: id omne cum aduentu Dei hominis per Virginem Dei Matrem in Ecclesia Christi Domini quotidie, vsurpamus.

Primitias salutis à filio B. Maria accepit.

S. Ambros.

Pignora misericordiæ Deus Matri contulit.

Lia & Racheles in Ecclesia Christi.

Hic finis est legis, & sanctorum Patrum spes votáque hooc in integrum expientur: cuius quidem sententiæ præclarum, atque eruditum S. Hilarius testimonium in præcursore Domini Ioanne Baptista inuenit. Hic enim Domino viam muniturus sublimi quodam mysterio scribitur edere solitus locustas, & mel syluestre. In esum quippe (ait S. Hilar.) eliguntur locustæ, fugaces hominum, & ad omnem aduentus nostri sensum auolantes: nos scilicet, qui ab omni sermone, & congressu Prophetarum impiis quibusdam corporum saltibus efferebamur, voluntate vagi, in operibus inutiles, in verbis queruli, sede peregrini. Sic ille perquam luculentè Gentilem populum, qui subinde ad fidem Christi Domini maximè fuit aggregatus, vocat locustas, vile quidem animal, insuaue, inutile, ac leuiculum. Ex quo tamen suauissimum sibi Dominus mel construxit, & Christianam Ecclesiam, qua nihil pulchrius, ditius, & constantius ad omnem æternitatem exædificauit. Addit ergo S. Hilar. Nunc sumus Sanctorum alimonia & satietas Prophetarum, electi simul cum melle syluestri, dulcissimum ex nobis cibum, non ex aluearіis legis, sed ex truncis syluestrium arborum præbituri. hæc ille, *in Matth. Canon. 2.* Christianæ legis, ac gentis sanctitatem suam famem, ac spem Patriarchæ, Prophetæ, & Patres antiqui omnino expleuerunt. Satiauit planè veterum Sanctorum vota, & desideria, cogitationésque, & vaticinia Ecclesiæ Christianæ fides in mysteriis, spes ad beatitudinem, charitas in operibus, sanctitas denique in castimonia corporum, & animarum. Quæ quidem omnia ex pulcherrimo, integerrimo, & fœcundissimo Deiparæ Virginis vtero germinarunt, ac prodierunt. Satum quippe granum illud benedictum in eo adoleuit, quod fructu suo terram pariter, ac cælum repleuit vniuersum.

S. Hilarius.

Gentes ad Christum conuersa.

S. Hilarius.

Antiquorum vota & spes in Ecclesia sanctitate complentur.

B. Maria vterus Deo, & gratijs fœcundus.

SECTIO II.

Cui iratus respondit Iacob: Num pro Deo ego sum, qui priuauit te fructu ventris tui? At illa: Habeo, inquit, famulam Balam: ingredere ad illam, vt pariat super genua mea, & habeam ex illa filios. Deditque illi Balam in coniugium: quæ, ingresso ad se viro, concepit, & peperit filium.

1. CVi iratus &c.] Inciuilis planè, atque insipiens mulier petebat à viro, quod Dei donum est, nempe fœcunditatem, ac liberos. iuxta illud: *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini Filij merces fructus ventris.* Psalm. 126. Litteralis sensus horum verborum hic est. Cum Dominus placidam, & suauem iustis, quos vnicè diligit mortem, vtique maximum suæ clementiæ beneficium, concesserit, non illorum memoria peribit; non facta, & virtutes obliuionis sarcophago cum corporibus pariter sepelientur. Enimuero pro patribus filij exurgent, qui defunctorum nomina, gloriam, & virtutum nunquam intereuntium decora conseruabunt. Tales verò filij haud dubiè pro singulari Dei beneficio habentur, tanquam merces temporaria meritorum, & eximius humanæ naturæ fructus, quem à Deo votis omnibus antiqui patres expetebant: cum inter Diuinas promissiones, de bonis siquidem humanis,

Psalm. 126.

Filij beneficium Dei.

illa vna esset vel potissima; non futurum sterilem vtriusque sexus apud illos, *Deut.* 7. Dicuntur etiam filij *hæreditas Domini*; tum quia liberos elargitur Deus parentibus tanquam pretiosissimam substantiam, & potissimum patrimonium: quid enim aut pulchrius, aut diutius esse potest in terrestrium bonorum supellectili, quam sint liberi? tum etiam quia filij instituti cedunt in hæreditatem, ac diuitias Domini, è quibus virgines, martyres, confessores, & quicunque virtutem, ac pietatem colunt, atque adeo vniuersa Christianorum Respublica in terris, & Sanctorum in cælis, beatissimi, & præstantissimi cœtus prodierunt. Sic laudatur hæreditas sancta nepotum, *Ecclesi.* 44. Sic Paulus orbem circumiens, & innumeris terra, marique laboribus, ac periculis exercitus, dicebat se filios parturire, donec in eis formaretur Christus. *Galat.* 4. hoc est, vita, & sanctitate morum similes Christo, vt filij patri, euaderent.

Filij pulcherrimum in terris bonum.

Eccl. 44.

1. Illud obiter adnotarim, quot, quantisque laboribus, ac molestiis filios (vt ita loquar) comparent parentes, & possideant. In hac enim hæreditate percolenda durantur miseri gelu, & niuibus, æstúque vruntur. Pro hac mercede lucranda nullum non periculum subeunt, nullis non afflictantur ærumnis, & contabescunt. Ad fructum istum & promendum, & conseruandum præter sudores patris, miseræ quidem matris, dum fœtum gestat, dum parturit, dum parit, dum nutrit, infinita discrimina, tædia, ærumnæ, calamitatésque tolerantur. Conceptus quippe (vt loquitur S. Hier. ad locum Apostoli citatum) in vtero matris fœtus statuto tempore funditur in lucem, & tantis difficultatibus nascitur, quantis postea, ne intereat, enutritur. sic ille. Et erunt tamen sic barbaris moribus, efferatique ingenio, velut stipites, & cautes, non pauci filij, qui parentibus nec honorem exhibeant, nec solatium; qui parentum ærumnis, & extremis acerbitatibus non emolliantur? Porrò sublimior ille sensus est de Christo Domino: licet enim & copiosa, & sancta filiorum multitudo in hæreditatem, & diuitias Domini computetur, at merces tamen bonorum operum, ac meritorum, quæ iustis in cælo reposita custoditur, Christus est IESVS, qui solus in toto humano genere dicitur *fructus ventris*, id est, in materno vtero tantùm, & non alterius ope, culturáve satus, altus, indéque productus. Quod quidem S. Hieron. ad versum prædictum Psalm. 126. ita subnotauit: Sed & ipse Dominus natus ex Virgine factus est *fructus ventris*, cuius assumpta humanitas hanc accepit mercedem, vt gentes vocatæ in filiis sint hæreditas eius. *Dedit eis* (inquit) *potestatem filios Dei fieri, qui credunt in nomine eius.* Ioann. 1. hæc ille.

Laboriosi parentibus filij.

D. Hieron.

Filij erga parentes impij.

Christus ventris fructus.

D. Hieron.

Ioan. 1.

3. O felix Christianorum genus, quod ex gentibus natum, & congregatum Dei hominis hæreditas, mercésque habetur! Ac (nisi me fallit amor patriæ) felicior multò adhuc est Hispanorum gens, quæ ad Christi fidem conuersa, eandémque a primæuo suo tyrocinio vsque ad hanc horam tot per annorum spatia conseruans ac defendens incorruptam, pérque gentes barbaras, nouósque & antiquis ignotos terrarum orbes disseminans, peculiare Domini peculium, & secura, inconcussáque possessio appellatur ab ipso æterno Patre, cum Filium sic alloquitur: *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Psal. 2. Affatur æternus Pater Filium suum in ipso incarnationis momento, aut vbi natus è Virginis vtero in lucem prodiit. Ei quippe (vti aduertit S. Hieron.) qui natus est in tempore, dicitur, &c. Vult igitur Pater, vt Verbum caro factum postulet, quod & dignum tanto Patre, tantoque Filio, & quodammodo incarnationis suæ præmium integrum esse videatur: nec aliud ita postulat, nisi conuersionem gentium, & vel maximè fidem, & pietatem Hispaniæ. Hæc enim Christi, & Christianæ Ecclesiæ secura, integra, & illibata possessio. Quod autem Hispania per voces illas (*terminos terræ*) intelligatur, nullus vel profanis leuiter tinctus literis inficiabitur. In hac enim occidentis plagæ terminos, & orbem circumiens laborando Hercules, & Mathematici eundem dimetiendo, posuerunt.

Fides Hispanorum.

Psalm. 2.

D. Hieron.

August.

Hispania Christi possessio.

Occidentis terminus Hispania.

4. Præcipuè verò Lusitania mundi terminus dicitur, extrema scilicet orbis occidui, & Hispaniæ totius regio, atque adeo ipsius Lusitaniæ vltimus terminus est hæc (in qua nunc scribo) Olisipo, vel ipsis omnibus pene Geographis testibus, terrarum omnium in orbe occiduo postrema. Hinc enim propè visitur illud promontorium, quod nostri dixerunt *Cabo d'Espichel*. de quo ita Plinius scribit in Lusitaniæ descriptione: Excurrit deinde in altum vasto cornu promontorium, quod alij Artabrum appellauere, alij magnum, multi Olisiponense ab oppido terras, maria, cælum disterminans. Illo finitur Hispaniæ latus, & à circuitu eius incipit frons. sic ille, *lib.* 4. *cap.* 21. Plinium vti simia referens, imitatúsque Solinus ita scribit: In Lusitania Hispaniæ promontorium est, quod Artabrum alij, alij Olisiponense dicunt. Hoc cælum, terras, maria distinguit. Terris, Hispaniæ latus finit, cælum, & maria hoc modo diuidit, quod circuitu eius incipiunt Oceanus Gallicus, & frons Septentrionalis, Oceano Atlantico, & occasu terminatis. Ibi oppidum Olisipo, ab Vlysse conditum: ibi Tagus flumen. hæc ille. En vides Olisiponensi hoc promontorio partem orbis occidentalem finiri, quin & maria, & cæli plagas hic terminari? Certè Romanorum primos, qui venerunt in Lusitaniam, duo vel maximè obseruasse cum incredibili admiratione accepimus, nimirum insignem interamnensis tractus amœnitatem, cuius aspectu mirandum in modum oblectati obliuionem deinde suæ Romæ, atque Italiæ imbibebant; vt propterea Lethen, fluuium obliuionis ab antiquitate confictum, in hac eadem regione constituerint: sic enim Limæam, siue Liniam fluuium, vulgo Limam appellarunt; quod nomen etiam inditum à Romanis suspicor illi peramœno riuulo, qui prope Brachatam fluitat, nostri dicunt *Leste* antiquis dictum (vt etiam fama tradit) Lethen. De hac regione, licet multa, & admiranda, vel Geographi, vel alij scriptores prædicent, minora tamen adhuc sunt, quàm quæ quotidie nostris oculis vsurpamus, vt non incommode, ac temere campos Elysios, & Lethen obliuionis fluuium in hac Portugalliæ regione, aut constitutos, aut confictos esse ab antiquitate arbitremur. Alterum Romanis stuporem fecit promontorium Olisiponense, in quo cadentem Solem quasi occultari, atque immergi videmus, qui Olisiponem colimus. Qua de re ita scribit Lucius Florus *lib.* 2. *cap.* 17. Decius Brutus aliquantò latiùs Gallæcos, atque omnes Gallæciæ populos, formidatúmque militibus flumen obliuionis; peragratóque victor Oceani littore, non priùs signa conuertit, quàm cadentem in maria Solem, obrutúmque aquis ignem, non sine quodam sacrilegij metu, & horrore deprehendit. hæc ille.

In Lusitania maximè terminus Occidentis.

Plin.

Olisipone terminatur orbis.

Solin.

In Lusitania interamnensis regio commendatur.

Promontorium Olisiponense Romanis fuit prodigio.

Luc. Flor.

Solis occasus Romanis horribilis.

5. Colligo ex his omnibus, Lusitaniam intelligi à Propheta cum de terminis terræ agat. Nec

enim

Lusitanorum laus ex fide Christiana.

enim vlla regio in occidentali orbis plaga magis extrema est: nec vlla in toto Christianæ gentis orbe aut puriùs, aut fideliùs, aut constantiùs Christianam fidem colit, aut pro eadem per gentes exteras, & barbaras vsque ad Sinas, & Iapones extremos mundi populos disseminanda, & conseruanda pluribus, terra, marique laboribus & periculis defungi, maiores sumptus facere, abundantiorémque iugiter sanguinem profundere videtur. Scio equidem esse nonnullos è recentioribus, qui citata Plinij, Solinique verba nitantur cauillari, sed præstat antiquitatem venerari. Porrò non extra chorum, cum ita per Lusitaniam excurrimus, vt cauillator dixerit, saltauimus. Illustrandus quippe locus erat Prophetæ de gentium ad Christi fidem vocatione, inter quas nulla meo iudicio hæreditatis, & possessionis Christi Domini, & titulum, & gloriam magis videtur promeruisse. Profectò cum fidei Catholicæ amorem, & studium in Lusitanis hominibus percelebrandum scribo, non tam iudicio meo (falli enim possum in causa patriæ) quàm alieno, valde scilicet incorrupto moueri me profiteor. Enimuero (vt pleræque testantur ab eo missæ literæ) dicere, & scribere solitus est, dum per Orientem alter sanè Paulus orbem circumiens, B. noster Franciscus Xauerius prædicando Domini Euāgelium discurreret: nullam se vidisse, ac nosse inter Christianos gentem, quæ tam pio affectu, constantique zelo Christi Domini fidem Catholicam amplecteretur, & coleret, atque Lusitanorum nationem. Hæc testatur sanctissimus Xauerius vir natione Nauarrus. Sed illustrius adhuc, & antiquius adduco testimoniū. Etenim S. Thomas Apostolus, qui Euangelium Christi Domini prædicauit in India, paulo antè quàm in vrbe Meliapor martyrij gloriam consequeretur, defixit (vt certa fides est) lapideam crucem longiùs à mari, vaticinatus literis eidem lapidi ad huius testimonium incisis: Cum ad eum lapidem vsque pertingeret pelagus, tum Diuino iussu è remotissimis terris candidos homines illuc venturos, vt eodem, quam ipse, Christi fidem eis gentibus prædicarent. Neque fefellit prædictio: siquidem sub Lusitanorum appulsum, occultis tot annorum accessibus locus Oceano demum allui cœptus. Ita ex nostris Lusitaniæ, Indiæque monumentis scribit Maffeius noster *lib. 2. Indic. histor.* Hinc facilè quisque colliget, quàm vera, catholica, & incorrupta sit ea fides Christiana, quam Lusitani homines colimus, profitemur, atque in exteras nationes cum admirabili Christi Domini gloria, Ecclesiæ Romanæ incremento, & animarum prouentu inferimus. Eadem quippe fides est, quam sanctissimus Christi Apostolus ab ipso Domino accepit, ab spiritu sancto edoctus in India gentibus illis etiam suo sanguine contestatam, & confirmatam prædicauit.

Sententia B. Xauerij de fide Lusitanorum.

Prophetia S. Thom. de Lusitanis.

Maffeius.

Vera Christi fides in Lusitanis.

6. Fortassis filios petens à marito Rachel ea periphrasi virum ad maritalem concubitum alliciebat sola cupiditate sobolis. Suspicari possumus propterea sic Rachelem loqui, eo quòd à suo cōmercio alienatum videbat maritum, qui ad vnam Liam tot filiorum iam matrem propendebat. Mirum enim in modum coniugum animi connectuntur, & mutuus amor confirmatur per sobolem matrimonij fructum. quod etiam insinuatur illis verbis, *Erunt duo in carne vna.* Genes. 2. Ad quorum expositionem sic eleganter disserit S. Chrysost. *homil. 12. ad Coloss.* Infans est instar pontis, quamobrem tres fiunt vna caro, infante vtrinque vtrosque coniungēte. Quomodo enim si cum duæ sint ciuitates, & fluuius eas omnino diuidat,

S. Chrysost.

Fœtus parentum nexus.

vna fit ciuitas ponte vtrinque coniungente: ita & hic quoque, & magis quando ipse pons est, ex vtriusque essentia, ea ratione, vt corpus, & caput sunt vnum corpus, collo enim diuiditur: sed non magis diuiduntur, quàm coniunguntur. Nam cum sit medium, vtrumque coniungit. Propterea accuratè dixit: Non erunt vna caro, sed in vnam carnem, nempe infantis, coniuncti. hæc ille. Itaque filius instar pontis maritum, & vxorem, & sexu dissimiles, & genere nonnunquam dissitos, ac moribus disiunctos in amorem, viteque consuetudinem mirabiliter coniungit. Mœrent sanè coniuges, in luctu, & solitudine videtur esse familia, squalet ea domus vbi nulla est soboles, nec plorat infans, nec puer lusitat. Neque verò inficiandum est illā eadem Geneseos verba de ipso etiam matrimonio liberis carente intelligi debere, licet per sobolem astrictior fiat, & clarior appareat in vna carne coniugum vnitas. Quod quidē idem Chrysost. statim hoc modo subiicit. Quid verò quandò non fuerit infans, non erunt duo in carne vna? hoc enim facit coitus. Confundit, & commiscet amborum corpora, & sicut qui in oleum iniecit vnguentum totum facit vnum: ita hic quoque. hæc ille.

Filius instar pontis.

S. Chrysost.

Coniugum vnitas.

7. Non prætereundum est, quàm appositè matrimonium dicatur vnguentum, vtique fragrantissimi, & suauissimi odoris, vbi temperantia est, modestia, grauitas, & honestas, quapropter ad celebritatem nuptiarum admittenda non est histrionum, mimorúmque scurrilitas, & maximè hinc ablegādus omnis lusus, aspectúsque meretricum, & leuicularum mulierum. Quid enim (inquit S. Chrysost.) meretrices, cum oporteret eas præ pudore tegi, cum essent nuptiæ, cum oporteret eas infodi? Matrimonij enim corruptio est scortatio. Quando vnguentum componitis, nihil malè olēs sinitis appropinquare Matrimonium est vnguentum. Cur cœni fœtorem inducis in compositionem vnguenti? hæc ille citato loco. Vniuersim omnis intemperantia, & immunditia procul esse debet à sancto coniugio, vti cœnum, & quarumcunque sordium graue olentium fœtor, & spurcitia lōgè distat à suauitate odorum, è quibus compositum coalescit vnguentum. At quantò fragrātior est suauitas odoris, quæ de puritate corporis & animæ solet efflari? talis planè, vt virginitas de terris in cælos suauissimum odorem exhalans, ipsum de sinu Patris Filium in vterum Virginis, in quo spirabat, attraxerit, iuxta illud: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Cant. 1. Et quidem per nardum solent à Patribus intelligi virtutes, bonáque opera, vt videre est apud Origen. *homil. 2. ex duabus.* S. Gregor. *li. moral. 35. cap. 13.* Et ad locum *Cant.* Et præcipuè odor iste ab humili Virgine spirans virginitas fuit, cuius gratia Domino placuit. Fragrat enim vnguentum gratiæ (inquit S. Ambros.) ex quo Virgo generauit; & Dominus IESVS sacramentum Incarnationis assumpsit. sic ille, *serm. 3 in Psalm. 118.* Inuenit quidem beatissima Virgo gratiam apud Deum, ipsúmque ad Incarnationis mysterium complendum inuitauit non in alius quàm in suo matris vtero, quippe sola, & prima fœminarum ab origine mundi virginitatem suam Deo ipsi consecrauit. Ac propterea Spiritus sanctus Virginis ventrem non minùs purum, quàm fœcundum. eleganti quadam similitudine commendat *Venter tuus aceruus tritici vallatus lilijs.* Cant. 7. Qui locus ad alium non valde dissimilem sensum paulò antè à nobis fuit adductus. In aceruo tritici fœcunditas matris, in vallo liliorū Virginis intacta puri-

Matrimoniū est vnguentū

Meretriciū lusus à nuptijs arcendus.

S. Chrysost.

Virginitas suauissimi odoris.

Cant. 1.

Virginitas Deum attraxit.

S. Ambros.

Cant. 7.

B. Mariæ votum de Virginitate. S. Bernard.

tas insinuatur. Subtiliter in vallo admirabile illud, & immobile (vt vocat S. Bernard.) propositum, imò & votum de seruands perpetua virginitate intelligitur.

8. Bone Deus (dicet aliquis) quo vallo iste aceruus tritici circundatur? Quis murus iste liliorum, quo tantus munitur thesaurus? Sic ventrem Virgineum puellæ omnium pulcherrimæ, & purissimæ lilia circunstipant, & defendunt? Planè ad custodiendam pudicitiam nullus fortior murus, nulla maior defensio, quàm ipsummet propositum, constánsque animus seruandæ pudicitiæ. Ipsa quæ casta esse vult, sibi ipsi murus est, & munimentum. Quod eadem sponsa paulò post de se aiebat in ea verba: *Ego murus: & vbera mea turris.* Cant. 8. Sensus est: Non alium quo muniar, ac defendar, habeo murum, quàm me ipsam mihi. Ego me custodio, tueor, ac protego; instar mihi sunt turrium mea pectora: esse videlicet me fœminam, esse infirmam, esse virginem, faciléque periculis expositam; talémque me agnoscere, hoc ipsum me tutatur, & custodit, vt caueam, vt fugiam, vt abscondar, vt lateam: atque adeo ipsamet infirmitas fœminea vberibus significata mihi pro arce, propugnaculísque ad puritatis thesaurum conseruandum, tutandúmque est: vltra inquam Dei gratiam, sine qua in vanum cecidit omnis humana cura, & industria. Nimirum virgo sapiens, suam agnoscens infirmitatem, séque omni ratione custodiés, meritò murus dicitur, & ex ipsa muliebri infirmitate, sibi turres, ac munimenta constituit. Bene illa ad sodales ait (vti explicat S. Ambros.) Quomodo dicitis, quis non habeo vberes sensus, quæ turres habeo sapientiæ, in quibus est abundantia sicut scriptum est: *Et abundantia in turribus tuis?* Psalm. 121. hæc Ambros. *serm. 22. in Psal.* 118 Quæ abundat sensibus, quæ sapiens est, suo pudori consulit, nec facilè exponit margaritam, quæ semel amissa recuperari nó potest. Nec enim virginitas mortua in pristinum statum & vitam excitari vnquam poterit. Velit igitur virgo, & quantum in se erit adnitatur, vt virginitatem custodiat illibatam, verecundetur ad quamlibet, vel tenuem leuitatis, & lasciuię vmbram, haud dubiè virgo, etiam inter incendia Babyloniæ fornacis illæsa persistet. Quod quidem etiam ethnicum Poëtam haud latuit, qui cecinit:

Murus virginitas.

Cantic. 8.

Cauta, & la tens puella, quia infirma.

Prudens fœmina ex sua infirmitate sibi murum construit.

S. Ambros.

Psalm. 121.

Verecundia puellam tutatur.

Quàm peccare pudet, Cynthia tuta sat est.

Propert. *lib.* 2.

Vbi pudor nō est, cadit virginitas.

9. Contra verò nulla de statu virgineo cecidit, quæ insipiens non sit, quę priùs verecundiam non amiserit: quam cadere in facinus non pudet, illa cadet. Perit enim in primis mente (vt scripsit S. Hieron.) virginitas: qua stultitia notantur illæ virgines, quæ oleum non habentes excluduntur à sponso. sic ille, *Epistol. ad Eustoch. de custodia virginis.* Vitãdus ergo virgini quilibet vel tantulum periculosus aspectus. Et quidem Dauid tantus Propheta deambulãs super tectum domus suæ, Bethsabeæ captus est nuditate, adulterio iunxit homicidium. Vbi & illud breuiter attende, quod nullus sit etiam in domo tutus aspectus. sic idem *citata Epistol.* Quid fiet igitur virgini, si foras incauta exeat, si temerè vagetur, si se imprudenter curiosis prætereuntium oculis obiiciat? Rectè igitur monet idem Hieron. onusta incedis auro, latro tibi vitandus est. Nemo inter serpentes, & scorpiones securus ingreditur. hæc ille. Proh quàm multæ, & quàm venenatæ, atque importunæ bestiæ contra vnam virginitatem coniurarunt: nulláque periculosior, quàm ipsa sibi virgo, si nimium confidit, si temere audet, si thesaurum, quem in se portat, facilè contemnit! Itaque (affatur Eustochium idem S. Hieron.) obtestor te coram Deo, & Christo Iesu, & electis Angelis: ne vasa templi Domini, quæ solis sacerdotibus videre concessum est, facilè in publicum proferas: ne sacrarium Dei quisquam profanus aspiciat. Oza Arcam, quam non licebat tangere, attingens, subita morte prostratus est. Neque enim vas aureum, & argenteum tam charum Deo fuit, quàm templum corporis virginalis. hæc ille. Ex his ergo amplius colligo (quod alibi iam præmonui) quam sit formidandum lasciuo contactu, & (quod omen Deus auertat) venereo concubitu sacram Deo virginem fœdare. Planè Deum sibi, & in vita, & in morte vehementer iratum sentiet, qui sponsam Deo suam rapuerit, ac violauerit. Solet huiusmodi adulterium, & sacrilegium incendiis deputari sempiternis.

D. Hieron.

Vbique periclitatur pudicitia.

D. Hieron.

Incauta puella periclitatur.

D. Hieron. *Templū Dei corpus Virginis sacra.*

Violatio sacra virginis in gehenna punitur.

10. *Num pro Deo.*] Hoc est, num ego sum Deus, qui vitam, & liberos tribuam? Chald. habet. *Nunquid à me tu petis filios?* Nunquid à facie Domini tu debuisses petere, qui prohibuit à te generationem ventris tui? &c. Quinque enim sunt quæ in sacris literis Deo reseruata esse leguntur, vt propterea quinque claues naturæ circa res illas naturales in sula Dei manu positæ dicantur. Sunt autem clauis pluuiarum, quas ex suis thesauris ad libitum effundit: iuxta illud: *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, vt tribuat pluuiam terra in tempore suo.* Deuter. 28. Clauis ventorum. Psalm. 134. *Qui producit ventos de thesauris suis.* Clauis vitæ, atque generationis, vt ex hoc loco & aliis colligitur. *Clauis alimonia ad pellendam famem.* Psalm. 144. *Aperis manū tuam, & imples omne animal benedictione.* Clauis denique sepulchrorum, hoc est, resurrectionis. *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris.* Ezechiel 37. Hæc omnia non viribus naturæ, sed solius Dei potestate & arbitrio dispensantur. Igitur (vt obseruat Theodor.) cum Rachel angeretur, quòd liberis careret, stolidéque diceret, *Da mihi liberos, alioqui moriar*, piè quidem obiurgauit illam Patriarcha, & docuit, quisnam esset naturæ creator: & quòd nuptiæ non darent liberos, sed qui nuptiis legem dedit Deus. hæc ille, *quæst. 84 in Genes.* Quare non est quòd coniuges impensiùs doleant, & conquerantur, vbi se vident carere filiis, siquidem à Deo dantur, & negantur. Nouit misericors Dominus quid cuique nostrum expediat. Ac sæpe quidem videmus, nihil infelicius, vel ad vitam, vel ad salutem æternam plurimis obuenire, quàm vt filios habuerint, quorum prauis moribus miseri parentes contabescant: quos videant ante suos oculos, aut in furcam suspendi, aut alio id genus infami supplicio propter detestanda flagitia trucidari: vel etiam sclopo traiectos, aut pugione confossos, aut gladio peremptos morte immatura, & miseranda perire. Ah quoties miseræ matres lamentando, & eiulando repetunt: *Felices, quæ non genuerunt!* Atque vt hæc omnia desint, illa est non minùs vera, quàm celebris Tertulliani sententia, quam alibi præscripsimus: *Amara est liberorum voluptas, &c.* Et patrem nunquàm fuisse habebatur prima felicitas apud antiquos, vt eorum vulgata paroemia contestatur. Quare quod prędixit Dominus futurum tempore obsidionis, & euersionis Hierosolymæ: *Ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt.* Luc. 23. hoc ipsum nostris diebus frequenter vsurpant complures, quæ filiorum aut flagitiis afflictantur, aut suppliciis, miserandísque euentibus perimuntur.

Quinque claues natura in manu Dei.

Deuter. 28.

Psalm. 134.

Psalm. 144.

Ezech. 37.

Theodor.

Filij à Deo dantur.

Filij parentibus tormento sunt.

Tertull.

Dolor inconsolabilis ex filiorum calamitatibus.

11. Etsi autem in eo, quod petiit à marito, A parum considerata prudénsque fuerit Rachel, hoc vno tamen non vulgarem meruit laudem, quòd fœmina suopte ingenio impatiens, & querula, & loquax agnoscit se iustè increpari; atque iccirco non obloquitur, non obmurmurat, non culpam excusat: sed memor Saræ, quæ simile quippiam fecerit, cogitat, saltem ex ancilla filium adoptiuum habere, quem vti suum tractet, & educet, & amet; petit igitur à marito, suam vt famulam ducat vxorem, ex qua possit filios progignere. Vt

Filius ædificium.

habeam (inquit) ex illa filios. Hebr. *Ædificabor etiam ego ex illa.* Ædificium apud Hebræos putatur esse filius, eo quod patri adiungitur vti domus

Familia quasi palatium.

recenter extructa domui antiquæ. Fitque familia, B quasi vnum palatium tot constans ædibus, quot filij cum parentibus visuntur. Seu etiam filius dicitur ædes, eo quòd in filio parentum amor, cura, solicitudo, vt in æde quiescat: & coniuges absque liberis mœreant, solique, & deserti videantur instar erronum, atque inopum tecto, & familia carentium. Filius enim familiam efficit,

Filius familiam facit & recreat.

domum risu, & gaudio replet. Assensit Iacob; & Balam Rachelis famulam duxit vxorem, & quidem legitimam; quippe tunc licitum erat viro plures in matrimonio simul habere vxores. Enim-

S. August.

uerò (vti argumentatur pro Iacob S. August.) nec contra naturam, nec contra mores, nec contra præcepta Iacob plures simul vxores habebat. Si naturam consulas, non lasciuiendi, sed gignendi causa illis mulieribus vtebatur. Si morem, illo tempore, atque in illis terris hoc factitabatur. Si C legem, nulla lege prohibebatur. hæc ille, *li.* 22. *contra Faust. cap.* 47. Porrò colligi videtur ex hac sententia S. August. polygamiam iure naturæ nunquam fuisse prohibitam: quod quidem defendunt Durand. Abulens. Medin. Couar. & plures alij quos refert doctissimus noster Henriquez.

Quomodo prohibita polygamia.

li. 11. *de Matrim. cap.* 2. Cæterùm consonantius veritati loquuntur, qui dicunt polygamiam huiusmodi non esse prohibitam omnino iure naturæ, hoc est, non esse contra prima, & vniuersalia præcepta decalogi, sed tamen aliquo modo aduersari iuri naturæ, quatenus est contra conclusiones à primoribus illis præceptis, ac principiis deriuatas: D non enim repugnat primario fini matrimonij, sed non satis cum matrimonio congruit, si omnes il-

Sanchez.

lius fines spectentur. ita noster Sanchez, *tom.* 2. *lib.* 7. *de impedim. disput.* 80. *num.* 7.

12. Quocirca, non est quòd Iacob, & reliquos Patriarchas in pluralitate vxorum libidinosos appellet Manichæus, cum sola cupiditate prolis, cuius multitudo pro Dei benedictione singulari habebatur; non autem æstu profusæ intemperantiæ, in complures fœminas raperentur. Sancti enim Patriarchæ (inquit S. Aug.) coniugibus

In Patriarchis studium prolis, non libido.

S. August.

excipientibus semen suum miscebantur non concupiscentia percipiendæ voluptatis, sed prouidentia propagandæ successionis; ac per hoc non E illos libidinosos multitudo faciebat vxorum. sic

Vxores Patriarcharum filios, non libidinem curabant.

S. August.

ille, *lib.* 22 *contra Faustum, cap.* 48. Neque verò vlla vel tenuis concupiscentiæ labecula iis mulieribus inhæsit, dum tantopere mariti congressum expeterent. Cum ipsas (inquit S. Aug.) satis eluceat, nihil aliud in concubitu appetisse, quàm filios: quippe vbi se minimè parere viderunt, famulas suas dederunt viris suis, vt illas matres facerent carne, ipsæ fierent voluntate. sic idem citato loco. Et quidē sola cupiditate prolis commotas, non autē ardore libidinis percitas, aut inter se rixari, aut mariti concubitum pellicere has fœminas euidens illud est argumentum; quòd famulas suas marito ipsæmet tradiderint in vxores. Vbi enim aut visum, aut auditum est fœminam libidinosè amantem viri sinere alterius pellicatum: ac multo minùs viro suo alteram vxorem inducere, cum ingenium muliebre sit impatiens consortis, atque vt verè dicam, ipsamet zelotypia, inuidia, furor?

Mulieris ingenium.

Quare cum in plures vxores diuidi virum suum paterentur, haud dubiè non æstuabant libidine, sed opinione felicitatis mouebantur, ratæ illam in multitudine posterorum consistere, quod inter Patriarchas celebre acceperant. Accepit igitur Iacob duas illas vxorum priorum famulas in legitimum matrimonium, vt & copiosam prolem susciperet, & precibus vxorum acquiesceret. Quod

Theodor.

quidem (inquit Theodor.) nullam libidinem denotat, sed viri mansuetudinem, qui vxoribus inseruire studebat. sic ille, *q.* 84. *in Genes.* Erat enim

Iacob polygamiam admisit coactus.

tunc licitum, vt satis diximus, pluribus coniungi vxoribus, quod quidem Iacob nunquam pro libito commisit, sed vi aliqua, aut euentu coactus. Liam quippe non duxit nisi deceptus, existimans Rachelem, quam solam adamauit: dein illarum ancillas & vxorum consensu, ac precibus commotus accepit: maximè verò Rachelem (vti ad-

Theodor.

uertit Theodor.) placare volens, postulationi annuit; petierat enim ab eo, vt ancillæ permisceretur, vt puerum, qui ex illo nasceretur, suum vocaret; atque adeo Balæ permixtus est, non voluptatis gratia, sed vt coniugem placaret. sic ille.

13. Ingressus igitur est Iacob ad Balam Rachelis ancillam, sed veram iam, & legitimam vxorem, hoc est, maritale commercium cum Bala habuit; sic enim Hebræi coniugalem copulam honestè nominant. Et quidem videtur ex more illarum gentium, atque ætatum orta locutio, quia videlicet moris erat, vt vir ad fœminam, non hæc ad illum ingrederetur. In nuptiis quidem prior fœmina in lecto collocabatur, & dein vir ad eam in tenebris accedebat, vt ex cap. 29. suprà collegimus. Non hunc sensum (vt obiter hoc subnotemus) habet Luc. 1. illud: *Et ingressus Angelus*

Lucæ 1. Explicatur locus de Virgine Maria.

ad eam dixit. Significat enim Angelum introisse in illud sacrosanctum Virginis secretum, vbi Virgo beatissima in altissima contemplatione (vt creditur) incarnationis Verbi diuini Patribus promissæ atque exoptatæ posita Deum precabatur. Denique (vt veriùs literam explicem) verba illa (*ad eam*) non cum priore (*ingressus*) coniunguntur, sed ad subsequens verbum (*dixit*) referri debent. Sensúsque est: Angelus in conclaue secretiùs illius domunculæ ingrediens, dixit ad eam Virginem, ibi absconditam, & orantem affatus est, atque adeo tota si qua est ambiguitas tolleretur, si litera sic procederet. Et Angelus ingressus illi dixit, eodem quippe sensu & phrasi posuit paulò inferiùs interpres: *Dixit autem Maria ad Angelum.* Conducent isthæc pro instruenda nonnullorū imperitia, qui vel in plano (vt aiunt) cespitant.

SECTIO III.

Dixítque Rachel: Iudicauit mihi Dominus, & exaudiuit vocem meam, dans mihi filium. & idcirco appellauit nomen eius, Dan. Rursúmque Bala concipiens peperit alterum, &c. vsque ad *Aser.*

1. EXultat ancillæ partu veluti suo Rachel: In hac (inquiens) lite, quam gero cum sorore mea, Dominus tandem mihi rem adiudicauit, iu-

stè mecum egit, dans mihi filium, saltem adoptiuum, mihi scilicet debitum iure ipso matrimonij: quorsum enim mulier nubit, nisi vt pariat filium? Vxori siquidem quasi debentur liberi, quæ ad hoc facta est in adiutorium viri; quæ iccirco virginitatem suam viro sacrificat; seséque mille molestiis, ac periculis in gestando fœtu, atque in pariendo, & nutriendo exponit. Ah quàm stat charò filius matri! quantis illum misera impensis emit! Sed quàm pauci filij amorem, & laborem matrum aliqua ex parte rependunt! Vide muliebre ingenium, quàm leui ex causa, penéque nulla triumphat Rachel? Filium ex ancilla suscipiens adoptiuum, velut grauissimam sibi adiudicari causam, & de pinguissima hæreditate, aut honoris gradu eminentissimo ferri sibi à iudice sententiam gloriatur. Sic planè sunt ferè omnia in fœminis & leuia & inania, & ridicula. Sed multò leuiores, magisque & inanes, & ridiculi, qui muliercularum ineptiis credunt; & obsequuntur. Quantò prudentiùs saperet mulier, si non inuideret fœcunditatem sorori, si nepotes ex sorore (vti suum verè sanguinem) tanquam filios & susciperet, & amaret; nec seruili abiectóque ingenio ad ancillæ partum amandum, & celebrandum sese demitteret? Cæterùm sororis felicitatem, tanquam alienam inuidens, oculis, & animo ægra, & impatiens (quod est liuoris virium) haud poterat non contabescere. Insita quidem est (vt benè loquitur Cornel. Tacit.) mortalibus natura recentem aliorum felicitatem ægris oculis introspicere, modúmque fortunæ à nullis magis exigere, quàm quos in æquo videre. sic ille, *histor. lib.* 2. Quod quidē in Anna, & Phenenna visū est. illa quidem inuidebat huic moltiplicatam sobolem, hæc illi sterilitatem exprobrabat. Fecítque Deus, vt hæc inuidendi, & exprobrandi inter has duas sorores, non etiam desæuierit concertatio. Igitur quasi superior, atque fœcundior (quis risum teneat?) quàm quæ mater iam esset quatuor filiorum, adiudicatam sibi à Deo litem, victámque prosterni sororem gloriabunda ob vnum ex ancillula partum, inanissimè gestit, vocátque infantem *Dan*. Causam nominis (inquit S. Hieron.) expressit, vt ab eo, quod iudicasset se Dominus, filio ancillæ iudicij nomen imponeret: *Dan* quippe interpretatur *iudicium*. hæc ille, *de quæst. Hebr. in Genes.* Dan idem quod iudicauit, à radice דין *Dun*, *iudicare*, *contendere*. Et quidem Dan iudicij, quo vis iustus pollet, symbolum gerit, vt explicat Richard. de S. Victore ad hunc modum: Quia per officium Dan illecebrosas cogitationes arguimus, damnamus, castigamus: rectè eum *Dan*, id est, *iudicium* vocamus. Vnde scribitur: *Dan iudicabit populum suum*. Si ergo iudicium suum diligenter exerceat, non inuenietur quod damnari debeat. hæc ille, *li. de 12. Patriarch.* Talis est aut conscientia perpetuò compungens, atque discrucians: aut mortificatio Christiana vitiosis cupiditatibus bellum indictum habens.

Debitum nuptæ desiderium prolis.

Matri filius laboriosus.

Cuncta in fœminis leuia.

Abiectum fœmina ingenium.

Inuidia de felicitate æqualis.
Corn. Tacit.

Inuritas ridiculam impedio.

D. Hieron.

Richard.

Iudicium quisque de se exerceat.

2. *Comparauit me Deus, &c.*] Rursus Bala Rachelis ancilla peperit ex marito Iacob filium, quem Rachel vti suum cum plausu, & gaudio excipiens inaniter gloriatur, se non modò æquiparatam esse sorori suæ, sed etiam longè illa superiorem, & gloriosiorem extitere ob duplicatum ancillæ partum. Proh inanem, & ridiculam mulieris iactantiam! de duobus ex ancilla filiis gloriatur; seséque hoc nomine audet præferre sorori, quæ naturalis est quatuor liberorum mater. *Inualui*, (exclamat) non modò sororem exæquo, sed sorori præualeo. Victa iacet, dolétque soror,

Ridicula fœminæ iactantia.

A victrix ego triompho En quid tandem mulier est? nimirum ipsamet vanitas risúsque ipse. *Comparauit* (inquit) *me Deus*. Hebr. נפתולי אלהים נפתלתי *Naphthule El him Niphthalthi*. Quæ verba non facilem habent explicatum ob incertam significationem verbi *Pathal* פתל, *peruertere*, *luctari*, *conari*: quare verti potest, *luctationibus*, aut *conatibus Dei*, hoc est, maximis, (quæ scilicet in Hebræo sunt maxima, dicuntur Dei, vt montes, cedri Dei, &c.) *luctata sum cum sorore mea*, videlicet, vt illam superarem, iam fœcunda quæ prius ob sterilitatem inferior habebar. Rab. Dauid vertit: *Verti me* (more luctantis) *& conatum feci cum sorore mea, vt illam vincerem, tandémque inualui*. Cæterùm

Mulier ipsamet vanitas.

B LXX. vertunt: *suscepit*, seu *adiuuit me Deus*; *& comparata sum* Vatabl. *Vicissitudinibus Dei paria feci cum sorore mea*. Oleaster: *Inuolutionibus Dei inuoluta sum cum sorore mea*. פתל *Pathal* enim putat esse *inuoluere*, *tegere*. Rab. Selom: *Conatibus multis conata sum cum sorore mea, vt essem æqualis illi*. deducitur hæc interpretatio à *Pathal*, subuertere, peruertere. Etenim qui cum altero luctatur (inquit Rab. Abraham) vt vincat, nititur pro virili subuertere hostem, vt illum prouoluat in humum. Ad verbum alij transferunt: *Colluctationibus Dei, siue magnis ac difficilibus, callidè colluctata sum, & præualui*. Metaphora videlicet sumitur à luctatore, qui hostem vsus omni calliditate, ac versutia magis, quàm robore, ac virtute, nunc in hanc, nunc

C in illam partem distorquet, vt deiiciat.

3. Sensus igitur Rachelis est: Ego cum Lia contendi, & colluctata sum pro fœcunditatis palma, & prolis gloria; tandémque illam iam non parientem superaui; dum arte, dolóque vtens pro me infœcunda subrogaui ancillam, ex qua duos suscepi adoptiuos filios: meritò igitur secundum istum puerum nominabo *Nephthali*, hoc est, *colluctantem*, *concertantem astutè*, *& callidè*. Iosephus interpretatur, *artificiosum*, siue *callidum*, *& vafrum*; Oleaster, *inuolutum*; quia videlicet callidi, & fraudulenti suas artes inuoluere, tegeséque solent. Sunt qui deducant à פתיל *Pethil*, quod est *filum retortum*, *duplicatum*. *atque ideo fortius*. Roborauit quippe me Deus, aut ego meipsam roboraui; du-

D plicatum suscipiens partum adoptiuum ex ancilla. Porrò tutissimum est vulgatæ inhærere lectioni, in quam cætera facili negotio conueniunt, maximè verò paraphrasis Chald. quæ sic habet: *Suscepit Deus deprecationem meam cū deprecata sum in oratione mea, concupiui, vt esset mihi filius, sicut sorori meæ, quod vtique concessum est mihi*. Mens igitur Rachelis est, si spectemus proprietatem horum verborū, se fusis ad Deū precibus, simúlque vafro, & callido consilio subrogandi pro se sterili ancillam fœcundam in ista contentione, seu translatitia lucta cum Lia sorore sua, tandem fuisse consecutam, cum suscepit adoptiuam sobolem facta duorum liberorum mater, vt iam non inferior, atque imbecillior, sed superior, atque valentior censenda sit. Vanitate propemodum, & cachinno

E plena mulieris gloriatio. Symbolum Nephtali, vti subnotauit Richard. de S. Victor. sic habet. *Nephtali* æternorum bonorum imaginem ante oculos mentis adducit. Et quia cognitam quámlibet rerum visibilium naturam conuertere ad spiritualem solet intelligētiam, rectè *Nephtali*, id est, *conuersio* nominatur. hæc ille, *lib. de 12. Patriarch.* Verum radix nō tā est conuertere, quàm peruertere.

Nephtali symbolica explicatio.
Richard.

4. Non leuiter prætereundum est, quod egregiè ad hunc locum subnotauit Procop. hasce videlicet fœminas parentibus ethnicis genitas in patria superstitionibus, & impiissimis ritibus inanium

nium deorum infecta, nihilominus Dei meminisse, à Deo sobolem exposcere, Deum prolis autorem agnoscere, Deo pro susceptis liberis gratias habere, Deique nomen in filiorum nominibus ad iugem recordationem Diuini beneficij inserere.

Procopius. *Vir uxoris magister & dux ad pietatem.*

Memoratu igitur (ait Procop.) dignum est, quòd vxores Patriarchæ vbique commemorantur fideles, & agnoscentes Deum bonorum omnium autorem. *Deus* (inquit vna) *mihi dedit mercedem. Audiuit Deus Liam.* Altera, vt prolem adipisceretur precibus Deum solicitauerat. sic ille. Nimirum à patriis ritibus ad veram pietatem traductæ, conuersæque à viro Iacobo in ipsius sanctitatem domestico, & quotidiano exemplo edoctæ breui tempore abierunt. O felices illarum cum Iacobo nuptias, quæ mulieribus ad veram Dei fidem, & morum, vitæque puritatem, viri optimi quidem doctoris magisterium præbuerunt! Vtrum admirer potiùs haud mihi constat; vxorésne mariti consilio, & consuetudine inductas omni, quam cum lacte imbiberant, exuta impietate, veram Dei religionem tam facili negotio suscepisse: an maritum impiarum vxorum, quas vnicè adamabat, periculoso commercio in barathrum impietatis cum illis pariter prolapsum non fuisse.

Iacobi virtus supra Adamum, & Salomonem.

Enimuero patet Adamus vel ad vnam vxoris vocem persuasus, Deum, Deique gratiam & paradisum valere iussit: & sapientissimus mortalium Salomon ethnicarum vxorum amoribus inescatus, ac præstigiis deceptus miserandum veræ sapientiæ, ac pietatis, idolis inseruiens, fecit naufragium. Dixi præstigiis deceptum hominem, vti enim eleganter scripsit Clem. Alex. præstigiis decipiuntur, qui à voluptate sunt inducti. *stromat.* 1. O te miserum (quisquis es) qui exitialibus mulierculæ blanditiis mentem à Deo abductam emancipasti!

Clem. Alex. *Præstigiis decipit voluptas.* *Miser, qui blanditiis fœmineis decipitur.*

5. Violentius autem erit huiusmodi veneficium vxoriæ voluptatis, si cum pulchritudine admisceatur. Quis enim adeo fortis est, vt pulchræ vxoris specie non vincatur? Satis illud in hanc sententiam facit, quod scribit idem Clem. Alexand. Menelaum (inquiens) post Troiam captam dicunt, cum impetu ferretur ad occidendam Helenam, vt quæ tot, & tantorum fuisset causa malorum, id tamen non potuisse efficere, victum pulchritudine, per quam in mentem venit recordatio pristinæ voluptatis. Vnde ludificantes tragici cum probro, ac dedecore in eum exclamant:

Clem. Alex. *Victrix pulchritudo.*

Mamilla vbi visa est, reiecto gladio
Abblandiens cani perdita, osculum accipis.
Ergo hebetantur enses pulchritudine.

Sic Alex. Clem. *strom* 2. Quid memorem Samsonem, qui leones strangulabat, & Philisthæorum exercitus manu inermi prosternebat, & nihilo tamen minùs validissimus (vt bene aduertit S. Ambros.) omnium mortalium vnius mulieris arsit igniculo. sic ille, *lib. 1. Apolog. cap.* 4. Atque vniuersim illud verum est viro serpentem esse mulierem, vel animæ, vel corporis saluti insidiantem: talis contra Adamum Eua, contra Iobum propria coniux, contra Heliam Iezabel, contra Ioannem Baptistam Herodias, Iustina Imperatrix contra S. Ambrosium, qui propterea *Epistol.* 33. ita conclusit: Asperiores tentationes has esse cognouimus, quæ fiunt per mulieres. virtus infirmior, sed plus periculi. hæc ille. Nimirum quò fœmina imbecillior viribus, delicatior membris, blandior habitu & ore, ad amoris illicium, voluptatisque illecebram: eò ad subruendum robur virile, animúmque peruincendum potentior, importuniórque inuenitur. Tantò igitur excellentiùs commendatur Iacobi virtus, quippe Rachelis pulchritudine, atque amore captus, ipsius patria impietate, ritibúsque haud capi potuit, sed ipsam potiùs ad veri Dei cognitionem, religionémque traduxit.

Mulier viro serpens. *S. Ambros.* *Potens mulier ad virum euincendum*

Quocirca, siquis sapiet, veréque existet religiosus, Deique amans, nec vxoris, licet malè moratæ, nec filiorum turba, familiæque sarcina præpedietur, quin per latam mandatorum Dei viam incedens ad cælum euolet expeditus. Quod his verbis Clem. Alex. expressit: Incedendum est, vt conuenienter verbo ingrediamur. Et si cui adsit vxor, & filij, domus, nequaquam est onus, quæ cum prudenti viatore migrare didicerit. sic ille 3. *pædag. cap.* 7. Tam potens est, támque efficax boni patrisfamilias exemplum, vt non modò coniugij nullum sentiat onus, & obstaculum ad virtutem, & animæ salutem, sed etiam viatorem sese, ac peregrinum in hac vita gerens, vxorem, liberos, totámque familiam secum pariter ad cælum, atque ad Deum deducat.

Clem. Alex. *Bonus pater familias suos ad cælum ducit.*

6. *Sentiens Lia, &c.*] Enixa quatuor filios Lia, cum deinceps non conciperet, vt videtur, abstinuit à marito, cuius commercium sola cupidine prolis expetebat; sed vt sobolem saltem adoptiuam ex viro suo susciperet, imitata Rachelis exemplum pro se Zelpham ancillam marito subrogauit; quæ geminatis partubus duos peperit filios. Priori quidem Lia imposuit nomen *Gad.* Multa hic Hebrææ linguæ peritiores de significatione huius vocis congerunt. Videat, qui volet, nostros Peter. Delrio, Cornel. post Oleastr. & alios, qui tandem conueniunt, vt *Gad* propriè significet *accinctum*, siue *procinctum*, qualis est miles, atque exercitus: ac deinde Mars antiquis creditus belli Deus, à quo victoriam, bonúmque euentum, ac fortunam prouenire gentilitas arbitrabatur. Lia igitur in domo patris idololatræ nutrita, & edocta, *Gad*, id est, *fortunam* frequenter nominari & coli pro Deo, infantem istum ex ancilla sibi adoptatum læta bono euentu *Gad* appellauit, id est, *bonam fortunam.* Nec id mirum videri debet; etsi enim à viro iam instructa ritus impios idolorum cum vera Dei vnius religione commutauerit: non tamen è vestigio antiquæ vitæ, atque infidelitatis omnem labem, næuúmque abstersit. Superant priorum sordium aliqualia signa, cuiusmodi est, aut Martis, aut fortunæ appellatio. Nam quotusquisque est, qui cum à vitiorum cœno ad virtutis puritatem sese reduxerit, nullum deinceps in se prioris fœditatis vestigium retineat? Quis à diabolo ad Deum transfugiens, sic illius nuncium remisit vanitatibus, vt ne veniali quidem labecula inspersus esse videatur?

Mali vitiorum habitus difficilè exuuntur.

7. Satis ea mutatio felix censebitur, siquis à peccatis conuersus, non ampliùs in priora, quæ sunt lethalia, reuoluatur: quo vno videtur contentus Apostolus, cum a Romanis ab idololatria, fœdisque moribus ad Christianam fidem, & puritatem conuersis hoc vnum exigit: *Iustificati ergo* (inquiens) *pacem habeamus ad Deum.* ad Roman. 5. hoc est (declarat S. Chrysost.) ne amplius peccemus, neque ad pristina facta reuertamur. Hoc est enim bellum gerere aduersus Deum. *homil.* 9. *in Epist. ad Roman.* Peccatis quidem lethalibus fit homo Dei aduersarius, bellúmque pro diabolo, & gehenna contra Deum, & cælum gerit; atque adeo qui ad mortifera delicta per confessionem semel expiata, & abolita non regreditur, pacem vtique, gratiam, & amicitiam, quam pœnitens cum Deo feliciter instituit, felicius etiam conseruat. Pertentant quidem pœnitentem, & iustificatum relicta vitia, spretæque ipsorum illecebræ: nec securum patitur hostis consistere, quem dolet, indignatúrque ad Deum transfugisse. At non præualet

Vera conuersio à peccatis lethalibus. ad Rom. 5. S. Chrysost.

Vera pœnitentia mortis instar.

let hostis, vbi Dei gratia opitulatur, qua quidem armatus aiebat Paulus: *Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?* ad Roman. 6. Pulchrè pœnitentiam, & veram à sceleribus conuersionem morti vult esse persimilem, quæ omné prioris vitæ sensum, ac signum omnino adimit. Quid est (inquit Chrysost.) mortuos esse peccato; scilicet nulla re posthac illius dicto parentes esse. Hoc enim semel baptisma effecit. Stude ergo, & licet millies imperauerit, ne amplius illi parcas; sed immotè mortui in morem permaneas. sic ille, *homil. 10. ad Roman.* Mutasti (ò quisquis es) priorem vitam, à vitiis quidem ad virtutem; non ab armis tamé & bello ad pacem, ad quietem. Iterum acies instructæ: iterum hostes, & nunc fortè acriùs insistent, importuniúsque adorientur. Cæterùm incassum omnia recident, si mortuum inuenient, si prioris vitæ nullus (vtpote in mortuo, ac sepulto) aut sensus, aut signum fuerit deprehensum. Quod sanctus Chrysostomus de baptismo dixit, de sacramento confessionis dictum pariter intelligo; cum in vtroque peccata condonentur, atque sic abolita esse debeant, in affectu baptizati, ac pœnitentis, vt etiam ad illorum recordationem, & aliquam, si forté subsultauerit, suggestionem, omnino ille constans, immobilis, atque mortuus esse videatur.

ad Rom. 6. — *S.Chrysost.* — *Perfecta emēdatio vitæ post confessionem.*

8. Confirmat adhuc Paulus idem argumentum, vt pœnitentem, ac iustificatum resurrexisse, & quasi omni mortalitate cauta in æternitatis gloriam immutatum esse contestetur. Sic enim eodem cap. adiicit: *Qu modo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate ambulemus.* Et infrà: *Exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viuentes.* Nutum significat Apostolus (inquit S. Chrysost.) nouum præsentis vitæ genus, atque institutum, à morum immutatione factum. Nam vbi scortator fit castus: vbi auarus misericors; vbi asper mansuetus: & hîc quoque existit resurrectio, quæ tanquam illius alterius prooemium est. hæc ille, *homil. citata.* Porrò vti subnotauimus in Lia jam ad Deum verum conuersa, prioris infidelitatis aliqualia supererant vestigia, quæ paulatim exemplo, ac magisterio mariti delebantur. Diuina siquidem prouidentia nostræ inuigilans saluti rem ita disponit, permittitque, vt etiam post conuersionem, & iustificationem aliquæ pristinarum sordium labeculæ remaneant, tum ad hominis ipsius humilitatem, tum etiam ad exercitium patientiæ, ac mortificationis. Cum enim vir iustus in leuicula, & minutula errata sese frequenter collabi videt, vtique suam infirmitatem agnoscit, quæ tanta est, vt paruis, & contemptibilibus quotidie succumbat hostibus; atque adeo gratiam Dei suspicit, & veneratur: cuius fuit, & non humanæ virtutis, grauiora vitia conculcasse, & potentiorum hostium vires, armáque vicisse. Nemo igitur sibi adscribat, quòd vicerit. *Omne datum optimum desursum est, descendens à Patre luminum.* Iacob. ca. 1. *Gratia Dei* (clamat Apostolus) *sum id, quod sum.* 1. Corinth. 15. qui paulò antea dixerat: *Ego sum minimus Apostolorum, persecutus sum Ecclesiam Dei, &c.* Vide (obseruat S. Chrysost.) summam humilitatem. Nam delicta quidem sibi attribuit, ex rectè autem factis nihil, sed totum Deo adscribit. sic ille, *homil.* 38. Mille subinde alia ibidem apponit, in quibus suam vilitatem prodit. Largus valde (inquit S. Chrysost.) & copiosus in verbis humilitatis, ibidem. Pudeat igitur homunculum suas occultare labes; largum verò & copiosum esse in verbis superbiæ, ac vanitatis, dum inaniter de se præsumit, dum arroganter se, ac sua extollit. Nulla quidem stare potest virtus, vbi omnium fundamentum abest humilitas.

ad Rom. 6. — *S.Chrysost.* — *Emendatio vitæ altera resurrectio.* — *Labes & reatus veniales iustorum.* — *Humilitas iustorū in donis & gratia Dei.* — Iacob. 1. — 1. Cor. 15. — S.Chrysost. — *Mira Pauli humilitas.* — S.Chrysost. — *Sine humilitate virtus non est.*

9. Iccirco S. August. cum commendaret virginitatis gloriam quæ inter omnes virtutes eminet, humilitati securitatem attribuit. Legitur enim apud eundem: gloriosissima castitas, tutissima humilitas. *lib. de virginitate, cap. 31* Denique leuiora vitia supersunt viro iusto, ne dum frequenter istis bestiolis pertentatur, otio, ignauia, securitate torpescat: sed continuo exercitus bello patientiæ, mortificationis, & plurimarum virtutum fructus producat. Sic post edomitas, ac debellatas Palæstinæ gentes, quæ quidem erant ferocissimæ, infirmius tamen, atque abiectius Iebusæorum genus nequaquam potuerunt Hebræi funditus extirpare, vti legimus *lib. Iosue*, hisce verbis. *Iebusæum autem habitatorem Ierusalem non potuerunt filij Iuda delere; habitauitque Iebusæus cum filiis Iuda in Ierusalem, vsque in præsentem diem.* cap. 15. Cuius loci mysterium sic euoluit Procop. Anima non purè Ierusalem in hac vita fieri potest, quæ scilicet solam pacem spectet, nihilque delinquat, quæ Christum Dei pacem respiciat, sempérque fructus ferat: nemo enim purus est à sordibus, à cogitationibus alienis: itaque semper Iebusæus, & Chananæus in Ierusalem inuenitur: quamuis Dei ope, qui solus potest, implorata, vt eiiciantur contendendum est. hæc ille. Valde itaque conducit ad humilitatem, virtututum omnium matrem, ac nutricem, vt Iebusæus in Ierusalem habitet, nimirum, vt anima viri iusti pacem, & amicitiam in statu gratiæ habens cum Deo, leuioribus etiam defectibus deprimatur, atque suam agnoscens vilitatem humilietur sub potenti manu Dei: quem nullus tam grauiter offendit, quàm qui arroganter de se præsumens, ab omni se ruina, & periculo securum arbitratur. Sed tunc maximè misero impendet exitium, cum maximè securum se iudicat, vt ex hoc loco S. Bernard. colligit, ita disserens de vitiis aliquando superatis, iterum tamen reuiuiscentibus: Credite mihi (ait) & putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, & sopita denuo excitantur. Parum est ergo semel putasse; sæpe putandum est, imò, si fieri posset, semper, quia semper, quod putari oporteat, si non dissimulas, inuenis. hæc ille, *serm. 58. in Cant.* Icciro Dominus falces in Apocalypsi dicitur in terras misisse, vt repullulantes vitiorum herbas, radicésve armati falcibus resecemus. Quantumlibet enim (adiungit Bernard.) in hoc corpore manens profeceris, erras si vitia putas emortua, & non magis suppressa. Velis nolis, fines tuos habitat Iebusæus: subiugari potest, sed non exterminari. sic ille.

S.August. — *Iustus bello venialium exercetur.* — Iosue 15. — Procopius. — *Nemo à venialibus immunis.* — *Humiliant iustum venialia.* — *Securitas inducit periculum.* — S. Bernard. — *Semper contra vitia eorumque radices agendū.* — S.Bernard.

10. Nihil plane ista vana securitate periculosius: quod ita euincam. Ait enim Ezechiel ad Tyrum celeberrimam Phœnicis vrbem: *Sed & Pygmæi, qui erant in vrbibus tuis, pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum: ipsi compleuerunt pulchritudinem tuam.* Ezechiel. 27. Vide arrogantiam, atque impudentissimam temeritatem istius vrbis, hoc est, ciuium in ea degentium, qui tam securi ab omni hostium incursu viuebant, ob suorum murorum altitudinem, & munitissima propugnacula, vt per mœnia, turrésque vilissimos quosque, ac summè ridiculos disponerent homunculos, habitu, viribúsque nanos, & quidem inermes, suspensis nimirum è sublimi arcubus, & pharetris, quo facto palam contestabantur ita securam ab externis assultibus vrbem illam consistere, vt à copiosissimis fortissimarum gentium agminibus, non per alios, quàm per nanos inarmatos, sese posset optimè tutari

Vana securitate nil periculosius. — Ezech. 27. — *Vana securitas Tyri vrbis.*

tari defensores : quæ tam admiranda securitas pulcherrimam,& ornatissimam efficiebat vrbem. Ipsi(inquit) Pygmæi compleuerunt pulchritudinem tuam : summa quippe alicuius vrbis pulchritudo in securitate maximè consistit, si fortè illa tanta erit, vt ab inermi, & contemptibili propugnari queat agmine Pygmæorum. Hæc fuit Tyri fiducia in suis viribus, hic de hostibus quibuscunque risus, & contemptus. Quo etiam ridiculo stratagemate vsi olim Iebusæi virtutem, armaque Dauidis, dispositis per murum Hierosolymæ cæcis, & claudis ad defensionem arcis ludificari videbantur. Scribitur enim: *Dictum est Dauid à Iebusæis : Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos, & claudos dicentes: Non ingredietur Dauid huc.* 2. Reg. 5. Cuius loci sensum, quem præscripsimus, eundem reddit Iosephus, qui ad hunc modum scribit: Iebusæi, qui vrbem incolebant, clausis ad Dauidis aduentum portis, & in mœnibus quotquot erant cæci, vel claudi, aut alioqui mutilati, in contemptum Regis, collocatis dictitabant hos ad arcendum hostem sufficere, freti munitionum firmitate. Quo ludibrio ad iram concitatus, oppugnationem aggreditur. hæc ille, *lib. antiquit. 7. cap. 2.* Igitur Iebosæi Dauidem, ipsiúsque exercitum nihili habentes dicebant per cachinnum : *Non cum aliis tibi res erit, ô Dauid, nisi cum cæcis, & claudis ; hi soli corridentes Sionis arcem propugnabunt.* Quo sanè opprobrio, & audaci temeritate mirum in modum Dauid excanduit, atque illi (vt inquit S. Cyrill.) miserè disperierunt, *lib. 3. in Isai. cap. 9.* Ita superborum audacia, & fiducia miserando solet exitio puniri. Quare optimè ex S. Greg. 10 moral. celebrat S. Bonau. Multos sua peiùs felicitas strauit, multos diuturna pax inertes reddidit, eóque illos inopinatus hostis grauiùs perculit, quo longo quietis vsu negligentes inuenit. sic ille, *lib. 5. pharetræ, cap. 18.* Germanum ego iudico vtriusque loci sensum huiusmodi, nec alius vnquam mihi æquè placuit, qui propriè literam horum locorum, qui ex difficilioribus in scriptura censentur, explicare videatur.

Pulchra vrbs quæ secura. — *2. Reg. 5.* — *Ioseph. Iebusæi verè contemnunt arma Dauid.* — *S. Cyrill.* — *S. Bonauent. Securitas multos strauit.* — *Duo loci scripturæ difficiles explicantur.*

11. E quibus euidenter elicitur quàm grauiter offendat, atque ad vltionem concitet Deum hominis de se inaniter præsumentis fiducia, stultáque audacia. Quapropter sæpiùs fit, vt Diuina prouidentia in hominum vtilitatem inuigilante sic res nostræ disponantur, vt semper nobiscum gestemus Iebusæos, vitiosarum scilicet appetitionum stimulis pertentemur, & leuiorum culparum quotidianis labeculis dedecoremur, ac priscarum turpitudinum, si minùs luto, saltem puluere mentibus nostris adhuc inhærente infecti humiliemur. Quod quidem in hisce fœminis inueniri mirandum non est. Erāt quippe (aduertit Theod.) imperfectiores, & hominis impij filiæ, nempe, qui statuas Deos nominabat. hæc ille, *q. 85. in Genes.* Iccirco Lia prioris infidelitatis sordes non omnino abluerat, cum fortunam puero nato exclamat. Enimuero (vt statim opponit idem Theodor.) verbum prosperæ fortunæ non est verbum Iacob, sed vxoris eius Liæ; quæ (vt dixi) in impietate fuerat educata, & parùm in Diuinis instituta. sic ille, *quæst. 86.* Gloriari potest Lia, quòd sanctissimo Iacob nupta sit, & quòd quatuor iam illi filios pepererit : gloriari ampliùs poterit Rachel, eo quòd pulcherrima sit, primáque suo viro in amore, ac deliciis habeatur. At vtraque sese humiliet, quòd parente idololatra natæ ritus impios atque infames nondum penitùs exuerint. Sic planè animarum nulla etiam sanctissima, & pulcherrima (Virginis Deiparæ, Christique Domini animas tantùm excipio) in hac vita mortali est, quæ in se non habeat vnde humilietur, quæ si se attentiùs consideret, natiuam fœditatem, ac miseriam non inspiciat, atque abhorreat.

Semper est in homine vel iusto, vnde humilietur. — *Theodor.* — *Theodor.* — *Nullus præter B. Mariã à labe purus.*

12. Iccirco sponsus dilectam illam, & beneficio, gratiáque sponsi factam pulcherrimam, ne sui ipsius ignorantia carens, in vanitatem, & arrogantiam extollatur, sic alloquitur, admonetque : *Si ignoras te o pulcherrima mulierum egredere, & abi post vestigia gregum tuorũ, & pasce hædos tuos, &c.* Cant. 1. Locus quidem perdifficilis, varios patitur explicatus. Sed iste de propria ignorantia est valdè celebris, in quo S. Bern. ita rem expedit : Reuocatur ad se ipsam, & ignorantia conuincitur, & insolentia castigatur, terribiliterque sponsus intonat in dilectam, non tanquam sponsus, sed tanquam magister humilitatis. sic ille, *ser. 38. in Cant.* Monet igitur animam sponsus : Si te ignoras, & quàm vilis, abiectáque, ac nullius boni compos à te ipsa es : si miseriam tuam non agnoscis, nec videa : paululùm ab ista pulchritudine, quam à Deo accepisti(quid enim habes quod non accepisti?)cogitationem auerte, oculos in ipsam tuæ conditionis vilitatem defige; nimirum, vel sola contuere vestigia, signáque tuarum passionum, & motuum irrationabilium ; has enim bestias in te habes, tuáque socordia, & vitioso voluntatis consensu nutris, ac pascis. Haud dubiè natiuam istam prauitatem, & miseriam contemplata te, qualis es, agnosces; atque ad tui ipsius veram cognitionem tete adeo humiliabis, vt pecoribus ipsis deteriorem te reputaris. Rectè Salomon docuit : *Vbi non est scientia animæ, non est bonum.* Prouerb. 19. Hoc est, nullum in se virtutis, & Diuinæ gratiæ bonum habere potest, qui seipsum ignorat. Confluit enim torrens Diuinarum gratiarum, ac cœlestium donorum in subiectam, ac profundam humilitatis conuallem.

Vera vilisque cognitio sui. — *Cantic. 1.* — *S. Bernard.* — *Propriis vitiis, & passionibus humiliamur.* — *Cognitio sui ad humilitatem.* — *Prouerb. 19.*

13. Non omittam, quod peritiores adnotarunt, scilicet, vocem illam Hebræam in duas posse distingui. *Ba*, & *Gad*, quod Aquila exposuit, venit *accinctio*, seu *procinctus*, hoc est, *exercitus expeditus*, sitque hic sensus : Tot iam habeo liberos, vt eos in aciem queam educere, iam nunc exercitum ago ; priore agmine quatuor filios, quos peperi, in postremo duos, quos ex ancilla suscepi, & adoptaui. Hoc igitur exercitu aduersus æmulam tori sororem alacriter præliabor, victrixque euadam. Quocirca nomen *Gad* propriè, ac primariò significat procinctum, seu exercitum expeditum, ritéque ordinatum : & ex consequenti felicitatem ipsam, quæ tanta obuenerat Liæ, vt quasi exercitu filiorum constipata esse videatur. Porrò eadem ancilla Zelpha filium subinde alterum ex Iacobo peperit ; ad cuius ortum Lia impensiùs exultauit iam non exercitum, non victoriam, non triumphum canens, sed ipsammet inter mulieres beatitudinem : iccirco appellauit אשר *Aser*, à verbo *Axar beatificare, beatum dicere, beatum esse.* Vnde *Oxer* אשר *beatitudo.* Beor (inquit) ortu huius filij adoptiui, iam nunc beatam me dicent mulieres; quarum illa beata dicitur, quæ felix est prole virûm. Cæterùm istud quod Lia de se prædicat, vix tenuis vmbra est ad veritatem, ad solem quo circumamicta illa, quæ sola inter mulieres benedicta inuenit gratiam apud Deum, Virgo Mater effecta concinuit : *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est.* Luc. 1. Quid quæso felicius, & beatius illa Virgine quæ de vniuerso fœminarum genere sola electa est in Matrem Dei; cuius in vtero virgineo, & Verbum caro factum est, & hu-

Armatur filiis mater. — *Felix mulier prole virûm* — *Lucæ 1. Nil felicius Dei matre.*

Mana

mana natura Diuinitati personaliter est vnita; & primò anima hominis Diuinam visionem, ac sempiternam beatitudinem adepta est? quænam alia magna fecit Omnipotens in Virgine, quàm quod eam fecit Dei Matrem, & in ea Deus homo factus est?

14. Meritò igitur dixerit Virgo Dei Mater: Hæc tam magna, támque ineffabilia, & incomprehensibilia pro beatitudine mea in me operatus est Omnipotens: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, tam priscorum patrum, qui de me prophetarunt, meúmque partum desiderarunt, & experierunt: quàm fidelium ad finem vsque mundi consequentium, qui redemptione Filij mei, meísque fauoribus, & apud illum precibus ad omnia corporis, & animæ bona perfruentur. Verè beatam me prædicabunt & Angelorum, & hominum generationes; quia Deum hominem peperi, qui verè omnium Angelorum, & hominum obiectiua beatitudo est. *Beatam me dicent omnes generationes*, quia omnibus generationibus vitam, gratiam, & gloriam peperi. O vera Iudith, interemptrix peccati, & humani generis triumphato diabolo, apertóque cælo liberatrix: *Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.* Iudith. 15. Hæc prima quidem est vox Angelorum incredibili gaudio exultantium, quòd ipsorum ruinæ per Virginem reparatæ sunt. Secunda vox hominum est, quorum tristitia per eam commutata est in immensam lætitiam, & gloriam. Tertia vox est mulierum impensissimè gloriantium, atque Virgini suæ naturæ consorti applaudantium pariter, & gratificantium, eo quòd fœminarum infamia & maledictio per ipsam deleta est. Quarta denique vox est mortuorum, quorum captiuitas per eam reducta est, quorum animæ per eam in libertatem gloriæ filiorum Dei translatæ sunt. Cane igitur atque identidem repete ô Virgo Dei Mater dignissima: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Videlicet omnes gentes (vt explicat Hugo Cardin.) Iudæorum, & Gentilium; virorum, & mulierum; diuitum, & pauperum; Angelorum, & hominum; quia omnes per ipsam salutare beneficium acceperunt; homines reconciliationem, Angeli reparationem. Christus enim Dei Filius operatus est salutem in medio terræ, id est, in vtero Mariæ, quæ quidem mirabili proprietate, terræ medium appellatur. Ad illam enim respiciunt & qui habitant in cælo, & qui in purgatorio, & qui in mundo, primi, vt resarciantur; secundi, vt eripiantur; tertij, vt reconcilientur. hæc ille super *Magnificat*. Est quidem Virgo beatissima vti medium terræ, ac mundi centrum, ad quod personæ Diuinæ, ad quod Angelorum, hominúmque generationes tanquam lineæ ad circunferentiam ductæ respiciunt. Enimuerò in Diuinis Pater filiã, Verbum matrem, Spiritus sanctus sponsam; in cælo Angeli Reginam: in terra homines Dominam, Aduocatam, Matrem denique agnoscunt, amant, amplectuntur.

Ab omnibus beatitudo S. Maria celebratur.
Lucæ 1.
B. Maria vita & gloria gentium Mater.
Iudith 15.
Vniuersis per V. Mariam beneficium datur.
Lucæ 1.
Hug. Card.
B. Maria vterus terra medium dicitur.
Ad B. Mariã cuncta respiciunt.

SECTIO IV.

Egressus autem Ruben tempore messis triticeæ in agrum, reperit mandragoras: quas matri Liæ detulit. Dixitque Rachel, &c. vsque ad *nocte illa.*

1. RVben iam (vt videtur) quinquennis, dum per agrum cursitat, fortè inuenit Hebraicè דודאים *dudaim*, noster interpres vertit *mandragoram*; Oleaster cum aliis recentioribus *Lilia*, multisque id conatur euincere; sed à vulgata nemo ausit recedere, cum qua veteres Hebræi, LXX, Iosephus, Aquila, Kimchi, Abenezra, & Thargum conueniunt, mandragoram enim intelligunt. Cæterùm quæ planta sit illhæc, vti Lusitanis est ignotum, sic Italis est quàm notissimum. Enimuerò Amatus Lusitanus testatur nunquam se in Hispania vidisse mandragoram, quam in Italia, præsertim Ferrariæ, frequentem admodum reperit: herba est, sine caudice, strata humi folia educens, in qua iuxta radicem enascuntur pomula, vti sorba, aut humi nascentia fraga, grati & odoris, & saporis. Multa de mandragora leges apud Dioscorid. Mathiol. Amat. Lagun. Tradunt medici stirpis huius esu, ac potu soporem induci, ac stuporem: vim illi refrigerandi, mundandique inesse; atque adeo à fœminis solitam expeti, vt quæ menstrua ciere, mundare matricem, conceptuíque habilem reddere consuescat. Præterea, cum in Mesopotamia cælum, ac solum sit ardentius, & iccirco fœminarum matrices ibibi calorem, ac siccitatem contrahant, quibus pene adustæ non facilè concipiunt; vsu mandragoræ frigidæ, atque humidæ mirum in modum attemperantur, quin & fœminas post congressum mandragora; vtpote soporifera, consopiens, obstat ne semen acceptum in fumos, & fuligines euanescat, quæ sæpenumero causa est infœcunditatis. Verno quidem tempore, seu æstiuo potius maturescit hæc planta, præsertim in Mesopotamia, vbi Sol ardentior festinantiùs terræ fructus educit. Creditur etiam ex radicibus mandragoræ amatorium confici, atque ipsum quoque pomi odorem pro philtro inseruire: quapropter fœminis amica, & grata est mandragora, quam iccirco sponsa in suo illo amatorio cantico, ad iucundissimi veris descriptionem attulit, cum sponsum inuitabat: *Mane surgamus ad vineas, &c. Mandragora dederunt odorem.* Cãt. 7. Solius autem odoris in hac planta fit mentio ab sponsa maximè propter significantiam (est enim totum illud carmen ad mysticos sensus compositum) illam vtique de qua S. Ambros. sic edisserit: Significat mandragora gentes, quæ ante fœtebant, cum essent infirmiores, eiurata quadam imbecillitate perfidiæ boni odoris fructum ferre cœpisse, postquam aduentum Domini crediderunt. hæc ille, *serm. 19. in Psalm. 118.* Significat igitur mandragora odore suo Christianum populum è gentibus conflatum; cuius opera, pietas, famáque morum cœlesti quadam suauitatis fragantia totum repleuit orbem, quem antea priscorum execrandi ritus, moresque fœtidi, ac nefandi, non cloacam modò, & graueolentem auernum, sed ipsum planè infernum reddiderant.

2. Etsi autem expeti mandragora soleat à fœminis propter vim medicandi, & fœcundandi; ob vnum tamen odorem, quo illæ maximæ illiciuntur, à Rachele fuit expetita, vti S. Cyprian. subnotauit: Rachel (inquiens) ad odorem, non ad esum Liæ mandragoras concupiscit. sic ille, *in prolog. lib. de operib. Cardinal.* Quin etiam D. Aug apertè impugnat eam opinionem affirmantium mandragoræ vim inesse ad fœcunditatem, hisce verbis: De hoc pomi genere opinari quosdam scio, quod acceptum in escam sterilibus fœminis fœcunditatem paret, ac per hoc putant omnino institisse Rachel, vt hoc à filio sororis acciperet cupiditate pariendi. quod ego quoque arbitrarer, si tunc concepisset. Cum verò post Liæ duos alios ab illa noctè partus Dominus eam prole donauerit, nihil est,

Describitur mandragora.
Mandragora fœminis grata & salubris.
Philtrum ex mandragora.
Cantic. 7.
S. Ambros.
Pietas Christianorũ mirè suauis odoris.
S. Cyprian.
S. August.

est, cur de mandragora tale aliquid suspicemur, quale in nulla fœmina experti sumus. hæc S.Aug. *lib.22. contra Faustum cap.56.* Posset nihilominus responderi ad obiecta sanctissimi Doctoris, non tam in esu pomi, quàm in medicamento ex radicibus mandragoræ confecto virtutem istam fœcundandi inueniri. quod longa, & certa medicorum experientia contestatur. Sed quid tandem statuat S. Augustin. hac de re vlteriùs audiamus.

De mandragora S. Aug. sententia.

Dicam ergo(inquit)quid sentiam. Cum enim hæc mala ipse vidissem, & propter istum ipsum sacræ lectionis locum id mihi obtigisse gratularer (rara enim res est) naturam eorum diligenter quantum potui perscrutatus sum, non alia remotiore scientia, quæ docet virtutes radicum, & potestates herbarum, sed quantum mihi, & cuilibet homini renunciabat visus, & olfactus, & gustus. Proinde rem comperi pulchram, & suaueolentem, sapore autem insipido; & ideo cur eam mulier tantoperè concupiuerit, ignorare me fateor, nisi fortè propter pomi raritatem, & odoris iucunditatem. hæc omnia S. August. Rachel itaque mandragoras in manu pueruli ex sorore nepotis conspiciens, & illarum odore, aspectúque delectata, fortè etiam virtute fœcundandi satis nota mulieribus mirificè inuitata rogat Liam, vti filij mandragoras sibi concedat.

Zelotypia mulierum.

Irascitur soror zelotypiæ furore succensa: Itáne verò (inquiens) vt nihil non tibi velis, & arroges? virum tibi meum possides totum, vtique furto subreptum, quippe cui prior in coniugium, torúmque venerim: insuper infantuli mei poma tibi concupiscis? Vide (inquit hoc loco S Chrysost.) quomodo zelotypiæ affectio hùc, & illùc transibat: & nunc hæc, nunc illa impugnabatur: quam affectionem animæ verbis Lia manifestam facit, &c. sic ille.

S.Chrysost.

Inuidia, zelus, furorq; muliebris.

Nihil planè tam cognatum, tam natiuum, tam proprium fœminæ, quàm vt alteri vel quodlibet bonum, ac donum inuideat: maximè verò impatiens in amore, ac toro consortis doleat, eiulet, indignetur, in rabiem, furiásque agatur. Scilicet vehemens est amor mulieris, atque adeo zelus (vti definit S. Thom. 1.2.*quæst.*28.*art.*4.) est amor intensus, non patiens consortem. quæ definitio sumpta est ex D.August.*lib.*8 9. *quæst* q.5 2.*contra Aman. cap.*11. *&* 13. Profectò cum pluralitas vxorum in lege gratiæ prorsus interdicta sit, singulare Dei beneficium haberi debet, in bonum scilicet suorum fidelium.

Cur à Christo interdicta pluralitas vxorum.

Ita Christus Dominus decreuit, ne viri plurium vxorum inter se dissidentium rixis, querimoniis, inuidia, & dicteriis iugiter torquerentur, præterquam quod in lege immaculata ad animarum salutem instituta, carnis libidinem tam liberè, profuséque lasciuire non decebat.

3. *Ait Rachel: Dormiat, &c.*] Singulis vxoribus singula prisci mortales (quod & Sarraceni factitant modò) tabernacula separabant, ne fœminæ (vti est illarum ingenium) continuis rixis, atque dicteriis sese inuicem incesserent; earumdémque familiæ matrum, ac dominarum, odia insecutæ bellum atrox, ac domesticum sub eodem tecto ad mutuam perniciem concitarent.

Ordo à viris obseruatus antiquus circa plures vxores.

Communis autem maritus noctes, & dies, aut pro libito, vti cupido, & libido dictaret, aut æqualitas iustitiæ decerneret, vxoribus partiebatur. Interdiu quidem Iacob in pascuis agebat, sub noctem verò se domum recipiens, ad vnam vel alteram, vti sors tulerat, dormiturus diuertebat. Igitur hæc Racheli nox ad habendum sibi maritum obuenerat, sed illam sorori pro mandragoris iure suo cedens spontè remisit. Lia (sicut pactæ fuerant) virum illa nocte secum habitura, sub vesperum redeunti Iacob præcucurrit, factum, & pactum nuncians: *mercede* (inquit) *conduxi te.* Hebr. *emptione emi te.* allusione facta ad matrimonium, in quo mulier constituta dote virum coemit. Sensus est. Faustus mihi tuus ô marite aduentus, hodie te videor de nouo coemisse: hæc mearum nuptiarum prima nox, lixve potiùs adeo rarus es apud me, vt me non vxorem reputes.

Fœmina in maritum affectio.

Erit qui mulierculārum dicat, & rideat ineptias zelotypiæ, atque intemperantiæ plenas. Cauillamentum istud fuit Manichæorum, quorum dux, & magister Faustus impudentissimè Iacobum, eiúsque vxores criminabatur. Sic enim de illo scribit S. August. Nam & illud, quod mendacissima criminatione Faustus obiecit, habuisse inter se velut quatuor scorta certamen, quænam Iacob ad concubitum raperet, vbi hoc legerit nescio, nisi fortè in corde suo tanquam in libro nefariarum fallaciarum, &c. *lib.*22. *contra Faustum, cap.*49.

S.August.

Ac primò quidem fœminas ab omni calumnia liberat, hæc adiiciens: Nulla ancillarum virum Iacob ab altera rapuit: nulla de illius concubitu cum altera litigauit: ideo magis ordo erat, quia libido non erat: & tantò firmiùs seruabantur coniugalis potestatis iura, quantò castiùs vitabatur carnalis cupiditatis iniuria. sic August.

S.August.

Non certant fœminæ de viri concubitu, sed suum quæque tempus in ordine præscriptum expectat: ac propè miraculum est tam pacatè inter se, quietéque agere, vt nulla dolum, iniuriámque alteri moliatur; sed vna, quæ iunior, ac pulchrior, atque icciro ad voluptatem propensior, quæque adhuc prolem non susceperat, tam leui, feréque nulla de causa renunciet, altera pretio comparet coniugale vnius noctis commercium.

Nulla in vxoribus Iacob libido fuit.

4. Hoc ipsum egregiè idem Augustinus ex historiæ contextu elicit ad hunc modū: Quòd enim & ab vxore conducitur, ibi vera nostra manifestatur assertio. Quid enim opus erat, vt eum altera conduceret, nisi quia ordo alterius erat, vt ad eam maritus intraret? neque enim ad aliam vnquam accessisset, nisi eum conduxisset. Sed vtique iustis ad eam vicibus accedebat, de qua tot filios procreauerat. Sed tunc Rachel noctem habebat in ordine, vt maneret cum viro: tunc penes eam potestas illa erat, de qua Apostolus dixit: *Similiter & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier.* 1. Corint. 7. Ideo iam cum sorore pacta erat, cui facta debitrix, eam trāslegaret ad debitorem suum. hæc ille.

S.August.

1.Cor.7.

Itaque vbi tam mira inter fœminas concordia, támque iustus ordo erat, proculdubio non effrænis concupiscentia locum habere poterat, quæ scilicet omnem ordinem, iúsque debitum proculcat. Modum quippe(inquit S.Chrysost.)nescit libido, sed quantò exercetur, tantò magis accenditur: non leuiter, nec intra terminos vnius coniugij capit libido. sic ille, *hom.* 32. *in* 19. *Matth.*

S.Chrysost.

Libido effrenis, vaga, & profusa.

Nulla istum gehennalem ardorem restinguit moderatio, nulla coercent repagula, nulli continent termini, quin sese diffundens liberè, ac petulanter euagetur. Laudabilis profectò harum mulierum modestia, quæ debitum in coniugali commercio sanctè obseruant ordinem, nec voluptatem, sed prolem appetunt. Enimuero (vti subnotauit S. Hieron.) in veteri testamento plures vxores liberorum causa habere permissum est, non propter nimiam libidinem exercendam, qui in hoc etiam animalibus deteriores esse noscuntur: quo necando filios probant se non filiorum causa nupsisse. Qui autem ea sola causa coniungitur, statim se abstinet post conceptum; & cessante iam per ætatem partu, cessat & vsus. hæc ille, *in* 1. *ad Corint.* 1. Sæpius hoc in sacra scriptura significatur, vt tam

D.Hieron.

Antiqui patres ad prolẽ tantùm vxoribus iungebantur.

vxores, quàm mariti habendæ proli studium impenderent: ac proinde concepto fœtu vsque ad partum cum prægnantibus maritale commercium tolleretur. Quare hoc loco scribitur: *Dormiuit cum ea nocte illa, concepitque, & peperit filium.* Dormiuit (dicitur) nocte illa, non autem pluribus noctibus; deinde ad concubitum illius noctis concipiens, ac tandem pariens filium, non legitur mariti congressum interim appetisse; partu autem edito apponitur: *Rursum Lia concipiens, peperit, &c.*

5. Ex quibus non obscurè colligo Iacobum tantummodo vsque ad conceptum, & post partum sobolis vxoribus accessisse, nunquam verò cum prægnante rem habuisse. Hoc ipsum ex Diuinis literis colligens Clem. Alex. scribit in hunc modum, *strom. 3.* Nullum ex veteribus ex scriptura ostenderis, qui cum prægnante rem habuerit: sed postquam gestauit vterum, & postquam editum fœtum à lacte depulit, rursus à viris cognitas fuisse vxores. hæc ille. Sententiam probat illo vno exemplo adiiciens. Iam nunc scopum, & institutum inuenies seruãtem Mosis patrem, cum trienniũ post Aaronem editum intermisisset, genuisse Mosen. Et rursus Leuitica tribus seruans hanc naturæ legem à Deo traditam aliis numero minor ingressa est in terram promissam. sic Clem. Alex. vocat naturæ legem, atque à Deo traditam de vitando congressu prægnantis, eò quòd maris, & fœminæ coniunctio ab ipsa natura, Deóque naturæ parente, atque rectore ad generandam prolem est instituta; voluptas verò carnis, tanquam merces, atque stipendium operis, & ad huiusmodi actionem peragendam, velut incitamentum datur, iuxta illud philosophi percelebratum axioma: *Delectatio propter operationem.* Et quidem naturæ ipsius ductu cætera fermè obseruant animãtia, vti (quod paulò antè S. Hieron. adnotauit) concepto fœtu deinde non coëant, quod quidem experientia contestatur præsertim in animantibus perfectioribus; nam in minutioribus aliter fortasse accidere videtur. Certè scribit Plinius: Præter mulierem (inquiens) pauca animalia coitum nouere grauida. sic ille, *lib. 7. cap.* 11. Quod sanè argumento est humanæ libidinis, & immoderatæ concupiscentię, quippe cum non tam pro generanda sobole, quàm pro captanda voluptate carnis sexuum coniunctio appetatur. Quo fit, vt quotidiani fiant aborsus, enecentúrque concepti fœtus ob coitum grauidarum, quod S. Hieron. apposuit. Denique S. Aug. egregię pugnans pro Iacob, quem Manichæus impudicum appellabat, sic de illius pudicitia disserit. Hic ille, quem Faustus tanquam impudicum extinctis oculis criminatur, si concupiscentiæ, non iustitiæ seruus esset, nonne per totum diem in voluptatem illius noctis æstuaret, qua erat cum pulchriore cubiturus, quam certè ampliùs diligebat, & pro qua bis septenorum annorum laborem gratuitum penderat? Cum ergo iam die peracto in eius iret amplexus, quando inde auerteretur, si talis esset, qualem Manichæi opinantur? sic ille, *lib. 22. contra Faustum, cap. 50.*

Clem. Alex.

Non solebant antiqui patres cum prægnantibus coire.

Voluptas in concubitu merces actionis à natura.

Rarò animal cum prægnãte coit.

Plinius.

Nocet fœtui coitus cum grauida.

D. Hieron.

D. August.

Astruitur pudicitia coniugalis Iacob.

6. Profectò si Iacob petulantem ardorem voluptatis sequeretur, haud quaquam pulchrioris adolescentulæ, quam mirificè diligebat, concubitum cum deformis, & exosæ fœminæ commercio commutaret; nihilique proinde faceret pactum Rachelis, quod sibi omnino displiceret, vti statim idem August. adnotauit: Nónne (inquiens) placito contempto mulierum intraret potiùs ad speciosam suam, quæ illi noctem ipsam, non solum coniugis more, verùm etiam ordinis iure debebat? vteretúrque potiùs ipse potestate maritali, & pro eo tunc seruitutis illarum vicissitudo faciebat: coniugali ergo potestate multò vincibiliùs vteretur, si formæ desiderio vinceretur. hæc ille. Itaque Iacob nõ voluptatem secutus ad Liam diuertit, sed quasi appetitum comprimens, quo ad Rachelem, & pulchram, & puellam, & vnicè dilectam raperetur, vt vtrique morem gereret, cum lippa, & plena fastidio noctem alioqui non ordine debitam voluit transigere. Igitur vir temperatissimus (adiungit S. August.) & planè vir, quia tam viriliter fœminis vtebatur, vt delectationi carnali non subiiceretur, sed dominaretur, magis quid deberet, quàm quid ei deberetur, attendit: nec ad propriam voluptatem sua potestate abuti voluit, sed illius debiti redditor, quàm exactor esse maluit. sic ille. Non quidem vir iste carnali delectationi subiectus erat, qui tam facilè pacto coniugum acquieuit. Cum repente (adiicit S. August.) atque inopinatè à pulcherrima coniuge reuocaretur & ad minùs decoram vocaretur, non ira excanduit, non tristitia nubilatus est, non eneruiter blandus, vt sibi potiùs Rachel noctem redderet, inter ambas satagit. hæc ille. Quocirca prolis tantùm habendæ cupidus, & non explendæ libidinis desiderio commotus ad eam se contulit, quam ipsæmet etiam non expetito mariti consensu inter se constituerant. Planè maritus iustus (concludit August.) & prouidus pater, cum illas prolis curam gerere videret, & ipse nihil aliud de concubitu quæreret, earum voluntati obtemperandum iudicauit, quæ sibi sigillatim filios optabant, suæ nihil minui, cui ambæ pariebant. Tanquam diceret: Vobis inter vos vt vultis cedite, atque concedite, quænam vestrum fiat mater, ego quid contendam, quando siue hinc, siue inde nascenti non erit alius pater? hæc omnia S. August. Pro vindicando à calumnia, & intemperantiæ suspicione Iacob admodum luculenter disseruit.

S. August.

D. August.

D. August.

Solius prolis studiũ in cõiugio Iacob.

7. Laudetur ergo, aut defendatur potiùs vtcunque temperantia, & honestas Iacob, quæ tamen extra voluptatem carnalem coniugij etsi licitam non sese erexit: nec illa tempora pulchriorem corporis, & animi honestatem ferebant: flores virginitatis, & continentiæ non nisi per aduentum Dei hominis poterant in terra nostra & primò apparere, ac deinceps exuberare. Neque verò illis seculis tanta erat homini armatura, vt carnali stimulo posset obsistere, quanta nunc præsto est, postquam humana caro diuinitati Verbi personaliter adunita totam (quantum in se fuit) hominis sanctificauit, & quodammodo deificauit naturam. Quinetiam ipsæ voluptatum illecebræ, & gehennalis incendij sagittæ, appetitionésque veluti bestiæ in nostris corporibus ad effrænatam concupiscentiam brutali quadam lasciuia ferocientes minùs hodie, quàm antea, desæuiunt. Coërcentur quidem diuinis per Christum admotis præsidiis, atque adeo carnem hominis dominico corpori cognatam, & frequenti Eucharistiæ communione factam Christi carnem reueritæ multum de suis viribus, atque incendiis perdiderunt. Quod quidem optimè colligit D. Chrysost. Danielem inter leones intactum contemplatus ad hunc modum. Gratia Dei præsto est. Si enim corpus seruile conspectum reueritæ sunt feræ, membris Christi conspectis (hoc enim sumus, qui fideles sumus) quî fiet, vt minùs conquiescant? sic ille, *homil. 3. in Epistol. ad Rom.* Rectè igitur idem Apostolus admonet: *Corpus non fornicationi, sed Domino, & Dominus corpori.* 1. Corinth. 6. Quem locum ita explicat S. Chrysost. Non propterea formatum est corpus, vt

Continentiæ amor cũ aduentu Verbi.

Per Christũ infirmiora iã sunt carnis tentamenta.

D. Chrysost.

D. Chrysost.

luxurio

luxuriosus sis, sed vt Christum sequaris tanquam caput, & Dominus corpori superponatur. Erubescamus, horreamus, quòd tanto dignatus honore, vt illius qui in cælis sedet, simus membra, tantorum malorum non pudeat. sic ille, *homil.* 17. *ad Corinth.* 1. Egregiè quidem. Enimuero si corpus tuum factum est membrum Christi; si lectus est, in quo Dominus conquiescit; si thronus, in quo sedet; si mensa, in qua Domini corpus & sanguis reponuntur; quæ tandem isthæc est impietas, quæ dementia, vt Domini lectum, thronum, mensam, iosam turpitudinum cœno polluas, ac deturpes?

Turpitudo à Christiano corpore aliena est.

8. Apponit etiam Apostolus: *Deus vero, & Dominum suscitauit, & nos suscitabit per virtutem suam, &c.* Sed quorsum resurrectionis meminit, cum de corpore sanctificando per castitatem agit? Valde quidem (respondet S.Chrysost.) opportunè hoc loco meminit resurrectionis, eius spe vehementiam incontinentiæ comprimens. Quasi dicat: Comedisti, luxuriosus fuisti, & quis finis nullus, quàm corruptio tantùm. Coniunctus es Christo: quis finis? futura resurrectio. ita Chrys. Resurrectio quidē ad castitatem nos excitat, in mortificationibus solatur; in certaminibus ad victoriam, palmámque armat & accendit. Bestiæ corpus corruptioni, & sterquilinio natum. Quid mirum si Veneri, & ventri totum impendatur? At corpus hominis natum in sempiternæ felicitatis immortalitatem planè mirū est quòd in sordibus, & fœtore abominandæ turpitudinis iaceat, ac volutetur. Scilicet Virgines (vt scribit idem Chrys.) Angelicam in hac re vitæ rationem imitantur, & in corpore mortali resurrectionis præludia ostendunt. sic ille, *Epist.* 2. *ad Olympiadem.* Porrò autem obiter potest perstringi muliebris dolus, ac nequitia. Pulchello aspectu mandragoræ præripit Lia virile sorori debitum commercium. Misera illarum conditio, quæ vbi concupiscentia pertentantur, vt voti compotes fiant, & vim, & dolum, & fucum, & nequitiam omnem expromunt. Appositè quidem (vt scribit Pausanias) Megapolis ciues in Arcadia hanc inscriptionem Veneri apposuerunt: *Dea machinatrix.* sic ille, *lib.* 8. Oestro enim isto perculsæ nihil non excogitant mali, ac moliuntur. Nimirum omnes (vt loquitur Terent.) mihi videntur doctæ ad malitiam. ita Comœd. 5. Quod ab Eurypide mutuatus videtur, cuius ea sunt verba: Ad bona sunt ineptissimæ, malorum verò omnium effectrices sapientissimæ. sic ille. Huiusmodi multa in fœminas prisci authores dicteria eiaculantur. Cæterùm (vt optimè animaduertit S. Hieron.) in virorum condemnationem fœminarum in scripturis sanctis vita laudatur. *Epistol.* 5. *ad Principiam.*

Resurrectio ad castitatem excitat.
S.Chrysost.
Corpus hominis decet turpitudo.
S.Chrysost.
In virginibus immortalitatis præludia.
Mulier fraudes nectit.
Pausan.
Vitia innata mulieri.
Terent.
Euryp.
D.Hieron.
Laudantur in scriptura mulieres.

9. Sed ego antiquitatem prætereo; ad nostram ætatem venio: *Iam hyems transiit, imber abiit. Flores apparuerunt in terra nostra: vox turturis audita est in terra nostra.* Cant. 2. Illuxit mundo Sol iustitiæ, natúsque in carne mortali Dei Filius castitatem, hoc est, immortalitatis & resurrectionis pulcherrimum, & iucundissimum ver in corporibus humanis fecit efflorescere. Iam nunc matrimonio ad puram illam suam, & primæuam originem restituto vnus vni copulatur coniugi: & pluralitas vxorum vel vera adulteria, Christiano ritu, legéque interdicitur. Tanto deinde in pretio viduarum castitas habetur; vt honestissimis viduis, atque virginalem pudorem quocunque possint studio æmulantibus, non minùs quàm prata violis, abundet Respublica Christiana. Referam hoc loco vnum illud, quod scribit S.Chrys. tractat. ad viduam iuniorem ad hunc modum: Ego aliquando cum adhuc essem iunior, doctori meo (erat autem ille omnium hominum maximè superstitiosus) animaduerti matrem meam præ multis magnam excitasse admirationem. Nam cum eos, qui sibi assidebant, more suo interrogasset, cuius ego essem, ac responsum esset me viduæ mulieris esse filium: de me quæsiuit ætatem matris, & viduitatis tempus. Cum verò audiuit quadraginta annos natam esse, vigesimum verò iam annum agi, ex quo patrem meum amiserit: obstupuit planè, atque ad eos, qui aderant, conuersus clara voce exclamauit: En quales mulieres apud Christianos sunt! Tanta non modò apud nos, sed etiam apud Gentiles viduitatis laus est, & admiratio. hæc S. Chrys. Admirationem vtique efficit continentia viduarum, quæ tantò laboriosior est, ac difficilior, quantò grauius ac periculosius est probatæ iam in matrimonio, ac toties captatæ voluptati mentem ipso vsu vehementiùs titillanti obsistere.

Canti. 2.
In lege Christi castitas in omni statu.
Viduarum pudicitia inter Christianos.
S.Chrysost.
Viduitatis laus.
Laboriosa in viduis continentia.

10. Cæterùm longè gloriosiorem Christi Ecclesiam reddunt virginum chori, quibus terra nostra cæli æmula beatorum spirituum pulchritudinem atque ordinem imitatur. Hanc virtutum omnium pulcherrimam antiquis seculis ignotam, vel ipsis prioribus populi Dei fidelibus inusitatam, atque inauditam Christus Dominus, scilicet Deus homo, secum de cælo in terram adduxit. Nec enim ante Dei aduentum humana caro pro conseruanda virginitate (vtpote adhuc infirma, & minùs Diuino præsidio suffulta) sic importunum, & periculosum poterat certamen subire. Tanta profectò (vt subnotauit S.Chrys.) res est virginitas, tantóque labore indiget, vt Christus eum de cælo descendisset, vt homines Angelos efficeret, ac cœlestem vitæ rationem hic sereret, ne tum quidem id imperare, ac lege lata præscribere ausus sit; verùm eam in audientium arbitrio reliquerit. *Qui potest capere capiat.* Matth. 19. Etenim magna huius rei moles est, magna certaminum horum difficultas, & pugnarum sudor, atque hic virtutis locus admodum præceps, ac lubricus. sic ille, *Epist.* 2. Demonstratur itaque laus virginitatis ex ipsius difficultate, quæ tam grandis est ob infirmitatem naturæ humanæ, & vehementem propensionem ad coitum, scilicet propter appetitum innatum ad generationem, sine quo genus humanum conseruari, & propagari non potest, vt nec ipse Deus homo de Virgine Matre natus, virgo ipse, virginum sponsus, virginitatis amator, qui approbare, commendare, consulere voluit virginitatem, nulli tamen mortalium eam imperare ausus fuerit (vt loquitur S. Chrys.) ne tam infirmæ, atque imbecilli naturæ, tam immensum onus imponeret. Inde etiam hæc difficultas ostenditur, quod ante Christi aduentum, ne sanctissimi quidem patres tanto oneri, tantóque certamini subiicere se ausi sunt.

Virginitatis laus.
Virginitas ardua, & gloriosa.
S.Chrysost.
Math. 19.
Christus laudauit, sed non imperauit virginitatem.
S.Chrysost.

11. Sententiam huiusmodi S.Chrysost. deinde confirmat perillustrium virorum exemplis. paucula referam. Magnus (inquit) ille Moses, Prophetarum vertex, infinita edidit miracula; verum ad hæc certamina ne oculos quidem obuertere potuit, sed matrimonio, & vxoris præsidio indiguit. Vir tantus, ac tam insignis, mari quidem imperauit, & pelagus secuit; non tamen virginitatis mari, quod illius fluctus pertimesceret, se committere ausus est. ita Chrys. Perbellè quidem vt videas excellentiùs, magisque super naturæ vires miraculum esse in terris hominem, aut fœminam in virginitate persistere, quàm infinita simul prodigia, quæ à Moyse patrata leguntur: atque adeo

S.Chrysost.
Moyses virginitatem seruare non est ausus.
Virginitas prope miraculum.

adeò difficilius homini esse in virginitate viuere, quàm virga Moysis naturam penè totam inuerti. Probat id ipsum in Abrahamo, & Iobo. Patriarcha (inquiens) ille mactator filij sui, violentissimum naturæ affectum proculcare potuit: & tamen is, qui tantum, támque præclarum certamen conficere valuit, atque ex ipsis etiam naturæ finibus excessit, virginitatis certamen suscipere minimè ausus est verùm ipse: quoque hanc palæstram extimuit, matrimoniique solatium est amplexus. hæc ille de Abrahamo, at de Iob longam attexit orationem; qui quidem vir (vt loquitur S. Chrysost.) diaboli os contudit, percussus ipse non percutiens, totámque illius pharetram exinaniuit. Sic ille: atque post innumera, quæ de Iobi patientia, virtutéque admirabili narrat ornamenta, & penè miracula, concludit in hunc modum: Hic igitur tanta, támque eximia virtute vir, qui tot naturæ necessitates protriuit, ne ipse quidem in hoc certamen descendere ausus est: verùm & vxorem adhibuit, & ingentem filiorum numerum procreauit. sic ille. Similiter de reliquis Patriarchis, ac viris sanctissimis, qui in lege veteri floruerunt, virginitatis aut gloriam nescientes, aut certamen pertimescentes in coniugium declinarunt, philosophari quis poterit, intelligétque hoc ipsum, quod tandem apponit idem Chrysost. hoc modo: Tanta virginitatis est difficultas, tam alta & sublimia ipsius certamina, tam graues sudores, magnámque animi firmitatem requirentes. hactenus S. Chrys. *Epist.* 2.

Abraha virginitas fuit formidabilis.

S. Chrysost.

Iob patiens, non virgo.

Priscis insueta & formidata virginitas.

S. Chrysost.

12. Hanc verò tam insuperabilem homini (spectatis naturæ viribus) in seruanda virginitate difficultatem magna ex parte emolliuit, ac pene sustulit Deus homo natus ex Virgine. Iam infiniti prope mortales vtriusque sexus Deum hominem, & Matrem eius Virginem imitantes, carnis voluptates, & blandimenta contemnunt, atque proculcant, & castitatis gloriam appetentes vnam ducunt voluptatem, omni carnis, & mundi carere voluptate. Iam purior, & firmior natura nostra censetur, vt natiuam corruptionem, labémque detergat, & aduersus tentamenta diaboli constantiùs resistat. Enimuerò (vt bene adnotauit S. Ioann. Damasc.) humanatio Dei propter hæc facta est, vt ipsa quæ peccauit, & cecidit, & corrupta est natura, vinceret eum, qui seduxerat, tyrannum, & sic à corruptione liberaretur. sic ille, *lib.* 3. *Orthodox. cap.* 12. Iccirco puritatis amator Deus in mundum veniens per clausam omnino portam introiuit, Virginem scilicet Matrem quæ ab Ezechiele ter clausa nominatur, *cap.* 44. Vbi (quod egregiè Galatinus explicat) in eo, quod dicitur ter clausa porta hæc, quæ Matrem Messiæ Virginem significabat, designatur ipsam Virginem ante partum, in partu, & post partum futuram fuisse. sic ille, *lib.* 7. *cap.* 14. Hæc est illa visio grandis, ad quam Moyses obstupuit, cum rubus arderet flammis, & non combureretur. *Exod.* 3. Vbi (apponit Galatin.) Filij Dei natiuitas ex Virgine intacta, atque incorrupta Moysi mirabiliter præmonstrata fuit. Per succensum enim rubum & non combustum, ostensum est, quòd ex illo populo salua Matris suæ integritate proditurus esset, qui igne Diuinitatis carnis humanæ naturam, quasi rubi spinam, acciperet, & inconsumptam humanitatis substantiam in ipsa Diuinitatis flamma seruaret. idem citato loco. Igitur ô Domina mundi, vexillum vbi tu virginitatis in mundo erexisti, illico virorum, & fœminarum, castissimorum innumerabilis multitudo de carnis voluptatibus, mundique blanditiis, & deliciis, ac de ipso dæmonum ad omnem impuritatem instigantium exercitu gloriosissimè triumphauit, & ad finem vsque mundi triumphabit. Instat nihilominus hostis, flammásque excitat turpissimarum libidinum in corporibus, animabúsque nostris; graue quidem, & importunum bellum plenum periculis: in quo impugnant fortissimi, & acerrimi hostes: infirmissimi, & ignauissimi impugnamur. At nobis tu es vnica spes, & ciuitas refugij: securi agunt, qui sub tuo præsidio commorantur. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Psalm. 86. Et meritò (exponit Albert. Magn.) quia Virgo fuit ciuitas murata per castitatem, fundata fundamento stabili per humilitatem, turrita per charitatem, & contemplationis sublimitatem, ditata per paupertatem, custodita per discretionem, libera immunitate peccatorum, pacificata victoria tentationum, virtutum vniuersitate populosa, & aquarum, id est, gratiarum fluminibus irrigata. hæc ille super *Missus est, cap.* 33.

Post Christū facilior & communior virginitas.

S. Ioan. Dam.

Caro per Christum victrix diaboli.

Ezech. 44.

Galatin.

Virginitas B. Mariæ in scripturis figurata.

Exod. 3.

Exercitus castrorum B. Mariam sequuntur.

Pericula carnis tentatio.

Psalm. 86.

Albert. Mag.

B. Maria Ciuitas Dei.

SECTIO V.

Et exaudiuit Deus preces eius: concepítque, & peperit filium quintum, & ait: Dedit Deus mercedem mihi, quia dedi ancillam meam viro meo. appellauítque nomen eius, Issachar. Rursum Lia concipiens, peperit sextum filium, & ait: Dotauit me Deus dote bona: etiam hac vice mecum erit maritus meus, eò quòd genuerim ei sex filios: & idcirco appellauit nomen eius Zabulon. Post quem peperit filiam, nomine Dinam.

1. Hinc liquidò constat, quàm sana, puráque intentione mulier viri sui concubitum expetierit; nimirum vt prolem susciperet, quam etiam à Deo precibus postularat. Quare non tam voluptatis carnalis, quàm piæ orationis fœtus, & fructus mulieri ab autore omnium Deo benignissimè donatur. Concepit quidem, ac peperit quintum filium, quem vocauit *Issachar*, quasi *ies sechar* יש שכר. Hebr. est *merces*, vt LXX. S. Hieron. & Iosephus explicant. Mercedem dicit boni operis, quod ancillæ, & marito præstitit, cum illos in matrimonium coniunxit, vt prolem, quam ipsa iam parere cessauerat, susciperent. Quod quidem ancillæ in honorem, Iacob in solatium, Deóque ipsi in augmentum populi fidelis haud dubiè cedebat. Vel, vt alij volunt, merces est mearum mandragorarum, quas vendidi Racheli pro mariti commercio ad vnam noctem, ex quo filium consecuta sum. Pia sanè mulier, quæ Deum frequenter gestat in ore, atque illius benignitatem instanter solicitat, non diuitias, vel quoduis aliud simile terrestrium bonorum postulans, sed filios tantummodo coniugij fructum, quos ipsi Deo in obsequium offerat. Quorsum autem tam graue onus susciperet nupta, nisi vt sibi, ac marito filium, Deóque seruum pariat fidelem? Quidni tam pia, gratáque mulier beneficentissimum Deum quodammodo obliget ad augenda etiam potiora beneficia, quibus quidem indignum se præbet, qui dona obliuiscitur, & datori se ingratum exhibet? O quot, quantísque perenniter Diuinæ bonitatis muneribus, ac beneficiis ditaremur; si memori, gratóque animo, atque ore benefactorem nostrum laudaremus; illiúsque dona suæ benignitatis gratiam, non verò nostrorum operum fructum,

Gratitudo erga Deum quæstuosa.

ctum, meritorúmque præmium modesta, & grata voce indentidem celebraremus! Profectò quod pluribus, ac maioribus in dies à tam benigno Domino beneficiis haud perfruimur nostra facit ingratitudo, quæ (vt loquitur S. Laur. Iustin.) Diuinæ bonitatis fontem exsiccat. *lib. de institu. & regim. Prælatorum.*

Ingratus se indignū reddit Diuinis beneficiis.

S. Laur. Iust.

2. Hanc vnam reddit causam Deus ipse Hebræorum ingratos animos arguens, quòd non tam larga suæ benignitatis argumenta (vti prioribus seculis) demonstret: *Contracta* (inquiens) *est anima mea in eis: siquidem & anima eorum variauit in me.* Zachar. 11. Sensus est: Antea quidem largum, & magnificum Iudæi me habebant, non tam dominum, quam patrem, cum illorum animi me vnum Deum colerent, & summum benefactorem amarent, laudaréntque; at nunc à me, & cultu & obsequio, & animo abalienati tenacem me, atque auarum & inexorabilem, denique inclementem dicunt: ipsorum ingratitudo sponte sese diffundentem magnificentiam meam inhibuit, contraxit, exsiccauit. Vertit Aquila: *mutilata est anima mea in eis:* hoc est, ingrati amorem meū erga illos fermè prodigum præciderunt, ac beneficentissimi (quem quotidie experiebantur) animi velut manus beneficiorum administras peracuto ingratitudinis ferro amputarunt. Non tot ac tanta nunc accipiunt beneficia. quid mirum? manus non habeo, quæ dona effundant: mutilarunt ingrati benefactorem suum; amorem, ex quo fonte cuncta beneficia profluebant, saxosa ingratitudine obstruxerunt. Symmachus legit: *exanimatus sum in eis.* O labem, ô exitium, ô ingratitudinem, quæ tam grauis est, vt Deum ipsum quodammodo prosternat, atque exanimet, velútque sensu carentem, ac mortuum erga ingratos reddat! siquidem & *anima eorum variauit in me.* Aquila vertit: *immaturauit in me.* Videlicet Hebræorum animi semper immaturi, nunquam decocti, ac dulces, sed amari, & ingrati erga me Deum suum extiterunt. Nullam ex illis dulcem memoriam beneficiorum, nullam gratæ laudationis dulcem potui vocem colligere.

Zachar. 11.

Ingratitudo contrahit benignitatem Dei.

Multis damnatur ingratitudo erga Deum.

3. Vtique absynthio, & felle ingratitudinis promptissimum ad benefaciendum pectus, animúmque meum exacerbarunt. Iccirco vocatur *domus exasperans* Ezechiel. 2. & 3. & Psalm. 77. *Generatio praua, & exasperās.* item: *Quoties exacerbauerunt Deum in deserto?* Et Baruch 4. *Exacerbastis eum, qui fecit vos.* En quo tandem prorumpit hominum barbara impudentia! Filij quippe sunt, quos Deus vti Pater & creauit, & gubernat, alítque: cæterùm cum amorem amori deberent rependere, adeo ingrati, & stolidi sunt, vt amaritudinem, odiúmque impendant. Scilicet, cruda sunt poma, peracerbæ vuæ, ficus immaturæ, dapes felle conditæ, vinum denique (vt Moyses vocat) draconum. *Deuter.* 32. Quid mirum ergo quòd Dominum inueniant asperum, & vt merentur inclementem iudicem, potiùs punientem, quàm patrem in filiorum sceleribus conniuentem? Qualem enim quisque se præstat Deo, talē sibi Deum vtique inueniet. A nobis (vt ita loquar) discit, colligítque, quo se pacto erga nos gerere debeat. Hoc ipsum in illa detestanda idololatria vituli demonstratum est. Offensus quippe Dominus tanta sceleris immanitate sacrilegum populum sic alloquitur: *Populus duræ ceruicis es, semel ascendam in medio tui, & delebo te. Iam nunc depone ornatum tuum, vt sciam quid faciam tibi.* Exod. 33. Quasi dicat: Ex te ipso sumam exemplum: si te armis instructum videro, meum pariter euaginabo gladium. Si te humilem, supplicem, compunctum, in luctu, & squa-

Ezec. 2. & 3.
Psalm. 77.
Baruch 4.

Ingrati Dei asperum sentiunt.

Deuter. 32.

Nobis Deum aut pium, aut seuerum facimus,
Exod. 33.

A lore iacentem inspexero, ego quoque deposita iracundia placabilem, ac misericordem meæque vltionis frænos inhibentem illico me ostendam. Quamobrem vnusquisque nostrum Deo suo benefactori pium, gratúmque animum exhibeat, si ab illo paternam expectat, ac postulat pietatem. Deo reddat, vt à Deo recipiat: Deo mentis, orísque reddat gratias, vt à Deo noua in diēs, ac potiora exigat beneficia.

4. O miserum, ô perditum, ô planè impium, qui nec oris, nec mentis debitam gratiam beneficentissimo Deo vnquam rependit! Ausim dicere: signum iam in se gestat ille reprobationis æternæ. Audi Psalmistam. *Non est in morte, qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?* Psal. 6. Hęc B scilicet vna est ex maximis, & grauissimis æternæ mortis infelicitatibus, vt ad infernum detrusi, atque sempiternis incendiis damnati Deum penitùs obliuiscantur, nec Deum miseri aut implorent, aut laudent, aut illi se reos, ac supplices vllo modo sistant. Omnem omnino Dei memoriam reprobi amittunt: vt hinc videas Dei obliuionem in homine, qui adhuc viuit, notam esse reprobationis æternæ. Hunc sensum verbis Prophetæ reddit S. Saluianus, ita inquiens: Excludi penitus à confessione peccati peccatorem mortuum protestatur, nec posse esse quemquam postea Dei memorem, qui in hac vita sui fuerit oblitus. sic ille, *lib. 3. ad Eccles. cathol.* Quòd si Deum penitùs obliuiscuntur, atque ignorant infelices, quam spem C habere possunt impetrandi veniam suorum scelerum, ac remissionem pœnarum, quæ à Deo solo precibus, & lacrymis, & gratiarum actione Diuinæ maiestati debita implorari, & impetrari debuisset? Adeo (prosequitur Saluian.) omnis ei spes penitùs abscinditur, & omnis vitæ aditus obseratur, vt cum vna sit reo salutis via, preces ad Deum fundere, & cœlestem misericordiam incessabiliter orare; etiam hac peccator lethiferæ obliuionis animaduersione damnetur, vt ei ne memoria quidem Dei, à quo sperare debeat, relinquatur. hæc ille. Quanquam de confessione laudis Caiet. & alij psaltem loqui existiment: perbellè coniungi potest vtraque confessio laudis, & peccatorum: D atque vtráque simul obliuiscitur, & abhorret ingratus pariter & obstinatus peccator iam nunc lethargo illo sempiternæ, mortiferæque obliuionis velut nota insignitus quo malo ad inferos damnati omnes in omnem æternitatem laborabunt.

Obliuio Dei & ingratitudo signum reprobationis.
Psalm. 6.

S. Saluian.

Spes eorum in memoria & oratione Dei.

S. Saluian.

Reprobus confessionem abhorret.

5. Sic pia, & grata mulier Dei misericordiam iugiter solicitans ampliorem fœcunditatem consequitur, atque adeo sextum parit filium: quo mirabiliter exultans, quasi nunc de nouo sponsatam viro, ac nuptam se reputat, nouam scilicet marito dotem apportans. *Dotauit* (inquit) *me Deus dote bona.* Hoc est: Nunc matrimonium aut redintegro diremptum, aut nouum ineo: etenim fœcunditatem mihi nouam diuinitus concessam concilian- E do marito quasi dotem affero: hac illum de nouo comparo, coemptúsque mihi perpetuò adhærebit. Hæc planè censeri debet in vxore dos potissima, vti domum augeat, prolem multiplicet, maritúmque pulchra, & multa sobole parentem reddat. Confitetur mulier non à se, sed à Deo fœcunditatem suam prouenire, filiósque donari: desierat quidem aliquanto tempore parere, non auferente, sed differente Deo, vt solet, dona sua, quò auidiùs expetantur, instantiùs petantur, & maiori voluptate recipiantur. Quod in Samuele visum est, quem matris Annæ precibus aliquandiu distulit Dominus, vt cum illum mater pareret, non tam suum, quàm Dei esse intelligeret. atque ideo vbi

Dona Deus differt in bonum petentis.

puerum mulier à lacte abstraxit, Domino retulit, & consecrauit: *Dedit (inquiens) mihi Dominus, iccirco & ego commodaui eum Domino.* 1. Reg. 1. Oportet quippe vti dona Dei in obsequium Dei offerantur. Nimirum, quæ habemus, dona Dei sunt, & cum eadem offerimus Deo, debitum soluimus, atque ex alieno reddimus. O Deum maximum, atque opulentissimum qui sua donat, & cui sua redduntur! Iubet, vt ametur à filiis, timeatur à seruis, & sua dona sibi, ab iis, de quibus optimè meruit, cum laude gratiarúmque actione reddantur, in quo non tam sibi, quàm filiis, & seruis consulit.

1. Reg. 1.
Deo sua dona referuntur.

Hinc illud S. August. Nihil Deus iubet, quod sibi prosit, sed illi cui iubet. Ideo verus est Deus Dominus, qui seruo non indiget, & quo seruus indiget. sic ille, *Epist. 4. ad Marcellinum.* Exigit Dominus gratitudinem nostram, vt maioribus insuper nos faciat suis beneficiis dignos. Commendat instanter ac sedulò misericordiæ opera, vt suam magnam misericordiam largè diffundat misericordibus. Eleemosynam in pauperes inculcat, vt erogantibus, vel ipsa quoque bona quæ dispensant, augeat, & multiplicet.

S. August.
Gratitudinē Deus exigens nostro bono consulit.
Commēdantur opera misericordiæ.

6. Proh quàm fructuosi pauperes sunt diuitibus! quantum per illos isti elucrantur! Recondit ille seruus pecuniam domini sui timens vtique, ne fœnori data periret. At Dominus indignatur exclamās: *Serue male. Oportuit ergo te pecuniam meam dare numulariis, vt ego veniēs cum vsuris accepissem quod meum est.* Matth. 25. Sed quinam sunt numularij, quibus pecunia committenda esset? quæ vsuræ? quod fœnus? quod lucrum opera numulariorum colligendum? Egregie respondit S. Saluian. Numularij (inquiens) Saluatoris pauperes, & egeni rectè intelliguntur, quia pecunia, quæ talibus dispensatur, augetur. cum vsuris absque dubio Deo redditur, quicquid egētibus erogatur. sic ille, *lib. 3. ad Eccles. cathol.* Itaque cum pecuniam pauperi distribuis, profectò fœnerator diceris, quippe numulario tradis, quod cum paruum, feréque nihil sit, magnum tibi deinde accrescet in lucrum. Panis frustulum porrigis, & modios tritici colliges. Obolum das, & auri pondera recipies. O verè prudentem, suisque optimè consulentem commodis, qui scientiam fœnerandi pauperibus callet, exercétque. Recipiuntur in cælum ad nuptias, & conuiuium cum Deo celebrandum virgines illæ prudentes, quæ oleum ad fouendum lumen detulerunt. Repulsæ à cælo sunt fatuæ, quæ de oleo non curarunt. *Math. 25.* Qua in parabola proculdubio erogandi eleemosynam, & cura, & incuria significatur. Pulchrè idem Saluianus hac de re disserit in hunc modum: Sacris virginibus legem deuotionis Saluator ipse præscripsit exemplo decem virginum; ex quibus fatuarum numerum puellarum ideo tantummodo dicit pœnis perennibus dandum, quia sit ei opus misericordiæ defuturum. hæc ille, *lib. 2. ad Eccles. cathol.* Quis non miretur, quis non timeat, cum videat, vel ipsas virgines misericordiæ operibus destitutas in æternum perire? Optimè adiungit Saluian. Quo dicto euidentissimè docuit Dominus quanti pretij iudicaret largam misericordiam, sine qua dixit nec integritatem quidem ipsam Virgini profuturam. hæc ille. Nouerint igitur diuites facili compendio salutem suam elucrari: terræ suæ tantillam portiunculam erogent, vt cælum vniuersum recipiant. A Deo habent, quicquid possident, Deo gratos se præbeant, vt & possessa conseruent, & noua subinde comparent. At grati erunt suo benefactori, si ipsius istis muneribus Deum ipsum pascant, ac recreent in pauperibus. Quod enim vni ex istis minimis facimus, Deo ipsi præstamus.

Fructuosi diuitibus pauperes.
Matth. 25.
S. Saluian.
Eleemosyna substantiam dantis auget.
Matth. 25.
S. Saluian.
Misericordia in pauperes reprobis deest.
S. Saluian.
Commendatur diuitibus eleemosyna.

7. Læta igitur mulier sexto partu, quem vti dotem egregiam marito suo affert, certa iam nunc, quòd illius sibi amorem tam fœcunda prole inseparabilem conciliarit, filium vocat *Zabulon*, hoc est *habitaculum* à radice *zabal* זבל *cohabitare* Iosephus exponit *pignus beneuolentiæ*. non quidem ad significationem radicis Hebrææ, sed ad consecutionem quæ fit ex hoc partu, ob quem vxori suæ vir maiorem deinceps beneuolentiam demonstrabit. Chald. vertit: *Hac vice habitatio mariti mei apud me.* LXX. Complut. & Bibl. Reg. legunt: *Eliget me*, videlicet peramatam vxorem, cui lætiùs, & frequentiùs ob tam numerosam prolem cohabitet. Richard. de S. Victor. *lib. 12. Patriarcharum*, egregiè mysticum sensum eruit ex nomenclatura omnium filiorum Iacob: ac de Zabulon ita philosophatur: Zabulon gignitur, qui habitaculum fortitudinis interpretatur: quia per gaudij interni degustationem, odium vitiorum generatur, & veræ fortitudinis robur acquiritur. Iste est Zabulon, qui irascendo Dei iram placare consueuit, qui piè in hominum vitia sæuiendo, eis quasi non parcendo, meliùs parcit. hæc ille. Sic planè res habet, iratum Deum ob scelera hominum, ij cohibent à vindicta, reddúntque placatum, ac mitem; qui contra ipsamet scelera flagris armantur, atque odiis: qui bellum sibi ipsis, atque carnis deliciis, & incompositis vitiosarum rerum appetitionibus irreconciliabile habent indictum, mortificationem scilicet Domini Iesu in corpore suo circumferentes, mortui mundo, crucifixi cum Christo, & in mortem Domini pariter cum ipso, etiam dum in terris agunt, consepulti. Hic est ille terminus, ac limes, qui virtutem à peccato disterminat, ab æterno interitu vitam discriminat sempiternam: vocatúrque iccirco crux, & mortificatio Domini Iesu, quam tollere, quam circunferre admonemur, si Dominum ad cælum ascendentem sequi, si virtutes illius imitari volumus. Quo in sensu ita scribit Clem. Alex. Satis ergo fuit præteritum tempus ad faciendam voluntatem gentium (ait Petrus) *dum ambulauimus in concupiscentiis, &c.* 1. Petr. 1. limitem habemus crucem Domini, cui crucifigimur, & à prioribus peccatis reprimimur. *3. pædag. cap. 12.*

Richard.
Mortificatio bellum contra vitia.
Clem. Alex.
1. Petr. 1.
Crux terminus peccandi.

8. Hæc est vna, vel prima, vel præsentissima curandis animæ morbis medicina; nec aliter carnis in spiritum inhibetur tyrannis, & sopiuntur incendia libidinum, quam per continuam mortificationem: ex qua vberes colligi fructus solent virtutum, subiecta videlicet carne, ac spiritu ipso dominante. Quod in S. Basilio agnoscit S. Gregor. Nazianz. cum de illius laudibus disserens ita loquitur: Multum, diúque carni leges sanxit ad spiritui obediendum. *orat. de S. Basilio.* Pulchrè post Zabulon habitaculum fortitudinis, atque mortificationis typum nascitur fœmina (vt statim videbimus) hoc est, ipsamet mollitudo, blanditiæ, atque adeo concupiscentiæ carnalis symbolum; necesse est enim, vt omnis armatura expediatur aduersus carnem spiritui repugnantem: carnis quidem illecebrosa mollitudo, seu turpitudo potiùs animæ puritatem fœdissimè contaminare solet. Enimuerò tunica illa sacerdotibus præscripto Domini induenda, quanta debeat esse animæ puritas, & quali mortificationi sit comparanda, luculentè admodum demonstrabat. Erat quidem tunica ex lino mundissimo in symbolum castitatis, quæ & candorem habet niueum, & sua munditie Angelicam puritatem æmulatur. Seu (vt aptiùs interpretemur) tunica significat carnem, quæ vt munda,

Mortificatio seminarium virtutum.
S. Greg. Naz.
Puritas animæ ex carnis mortificatione.

munda, & casta sit, instar lini sæpius tunditur, & maceratur, donec amisso colore natiuo, propter genuinum lutum, & concupiscentiæ ardorem, nigro, ac turpi, miram continentiæ albedinem, ac nitorem assequatur. Carnis igitur maceratione naturalis comprimitur appetitus, ac detersa omni impuritate, purior auro, niuéque candidior anima efficitur. At Zona verò, quæ lineam tunicam constringebat, non minoris erat mysterij; scilicet interius vacua, exteriùs miris picturata figuris, & coloribus, vbi vernabāt flores, micabántque gemmæ, ac lapilli pretiosi, pellem colubri mirificè referebat. Vtique renouatio morum, vitæque nouitas, innuitur, quæ transitu per angu-

Sine mortificatione castitas non est.

stum pœnitentiæ callem comparatur. Nec enim castitas potest consistere sine vitæ strictioris ha- B biru, sine operibus mortificationis, ac pœnitentiæ: hoc igitur cingulo tunica castitatis, ne diffluat, ne lutum contrahat, cohibetur; atque vt niteat puritas corporis, insculpantur necesse est multarum virtutum, bonorúmque operum lumina, & ornamenta.

D.Hieron.

9. *Post quem peperit filiam nomine Dinam.*] Hæc transfertur (exponit S. Hier.) in causam, quam significantiùs Græci *δίκην* vocant. Iurgij enim in Sichimis causa extitit. sic ille, *quæst. in Genes.* Semper fœmina in Diuinis literis symbolum extitit infirmitatis, ignauiæ, mollitudinis, imò & ipsius carnis, atque illecebrosæ voluptatis: nec immeritò, causam enim huius infelicitatis illa mulierum prima fuit, quæ serpentis dolo seducta virum C ad peccandum illexit, suámque omnem posteritatem infinitis, & grauissimis miseriis, morti denique addixit. Egregio itaque significato mulier hæc Dina iudicium, contentionem, litem, iurgium, discordiam, secum importat, vtique à radice דין *Dun.* Enimuerò si non omnia, certe plurima, feréque omnia discordiarum, & contentio-

A fœminis multa & grauia in mundo mala.

num genera propter fœminas in mondo quotidie oriuntur: ab illis humano generi patescit aditus in vitam: ab illis quoque plurima in mortem, & (quod summè deplorandum est) in gehennam æternitatur via, & porta panditur. Propter Helenam tota Phrygia, & Græcia conuulsa est; Troiáque in cineres, & fauillas redacta funditus periit: propter Cauam Hispaniæ à Mahometanis profligatæ D sexcentos per annos sub atrocissima barbarorum tyrannide iacuerunt. Propter fœminam illustrissimum, ac piissimum Angliæ regnum suæ gloriæ, ac pietatis, ablegata fide Catholica, miserandum fecit naufragium. Denique prouinciæ omnes hæreticorum hanc primam, & potissimam suorum exitiorum, & proditionum causam habuerunt: turpissimis enim fœminarum amoribus, & effusa carnis licentia corrupti mortales à vera Christi religione nefarios interdicente concubitus desciuerunt. Hæc prima radix, fomes, ac præsidium, quibus nata, & adulta, sempérque in dies augescens instar incendij, mahometana secta maiorem partem orbis occupauit. Quid quod hoc vitio latiùs grassante fideles Christi fide, non vita, pluri- E mi suæ religionis gloriam, & puritatem deturparunt, eò sceleratiùs, quàm infideles, & Saraceni, quò veri Dei, Diuinarúmque virtutum maiorem habemus cognitionem? Quo in argumento sic

S. Saluian. *Nonnulli fideles vita infidelibus turpiores.*

post multa effatur S. Saluianus: Imò causam nostram hoc magis aggrauat, si deteriores sumus, & meliores nos esse credamus. Hæreticis & paganis, quantum ad legem Diuinam pertinet, dico nos sine comparatione meliores; quantum autem ad vitam, & vitæ actus doleo, ac plango esse peiores. Excipio omnes religiosos, deinde nonnul- A lòs etiam seculares aliqua religiosis actuum honestorum probitate consimiles. Cæteros verò, aut omnes, aut pene omnes, magis reos, quàm barbaros. hæc Saluian. *lib. 4. de prouid.* Tolle in Christiana Republica fœminarum amores, delicias, illecebras; & omni pene ex parte vitiorum ac scelerum exhausta sentina videbitur.

Sentina vitiorum fœminei amores.

10. Hæc planè causa vna est vel maxima suppliciorum omnium, quibus frequenter Diuina iustitia in Christianam Rempublicam ad summam vastitatem desæuire conspicitur. Quod quidem in excidio Imperij Romani ab VVandalis, Gothis, aliísque barbaris, & efferatis gentibus, vndique impugnati, demúmque conuulsi, demonstrat egregie S. Saluian. cum etiam scribit gentes B illas castitatis laude, in summa illa sua feritate, ac barbarie (quod mirandum alicui videatur) excelluisse. Sic autem post multa progreditur. Et miramur si terræ Romanorum à Deo barbaris datæ sunt: cum ea quæ Romani polluerant fornicatione, nunc mundent barbari castitate. Hispanias vel eadem vel maiora vitia perdiderunt. Accessit hoc ad manifestandam illîc impudentiæ damnationem, vt VVandalis potissimum traderentur. hæc ille, *lib. 7. de prouident.* Sed quid istud de VVandalis? Nimirum viribus infirmi admodum extitere, nec tam Hispanos vicerunt armis, quàm vitiis subiugatos, & traditos à Diuina iustitia tanquam administri & carnifices punierunt.

Rom. Imperium propter impuritates excisum.

S.Saluian.

VVandali casti Hispaniam impuritatibus plenam vicerūt.

S.Saluian.

Quare optimè adiungit idem Saluianus: Dupli- C citer in Hispanorum captiuitate Deus ostendere voluit, quantum, & odisset carnis libidinem, & diligeret castitatem, cum & VVandalos ob solam maximè pudicitiam illis supponeret, & Hispanos ob solam vel maximè impudicitiam subiugaret. sic ille. Itaque VVandali sola excellebant honestate, viribus alioqui, & animis destituti: at Hispani fortissimi turpissimarum libidinum insania laborabant. Icciroo egregiè colligit Saluianus. Multi absque dubio, imò omnes in omni orbe terrarum barbari fortiores erant VVandalis. Sed ideò Deus infirmissimis hostibus cuncta tradidit, vt ostenderet non vires valere, sed causam, nec nos ignauissimorum hostium fortitudine obrui, sed sola vitiorum nostrorum impuritate superari. D sic ille. Neque id liberè dictum, aut inaniter confictum, aut nouiter factum quis existimet, cum Diuinæ prouidentiæ statutum hoc esse adiungat idem his verbis: vt verè in nos venerit dictum illud: *Secundum immunditias suas, & secundùm iniquitates suas, feci illis, & auerti faciem meam ab eis.* Ezechiel. 3. hactenus S. Saluian. Vicerunt itaque Hispanos propria vitia; non vires, non arma aliena. Quod non tam cedit in laudem, quàm in ignominiam Hispanorum illius ætatis: laus enim hominis, non tam ex corporis bonis, quàm ex virtutibus animæ peti debet.

S.Saluian.

VVandali viribus infirmissimi.

S.Saluian.

Ezech. 3.

Hispanos vitia non arma vicerunt.

11. Itaque vt masculus fortitudinem ac virtutem, sic fœmina imbecillitatem, ignauiam, & lasciuiam in sacris literis importat. Quapropter li- E cuit scribere S. Hieron. in hunc modum: Abraham, & Isaac masculos habuere liberos, & Iacob multorum filiorum pater vnam genuit filiam pro qua dura perpessus est. sic ille, *in cap. 66. Isaiæ.* Vna quidem, aut infirmitate, aut ignauia, maximéque animi, & corporis mollitudine, ac lasciuia viriles conatus masculæ virtutes, si non omnino pereunt, at certè grauissimum adeunt discrimen. Non Abraham, non Isaac, sed Iacob generat fœminam; auus & pater fortes animo, virtutéque robusti; at nepos (saltem symbolicè) iam languescit, ac desinit in ignauiam; nec enim semper

D.Hieron.

Mollitudine viriles conatus pereunt.

Languescit in virtute humana infirmitas. Degenerant ab auis nepotes.

eundem sibi similem, & constantem in virtutum, & maximorum operum functionibus suum potest natura humana cursum tenere. Sæpéque fieri vidimus, vt auorum virtutes ac naturæ ornamenta vel in nepotibus non inueniantur; vel tenuis illorum vmbra in his appareat: quin etiam de bonis parentibus improbi nascantur filij. Filiam solus Iacob inter Patriarchas genuit in sui contumeliam, & suæ familiæ periculum extremum. Pro vna filia magis, quàm pro duodecim filiis solicitum se, anxium, extrema metuentem vidit: plenum vtique periculis, plenum curis fœminæ solet esse contubernium, & commercium. Planè (vt scribit S. Cyprian.) non sinitur cogitare Diuina, qui sibi quæsiuit cui exhiberet domesticá curam: propter quod sic Apostolus consulit, dicens: *Volo vos sine solicitudine esse: qui sine vxore est, solicitus est quomodo placeat Deo: qui autem habet vxorem, cogitat, quæ sunt huius mundi, quomodo placeat vxori.* 1. Corinth. 7. hæc ille, *lib. de singul. cleric.* At quàm laboriosum, & operosum est, vt vel ipsi experiuntur & contestantur coniugati, alterum alteri placere: cum non solum tædia, & fastidia; sed etiam rixæ, odia, diuortia, quotidie inter coniugatos videantur? Quibus omnibus curis, & periculis caret quicunque Deo suam corporis, & animæ puritatem consecrauit, tantùm solicitus quomodo placeat Deo.

Periculosa mulier. S. Cyprian. 1. Corint. 7. *Coniugium laboriosum.*

12. Porrò mira (vt vidimus) fuit solicitudo, veheménsque desiderium in his duabus sororibus non tam explendæ voluptatis, quàm prolis ex sanctissimo viro suscipiendæ: vti nimirum augerent humanum genus, aut certè populum Dei, qui minimus erat inter cæteros gentium impiarum, & nefandis ritibus inseruientium, quibus totus scatebat, & fœtebat orbis. At longè tamen prudentior, ac felicior extitit beatissima Virgo Maria, quæ non Rachelem, non Liam imitata, non communi fœminarum appetitu ducta, non ad prolem nuptias expetiuit, sed mulierum prima virginitatem vouit; Virgo non mater esse inconcusso proposito, immotóque animæ suæ voto decreuit: *Quomodo* (inquiens) *fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Luc. 1. Quod profectò (inquit S. Aug.) non diceret, nisi Deo Virginem se antè vouisset. Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro iusto non ablaturo, sed potiùs contra violentos custodituro, quod illa iam vouerat. hæc S. Aug. *lib. de Virg.* At, ô Virgo benedicta, cur (vti cæteræ) virginitate tua prolem, in augmentum humani generis, aut certè qua populum tuum augeas, & domum parentum tuorum conserues, ac nobilites, non elucraris? Non quidem hisce terræ, ac mundi curis ducebatur Virgo beatissima, sed Deum monentem auscultabat. *Audi filia, & vide, obliuiscere populū tuum, & domum patris tui. concupiscet Rex speciem tuam.* Psal. 44. Oblita quidem est (exponit S. Bern.) populum suum, & domum patris sui: quia nec populum suum augere prolis successione, nec domui patris sui relinquere curauit hæredem; sed quicquid honoris in populo, quicquid de paterna domo rerum terrenarum habere potuisset, omnia arbitrata est vt stercora, vt Christum lucrifaceret. hæc S. Bernard. *homil. 3. super Missus est.* Non nuptias, non blandimenta corporis, nec prolem voluit cum dispendio pudoris: vnum Virgini gaudium, vnum illi hoc fuit lucrum, vt Virgo in Dei amorem & obsequium illibata permaneret. At cum Deo nullum perit lucrum, nullum fit dispendium. Nec enim (adiungit Bern.) fefellit eam intentio, quando & Christum sibi Filium vindicauit, nec propositum pudicitiæ violauit. Bene igitur gratia plena, quæ & virginitatis gratiam tenuit, & insuper fœcunditatis gloriam acquisiuit. sic ille. Maluit Virgo esse, quam Mater: sed vtrumque sola inter fœminas a Deo accepit, vt Virgo permanens Dei hominis Mater simul esset, sponsa, & filia.

B. Maria virginitatem amauit & vouit. Luc. 1. D. August. Psalm. 44. S. Bernard. *B. Maria non de prole solicita Virgo esse, non Mater decreuit.* *Mirus amor B. Mariæ erga virginitatem.* S. Bernard. *B. Maria & Virgo & Mater simul.*

SECTIO VI.

Recordatus quoque Dominus Rachelis, exaudiuit eam, & aperuit vuluam eius. Quæ concepit & peperit filium dicens: Abstulit Deus opprobrium meum.

1. CHaldaicè legitur, *Et venit memoria Rachelis in conspectu Dei, & suscepit Deus orationem eius, & dedit ei vt conciperet.* ita Chald. Satis magnam Deus beneuolentiam suo seruo exhibuerat, vtpote quem multorum fecerit filiorum patrem: quod quidem vnum inter summa Dei beneficia veteres illi mortales reputabant: sed fructus etiam fuit patiëtiæ, ac virtutis Iacobi, vti S. Chrys. ita subnotauit. Vidisti quomodo paulatim promissiones Dei in opus egressæ sunt? Ecce enim statim quantum chorum filiorum circa se habuit iustus, & vidit manifestam Dei in se prouidentiã. Quoniam enim magnam præ se tulit patientiam, quatuordecim annis seruitutem ferens: propterea Dominus remunerans iusti pietatem, in tantum eum crescere fecit, vt posthac inuidiosus aliis fieret. hæc ille, *homil. 56.* Hinc etiam optimè ad promerenda in dies noua, & maiora Dei beneficia, quæ nostris operibus, & egregiis virtutum actionibus in Dei obsequium præstitis reddi consueuerunt, admonemur: nostra scilicet (adiungit S. Chrysost.) virtute Dei gratiam conciliare nobis studendo. Nihil autem beatius viro superna manu adiuto. sic ille. Præstò quidem est Diuina gratia, vt erga homines sese diffundat; sed hominum tamen industria, & solicitudo in studio bonarum actionum exigitur, vt nostris meritis ad maiorem nostri gloriam Diuina beneficia tanquam merces debita reddantur. Quod quidem vel maximè tribuitur nostris ad Deum orationibus, quæ si puræ, si piæ, si feruidæ, si ex animo, si cum humilitate, si perseueranter emittantur, proculdubio à Diuina misericordia, quam solicitant, quod dignè postulatur, impetrabunt. *Oportet* ergo (monet ipse Dominus) *semper orare, & non deficere.* Luc. 18. Loquitur Dominus consequenter ad illa, quæ paulò ante ad finem capitis antecedentis latè prædixerat de periculis, laboribus, persecutionibus, quibus erant Apostoli & fideles in mundo affligendi: nec enim maius, & certius adhibere poterat leuamentum, quàm quod ex oratione ad Deum assidua peti solet. id quidem ita obseruat Theoph. Postquam ærumnarum, & periculorum Dominus meminit, subdit horum remedium; curantur enim oratione perseuerante, & solicita: magnum quippe auxilium in his fert precatio, modò perseueret, & continua sit. sic ille. Ad hunc eundem locum S. Chrysost. vberius, vt solet, de oratione ita differit. Qui te redemit, quid te facere voluit, demonstrauit. Non vult te cessare à precibus, vult te beneficia meditari dum petis, vult te rogando accipere, quod benignitas desiderat impertiri. hæc ille.

Patientiæ fructus. D. Chrysost. *Industria hominis cum Dei gratia.* S. Chrysost. *Certus orationis fructus.* Luc. 18. *Iugis oratio leuamentum in laboribus.* Theop. D. Chrysost. *Orationem Deus exigit ad dona sua.*

2. Mira Domini clementia pariter & beneficentia, monet vti oremus, orandóque accipiamus

nius, quæ desiderat elargiri, nostrarúmque vult esse fructum, & mercedem precationum. Non enim (adiungit) vnquam oranti beneficia denegat, qui vt orantes non deficiant, sua pietate instigat. sic ille. Cum scilicet cupiat Dominus sua nobis dona concedere in nobis spiritum excitat assiduæ orationis, vt assiduam ipsemet orantibus habeat occasionem beneficiendi; magna profectò laus orationis, cùm ad honorem, tum etiam ad vtilitatem orantis. Quod sic vlteriùs adnotauit idem Chrysost. Denique considera quanta est tibi concessa felicitas orationibus cum Deo fabulari; quod desideras postulare; qui etsi verbis silet, tamen beneficiis respondet: non aspernatur quod petis, non tædet nisi fortè tacueris. hæc S. Chrysost. *in catena S. Thomæ*. Egregiè quidem. Est enim B oratio hominis cum Deo familiaris, dulcísque sermocinatio; sed ita tamen, vt qui orat, vel ore, vel corde loquatur, at Dominus oranti respondeat non voce, sed opere: non verbis, sed donis; non colloquendo, sed benefaciendo. Deinde viri principes ægrè accipiunt importunas, & frequentes postulantium voces, nec illis aliud magis est fastidio, nauseæque, quàm si precantes identidem, & clamantes audiant. At (ô immensam Domini clementiam!) nihil illi gratiùs, quàm vt orantem, instantem, clamantem audiat: nullum illi fastidium insuauius, quàm si hominem suæ vtilitatis immemorem tacere videat, & pigrescere. Iccirco monet, clamátque: *Oportet semper orare, & non deficere*. Luc. 18. Consonat Apostoli dictum: *Sine intermissione orate*. 1. ad Thess. 5. Quod & factitabat C regius Vates, cuius illud est ad Dominum: *Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem tuam*. Psalm. 34. Sed quî fieri potest, vt tota die, iugiter scilicet, & sine intermissione sit nobis orandum, Deíque laudes prædicandæ? respondet optimè S. August. Quicquid egeris, bene age, & laudasti Deum. sic ille, *concion. 2. in Psal. 34*. Bene igitur oras, cum bene operaris: opera ipsa bona sunt egregia Dei laudatio, qui nostris actioolbus potiùs, quàm vocibus, & laudatur, & honoratur. Hæc est illa viri iusti, quem regius Vates iam beatum iudicat in hac vita, meditatio continua in lege Domini iuxta illud. *Et in lege eius meditabitur die, ac nocte*. Psal. 1. Quem ad locum ita commen- D tatur S. Hilar. Per hoc enim efficitur, vt sine intermissione oremus, cum per opera Deo placita, & in gloriam eius semper exercita, sancti cuiusque viri vita omnis oratio fit, & sic secundùm legem noctu, diéque viuendo vita ipsa nocturna legis erit & diurna meditatio. hæc S. Hilar.

S. Chrysost. *Nostra oratio Deo beneficiëdi occasio.* — S. Chrysost. *Orantis respõdet Deus benefaciendo.* — *Oratio cum Deo sermocinatio.* — Luc. 18. *Gratissima Deo hominis oratio.* — 1. Thessal. 5. — Psalm. 34. — S. August. — *Bona operatio bona oratio & laudatio Dei.* — Psalm. 1. — S. Hilarius. — *Tota viri iusti vita iugis oratio.*

3. Qui ergo rectè, sanctéque viuit, continuam in lege Domini meditationem exercet. Semper orat, quia (vt habetur in Glossa) iustus secundùm Deum omnia gerit: vel semper orat, qui semper agit bona; nec desinit orare, nisi cum desinit iustus esse. ita in Glossa ad verba *Luc. 18*. Etsi autem sine intermissione orandum sit, præcipuè tamen instandum orationi est, cum aliquod erit negotium, præsertim difficilius, suscipiendum, vti admonuit E S. Gregor. Nyssen. hoc modo: Si oratio negotium præcesserit, peccatum aduersus animam non inueniet aditum. Dei enim memoria in corde fixa, atque fundata, irrita consilia aduersarij manent. sic ille, *lib. de oratione*. Cum igitur diabolus, & peccatum sine intermissione animam hominis oppugnent, oportet etiam vt sine intermissione circumuallettur, armetúrque anima vt hostium insidiæ, assultúsque illudantur, nullúsque introrsum pateat aditus impugnantium conatibus. Tandiu verò de oratione disseruimus, quã profectò piam, A iugem, & feruidam Rachelis prolem à Domino exposcentis benignissimus Conditor exaudiuit. Fuit illa non solùm vocibus, eiulatibus, & lacrymis (vt facilè credi potest de fœmina prolis auidissima, & sorori fœcunditatem inuidente) sed etiam bonis, sanctísque operibus in Rachele, sanctè nimirum iam à viro suo edocta, non ab alio, quàm à Deo conditore prolem efflagitandam, vti vidimus ad initium huius capitis. Recordatus igitur est Dominus piæ mulieris ac Diuinam opem, & orationibus exposcentis, & bonis operibus promerentis. Et quidem iure optimo recordatur Dominus fœminæ, quæ Domini iugiter orando, instando, rectéque agendo recordata est. Enimuero nullum debet esse momentum, in quo, qui conti- B nuis à Deo beneficiis fouemur, piis laudando verbis, & multò maximè operibos in ipsius Domini obsequium, & honorem non studiosissimè curam omnem impendamus. Quod quidem etiam à sensu carentibus creaturis exigendum dicit regius Vates: *Laudate* (nimirum) *eum sol, & luna, laudate eum omnes stellæ, & lumen*. Psalm. 148. Sed quænam isthæc laus est, quam suo Creatori deferunt astra cæli? quomodo cum sensu careant, vocísque sint expertia, laudare Deum possunt? Respondet S. Hieron. In eo quòd à suo officio, & seruitio non recedunt, seruitium ipsorum laus Dei est. hæc S. Hieron. Itaque ooo homines tantùm, sed etiam quæcunque aliæ creaturæ tunc verè censentur ac dicuntur laudare Deum, cum illud agunt ad quod C ab ipso fuerunt conditæ. Bene igitur operari laudare, atque honorare Deum est. Quod quidem ab ipso Diuino spiritu clariùs edocetur his verbis: *Qui conseruat legem, multiplicat oblationem. Sacrificium salutare est attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate; & deprecatio pro peccatis, recedere ab iniustitia*. Ecclesi. 35. En vides, & orationem, & sacrificium vocari ipsam Diuinæ legis obseruationem.

Glossa — *Ante negotiũ præmittenda oratio.* — S. Greg. Nyss. — *Oratio armat contra diabolum* — *Iugis, & pia Dei recordatio.* — Psam. 148 — D. Hieron. — *Deum laudat qui bene operatur.* — Eccles. 35.

4. *Exaudiuit eam &c.*] Etsi Dominus differat, non tamen sua dona petentibus, & merentibus denegat. Preces enim, & lacrymas puellæ sobolem efflagitantis suscepit, datáque prole donauit. Nunquam enim suo fraudatur oratio, & voto, & fructu. Certa illi optatáque demum appenditur D merces, vbi maximè corporis afflictatio, & humilitas orationem comitantur. Quod in se ipso expertus ita contestatur Dauid. *Induebar cilicio, & humiliabam in ieiunio animam meam: & oratio mea in sinum meum conuertetur*. Psalm. 34. Vides orantis afflictionem & humilitatem, quibus alis suffulta oratio io altum liberè, atque expeditè subuehitur, Deíque auribus influens, atque in mentem penetrans, quicquid exposcit, impetrat, atque in sinum deprecantis refert. Sed audi S. Ambros. cuius est explicatio: Hæc est (inquit) oratio, quæ in sinum conuertitur deprecantis, fructum referens eorum, quæ voluit impetrare, vt dona eius ad animam, ac mentem recurrant, quæ poposcit à Domino. hæc ille, *in Psal. 38*. O admiranda felicitas deprecan- E tis! Mittit orationem quis à terra in cælum? volat illa, & surgit velociùs euro, ignedque flatu, subintrat, irruítque in penitiora cæli adyta, Deum solicitat, exponit orantis vota, exauditur, impetrat postulata, demúmque Diuinis onusta gratiis, ac donis, regreditur ad deprecantem, ipsiúsque cœlestibus sinum replet diuitiis, ac muneribus. Felix igitur oratio assidua Rachelis, quæ tandem meruit impetrare, quod vnum in summis habebat votis. *Concepit* vtique de viro suo fœtũ, id enim est aperiri à Domino vuluam fœminæ: à Deo siquidem vt cætera veniunt dona, sic filiorum fœcunditas,

Certa merces orationi. — Psalm. 34. — *Oratio cum afflictione & humilitate.* — D. Ambros. — *Oratio à cælo regreditur diues.* — *Filij à Deo dantur; & negantur.*

partúsque singulare beneficium habetur. Nouerint igitur coniugati filios, etsi fructus sint matrimonij, atque ex congressu viri, & fœminæ oriantur, at potissimum tamen à Deo conditore prouenire; a quo precibus erunt impetrandi. Ad hæc Dei beneficio coniugatis filij, & dantur, & negantur. Nouit misericors Dominus quid cuique nostrum expediat maxime. Multis enim, vbi nascuntur filij, cum filiis pariter dolores, cruciatus, infamiæ, subuersiones, ipsáq; mors acerbissima oriuntur: ad ruinam, & exitium quibusdam, aliis ad solatium, & honorem parentibus filij donantur. Quapropter eum ea conditione, si nobis ita expediat, si hoc erit ad Dei gloriam (quod etiam in cæteris huius vitæ bonis obseruari debet) à Deo filij sunt postulandi: ne (quod summè deplorandum est) nobis ipsi extremam perniciem conciscere, ac postulare videamur.

Filiorũ quibusdã summa infelicitas.

5. *Exaudiuit Dominus Rachelem*, scilicet iugiter deprecantem, non ore tantùm, sed etiam corde. Nam vel ipsum tantummodo cordis desiderium instar clamoris est Deum violentissimè solicitantis, vti S. Bernard. adnotauit ad illa verba regij Vatis: *Clamauit ad me, & ego exaudiam eum.* Psal. 90. Sic enim ait: In Dei auribus desiderium vehemens clamor est magnus. E regione autem temissa intentio, vox submissa. sic ille, *serm. 14. in Psal. 90.* Clamat ergo, cælúmque vocibus fatigat, qui feruenter, instantérque (etsi latenter in corde) orat ad Dominum. Remissè loquitur nec auditur, vixque mussitat (etsi clamet incondite) qui frigidè orat, statimque orandi, aut fastidio, aut lassitudine succũbit. *Exaudiuit Dominus Rachelem*, cuius quidem oratio in altum (vt par est credere in tam vehementi desiderio fœminæ) subuecta illis (quas D. Aug. apponit) alis Deo sese præsentabat. Quod si nostræ orationes identidem repetitæ non exaudiuntur, non impetrant; profectò signum est alarum remigio destitutas à terra in cælum efferri non posse. Igitur optimè S. August. ita loquitur Vis orationem tuam volare ad cælum? fac illi duas alas, ieiunium, & elemosynam. sic ille, *in Psalm. 42.* O egregiam, ô velocem, ô expeditam hominis orationem, qui suam carnem voluntariis afflictionibus discruciat, appetitionibus vitiorum cohibitis mentem orationi puriorem, & habiliorem reddit: ac deinde manibus pauperum, quos pietate Christiana fouet, subleuatur, piisque affectibus, & vocibus apud Deum officiosissimis adiuuatur! *Exaudiuit Dominus Rachelem*, exaudiet & nos si dignè oremus: adeoque certum, ac securum est quòd exaudiet; vt si orare incipias, planè iam queas & amorem, & obsequium præstare, debitámque exhibere gratiam beneficentissimo Domino, qui te sine dubio exaudiet, & postulata concedet. Hanc Domini clementiam expertus aiebat ille, *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.* Psalm. 114. Expende obsecro cum S. Hieron. Non dixit, *Diligam*, sed *dilexi*: non promisit se facere, sed testatur se fecisse. *Dilexi.* Quare dilexi? Quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ. *Dilexi*, transacti est temporis. *Exaudiet* autem futuri. Non enim dixit: Dilexi quod exaudiuit me Dominus. hæc S. Hieron. Iam diligo Dominum, imò iam dilexi, quem spero, quem scio mea vota, mea postulata auditurum, & concessurum. Quid est (inquit eo in loco S. August.) *dilexi, quoniam exaudiet*? an quia dilectionem spes solet accendere dilexisse se dicit, quoniam sperauit exauditurum Deum vocem deprecationis suæ? sic Augustin.

S. Bernard.
Desiderium clamor.
D. August.
Duæ alæ orationis.
Certa, velóxque orationis exauditio.
Psalm. 114.
D. Hieron.
S. August.
Amorem spes accendit.

6. Quidni speret, qui orat, vt exaudiatur quidni iam Deum diligat, imò dilexerit, cuius (vbi orat) certò nouit sibi adfuturam misericordiam? adiungit enim Propheta: *Quia inclinauit aurem suam mihi.* quasi dicat: Certus sum, quòd exaudiet me Dominus, eò quod iam nunc, aut iampridem potiùs inclinauit aurem suam mihi. Scilicet inclinatã semper habet aurem suam mihi, vt illico exaudiat, vbi primùm orabo. Sed ô admirabile priuilegium orationis! Inclinat se nobis (ait S. Ambr.) vt nostra ad Deum ascendat oratio. sic ille de obitu Theodos. Itáne verò, vt Dominus maiestatis in suo illo solio residens infinitis circumcirca spiritibus gloriosis illius nutum obseruantibus vt obediant, vt ministrent, nihilominus è regali solio, ad audiendam, ad excipiendam, ad fouendam sinu, & corde hominis orationem descendat? Infinita quidem Domini clementia; sed & hominis abiectissimi demonstratur miseria. Exaudiri quippe non potest hominis oratio (sic enim serpit humi, sic hæret in luto, & sub terram conditur) in altum subuehi, audiríque, nisi Dominus ipse maiestatem suam inclinet, nisi seipsum ad audiendum demittat, & humiliet. Bene igitur S. Hieron. ad eundem locum occurrit. Quoniam (inquiens) nos parui sumus, & humiles, non possumus nos extendere, & exaltare: propterea Dominus inclinauit aurem suam, & dignatur exaudire nos. hæc ille. Propterea (quod multò maiorem orantibus fiduciam præstat) Dominus ipse, non autem modò suam, sed se ipsum totum ad nos inclinauit, vt iam nunc cum Deo nos dij effecti, & cum hominibus Deus factus homo inuicem, & inseparabiliter loqueremur. Quo etiam sensu sic ampliùs explicat S. Hieron. Denique quia nos homines sumus, & dij non possumus fieri, Deus homo factus est, & inclinauit se, secundùm illud: *Inclinauit cælos & descendit.* Psalm. 17. hæc S. Hieron. Felicior nostra ætas, & nostra conditio, quam illa fuerit Rachelis: Summa enim fiduciæ, speique ratio nobis est in Christo Domino, quem nunc Deum hominem factum habemus, mediatorem, aduocatum, interpellatorem pro nobis apud Patrem. In eum antiqui Patres sperarunt, sed non viderunt. Beati nunc oculi nostri, qui non vident, quæ illi videre cupierunt, & non viderunt.

Psalm. 114.
S. Ambros.
Gratissima Deo hominis oratio.
Paruitas & infirmitas hominis.
D. Hieron.
D. Hieron.
Incarnatio Dei.
Psalm. 17.
Fiducia & spes in Christo.

7. Iam nunc ergo nostra oratio non humi subsistit, sed ita in sublime assurgit, vt in monte cælis editiore, diuinæque maiestati proximo consistens, inde suam explicet legationem, cum Deo pari congressu agat, & colloquatur iuxta illud: *Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte sancto suo.* Psal. 3. At quisnam iste mons? Ille vtique, de quo Daniel: *Lapis sine manibus excisus creuit in montem magnum.* cap. 2. Christus videlicet Dominus ex Virgine Matre natus. Huius montis subsidio nostra oratio suffulta effertur, vt Diuinis sese inferat auribus, vt exaudiatur, vt impetret, quod postulabit. Adiuuit ergo (inquit S. August.) te mons iste, vt exaudireris; nam si in eum non ascenderes, infrà iacens clamare posses, sed exaudiri non posses. hæc S. August. *in Psalm. 47.* De hoc vtique monte clamat, & exauditur Ecclesia Christiana, cum suam deprecationem egregiè ita concludit: *Per Dominum nostrum Iesum Christũ, &c.* Præter hunc montem, quem dicimus Christum Dominum, super quem consistens, & innixa oratio nostra cælum ipsum attingit, à Deo exauditur, ac deinde referta Diuinis beneficiis ad hominis sinum, mentémq; reuertitur; alter est mons in vertice montium, ad quem fluunt omnes gentes. cuius in summo culmine orationes mortalium impositæ in cælos sese inferunt, Dei pectus inflectunt,

Psalm. 3.
Daniel 2.
Christus mõs vnde exaudimur à Deo.
D. August.
B. Maria mõs in vertice montium

ctunt, ac Diuinæ bonitatis thesauros quodammodo depeculantur: Virgo est ipsa Dei Mater, quam nostra peregrinatio in cælum misit aduocatam. Mediatrix illa Dei, & hominum mira quadam fiducia Matris Deum Filium pro nobis, qui in terra laboramus adhuc, sed filijs tamen piissima, & suauissima parens deprecatur. Felices planè multúmque felices hodie sumus, qui talem pro nobis ante Deum, & Aduocatam, & Matrem instanter, & efficaciter interpellantem habemus. *Venerunt vtique nobis omnia bona pariter cum illa.* Sap. 7. Quid-ni ergo tam beneficam, tam nobis vtilem, ac salutarem Dominam, támque dulcem Matrem debitis omnibus officiis, & laudationibus salutare pereniter studeamus? Enimuerò Apostolus scribit: *Salutate Mariam, quæ multum laborauit in vobis.* ad Rom. 16. vbi optimè subinfert Lyranus: Si illa Maria salutanda erat quam Apostolus salutari admonebat, quia multum laborauerat: quantò magis benedicta Virgo Maria, quę super omnes viros & mulieres pro nostra salute laborauit? hæc ille ad locum Pauli. addiderim: & quæ super omnes sanctos pro nobis efficacissimè apud Deum Filium suum intercedit.

B. Maria hominum Aduocata.

Sap. 7.

Lyran. *Salutanda piissimè B. Maria.*

8. *Concepit & peperit filium, &c.*] Fausta quidem & pulchra Domini recordatio, quæ non in solo memorandi actu substitit; sed in effectum externum prodiit. Planè tunc Dominus nostri dicitur recordari cum eximium aliquod beneficium confert, maxime verò quod & nobis apprimè conducit, aut quod ardenter cupimus, & studiosè postulamus. Ardebat Rachel habendæ prolis desiderio, assiduis illam precibus à Deo efflagitabat; nihil illi hac sobole aut optabilibus, aut gratius. Ergo Dominus, qui suorum iusta desideria non illudit, etsi aliquandiu differat, filium Racheli tanquam Diuinæ gratiæ, ac liberalitatis donum, & fœminæ precum fructum, & præmium, spéique indefessæ pulcherrimum complementum elargitur. Exultans gaudio mulier Domino Deo acceptum refert beneficium: *Abstulit* (inquiens) *Deus opprobrium meum.* Nimirum (vti explicat S. Chrys.) soluit sterilitatem; propitius factus est mihi, & idoneam fecit ad procreandum filios vuluam, & liberam me fecit ab opprobrio meo. sic ille, *homil. 56. in Genes.* Pulchrè nomen apponitur *Elohim*, iudices, quasi dicat: Passa hucusque sum sterilitatem, ob eámque inter mortales, quibus fœcunditas laudi est, ludibrio fui, & maledicto: rem totam detuli summo, & integerrimo Iudici, qui ablata infœcunditate omnem aboleuit iniuriam, & cauillationem; honorauit, quæ longam sustinuit ignominiam, litéque contra omnia naturæ obstacula, & mortalium contumelias mihi demum adiudicata Matrem me Diuina, & incorrupta sententia pronunciat vnius filij, cuius partu beatam me dicent, quicunque antea sterilem execrabantur. Porrò de isto infœcunditatis opprobrio, quod vnum ex grauissimis veteres illi mortales exhorrebant, sæpius à nobis dictum est. At in lege gratiæ summa laus est, plusquam humana virtus, cœleste negotium non nuptiis, non liberis operam dare, sed illibata corporis, & animi puritate cœlestium spirituum, imò & Dei hominis, Virginisque Matris mundissimam sanctitatem imitari, omnéque studium, & conatum, non in procreandis carnis filiis, sed in bonis operibus construendis, & virtutum meritis ad gloriam animæ comparandis collocare. Partus illi sunt, & fructus carnis ad mortem, fructus isti sunt, & partus animæ ad vitam sempiternam. O te felicissimum, qui *ingressus es thesauros niuis*! Iob. 38. Vtique virginitatem corporis, animæque amplexus amplissimos pariter cum ipsa donorum, ac meritorum thesauros cōparasti. Pulchrè *thesauros niuis* castimoniam dixit; *thesauros* quidem; secum enim ad hanc, & ad alteram vitam ingentes vtilitatis, & honoris importat opes. *Thesauros*, quia omni vigilantia, omníque studio abscondi, custodiri, munirique aduersus insidias, & violentias deprædantium debet pudicitia; nec alibi securiùs, quàm sub terra in præalto humilitatis specu solet custodiri, & conseruari. At *niuis* est thesaurus, quia nihil purius sincerius, candidius, & formosius castitate sub cælo visitur. *Niuis*, quia cœlestis est virtus, in cælo nascitur, de cælo in animam, corpúsque descendit. *Niuis*, quia nihil illa delicatius, & periclitari facilius: leui quidem flatu, tenuíque luce, hoc est, facili quadam occasione tabescit, ac perit. Denique sub palea nix, sub inopia rerum, animique submissione, atque humilitate pudicitia conseruatur.

Rarus & gratus erga Dei beneficia.
S. Chrysost.

Castitas & bona opera præstant nuptijs & liberis.

Iob. 13.

Castitas thesauri niuis.

Humilitas custos castitatis.

Castitas periculis obnoxia.

SECTIO VII.

Et vocauit nomen eius, Ioseph, dicens: Addat mihi Dominus filium alterum. Nato autem Ioseph, dixit Iacob socero suo: Dimitte me vt reuertar in patriam, & ad terram meam. Da mihi vxores, & liberos meos, pro quibus seruiui tibi, vt abeam: tu nosti seruitutem qua seruiui tibi.

1. LÆta primo suo partu, sed vno tantum haud contenta mulier, in spem erigitur fore, vt alios subinde filios à Deo impetret; quod in nomine istius primogeniti voluit esse insculptum. *Ioseph* quippe infantem nūcupauit adiungens: *addat mihi Dominus filium alterum.* Scilicet iam probè, sanctéque instructa nouit non à viro, non ab ipsa rerum natura, sed à Deo conditore omnium quæcunque dona, filios maximè, postulatum iri. *Ioseph* venit à radice *Iasaph* יסף *addere.* Isto enim edito filio addi alium expetiuit mulier. Potest etiam non incongruè deriuari à radice *asaph* אסף *colligere, retrahere, consummare,* quo verbo Rachel vsa dixit: *Abstulit opprobrium meum* אסף אלהים את חרפתי *asaph Elohim, eth cherpath.* quasi significet mater hunc esse opprobrij sui consumptorem: ipso quippe nato collectum est, & retractum, ne vltra fœminam viro copulatam malè afficeret, & irrisionibus mortalium exponeret, opprobrium infœcunditatis. Ex hac radice intelligit deriuatum nomē S. Chrys. cuius hæc sunt verba: Ioseph quasi sine opprobrio, quoniam dixerat: *Abstulit Deus opprobrium meum.* sic ille, *in catena Lipp.* Cæterùm satius est cum interprete radicem subintelligi *Iasaph, addere,* ad dictúmque mulieris, quod subsequitur referri, dicentis: *addat mihi Dominus filium alterum.* Est enim Ioseph participium, *addens,* siue *accrescens,* vt posteà fiet clarios c. 49. Sed quî fieri potest, vt natus infans addat alterum? Nimirum ea solet esse regia verè magnificentia magnorum principum, Dei maximè, vt vnum concessum beneficium datorem ipsum ad alia subinde conferenda inuitet, impellátque. Plena est scriptura Diuina exemplis eorum, qui vt efficaciùs à Deo, quæ petebant, impetrarent, ipsius tum ad illos, tum ad patres illorum à Deo collata beneficia Deo ipsi sigillatim commemorabant. Sic enim Diuinam excitamus benignitatem, vt suo ingenio benefaciendi, & nuściandi amplius vti delectetur:

S. Chrysost.

Datū vnum beneficium inuitat ad alia conferenda.

delectetur: festum quippe Domino agitur, cum aliquod nobis beneficium confert. Deinde quia mulier Deo adscribens suam fœcunditatē, Deumque sui opprobrij ablatorem, & consumptorem prædicat, in quo egregiam grati animi significationem exhibet, certò vtique iam sperat fore, vt ab ipsamet Diuina magnificentia filium alterum accipiat. Nouit quippe illum, qui Diuina beneficia memori, gratóque animo prædicat, dignum fieri, & haberi, quem nouis insuper Deus clementissimus donis afficiat. Probè hoc ipsum nouerat Propheta cum aiebat: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Ps. 115. Vbi notandum est verbum *retribuendi* ex parte Dei non sine grandi mysterio positum. Enimuero magnificus dator haud quaquam dicitur tribuisse sed retribuisse ac si is non cœpisset prior in nos gratiam conferre, sed resolueret acceptam iis, qui priores contulissent. Sed quid prius Deo nos contulimus? vtique vbi grato animo, ac voce Diuinā misericordiam accepisti, & laudasti, Deum ad noua itidem conferenda beneficia tanquam debita obligatum reddidisti. Quam igitur pro accepta gratia rependis gratiarum actionem, Deus beneuolentissimus in numerum refert, & habet beneficij loco.

Gratitudo dignum nouis efficit donis.

Psalm. 115.

Deus pro beneficio acceptat nostram gratitudinē.

2. Nascitur Ioseph, filius accrescens ipsúmque augmentum. Nouit enim (inquit Richard. de S. Victor.) non solùm cum crescentibus virtutibus crescere, cum proficientibus proficere: verùm etiam ex fratrum defectu ad profectum tendere, & ex aliorum detrimentis prudentiæ lucra acquirere. sic ille, *lib. de 12. Patriarch.* Quidni crescat semper in dies, maioráque subinde lucra, & augmenta congerat meritorum, vel ipsomet nomine præferens, quot & quantis exuberet virtutum incrementis, qui ab ipsis fratribus hostili odio habitus, grauissimis appetitus iniuriis, à patris domo, aspectúque repulsus, in seruitutem denique morte ipsa grauiorem venditus, non fraternum exuit amorem, non odium concepit, non vltionem expetiuit? nihil planè ditius amore; nulla, quàm ex charitate, abundantiùs exuberant lucra meritorum. Optimè idem Richard. Cum duodecim affectus animæ per duodecim istos Patriarchas Iacob filios significari arbitretur, Ioseph discretionem ac prudētiam assignauit. Enimuerò quæ maior prudentia, quàm vt inuenis inter hostes, vt amicus, & frater viuat? quàm vt sub vno tecto cum feris, cum scorpionibus, mente placida, quieto animo in charitate radicatus, amans odientes se, persequentibus benefaciens, bonum pro malo reddens commoretur? O charitatem virtutum & pulcherrimam, & illustrissimam! O maximum Christi Domini mandatum, summam Christianæ legis, & gentis gratiam, præclarissimum sanctorum hominum ornamentum! Profectò qui cum proximis, vel etiam inimicis pariter, & vnanimiter non viuit, longè abest ab illa, quā diuinitus accepit in Christiano baptismo, gratia: timeat sibi, ne fortè adhuc extra ianuam Ecclesiæ positus primore isto careat sacramento, cuius inter alia effecta hoc vnum potissimum in charitate mutua, & fraterna consistit. sic enim Apostolus clamat: *Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem.* ad Rom. 6. Morimur quidem. & sepelimur in Christo, quando baptizamur; mortui sumus, ac sepulti omnes, qui Christiani censemur: vna omnibus sepultura est baptismus. An non plures, etiam qui hostes fuissent, qui sese innicem ferro, ignéque peremissent, vna capit fouea, concordes pariter & vnitos; alterum alterius, & vermes, & saniem, & fœtorem, & putredinem, sine fastidio, nauseáque ferentem tenet sepultura? En status noster, vita nostra, & conditio, si Christiani sumus: in vno baptismo mortui, & consepulti sumus. Quomodo igitur lites, discordiæ, rixæ, odia: quomodo fastidia, execrationes mutuæ reperiuntur in mortuis, qui sensu carent; in consepultis, qui sub vno tumulo in vnam veluti massam coalescunt? Itaque si Christiani sumus, si baptizati, si consepulti cum Domino per baptismum in mortem; viui quidem sumus, vt amorem rependamus, vt patientiam exhibeamus; mortui verò ne doleamus, ne conqueramur, ne indignemur, ne rixemur, imò ne sentiamus quidem; sed pacificè, concorditer, & vnanimiter commoremur. Propositus nobis in cruce Dominus Iesus clementissimus, qui cum malediceretur, non comminabatur, sed pro suis crucifixoribus orauit. Satellites vulnera faciebant, Dominus sanguinem redemptionis pretium exhibebat. Satellites conuitia, & opprobria, mortem denique inferebant; Dominus misericordiam, & vitam illis sempiternam offerebat. Quantò illi truculentiùs sæuiebant, tanto erga ipsos dulcior, & suauior Dominus reddebatur. Ictirco enim aiebat: *Circumdederunt me sicut apes.* Psalm. 117. vbi melle dulcior fluit interpretatio S. Aug. quæ sic habet: Ipsum Dominum Iesum rectè accipimus circundatum à persecutoribus, sicut circundant apes fauum. Mel quippe apes operantur in fauis. Nescientes autem persecutores Domini fecerunt eum nobis ipsa Passione dulciorem, vt gustemus, & videamus, quàm suauis est Dominus. hæc S. Aug. Magnum itaque lucrum, si Domini sequamur vestigia, ad illius exemplum diligamus inimicos nostros; si apum spiculis mella, & fauos charitatis, & beneuolentiæ reddamus, ex ipsismet odiis, & persecutionibus nostrorum hostium comparabimus cum Ioseph, qui (vt erat prudentissimus) nouit iuxta Richardum Victorinum (vti præmisimus) ex fratrum defectu proficere, & ex aliorum detrimentis lucra acquirere. Quod quidem Dominus iam in ipso infantis ortu futurum præmonstrabat, cum nomen Ioseph illi à matre voluit esse inditum.

Richard.

Prudens vndecumque merita lucratur.

Richard.

Charitas erga inimicos gloriosa, & quæstuosa.

ad Rom. 6.

Charitas mutua ex baptismo.

Concordia & charitas Christianorum.

Christiani, & viui, & sepulti.

Christi charitas erga inimicos.

Psalm. 117.

S. August.

Dulcedo Christi crucifixi.

Lucrum ex detrimentis.

3. *Addat mihi Dominus filium alterum.*] En Rachel ætate puella, vultu, speciéque pulcherrima, viro suo gratissima, & charissima non in lasciuiam diffluit, non de voluptate carnis agit: hoc vnum habet in votis, curat hoc vnum vt filios pariat: nec ad alium finem, quàm ad prolem habendam ex viro suo, coniugium, & mariti sui commercium affectabat, & dirigebat. Vtique mulier labori assueta, pascendíque greges exercita molestiis de carnis oblectamentis minimè cogitabat: digna sanè mulier quæ tantum filium, castitatis exemplum, totiúsque Ægypti futurum moderatórem pareret. Nihil quidem à molli, delicatula, & lasciua muliere sperari potest magnum, & gloriosum. Summa verò, & præclara omnia egregiè illa præstabit, quæ virili animo fœmineas respuit blanditias. Quod in Iudith non minùs generosa quàm speciosa matrona eleganter admodum contemplatur S. Aug. ita scribens: Non delicata matrona pugnauit: bellatores crines implicuit pulchritudine digitorum. Post teneritudinem fusi, hebeni capulum terit. hæc S. Aug. *tom. 10. serm. 219.* Pulchra quidem mulier Iudith, sed non deliciosa; manum quidem teneram, & delicatam, sed non lasciuia diffluentem, imò labore assiduo nendi exercitam admouit ad Holophernis machæram; nec enim manum aut chirotheca obuelatam, aut vnguento,

Nihil magnum à fœmina deliciis dedita.

Iudith generosa, & speciosa.

D. August.

Iudith victrix, quia vita austera.

guento, & odoribus delibutam, ac perfusam; sed nendi, laborandique; obducto callo asperam, & horrentem Dominus elegit, cui tam arduum, tam virile, tam gloriosum committeret facinus perpetrandum. Optat mulier vnius filij mater effecta filium adhuc secundum: nec enim bona huius vitæ, vel ardentissimè concupita, vbi demum acquiruntur, & possidentur, humanam possunt mentem satiare, appetitúmque explere. Sit vnus Ioseph ex pulcherrima matre natus, patris deliciæ, familiæ totius gloria, & voluptas; oblectare quidem parentes, sed satiare non poterit; quin etiam illo in lucem edito matris cupido habendi alios ardentius inflammatur. Cæterum vnicus ille Patri Deo, ac Matri Virgini Deus factus homo & Patris intellectũ, generationémque, & matris Virgineum conceptum, partúmque expleuit, ac terminauit. Ille nimirum, in quo bonorum omnium vnita collectio habetur. Hic est dilectus ille Filius, in quo Æterno Patri bene complacuit, qui splendor Patris est, & figura substantiæ eius, Deus de Deo, lumen de lumine, Patris dextera, virtus, sapientia. Hic Matris suæ Virginis totum, & vnicum bonum, amor, desiderium, gloria, in quem matris oculi perenniter cum corde defixi, sicut nunquam in vita defecerunt, ita per omnem æternitatem nunquam deficient, aut conniuebunt. Sed quid mirum? Deus enim est omnino incomprehensibilis, inexhaustus bonorum omnium fons, in quem matris oculi defiguntur.

Bona mundi non satiant animum.

Christus Deũ Patrem & Matrem Virginem satiat, explet.

4. Illud potiùs admirationi est, qui fieri possit, vt ipsius Dei oculos vlla creatura, Virgo scilicet Mater, oblectet, detineat, & (si licet dicere) in quendam quasi stuporem abripiat. Ad Virginem quippe Matrem loquitur aut Verbũ caro factum, aut Spiritus sanctus: *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi auolare me fecerunt.* Cant. 6. Admirabilis sanè hyperbolis, sed Virginis tamen gratiis, & virtutibus debita Quasi periculum subeat Dei prouidentia, ne gubernare mundum desistat, clauúmque vniuersæ huius nauis, & regni sceptrum abiiciat, creaturarúmque omnium pene sui muneris oblitus & memoriam, & regimen deponat, eo quòd totus, quantus est, in contemplanda Matre Virgine teneatur; atque icciico ne tantum prouidus, ac summus mundi Rector discrimen incurrat, vult, vt illa paulisper se a Diuino conspectu proripiat, neque Virgineum, & maternum vultum Dei oculis obiiciat contuendum. Sensus iste à D. Ambros. redditur in hunc modum: Vult auertere illam oculos, ne eam considerans eleuetur, & cæteras animas derelinquat. hæc S. Ambros. *lib. de Isaac, cap. 7.* Eleuatus nimirum Dominus velut (humano more) à sensibus ob vnam matris Virginis contemplationem, & amorem, quibus teneatur delinitus, reliquarum creaturarum, quibus conditor gubernandis assistit, ne obliuionem admittat, periculum adire videtur. Laudanda porrò mulier est (vt ad Rachelem reuertamur) quod nato Ioseph dicat: *Addat mihi Dominus filium alterum.* Parat quidem prudens fœmina certam, & compendiosam viam ad maiora percipienda beneficia à clementissimo Domino, quem prioris filij, & secundi, atque adeo bonorum omnium agnoscit, & profitetur autorem; munit enim viam ad Dei beneficia conferenda hominis, qui data iam accepit, gratitudo, vti è contrario Diuinæ misericordiæ torrentem (quoad effectum) exsiccat ingratitudo. Quo nullum inter homines malum grauiore censura damnari solet. Quis enim ingrato benefaciat? quis ingratum bono animo ferat? com muni omnium mortalium odium est ingratus homo: id quidem apud homines. Verum (inquit S. Chrysost.) de Deo secus est. Nam licet quotidie ingrati simus, benefacit tamen, & suo præsidio nos non destituit, non ad nostram respiciens ingratitudinem, sed in omnibus pro sua agens misericordia. sic ille, *homil. 56. in Genes.* Etsi enim hominum ingratitudo ad exsiccandam Dei misericordiam vi sua dirigatur, illa tamen supereminens non cessat ingratis benefacere. Deinde cum adhuc prolem & cuperet, & à Deo postularet mulier, vnum tantummodo filium exposcens modestiam in petendo exhibuit singularem. Etenim quæ prorsus humana, & ad vitam præsentem pertinentia cupimus, modestè admodum, restrictè, cautéque à Deo sunt postulanda, ne alioqui rerum caducarum iusto cupidiores, & de cœlestibus minùs soliciti videamur; atque adeo ipsi Deo insignem faciamus iniuriam, cum illius cœlestia, summáque bona contemnentes, leuicula, & ridicula, tanquam nobis potiora importunis precibus flagitemus.

S. Ambros.

Cantic. 6. Quàm etiam Deo admirabilis B. Maria appareat.

Graue malũ ingratitudo.

D. Chrysost. Deus ingratis etiam benefacit.

Quæ cõditione à Deo petenda sint bona humana.

5. *Nato autem Ioseph, &c.*] Vbi Iacob ex charissima coniuge Rachele filium, quem summè concupierat, suscepit, non ampliùs in Mesopotamia commorandum, exulandúmque statuens, de reditu in patriam, atque ad parentes cœpit agere. Hoc ipsum ante ortum Iosephi non egit, metuens videlicet (vti Rupertus subnotauit) ne Laban discedenti genero dilectam Rachelem auferret, vtpote ex qua nullam adhuc prolem suscepisset. Sic autem scribit: Si enim etiam tunc timuit, ne auferret filias suas (post natum Ioseph) & icciico clam illo profectus est, quantò magis Rachelem, quam amabat, auferri sibi timere poterat, si proficisci vellet, cum adhuc nullum ex ea filiũ suscepisset? hæc Rup. Nato autem Ioseph, confirmatius videbatur coniugium, & ius in Rachelem, quæ marito, quem suscepta prole patrem fecerat, auferri nulla ratione debuisset. Colligit itaque Rup. Ergo quia per natiuitatem Ioseph velle vxoris confirmatum sibi esse credidit, rectè nato Ioseph ista dixit. hæc ille. Placet tamen aliis potiùs Iacob de reditu in patriam antea non egisse, quia septem anni seruitutis pro Rachele non nisi ad ortum Ioseph expleti sunt: iis autem expletis annis liber Iacob ab omni pacto, quod cum socero cõstituerat, pertæsus illius domum, & consuetudinem, remeare statuit in patriam. Enimuerò (vt hinc euidenter colligitur) natus est Ioseph anno decimoquarto aduentus patris Iacobi in Mesopotamiam, ætatis verò nonagesimo primo. Deinde ab hoc tempore ortus Ioseph egregiè diducitur chronologia Iacob ad hunc modum: Iacob quando venit in Mesopotamiam erat septuaginta septem annorum; cum primum cognouit vxorem, cœpitque filios generare, annorum erat octoginta quatuor; videlicet septem annis post aduentum in Mesopotamiam, totidémque ante natum Ioseph expletis. Dein post sex annos ab ortu Ioseph rediit in terram Chanaan, cum septem & nonaginta annos haberet. Ioseph annum decimum sextum agens venditus est à fratribus, patre septem & centum annos habente. Demúmque mortuus est Iacob, cum centum triginta annorum esset filio Ioseph superstite annos triginta nouem tunc habente, vti suo loco demonstrabitur. Hanc Iacobi chronologiam eruditè admodum (vt solet) noster ex hoc loco Benedictus Pererius contexuit. Nec plura in hanc rem desiderari posse arbitror eruditionis lumina. Itaque, vt præsentis loci commentarium concludatur, quoniam (vt scribitur) *nato Ioseph dixit Iacob socero suo: Dimitte me, &c.* egit videlicet continuò de reditu suo in patriam: optimè colligi-

Rupertus.

De reditu in patriam cogitat Iacob.

Rupertus.

Chronologia Iacob.

mus natum esse Ioseph sub finem decimi quarti anni post Iacobi patris aduentum in Mesopotamiam, in quo nimirum finiebatur quatuordecim annorum seruitus Iacob pacta cum Laban; alioqui postulatio Iacob, si ante finem secundi septennij abire vellet, iniustitia fuisset.

6. *Dimitte me, &c.*] Sensus est: Permitte ô bone pater, bona tua venia, cum vxoribus, & liberis meis in patriam me reuerti. Sine obsecro mecum abeant, siquidem tempus seruitij ex nostro mutuo pacto debiti completum omnino iam habeo. Tu quidem nosti optimè seruitutem meam: scis me nimirùm diligentiam, & fidem, quam debui, toto tibi tempore præstitisse: dignus igitur tibi videar, quem beneuolè dimittas. De mercede nullum facio verbum, pro satis mihi magna mercede duæ vxores cum liberis erunt. O egregium virum, & peramantem vxorum, ac filiorum: non aliam, quàm coniuges, quàm liberos, dotem à socero, mercedem a domino expostulat! En vbi apud nos tantus hic honor, tantus amor, tantáque fides? Profectò iam nunc vilescunt omnia præ numis, prædiis, opibus: ea dulcis, & chara, & pretiosa coniux habetur, quæ pecuniosa, diuésque venit: nec iam vir fœminam, sed pecuniam ducere sibi coniugem videtur: vxores, & liberos postulat Iacob, eximium sanè tam longi, laboriosi, fidelísque famulatus sui præmium. Hoc ipsum Labano potiùs curæ debuit esse: cæterùm ea domi .... aut conditio, aut malignitas est: imperio quidem agunt in ministerium famulos, sed quod ad mercedem attinet, nec si miseri seruiant, nec quam rectè agant, benéque de dominis mereantur, nec qualem diligentiam, fidémque præstent, nec si debitum expleant tempus, nec denique quando, qualisve ministrantibus danda sit merces, aut expendunt, aut æstimant, aut verò etiam recordantur. *Tu nosti* (ait Iacob) *seruitutem meam.* Scilicet quatuordecim annis habet, exercétque in famulatu Iacobum Labanus, nec aduertit tamen iniquus, & crudelis homo: opus fuit misero famulo, vt ostenderet operas suas, vt homini tam diro, quàm iniusto seruitutem suam reduceret in memoriam. Ac magna quidem laus Iacob illa meritò adnotari, & prædicari debet hoc loco, quòd Dei beneuolentiam sæpenumero expertus, diuinúmque præsidium ex tam multis promissionibus certum, multiplicíque effectu confirmatum habens, non proinde tamen Labanum contempsit, aut contra hominem asperius quicquam dixit; sed quò se gratiorem Deo, & Diuina ope magis suffultum videbat, eò modestiùs, ac humiliùs agebat cum homine alioqui valde improbo, iniquo atque intractabili. Quam in sententiam sic effatur S. Chrys. Vide iusti magnam gratitudinem, quomodo videns manifestè Deum sui habere curam non superbiuit contra Laban, sed cum magna mansuetudine dixit: *Dimitte me, vt abeam* hæc ille, *hom.* 57. *in Genes.* Et quidem prudenter egit Iacob; humilitate scilicet, ac mansuetudine prædurum Labani pectus inflexit, & ad omnem lenitatem amicitiámque traduxit. Quid enim humilis, & mansuetus non efficiet? Rectè igitur concludit S. Chrys. Verè nihil mansuetudine validius, nihil potentius. Vide igitur quomodo mansuetudine vsus effecit, vt & Laban magna ei beneuolentia responderit. ita Chrysost. *homil.* 57. *in Genes.* quam mansuetudinis efficaciam, vel etiam in principes, quorum pectora flecti nesciunt, agnouit Salomon, cum dixit: *Patientia lenietur princeps, & lingua mollis confringet duritiam.* Prouerb. 25. Itaque pectora saxis duriora, veluti malleo, mansuetudine ipsa, patientíque, ac leni voce confringuntur, & instar ceræ permollita liquefiunt. Multo adhuc potentior est erga Deum hominis, vel peccatoris patientia, & mansuetudo. Quem in sensum ita S. Hieron. vel (volunt alij) Beda præsentem locum explicat: Quamuis Dominum peccando offendisti, potes tamen eius mereri clementiam, si patienter aduersa, quæ tibi pro peccatis irrogantur, pertuleris, humilíque satisfactione duritiam domaueris contumaciæ prioris, &c.

Mirus amor viri erga vxorem ac filios.

Nunc pecunia pluris fit, quam vxor.

Heri erga seruos iniqui.

Patientia & modestia Iacob.

D. Chrysost.

Mansuetudo mirū in modum efficax.

D. Chrysost.

Prouerb. 25.

D. Hieron. Beda.

Humilitate ac patientia placatur Deus.

SECTIO VIII.

Ait illi Laban: Inueniam gratiam in conspectu tuo: experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te.

1. *INueniam gratiam, &c.*] Sine obsecro (ait Laban) te à me exorari. Fac quod peto; vel rogo te vt me audias. putant enim Caiet. & Lyppom. orationem esse mutilam, & aliquid subintelligendum fore, videlicet: Hanc mihi præstes oro gratiam, hoc à te in testimonium amoris, quem socero, & auunculo debes, exigo, & postulo, vt à me vnum, vel alterum audias verbum. Quale autem illud sit ita progrediens ostendit. *Experimento didici*, Hebr. נחשתי *Nichaschi*, à radice נחש *Nachas*, dubiæ quidem significationis. Plures tamen conueniunt idem esse atque *augurari, sumere augurium.* Quasi dicat: Bene tuum ad me aduentum sum auguratus, bono te aduenientem omine excepi, bonis auibus, auguratò, auspicatò, domum meam te ingressum hucusque probaui. Ipsa me docuit experientia optimis te auibus, faustísque auspiciis ad me venisse. Ita planè cuncta post tuum aduentum mihi prospera & felicia euenerunt. Sed vnde Labano tanta erga Iacobum humanitas, támque noua, & inaudita humilitas? quis crederet Labanum sic inflecti, & emolliri posse? Profectò mitis, & humilis Iacob hanc de barbaro, ac truculento homine victoriam sibi nouit comparare. Nihil enim (inquit S. Chrysost.) mansuetudine violentius. Nam sicut rogum, cum valde accenditur, aqua iniecta restinguit; ita & animum camino magis exardescentem verbum cum mansuetudine prolatum extinguit. ita Chrys. *homil.* 58. *in Genes.* Ardentem igitur inuidia, & maleuolentia Labanum mollia verba, humilísque postulatio, mitéque ingenium Iacob restinxerunt, quod sæpiùs præstitit erga Saulem, feris ipsis, & cautibus duriorem Dauid mortalium sanè quàm mitissimus. Pugnauit Dauid, vicit, ac triumphauit mansuetudine, quam ab ipso Deo sese didicisse contestatur in hunc modum: *Deus qui præcinxit me virtute: qui docet manus meas ad prælium: & posuisti vt arcum æreum brachia mea. Et disciplina tua correxit me in finem, & disciplina tua ipsa me docebit.* Psal. 17. Agit Vates regius de sua in præliãdo dexteritate, fortitudine, ac felicitate, quam Deo acceptam adscribit: sed etiam suam mansuetudinem commemorat, ob quam Deus hominem Saule, ac cæteris hostibus superiorem effecit, insignémque regno, victoriis, & triumphis reddidit gloriosum. Legitur quippe in Hebræo *Mansuetudo tua* ענותך *ganneuatcha, multiplicauit me*, hoc est (vt bellè commentatur Caiet.) dono virtutis mansuetudinis secundùm te mihi concesso multiplicasti me augendo milites, exercitum, regnum. Virtus enim mansuetudinis, quæ enituit in Dauide, euexit ipsum teste ipso Saule. Et quia mansuetudo Dauidis fuit intuitu Dei, & non laudata ab hominibus, ideò

Vincit humilis & mitis.

D. Chrysost.

Vicit mansuetudine Dauid.

Psalm. 17.

Caiet.

Mansuetudo gloriosum fecit Dauidem.

Mira Dei mansuetudo.

ideò dixit: *mansuetudo tua*, ita Caiet. Fortè mansuetudo ipsa Dei potiùs dicitur, quam Dominus ostendit erga homines, quorum perditos mores, immania, & infinita scelera videt, patienter, mansuetéque sustinet.

Bellum cum inimicis mansuetudine geritur.

2. Hanc Domini mansuetudinem Dauid egregiè considerans nititur in seipso exprimere, atque imitari. Quocirca totam hanc præliandi artem, de qua nunc agit, metaphoricè videtur accipere. Est quidem (ait) ô Domine graue, periculosúmque bellum, quod cum inimicis meis gero, sed in eo tamen præliandi artem à te magistro mansuetudinis addisco. Mitem, ac patientem me ad tui imitationem, aduersus inimicos meos me exhibeo. Quem ô Domine non feram maledicentem, irridentem, persequentem; vel si iniurias, opprobria, dedecora, rapinas, violentiam, mortem denique inferat: si versor in tuo gymnasio, si disciplinis tuis studeo, si discipulum me tui profiteor, qui cum sis ipsamet bonitas, ipsamet puritas, coopertum iniquitatibus, & impuritatibus scatentem mundum intueris, & sustines: ac meipsum tui contemptorem tibi per infinita flagitia inimicum, & inspicis, & pateris, & continuis (ô admirabilem bonitatem, & mansuetudinem pariter!) beneficiis afficis, affectúmque conseruas? Hæc Domini mansuetudo ipsius apud nos mirandum in modum commendat Diuinitatem: hæc nostri Dei (ausim dicere) gloria, & honor est. Enimuero iubetur Moysi vti Iosue impositis manibus veluti consecratum pro se statim morituro in principatum, & regimen Hebræorum substituat. *Dabis* (inquit) *ei partem gloriæ tuæ*. Num. 27. Sed quænam isthæc gloria Moysis fuit, nisi quam hominum (vt appellatur) mitissimus ob vnam mansuetudinem sibi apud gentes in omne æuum comparauit? Dabis (ait) Iosue pro te in principem, & rectorem populi substituendo partem mansuetudinis tuæ, quæ te inter mortales reddidit gloriosum. Sic enim habetur in noua Glossa Isid. & Vatab. Quidam exponunt de autoritate, & potestate, alij de mansuetudine, & humilitate, quibus populum facilè ad parendum sibi conciliabat. Mansuetudo enim, & humilitas, Moysem mirum in modum laudabilem reddiderunt. ita *in Glossa*. Tantóque laudabilior mansuetudo ista Moysis erat, quantò augustiorem ille agebat vitam Deo scilicet intimè familiaris. Bene igitur adiungitur: Qui ob id, quòd cum Deo loqui soleret, vt amicus cum amico, nihilo superbior factus, erga omnes pium se, ac tractabilem exhibuit. hæc ex *illa Glossa*. Hic idem sensus erui apprimè potest ex Hebræo fonte, vbi legimus: de splendore: מהודך *mahodecha*, à radice *iadah* ידה, *laudare, proiicere, deiicere*. Vnde vertunt aliqui *de descensu tuo*, *de deiectione tua*, id est humilitate, quæ virtus, vt diximus, valdè laudabilem, & gloriosum reddidit Moysen. vide Oleast.

Mansuetudo Dei gloria. — *Patientia Dei in sceleribus hominum.* — Num. 27. — Glossa. — *Moyses mansuetudine gloriosus.* — Glossa.

Prælatū reddit gloriosum humilitas & mansuetudo.

Nec enim Prælatorum gloria in fastu, arrogantia, & nimia seueritate, sed in humanitate, descensu, & humilitate consistit: hæc (vt ita dicam) deiectio amabiles illos reddit, & gloriosos.

Ambitio honorū est animi abiecti.

3. Quid si etiam hac eadem voce splendor simul & deiectio, gloria & descensus, eleuatio & depressio, altitudo & humilitas significantur, vt intelligas honoris, & humanæ gloriæ cupiditatem abiecti, & vilis animi esse, qui cum sit cœlestium bonorum sublimitati, & magnitudini possidendæ natus, ad affectum, & ambitionem terrenorum, & vilissimorum bonorum sese deiiciat? Supplicium quippe, non beneficium permultis est à Diuina iustitia, vt indigni, & ambitiosi tollantur in altum, quod ipsum est in ruinam & in barathrum præcipitari, iuxta illud: *Deiecisti eos, dum alleuarentur*. Psalm. 72. Vbi optimè animaduertit S. Aug. Non dixit: Deiecisti eos, quia elati sunt; non quasi posteaquam elati sunt, deiecti sint. Sic enim efferri, iam cadere est. hæc S. Aug. Ex Hebræo vertit Caiet. *Tantum in lubricis pones eos. Fecisti cadere eos in ruinas*. aduertitque optimè ita explicans: Intendit quòd bona iniquorum sunt in solis lubricis: ac per hoc non æstimanda. sic ille. Nihil planè vilius, & abiectius honore, gloriáque mundi, quam Deus homo factus habitans in nobis non modò non quæsiuit, aut sibi datam assumpsit: sed in omnibus vitæ suæ actionibus à præsepi ad crucem vsque contempsit, & execratus est. I nunc homuncio, & honorem ab ipso Deo spretum, & nihili habitum ambitiosa, & vitiosa cupiditate, tanquam bonum aliquod magnum sectare. Optimè quidem de honoribus dici potest, quod à Tertulliano de diuitiis dictum legimus. Nimirum, Non maior ad honoris contemptum exhortatio subiacet, quàm quòd ipse Dominus in nullis honoribus inuenitur. Semper humiles iustificat, superbos prædamnat. hæc ex Tertull. *lib. de patient. cap.* 7. Nihil denique humilitate, & contemptu ipso sublimius, & optabilius; quippe cum Deus homo exinaniuerit semetipsum, gloriam propriam non quæsierit, sed maledictum, & opprobrium hominum factus morte abiectissima vitam finiens à terra in cælum remearit. Non eguit Christus Dominus ad sui gloriam humani honoris sublimitate, nec virtus ipsa Christiana, vt emineat, & splendeat, ambitioso mundi apparatu, & ornatu indiget. Ipsamet sublimitas, ipsa magnitudo, & gloria Christus est: satis magna, & gloriosa, sublimisque virtus est, quæ Deum in se habet, & in Deum tota dirigitur. Contra verò vitia, & ipsa vitiorum omnium colluuies idololatria, ne fœteant, ne deterreant, multo egent fuco, ementitóque lenocinio, quo suam turpitudinem contegant, seséque hominum oculis, & animis decipiendis fallacissimè ingerant. Nam quæ (inquit Tertull.) idololatriæ solennitas sine ambitione cultus, & ornatus? in illa vanitas, cum tota eius ratio vana sit; in illa mendacium, cum tota substantia eius mendax sit. hæc ille, *lib. de idololatr. cap.* 1. Atque idcirco in locis editioribus fana idolorum construebantur, vt montium externa sublimitate, impiorum rituum, & simulachrorum vilitas, ac turpitudo mortalium oculis, & animis obumbraretur. Sic enim animaduertit Procop. Consilium infidelium est, idololatriæ humilitatem locorum sublimitate subleuare; procubuit enim homo, & sese abiecit vir. inquit Isaias, quando de idolorum cultu loquitur. ita Procop. *in Numer.*

Psalm. 72. — S. August. — *Abiectissima mūdi gloria.* — Caiet. — *Christus honorum contemptor.* — Tertull. — *Mira Christi humilitas.* — *Nec Christus, nec virtus eget honoribus.* — *Vitium vt fallat fuco indiget.* — Tertull. — *Vanum & mendax vitium.* — *Gentilium fana in montibus.* — Procopius.

4. *Didici quia benedixerit mihi Deus propter te.*] Benedictio ista in opibus commendatur à Labano. Expertus (inquit) sum, quia me ditauerit Deus propter te: post tuum quippe aduentum omnia mihi prospera fuerunt, substantiáque ipsa domus, & peculium accreuit mirandum in modum: vt ex paupere diues euaserim. Hebr. *biglalecha* בגללך, *propter te*. L X X. vertunt. *In tuo ingressu*: idem omnino est. Confitetur enim ingenuè Laban fortunatum sibi fuisse aduentum Iacobi, cum quo pariter omnia domui suæ bona euenerunt. Hinc docemur quanti valeat apud nos esse virum iustum, cum quo pariter felicitas etiam ad rem familiarem accessit. Nihil sanè viro iusto felicius; nullum, quàm ex virtute, maius capitur emolumentum. O quanto fortunatior foret orbis, si à pluribus habitaretur iustis, si multis, & magnis iusto-

Grande lucrum ex virtute. — *Fructus iusti in mundo*

ſum hominum virtutibus abundaret! Sit herus, vti Laban, impius, & inimicus Deo, ſi tamen iuſtum & amicum Deo, vel filium, vel cognatum, vel etiam famulum, denique paſtorem gregum ſuorum apud ſe habeat; ſanè quàm fortunatiſſimus erit. Viuus famuli virtus totam poteſt familiam beare, ipſúmque dominum à Diuina vindicta eripere, ac bonis ſaltem huius vitæ reddere perbeatum: quod in ſeipſo, & in ſua familia euidenter expertum ſe dicit Labanus ob vnius Iacobi famuli, & paſtoris virtutem. Prudens igitur Paterfamiliâs diligenter curet, vt famulos conuictores, ac contubernales, quoad fieri poſſit, exploratæ probitatis, & pietatis homines eligat, per quos Deus res, & negotia totius familiæ ſecundet, & proſperet. Certum quippe illud eſt, quod Cyrus apud Xenophontem *lib.* 1. dixiſſe proditur: Fieri non poſſe, vt domus illa, in qua improbi viuant ſerui, benè adminiſtretur, felicitérque procedat. ſic ille. Sed fortaſſe potentior eſt virtus in domino, heróque, vt famulo inſignem refundat commendationem. Erant aliquando Reges Iuda, & Iſrael cum ſuis exercitibus in deſerto; aqua nuſquam comparebat, miſerique omnes extremum præ ſola ſiti exitium timebant. Ergo quidam regibus defert. *Eſt hic Eliſæus, qui fundebat aquã ſuper manus Eliæ* 4. Reg. 3. quaſi dicat: Haud dubie aqua ſuppetet integris exercitibus. Sed quis illam a Deo impetratam dabit? Planè hic Eliſæus. Vnde coniicis? fundebat aquam ſuper manus Eliæ. Famulus enim Eliæ miraculorum patratoris quidni etiam ſimilia patrabit? Ab hero ſiquidem in famulum virtus refunditur. Vniuerſim hoc verè dici poteſt; ex vnius viri iuſti ſocietate familiæ vniuerſæ, atque adeo ciuitati, & regno magnum emolumentum prouenire: contra verò propter vnum impium, & flagitioſum cùm familiam, tum ciuitatem, & regnum (quod alibi iam oſtendimus) ſæpenumero laborare, ac denũ labefactari. Nam quid peccato ipſo pernicioſius, & exitialius eſt?

Iuſtus famulus herum & familiã beat.

Xenoph.

Malè ſe habet domus vbi malè viuis ſeruus.

Ab hero in famulum virtus refunditur.

4. Reg. 3.

Ingens lucri ex ſocietate viri iuſti.

Exitiale peccatum eſt.

5. Pulchrè ſolet comparari ferro peccatum quo cætera metalla & lapides ipſi comminuuntur, nec eſt vlla vis quæ ferro non cedat, & infringatur. Quod autem ferri hoc ſymbolum habeatur, colligitur ex ipſo altari, de quo ſic diuinitus cõſtitutum eſt. *Quod ſi altare feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus. Si enim leuaueris cultrum ſuper eo, polluetur.* Exod 20. Vnde *Ioſue* (vti legimus) *ædificauit ſicut ſcriptum eſt in volumine legis Moyſi altare de lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit.* Ioſ. 8. Non patitur quidem ſuo altari Deus omnipotens ferrum infigi, nec in eo poni lapidẽ, quem ferrum vllo modo tetigerit. Profectò de altari materiali non eſt quòd Deus tale præceptum indiceret, niſi magnum aliquod myſterium hoc ipſo ſignificandum prædiceretur: nec aliud occurret aptius, quàm de Chriſto Domino ipſius diuinitatis, & humanæ reconciliationis, ac propitiationis ſacroſancto altari, quod nulla ferri, hoc eſt, peccati, aut duritiei, aut labes vnquam attigit, ac deformauit. Quem ſenſum ita colligit D. Cyrill. Alex. Chriſtus Dominus non delicti ferro coſſitus, nec peccati ſectione vulneratus, nec membrorum lege diuiſus fuit, &c. *lib. 9. de adoratione.* Ferro etiam ſignificatur peccatum ob duritiem, vnumquodque ſiquidem annexam ſecum habet pertinacis animæ obſtinationem, quæ nõ niſi Diuina gratia, & Chriſti ſanguine poſſet emolliri. Sed omiſſo peccato, quo nihil exitialius ad virtutis felicitatem, & ad iuſtos, ſeu (vt vocat S. Chryſ.) amabile Sanctorum omne genus. (*hom. 35. ad popul. Antioch.*) quorum de numero Iacob vnus fuit, reuertamur. Seruit Iacob iuſtus

Ferrum peccati ſymbolũ.

Exod. 20.

Ioſue 8.

Chriſtus incapax peccati.

D. Cyr. Alex.

Duritiem peccati.

S. Chryſoſt.

Labano impio, deſpicitur, opprimitur: cæterùm aberrat mundus cum huiuſmodi facit diſcrimen. Verus & incorruptus Iudex non dignitates terræ, ſed hominum conſcientias examinat, apud quem non eſt perſonarum acceptio: *Nec iuxta intuitum hominis ille iudicat. homo enim videt ea, quæ apparent, Dominus autem intuetur cor.* 1. Reg. 16. Labanum nihili habet, oditque vti impium: at famulum iure agentem deſpectum ab hominibus diligit Iacobum. Deſpicitur, neſcitúrque in mundo iuſtus: at *in memoria æterna erit iuſtus*. Pſal. 111. Nimirum (vti exponit S. Hier.) Iuſtus ſemper in memoria Dei eſt. ſic ille. Quid excellentius, quid optabilius homini aut eſſe, aut fingi poteſt? *Obliuioni* (dixit iuſtus) *datus ſum, tãquam mortuus à corde.* Pſal. 30. Obliti ſunt me, declarat S. Hieron. tanquam ſi fuerim iam defunctus. ſic ille. Vtique loquitur Dauid de ſeipſo in perſecutionibus Saul, vt ex tota ſerie Pſalmi euidenter colligitur; quem ita Saul eiuſque ſatellites, & improbiſſimi quique deſpiciebant, abhorrebant, execrabantur, ſicuti cadauer aliquod fœtore, ſaniéque abominandum: aut certè dum illi lætos, ac felices in ſuis diuitiis, honoribus, & delitiis, & fortè in flagitiis tranſigebant dies, nullam rationem, nec commiſerationem, imò ne memoriam quidem ærumnarum, & calamitatum habebant, quas toto regno extorris per auia montium, per teſqua ferarum, nullibi paſſus conſiſtere ille patiebatur Dauid, quo totus vtique dignus non erat mundus.

Fraudi mundi iudicium de iuſtis.

1. Reg. 16.

Magno in pretio iuſtum Deus habet.

Pſalm. 111.

D. Hieron.

Pſalm. 30.

D. Hieron.

Iuſtus laborat, impius triumphat.

6. Obliuioni ergo datus erat, tanquam mortuus à corde. Vbi aduerte (inquit Caiet.) comparari obliuionem Dauidis obliuioni mortui à corde. Mortui enim etſi ſunt in recordatione noſtra, in lingua, in libris, in laudibus, in ſepulchris; nunquam tamen in corde; vtpote quibus nulla noſtri cordis affectio vtilis apparet: & intendit per hoc explicare integritatem obliuionis: vt ſicut mortuus longè eſt a memoria cordis noſtri, ita ipſe totaliter datus erat obliuioni. ita perquam ſubtiliter Caiet. Ex memoria deinde, in qua iuſtus eſt, ad prouidentiam Dei erga iuſtum aſſiduè, ac paternè inuigilantem felicitas iuſti gradum facit, vt verè omninò conteſtetur: *Non vidi iuſtum derelictum.* Pſalm. 36. Iuſtus enim (occurrit S. Ambroſ.) etſi in ſeculo derelinquitur, à Domino tamen non derelinquitur. ſic Ambroſ. quod latiùs probat exemplo ipſius Iacob, cui ſemper atque vbique Diuina gratia præſto fuit. Non derelinquitur à Deo iuſtus, etſi à mundo derelictus, ſpretus, & afflictus: tunc enim, vel maximè habet Deum appropinquantem ſibi, cum ipſo eſt Deus in tribulatione, deſcenditque cum illo in foueam, nec in vinculis derelinquit eum; quinimò (vt Vates idem regius apponit) *Et ſemen eius in benedictione eſt.* Pſal. 38. O egregiam ſerendi, & colendi rationem! benedictum ſemen æternæ vitæ, gloriæque inter preſſuras, & afflictiones, & opprobria iuſtorum ſeritur. Hic enim (declarat S. Aug.) inter ærumnas, tentationes, dolores, gemitus mittimus ſemen. ſic ille. Oportet igitur hic laboribus, & ſudoribus exerceri, dum terræ ſemen mandatur, dum ſpirituali agriculturæ operam damus. Spes alit agricolas, futuri prouentus laborem ſerendi, & colendi ſubſequentur: ac demum poſito aratro, & falce, actóque omni labore, quieti, placidi, lætique pulcherrimo, & iucundiſſimo, atque opulentiſſimo collectarum in terra frugum horreo perfruemur. Scilicet hac eadem via proceſſit, & ante nos ipſum ponè ſecuturos præceſſit Dominus Ieſus, baiulans ſibi crucem ad mortem vſque doloribus æquè, atque opprobriis plenam.

Caietan.

Mortuus longè eſt à corde viuentium.

Iuſto Deus ſemper adeſt.

S. Ambroſ.

Deus fauet afflictis

Pſalm. 38

Seritur gloria inter tribulationes.

S. August.

Laborioſa Chriſti, & Sanctorum via in cælum.

Hac

Hac eadem suos seruos, & amicos incedere & subsequi iussit, in frigore, & nuditate, in fame, & siti; in laboribus, & ærumnis, afflictos, angustiatos, omniúmque factos peripsema, videlicet tanquam immundissima quæque ac vilissima in hoc mundo habita. Verùm illud quidem semen erat. Nunc in cælo beati cum Deo agentes, & mortalium linguis, & literis in terra celebrati actorum in sua agricultura laborum suauissimis, & pretiosissimis fructibus potiuntur.

Laboriosa B. Mariæ vita & via.

7. Hac eadem maximè via Christus Dominus suam secum duxit sanctissimam & dulcissimam Matrem. Humilis illa, pauper, abscondita, mundo incognita, Virgo erat; cum à Deo cognita, cum ab Angelo inuenta, & salutata, cum Dei Mater, simúlque omnium creaturarum Regina effecta est. Quis Domina mundi pauperior, quæ Filium Dei, suúmque in stabulo peperit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio? *Luc.* 2. Quis Virgine Dei Matre beatissima grauiores in vita labores, ærumnásque sustinuit? Matrum omnium summè afflicta, mœrénsque laborauit, ac doluit, cum infantulo fugiens in Ægyptum, in passione saturatum opprobriis, concisum verberibus, in cruce confixum, toto corpore manantem sanguine, mortuum denique, ac sepultum Filium Mater aspiciens. At satio, culturáque, & semen erat, vnde fructus iucundissimus. *Ecce enim ex hoc beatam illam dicunt omnes generationes*: cæli, terræque Dominam, veram Dei Matrem prædicant, implorant, celebrant, venerantur. Infinitis, & acerbissimis Filius patiendo, Mater compatiendo afflicti sunt ambo, & sauciati cruciatibus: at fructus ille honoris, & honestatis (de quo *Ecclesi.* 24.) ad incomprehensibilem Virginis Matris gloriam collectus fuit. Enimuerò cum ad Redemptionem generis humani vel vna tantum guttula sanguinis Christi Domini satis esset, voluit tamen clementissimus Redemptor totum effundere sanguinem, saturari opprobriis, innumerósque pati dolores, tum vt nimiam suam charitatem erga homines demonstraret, tum vt copiosa redemptione, quanto in pretio, & amore nostras animas haberet, palam ostenderet: tum denique, vt Virginem illam crucifixo Filio adhærentem veri hominis, quem dolores, cruciatus, sanguis, & mors comprobabant, veram esse Matrem contestaretur. Quod S. August. mellitis ad Virginem verbis ita edisserit: O felix Maria, & omni laude dignissima: ô Virgo Dei Genitrix gloriosa: ô sublimis puerpera, cuius visceribus auctor cæli, terræque committitur Dominus, qui post multas assumptæ carnis iniurias, & ad vltimum verberatus flagris, potatus felle, affixus patibulo, vt te veram Matrem ostenderet, verum se hominem patiendo monstrauit. hæc S. August. *serm. 2. de assumpt. Virgin. qui est de sanctis.* 35.

Luc. 2.

Luc. 1.

Immensa B. Mariæ gloria.

Nimia charitas & redemptio Christi.

D. August.

Veram suam Matrem patiendo Christus monstrauit.

8. Itaque Iacob in domo, & famulatu Labani, atque omnes iusti in mundo, dum variis exercentur incommodis, sibi gloriam, & requiem seminant sempiternam. Enimuerò (vt S. August. scribit) post mala huius vitæ Deus verè beatam vitam dabit, quò nullum malum admittatur, & vbi summum bonum nunquam amittatur. Hoc piorum præmium est, cuius adipiscendi spe vitam istam temporalem, atque mortalem, non tam delectabiliter, quàm tolerabiliter ducimus, & mala eius tunc bono consilio, & Diuino munere fortiter ferimus cùm bonorum æternorum fideli Dei promissione, & fideli nostra expectatione gaudemus. hæc S. August. *Epistol.* 52. In patientia igitur nostra possidebimus animas nostras, atque in spe futurorum bonorum facili, & æquo animo mala huius vitæ poterimus sustinere. Commutemus breuem & perituram cum sempiterna vita, quæ laborantibus, spretis, spoliatis, afflictis, patienter sufferentibus, & promissa est, & certò, citóque dabitur. Sicut enim in arboribus (inquit S. Chrysost.) accidit, vt si quis fructum cum foliis auferat, & ramos omnes amputet, radice manente tota, cum maiori etiam ornatu arbor resurgit: sic & in nobis, si pietatis radix permaneat, etsi diuitiæ auferantur, & corpus corrumpatur, omnia rursus nobis cum maiori gratia redeunt. sic ille, *homil. 4. ad populum Antiochen.* Nimirum improbi, cum nihil habeant solidi, & firmi, sed toti exuberent, & lasciuiant in ramos, & folia, si fortè alicuius tribulationis aut ingruat tempestas, aut ferrum adigatur, vel leui statim impetu conuelluntur, ac pereunt. Contrà verò iusti in Deo fundati, & radicati, velut præduro, ac firmo stipite robustæ arbores, ad omnem tempestatũ, ictuúmque vim, & impetum, etiamsi decussis foliis, effractísque ramis; sano tamen, & stabili virtutis, ac patientiæ trunco immoti, & inuicti citò in gratiæ, gloriæque cœlestis amœnitatem, pulchriore adaucto ornatu reuiuescunt. Ferat igitur iustus cum Iacob despici, opprimi, afflictari, & inter homines quodammodo se viuum sepeliri: citò quidem è Labani ergastulo euadet in liberiorem auram, & lucem. Sic enim (ait S. August.) abscondita est apud Deum vita sanctorum, vt qui modò laborant in terra, quasi tempore hyemis arbores non habentes fructum, & folia, illo apparente, tanquam nouo sole exorto, illud quod in radice viuebat, in fructibus appareat. hæc ille, *in Psalm. 36. concl.* 3. Habent siquidem iusti iam nunc in radice vitam ipsam sempiternam propter bona opera, meritáque, & gratiam Diuinam; ac pariter cum ea ius ad cœlestem felicitatem quæ post mortem veluti efflorescens, & in fructus exuberans, in effectu demum retribuetur.

Per labores gloria seritur.

S. August.

Spes beatitudinis in laboribus.

S. Chrysost.

Iusti folia non radices euelluntur.

Iusti ex laboribus in quietem transeunt.

S. August.

Iustis gloria iam est in radice.

SECTIO IX.

Constitue mercedem tuam quam dem tibi. At ille respondit: Tu nosti quomodo seruierim tibi, & quanta in manibus meis fuerit possessio tua. Modicum habuisti antequàm venirem ad te, & nunc diues effectus es: benedixitq; tibi Dominus ad introitum meum.

C*Onstitue mercedem tuam.*] Expertus Laban quantum in opibus & fœtura pecorum accreuerit post aduentum nepotis ex sorore Iacobi, omni studio contendit illius à se discessum impedire, cum quo suæ familiæ totam illam felicitatem pariter abituram non vanis coniecturis arbitratur. Detinere igitur illicio nouæ mercedis in posterum statuendæ hominem nititur. *Constitue* (inquit) *mercedem tuam.* LXX. *διάστειλον, distingue, partire*, tu ipse declara, æstima, quid merearis, quid velis pro futuro deinceps in pascendis gregibus seruitio, præmij, ac mercedis. Totum istud polliceor; totum haud dubiè recipies. Vnum dico. Dic tu quod voles, ego dabo. Bene hunc eundem sensum vberiùs (vt solet) ita explicat S. Chrysost. Non ignoro (inquit Laban) quòd post aduentum tuum locupletior mihi Diuina beneuolentia contigent: igitur quia sentio beneficia, quæ mihi propter aduentum tuum data sunt, quam velis mercedem indica, & ego promptè præstabo. sic ille, *homil. 57. in Genes.*

D. Chrysost.

Genes. Non assentior Rabano, & aliis, qui putant de præterito tempore dici; agitur enim solùm de futuro, qua scilicet mercede velit Iacob in posterum seruire, vt ob illam apud socerum retineatur: & ad hanc mentem sine dubio respondit Iacob: *Iterum pascam.* Enimuero ferus, & auarus homo pro quatuordecim annorum exacto seruitio non alium Iacobo mercedem, quàm filiarum suarum coniugium, aut dederat adhuc, aut in posterum dare constituerat: nec prudentissimus gener, & vxorum amantissimus aliam, quàm easdem simul cum liberis mercedem seruitij, dotémve coniugij, aut expetiuit, aut exegit à socero. Pudeat iam nunc viros nostri temporis non vxorum, sed pecuniæ amantes; non cum fœminis, sed cum numis, & prædiis coniugatos. At vnde nunc tam comis, támque officiosus homo, qui barbaro semper extitit ingenio, & inhumano? A comitate, atque mãsuetudine Iacobi hoc prouenisse arbitratur sanctus Chrysost. Sic enim ait: considera quantum valeat *lenientia*. Latinè, *comitas, æquitas, mansuetudo.* Iustus enim neque cogitauit, neque mentionem fecit, neque requisiuit mercedem laborum: sed hoc solum dixit: *Redde mihi vxores, & liberos, pro quibus seruiui tibi, vt abeam.* Ille reueritus iusti magnam æquitatem inquit, *Constitue mercedem, &c.* hæc ille, *homil.* 57. Etiam feroces animi, & saxea corda, & barbari mores cicurantur, emolliuntur, & poliuntur à mansuetudine. *Beati* enim *mites* (ait Dominus) *quoniam ipsi possidebunt terram.* Matth. 5. Nihil enim in terra vel durum, vel asperum, vel inhumanum, vel inimicum, vel importunum, quod mansuetudini obsistat, quod non perurneatur à mansuetudine, illiúsque iugo, & imperio non succumbat.

Iacob exemplar coniugati.

Dos, non vxor à viro æstimatur.

S. Chrysost.

Mansuetudine barbaries emollitur.

Matth. 5.

Domitrix mansuetudo.

2. Obstupuit igitur Laban tam admirabilem in iuuene pluribus offensis iniuriis existere mansuetudinem, & vrbanitatem, vt à socero vxores, & liberos suos petat, quos iure ipso suos habebat, & pro quibus quatuordecim annis seruierat. An non eum marito erant vxores? an non eum patre filij? cur ergo illas à socero, istos ab auo exposcit? ô iuuenis admirandam vrbanitatem! Digno scilicet (inquit S. Chrysost.) honore socerum prosecutus est, suúmque morem per omnia obseruat, & liberè discedere vult. hæc ille. Discant coniugati à Iacob, & illius comitatem, ac modestiam imitentur, quam merito iure debent præstare iis, quorum filias duxerunt vxores; ament, vt filij parentes suos, generi videlicet soceros. Inconsulto, & insalutato socero, etsi ferus esset, & inimicus, quicquam, nec de reditu suo ad patrem moliri ausus est Iacob. Quin etiam (quod magis mirandum est) Moyses à Domino missus in Ægyptum *abiit* (vt scribitur) *& reuersus est ad Iethro* Exod. 4. Nolebat enim (vt optimè adnotauit Lyra) recedere absque licentia soceri. Erat Iethro homo rationabilis, & ideò noluit eum impedire. sic ille. Laudabilis planè vrbanitas, & humanitas Moysis erga socerum Iethro; sed non minùs commendabile istius ingenium & prudentia, qui talem sibi generum, & filiæ suæ maritum comparare nouit. Enimuero etsi exterum, ignotúmque primò accepit, cum ab Ægypto fugiens in desertum veniret Madian; adolescentis tamen indolem, ac virtutem coniectauit ex eo, quòd Sephoram filiam prohibitam à pastoribus adaquare gregem, virili sanè, honestóque ausu repressis pastoribus, ab omni iniuria defendit. Rem vbi Iethro resciuit, hominem illius ingenium admirans pariter, amansque in generum sibi assumpsit. Quod ita subnotauit S. Gregor. Nyss. Vnica te gesta, quam Moyses aduersus pa-

Generi vrbanitas erga socerum.

S. Chrysost.

Generis soceri vt parentes.

Exod. 4.
Lyra.
Moysis erga socerum vrbanitas.

Prudēs pater filiæ virū ex virtute spectatū deligit.

S. Greg. Nyss.

A storum vim magno animo fecerat, adolescentis virtutem conspexit, quòd non proprio lucro, aut laude commotus, pro iustitia pugnauerit: sed iustum ipsum per se, ac natura sua honestum iudicans, pastores, qui nihilin seipsum peccauerunt, castigauit, eorúmque iniuriam repulit. hæc ille.

3. Rectè suum animum honestatis valde studiosum demonstrauit Moyses, cum pastorum violentiam repressit, & fœminæ laboranti opem tulit zelo tantùm iustitiæ inductus. Quare (adiungit Gregor.) virtutem Moysis admiratus Iethro, præstantiorem ipsum aliorum diuitiis existimans filiam ei tradidit in vxorem. ita Greg. *in vita Moysis.* O egregium virum, dignum sanè quem omnes

B filiarum parentes imitari debeant! Non sunt quærendi ob diuitiarum opulentiam, ob generis nobilitatem generi: vna sit in pretio virtus, ille potiùs ad filiæ coniugium, qui pius, qui honestus, qui virtutis amans, qui bene moratus, qui blando comique ingenio præditus, eligatur: non qui diues, non qui nobilis, non qui formosus, non qui robustus, sed virtute, prudentiáque destitutus. Præstat omnibus virtus, super omnia eminet prudentia; quæ si desint, licet alia terræ, ac naturæ adsint ornamenta; heus tu quisquis ad hæc tantum respicis; non virum filiæ, sed asinum onustum auro, aut suem margaritis circumdatum inducis maritum. Felix quidem hoc nomine Laban,

C eo quòd filias tam bellè nouerit locare, generúmque elegerit, etsi peregrinum, exulem, inopem, at prudentem illum, bonis præditum moribus, Deo tuiocum dilectissimum, & quo fortasse illis ætatibus in genere humano alius nec prudentior, nec sanctior, neque Deo acceptior vllus inueniretur. Cuius viri virtus potuit ferum Labani animum inflectere, vti S. Chrysost. ita subnotauit. Vide ex verbis Iacob quomodo attraxit Laban, vt se mercedem daturum spe promittat, & electionem ei permittat. *Constitue mercedem tuam, quam dem tibi*, hæc S. Chrysost. adeo mitis, & humanus effectus est Laban. Dic (ait) ô fili quidquid voles, totum equidem dabo, modo apud me maneas in munere pastoritio. Vel ipsos leones cicurabit agnus, si in

D eodem simul habitent cubili, tanta scilicet est boni exempli potentia; quod quidem etiam præter alia potest intelligi prædictum ab Isaia Christianæ gentis felicia tempora vaticinante: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit. Isa.* 11. vbi subtiliter S. Hieron. obseruat: Hoc notandum (inquiens) quòd non agnus, & hædus habitent, & accubent cum lupo, & pardo; sed lupus, & pardus, agni, & hædi imitentur innocentiam. hæc ille. Truculentæ siquidè animantes in consortio mansuetarum, & cicurum, quotidiana mansuetudinis exempla cum intueantur, non possunt feritate natiua deposita in agnos, & hædos mitissima pecora non transire. Tum etiã maiori est admirationi quod

E sequitur: *Et leo quasi bos comedet paleas, &c.* Isa. 11. Quis crederet posse vnquam fieri, vt immanis bestia carnium, & sanguinis semper sitiens, fœno, paleáque vescatur? at ea vis est consuetudinis, & quotidiani ante oculos exempli positi, vt bestiæ carniuoræ agnorum, & hædorum, quibuscum viuunt, consuetum appetant cibum. Quod ita pulchrè dispungit S. Cyrill. Alex. Obserua quod dicit, non mite in alimentum feris vsitatum, sed in mitis nutritionem ferã demigrare. Carniuora quippe planè sunt vrsus, & leo, bos autem, agnus, & hædus non ita, sed herbas carpunt huiusmodi animantia; atqui à consuetis sylue stria recedent, & potiùs ad mansuetorum transibunt. & alia vescentur palea sic ille, *lib.* 2. *in Isai.* Quod planè prodigium

S. Greg. Nyss.
Virtus non opes ad coniugium quærenda.

Qualis ingenerum eligendus.

Asinus aut sus in maritus.

S. Chrysost.

Boni exempli potentia.

Isaiæ 11.
D. Hieron.

Isaiæ 11.
Boni exempli efficacitas.

S. Cyr. Alex.

gium est perquam stupendum: vt bestiæ feroces, & carniuoræ genuinam exuant feritatem, non mites verò pecudes alienam induant ferocitatem; illæ ad paleas mitium pabulum, non istæ ad carnes illarum escam sese coniiciant, illæ mansuetarum exemplo, & conspectu cicurentur: istæ ferarum consortio non efferentur. Vehementior quidem in virtutis, quàm in vitij exemplo interdum videtur efficacitas. Proh quantum ex conuictu, & contubernio iustorum, vel ipsismet improbis, & bestiarum ritu ferocientibus importari solet emolumentum! Hoc ipsum probè Laban intelligens nullum non mouet lapidem, vti apud se retineat iustum, & gratum Deo adolescentem, ex cuius consortio, & pastoritio munere suas videt opes increscere.

4. *Tu nosti qualiter tibi seruierim.*] Ita se habent sæpius domini. Valde soliciti sunt in exigendo penso, ac seruitio à famulis: at quid, quantúmve laborent, lassentur, promereantur, nec vident, nec curant, nec recordantur, tanquam id alienum, ad seipsos non pertineat. Icciro, quia non aduerterat Laban necesse habuit Iacob hero inhumano suas operas inculcare: sed id tamen summa cum modestia, vt S. Chrys. animaduertit his verbis: Vide excellentem iusti mansuetudinem quomodo nec sic onerosus, & molestus est Labano: sed ipsum testem facit suæ gratitudinis, & fidelitatis, & quanto tempore beneuolentiam in seruitute illius declararit. sic ille, *homil.* 57. Vsque adeo manifesta erant opera Iacob, vt vel ab ipso inimico probata, & contestata esse viderētur. Cæterum hominis auaritia, quæ ius omne Diuinum, & humanum proculcare solita semper fuit, de remunerandis tantæ virtutis, ac fidelitatis operibus hucusque omnem curam, & memoriam impediuit. Non aduertit auarus quid debeat, sed quid cupiat: non quid debeat reddere, sed quid cupiat, possítque acquirere: non de conscientia, sed de arca, de marsupio curat. bene S. Aug. Vis (inquit) habere arcam plenam, & inanem conscientiam. sic ille, *in Psalm.* 5 a. Enimuerò, vt plurimum virtutibus bonísque operibus, Deóque ipso vacuam gerit animam, inanem, penéque nullam (vt vulgò dicitur) habet conscientiam, qui plenam auro, & argento arcam habet, qui non iustificandæ, purificandæ, atque ditandæ ad gloriam meritis conscientiæ; sed numis in arcam congerendis, & suffarcinandis pecunia sacculis totum studium impendit. Non aduertit auarus quid ratio dictet, quid lex Diuina præcipiat: cæcus quidem est, nec solem in meridie misere oculis terræ luto conspersis intuetur. Hæc fuit cæcitas militum Pilati, qui à Pharisæis acceperunt pecuniam, vt dicerent: *Nobis dormientibus venerunt discipuli eius, & furati sunt corpus eius.* Matth. 28. O impudentiam, ô cæcitatem, ô insaniam! Non vident milites sese hominibus persuadere non posse, quod sibi dormientibus innotuisse dicunt. Quis vnquam si mentis compos sit, dormientes testes adhibuit? bene August. Si dormiebant (inquit) quid videre potuerunt? si nihil viderunt quomodo testes sunt? sic ille, *in Psal.* 63. Quid mirum si tam impudenter, ac dementer cæcutiant milites Pilati, cum cæcos habeant duces, tam exoculatos, insanósque magistros, à quibus edocti tam inauditam dementiam, & impudentiam protulerunt? *At illi* (scribitur) *accepta pecunia, fecerunt, sicut erant edocti.* Matt. 28. Edocti, egregij sanè discipoli Pharisæorum, qui cæci sunt, & magistri, ducésque cæcorum. Sed quænam infelicior istorum cæcitas? illa videlicet, quam S. Aug. paulò ante subnotauerat, cum pecuniam remissam à proditore Iuda in gazophylaciū templi inferre, piaculum duxerunt; nullum verò in sanguine innocentis, quem effundebant. sic enim loquitur. Qualis illa innocentiæ simulatio fuit pecuniam sanguinis non mittere in arcam & ipsum sanguinem mittere in conscientiam? hæc ille. Non vident miseri, aut potiùs videre nolunt insani, quàm iustus quàm innocens homo ille sit, cuius sanguinem expetunt; & quantis ob suum sacrilegium à Diuina iustitia erant in omne æuum suppliciis puniendi.

S. Chrysost.
Modestia responsionis Iacob.
Iniquitas & malignitas auarorum.
S. August.
Vacua & mala conscientia auarorum.
Matth. 28.
D. August.
Matth. 28.
Iudæorum cæcitas & impietas.
D. August.

5. *Modicum nunc habuisti, &c.*] Sensus est, quem ita explicat S. Chrysost. Te facio testem laborum meorum. Vidisti enim quanto studio, & fide omnia administrarim; & quomodo in paruo numero acceperim pecora tua, quæ diligentia, vigilantiáque mea in tantum numerum crescere feci. ita S. Chrysost. Sic planè res habet: multæ fortassis familiæ sunt, quarum patres, ac domini ob sua flagitia Diuinam sibi accersunt vindictam, actúmque iam illis fuisset, nisi Deus omnipotens, & clemens, virtutes, ac merita boni alicuius, iustíque famuli respexisset. Nimirùm (vt hoc loco videre est) ad ministerium, ad contactum, vel etiam ad præsentiam vnius Iacob, sancti videlicet ministri, seruíque accrescunt opes, totáque familia prosperatur. Id quidem adeò notum contestatúmque erat in familia Labani, vt ne infidus, & inhumanus ille posset diffiteri. Meminit autem Iacob suæ diligentiæ, ac vigilantiæ in pascendis gregibus, quam scilicet bonus & fidelis seruus, ministérue solet præstare: nam ab improbo seruo, maléque morato, & qui Deum nec amat, nec timet, nec fidelitas, nec diligentia, nec in seruiendo dexteritas sperari debet, ac potest. Bene quidem, ac prudenter suis rebus consulit, qui virtute præditos, & bonis institutos moribus, spectatáque probitate homines in suum famulatum, ministeriúmve asciscit. Contra verò & sibi, & toti familiæ perniciem infert, qui flagitiosum famulum inducit domum. Nihil sacratius apostolico fuit collegio, & ne vndecim electis & sanctis, vlla vel peccati labes, vel pœnæ infelicitas ab vno tantùm proditore inferretur, illum iam dæmoni traditum foras expelli necesse est. *Post buccellam quippe* (legimus) *exiuit continuò: erat enim nox* Ioan. 13. Tria quidem in his verbis expendit S. Ambros. Non solum (inquiens) exiuit, sed continuò; & nocte exiit. sic ille. Vbi enim peccatum in animam illabitur, illam continuò ad alia, & grauiora deinceps patranda præcipitat, hoc est continuò exire. Qui enim (adiungit S. Ambros.) grauiora peccauerit, in cætera facilè prolabitur. sic ille. Dein apponitur, *nox erat*. Nec mirum (inquit S. Ambros.) si noctis tenebras habebat, qui Christum deserebat. sic ille. Offusis quidem iudicio, ac menti, rationique tenebris peccatum homo admittit, admissum grauiores deinde in animam inducit: vnde fit, vt peccator cæco impetu in alia prolabatur, nec nisi præcipiti casu corruens in gehennæ incendia consistat. Denique necesse fuit, vt Iudas exiret, ne sanctis suo consortio noceret. Quomodo enim (aduertit S. Ambros.) potest ab humanis temperare, qui Diuina violauit, & hominibus esse bonus, qui Deum læsit? hæc S. Ambr. *lib.* 2. *de Abel*, *cap.* 4. Enimuero si Iudas proditor fuit Christo magistro, ac Deo suo, quid-ni etiam Apostolis infidus & exitialis fieri potuisset? Qui Deum offendit, hominibus prodesse non potest. Communis hostis est creaturarum, qui Deo Creatori omnium sese inimicum exhibet.

S. Chrysost.
Virtus famuli totam familiam beat.
Ab improbo seruo nil boni speratur.
Expulsus Iudas à cœtu Apostolorum.
Ioann. 13.
S. Ambros.
Peccatum in peccata hominem præcipitat.
D. Ambros.
S. Ambros.

6. *Benedixit tibi Dominus ad introitum meum.*]

Hebt. *leraglì* לרגלי, *ad pedem meum.* Chald. vertit *propter me.* Hebraismũ hic optimè declarat Theod. Pedem vocauit aduentum perinde ac si dixisset: Propter aduentum meum, & solicitudinem meam Deus tibi bona impertiuit. Ille enim animaduertens pietatem meam omnimoda benedictione prosecutus est, quæ abs te mihi commissa sunt. sic ille. *q. 87. in Genes.* Ex hoc Hebraismo natum est adagium: *Homo boni pedis*; cum de felici hominis aduentu agitur. Itémque dextero, vel secundo pede adire, venire, ingredi, cum felix & faustus ingressus significatur. Quo in sensu Euander Herculem, cui sacra faciebat, inuitasse dicitur à Poeta, Æneid. 10.

Theodor. — *Adagium.*

Et nos & tua dexter adi pede sacra secundo.

Virgil.

Idem etiam Poeta deorum matrem inuocat.

———*Phrygibusque adsis pede diua secundo.*

Huiusmodi hominem boni pedis, qui suo accessu felicitatem adportat scribit S. Aug. vocari à Pœnis Namphamonem. Id est autem (inquiens) cuius aduentus sit faustus, & felix sic ille. *Epistol. 44.* Procop. legit, *super pede meo.* In quo sanè ostendit Deus quanti faciat Iacob, quanti iustum etsi famulum, ac seruum, super cuius pede prosperam, ac felicem reddit domini familiam, quam domini opera, labor, industria, illiúsque filij, semper pauperem, miseram, abiectámque habuerunt. Valétque pluris apud Deum vnus boni serui pes, quàm dominus, totáque huius familia. Simul etiam aduertere est benedictionem Dei super pede Iacob impertiri Labano. Benedixit (inquit Procop.) super pede, non autem spirituali benedictione, neque in cœlestibus, neque in Christo. Apostolus enim illa narrauit, vt pateat benedictionum differentia. Nouit enim scriptura consuetudinem secundùm quam supra pedes quis benedicitur. hæc ille. Licet igitur ex hoc loco inferre, felicitatem bonorum temporalium benedictionem quidem esse, & vocari Dei, à quo bona cuncta procedunt, sed tamen talem significari, vt hic (liceat ita dicere) non videatur à manu Dei fieri, atque impertiri; pede siquidem vnius boni serui satis est, vt detur: ac benedictionem in spiritualibus, in cœlestibus, in Christo, quæ tota est rerum ad salutem animæ pertinentium ab ipsa tantum Dei manu communicari.

Homo felix aduentu. — *S. August.* — *Procopius.* — *Virtus hominis valet apud Deum.* — *Benedictionis Dei disparitas.* — *Procopius.*

7. Ad hæc tanta valet apud Deum gratia illius serui, præsertim sanctitatis laude conspicui, vt etiam super ipsorum pedibus, vel etiam spiritualem, & cœlestem benedictionem impertiatur. Quod ita subiungit Procop. In primis Deus depromit enim benedictionem super speciosis pedibus annunciantium pacem. Quapropter non immeritò imperauit discipulis Saluator ingredientibus in domum aliquam, vt dicerent: Pax huic domui. hæc ille. Ingressi quidem Apostoli domum hospitis ore pacem annunciant, quam Dominus vtique super illorum pedibus toti domui magnificè impertit, quæ scilicet benedictio est non modò temporalis, sed etiam spiritualis, & cœlestis. Locus autem Isaiæ, quem citat, sic habet: *Quam pulchri super montes pedes annunciantis & prædicantis pacem, & annunciantis bonum, prædicantis salutem.* Isai. 52. Prophetiam intelligit S. Hier. de Christo Domino, qui (ait) super montes Euangelium prædicauit, id est, super Apostolos, de quibus scriptum est: *Appropinquate montibus æternis, & quorum doctrina illuminatio Dei est.* vnde ad eum in Psalmis dicitur: *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* hæc Hieron. Itaque Dominus Iesus Euangelium suum primò reuelauit Apostolis, & per illos gentibus prædicauit; nimirum Sol iustitiæ cum orietur ad illustrandum suo splendore mundum, in primis montes in illo eminentiores, hoc est, Apostolos illuminauit, ac deinde radios suæ lucis, & gratiæ totum per orbem longe, latéque diffudit. Verè quoque intelligi potest, ac debet vaticinium de S. Petro Christi primo in terris Vicario, qui vrbem Romam caput imperij aggressus, pede suo septem, quibus illa fundata est, montes contriuit, orbémque ipsum, vniuersúmque imperium Romanum Christi iugo subiecit. Pulchri quidem, & speciosi pedes Christi Domini annunciantis pacem: meritóque dicere posset, quod Iacob Labano dixit: *Benedixit tibi Dominus ad introitum meum, ad pedem meum, super pede meo.* Verè siquidem (vt optimè animaduertit Rupert.) diues effectus est mundus præclara vnius Dei notitia, benedixítque Deus ad introitum Christi Filij sui, omni benedictione spirituali, qua & primò hominibus omnia peccata condonauit, & deinde multiplicia dona contulit Spiritus sancti. hæc ille, *lib. 7. cap. 37. super Genes.*

Mira iustorum gratia apud Deum. — *Procopius.* — *Matth. 10.* — *Isaiæ 52.* — *D. Hieron.* — *Euangelium gentibus prædicatum.* — *S. Petri pede contritus orbis.* — *Rupertus.*

8. Post excellentiam pedum Christi, quam Isaias demiratur, venit contemplanda elegantia, & pulchritudo pedum beatissimæ Virginis Matris Dei, quam in suo panegyrico adolescentulæ Hierusalem, hoc est, animæ iustorum, aut verò etiam ipsimet Angeli cœlestes ita percelebrarunt. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis!* Cant. 7. Et quidem per metonymiam pedes ipsos ab eorum gressibus, & calceis significant. Quòd si pedes, si gressus, si calcei, Virginis beatissimæ iustorum, & cœlitum oculos rapiunt, animósque detinent in admiratione, quid de manibus, quid de pectore, quid de collo, déque ore ipso, & vultu virgineo dixissent, si præ stupore immensæ pulchritudinis, & maiestatis eloqui potuissent? Per calceamenta solet intelligi à S. Ambros. Hier. & aliis corpus ipsum humanum, cuius pulchritudo summa in castitate consistit. sic enim S. Hier. interpretatur: Sponsus laudat Virginem sponsam, & dicit ei: *Speciosi facti sunt gressus tui in calceamentis filia Aminadab.* quod interpretatur, populi sponte offerentis. Virginitas enim voluntaria est, & ideò gressus Sponsæ in castitatis pulchritudine collaudantur. sic ille, *lib. 1. contra Iouin.* Est igitur tam celebrata pulchritudo Virginis ipsamet virginitas, qua Dei Mater super omnem creaturam sub Deo tantùm eminet. Quod etiam S. Ambros. ita dispungit: In hoc calceamento scilicet corporis speciosè processit Maria, quæ sine vlla commixtione corporeæ consuetudinis Autorem salutis Virgo generauit. Vnde egregiè Ioannes ait: *Non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius.* Luc. 16. id est, non sum dignus Incarnationis mysterium comprehendere angustiis mentis humanæ, atque inopis vilitate sermonis absoluere. hæc S. Ambros. *de instit. Virg. cap. 14.* Quam pulchri, ô Domina mundi, sunt pedes tui, quibus conteris summa cacumina beatorum hominum, & Angelorum, hoc est, summa omnia, & maxima dona, merita, virtutes, & gratias, quæ in rationalibus Creaturis inueniuntur. Tu enim sola supergressa es quicquid sub Deo aut esse, aut fingi potest. Pulchri sunt pedes tui, ad quos procumbimus peccatores, in quibus veniam scelerum nostrorum, & nostris inuocatam precibus Dei Filij tui misericordiam impetramus. Sine igitur Domina vt nos tui serui amplectamur vestigia tua, & deuotissima supplicatione beatis tuis pedibus prouoluamur, in quibus certam, & felicem Diuinæ benignitatis habemus benedictionem.

Cantic. 7. — *Mira B. Mariæ maiestas.* — *D. Hieron.* — *Castitatis pulchritudo.* — *B. Mariæ virginitas.* — *S. Ambros.* — *Luc. 16.* — *B. Maria super omnem creaturam dignitas.* — *Ad pedes B. Mariæ prouoluamur.*

SECTIO X.

Iustum est igitur, vt aliquando prouideam etiam domus meæ.

1. **I**Vstum est, &c.] Hebr. *Veghattáh mathái eghesèh gam anochi lebeithi*, ועתה מתי אעשה גם אנכי לביתי, *Et nunc quando faciam etiam ego domui meæ?* domus apud Hebræos ponitur pro familia, progenie, posteritate. Vti populus Hebræus dicitur Psalm. 113. *Domus Iacob*, & posteri Dauid dicuntur domus Dauid. Isai. 7. *Audite domus Dauid*. Similiter loquuntur Latini; vt Virgilius Assaraci domum appellauit posteros eius Troianos, vnde oriundi erant Romani. Quo etiam loquendi more vtimur Lusitani, cum sermo est de principum virorum progenie. Dicimus enim, *a casa Real*, *a casa de Bragança*, &c. Significat igitur Iacob maximè, & primum omnium sui muneris esse curam habere familiæ suæ, in qua numerabantur quatuor vxores, & vndecim liberi, homóque ipse paterfamiliàs erat iam grandæuus, nonaginta scilicet annos transgressus, cuius intererat tot filiis in præsens, & in posterum prouidere. Id enim ad patris rationem, & officium maximè pertinet; indignúsque haberi debet patris & munere, & nomine, qui suorum filiorum curam non habet, & dum superstes est, de illorum statu, vitáque ordinanda non cogitat, non laborat, non desudat. Post mortem siquidem patris summa est orphanorum infelicitas: filiæ præsertim quotidiana suæ honestatis, & vitæ adeunt pericula. Stultus est pater, qui cum viuus filiabus aut locandis in matrimonium, aut in religionem Deo consecrandis nullam impendit curam, iudicat post mortem suam illarum fore curatores, quos hæredes relinquit filios. Quasi verò non plus intersit parentum cura filiarum, quàm penes fratres incumbat solicitudo sororum: nec videamus, & deploremus quotidie exhæredari, spoliari, affligíque hostili, & barbaro ritu sorores à fratribus. Nec enim aliud æque rarum iam nunc habetur, atque concordia fratrum.

Psalm. 113. Isaiæ 7.

Munus patris familiàs.

Pater ante mortē filiabus prouideat.

Fratres sororum depeculatores.

2. Errant miseri parentes, qui arbitrantur quem habeant ipsi affectum in liberos, eundem transmitti solitum ad fratres erga sorores: séque vita decedentes, in filiis relinquere filiarum curatores, & parentes: quin etiam ipsi filiarum curæ in vita iccirco non studuerunt ob tenacitatem pecuniæ, quam auari à se ablegare nullo modo poterant. Nouerint igitur hanc eandem auaritiam, tenacitatémque pecuniæ filiis fore deinceps hæreditatem, qui scilicet nihil potius à parentibus, quàm eorum vitia imbibunt. In quo argumento sic egregiè profatur S. Saluian. Penè omnes parentibus suis filij, non magis in patrimonia, quàm in vitia succedunt; nec magis facultates paternas sumunt, quàm prauitates: ac sic transeuntes semper in mores patrum antè eorum incipiunt nequitiam, quàm substantiam possidere. hæc ille, *lib. 1. ad Ecclesiam catholicam.* Videant igitur quale filiis exemplum vitæ præstent parentes, sua quippe vitia faciliùs, quàm etiam reditus, & pecuniam illis refundunt. Quod egregiè ita confirmat idem Saluian. Et est ratio cur hoc sit. Bona enim parentum non nisi eis mortuis possident filij: viuentibus autem adhuc, & valentibus mores; ac sic priusquàm in dominio suo habere incipiant res paternas, habent in animis ipsos patres: & antequam habeant illa, quæ falsò dicuntur bona, antè habent illa, quæ verè probantur mala. sic ille. A viuis viua vitiorum viui addiscant exempla, ideoque te- A naciter, & indelebili nota semper ad mortem vsque perdurant peruersi parentum in filiis affectus. Sciat igitur quisque pater, sibi etiam conuenire dictum Iacob; deberéque summo iure dicere: *Iustum est, vt aliquãdo prouideam domui meæ*: nec enim hæredes post illius mortem domui, familiæque, sed sibi quisque tantùm, & suis commodis, omnem operam, curámque impendent.

Auari ex auaris nati.

S. Saluian. Vitia parentū hæreditas filiorum.

S. Saluian.

Vnus quisque sui prouideat filys.

3. Heu tu ô diues, ô pater, ô quisquis es, non te, sed tua hæredes amant. nihil illis iucundius, atque te morientem, imò mortuum, & sepultum videre: moriuntur planè si conualescis, si viuis. Vides (ait S. Saluian.) eorum lacrymas; simulata suspiria, fictam anxietatem, non optantem vt conualescas, sed expectantem quando moriaris. Vide B defixos in te, & quasi accusantes tui obitus tarditatem omnium vultus. O infelicem te cuius supremum exitum tantus desiderat, ac precatur numerus propinquorum. Et propter hos tales animam tuam deseris? hæc ille, *lib. 3. ad Ecclesiam catholicam.* Nouerit miser, qui tenetur in lecto, qui videt circumcirca propinquos eiulantes, tot hostes se intueri, qui mortem ægrotantis vt festum diem læti suscipient. Despice igitur (apponit Saluian.) concupiscentes hæreditatem tuam, qui non te, sed patrimonium tuum diligunt; imò qui cupiditate rerum tuarum te execrantur. Nam dum impatienter sitiunt, te oderunt, præsentiámque tuam, quasi æmulam sibi, & aduersariam iudicantes obicem, atque obstaculum putant cupiditatis suæ, C quòd viuis. hæc ille. Profectò ægrotum, ac moribundum circundant hæredes ad prædam substantiæ, & miser tamen suæ animæ seruandæ non prouidet, sed illorum cupiditati explendæ. Rectè queritur ad hæc idem Saluian. Si isti tantopere adnituntur vt pereas, cur non maiore tu animo adniteris, vt viuas? hactenus ille. O dementia, ô cæcitas, ô scelus, ô prodigium! Illi mei corporis mortem auide expectant, desiderant, suspirant, ego animæ meæ vitam sempiternam despicio, & mortem non timeo! Iustum est, vt prouideam animæ meæ; hæc mea est, cætera verò, quæ ad me pertinent, prorsus aliena sunt, si ad animam meam conferantur. Sunt filij, quibus nihil in vita charius, & dulcius habent parentes: at nihil isti ô homo ad animam tuam, ad te ipsum tui dicuntur illi qui filij D sunt, sed longè aliud quiddam tu ipse es.

S. Saluian. Impietas & fraus hæredū.

S. Saluian.

S. Saluian. De anima cuique nō de hæredibus curandum

Se quisque potius, quàm sua curet.

4. Bene in hanc sententiam ita scribit S. Saluian. Propinqua vestra pignora esse vobis & coniunctissima satis certum est. Sed mihi credite, nemo vobis propinquior, nemo coniunctior, quàm vos ipsi. Amate itaque, non obsistimus, amate filios vestros, sed tamen secundo à vobis gradu: ita illos diligite, ne vos ipsos odisse videamini. Inconsultus namque & stultus amor est alterius memor, & sui immemor. hæc ille, *lib. 3. ad Ecclesiam catholicam.* O egregiam sententiam! ô salutare parentibus consilium! Amate in primis animas vestras, deinde filios vestros. Consultus enim prudénsque amor est, in primis sui memor, & aliorum E non immemor. Laborandum in primis est, & sudandum in congerendis meritorum opibus ad commodum, gloriámque animæ, dein verò hæredibus, maximè filiis, non tam ditandis, quàm alendis cura impendatur. Quid enim (inquit idem Saluian.) siue tam stultum, siue tam perditum, quàm vt aliquis de suo non sibi consulat? quàm infidelis est, quàm insipiens, qui vt alium diuitem faciat, animam suam ipse condemnat? hæc Saluian. loco cit. Nemo igitur, vt hæredibus, vel etiam filiis, diuitias, & honores relinquat amplissimos, contra salutem animæ suæ quicquam cogitet. nedum moliatur,

S. Saluian.

Primus animæ propriæ amor.

S. Saluian. Stultus qui pro ditandis alijs propriā perdit animam.

Prima propriæ animæ cura.

liatur, & efficiat. Quinetiam ſi ſapit, ſi ſeipſum non deſpicit, ſi ſui inimicus non eſt, prima ſui cordis ſtudia, curaſque ad ſalutem animæ conferat: de reliquis eſto quicquid ſit. Extranea tibi ſunt iſthæc omnia. Porrò ad curam animæ propriæ patris familias pertinet ea, quam ipſemet habere debet ſuorum domeſticorum, vxoris, filiorum, ſeruorum. De illius ſiquidem manibus requiret Dominus (vt minatur in ſcripturis) ſanguinem illorum hoc eſt ſi peccent, ſi malè viuant, ſi pereant. Non ſolùm enim iuſtum, ſed neceſſarium omnino eſt, vt ſuæ quiſque domui prouideat. Contendat omnes induſtriæ neruos, vt domeſtici piè, modeſtéque agant.

Suæ quiſque prouideat familiæ.

5. Quod ſi ſanctæ diſciplinæ (vt quidam ſunt perfrictæ frontis) non obediant, non vitio id patrifamiliâs adſcribendum erit. Patienter, id quidem ille ferat, ſciâtque ſe hominem eſſe, qui mutare hominum animos haud poſſit, vti monet S. Hieron. his verbis: Cum greſſus hominis à Domino dirigantur, nec ſint in homine eius viæ: corripere quidem poteſt, corrigere non valet: pulſare poteſt, non aperire: manus comprimere, non mutare. ita Hieron. Refertúrque decret. 1. *p.d.* 47. Serimus quidem in tellure noſtris arata ſudoribus ſemen Dei, ſed quod illud naſcatur, fructificet, increſcat in calamum, in ſpicam, granóque exuberet, Dei virtus eſt, Dei beneficium. Neque verò quis tantam humanæ vigilantiæ ineſſe vim exiſtimet, vt nihil ſit in ſubditis, quod caueri vitaríque non poſſit. Bonorum quippe hominum diſciplina mores ſubditorum omnino immutare non valet. quod S. Auguſt. probe nouerat, cum ſcripſit ad clerum, populúmque Hipponenſem hiſce verbis: Quantumlibet vigilet diſciplina domus meæ, homo ſum, & inter homines viuo: nec mihi arrogare audeo, vt domus mea melior ſit, quam arca Noe; vbi tamen inter octo homines vnus reprobus inuentus eſt: aut melior ſit, quàm domus Abrahæ, vbi dictum eſt: *Eyce ancillam, & filium eius*: aut melior ſit quam domus Iſaac: cui de duobus geminis dictum eſt: *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui*. ſic ille, *Epiſt.* 137. refertúrque decret. 1. *p.d.* 47. *c.* 9. Addere poteſt: nec melior eſt domus mea paradiſo terreſtri, vbi duo, qui ſoli morabantur, tam facilè, quàm turpiter errarunt: nec melior eſt cælo ipſo empyreo, in quo innumerabilis multitudo Angelorum Diuinæ gratiæ recèns acceptæ miſerabile, ac ſempiternum fecit naufragium: nec denique melior eſt Apoſtolico Chriſti collegio, vbi tamen inter duodecim ſummi paſtoris oues vna à diabolo tracta deerrauit in ſacrilegium, in deſperationem, in ſuſpendium, in barathrum. Sciant prælati, ſciant rectores, ſciant patresfamiliâs, quòd homines ſunt: omnem diligentiam, & vigilantiam, & ſolicitudinem ſubditorum ſaluti adhibentes dicant nihilominus: Adiuua Domine infirmitatem noſtram. Noſtrum eſt corripere, tuum verò corrigere; noſtrum inuitare, docere, ſuadere; tuum verò perſuadere, atque immutare.

D. Hieron.
Corripit homo, Deus emendat.

Prælati vigilantia neceſſaria eſt, ſed non ſufficit.
S. Auguſt.

Nullus in tempore locus à ruina liber.

Prælatus ſine Deo nihil efficit.

6. *Iuſtum eſt, vt aliquando prouideam domui meæ:* dicit iam grandæuus Iacob: quod plerique ſatius dicere poterunt iam ſenes acherontij, & ſarcophago proximi; cum totos ſuæ vitæ annos, ſi minus flagitiis, at certè inutilibus rerum caducarum ſtudiis, & inanibus mundi negotiis tradidiſſent, nullam interim animæ ſuæ curam habentes. Iuſtum eſt, prorſus neceſſarium illis eſt vt prouideãt morti ſuæ, agant de ſepulchro, quam paulò poſt habitabunt cum vermibus domum. Audiant illi Clementem Alex. qui ſeuerè admodum, ſed iure tamen optimo illorum ſocordiam his verbis incuſat: Non erubeſcitis, quòd per tot ætates contriti eſtis in impietate? fuiſtis infantes, deinde pueri, deinde puberes, deinde viri: boni autem nunquam. Senectutem ſaltem veneremini. Cum in vitæ ſitis occaſu, reſipiſcite, moderatíque, ac temperantes euadite, vel in fine vitæ Deum agnoſcite, vt vobis vitæ finis ſuſcipiat initium ſalutis. hæc ille, *ad gentes*. Scilicet, hæc ſumma eſt Dei noſtri miſericordia, vt in quacunque hora, vel extrema peccator pœnitentiam egerit, à Diuina gratia libenter ſuſcipiatur. Fuerit tota hominis vita vel flagitiis, vel mundo dedita. Cæterùm ſi bona, & pia ſenectus Deo conſecretur, anteactæ vitæ ſordes expiabit. Enimuero, vt eleganter ſcripſit S. Ambroſ. Senectus portus debet eſſe, non vitæ ſuperioris naufragium. ſic ille, *lib.* 2. *de Iacob, & vita beata, cap.* 10. Videlicet peccatorum, & paſſionum actam, & conuulſam priorum ætatum vitam excipere debet ſtatio placidiſſima ſenectutis, in qua de ſalo euadens anima inter pia opera, & virtutum ſtudia pacatiſſimè conquieſcat. At ô miſerum ſumméque infeliciem, qui ſenior annis, laſciuia perditorum morum iuuenis, ipſo in portu facit naufragium: ſordes eius in pedibus, & in canis eius, nec recordatur finis ſui. Profectò illud humana ratio, illud Chriſtiana fides dictat, ac docet, quod Clem Alex. hoc pacto definit: Quò magis homo feſtinat ad finem, tantò eſt verè venerabilior, vt qui Deum ſolum habeat ſe ſeniorem. Antiquum enim dierum vocauit Deum Propheta Daniel. ſic ille, *pædagog. cap.* 5.

Senex de anima curet.

Senibus cura de morte.

Clem. Alex.

Senũ intemperantia vellicatur.

Pia ſenectus vita prioris vitia expiat.

S. Ambroſ.

Senectus ætatis prioris portus.

Clem. Alex.
Senectus moribus venerabilis.

7. *Iuſtum eſt, vt aliquando prouideam domui meæ:* dicat quiſque noſtrum: cum enim certa ſit, & definita vnicuique mors ſua, & illius hora incerta, ſemper, & in quocunque momento iuſtum eſt, vt prouideat quiſque morti ſuæ, agat de receſſu, de viatico in æternitatem, ſciens nimirum haud in longum tempus differri poſſe à vita exitum. Quid ſi iam nunc impendet extrema tibi hora? quid ſi iam nunc ſtat ad oſtium, & pulſat? quid ſi iam nunc aduentat fur, vt aditum ſibi muniat, intróque ingreſſus te intercipiat oſcitantem, aut ludentem? O miſera mortalium conditio! vt plurimum cuique noſtrum mors vti fur in nocte venit. *Matth.* 24. & 1. *Theſſalon.* 5. Vti fur mors adoritur, quia ſegnes, otioſos, ſui interitus immemores non inſperata, non præuiſa ſubito comprehendit: Nihil enim minus cogitamus, quàm quod morituri ſimus. De nobis quaſi de immortalibus ſentimus. Vti fur mors ingreditur, quia pleriſque omnia ſuffuratur, ac ſurripit; ſenſum videlicet, quippe ſe mori neſciunt; prudentiam, qua miſeri priuantur, nec de teſtamento condendo, de reddendo debito recordantur; chriſtianam ipſam pietatem, penéque fidem, & ſpem æternæ vitæ, cum neque de ſceleribus per confeſſionem expiandis, de venia pro iniuriis petenda, dandáve, de ſumenda (prout debent) diuina Euchariſtia, de parando ad rationem Deo reddendam animo; de ſalute denique ſempiterna ſui prorſus obliti, veréque inſani, aut gehennali quodam lethargo conſopiti, vllam aut memoriam habent, aut mentionem ſibi à viuis fieri patiuntur.

De morte cuique agendum.

Mors immonet.

Matth. 24.
1. Theſſal. 5.

Obliuio mortis.

Mors multa multis ſuffuratur.

8. O ſi hæc quàm vera, tam ſalutaris doctrina diuitum huius mundi animos ſubiret, profectò aliter ſibi conſulerent, & ab auaritia, rapiníſque, & pauperum oppreſſionibus abſtinerent! Spoliat pauperem Naboth iniquus ille Rex, quia ſe moriturum non putabat. Idcirco S. Ambroſ. ſcripſit: Naſcitur (inquiens) Achab, & nunquam huic ſeculo moritur. ſic ille, *de Naboth, cap.* 1. Non moritur

Diuitibus obliuio mortis.

S. Ambroſ.

ſeculo

seculo impius, non vitia deponit, noo veterem exuit hominem, quia semper se in seculo victurum somniat; de seculo abiturum se non cogitat, suum reputat seculum, nec patitur seculi sui vel pauperculum in suo prædiolo consortem viuere. Cæterùm, velit nolit, manet & diuitem, vti & pauperem sua quemque mors, sua quemque sepultura. Pulchrè idem Ambros. apponit: Cespes angustus æquè & pauperi abundat, & diuiti: & terram, quæ viuentis non cepit affectum, totum iam diuitem capit. *ibidem.* Maior quidem & latior toto orbe cupiditas, & ambitio hominum est; at ipsosmet angusta, vt consumat, vt in puluerem redigat, absorbet integros fouea. Viui quidem eminent, ac dominantur: at illis tandem idem, qui pauperculis, & opificibus continget exitus. Cæterùm solari se putant mortem suam, & quasi etiam nunc post mortem viuere, ac dominari, cum superbas, sed inanes tamen, & fortè impias cadaueribus suis legant pompas exequiarum. Hæc illos spectacula non honorant, sed inhonorant potiùs, vti S. Ambros. adiungit in hunc modum: Sericæ vestes, & auro intexta velamina, quibus diuitis corpus ambitur, damna viuentium, non subsidia defunctorum sunt. hæc S. Ambros. Scilicet illæ pompæ, illa pheretra serico, & auro nitentia, illæ sepulchrorum moles, omnis ille apparatus exequiarum ferè (vt videmus) ex rapinis diuitum, & pauperum spoliationibus, ac lamentis prouenerunt.

Et diuitem sua manet sepultura. S. Ambros.

Concludit fouea immensam hominum cupiditatem.

Impiorum dānata pompa funerum. S. Ambros.

9. Verumenimuerò ad ornaméntum commentarij super hunc locum Iacob non omittam inserere pulcherrimam Ruperti allegoriam de Christo Domino, cuius typum gerit Iacob, dicente: *Iustum est, vt aliquādo prouideam domui meæ.* Quænam verò (inquit) domus Christi est, nisi illa domestica eius familia, quæ altario deseruit, & de sacramentis spiritualibus rationales plebium greges pascit? Hic est ordo apostolicus, sacerdotalisque, ac leuiticus, qui priùs grauiter seruiuit, annuncians Euangelium regni Dei, non solùm gratis, sed etiam periculosè recipiens mala pro bonis. hæc ille. Fuit quidem primæua ætate Christianæ Ecclesiæ summa rerum inopia, nec viri Ecclesiastici, & Apostolici tam eminebant opum, quàm meritorum abundantia: cum vel ipse Christi Vicarius, primúsque in Ecclesia Pontifex de se, ac de sociis verè contestatus est: *Argentum, & aurum non habeo.* Actor. 3. Nimirum gloriabatur (ait S. Ambros.) in paupertate, quasi refugeret contaminationem: satis diues in nomine Iesu. ita S. Ambros. *Epistol.* 81. quin etiam bonis omnibus Ecclesiastiei pro fide Christi, & vita ipsa corporum à tyrannis spoliabantur. Iste fuit primus illorum temporum status. At venit tandem ætas aurea sub Constantino, dixítque Dominus Iesus: *Iustum est vt prouideam domui meæ.* Tandem (adiungit Rup.) ad ipsum Laban, id est, ad ipsos mundi reges, imperatores, cæterósque principes, ac summos hominum abundantia gratiæ peruenit. Iustum igitur fuit Christum aliquando prouidere domui suæ; id est de regum palatiis, de principum thesauris, ac prædiis suas Ecclesias ditare, vt esset vnde haberet sufficientiam in sumptus necessarios altario seruientium, in vsus pauperum, ac peregrinorum, in restaurationem Ecclesiarum, vel cæmeteriorum. hæc Rupert. *in Genes. comm. cap.* 37. Hæc vna est ex magnis felicitatibus Ecclesiæ Christianæ, in illius videlicet obsequium regum, & magnorum seculi principum thesauros, & diuitias inseruire: quod quidem mira translationum, & verborum elegantia & grauitate prædictum legimus ab Isaia ipsam Dei Ecclesiam in lege gratiæ sic alloquente: *Ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi.* Isaiæ c. 60. Sensus est iuxta S. Hieron. Populi nationum verè extruxerunt Ecclesiam Christi in tantum, vt reges eorum, & principes ministrent, siue assistant ei. Videmus enim Cæsares Romanos Christi iugo colla submittere, ædificare Ecclesias expensis publicis, & aduersus persecutiones geotium, atque insidias hæreticorum legum scita pendere. hæc ille.

Ecclesia Christi domus. Rupertus

Ecclesiastici primo pauperes.

Actor. 3. *Contaminat pecunia.* S. Ambros.

Rupertus.

Reditus Ecclesiastici à Christo.

Reges ac principes seruiunt Ecclesiæ.

Isaiæ 60. D. Hieron.

Leges contra hæreticos.

10. Enimuero à Constantino Magno vsque ad nostram hanc ætatem semper imperatores, reges, ac principes Christiani suis armis, suis legibus, suis opibus Christi Ecclesiam tuentur, & conseruant ab infidelibus, & hæreticis illæsam. Item paulò inferiùs adiungit Propheta: *Ponam te in superbiam seculorum, & suges lac gentium, & mamilla regum lactaberis.* LXX. vertunt *diuitias regum comedes.* Quæ diuitiæ (animaduertit S. Hier.) vbera sunt regum, quibus nascentium in Christo nutritur infantia. sic ille. Cum enim Catholici principes suorum redituum amplissima magnificentia erga illos vtuntur, qui vel à paganismo, vel à iudaismo, vel ab hæresum prauitate, vel à mahometana impuritate ad veram, & Catholicam Christi fidem conuertuntur, meritò dicuntur matres Ecclesiæ: ipsiúsque filios alimentorum, & honorum vberibus enutriunt. quod maximè præstant Lusitaniæ Reges, quorum opibus toto oriente, & in Brasilia innumeri mortales ad Christi fidem conuersi aluntur. Maximè verò locus intelligitur de viris Ecclesiasticis Ecclesiæ, Christóque Domino inseruientibus. Hos enim (inquit S. Cyrill. Alex.) prædicit Propheta cumulandos fructibus oblationum, & regiis donariis gentium. sic ille, *ad verba Isaiæ.* Nimirum vberrimi, & amplissimi sunt reditus & patrimonia Ecclesiarum in omnibus Christianæ gentis prouinciis: quæ omnia maiori ex parte à Catholicis principibus attributa sunt Ecclesiæ, partim etiam ab ipsis fidelibus oblata, partim denique in ius, noménque decimarum venerunt. Vbique autem causa præcipua donorum, oblationum, decimarum fuit ipsamet paupertas Domini Iesu, qui pro nobis inops factus est, & in cuius ita pauperis, humiliati, & exinaniti io cruce debitum obsequium suas plerique fidelium facultates abdicarunt; alij vel in pauperes, vel in Ecclesiæ ministros obtulerunt. Vniuersímque dictum est à S. Augustino: Paupertas Domini diuitiæ nostræ sunt. sic ille, *in Psalm.* 40. Et S. Ambr. similiter inopia Domini ditat, fames satiat. sic ille, *lib. de benedict. Patriarch. cap.* 9.

Isaiæ 60.

D. Hieron.

Conuersi ad fidem aluntur à regibus.

Magnificentia & pietas regum Lusitaniæ.

S. Cyr. Alex.

Reditus Ecclesiæ ob Christi paupertatem

S. August.

11. Sciant igitur Ecclesiastici, qui de patrimonio Christi pauperis & crucifixi viuunt, largiter debere de eodem pauperibus dispensare. Idcirco enim pingues Ecclesiæ reditus acceperunt, vt post honestum, & iustum domus suæ victum alendis pauperibus substantiam Christi impendant. At non sic permulti, non sic: sed quod Christi est mundo, & carni (quod peius est) insumunt. *In terra sanctorum isti* (vt intelligit S. Bern.) *iniqua gerunt, & non videbunt gloriam Domini.* Isaiæ cap. 26. Timeant (inquit) clerici, timeant ministri Ecclesiæ, qui in terris, quas possident, tam iniqua gerunt, & io vsus suæ superbiæ, atque luxuriæ victum pauperum consumere non verentur. Duplici profectò iniquitate peccantes, quod aliena diripiunt, & sacris in suis vanitatibus, & turpitudinibus abutuntur. hæc S. Bern. *serm.* 23. *in Cant.* Proh quàm multi amplissimos comedunt Ecclesiæ reditus, tanquam viaticum ad æternam perditionem: qui feliciores sane fuissent, si pauperculi

De reditibus Ecclesiasticis alendi pauperes.

S. Bernard. Isaiæ 26.

Reditus Ecclesiæ turpiter insumpti à nonnullis.

Clerici diuites periclitantur.

sacerdotes

A sacerdotes sola pio quotidiano sacrificio victitarent eleemosyna; meritò conquestus inclamat Bernard. *Væ væ tibi clerice! mors in olla.* 4. Reg. 4. mors in ollis carnium, mors in huiuscemodi deliciis est. sic ille. Porrò tria summa mala miserum aliquando trahunt Ecclesiasticum in gehennam; vti statim animaduertit ibidem S. Bern. Triplex (inquiens) funiculus, qui difficilè rumpitur, hominem miserum in perniciem trahit, qui impurè intrat, indignè ministrat, sed & ipso fructu abutitur temporali. hæc S. Bern. *tract. super Ecce nos reliquimus.* Infelix planè, qui ad sacerdotium impurus adhuc, necdum elutis pœnitentia sordibus impudicitiæ aggreditur: in ipsis deinde factus sacerdos, & Christi corpus, sanguinémque tractans

S.Bernard.
Triplex malum in malo clerico.

B etiam nunc perseuerat: denique ad abundantius turpitudinum fomentum Ecclesiasticis facultatibus abuti non veretur. Quid si foueantur voluptates, & alantur vanitates de Christi patrimonio: & quod de honesto victu superest, erogarique debuit pauperibus, in pompam omnino secularem famulorum, lecticarum, equorum, regiarum ædium, villarum, pensiliúmque hortorum, ac genialium, & nonnunquam etiam ludorum conuertuntur? O dedecus, ô ignominiam Ecclesiastici ordinis!

Ecclesiæ reditus perperam insumpti.

12. Vanitatem huiusmodi in superbo, & pretioso curru (vt videtur ex sumptibus ærarij facti) præstringit Isaias in Sobnam præpositum templi sic inuectus: *Erunt currus gloriæ tuæ ignominia domus Domini tui* Isaiæ 22. Bene S. Hieron. ex hoc

C loco subintulit: Ex quo intelligimus omni studio superbiam declinandam, quæ offendit Deum. Et ne pontificatus quidem priuilegio tuta esse potest. sic ille. Damnabilior quidem isthæc superbia est, & pompa vanitatum in ecclesiastico, qui cum genere humilis, condicione pauper esset in seculo, in Ecclesia Christi superbit de Christi humilis patrimonio diues, arrogans, vanus in Ecclesiæ ipsius ignominiam. Hinc enim fit, vt laici homines virulentis sermonibus famam proscindant ordinis Ecclesiastici. Quorsum (inquiunt) tam pingues támque ampli reditus in Ecclesia, si tam male illis ad vanitatem, & lasciuiam isti diuites de pauperibus facti abutuntur? Quasi verò non sint

Isaiæ 22.
D.Hieron.
Superbia à clerico declinanda.
Clericus per Ecclesiam diues & superbus.

D multi adeò sancti, vt quò pinguiora possident Ecclesiæ patrimonia, eò in se ipsis humiliores, ac modestiores videantur; eóque in fouendis, alendisque pauperibus, quibus magnificè Christi bona distribuunt, fiant pro Domini Dei sui obsequio pauperiores. Ergone aliquorum vanitas armare debet laicorum linguas contra multorum perspectam, & contestatam quotidie sanctitatem? Et manus quoque (peius hoc est) armantur quotidie laicorum in Ecclesiam. Sese quippe (ait S. Bernardus) ingerere audent in patrimonium Crucifixi, & bona Domini, quæ sola ex omnibus hodie inueniuntur exposita. sic ille, *tract. super Ecce nos reliquimus.* Nihil plerique de laicis auidiùs expe-

Clerici sancti & pauperum amantes.
Laici reditibus Ecclesiæ vim faciunt.
S.Bernard.

E tunt, libentiùs surripiunt, ac furiosiùs depeculantur, quàm Ecclesiæ reditus, prædia, patrimonia, facultates: *Qui comederunt Iacob, & locum eius desolauerunt.* Psalm. 78. Quasi omnibus exposita sint, & pro derelictis habita in cuiusque libidinem, atque auaritiam bona Ecclesiæ. Sed Dominum habent patrem familiâs, curatorem, & defensorem Christum ipsum, qui sua humilitate inuitauit pios fidelium animos, vt illa Ecclesiæ dedicarent, & sua maiestate, ac potentia depeculantium sacrilegam iniquitatem (vti est vltionum Dominus) seuerissimè vindicabit.

Psalm. 78.
Christus reditruum Ecclesiæ defensor.

13. Porrò autem haud caret mysterio, quòd Ia-

A cob multorum iam pater effectus ex Lia non curat de domo, non agit de familia, non recessum intentat: sed vbi nascitur Ioseph, ait: *Iustum est, vt aliquando prouideam domui meæ.* Dubium istud ita dissoluit, ac proponit Procop. Lia parit ante Rachelem, exinde pariunt ancillæ. Necdum rei domesticæ cura tangit Iacobū: sed ea tum demum exoritur, cum Rachel parit *Iosephum*, qui *additio Dei* dicitur. hæc ille. Nimirum ab ipso mundi exordio post peccatum Adami, quamuis pauci, & rarò per ætates consequentes, aliqui tamen extiterunt in terra fideles Deo, ac iusti homines: cæterùm cum nondum natus esset Ioseph, qui suo nomine, aduentúque augmentum bonorum, &

Procopius.

B plenitudinem gratiarum allaturus expectabatur, nec illum scilicet Rachel, puellarum, & virginum, tum sanctissima, tum fortissima inusitato, & admirabili supra omnem naturam partu ediderat: videbatur mundus, vti solitudo inuia, & inhabitabilis, nec genus humanum ita curabatur à Deo in supernaturalium, ac cælestium donorū affluentia, vt Dei familia, cui magnificè prouideret, haberetur. At cum venit plenitudo temporis, natus Deus homo est ex Virgine purissima, & creaturarum omnium speciosissima, natúmque hominem Deus Pater videns Filium suum dixit tandem: *Iustum nunc est, vt prouideam domui meæ.* Domum quippe suam construxit ex gentibus, quas vocauit in fidem, & societatem Filij sui, vt sit ille primo-

Ecclesia post Christum natum diues gratiarum.
Ecclesia de gentibus constructa.

C genitus in multis fratribus. Hæc prima excellentia istius domus Dei, cui Deus prouidit, faciens nimirum, vti Filius suus Deus homo factus, & per omnia fratribus assimilatus habitaret inter illos, & in illis, datéque illis potestatem Filios Dei fieri, quos ad cælestia bona vocaret, quibus datum à Patre regnum disposuit, nec iam deinceps seruos, & amicos, sed fratres & esse illos, & vocari voluit. Deinde cum Filio suo pariter in omnibus bonis, & gratiis cœlestibus prouidit domui suæ: vt scilicet veram Dei cognitionem, infallibilem, inconcussam, & Catholicam fidem, veram Diuinarum scripturarum intelligentiam, mysteriorum, & arcanorum Dei cognitionem, Diuinorum ad omnia, vel maximarum virtutum opera auxiliorum

Fideles dicuntur filij Dei.
Diues gratiarum ex meritis Christi Ecclesia.

D abundantiam ex meritis Filij sui haberet.

14. Prouidit domui suæ singulari beneficio concedens matrem illi familiâs, à qua nutriretur, regeretur, defenderetur, ornaretur, sustentaretúrque, eandem scilicet semper Virginem, de cuius vtero virgineo carnem Filio suo conceptam in Verbi hypostasim aduniuit. Aduocatam habet domus Dei ad Iudicem; Matrem ad Filium pro filiis, quos vnicè diligit. Et quid Filius Matri deneget pro filiis a Filio petenti? *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel.* Num. 24. Vtique stella, & virga simul Christus Dominus, qui de Virgine ortus est vti stella, & sorrexit vti virga. Consequentérque beatissima Virgo dicitur Iacob, &

B. Maria Materfamilias Christi.
Num. 24.

E Israel: nec enim totus ille populus à patre Iacob, & Israele progenitus quicquam aliud excellentius habuit, quàm de suo natam sanguine semper Virginem Mariam. Nec illa gentis Israëliticæ natio ad alium potiorem finem à Deo plantata in terris est, quàm vt ex ea Virgo Dei Mater oriretur, adiungitur: *Israël verò fortiter aget*, vel vt legunt alij, *Faciet diuitias.* Vide Bozium, *de signis lib. 9. cap. 6.* Pulchrè natus ex Virgine Matre Deus homo faciet diuitias; omniúmque abundantissimas, & maximas ipse suæ Matri contulit; quam Virginem simul, & Matrem fecit, ancillam & Reginam gratia plenam, officinam miraculorum, Diuinæ misericordiæ penum, beneficiorum Dei thesaurum.

Hebræa gens nata vt inde B. Maria oriretur.
Bozius.
B. Maria plena Dei diuitijs.

thesaurum. Quippe nihil constituit Deus hominibus concedere, quod per manus Mariæ non transeat. O quàm dites, quàm plena, quàm opulenta est domus Domini, hanc in se habens Matremfamilias, quę simul est vera Dei hominis Mater & Virgo! Huius suæ felicitatis primitias in Virgine Matre recens constructa domus Dei & sensit, & degustauit, cum adhuc post ascensionem Filij Mater in terris ageret: illius enim virtutes pariter, ac beneficia sic optimè in summam redigit S. Ignatius: Maria Iesu Mater Dei omnium gratiarum, & omnium virtutum abundans in persecutionibus, & afflictionibus est hilaris; in penuriis, & indigentiis non querula, iniuriantibus grata, & modesta in re læta; miseris, & afflictis condolet coafflicta, & subuenire non pigrescit, apud fideles omnium operum pietatis ministra; humilibus quidem est deuota, & deuotis deuotiùs humiliatur, & mirum ab omnibus magnificatur. hæc S.Ignat. *Epistol.* 1. Quod si talis adhuc mortalis in terra Virgo beatissima extitit, qualis nunc in cælo regnabit? Prouidit cum Matre sua Virgine domui suæ, vt gloriosa, & Angelis admirabilis esset incarnatio Dei ad redemptionem humani generis descendentis. Verúmque iccirco mihi, & contestatum persuadeo quod Anast. Synaita his verbis scribit: In mysterio Angeli didicerunt Christi incarnationem, & de terra carnis sumptionem, & ideo cum vidissent eum ex sancta Virgine, tanquam ex abysso exortum, statim clamauerunt: *Gloria in excelsis Deo.* sic ille, *lib.* 4. *Exaemer.* alludit scilicet ad locum Gen. 1. *Tenebræ erant super faciem abyssi. Dixitque Deus: Fiat lux.* Vbi verò primum Angeli (vt Anastas. philosophatur) lucem illam primæuam, vel ex ipsa abysso exoriri, vel saltem exortam abysso illuxisse, mysterium incarnationis Dei ex Virgine tandem nasciturі, quod iam Diuina reuelatione acceperant, velut in figura egregia contuentes cœlesti harmonia concinentes percelebrarunt.

S.Ignatius. Describuntur virtutes beatæ Mariæ.

Admirabilis incarnatio Dei in Virgine.

Anast. Syn.

Genes. 1.

Reuelationẽ incarnationis Angeli celebrarunt.

15. Iustum est Domine, vt iam prouideas domui tuæ. Prouidit quidem abundantissimè, cum sui corporis, & sanguinis, & diuinitatis mensam in sacrosancto Eucharistiæ mysterio proposuit, genúsque humanum ad Diuinum epulum inuitauit: vbi etiam Rex Pater fecit nuptias Filio suo cum animabus scilicet fidelium, qui corpus Domini in Eucharistia manducantes, & de Deo saginantur, & in miram quandam vnionem cum Christo Domino assumpti vnus spiritus cum ipso fiunt. Quid igitur restat si paratum est à Deo epulum? Itaque (clamat Apostolus) *Epulemur.* 1. Corinth. 5. Sed quando epulabimur? Respondet S.Chrysost. Omne tẽpus epulationis tempus est Christianis propter collatorum beneficiorum excellentiam: quod enim nõ concessum est bonum? *Nuptiæ factæ sunt.* Matth. 22. Vbi autem Rex nuptias facit, & nuptias Filio, quid maius hac epulatione fieri posset? ita Chrysost. *homil.* 15. *in* 1. *ad Corinth.* O immensa Christianæ gentis felicitas, cui tam magnificè Deus prouidit! Sed ô dignum tali Domino donum Deo beneficium! ô dignum tali, scilicet infinito amore, testimonium! ô dignum tali, nimirum Dei sapientia, & omnipotentia sacramentum! Iustum est, vt Dominus Iesus in cælum recessurus prouideret Ecclesiæ, sponsæque suæ, ne filios suos relinqueret orphanos, patris præsentia destitutos: sponsámque ipsam in absentia sponsi viduam, & mœrore confectam: *Ego (dixit) vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Matth. 28. Ne igitur suo deesset amori, vt prouideret domui suæ, seipsum viuum, & glorio-

Eucharistia epulum Dei & hominum.

1. Corint. 5. S.Chrysost. *Frequẽter ad Eucharistiã accedendum.*

Eucharistia celebratur.

Matth. 28.

A sum reliquit verè ac realiter præsentem in augustissimo Eucharistiæ sacramento. Hoc vno vidua mulier solari solet solitudinem suam, si videat tamen ante suos oculos vel vnum mariti sui filium, qui patris defuncti & faciem referat, & memoriam semper viuam efficiat. Quod quidem solatium Reginæ illi deerat, atque iccirco fugam infidi hospitis inconsolabili dolore ita prosequebatur infelix:

Præsẽs Christus in Eucharistia fideles fouet.

Saltem siqua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam soboles, si quis mihi paruulus aula
Luderet Æneas, qui te tamen ore referret,
Non equidem omnino capta, aut deserta viderer.

Virgil. Æneid. 4.

At optimè quidem Ecclesiæ suæ Dominus in suo discessu prouidit: non enim tantùm infinitos illi
B filios reliquit, viros scilicet apostolica sanctitate præcellentes, qui Dominum Iesum exemplo, doctrina, & miraculis imitarentur, penéque ad viuum referrent: sed (quod omnem felicitatem excedit) ipse in sacramento altaris manere voluit non modò vt ab sponsa Ecclesia videretur, & adoraretur, sed etiam (ô amorem ô amorem!) tractaretur manibus, ore manducaretur, atque in penitiora corporis, animæque viscera conderetur; totúmque hominem Diuinis repletum benedictionibus in participationem suæ diuinitatis sibi adunitet.

Præsens Ecclesia Christus in Eucharistia.

16. Pulchrè à S.Paulo commendatur fidelibus calix benedictionis. 1. *Corinth.* 10. quæ verba S. Chrysost. ita expendit: Cum benedictionem di-
C co, Eucharistiam dico: & dicendo Eucharistiam, omnes benignitatis Dei thesauros aperio. Quod est in calice, id est, quod à latere Christi fluxit, & illius participes sumus, quod in cruce passus non est (os non comminuetis ex eo) id in oblatione patitur propter te, & frangi sustinet, vt omnes satiet. hæc ille, *homil.* 24. *in* 1. *Corinth.* Frangitur quidem, & diuiditur sacramentum in speciebus, signis, & accidentibus: at integrum, illæsúmque totum manet in singulis etiam minutissimis hostiæ sacrosanctæ partibus gloriosum corpus Domini Iesu, vti fides catholica docet. Sed quàm illud dulce, amoréque, & cœlesti nectare plenũ, quod Chrysostomus verè apposuit: Eundem scilicet in benedicto calice sanguinem contineri, qui de latere
D Domini Iesu aperto defluxit! Pia sane, ac dulcis erit meditatio, cum accedimus ad sacrosanctam Eucharistiam: adstare nos iuxta crucem Domini, & hianti ore defluentem de latere sanguinem illius excipere, quo sordes vitiorum abluantur, & interior anima purificetur, & saginetur. Hinc fit, vt qui rarò aut temere accedit ad hanc Domini mensam, infirmior multò fit ad peruincendas dæmonium tentationes, & ad obsistendum prauis vitiorum assultibus. Tota enim, quanta quanta est, in sanctis religiosis, in sacris virginibus, in Ecclesiastico ordine, in bonis, & fidelibus coniugatis, & in quocunque alio gentis Christianæ statu, & virtus, & fortitudo, & pietas, & charitas, maiori ex
E parte refertur adscripta corpori Domini Iesu in sacramento altaris. vbi verus, ac perennis est fons omnium gratiarum.

S.Chrysost. Eucharistia benedictio & thesauri Dei.

Species non corpus in Eucharistia frangitur.

Pia & dulcis meditatio ad Eucharistiã.

Tota Ecclesia virtus ab Eucharistia.

17. Indignentur, doleant, in rabiem, furorémque agantur hæretici: epulamur catholici cum Christo Domino in sacrosancta mensa ipsius corpus, sanguinem, animam, ac diuinitatem: efficimur Diuinæ consortes naturæ, & concorporei facti cum Christo certissimum, & gloriosissimum futuræ immortalitatis nostrorum corporum pignus accipimus. Interim verò ad hæreticos, qui à Christi Ecclesia defecerunt, & à Diuino conuiuio relegati procul in suis g...eis, & lustris grunniunt,

Hæretici contra Eucharistiam.

A ac voluntantur, ab ipso Domino dicitur: *Et vos, qui dereliquistis Dominũ, & obliti estis montem sanctum meum, fecistis malum in oculis meis, & quæ nolui elegistis. Propter hoc dicit Dominus: Ecce serui mei comedent, & vos esurietis. Ecce serui mei bibent, & vos sitietis. Ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini, &c.* Isai. cap. 65. Nam qui verè Deum (exponit S. Cyrill. Alex.) agnouerunt, veríque cultus pulchritudinem admirati sunt, deliciabuntur verè supernis benedictionibus, saginantes corda, accedentes ad viuificam mensam omnium nostrum Saluatoris Christi, panem vitæ edentes, & Diuinum potum bibentes: vnde fiant supernæ voluptatis participes. hæc S. Cyrill. Hac tam admirabili felicitate carent cum hæretici, qui eam suis erroribus negant, & execrantur: tum catholici fide, sed B vita infideles, qui vitam sceleribus inquinatam indignámque trahunt Diuino conuiuio. Esurient isti, sitient, confundentur. Nempe satis magnum, & horrendum hominibus propter immania scelera, maximè verò propter infandam hæresim à Deo irrogatur supplicium; vt miseri à mensa corporis, & sanguinis Domini procul alieni viuant, & moriantur.

Isaiæ 65.
S. Cyr. Alex.
Felicitas fidelium in Eucharistia.
Supplicium Dei abstinere ab Eucharistia.

SECTIO XI.

Dixitque Laban: Quid tibi dabo? At ille ait: Nihil volo, sed si feceris quod postulo, iterum pascam, & custodiam pecora tua. Gyra omnes greges tuos, & separa cunctas oues varias & sparso vellere: & quodcumque furuum, & maculosum, variúmque fuerit, tam in ouibus C *quàm in capris, erit merces mea*, &c. vsque ad *greges eius.*

1. D*Ixit Laban.*] Expertus Laban, quàm sibi ac suo gregi vtilis hucusque fuerit Iacob, timet ne illo abeunte relicta domus, deserti greges in magnam incidant calamitatem. Quapropter, vt hominem retineat, magnificè proponit mercedem, quippe illam in electione Iacobi constituit. *Quid* (inquit) *tibi dabo?* modò apud me maneas in munere, quod hucusque feliciter obiisti, pastoritio; D tu ipse mercedem constitue, nihil non præstabo, quod statues. Profectò grande solet homini esse ad laborandum, & patiendum; & quæcunque, vel dura, vel ardua subeunda in præmio, quod proponitur, incitamentum. Nec vllus inter homines sponte labor suscipitur, nisi ob aliquem finem, qui sit merces, ac præmium laborantis. Sic arat agricola, sic nauigat nauta, sic miles pugnat, luctatur pugil, opifex operatur, magister docet, studet discipulus. Aliter vbi nullũ expectatur præmium, omnis elanguescit industria, cura, labórque non suscipitur. Hinc fit, vt cum ad virtutem, & obsequium Dei homines inuitentur, imò, & præceptis cogantur, multa, & magna illis diuinitus proponantur præmia, quorum spes, & industriam excitat, & laborem reddit suauem, & præceptorũ mitigat asperitatem. Meritò exclamat autor ille perquam eruditus, cuius est sermo. 1. *de diuersis in append. tom.* 10. S. August. O magna (inquiens) bonitas Dei! cui cum pro conditione reddere debeamus obsequia, vtpote serui Domino, famuli Deo, subiecti potenti, mancipia Redemptori, amicitiarum nobis præmia repromittit, vt à nobis obsequia debita seruitutis extorqueat; vt quos nolle seruire conspicit sponte, suorum beneficiorum possit promissionibus inuitare; & quorum volun-

Præmium ad opera incitamentum.
Ad virtutem & obsequium Dei præmiis Deus inuitat homines.
D. August.

A tates à se conspicit alienas, eorum mentes præmiorum liberalitatibus constituat suas. hæc ille. Voluntates quidem ligat, captiuat, qui præmia reddit seruienti. Enimuero, quid peccatorem impellit, vt veterem exuat hominem, prioris vitæ sordes eluat, nouos induat mores, nouam, & nitidam cœlesti gratia, & virtutum studio, amoréque vitam suscipiat; nisi quæ multiplex à Deo ipso vocante, & conuertente, & immutante proponitur merces? Non sine præmio, etiam quod sibi commodum est, operatur homo: at quicquid homini Deus confert, nihil Deo, totum homini cedit in vtilitatem.

Non sine præmio apud Deum homo sibi bonum operatur.

2. Egregiè de aduentu Christi Domini (quo nullum excellentius humano generi beneficium B conferri posset) disserens D. August. hanc eandem doctrinam his verbis inculcat: Misit Deus medicum, qui nos gratis sanaret; qui sanatis etiam mercedem daret. Nihil addi ad istam beneuolentiam potest. Quis est, qui dicat, sanom te, & do tibi mercedem? hæc S. August. *serm.* 13. *de verbis Apostoli.* O medicum sanè quàm admirabilem, qui quærit ægrotos, inuitat ad sanitatem, proponit insuper ægrotis præmium si curari velint, si sanitatem, quæ vltro, & gratis offertur, libenter suscipiant. At vndenam hæc tanta rei nouitas: vt medicus quærat, inuitet, sanet ægrotum, sanato præbeat mercedem? Respondet idem August. Optimè fecit. Sciebat se venisse diuitem ad pauperes. Sanat ægrotos, sanatis donat, & non aliud, quàm C seipsum. hæc ille. Nimirum Deus est, qui nullo indiget, abundat omnibus: extra se nihil habet, quod sibi accrescat, quod lucretur. amore igitur facit, & bonitate sua operatur. Nec in hominibus quicquam boni est, quod Deo quicquam lucri conferat. Ille diues, nos pauperes. Non est, quod illi donent pauperes, multum est autem, quod ille pauperibus largiatur: sed nihil maius, aut excellentius, & promittit, & donat, quàm se ipsum. Agit Deus clementissimus optimum erga nos patrem, ægrotat enim aliquando puer patri charissimus, necesséque omnino est, vt ægrotus curetur asperiùs, scindi venam, sanguinem elici, potionem amaram ebibi, & id genus alia medicamenta suscipi ad sanitatem patiatur. Ergo pater puerulum D hortatur, sanitatem futuram proponit; nec id satis putem permouendo; insuper filiam pater amplexatur, osculatur, blanditiis, ac deliciis delinitum oblato pomo, aut margarita, aut huiusmodi crepundiis delectat, inuitátque vt curari, & sanari sinat. Et tamen tota illa vtilitas, quam pater tot artificiis exquirit, in filium redundat. O felicem ægrotum, qui & à patre sanatur, & sanatus ingentibus pro sanitate sibi necessaria præmiis afficitur!

S. August.
Admirabilis medicus Christus.
S. August.
Nobis, nõ Deo lucramur.
Sanat Dominus, & sanato præmia confert.

3. Ita plane Deus optimè de hominibus meretur; præceptis suis curat, sanátque: deinde si præcepta seruemus, illísque sani efficiamur, sempiternæ vitæ præmium nobis pollicetur: cum tamen & sanitas pueri sit, non patris; & salus animæ, E virtutis meritum, æternáque in cælo gloria homini, non Deo conferatur. *Quid tibi dabo?* rogat Laban. Liberalior quidem, & largior in postulando debuisset videri Iacob, quàm Laban in reddendo. At Dominus non dicit nobis: Quid vobis dabo? non in nostra præmium operum nostrorum, sed in sua voluntate ponit: nouit enim angustiora fore vel nostra desideria, quàm suam ipsius, & voluntatem, & magnificentiam; pluráque & maiora ipsum nobis daturum, quàm nos aut cupere, aut eligere possimus. Non aut cogitationis, aut appetitionis nostræ circumscripta est terminis illa

Largior Deus donando, quã nos petendo.

gloria

gloria quæ reuelabitur in nobis. *Etenim quod oculus nō vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascēdit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illū.* 1. Cor. 2. Isaias verò ex quo præsens testimonium desumit Apostolus, apponit: *Quæ præparasti Deus expectantibus te.* cap. 64. Et quidem S. Anselm. interpretatur de præmio iustorum in futuro, quod quantum sit, humana cogitatio non comprehendit, vt intelligamus illa ineffabilia esse bona, quæ Deus suis amatoribus præparauit. sic Anselm. Quę nimirùm (vt explicat Theod.) mens insatiabilis non cogitauit, &c. Sunt quidem summa in cœlo omnia, summíque omnes, qui summa illa bona possident. Non est ea domus Laban, in qua seruitur, & laboratur, in qua seruus, ac propè minimus est Iacob, pascendisque rure gregibus, à Labano infido patrefamilias destinatur. Est illa Regia ciuitas, cuius incolæ Principes, ac Reges sunt; ideóque rector illius Rex regum, & Dominus dominantium dicitur. Quare qui cælum affectat, regnum vtique ambit, Rex esse desiderat: atque adeò dici, & haberi minimum planè idem est atque non in cælum ingredi, non inter cælites cum Deo agere, vbi non nisi magni, & Reges commorantur. Quod subtiliter admodum adnotauit S. Aug. ad illa Domini verba: *Qui solueris vnum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum.* Matth. 5. Et fortassè (inquit August.) ideò non erit, quia ibi nisi magni esse non possunt. sic ille, *in catena D. Thom.*

1. Corint. 2. — *Isaiæ 64.* — *S. Anselm. Nobis incomprehensibilia cæli bona.* — *Theodor. In cælo omnia summa.* — *Minimus in cælo non est.* — *S. August.* — *S. August. In cælo magni omnes.*

4. *At ille ait, &c.*] Nihil (inquit Iacob) aliud à te volo, quàm quod proponam, videlicet partem aliquam gregis, quem deinceps pascam. Fiet res in hunc modum: cogantur in vnum simul omnes oues tuæ, similiter & capræ, vtræque vnicolores à diuersicoloribus seiunctæ. Hoc enim significat dicens *Gyra, &c.* Hebr. *Eghebor* אעבר, *transibo*, nimirum coactos in gyrum greges tecum simul lustrabo. Separabimus deinde eos, qui fuerint velleris vno tantum colore notati, albi tantùm, aut nigri tantùm. Prætereà qui fuerint variis coloribus sparsi velleris candore, ac nigredine commixtis. Hoc ita constituto, quicunque fœtus nascentur vnicolores, tibi cedent, mihi diuersicolores; pascam verò quoscunque mihi commiseris. Placuit Labano pactum, atque vt nulli cederent Iacobo, illi tantùm commisit omnes vnicolores, ratus fore, vt fœtus parentibus similes ederentur; nam varios, & maculosos separatim filiis suis pascendos longè à Iacob tradidit. Porrò tria ponuntur hìc nomina, quæ nonnihil difficultatis habent; sunt autem varium, maculosum, & furuum. *Varium*, siue sparso vellere. Hebr. נקד *naqod*, hoc est *punctatum*, seu *paruis maculis albis, & nigris, veluti punctis distinctum, & variegatum*, scilicet, vbi maculæ paruæ, v. g. albæ in nigris ouibus, aut nigræ in albis. *Maculosum*: Hebr. טלוא *talu*, quod magnas habet maculas, vel albas, vel nigras instar scutorum, siue frustorum, cum oues habent magnam velleris partem continuo colore albo, deinde reliquam nigro aspersam. *Furuum*, Hebr. *Chum*, חום, *torridum*, vel *adustum*, vertique potest nigrum, aut pullum, fuscum. Lusitanè *pardo*. Igitur sensus huius loci, quem S. Hier. *in quæstion. Hebr.* confusum, & intricatum indicat, iste omnino est. Separa à cuncto grege pecora variis coloribus, vel tanquam punctis, & paruis maculis notata, vel tanquam latis maculis, & frustis distincta, siue circundata, itémque subnigra, & subrufa: & hæc omnia trade pascenda tuis filiis, & seruis; mihi autem solùm relinque, quæ fuerint tota perfectè vel alba, vel nigra: ex his porrò, quæ nascentur vnius tantùm coloris, similiter alba, vel nigra, tua erunt; quæ verò diuersi coloris, mihi erunt loco mercedis. Hæc explicatio valde consona est versioni, quam ex verbis Hebraicis S. Hieron. apponit in hunc modum: Transibo in vniuerso pecore tuo hodie: separa inde omne pecus varium, & discolor: & omne pecus varij coloris in agnis, & varium, & discolor in capris erit merces mea. ita S. Hier. Eandem Pagninus adhuc clariùs ita exprimit. Transibo per omnes pecudes tuas hodie, remouebo inde omne pecus punctis paruis respersum; & aspersum maculis latis, & respersum punctis in capris, erit merces mea. sic ille. Nec plus censeo immorandum in his tricis, quæ ad nostrum institutum non admodum conducunt. Plura qui volet, consulat nostrum Perer. à quo multa eruditissimè dicuntur: satis verò est hinc demonstrari pactum Iacobi cum socero, vt discolores ouium, & caprarum fœtus, qui nascentur, cedant Iacobo: vnius autem coloris, Labano.

D. Hieron. — *Pagnin.*

5. *Respondebitque mihi cras iustitia mea.*] Sensus est, vti S. Hieron. reddit. Tecum facit natura pecorum, vt alba ex albis, & nigra nascantur ex nigris; mecum erit iustitia mea, dum Deus humilitatem meam respicit, & laborem: sic ille. quasi dicat Iacob: Sit pro me causæ iustitia; sit pro te naturæ vis, & ordo. Declarabit scilicet Deus, quàm sincerè, ac fideliter tibi seruierim, quàm iniquè tu mecum semper egeris. Spero equidem fore, vt contra naturæ ordinem mihi ex pacto nascantur discolores fœtus; quo manifestum fit velle Deum labores meos à te malè acceptos prodigiosa ista nascentium pecorum mercede compensare. Sic *respondebit mihi cras*, hoc est, tempore futuro meis votis, meæ mercedi iustitia mea, quæ meam tuetur causam. Testabitur hæc tam noua & incredibilis pecorum fœtura, quàm ego sim, sempérque fuerim iustus, & innocens domi tuæ; quàm iustè meorum laborum debitam mercedem à te exposco: quàm iniustè mihi tu illam auertere conaris. Enimuero respondere hoc loco, vt & in multis aliis Diuinæ scripturæ, idem est, atque reddere quod meritum, & debitum est vtramque in partem, siue præmium, siue supplicium. Iccirco iniquitas alicuius rei respondet, cum pœnam iniquitati eius debitam Deus irrogat. Contra verò respondet iustitia, vel innocentia, cum præmium illi debitum à Deo redditur, per quod illa eadem palam demonstratur. Quare responsio iniquitatis, vel peccati est irrogatio pœnæ debita peccato. Quem sensum pariunt illa verba Isaiæ. *Multiplicatæ sunt iniquitates nostræ coram te, & peccata nostra responderunt nobis.* cap. 59. Nimirum (interpretatur S. Hieron.) vt reciperemus, quod meruimus. sic ille. Item apud Hieremiam. *Si iniquitates nostræ responderint nobis.* cap. 14. Vtrobique vertunt LXX. *resistere, restiterunt, restiterint.* ac si nostris votis, imò & precibus ad Deum effusis, atque adeo (quod amplius est) Diuinæ misericordiæ semper in nostra commoda inuigilanti, & sese infundenti peccata nostra, quæ multa, & grauia sunt, ac Diuinam implorant vindictam, ex aduerso se opponant, ne votorum compotes efficiamur, ne preces nostræ cum effectu, quem postulamus, exaudiantur; ne Diuina clementia suum erga nos consuetum benefaciendi cursum teneat, sed quodammodo nostrorum scelerum oppositis obicibus cohibeatur, aut fons ipse largifluæ beneficentiæ obturetur, exsiccetúrque. Congrua verbis Prophetæ habet paraphrasis S. Hieron. Si dubitamus quare non descendant pluuiæ super terram, quare cuncta ariditate marcescunt, audiamus: a iniquita-

D. Hieron. — *Sincerè agentes Deus adiuuat.* — *Isaiæ 59.* — *D. Hieron.* — *Hierem. 14.* — *Peccata nostra Dei misericordiam cohibent.* — *D. Hieron.*

tes nostræ restiteront nobis: propterea Domine non secundùm opera nostra, sed secundùm sanctum nomen tuum vince multas auersiones nostras. sic Hieron.

6. Respondent itaque nobis iniquitates nostræ, quarum clamores ad cælum vsque perueniunt: cumque orationes nostræ illuc ascendunt, pulsántque cæli fores, vt à Domino exaudiantur, referántque subinde quod postulamus, fit iusto Dei iudicio, vt nobis inde respondeant iniquitatès nostræ, scilicet nos esse reos, non innocentes; puniendos fore, non absoluendos; vindictam Diuinæ iustitiæ, non fauorem Diuinæ clementiæ promereri. En (ait de cælo Dominus, cuius aures pulsamus clamoribus) vestrorum votorum, ac postulationum, non alia responsio vobis dabitur, quàm quæ ab ipsis, quas iugiter committitis, iniquitatibus reddi, & quidem iusta, sed grauis, & acerba, debeat. Hac etiam loquendi forma vtitur Oseas: *Et respondebit arrogantia Israel in facie eius.* Oseæ cap. 5. vertunt LXX. *Et humiliabitur iniuria Israel in faciem eius.* Explicat verò S. Hieron. in hunc modum: Quicquid fecit Israël, & superbè agens contra Deum, vel in iniuriam Creatoris idola venerans, respondebit in facie eius, vt non abeat impunitus; sed humilietur eius contumelia. sic Hier. Comes quidem arrogantiæ contumelia est, superbiæ humiliatio fitque plurimùm, vt arrogantes, & superbi turpiter admodum decidant, & ignominiose humilientur, támque manifesta omnibus, & dedecorosa infamia laborent, vt per eam tanquam per faciem dignoscantur. Vbi enim hodie Iudæi à Deo repulsi gestant suam ignominiam, qua omnibus in suum dedecus notantur, nisi in facie, velut insigne aliquod vulnus, quo defomantur? Videlicet subtilem hunc sensum colligit S. Cyrillus Alex. ex hoc loco: In faciem (inquiens) eius iniuriam reuersuram fore, intelligendum est, omne genus ignominiæ quodammodo simile fore plagis in facie acceptis. ita Cyrill. Superbi nimirum humiliantur, ignominiámque suam in facie gerunt impressam; sibique proinde sunt confusioni, aliis opprobrio, & irrisioni. Pulchrè autem vox Hebræa גאון *Geon*, simul & *iniuria*, & *superbia* vertitur, vti animaduertit S. Hieron. Nam præter illam, quam apposuimus rationem, hæc etiam mihi perplacet. Est quidem superbia simul & iniuria; est superbus Deo hominibusque iniuriosus: neminem habet amicum; nullum sibi parem, & consortem patitur: bellum habet indictum omnibus; omnium colla premere, omnium capitibus insidere contendit: omnium denique hostis est.

Oratio à peccatis impeditur.

Oseæ 5.

D. Hieron.

Superbia punitur ignominia.

D. Cyr. Alex.

D. Hieron.

Superbus omnium hostis.

7. Est superbia simul & iniuria, omnium siquidem linguæ, manúsque in superbi armantur iniuriam, ignominia superbi risus omnium, & festum, & plausus est. Denique superbia iniuria est, quam sibi ipse facit superbus, cum suæ conditionis oblitus in altum vult efferre propriã miseriam ad ima suopte pondere vergentem; superbitque homuncio, qui puluis est, & cinis; alienum superbiæ vitium abiectæ suæ naturæ inducens: iniuriam ergo hominis naturæ infert, qui homo cum sit, audet tamen superbire. Quid si præter puluerem, de quo plasmati sumus, ignominiam seruitutis ob peccatũ primorum parentum inustam nobis in fronte, commemoremus: vnde nobis vlla dabitur opportuna superbiendi occasio? Audi S. Ambros. iustam de superbo querimoniam. Quid titulos nobilitatis vsurpas seruilis hæreditas? Nescis quod te Adæ, atque Euæ culpa mancipauerit seruituti? nescis quod redemerit te Christus, non emerit? ergo re-

Omnium iniuriis patet superbus.

Natura humana facit iniuriam superbus.

S. Ambros.

Homo multis titulis seruus.

A demptus à Domino es; seruus es, qui creatus es; seruus es, qui redemptus es; & quasi domino seruitutem debes, & quasi Redemptori. hæc S. Ambros. *lib. 1. de Iacob, & vita beata, cap. 3.* Mille titulis homo seruus est, nec habet in se vnde miser glorietur, cum seruus fuerit dæmonis, de cuius tyrannide redemptus est, & quotidie infelix plurium, & turpium vitiorum se faciat mancipium venundatus sub peccato. Gloriari tamen potest in Domino, quòd illius sanguine redemptus dæmonis, & peccati priorem illam quidem infamem cum gloriosissima seruitute Christi Domini commutauit. Meritò igitur idem Ambros. adiungit in hanc sententiam. Quid te beatius, qui cum Domino regnas? sic ille. Regnum est huiusmodi seruitus, rex est qui seruus est Christi: regnat qui B Domino seruit: effertur in sublime, qui ad ima pro Domino sese abiicit. Diuina est in humilitate hominis pro Christo sublimitas. O pulchra, ô felix, ô gloriosa humilitas, quàm cælo nota; quàm familiaris cælitibus, quàm Deo ipsi grata, quàm iucunde, feliciterque deprecanti Deum homini respondes!

Homo seruitutem commutauit.

S. Ambros.

Felix humilitas.

8. Iccirco vim Deo faciebat humilis: *Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me.* Psalm. 85. Sed quid pro te, vt Deus exaudiat, illi offers? *quoniam* (inquit) *inops, & pauper sum ego.* Confitetur propriam egestatem, & miseriam, humilitatem præfert: nouit humilem à Deo beneuolè citóque exaudiri. Quare optimè colligit ex hoc loco S. Aug. C Inclinat autem, si tu non erigis ceruicem. Humiliato enim appropinquat, ab exaltato longe discedit. sic August. Oratio nimirum superbi assurgit, sed frustra tamen ad Deum longiùs fugientem. Orationem autem humilis inclinans se Deus præuenit, ne volatu in altum fatigetur. Dicat igitur qui volet à Deo exaudiri: *Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniã inops, & pauper sum ego.* Enimuero, vt rectè animaduertit ad hæc verba Theod. exordium deprecationis humillimæ mentis est. sic ille. Quid-ni igitur tam apposito humilitatis exordio felix tandem rem propositam conficiens, persuadens Deo, hoc est, ad misericordiam illius inclinans viscera, & ab eo postulata impetrans respondeat peroratio? Loquitur autem Da- D uid, vt maiorem præferat humilitatem ex translatione (inquit Theodor.) alicuius ægroti, qui ob imbecillitatem non potest adeò clarè loqui, vt exaudiatur: & medicum cogit, vt aurem ori eius admoueat. hæc ille. Pulchra sanè commentatio deprecantis Deum: agit ægrotum, vulneribus confossum, iámque proximum morti, vix vt loqui, atque hiscere possit: quare moribundus interruptis, non tam vocibus, quàm singultibus Deum inuocat, Diuinam opem, & misericordiam implorat. O pulchra oratio! ô felix humilitas! ô prudens deprecator! ô violente regni cælestis deprædator! Respondet vnicuique sua vel iustitia, vel iniustitia: quod enim seminabit homo, hoc & metet. Bene culta, satáque tellus cum beni- E gnitate respondet, malè culta cum malignitate fructuum. Qua significatione vsus bonus poeta dixit 1. Georg.

Psalm. 85.

S. August.

Humilis exauditur à Deo.

Theodor.

Theodor.

Optima rei deprecatio ad Deum.

Illa seges demum votis respondet auari
Agricola, bis quæ solem, bis frigora sensit.

Virgil.

6. Sed quænam illa fuit iustitia Iacob, si arte, dolóque vsus ad fœturam pecudum discolorum, vt statim videbimus, non autem naturæ ordine expectato copiosum sibi comparauit gregem, socero deluso, ac læso? Respondeo id fecisse Iacob iure in primis compensationis (vt loquũtur Theologi & Iuristæ) contra Laban, à quo multa ini-

Iusta compensatio, vbi ius non valet.

quissimè

quiſſime fuerat perpeſſus. Etenim ille Iacobo pro A
Rachele, quam promiſerat, deformem & exoſam
Liam ſubſtituit, atque pro illa ſeptem annorum
exegit ſeruitium. Deinde vtramque filiam, homi-
ni copulauit in matrimonium, ſine vlla dote, pe-
néque nudas; demúmque pactam mercedem (vt
infra conqueritur Iacob) iniquiſſimus ſocer ſepties
commutauit. Quamobrem cum Iacob contra La-
banum iniquè, ac tyrannicè agentem iure ipſo
non poſſet agere, qua potuit optima induſtria, &
arte ſuum voluit vindicare. Præterea iuſſu Dei id
factum creditur, qui cum ſit bonorum omnium
Dominus, ea quæ ſunt, aut eſſe debuiſſent Laba-
ni, iuſtè tranſtulit in Iacobum: quemadmodum
Deus rerum dominus bona aufert datque pro libito. ſpoliata Ægyptiorũ bona tradidit Hebræis, quos
illi tyrannico ſeruitutis iugo, atque diuturnis ope- B
ribus, ſine vlla mercede, tandiu oppreſſerant. Ic-
circo ſcriptum eſt: *Reddidit Deus mercedem labo-*
Sap. 10. *rum ſuorum.* Sap. 10. Etenim illa bona, quæ com-
modato ſurripuerant Hebræi, non tam aliena
erant, ſcilicet Ægyptiorũ, quàm Hebræorum pro-
pria, quæ quidem ſeruiendo meruerant, & quæ
pro infinitis iniuriis, & iniuſtitiis, quas Ægyptij
intulerant Hebræis, iſtis iure optimo debebantur.
Hæc omnia eruditiſſime à noſtris Perer. & Cor-
nelio diſſeruntur. Quid plura, vt excuſemus frau-
dem, artémve Iacobi? quatuordecim ille ſeruitium
annorum pro Rachele ſocero iniquiſſimo exoluit,
puellámque ipſam ſine vlla dote in damnũ vtriuſ-
Rupertus. que acceperat in vxorem. Arte igitur (inquit Ru-
pert.) neceſſariò pro filia contra patrem vſus eſt, C
vt ad filiam, cui competebant bona patris, aliqua
deuenirent. hæc ille, *lib. 6. in Gen. cap. 39.* Eſt qui-
Debetur filia dos ad nuptias. dem ius gentium à natura ipſa præſcriptum, vti
parentum bona in filios refundantur, parentéſque
filias viris cum dote in matrimonium tradant.
Quomodo enim vir indotatam habens vxorem
Dantur fœminis arrha. grauiſſima coniugij onera leuare poterit? Illa igi-
tur, vti hodie fit, dotem marito ſecum affert: ille
pro fœmineo pudore arrhas vxori deſignat.

10. Huiuſmodi contractus ſimilitudinem Pa-
tres, & Doctores inueniunt in admirabili annun-
Dos & arrha inter Deũ & B. Mariam. ciatione Virginis Matris Dei. Et quidem à Virgi-
ne, vt in Matrem Dei eligeretur, tanquam dotem
Deus Virginitatem adeo putam, & incorruptam
exegit, cui ſub Deo par vlla nec in Angelis, aut D
eſſe, aut fingi poſſet. Scilicet è cælo in terras ve-
niens Rex cœli cœleſtem hanc virtutem prædica-
turus hominibus eam in Matre ſua floreſcere vo-
luit, cuius ipſe Deus homo fructus, & filius dice-
S. Bonau. retur. Enimuerò (vt S. Bonauent. S. Chryſoſt. *in*
Matth. ſententiam ſecutus ait) omnes virtutes
Caſtitas virtus Angelica. ſpirituales, res ſunt Angelicæ, præcipuè tamen
caſtitas res eſt Angelica: per hanc enim ſolam ſin-
gulariter homines Angelis ſimilantur; & vincitur
natura virtutibus. hæc ille, *lib. 2. Pharetræ, cap. 37.*
Egregiè dictum: per caſtitatem vincitur natura
Libido vlcus natura corrupta. virtutibus. Natura quippe humana poſt peccatum
primorum parentum cum in multis fuerit vulne-
rata, præcipuum tamen vulnus, imò iam vlcus, ta- E
bo, saniéque fœtidum, ac purulentum gerit in li-
bidinoſa corporis concupiſcentia. Hoc ſane in-
cendio exardeſcit, & conſumitur humanum ge-
Libido noſtri generis ignominia. nus, ſolóque Diuinæ gratiæ rore aut omnino re-
S. Auguſt. ſtinguitur, aut magna ex parte mitigatur. Hæc eſt
extrema noſtri generis ignominia, quam probè
conſiderans S. Auguſt. *in ſoliloq.* aiebat: quantum
vxorem velis pingere, atque cumulare bonis om-
nibus, nihil mihi tam fugiendum, quàm concubi-
tum eſſe decreui. Nihil enim ſentio, quod magis
ex arce virtutis deiiciat animum virilem, quam
blandimenta fœminea, corporúmque ille conta-

A ctus, ſine quo vxor haberi non poteſt. Ita S. Au-
guſt. Refertúrque à S. Bonau. *lib. 2. pharetræ cap.* S. Bonauent.
37. Quod ſi licitus inter virum & vxorem contra-
ctus, contactúſque mutuus ita humanum ex ar-
ce virtutis deiicit animum: quid de illicito, turpi-
que meretricio dicendum erit? Nulla ſatis huiuſ-
modi ſceleris fœditatem, ac fœtorem oratio ex-
plicabit. Sed ad honeſta, & ſuaueolentia Virginei *Stultis ſtulta voluptas.*
pudoris reuertamur, mittamúſque iſtam ſtultis (vt
vocat Clem. Alex.) ſtultam voluptatem, *ſtromat. 1.* Clem. Alex.
Tota quidem in illam poſt peccatum natura hu-
mana propendet. Verum id eſt. At vincitur natu- *Armantur contra voluptatẽ virtutes: cũ Dei gratia vincunt.*
ra virtutibus; omnes penè armantur contra illud
malum, ac peſtem omnium; nec niſi omnium ſi-
mul coniurato impetu, viſque debellari hæc po-
B teſt bellua: ſed vincitur tamen Diuinæ gratiæ præ-
ſidio ab vtroque ſexu infirmo licet, & vulnerato. *Arrhas Deus contulit B. Mariæ.*
Dotem, vt vidimus, Virgo puriſſima & beatiſſima
Deo attulit. Arrhas ille magnificentiſſimè aſſi-
gnauit omnium gratiarum, quibus ipſamet plena
in totum genus mortalium, & honorem, & vtili-
tatem, & ſalutem redundat. Quidni omnimodam
gratiam in Virgine Dei Matre inueniant vniuerſi
mortales, quæ ſola inuenit gratiam apud Deum, *Immenſa B. Mariæ gratia in homines redundat.*
vt ab ipſo in Matrem ſuam eligeretur; vt ſola
quicquid volet, quicquid petat, tanquam vera
Mater à vero Filio ſuo omnipotenti Deo impe-
tret, & hominibus liberaliſſimè diſpenſet? Quid
quæſo nobis foret, qui grauiſſimis, & infinitis co-
operti ſceleribus Diuinam contra nos vindictam
C irritamus, niſi Virginis Deiparæ gratia nobis præ-
ſidio eſſet? Quicquid ſumus, quicquid valemus,
Virgini Matri debemus. Enimuerò mulier, quæ
puerum illum, *Apocalyp. 12.* peperit, Virgo beatiſ- Apocal. 12.
ſima intelligitur eſſe. Peperit illa quidem Chri- *B. Maria Dei & hominum Mater.*
ſtum Deum hominem, cuius vera & naturalis Ma-
ter eſt: dein parit quotidie ſuis interceſſionibus,
ac precibus, ſua apud Deum gratia, ſuis meritis,
ſuis auxiliis ſimul cum Filij ſui meritis plurimos
cùm ad fidem, tum ad virtutem, gratiam, & glo-
riam, vti declarant Auguſt. *de ſymbolo ad Catech.*
cap. 1. S. Epiphan. contra Antidicomarianos. Aretas
in 12. Apocal. S. Bernard. *ſerm. in ſign. magn.* Mater *Mira fiducia & ſpes in B. Maria.*
noſtra eſt, quæ ſimul Dei eſt, ex quo ſumma nobis
fiduciæ, ſpeique orta eſt in miſericordia Filij, gra-
D tiáque Matris.

SECTIO XII.

Tollens ergo Iacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticauit eas: detractíſque corticibus, in his quæ ſpoliata fuerant, candor apparuit: illa verò quæ integra fuerant, viridia permanſerunt: atque in hunc modum color effectus eſt varius, &c. vſque ad finem.

E 1. T*Ollens ergo Iacob.*] Putant nonnulli duplex
pactum inter Laban & Iacob de fortuita
gregum fœtura factum fuiſſe, ſed veroſimilius
Cornelio noſtro, & aliis viris doctis, videtur de
vno tantùm pacto agi in Diuina ſcriptura, quod
in vulgata manifeſtum eſt. Igitur conſtitutum fuit
inter ſocerum, ac generum, vti omnes fœtus vni-
colores cederent illi; diuerſicolores iſti. Optio-
nem (vt paraphraſis habet S. Hieron.) datam La-
ban libenter arripuit: & trium dierum iter Iacob,
& filios ſuos ſeparauit, ne quis ex vicinitate pe-
coris naſceretur dolus: Iacob porrò nouam ſtro-
pham commentus eſt, & contra naturam albi, &

pigri pecoris naturali arte pugnauit. sic ille, *in tradit. Hebr. in Genes.* Lætus planè socer, ac certo sibi iam promittens copiosam pecorum fœturam, diuersicolores greges filiis suis pascendos tradit, vnicolores autem relinquit Iacob. Qui enim poster timere, ne Iacob pascenti gregem vnicolorem ex illo fœtus varij, & diuersi coloris nascerentur, parentibus omnino dissimiles: At ea semper fuit Dei prouidentia in suorum seruorum commoda inuigilans: facili negotio (quis hoc crederet?) delusit Labanum, & ditauit Iacobum. Tres enim (commentatur S. Hieron.) virgas populeas, amygdalinas, & mali granati (quanquam LXX. styracinas, & plataninas habeant) ex parte decorticatas, varium virgarum fecit colorem, vt vbicunque in virga corticem reliquisset, antiquus permaneret B viridis color; vbi verò tolleret corticem, color candidus panderetur. hæc ille. Cæterùm tria hæc nomina, quæ in Hebræo ponuntur ab aliis alio modo redduntur: sed frustra in his teritur tempus: nam quid propriè nomina Hebræa significent, haud dubiè nescitur. Obseruabat igitur (adiungit S. Hieron.) Iacob quo tempore ascendebantur pecora, & post calorem diei, ad potandum auida pergebant, & in eo tempore discolores virgas ponebat in canalibus, & admissis arietibus, & hircis in ipsa potandi auiditate, oues & capras faciebat ascendi: vt ex duplici desiderio, dum & auidè bibunt, & ascenduntur a maribus, tales fœtus conciperent, quales vmbras arietum, & hircorum desuper ascendentium, in aquarum speculo C contemplabantur: ex virgis enim in canalibus positis varius erat etiam imaginum color. sic Hieronym.

Deus suis prouidet.

D. Hieron.

D. Hieron.

2. Itaque interim dum femellæ bibebant, aut prope aquam ad potandum consistebant, mares admittebantur: & eorundem coeuntium vmbræ in aquis impressæ simul cum variegatis virgis speciem maculosorum, & discolorum arietum, & hircorum oculis femellarum subactarum ingerebant. Sed vnde vellerum nigredo, cum virgæ partim virides, partim albæ essent? Respondeo in aqua viriditatem non omnino claram apparuisse, sed inumbratam: ideo species se fusca ingerebat. Igitur Iacob virgas partim detracto cortice, partim integras, ac proinde partim albas, partim virides, & D subnigras ouibus potatum venientibus, in conchis, lintribus, canalibus, aquæ ductibus, vbi aqua per artem infusa detinebatur, ne deflueret, donec pecora bibissent, proposuit, vt diuersum colorem virgarum oculis haurientes fœminæ in ipso coitu diuersos itidem fœtus conciperent, ac parerent. Multum quidem ad eam rem valuerunt preces Iacob à Deo fœturam huiusmodi pecorum exposcentis: maximè verò à Diuina liberalitate tam copiosa, festinatáque benedictionis opulentia manauit. Haud tamen est negandum fuisse quoque prouentum istum bona ex parte naturalem, quod facilè quisque crediderit, si quanta sit phantasiæ, & obiecti oculis oppositi in fœtus similitudine efficacitas, potissimùm quando semen emittitur, E ex philosophia, & sæpius contestata experientia considerabit. Multa in hanc sententiam scribunt medici. Videre poteris apud Valesium de sacra philosophia *cap.* 11, eaque de re disputat eruditè noster Delrio *magic. disq. lib. 1. c. 3. q. 3. editione vlt.* Leges inter memoranda huius argumenti exempla in libris medicorum, cum vir quidam personatus diaboli tetram, & horribilem cornibus, & cauda figuram gestans domum se reciperet, atque ad vxorem accederet, ex illo concubitu puerum tam fœdo illo habitu, vultúque horrendo genitum, à matréque editum fuisse. E contrario pia quædam mulier sæpius emittens preces ante imaginem S. Ioannis Baptistæ, qui totus pilis, & cilicio ad medium vsque brachiorum, & crurum inhorrescebat, infantem peperit pilosum, & hirsutum, totáque figura persimilem Baptistæ.

Mira phantasiæ & obiecti efficacia ad fœtum.

Valesius.

Delrio.

Vis phantasiæ in fœmina concipiente.

Prodigiosi fœtus.

3. Mira, & plurima philosophi, ac medici de phantasia disserentes, in hanc sententiam scribunt; multáque in publicis Eborensis Academiæ concertationibus ad finem nostri cursus philosophici aliquando disputauimus. Enimuero in coitu phantasiæ vis solet esse maxima: quia tunc omnem vim suam exerit anima: nec proinde mirum est, si matres ex imaginatione, & imagine alicuius obiecti persimilem eidem gignant infantem. Quod Plinius ita dispungit: Similitudinum in mente reputatio est, in qua creduntur multa fortuita pollere, visus, auditus, memoria, haustæque imagines sub ipso conceptu. Cogitatio etiam vtriuslibet animum subitò transuolans effingere similitudinem, aut miscere existimatur. Atque velocitas cogitationum, animique celeritas, & ingenij varietas multiformes notas imprimit. sic ille, *lib. 7. cap. 12.* Propterea mulier (vt scribit Galenus) intuitu picturæ pulcherrimæ pulchrum infantem ex deformi concepit marito: nimirum (inquit) visu naturæ imaginem transmittente. sic ille, *lib. de Theriaca ad Pisonē.* Similia refert hoc loco S. Hieron. ex Hippocratis, & Quintiliani testimoniis S. August. hic *quæst. 93. & lib. 18. de Ciuit. cap. 5.* Isido. C *lib. 12. Etymolog. cap. 1.* additque grauidas mulieres vetari, ne intueantur turpissimos animalium vultus, ne vilibus occurrentes, similes fœtus parere faciant. Etenim animal in vsu venereo formas extrinsecas intus transmittit, earúmque satiata typis rapit species eorum in propriam qualitatem. hæc Isidorus. Porrò cum duo maximè anni tempora gignendis gregum fœtibus rata, & stata videantur, vernum scilicet, & autumnale; Iacob non vtebatur illo suo artificio virgarum ad diuersicolorem fœturam, nisi verno tempore, quod hic appellatur primum. Hoc enim multis de causis opportunius est fœturæ, quæ tunc fœcundior, ac robustior solet esse: validiores quippe tunc ad gignendum patres; sequitur deinde calor æstiuus, D quo nata melius fouentur. Cæterum autumni tempore non adhibebat virgarum stropham; illius enim fœtura, quæ peior erat, si vnicolores nascerentur, Labano cedebant. Quare illo ex artificio, Deo maximè opitulante, multiplicatum est citiùs, & fœcundiùs quam natura solet, pecus Iacobo: venditísque subinde suis pecoribus emebat Iacob seruos, ancillas, & armenta, quæ omnia Deus miris incrementis benedicebat; atque ita mirandum in modum locuples intra triennium euasit.

Vis phantasiæ in coitu ad effingendum fœtum.

Plinius.

Galen.

Isidorus.

Ver fœturæ opportunius.

4. Non omittam referre quid sancti Patres mystico in sensu disserant ad huiusmodi virgarum artificium, quo vsus Iacob discolores fœtus ab vnicoloribus parentibus fecit procreari: videlicet, rapiente visu imagines discolorum, similes illis à E matribus concipiebantur. Ergo Iacob Apostolum, & quemlibet alium Euangelicæ doctrinæ prædicatorem gerens trinas ad fœturam gregum virgas proposuit in typum sanctissimæ Trinitatis, quo primo initiata mysterio Christiana fides gentibus prædicatur. Quo in sensu ita peregregiè disserit S. Ambros. Quasi mercenarius ingreditur iustus, & rector est; qui sibi gregem multarum, præstantiúmque virtutum splendore fulgentem, Euangelicæ prædicationis ministerio colligebat, vt potaturis ouibus virgam styracinam, & nucinam, & de platano proponeret in canalibus, quo concupiscentes

Initiata fides mysterio S. Trinitatis.

S. Ambros.

cupiscentes beatissimæ Trinitatis præfigurata mysteria, haud quaquam decolores fœtus piæ mentis conceptione formarent. hæc ille, *lib. 2. de Iacob. c. 4.* Prædicatur quidem hoc inter omnia sacrosanctum mysterium ouibus, quæ à Iacob reguntur, nec enim ferocium, ac turpium morum gentibus conuenit augustissima Triadis fides, ac doctrina: quæ puras, mites, ac generosas mentes, quibus recipiatur, exigit. Iccirco procedente per quinque dies integros rerum omnium primæua molitione, non tamen aliqualis huiusce mysterij aut reuelatio, aut cognitio sese nascenti mundo prodidit, quæ tandem ad productionem hominis aliquantulum aperta est, vti eleganter adnotauit S. Basil. in hunc modum: Hactenus nondum apparuit, qui doceretur, atque adeo in abysso Diuinæ cognitionis præconium hoc tegebatur: deinceps iam ipsius ortus hominis certò expectatur, detegitur patumper ipsa fides: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Genes. 1. sic Basil. *homil. 9. in Exam.* Paulatim deinde hoc mysterium innotescere cœptum est. sic dicitur: *Audi Israel: Dominus Deus tuus, Dominus vnus est.* Deut. 6. Vbi vnus Diuinitatis vnitatem significat: Trina vero Dei, Dominique appellatio pluralitatem indicat personarum. Psalm. 21. *Verbo Domini cœli firmati sunt.* & Psalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis.* Et infra. *Ex vtero ante luciferum genui te.* Quibus in verbis Propheta Patrem, & Filium in Diuinis designat, eum qui dicit, & cui dicit: qui genuit, & qui genitus est: vtrumque tamen æqualiter Dominum vocat ad significandam deitatis vnitatem.

S. Basil. *Quomodo, & quando innotuit mysterium S. Trinitatis.*

Genes. 1.

Deut. 6.

Psalm. 21.
Psalm. 109.

5. Huius veritatis cognitionem aliqualem etiã habuerunt primores gentium Philosophi, vt optimè ostendit Theodor. maximè verò celebrat sententiam Plotini, & Numenij ex schola platonica Philosophorum, qui doctrinam magistri explicantes ita scribunt. Tria à Platone posita sunt, quæ sunt supertemporalia, & æterna: ipsum scilicet bonum, mentémque, & huius vniuersi anima. Vocat enim bonum quem nos dicimus Patrem; mentem verò, seu intellectum, quem nos Filium, Verbúmque appellamus: potentiam verò, quæ animat omnia & viuificat, animam vocat, scilicet Spiritum sanctum. hæc Theodor. *serm. de principio.* Diuinitatem Spiritus sancti à Patre, & Filio, tanquam ab vno tantum principio procedentis multa confirmant scripturarum testimonia, quæ passim à Theologis afferuntur. Certè in memorabili illa visione Isaiæ, quæ refertur *cap. 6.* vbi Angelicis vocibus inclamatur: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*: & pluralitas personarum, & vnitas naturæ insinuatur. Ibidem etiam affatur Dominus Prophetã, rogátque: *Quis ibit nobis?* Et quidem S. Athan. & S. Basil. apertè colligunt ex verbis Prophetæ Patrem esse qui loquitur, at Ioan. 12. loquutus est de Christo Domino Filio, ac Verbo Patris Isaias fuisse scribitur: nimirum: *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, & loquutus est de eo.* Verum *Actor. 28.* Apostolus cõtestatur illa verba ex Isaia esse Spiritus sancti, videlicet, pene Spiritus sanctus loquutus est per Isaiam Prophetam ad patres nostros, &c. Profectò Isaias videtur hanc Dei vocem, tanquam à singulis Trinitatis personis prolatam audiuisse. Clarius denique, atque expressius in aduentu Dei hominis hoc tam inscrutabile mysterium reuelatum, & prædicatum in mundo est ab ipsomet Filio, qui aiebat: *Pater manifestaui nomen tuum hominibus.* Ioan. 17. Manifestaui (explicat ibi S. Aug.) nomen tuum hominibus, non quo vocaris Deus, sed quo vocaris, Pater meus. sic ille. Ad huius mysterij fidem informamur Christiani, bene vt viuentes Deum nostrum, quem trinum in personis, vnúmque in Deitate profitemur, imitari contendamus. Quod ita Clemens Alex. exponit differens de vera, Diuinaque sapientia: Per quam (inquit) sunt quidem boni patres filiorum, qui ad Patrem confugerunt; boni autem hij sunt in parentes, qui filium intellexerunt; boni autem mariti vxorum, qui Sponsi meminerunt. sic ille, *ad Gentes.*

Philosophi aliqualis fuit cognitio S. Trinitatis.

Ex scripturis fides S. Trinitatis.

Isaiæ 6.

Ioan. 12.

Actor. 28.

Perfecta S. Trinitatis fides per Christum.

Ioan. 17.
S. August.

A Clem. Alex. *Bene viuentes ad imitationem S. Trinitatis.*

6. In vnaquaque igitur domo repræsentatio quædã est, & imitatio esse debet sanctissimæ Trinitatis. Paterfamilias æternum Patrem; liberi Filium, Verbúmque Diuinum; maritus (secundum hanc nomenclaturam) Spiritum sanctum: Vxor, & mater (ex Paulo Apostolo) Ecclesiam Dei sicut officio repræsentat, sic virtutum operibus imitari debet. Enimuerò præter fidem sanctissimæ Trinitatis, ad salutem animæ omninò necessariam exercitationem, & quasi fœcunditatem bonorum operum agnoscit S. Ambros. in gregibus Iacob Christum Dominum præfigurantis. sic enim adiungit: Bonæ oues, quæ bonorum partus operum fidei sacræ non degeneres ediderunt. hæc ille loco citato. Itaque per oues Iacobi fideles Christi intelliguntur: partus verò huiusmodi rationalium ouium sunt ipsa bona opera, quæ perbelle dicuntur degeneres fidei Christianæ partus, si aliter viuimus, atque credimus. Monstrum quippe haberi debet, Christianum fide, vita infidelem esse. Certè (inquit S. Saluian.) meliores infidelibus esse debemus. Ex hoc vtique deteriores sumus, si meliores non sumus, qui meliores esse debemus. Criminosior enim culpa est, vbi honestior status: si honoratior persona peccantis, peccati quoque maior inuidia. hæc ille, *lib. 4. de prouidentia.* Vbi fides Dei est, vita Deo conformis exigitur: monstrumque erit, si ouis rationalis de grege Christi non agnum, hoc est, immaculatum virtutis actum pariat, sed feras, serpentésque turpium, & horribilium vitiorum ex se producat. Atrocius enim (adiungit idem) sub sancti nominis professione peccamus. Vbi sublimior est prærogatiua, maior est culpa: & ipsa etiam errores nostros religio, quam profitemur, accusat. hæc Saluian. Planè in Diuino iudicio, si degeneres fidei nostræ partus edimus peccatorum, grauissimè ab ipsa fide, fidelique sacramentis, quibus insignem malè viuendo iniuriam facimus, accusabimur, & in æternum damnati puniemur. Ah! pudeat hæreticos bonorum operum nullam habere curam, solaque fide contentos turpissimos edere partus vitiorum. Quin etiam cæci, ac miseri religiosorum ad perfectionem Euangelicam aspirantium instituta, vitámque oderunt, & execrantur. Perfectum se somniat hæreticus, si tantum credat, spernétque, etsi nihil boni operetur.

Familia repræsentat Trinitatem.

S. Ambros.

Opera cum fide Christiana.

S. Saluian.

Mala vita fidem dehonestat.

Monstrum est Christianus fide, paganus vita.

S. Saluian. *Accusat fides malã vitam*

Hæretici de bonis operibus non curant.

7. Pulchra sanè tua isthæc (quam fingis) perfectio: sed non ea Christi, Domini consulentis: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus; & veni sequere me.* Matth. 19. Non dixit, crede, fide, sperasse vende, sequere per eleemosynas, per contemptum seculi, per mortificationem, vitæque seuerioris institutionem sequeris Deum tuum cruci affixum, tuamque certam facies vocationem, ac salutem animæ comparabis. Illa vera, sanaque (ô hæretice) doctrina est, ac descriptio perfectionis, quam ita profitetur S. Hieron. Si vis perfectus esse, & si Apostolicæ dignitatis culmen cupis; si sublata cruce Christum sequi; si apprehenso aratro non respicere post tergum; si in sublimi tecto positus, vestimenta contem

Vana perfectio hæreticorum.

Matth. 19. *Asseruitur à Christo necessitas operis.*

D. Hieron. *Perfectio Christiana describitur.*

contempſeris, & vt euadas Ægyptiam dominam, ſeculi pallium derelinquis. vnde & Helias ad cælorum regna feſtinans, non poteſt ire cum pallio, ſed mundi in mundo veſtimenta dimittit. hæc S. Hieron. *Epiſtol. ad Iulian.* 34. Et nihilominus noſtri temporis hæretici putant, & blaterant ſeſe non nudos, non ſpoliatos, ſed ſuperueſtitos terreſtrium bonorum amictu; & (quod magis inuerecundum, & execrandum eſt) omnibus iniquitatum, ac turpitudinum ſordibus coopertos ire tutò in regnum cælorum, ſine dubio in ſacroſancta Dei, ac beatorum penetralia (quò non intrabit aliquid coinquinatum) recipiendus fore. O cæcitas, ô inſania, ô furor, ô impudentia!

Inuerecunda, & ſtulta fiducia hæreticorum. Apocal. 21.

Virgarum Iacob ſymbola.

8. Sed quid per virgas, quas ouibus, & capellis concepturis obiecir Iacob, ſignificari æquum eſt? S. Ambroſ. loco ſuperiùs citato, ſic edilferit. Per ſtyracem ſignificatur incenſum, & ſacrificium veſpertinum, quod Deo Patri defertur in *Pſalm.* 140. Per nucinam virgam ſacerdotale Chriſto munus defertur. Hæc enim virga Aaron, quæ repoſita floruit, qua ſacerdotalis gratia ſanctificationis emicuit. Per platanum ſpiritualis fructus ſignificatur vbertas, quia arbori huic vitis annectitur, vt eius læta conſortio in partus ſeſe vberes fundat: ſiquidem Dominicæ munera paſſionis, remiſſionémque omnium peccatorum adiuncta Spiritus gratia dare conſueuit. hęc S. Ambroſ. Ad conſpectum huiuſmodi virgarum concipiebant oues ſuos variorum colorum fœtus: atque per adorationem ſanctiſſimæ Trinitatis pias preces ad Patrem, per humilem reuerentiam exhibitam Filio, per obſequium purioris animæ præſtitum Spiritui ſancto concipimus fideles Chriſti omnigenam virtutum, & meritorum gratiam, parimúſque ſpiritum ſalutis. Pulchre nucina, ſiue amygdalina virga Chriſti Domini poteſtatem, & pontificiam dignitatem ſignificare dicitur. Eſt quidem in nuce, ſiue amygdalo, & cortex, & medulla: nihil aſperius illa; nihil mollius, ac dulcius iſta. Sic enim habet Chriſti doctrina, & poteſtas, & regimen; vbi mortificatio totum circundans, & circuncidens hominem, expolians veterem, atque in nouitatem ſpiritus, noua quadam regeneratione effingens: & omnes vitioſarum appetitionum impetus contra ſpiritum ebullientes comprimens. Hic pœnitentia ſcelerum; hic dolor, lachrymæ, vera contritio. quid aſperius, quid homini carneo, & ad omnem laſciuiam propenſo inſuauius? quid illo amarius: *Et peccatum meum contra me eſt ſemper?* Pſalm. 50. Videlicet, hoc non eſt aliud, quàm obuerſantibus ſemper ante oculos mentis prioris, ac fœdioris vitæ ſceleribus iugiter dolere, ac vehementer compungi. Quo enim plus dolemus, & lugemus, eò digniores efficimur, quibus placatior fiat Dominus, quem offendimus, & liberalior venia, vberiórque gratia concedatur.

Pſalm. 140.

Partus bonorum operum cum fide

Pontificia Chriſti poteſtas.

Mortificatio Chriſtiana.

Pſalm. 50.

Iugis & grauis ſcelerum dolor.

9. Enimuero, quia Hebræi captiui acerbiùs compuncti doluerunt, idcirco citiùs, & glorioſiùs in patrias ſedes remearunt. An non dolentium eſt illud: *Super flumina Babylonis illic ſedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion?* Pſal. 137. Nunc recordantur Hieroſolymæ, ac præſertim montis Sion, in quo templum extructum erat: nunc rituum, & ſacrificiorum, quæ in illo ſolebant offerri, deſiderio tenentur: ea tamen omnia cum eſſent liberi, ac felices in patria, contemnebant. Rectè S. Chryſ. hoc ipſum conſiderans colligit: Quando in ſummis deliciis ſumus, & maxima bonorum affluentia, non ſentimus. facit, vt eis careamus, vt priuatione eorum caſtigati, eis rurſus vti frui quæramus. ita S. Chryſoſt. Faſtidio quidem ſolent eſſe, quæ poſſidentur bona; vbi verò tolluntur abſúntque, vehementer deſiderantur: poſſeſſa vileſcunt, amiſſa plurimò æſtimantur. Bene hic S. Hieron. Si non (inquit) aliquis ægrotat, neſcit quantum valet ſanitas. Nos cecidimus, & prioris felicitatis reminiſcimur. ſic ille. Sed ad noſtrum argumentum valet quod ſequitur: *In ſalicibus, in medio eius ſuſpendimus organa noſtra.* Pſal. 137. Confeſtim occurrit quærere cum S. Chryſoſt. Quanam de cauſa tulerunt organa ſua, cum in captiuitatem recederent, qui eis minimè erant vſuri? ſic ille. Suſpendimus (inquiunt) organa noſtra, non aliena, ſed quibus olim in patria feſtiuiter, modulatéque pulſatis conſona pariter voce Diuinas laudes concinebamus. Et quidem opibus, omníque ſupellectili à barbaris ſpoliati ſola nobis organa relicta in ſeruitutem abducti nobiſcum deportauimus. Quorſum id factum fuit? reſpondet idem Chryſoſt. Hoc quoque fuerat à Deo prouiſum, vt vel in aliena regione haberent monimenta prioris reipublicæ, magíſque morderentur, & ægriùs ferrent, dum religionis, & Dei cultus illa ſigna viderent. hæc S. Chryſoſt.

Pſalm. 137.

D. Chryſoſt. *Bona poſſeſſa vileſcunt, amiſſa deſiderantur.*

D. Hieron. *Hebræi in Babylone captiui.*

Pſalm. 137. D. Chryſoſt.

D. Chryſoſt. *Iuſtus & grauis dolor ex bonis gratia amiſſis.*

10. Perpungebant Hebræorum animos conſpectus ille cithararum, & huiuſmodi muſicorum inſtrumentorum; iſta quippe reducebant in memoriam captiuis priorem illam ſuam felicitatem, qua perfruentes in templo Domini lætos, ſanctóſque edebant concentus: nunc autem captiui in extero ſolo inter barbaros, & infideles lugebant miſeri. En vbi fuimus, & quò cecidimus? in patria læti, lugentes in exilio: vbi cantus, hic lacrymæ, eiulatúſque. Ita profectò ſeſe gerunt, qui ad nucinam Iacobi virgam, & Chriſti mortificationem ac pœnitentiam concipiunt, & pariunt (vti præmiſimus) ſpiritum ſalutis, Diuinámque gratiam, & veram animæ lætitiam, quæ ſub amara, & dura cortice nucis, ac pœnitentiæ rigore deliteſcit. Iis enim dicitur: *Beati qui lugent.* Matth. 5. videlicet (occurrit S. Chryſoſt.) non mortuum, non iacturam, ſed peccatum. ſic ille, *homil. 22. ad popul. Antiochen.* Nec enim aliquod aliud in hac vita malum, damnúmve luctu, mœrore, lamentíſque dignum eſt, quàm peccatum, quo anima perit, & ſempiternæ gloriæ importatur detrimentum. *Beati qui lugent*, beati qui ſuorum ſcelerum pœnitentiam agunt, Diuinam vtique gratiam promerentur, ſub cortice aſpera, & inſipida tenerum, ac ſuauem animæ cibum inueniunt. Hanc ipſæmet ſalices, è quibus organa ſuſpenſa dolorem mentibus ingerunt, felicitatem pollicentur. Enimuerò (vt S. Hieron. ſubnotauit) dicitur ſalix radicem non habere. Sed ſi ramus abſciditur, & plantatur ſecus aquam, ſtatim vireſcit: ita & peccator, licet peccauerit, licet ceciderit: tamen ſi ſit ſecus aquas, hoc eſt, ſi audit verbum Dei, viret eius anima, & in pœnitentiam conuertitur. ſic ille, *ad Pſalmum prædictum.* Dico etiam, ſi peccator ſit ſecus aquas lacrymarum, ſi exitus aquarum deducant eius oculi, ſi ſe peccatis mortuum doleat, lugeátque in ſacramento pœnitentiæ, in nouitatem gratiæ, atque in ver æternitatis illius anima purior ſole, cælo pulchrior, paradiſo amœnior refloreſcit.

Lacrymæ pœnitentium.

Matth. 5. *Pœnitentiæ fructus.* D. Chryſoſt.

D. Hieron. *Prædicatio proficit ad pœnitentiam.*

Mira felicitas pœnitentis. *Decor animæ per pœnitentiam.*

11. Ad hæc rationales oues concipiunt, & parturiunt ſpiritum timoris ad conſpectum virgæ Domini. Enimuero quidni timeat ſibi ſeruus nequam à poteſtate iuſticiáque Domini, ante cuius tribunal præſentandus eſt, vt reddat rationem villicationis ſuæ, ac talentorum, quæ à Domino ad negotiationem credita malè prodegit, aut certè otioſa reddidit, & infructuoſa? Horrendum quippe

Seuerum Dei iudicium.

eſt-

est incidere in manus Dei. Cæterum cùm virga illa sit amygdalina, floribus vestita, prædulcibusque onusta nucibus: spiritum quoque spei, ac fiduciæ concipiunt oues ad aspectum virgæ Domini O pium, ô dulcem, ô pulchrum Dominum, qui terret, castigátque virga, sed quæ florida sit, floribus oblectet, ac recreet, fructu inuitet, & pascat! *Cum iratus fueris, ô Domine, misericordiæ recordaberis.* Abachuc 3. Concipiunt denique spiritum amoris, quo feruntur ad diligendum super omnia talem Dominum, qui tam bonus, tam suauis, tam magnificus est, qui etiam in virga & flores præfert, & nuces offert; qui virga regit oues, & dulcedinum suarum medulla nutrit, ac pinguefacit. Rectè hoc idem expertus Dauid: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit.* Psal. 22. Quis quæso pastor iste? Nimirum (vt explicat S Hieron.) pastor bonus, qui animam suam pro me posuit: æquo me moderamine regit: ideo nullius egeo. sic ille. Discant rectores, ac pastores animarum æquo illas moderamine regere: pastores esse, qui suam pro ouibus animam ponunt, non qui pellem extrahunt, ossa comminuunt, animas tollunt misellis ouibus, quæ ante lupos ex pastoribus factos nec mutire, nec hiscere audent, possuntque. O quam multi hodie virgam præferunt, qui nec flores nec fructum curant, volunt timeri, amari nolunt.

Dei [illegible]dictum cum misericordia. — Abachuc 3. — *Dulce Christi regimen.* — Psalm. 22. — D. Hieron. — *Instruuntur pastores animarum.* — *Nimius prælatorum rigor nocet.*

12. At *Dominus regit me.* Hebr *pascit me, & nihil mihi deerit.* Etenim (declarat S. Hieron.) qui Deum habet, & qui Deo adhæret, nihil boni deest ei, nihil deest timentibus eum sic ille. Quòd si nihil deest timentibus Deum, quàm abũde omnia suppetent amantibus Deum? Nihil deest habenti Deum, qui omnia, & summa bona in se habet, & magnifice seruis suis elargitur. Quòd si mea omnia bona Deus meus mihi est, quid extra Deum & volo, & quæro? amari vult super omnia solus, qui secum omnia solus importat bona. Hæc vera causa est cur tam inopes, mendicique simus; videlicet, aut non Deum super omnia diligimus, & quærimus; aut cum illo pariter aliquod (vt malè iudicamus) bonum amamus. Impatiens consortis in amore, in honore, in loco nostri cordis Deus noster est. Quod suo malo experta doluit illa, quæ dicebat: *In lectulo meo quæsiui quem diligit anima mea, & non inueni.* Cant. 3. Nouum planè, atque inusitatum quæri, diligentérque Deum quæri, & non inueniri, qui etiam præstò est non quærentibus, qui desideria cordis hominum audit, & reuocat etiam fugientes. Cur ita quæsitus non inuenitur? Respondet S. Bernard. animæ ita conquerenti: In lectulo meo quæsiui, & non inueni. Tuus est, & tibi speras inuenire eum, qui diuersoria semper ignorat? sic ille, *serm. super Beatus homo, qui inuenit sapientiã.* Nec nasci homo voluit Deus noster in diuersorio, vbi multa turba, & colluuies, ac sordes plurimæ, nec requiescit in anima, quę instar diuersorij multos recipit hospites; variis occupatur affectibus, rerum creatarũ curis, & amoribus inseruit. Solus esse in corde nostro vult, qui solus omnia bona continet, qui dignus est, quem vnum vnicè quæramus, & amemus. Sed heu me miserum! In lectulo suo quæsiuit illa sponsum Deum, nec inuenit, quippe quę vel vnum paruum, & angustum habebat lectum, quem dicebat suum: tantuláque tantulæ rei affectio ingressum Domini præpediuit, Dominum ab oculis, & consortio sponsæ procul fecit aufugere. Quid obsecro fiet homini misero, cuius animam graues occupant terrenarum rerum cupiditates, quæ tota est turpissimarum libidinum mancipata seruitio?

Psalm. 22. — D. Hieron. — *In Deo mihi bona omnia.* — *Deus solus amari à nobis vult.* — Cantic. 3. — S. Bernard. — *Consortem Deus in corde & in amore non patitur.* — *Cor instar diuersorij.* — *Etiam tantula creatura affectio Deũ abigit à corde.*

13. Edocta igitur sponsa, nec leui quidem vnius lectuli affectu cor esse occupandum, totúmque ab omni amore, curáque Deo aduentanti purum, & liberum fore custodiendum, cum de horto, de fructu, de pomis, deinceps sermo incideret, Domini, non sua dixit: *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.* Cant. 5. Hortus quidem erat sponsæ, quem illa venturo Domino adornarat, ac dedicarat; atque iccirco Dominus accurrens hortum ingressus, vocat suum. *Veni in hortum meum soror mea sponsa.* Cant. 5. In hortũ meum (declarat Theodoret.) quem tu mihi adornasti. sic ille. Vide Domini celeritatem ad animam puram aduolantis. non dixit, venio, aut veniam: sed veni, scilicet de præterito. En Dominus (inquit Psellus) qui implet vniuersa, quique adest vbique, & dicit, adsum, inuocantibus, antequam sponsa supplicationem expleret, illam exaudiens descendit in hortum eius, vt ipsa voluit, & fructus arborum ipsius decerpsit. sic ille. Intelligi etiam potest, ac debet hic locus de beatissima semper Virgine Dei Matre, quæ animam, & corpus suum admirabili puritate, insignique maximarum virtutum decore adornauit Filio Dei, qui ad vterum Virgineum descendens dicit: *Veni in hortum meum, &c.* Descendi ergo (explicat Psellus) in hortum tuum Virgo, & pulchris fructibus tuis cupiditatem meam prorsus expleui; atque ex ardenti filiorum tuorum fide ac pœnitentia magnam lætitiam percepi. Totum autem hoc factum est messis myrrhæ, esus mellis, & lactis potus. ita Psellus apud Theodor. Cupiditatem suam cœlestis Sponsus fructibus Virginis Matris expleuit, illam quidem præ omnibus fœminis, vtpote quæ sola inuenit gratiam apud Deum, dignissimam sibi elegit in Matrem. Peracta Verbi Diuini in Virginis vtero incarnatione, omnium Dei operum complementum, & finis positus est. Nec Deus aliud excellentius ad maiorem sui gloriam & mortalium salutem opus aut inuenire poterit, aut efficere.

Cantic. 5. — *Totum Deo purum cor decandum.* — Cantic. 5. — Theodor. — Psellus. — Psellus. — *B. Maria hortus Dei.* — *Dulcis Deo nostra pœnitentia.* — *Incarnatio Dei operum excellentissima*

14. Dein ex filiis Virginis, hoc est, fidelibus, & iustis, qui Deiparæ fauore, præsidióque fouentur, ac proteguntur, quippe Dominam ipsam mundi suam agnoscunt, venerantur, & implorant Matrem suauissimam, ipsemet Deus virtutum egregius æstimator, & remunerator, ingentem percepit voluptatem. Inuenit quidem Deus homo factus in Virginis Matris alumnis myrrham mortificationis, & pœnitentiæ; pietatis, & orationis aromata; fauus deuotionis, & charitatis; lac honestatis, vinum fortitudinis pro Dei obsequio, & amore cuncta licet aduersa subeuntis. Æstimator fuit sponsus eorum. quæ inuenit, ac degustauit: sed quàm fidelis, & largus remunerator sit, idem ostendit. *Comedite* (inquit) *amici, & bibite, & inebriamini charissimi.* Cantic. 5. Vtique fidelibus rependit obsequia dulcissimo, atq; augustissimo Eucharistiæ sacramento. Sic enim Psellus adiungit: Hæc cum dixisset Christus idem, & Sponsus, vt pro mellito conuiuio quasi gratiam aliquam referret, ipsius Virginis filiis dat corpus suum. Comedite corpus meum, bibite sanguinem meum, inebriamini præ lætitia, & propter ebrietatem stupore perculsi omnino mundi solicitudinem obliuiscimini. hæc ille. Fidelis itaque, piúsq; Dei seruus, quem Virgo Mater vti filium charissimũ fouet (sunt enim viri iusti Virginis Deiparæ in amore, ac tutela filij) animam suam eleganter exornat, gustat amaritudinem myrrhæ, dolet, lacrymatur. Humiliat se in sacramento pœnitentiæ, qua omnes dispositiones ad diuinam Eucharistiam rite, sanctéque suscipiendam Domino ipsi Iesu vti faui mellis,

Virtutes fidelium B. Mariæ seruorum. — Cantic. 5. — Psellus. — *Eucharistia epulo Christus fideles pascit.* — *Dispositiones ad Eucharistiam.*

mellis, vti lac. & vinum exhiberet suauissimum conuiuium, quod dulcis Dominus sui corporis. & sanguinis iucundissimo, & magnificentissimo epulo rependit.

Pœnitentiam nostram Deus Eucharistia rependit.

15. Sic pascit verus Iacob clementissimus Iesus oues suas, quæ ad aquas huiusce vitæ perpetuo fluxu dilabentes, ab aspectu virgæ ex platano pulcherrimos virtutum, & gratiarum fœtus concipiunt. Sed quænam isthæc virga platani est, nisi Virgo beatissima Dei Mater? De se ipsamet loquitur Virgo: *Quasi platanus exaltata sum iuxta aquas*. Ecclesi. 24. Qui locus etsi de sapientia Diuina sit, Virgini tamen Deiparæ ab Ecclesia solet accommodari. Et quidem platanus (vt facilè patebit consideranti) patulis diffunditur ramis, habet folia instar scutorum, & peltarum. Est enim dignissima Dei Mater verè platanus patulis diffusa A ramis, quibus vniuersum genus humanum abscondit, & protegit. Perfugium illa est, defensióque fidelium: illius serui; quique in eiusdem protectione securi commorantur, infinitis circundantur scutis. Nulla est calamitas, labor nullus, periculum nullum, hostis nullus, quo fideles Christi dum viuunt, affligantur, diuexentur, impugnentur; contra quem incursum, malúmque mille non sese offerant confugientibus ad Virginem, eiúsque opem implorantibus scuta, peltæque. Multò plura in platano folia, & scuta in Virgine, quàm contra nos mala, pericula, incursus, hostes. O te felicem, qui Virgini Deiparæ seruis, illam laudas, prædicas, imploras! Scutis circundabit te maiestas, & pietas eius: periculis in vita, & in morte insultabis: securus ex hac tandem in vitam euades sempiternam.

Ecclesi. 24. B. Maria platanus.

B. Maria fidelium perfugium.

Securus, qui B. Mariæ seruit.

CAPVT TRIGESIMVMPRIMVM.

1. Postquā autem audiuit verba filiorum Laban dicentium: Tulit Iacob omnia quæ fuerunt patris nostri, & de illius facultate ditatus, factus est inclytus:

2. animaduertit quoque faciem Laban, quòd non esset erga se sicut heri & nudiustertius,

3. maximè dicente sibi Domino: Reuertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam, erόque tecum:

4. Misit, & vocauit Rachel & Liam C in agrum, vbi pascebat greges,

5. dixítque eis: Video faciem patris vestri quòd non sit erga me sicut heri & nudiustertius: Deus autem patris mei fuit mecum.

6. Et ipsę nostis quòd totis viribus meis seruierim patri vestro.

7. Sed & pater vester circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus: & tamen non dimisit eum Deus, D vt noceret mihi.

8. Si quando dixit: Variæ erunt mercedes tuæ: pariebant omnes oues varios fœtus. quando verò è contrario ait: Alba quæque accipies pro mercede: omnes greges alba pepererunt.

9. Tulítque Deus substantiam patris vestri, & dedit mihi.

10. Postquam enim conceptus ouium tempus aduenerat, leuaui oculos meos, & vidi in somnis ascendentes mares super E feminas, varios & maculosos, & diuersorum colorum.

11. Dixítque Angelus Dei ad me in somnis: Iacob? Et ego respondi: Adsum.

12. Qui ait: Leua oculos tuos, & vide vniuersos masculos ascendentes super feminas, varios, maculosos atque respersos. Vidi omnia quæ fecit tibi Laban.

13. Ego sum Deus Bethel, vbi vnxisti lapidem, & votum vouisti mihi. Nunc er- B go surge, & egredere de terra hac, reuertens in terram natiuitatis tuæ.

14. Responderúntque Rachel & Lia: Numquid habemus residui quidquam in facultatibus & hæreditate domus patris nostri?

15. Nónne quasi alienas reputauit nos, & vendidit, comedítque pretium nostrū?

16. Sed Deus tulit opes patris nostri, & eas tradidit nobis, ac filiis nostris, vnde omnia quæ præcepit tibi Deus, fac.

17. Surrexit itaque Iacob, & impositis liberis ac coniugibus suis super camelos, abiit.

18. Tulítque omnem substantiā suam, & greges, & quidquid in Mesopotamia acquisierat, pergens ad Isaac patrem suum in terram Chanaan.

19. Eo tempore ierat Laban ad tondendas oues, & Rachel furata est idola patris sui.

20. Noluítque Iacob confiteri socero suo quòd fugeret.

21. Cúmque abiisset tam ipse, quàm omnia quæ iuris sui erant, & amne transmisso pergeret contra montem Galaad,

22. nuntiatum est Laban die tertio quòd fugeret Iacob.

23. Qui, assumptis fratribus suis, persecutus est eum diebus septem: & comprehendit eum in monte Galaad.

24. Vidítque in somnis dicentem sibi Deum: Caue ne quidquam asperè loquaris contra Iacob.

25. Iámque Iacob extenderat in monte tabernaculum: cúmque ille consecutus fuisset eum cum fratribus suis, in eodem monte Galaad fixit tentorium.

26. Et dixit ad Iacob: Quare ita egisti, vt clam me abigeres filias meas quasi captiuas gladio?

27. Cur ignorante me fugere voluisti, nec

nec indicare mihi, vt prosequerer te cum A
gaudio, & cãticis, & tympanis, & cithatis?

28. Non es passus, vt osculater filios meos & filias: stulte operatus es: & nunc quidem

29. valet manus mea reddere tibi malum: sed Deus patris vestri heri dixit mihi: Caue ne loquaris contra Iacob quidquam durius.

30. Esto, ad tuos ire cupiebas, & desiderio erat tibi domus patris tui: cur furatus es deos meos?

B
31. Respondit Iacob: Quòd inscio te profectus sum, timui ne violenter auferres filias tuas.

32. Quòd antem furti me arguis: apud quemcunque inueneris Deos tuos, necetur cotam frattribus nostris. scrutare, quidquid tuorum apud me inueneris, & aufer. hæc dicens ignorabat quòd Rachel furata esset idola.

33. Ingressus itaq; Labã tabernaculũ Iacob & Lię, & vtriusq; famulæ, non inuenit. Cúmque intrasset tentoriũ Rachelis, C

34. illa festinans abscondit idola subter stramenta cameli, & sedit desuper: scrutantíque omne tentorium, & nihil inuenienti;

35. ait: Ne irascatur dominus meus quòd corã te assurgere nequeo: quia iuxta consuetudinem feminarum nunc accidit mihi. sic delusa solicitudo quætentis est.

36. Tuménsque Iacob, cum iurgio ait: Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum sic exarsisti post me,

37. & scrutatus es omnem supellectilem meam? Quid inuenisti de cuncta substantia domus tuæ? pone hîc cotam fratribus meis & fratribus tuis, & iudicent inter me & te. D

38. Idcirco viginti annis fui tecum? oues tuæ, & capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi:

39. nec captum à bestia ostendi tibi: ego damnum omne reddebam: quidquid furto peribat, à me exigebas:

40. die noctúque æstu vrebar, & gelu, fugiebátque somnus ab oculis meis.

A
41. *Sicque* per viginti annos in domo tua seruiui tibi, quatuordecim pro filiabus, & sex pro gregibus tuis: immutasti quoque mercedem meam decem vicibus.

42. Nisi Deus patris mei Abraham, & timor Isaac, affuisset mihi, forsitan modò nudum me dimisisses: afflictionem meam & laborem manuum mearum respexit Deus, & arguit te heri.

43. Respondit ei Laban: Filiæ meæ & filij, & greges tui, & omnia quæ cernis, mea sunt: quid possum facere filiis & nepotibus meis? B

44. Veni ergo, & ineamus fœdus: vt sit in testimonium inter me & te.

45. Tulit itaque Iacob lapidem, & erexit illum in titulum:

46. dixítque fratribus suis: Afferte lapides. Qui congregantes fecerunt tumulum, comederúntque super eum

47. quem vocauit Laban Tumulum testis: & Iacob, Aceruum testimonij, vterque iuxta proprietatem linguæ suæ.

C
48. Dixítque Laban: Tumulus iste erit testis inter me & te hodie, & idcirco appellatum est nomen eius Galaad, id est, Tumulus testis.

49. Intueatur & iudicet Dominus inter nos quando recesserimus à nobis,

50. si afflixeris filias meas, & si introduxeris alias vxores super eas: nullus sermonis nostri testis est absque Deo, qui præsens respicit.

51. Dixitq; rursus ad Iacob: En tumulus hic, & lapis quem erexi inter me & te,

D
52. testis erit: tumulus, inquam, iste & lapis sint in testimonium, si aut ego transiero illum pergens ad te, aut tu præterieris, malum mihi cogitans.

53. Deus Abraham, & Deus Nachor, iudicet inter nos, Deus patris eorum. Iurauit ergo Iacob per timorẽ patris sui Isaac:

54. immolatísque victimis in monte, vocauit fratres suos vt ederent panem. Qui cùm comedissent, manserunt ibi.

55. Laban vero de nocte consurgens, osculatus est filios & filias suas, & benedixit illis: reuersúsque est in locum suum

---

SECTIO PRIMA.

Postquam autem audiuit verba filiorum Laban dicentium: Tulit Iacob omnia quæ fuerunt patris nostri, &c. vsque ad *Eróque tecum.*

1. PARAT Iacob ad parentes suos cum vxoribus, & liberis discessum, cuius in primis tres causæ hoc loco assignantur. Prima quidem, & potissima fuit ipsius Dei mandatum. Certò enim illud præceptum sibi nouit à Deo, vel per internam reuelationem, qualis fieri solet Prophetis, vel (quod verius, & conso- E
nantius literæ videtur) per externum colloquium cum Angelo, qui iussu Dei, vel ipsummet Deum repræsentans, Iacobo, vt in Chananæorum regionem remearet, expressis verbis imperauit. Duæ subinde aliæ causæ minùs quidem præcipuæ, sed humanæ tamen, & homini cordato, ac prudenti perquàm efficaces ad maturandum discessum, imò ad proripiendam fugam permouerunt: in primis

calumni-

calumniæ filiorum Laban, quæ hominem iugiter corrodebant. Grauem quippe sibi conflarat

Inuidia contra diuites.

inuidiam Iacob, eo quòd Diuina benedictione, propriaque industria mirum in modum quotidie

Sophocl.

opibus augescebat. Enimverò, vt dictum Sophoclis teritur, *Inuidia sequitur diuites.* Hoc scilicet vermiculo mordentur, & arroduntur opes, ne liberi, & immunes ab omni iniuria, molestiáque illis perfruantur diuites in mundo, Quin etiam sic opes ipsæ habenti sunt infidæ, vt contra miserum aliorum concitent inuidiam, linguásque distringant. Rectè S Chrysost. diuitias hostem appel-

S. Chrysost.
Diuitia habenti insidiantes.

lat domino insidiantem. Hostis (inquit) est contubernalis, inimicus domesticus: hodie tecum, & cras contra te inuidorum oculos armat. ita Chrys. *homil. 2. ad popul. Antiochen.* Armant oculos inuidorum tuæ, quibus incubas, diuitiæ, manúsque inuitant rapi, & auolare, nouísque inferri domi-

S. Chrysost.

nis cupientes. Nihil enim (adiungit idem) tam infidum, quàm diuitiæ. Fugitiuus est, & ingratus seruus fidem non habens, vel si innumera ipsi vincula inijcias, sic quoque cum ipsis vinculis

Diuitiarum contemptus praescribitur.

aufugit. ita Chrysost. Nemo igitur prudens credet opibus, quæ contra dominum armantur, & armant, & sæpius miseris mortem corporis & animæ inferunt; quæ licet custoditæ, atque subtus terram abditæ, infossæque struunt insidias domino, latrones inclamant, extrahi, aufugeréque moliuntur: gaudéntque iugiter dominos fallere, ac mutare. Beati planè qui nouerunt tam infidum ho- C stem à se repellere, pedibúsque proculcare insidiatricem mundi substantiam, qua, quicquid auari dixerint, nihil est homini Christiano contemptibilius; quippe cum veneretur Deum hominem, qui veniens in terras & contempsit, & contemni iussit, atque adeo ipsas dehonestauit diuitias

Tertull.

mundi. Tertull. in hanc sententiam illud scripsit. Non maior ad pecuniæ contemptum exhortatio subiacet, quàm quod ipse Dominus in nullis diuitiis inuenitur: semper pauperes iustificat, diuites

Christi vita in paupertate.

prædamnat. sic ille, *lib. de patientia cap. 7.* Nihil quidem ad ignominiam diuitiarum poterat grauius aduenire Enimuero Diuinum Verbum no-

Miserias vitæ Christus assumpsit.

stræ conditionis miserias simul cum natura nostra assumpsit, paupertatem, ærumnarum tolerantiam, D luctum, famem, sitim, frigora, æstus, lassitudinem, labores, cruciatus, dolores, ignominias, mortem denique crucis æquè infamem, atque acerbam: ista omnia in seipso assumpta honorauit, & quo-

Christus diuitias dehonestauit.

dammodo deificauit. Solas mundi diuitias noluit assumere, sed contempsit, reiecit, dehonestauit; feréque damnauit.

2. Haud tamen est negandum diuitias, si bene dispensentur, multum proficere ad salutem animæ; illis enim pauperes adiuti, & recreati diuites ipsos suis deportant humeris, & in regnum cælorum introducunt. At (quæ hominum est demen-

Bonus, & malus diuitiarum vsus.

tia) diuitiis isti suam in perniciem abutuntur, quantóque sunt pecunia ditiores, tanto fiunt vi- E tiis turpiores: luto quidem abundant, at cælo carent numis pleni, vacui virtutibus. Talis extitit ille, qui noctu suam alloquebatur animam. *Luc. 2.*

Lucæ 1.
S.Basil.
Diues pauper virtutibus.

quem ita præstringit S. Basil. Pauper es, & omnium egenus bonorum; pauper inquam charitate, benignitate in indigos pauper, fide erga Deum pauper, pauper æterna spe. sic ille, *homil. 6.* Respondet tamen diues iste, se nulli facere iniuriam, cum sua retinet, negátque. Et non videt infelix, vt latro est, qui diripit aliena, sic in die iudicij, tanquam furti arguendum, & condemnandum, qui sua pauperibus denegauit. Progreditur enim S.

S. Basil.

Basil. An non tu peculator, cum ea, quæ ad dis- A pensandum, distribuendúmque receperis, tibi propria facis? Esurientis est panis, quem tu retines; nudi est vestis, quam in arca custodis; discalceati calceus, qui apud te obsolescit; egentis argentum, quod tu terræ infossum possides. Quare tot iniurius es hominibus, quot poteras opem conferre. hæc ille.

Quæ superflua non dantur pauperibus, furto habentur.

Videas hinc ea, quæ post debitam personæ, ac statui sustentationem supersunt diuiti, pauperibus distribuenda esse: quod si non

S. Basil.

fecerit, vocari à S Basilio prædonem, & in Diuino iudicio damnari. Non enim ibi (adiungit) rapax accusatur, sed qui substantiam non communicauerit, condemnatur. hæc ille.

Amatores mundi de Deo nihil curant.

3. Non curat Laban, non curant illius filij aliud, B quàm greges, peculium, pecuniam, opes, diuites fieri: quid virtus, quid fides, quid concordia, & charitas, quid denique sit Deus, pensi nuo habent. Scilicet filij huius seculi de carne, de mundo, de terra solùm cogitant, sensu prorsus hebetes, aut potius carentes, quem ipsa rerum turpissimarum cupiditas abstulit. Quod eleganti quodam symbo-

S. Bernard.
Tria euertunt hominis sensum.

lo explicauit in hunc modum S. Bernard. Puellæ, quæ euertunt sensum nostrum, três sunt: teneritudo carnis nostræ. Quæ est Dalila, quæ Samsoni eruit oculos; amœnitas mundialis gloriæ, quæ est Iesabel, & Naboth occidit; diffidentia futuræ vitæ, quæ est filia Herodiadis, & aufert caput Prophetæ. ita S. Bernard. *in sentent.* Extremum omnium malorum est diffidentia futuræ vitæ; in hanc C tandem delabuntur carnis libido, & mundi ambi-

Obliuio Dei.

tio: mersi enim luto Veneris, & seculi honoribus inhiantes, aut cæli, Deíque obliuiscuntur, aut alte-

Vnde atheismus

ram vitam, Deúmque in illa denegant. Ita libido, & ambitio desinunt in atheismum. Non miror impietatem, & vecordiam Laban; homo quidem erat infidelis, ac sine Deo: at esse Christianum fide hominem; auaritia, & impietate Labanum, quis non succenseat, indignetur, lamentetur? Ita, ô miser, quisquis es, solam curas, amas, æstimas

Sine pecunia plerique Deū nolunt.

pecuniam: vt (quod bene subnotauit S. August.) Deus si ad te veniat sine auro, & argento, nolis

S. August.

illum. sic ille, *in Psal. 10. concion. 3.* Porrò crescit opibus Iacob, vt hic videmus, non tamen meritis deficit, sed augescit potiùs, vtpote, quem nouis D benignitatis suæ oraculis Deus dignum ostendit.

S. Basil.

Non ita habet ille, ad quem S. Basilius ita loquitur: Quo plus opibus crescis, eò magis charitate de-

Creuit cum diuitiis impietas.

ficis. sic ille, *homil. 7.* Hoc ipsum de pluribus hodie potest dici, quando scilicet de bonis seculi minus habebant, plus in pauperes erogabant: cum minùs diuites, magis liberales, ac pij videbantur. Creuerunt subinde opes, creuit & auaritia, creuit & inhumanitas. Erat ille quidem pauper clericus, & pauperes angusto suo peculio liberaliter susten-

Clericus diues pauperum hostis.

tabat. Factus deinde ditior, pingui quodam beneficio, amplis Ecclesiæ reditibus opulentior, tunc verò claudit viscera, manus contrahit, pecuniam in loculis congestam abscondit, venientem paupe- E rem, & ad fores mendicantem auersatur vt feram, vt pestem fugitat, repellit. Quid ergo ô miser

S. Basil.

(inquit Basil.) Iudici respondebis? frumentum retinendo perdis, esurientes non respicis? sic ille.

Opes auarorum deperdita.

Fit ita sæpenumero, vt granaria tritico plena multos in annos conseruato (hominis auaritiam Deo sic puniente) ærugine, brucho, miléque huiusmodi bestiolis introrsum inductis infeliciter absumantur, ac pereant.

4. Verumenimuerò inter alias terrenarum opum miserias hæc vna vel maxima videri solet, quod (autore Sophocle) inuidia mater calumniæ

Contumelia in diuitem auarum.

sequitur diuites. Mille quidem aduersus diuitem & struuntur calumniæ, & contumeliæ inferuntur.

Illum

Illum alienorum raptorem, suorum auarum bonorum, illum inhumanum, & barbarum, vulgo appellitant: illius vitam execrantur omnes, mortem precantur, similem hanc porcinæ dictitant; quæ vbi contingit, totam solet oblectare, pascereque familiam. Dolet Laban, dolent liberi, tabescunt omnes inuidia, quòd Iacob amplificetur gregibus, seruis, pecunia: non ferunt hominis felicitatem, illa miseri discruciantur: dein liuore perciti calumnias distringũt impudentissimo plenas mendacio: *Tulit* (inquiunt) *Iacob omnia, quæ fuerunt patris nostri, & de illius facultate ditatus factus est inclytus.* En furti arguunt, & falsò iniquitatis insimulant virum iustum: dicunt fraudem, rapinam, quam optimo iure vir æquissimus substantiam acquisierat: nec enim putant inuidi fieri posse, vt licitè, ac sine fraude, vsque potuerit Iacob tam breui ditescere. Hic solet esse sensus, aut sine sensu cogitatio inuidorum. Vt enim perbellè subnotauit S. Gregor. Nazianz. fit ferè, vt quod quispiam assequi non potest, id ob inuidiam ne credibile quidem esse putet. sic ille, *orat.* 19. Sic vidimus homines inuidia occæcatos eò dementiæ prorupisse, vt bonorum autorum scripta, quæ typis credita iudiciisque doctorum virorum percelebrata viderent, auderent tamen impudenter confingere aliena illa esse, propriis direpta dominis, sub ementitis vulgari nominibus. At mendacium nullo impellente corruit, suámque breui detegit deformitatem: veritas luce clarior demonstratur. Mei sunt ô bone lector sudores isti: de meo capite quale quale hoc est, & primi, qui teritur manibus, & secundi istius tomi, quem propediem, & prælo, & luci dabimus, quæcunque illa sunt dicta, sensáque prodierunt: non aliena (quæ sine dubio meliora multò forent) pro meis vendito: nec vllius viri docti scripta inueni, aliundéve accepi, quibus meum ditarem peculium. Sed multos per annos studio Diuinarum literarum, & patrum, doctorúmque lectioni deditus ad concionandum: dein consulente sæpiùs, ac demùm (vbi minùs aliud nihil in mentem venerat) euincente viro è nostris amicissimo, & grauissimo ad scribendum sine humana ope, ac subsidio, proprio, fragilique brachio vtens, ac laborans me conuerti. Dicam illud Apostoli: *Ecce coram Domino, quia non mentior.*

Inuidi calumniantur, & mentiuntur.

S.Greg.Naz.

Diluit autor mendacia à scelus constructa.

5. Hoc inuidiæ verme, tabóque bona quæcunque in quouis apparent homine, corrodi solent, infici, atque infringi: vt non immeritò felix hodie haberi debeat, quippe cum securus viuat, qui careat iis ad mundi auram popularem spectabilibus, quæ inuidorum oculos feriant, animos concitent, & linguas distringant. Hoc vsus consilio non minùs ille prudentia, quàm militia clarus Ioab aliquando sibi consuluit. Enimuerò cum obsideret vrbem regiam Ammonitarum scripsit ad regem Dauid: *Capienda est vrbs. Nũc igitur congrega reliquam partem populi, & obside ciuitatẽ, & cape eam, nè cũ à me vastata fuerit vrbs, nomini meo ascribatur victoria.* 2. Reg. 12. Factum id ex insigni fidelitate erga regem putat Lyranus. Dionys. Carthus. inclinat potiùs, vt credat esse adulationis strategemà. Sic enim commentatur. Hoc Ioab, vel ex humilitate, vel ex quadam fidelitate ad regem ei denunciauit; vel potiùs ex quadam versuta adulatione, & ambitione, quia ambitiosus erat, & regi complacere desiderans, gratiam eius captauit, vt in suo firmaretur officio. ita Carthus. Nec istud nouum est, imò nihil tam frequens, tam vsitatum in principum aulis: adulando gratia illorum captatur, honores comparantur, quos bellatorum, ac fortium, & prudentium virorum præmia esse

Felix, qui securus viuit ab inuidis.

Mira Ioab prudentia.

2. Reg. 12.
Dion. Carth.

Adulatione falluntur principes.

Ben. Fernand. in Genes. tom. 2.

A ipsa æquitas, ratióque præscripsit. Ita miseri principes decipi faciles adulantium mellito veneno simul cum suis regnis in peius quotidie ruentibus infeliciter contabescunt, & pereunt. Ioas à teneris annis in timore Dei, veráque pietate insigniter educatus, cum è multis, & grauissimis absconditus in templo multos per annos periculis euasisset, adulatorum denique fraudibus inescatus suæ gloriæ, vitæ, regnique miserabile fecit naufragium. Scribitur enim: *Ingressi sunt principes Iuda, & adorauerunt regem, qui delinitus obsequiis eorum acquieuit eis.* 2. Paralip. 24.

Regum & regnorum pestis adulatio.

2. Paral. 24.

6. Lyranus cum Hebræis arbitratur (quod videtur consonum literæ) tãquam Deum fuisse Ioas ab adulatoribus illis impiis adoratum, qui miser
B tam execrandum sacrilegium volens ac libens acceptauit: cæterùm illico tam detestandæ superbiæ meritas luit pœnas: à pauculo enim Syrorum exercitu Hebræi deuicti sunt: Hierusalem capta, & direpta, principes illi Iuda, quorum sacrilegis assentationibus rex delinitus acquieuerat, omnes ad vnum cæsi sunt. Legitur enim: *Cumque euolutus esset annus, ascendit contra eum exercitus Syriæ, venitque in Hierusalẽ, & interfecit cũctos principes populi.* ibidẽ. En principes, qui regem impiè vti Deum adorauerant, miserè post annum à barbaris cæsi perierunt. Sed quid de rege ipso tam stulto, quàm impio? scribitur: *In Ioas quoque ignominiosa exercuere iudicia, & abeuntes dimiserũt eũ in lãguoribus magnis. Surrexerunt autẽ contra eum serui sui, & oc-*
C *ciderunt eũ in lectulo suo, sepelierúntque eum, sed non in sepulchris regum.* ibidẽ. Interfectis adulatoribus captus quoque rex, infanda sustinuit opprobria Syrorum; & qui vti Deus voluit adorari, turpissimis affectus iniuriis à militibus, lixísque, & calonibus exercitus Syriæ, morbis deinde grauissimis afflictatus, demum à suis seruis peremptus, indignúsque habitus est, cuius cadauer inter alia defunctorum regum regio sepulchro conderetur. O miseram homuncionis etsi regis conditionem! qui se Deum haberi, & adorari voluit à principibus regni, regno spoliatus, & patria, ludibrio affectus à gregalibus Syriæ militibus, variis discruciatus morbis, obtruncatus à suis mancipiis, vulgari sepulchro illatus humanæ fragilitatis & miseriæ
D præbuit spectaculum. Quod si huiusmodi adulationis, & ambitionis causa fecit Ioab, quod sacræ literæ tradiderunt, merito infelix homo tandem exoluit, cum ad altare templi aufugiens iussu regis Salomonis interfectus est, *sepultusq; in domo sua in deserto.* 3. Reg. 2. Et qui regis gratiam tanto studio appetiuit, regis imperio etiam ante altare Domini peremptus fuit. Nec mirum est, quòd ambitio tam infaustum habeat exitum, quippe quam, vbi inest, mille comitantur ærumnæ. Quocirca exclamauit iure optimo S. Bernard. O ambitio ambientium crux, quomodo omnes torquens omnibus places? Nil acerbiùs cruciat, nil molestiùs in-
E quietat; nil tamen apod miseros mortales celebrius negotiis eius. hæc ille, *lib. 3. ad Eugen. cap. 1.* vbi etiam optimè ambitionem appellat inquietum, & inquietans malum.

Lyran.
Ioas vti Deus voluit adorari.

Sacrilegi adulatores à barbaris cæsi.

2. Paral. 24.
Ioas regis superbia, & extrema infelicitas.

Ambitionis infaustus exitus.

3. Reg. 2.

S. Bernard.
Ambitionis infelicitas.

7. At satius duco ab istius adulationis, & ambitionis calumnia Ioab immunem dicere; qui cum esset prudentissimus, inuidiam præclaris ducibus inimicam voluit declinare. Quod Caiet. subtiliter admodum sic adnotauit: Sciebat Ioab quàm molestum fuerit regi Sauli audire laudes Dauidis in triumpho, & propterea prudenter se exemit ab huiusmodi inuidia, & victoriæ gloriam, ac nomen transferre curauit in Dauidem regem. ita Caiet. Fidelis quidem regi, ac domino suo seruus, qui

Inuidia magnos [illegible]

Caietan.

Prud[illegible] inuidiam declinat.

Deo cuncta adscribenda bona.

suo marti debitam gloriam maluit regi suo deferre. At erit homuncio ita insanus, ita insidus, vt eum à Deo totum acceperit, aliquid tamen audeat sibi arrogare? Gloriosum, inclytum, & prædiuitem non ferunt Iacob etiã illius socer, idémque auunculus, & consanguinei. Ius omne conculcat inuidia.

Ius omne violat inuidia.

Inuident illi Iacob inclyto, ac diuiti, atque vt talem oderunt; non quia superbum; licet enim humana gloria, & opum abundantia in superbiam efferre, hominum contemptorem, ipsiúsque Dei prorsus immemorem efficere soleat: at Iacob ita pius, ita humilis, etiam nunc positus in gloria, & opulentia, Deíque memor extitit, vt Diuino colloquio dignus fuerit. Scribitur enim, maximè dicente sibi Domino: *Reuertere, &c.* Dixi, Dei prorsus immemores fieri homines propter bonorum terrestrium affluentiam, eo quòd vt ipsa quotidiana experientia demonstrat, gloriosi, & diuites huius seculi, porcorum instar immersi terræ, ac luto, quid cælum, quid Deus, num altera sit vita non curant, neque nouerunt.

Terræ bonis immersi de Deo non curant.

Pauperum enim est regnum cęlorum. Contemptibiles, & abiectos elegit Deus, qui nihil in terra possident, nec illius honoribus deliniti, & capti absorbentur, cælum appetunt, Diuinarum rerum studio, & amore delectantur. Deus illis terra, & mondo carentibus portio est: at filiis huius seculi, soliúsque terræ, ac mundi amatoribus Deus venter est, & beatitudo ipsa in mundo felicitas, & honorum sublimitas.

Pauperes Deum curãt, amantque.

Bona mundi auertunt à Deo.

Felices illi quidem fuissent, si à mundo haberentur infelices. Despecti, & inopes, & quos mundus reputat peripsemata, cum nihil habeant in terra, quo detineantur, expeditiùs currunt ad Deum, alacriùs in illius obsequium sese conuertunt. Quod in figura legimus contigisse, cum Dauid iram Saulis fugeret. *Et conuenerunt* (scribitur) *ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus est eorum princeps.* 1. Reg. 22. Percommodæ istis oppressis, obęratis, amaritudine repletis fuerunt calamitates, atque ærumnæ, quibus videlicet cõpulsi ad Dauidem, hoc est, Christum (vti explicat Rabbanus) confugerunt, quos ipse Dominus læto vultu, beneuolóque animo excipiens dicit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matth. 11. Itaque despecti à mũdo ad Deum confugiunt, & contra eundem mundum pro Deo alacriter insurgunt, & pugnant: profuitque illis ita despici à mundo. Sæpe etenim (ait S. Gregor.) amator præsentis seculi, ita ab eodem, quem diligit, mundo despicitur, & impugnatur, vt cum eo nequaquam currere valeat, sed fractus aduersitate torpescat. quod Diuinæ profectò dispensatione miserationis agitur. ita Gregor.

1. Reg. 22.

Rabbanus.

Matth. 11.

Despecti à mundo ad Deum confugiunt.

S. Gregor.

Felix qui à mundo despicitur.

8. Sic ipse mundus, quos despicit, & à se repellit, vel nolentes ad Deum abire compellit, sæpéque etiam fit, vt per ægritudinem corporis, aliámve similem aduersitatem, quæ diuinitus contingit, peccatores à peccandi studio, & cursu inhibeantur. idcirco maxillas eorum chamo, & fræno constringi Propheta desiderat. Orat igitur (adiungit S. Gregor.) fidelis anima, vt lubricos peccantium cursus mundana aduersitate virtus Diuina coërceat: quatenus erroris sui desideria sequi non valeant, & hoc modo ad se reuersi, saltem ex difficultate & impotentia peccandi resipiscant. hæc ille, *ad Psalm.* 31. Debilitatus quippe viribus, & sublata occasione peccandi facilè cohibetur, quem corporis vires, salúsque, & obiectæ illecebrarum occasiones ad omne facinus patrandum impellunt. Ecquis non miretur diabolum per suos ministros Philistinorum ariolos, ac diuinos captam Dei arcam restitui iubere? *Dimittite arcam Dei Is-*

S. Gregor.

Aduersitas inhibet peccatorem.

Ægritudo corporis inhibet à peccando.

A *rael, & reuertatur in locum suum.* 1. Reg. cap. 5. Quid hoc est? An non diabolo superbo esset ad iactantiam detinere apud se arcam Dei, déque illa capta inter suos triumphare? Quid ergo ait, quid iubet? remittite arcam Dei. Nouit quidem astutissimus draco suis consulere commodis, quæ de hominum vitiis, & æterna perditione comparare solet. Ingentia capit detrimenta quandiu arca Dei tenetur inter Philistæos. Quia nimirum (obseruat Origen.) & Allophyli percutiebantur, & dæmonis cultus destruebatur. sic ille, *homil. 16. in Numer.* Quod quidem facile colligitur ex ipso textu, vbi habetur: *Reuertatur, & nõ interficiat nos cum populo nostro. Fiebat enim pauor mortis in singulis vrbibus, & grauissima valde manus Dei, &c.* 1. Reg. 5. Igitur B quandiu arca Dei maneret inter Philistæos ingentem suorum rituum, & sacrificiorum iacturam diabolus faciebat. Fana siquidem erant deserta, non fumabant altaria, non mactabantur pecudes, non colebantur idola, nusquam sacerdos, nullæ cæremoniæ, nulla orgia, idololatria quiescebat; infideles, qui diabolum venerarentur, nulli aderant: alij siquidem extra vrbes doloribus æstuabant: alij iam moribundi vitam exhalabant infelicem, multorúmque passim congesta cadauera in plateis, in viis, in camplis videbantur. Fructuosior est diabolo peccantium sanitas, & prosperitas, quam morbus, quam aduersitas.

1. Reg. 5.

Captam Dei arcã diabolus remitti iubet

Origen.

1. Reg. 5.

Aduersita destruit peccata.

9. Suos seruos, & amicos vult diabolus esse sanos, & in mundo prosperos, qui ducant in bonis C dies suos, & in puncto in infernum descendant. Sic miseri domino sun alacriùs & valentiùs per omnia scelerum, ac turpitudinum genera inseruiunt; cum sanitate, viribus, prosperitate, diuitiis, & honoribus ad peccandum abutuntur. Contra verò si prædones, si sicarij, si lenones in morbum incidant, teneantur lecto, aduersis rerum successibus affligentur, qui fieri potest, vt diabolo seruiant, vitámque in patrandis sceleribus exerceant? Nec leuiculæ fœminæ de lasciuia cogitant, nec student lenocinio, nec pretiosis captandis adolescentium animis in macellum diaboli suum rete possunt expandere, si doloribus diuexentur, si luctu, & squalore, vllave simili calamitate præpediantur. Peccantium sanitas, & prosperitas diabo- D lo granaria, & gehennæ focalia replet: morbi aduersitatésque humiliant superbiam, lasciuiam cõprimunt, præteritas eluunt culpas, in posterum ne committantur impediunt. Quid plura in hanc sententiam? Peccator dicitur *venundatus sub peccato.* ad Rom. 7. Venundatus quidem, vt faciat malum. Hoc scilicet ministerium diabolo, cui sub hasta venditus cessit, infelix peccator exhibet, vt plura subinde grauioráque delicta committat. At nullus si sapiat, si propriis vtilitatibus consulat, herus suum velit ægrotum, debilem, mancum, lecto iacentem, aut simili ad seruitium impedimento colligatum seruum. Lætatur aduersis, exultátque Dauid, in quibus Deum agnoscit propitium, & amicum. *Tu es* (inquit) *refugiũ meum à tribulatione, quæ* E *circundedit me: exultatio mea, erue me à circundantibus me.* Psal. 31. In tribulationibus verum in Deo gaudium inuenit Dauid, non verò in secundis rebus, non in prosperitate regni, quando exul, quoquouersum fugatus, inquisitus, nec in ferarum latibulis, nec in montibus, & solitudinibus passus consistere insequentem singulis momentis fugiens mortem, exultat nihilominus in Deo, Diuinis pascitur voluptatibus: at idem postmodo felix, & fortunatus, regali splendore conspicuus, in ipso regiæ solario deambulans labitur in adulterium, deinde in homicidium, & proprio cęno, alienóque

Suos mauult diabolus sanos & prosperos.

Afflicti non cogitant de peccando.

Sanitas & prosperitas ad peccandũ incitant.

ad Rom. 7.

Suos seruos diabolus vult prosperos.

Psalm. 31.

Dauid sanctior, quò magis afflictus.

Prosperitate excidit David.

nóque sanguine pollutus gratiam animæ, candorem pietatis, lumen prophetiæ, Deique amorem, & fauorem, & amicitiam amisit: felicior planè, si regni felicitatem non habuisset. rectè Nazianz.

S.Greg.Naz.

Tribulatio cum patientia vtilis.

Beatus (inquit) qui crucem habet, eámque sublimiter gestat. sic ille, *tract. de beatitud.* In tribulationibus, in ærumnis, in rebus aduersis, in cruce denique subtiliter portata cœlestis consistit voluptas, cum scilicet portatur crux in altum erecta, non per humum trahitur, sed instar baculi gradientem sustinet, regitque, cum videlicet aduersa patienter tolerantur, lætóque vultu, & animo crux, & tribulatio excipitur.

10. Sic Dauid lætus, ac libens iugiter intentatam à Saule persecutionem excipiebat, vt quia vtilem, salutarem, & lucris plenam vocaret suam. *Quoniam* (inquiens) *fecisti iudicium meum, & causam meam.* Psal. 9. Iudicauit quidem Saul dignum morte Dauidem, causam illius tanquam rei, & proditoris quicunque regis asseclæ, ac satellites execrabantur. At ipse tam peruersum iudicium, sententiam adeò terribilem, atque iniquam, causam tanta cum impietate damnatam, nihilominus hæc omnia vocat sua, sibi vtilia, & peramica. sic enim commentatur S. Aug. Iudicium illud, in quo iudicari visus sum, meum fecisti: & causam illam, in qua me iustum, & innocentem homines damnauerunt, meam fecisti. sic ille. Sed cur sua isthæc vocat, cum tam infausta, & iniqua fuerint? Occurrit statim idem August. Hæc enim ei militauerunt ad liberationem: sicut & nautæ dicunt ventum suum, quo vtuntur ad bene nauigandum. hæc August. Pulchra sanè comparatio! Quatit nauem in salo ventus, sed ipsam tamen è salo impellit, ac deducit in portum: affligit hominem tribulatio, sed si patienter toleretur, è fluctibus mundi eruit, cælóque è salo illatam in placidissima collocat statione. Cur ergo suam non dicat Propheta tam propitiam, tam amicam, tam vtilem, tam salutarem tribulationem? Insuauis quidem tribulatio carni, sed animæ quàm suauissima. Quare qui animæ lucrum quærit, etiamsi pressa doloribus caro ingemat, & lamentetur, mira quadam alacritate tribulationem excipit, & dulcem reputat. Quod de S. Stephano ita subnotauit S. Greg. Nyss. Stephanus gaudet lapidibus vndique petitus, & veluti suauem quendam rorem crebros lapidum ictus in modum floccorum niuis incidentium corpore cupidè excipit. sic ille, *tract. de beatitud.* Pulsatur ictibus caro, niuibus anima recreatur: illa plagis exæstuat, ista rore perfunditur: caro lapidibus vulneratur, anima floribus ornatur. Vbi tribulatio corporis, ibi gaudium animæ. Quis flores vere protumpentes non lætus videat, non risu excipiat, tum quia gratos specie, tum maximè quia spe fructuum gratiores? Proinde (adiungit) fructuum, qui sperantur, flos afflictio est. Propter fructum igitur etiam florem decerpamus. ita Nyss.

Psalm. 9.
Dauidis patientia & lætitia in aduersis.
D. August.
Vtilis iusto tribulatio.
D. August.
Tribulatio in cælum deducit.
S. Greg. Nyss.
Tribulatio iusto suauis.
Afflictio spes præmiorum.
S. Greg. Nyss.

11. Idcirco Dominus clamat: Beati pauperes, beati qui lugent, qui sitiunt, qui patiuntur. Beatos vocat spe iam certa, firmáque: beatitudo iam ibi est in flore, fructum præit, fructum denunciat, fructum promittit æduentantem flos; afflictio beatitudinem. En vbi primum Iacob audiuit filiorum Laban obtrectationes, contumelias, mendacia, iniurias, pertulit, & soceri vultum immutatum, & innocenti subirascentem subnotauit; flores vtique sibi erumpentes vidit; fructum præferebant. Sequitur enim: *maximè dicente sibi Domino.* O pulchrum, ô dulcem fructum, Dei visionem, Dei colloquium! homines Iacob iniuriam inferunt, conuicia iaciunt, Deus gratiam præstat: affatur Deus,

Afflictos Deus fouet.

Ben. Fernand. in Genes. tom. 2.

A quem Laban auersatur. Proh quanta laus, quam grandis gloria, quàm copiosum emolumentum in tolerantia humanarum iniuriarum, & quarumcumque aduersitatum, quibus in hoc mundo impugnamur! Hanc animi magnitudinem, & pulchritudinem, gloriámque patientiæ admiratus ipse cælestis sponsus in sponsa, seu veriùs in matre sua dixit: *Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Hierusalem; terribilis vt castrorum acies ordinata,* Cant. 6. legit S. Ambros. *Speciosa sicut Hierusalem, sicut admiratio ordinata.* Porrò Hierusalem istam non intelligit terrestrem, sed cælestem, cuius vniuersam pulchritudinem miro quodam modo in sponsa ipsa effictam, & expressam cælites ipsi admirantur. Sic igitur speciosa est, sic omnibus est

Gloriosa patientia.
Cantic. 6.
S. Ambros.

B in stuporem: quod (inquit S. Ambros.) ciuitatis æternæ vniuersa habeat mysteria, & admirationi sit omnibus videntibus eam: quia plena vt æquitas, atque perfecta est, & fulgorem de Verbi lumine mutuata, dum id semper intendit. Sic etiam terribilis ordine quodam ad summum perfecta virtutum. hæc Ambros. *lib. de Isaac, cap. 7.*

Pulchritudo animæ perfecta.
S. Ambros.

12. Quod quidem, etsi de Ecclesia Christi, vel de anima alicuius insignioris viri probè intelligatur, in beatissimam quoque Virginem Dei Matrem conuenire nemo non dixerit. Nam quæ pulchritudo post Diuinam aut esse, aut fingi potest æqualis illi, quam suis manibus tota Trinitas in Virgine Matre Verbi effinxit? Quæ mysteria, quæ lumina, qui fulgores, quæ ornamenta, qui thesauri

Maiestas inexplicabilis B. Mariæ.

C videntur in cœlesti Hierusalem, in patria ipsa beatorum, quæ in gloriosissima Virgine Dei Matre non esse videantur? Si enim omnis Diuinitatis plenitudo corporaliter in Virginis vtero purissimo habitauit, quidni simul in illa omnes thesauri sapientiæ, ac potentiæ Dei, vniuersáque cæli ornamenta fateamur esse collocata? Cæterùm licet hæc tam stupenda, & supra omnem creaturarum intelligentiam sint in Virgine beatissima, illud tamen potiùs nunc admirationi est, quòd sit castrorum acies ordinata. Non dicit aciem instructam prælio, vt confligat, vt impugnet: sed quæ adhuc tenetur in castris, intra vallos, intra munitiones, vbi non tam pugnat, quàm propugnat: non quidem incursit ad feriendum, sed stat firma &

Admirabilis patientia B. Mariæ.

D immobilis ad resistendum, parata potiùs defendere, quàm offendere; pati, quàm nocere. Quod enim pectus, quæ viscera fœminæ, ac matris pluribus, & grauioribus sunt impugnata doloribus, quàm quæ Filium Deum hominem genuerunt, eundémque postea venditum, captum, illusum, sputis illitum, flagris contusum, dilaniatum vibicibus, sub pondere baiulatæ crucis nutantem, confixum cruci, exhaustum sanguine, mortuum denique, ac sepultum expectarunt? Sed vincit tamen omnem admirationem illa patientia, illa magnitudo animi, illa constantia, illa totius corporis maiestas, quæ inter infinitos dolorum ictus non fessa succubuit, non effusa elanguit. Extitit

Patientia B. Mariæ in passione Filij.

E planè Virgo Mater, extitit in Filij sui passione terribilis, vt castrorum acies ordinata, cum vel ipsi dolores, ipsa tormenta, ipsæ ignominiæ, ipsi carnifices, infernus ipse tam constantem, tam patientem, tam inuictam, tam modestam, & moderatam, tam incredibili maiestate venerandam Virginem simul, & Matrem extimuerunt pariter, & obstupuerunt. *Stabat iuxta Crucem Iesu Mater eius.* Ioann. 19. Stabat Virgo Mater, licet infinitis impetita doloribus, tamen, quasi terribilis, & inuicta castrorum acies; stabat, vt Deum Filium, vt Dei Matrem decebat. Hæc sanè constantia, & patientia vltra naturæ vires, & gloriosam illam reddidit

Ioann. 19.

didit mundo, & verè Dei Matrem esse cælo, ac terræ demonstrauit. Iccirco vbi legimus: *Castrorum acies ordinata*, Cant. 6. vertit Aquila: *Sonans vt reuelata*. Nimirum (vt explicat S. Ambros.) sonantem ad admiratione dignam retulit, quasi magna & sonora habentem opera: reuelata ad operum claritatem. hæc ille indicato loco. Sunt quidem virtutes & gratiæ Virginis Deiparæ à Deo in scripturis, & per quotidiana miracula, mortalibusque diuinitus condonata per intercessionem Virginis beneficia, tam manifestò reuelatæ, sic illius merita, sic opera, sic dona, sic dignitas Matris Dei per omnes gentes, ac terrarum portiones innotuerunt, vt beatam illam dicant omnes generationes, quia exaltata est supra omnem creaturam: & quæcumque ab ipso Deo hominibus communicantur bona, proculdubio matris Virginis manibus tradita dispensantur.

Cantic. 6. *S. Ambros.*

Gratia B. Maria per mundum celebrata.

B. Maria thesaurorum Dei dispensatrix.

13. Igitur Iacob audiuit verba filiorum Laban calumniantium videlicet, & furti hominem arguentium. Quis quæso substantiam alterius apud se retinens, aut pertractans, etsi purus manibus, purus etiam calumniis, & liber à prauis aliorum suspicionibus poterit euadere? Iusto quidem titulo sua possidet Iacob, quæ proprio labore, atque industria, & diuina potiùs benedictione acquisiuit; at istis omnibus spoliatos se conqueruntur, & gemunt maledici, qui quæ in domo Laban Iacob iuste acquisierat, furta esse, & iniustitias, dolosque inclamant. En misera famulorum conditio! si quid habent, si quid emunt, vendunt, ostentant, licet ex proprio labore, licet ex debita sustentatione, habitúve detracta; licet ab aliis donata; licet aliunde aduentitia: quia tamen famuli seruiunt, auaritiam dominorum prouocant, à dominis latrones, & proditores habentur, & appellantur. Non enim facilè credimus hominem posse breui tempore fieri diuitem, quin rapinis & fraudibus ad eam fortunam peruenerit. Deinde periculum est, si ostententur opes: sic enim aut inuidiam conflant aliorum, aut cupiditatem prouocant auarorum, aut etiam latronum violentiam succendunt. Mala sibi hæc omnia Ezechias Rex accersiuit, cum seruos Regis Babylonij gratulantes sanitatem ex periculoso morbò restitutam excepit gloriabundus, quòd tanti Regis, quem totus pertimescebat orbis, muneribus, amicitia, & legatione dignus haberetur: illisque Rex incautus, & imprudens omnes thesauros suos, ac templi supellectilem ostentauit. quod *Isaia* 39. narratur, & ab eodem grauissimè reprehenditur. Fuit enim insignis occasio superbiæ, vt subnotauit S. Hieron. Quam (inquit) vt prudens, & Dei cultor vitare debuerat: nec monstrare alienigenis diuitias suas, quas Deo tribuente possederat. ita S. Hier. Quis enim, si sapiat, quæ ab alio acceperit, & quæ alterius, quàm sua, potiùs sint, tanquam propria venditabit? Prudentiùs aget, qui quæ possidet Deo accepta referat, Deóque pro acceptis dignas rependat gratias. Quod quidem si Rex Ezechias fecisset post inauditam victoriam, quam de Assyriis Angelorum virtute debellatis reportauit (*Isaia* 37.) non statim in morbū grauem, ac prope interitum decidisset. Etenim liberatus Diuino miraculo ab Assyriis non debitas egit benefactori, & liberatori Deo gratias. Tradunt enim (inquit S. Hieron.) Hebræi ideo ægrotasse Ezechiam, quoniam post inauditam victoriā Iudæorum, & Assyrij Regis interitum non cecinerit laudes Domino, quas cecinit Moyses Pharaone submerso, & Debbora interfecto Sysara, & Anna genito Samuele: vnde commonitum esse fragilitatis suæ. hæc Hier.

Periculum est in aliena bona tractare.

Misera famulorū conditio.

Famuli ob peculia laborant inuidia.

Nostra bona non sunt incaute ostentanda. Isaiæ 39.

D. Hieron.

Deo cuncta bona adscribenda.

Isaiæ 37.

D. Hieron. *Ingratus Deo dantur.*

14. Et quænam isthæc est hominum ingratorum impietas, vt quæ Dei sunt dona, & ab eo acceperint, non in eiusdem obsequium, sed in propriæ superbiæ, ac vanitatis ostentationem conuerterint? Iccirco (vt S. Cyrill. Alex. adnotauit) Ezechias animo magno elatus in superbiæ laqueos incidit. Quam ob causam in morbum incidit Rex Ezechias, & extremè periclitatus est. sic ille, *in cap. Isaia* 38. At Reges, & Principes nullum inter vitia tam frequenter impugnat, & expugnat, quàm superbia. Neque ita morbo humiliatus Rex Ezechias sibi temperauit à vana, & superba ostentatione suarum opum: quibus ostentatis in humanam (ait S. Cyrill.) iactantiam prolapsus est, nec suam gloriam ex his rebus, quibus est honoratus à Deo, sed ex regni opulentia æstimat, hincque dignitatis suæ potentiam metitur. sic ille. Verùm hæc ostentatio vana, & iactantiæ plena magis est periculosa, magisque proinde vitanda in opibus animæ, virtutibus nimirum, bonis operibus, ac meritis, quæ tandiu suum retinent pretium, quandiu abduntur, ac non propalantur. Benè S. Hier. ex hoc eodem loco Isaiæ colligit: non mittendas (inquit) margaritas ante porcos, nec dandum sanctum canibus: qui enim fidelis est, spiritu abscondit negotia, & quicunque hoc fecerit, omnis virtus illius eneruatur, & amisso virili robore in muliebrem redigitur mollitudinem. hæc Hier. Non est enim virilis animi, sed fracti, & muliebris in publicum efferre bona opera, & illorum ostentatione popularem captare gloriolam. Quorsum quæso illi duo Cherubini (vt legimus *Exod.* 25. & alibi) in arca positi vtrumque latus Propitiatorij, in quo dabantur Diuina oracula, tegebant velut operientes oraculum: nisi vt Deus summus hominum benefactor, & nihilominus tamen à Cherubinis tectus commoneret hominem. benè quidem faceret, sed nollet videri, suáque bona opera & virtutum merita ne in publicum darentur, obuelaret? Quamobrem vt præscriptum legimus, Num. 19. *Vas, quod non habuerit operculum, vel ligaturam desuper, immundū erit*: cuius loci mysterium à Rabbano sic euoluitur: Quasi vas sine operculo: vel ligatura polluitur, qui per studium ostentationis patens nullo taciturnitatis velamine operitur. ita Rabban. Polluit animam vanitatis vel puluis, vel etiam lutum, vbi quæ latebant intùs, bonarum virtutum gemmæ, foras in auram eductæ, atque expansæ in cœnum ipsius seculi delabuntur.

S. Cyr. Alex.

Periclitatur ingratus.

Regum superbia.

S. Cyrill.

Vana opum ostentatio.

D. Hieron.

Vana bonorum operum ostentatio.

Exod. 25.

Merita & virtutes occultanda.

Num. 19.

Rabb. *Vana gloria lutum bonorum operum.*

15. Profectò tam sapiens, & sanctus Propheta, quàm vir strenuus, & imperio (quod postmodum obtinuit) dignus extitit Dauid, qui ad singulare certamen cum gigante ineundum præberis aliquod suæ virtutis indicium dixit Sauli Regi: *Leonē & vrsum interfeci ego seruus tuus*. 1. Reg. 17. Vnum dixit, cum plures tamen interfecerit, vt constat ex illo: *Cum leonibus lusit, quasi cum agnis, & in vrsis similiter fecit*. Eccles. 47. O animum verè regium! Nec vnam à se peremptam dixisset bestiam, nedum tot, ac tam horribiles, nisi cogeretur habilem se ostendere ineundo certamini. Sed ô Deum amatorem humilium! Scribi voluit in omnem æternitatem plures ab humili, & suam occultante virtutem Dauid, & leones, & vrsos fuisse tam facili negotio strangulatos; ac si cum agnis rem egisse, nec certando, & laborando, sed veluti cum mansuetis, & innoxiis animalculis per iocum lusitando immanes illas belluas obtruncasse videretur. Verùm & illud mihi admirabilius videtur in Moyse: *Ignorabat scilicet, quod cornuta esset facies sua*. Exod. 34. Irradiabat quidem Moysis facies Diuino quodam splendore: mirabatur populus

Modestia & humilitas Dauid occultantis sua facinora.

1. Reg. 17.

Eccles. 47.

Deus manifestat facinora Dauid.

Exod. 34. *Mira humilitas Moysis.*

pulus insolitum contuitus fulgorem: at qui lucebat instar solis seipsum oon videbat, suam nesciebat lucem. Dein vbi admirabundam vidit turbam, & causam resciuit: vir modestissimus velamine faciem operuit, vt Diuinum splendorem occultaret. *Vana iactantia pusilorũ.* At pusillo homines animo norunt, æstimant, videri volunt, inflatis (quod turpius est) buccis prædicant si qua dona vel habent, vel habere se arbitrantur: doléntque miseri si fortè illa nesciri, non videri, non prædicari videant. Splendentem hominibus faciem occultabat Moyses, detectâ verò illa Deum alloquebatur: cum Deo siquidem, à *Exitialis virtutum ostentatio.* quo nostra bona opera, merita, donáque procedunt, & conseruantur, nullum est periculum: totum illud ab hominibus infertur, quorum oculi, ac linguæ congestas in anima diuitias, & humilitate custoditas cum ad inanem ostentationem prodierunt, deprædantur. Huius imprudentiæ typus extitit illa incauta, & imprudens regiarum opum Ezechiæ ostentatio, quæ (vt loquitur S.Cyrillus) illexit oculos Babyloniorum. *S.Cyrill.* sic ille, *indicato loco.* Imò & manus armauit, & cupiditatem accendit barbarorum, qui non multo post rerum omnium potiti sunt, vt statim prædicit Isaias.

16. Denique sustinuit Iacob calumnias cognatorum, maximè faciem Laban tetriorem, ac ferociorem solito. *Vultus prodit animæ passionem.* Nec enim latere diu potest intus in animo grauis aliqua passio, & priora, certioráque latentis in corde, vel amoris, vel odij signa produntur in vultu. Fieri enim haud solet, haud potest, vti mare introrsum ventis, & fluctibus concitatum in littora non efferuescat, non expumet. Quanquam & illud in mari, quod quotidie cernitur, impatientiam hominis vsque adeo pertinacem, nec demum quiescentem miro modo coarguit, & confundit. *Mare iram hominis confundit.* Enimuero nulla est maris concitati, & efferuescentis tanta vis, quæ ad molliusculam littoris arenam non frangatur, non quiescat. Quod S.Zeno Veronensis eleganter ita describit: *S.Zeno.* Et mare ventis lacessitum cum irascitur, quamuis reciproca vicissitudine, nunc pulsantibus cælum, nunc requirentibus terram, æstuantibus vndique vitreis armatum montibus, violentis vndarum sæuientium cumulis, toto corpore insaniat: tamen extremorum pallido ex recursu voluminum, quasi ius terræ non cognoscens, ac violare deuitans, *Maris patientia.* mira patientia in se frangitur, iisdémque fluctibus, quibus cogitur, refrænatur. hæc ille, *serm. de patient. in tom. 2 biblioth.* En mare in se furiosum armatur aduersus tellurem, in illam fluctibus concitatur, & irruit: at vbi eandem attingit, veluti mitescens bestia, & facti pœnitens, furorísque sui pudens, ac pigens in suas iterùm cauernas citato cursu resorbetur. Solus homo (adiungit Zeno) præceps, solus impatiens, miserum se putat, si ipse sit, nec intelligit dementiæ esse consimilem in statu suo manere. *Impatientia hominis irati.* Impatientia enim quid est, nisi mens lubrica permotionibus crebris, & rapidis se semper expugnans: animus infidelis etiam sibi, actus improuidus, instabilis, cæcus, incautus, inconstans; totus concitans in ruinam, res sine substantia, negotium sine persona? sic idem. *Cupiditas ius omne proculcat.* Hæc fuit impatientia, & cæcus furor illius familiæ, quæ tota sese armauit aduersus innocentem, & iustum Iacob: nec tamen istius mansuetudo, & æquitas mitigare potuit filiorum, & patris Labani furorem, nec istius vultum temperauit, nec illorum linguas exarmauit. Cæcus enim amor habendi, & cupiditas hominum insaturabilis ius omne tam Diuinum, quàm humanum proculcabat: non socerum se Laban, non illius filij cognatos se Iacobo exhibebant, sed prorsus hostes, prædones, sicarios.

Ben. Fernand. in Genes. tom. 2.

17. *Auari Deum non curant.* Deum nescit, Deum non curat, si nouit, auarus, qui se totum pecuniæ tanquam Deo immolauit. Non est falsum conuitium. Dixit enim Ephraim: *Veruntamen diues effectus sum: inueni idolum mihi.* Oseæ 12 *Veruntamen* emphaticè dicitur: *Oseæ 12.* Lusitanè dicam *Húa por Hihúa.* Diues ergo iam sum, quod vnum intererat, siue per fas, siue per nefas. Sensum hunc S.Hieron. reddit. *D. Hieron.* Non refert (inquiens) vnde possideam, dummodo possideam. Hoc morbo laborant plurimi, de quibus scriptum est: *Diuitiæ congregatæ iniquè euomentur.* Iob. 20. *Iob 20.* *Redemptio* enim *animæ viri, propriæ diuitiæ.* Prou. 13. *Prouerb. 13.* ita S.Hieronym. Legimus in vulgata: *Redemptio animæ viri diuitiæ sua.* Nimirum adeo securus viuit, *Armatus viuit diues.* sic aduersum omnia, quæ nocere possint homini, munitus, & armatus est diues, vt vitam suam quocunque malo impugnatam redimere, ac liberare possit diuitiarum suarum præsidio. Vtinam & diues animam à peccatis, & ab æterna morte, vt potest, sic velit redimere, vel saltem superflua de suis opibus Christiana pietate distribuens pauperibus, efficiés subinde sibi amicos de mammona iniquitatis, à quo tandem recipiatur in æterna tabernacula. *Luc.* 16. *Luc. 16.* Appositè in hunc sensum adiungit Ephraim diues apud Oseam: *Oseæ 12.* *Omnes labores mei non inuenient mihi iniquitatem, quam peccaui.* Sensus est, vt explicat S.Hieron. *D.Hieron.* Quicquid peccauero, si habuero diuitias, ab his, qui meo indigent auxilio, mihi non poterit imputari, secundum quod scriptum est: *Et qui iniqua gerit, benedicitur.* Psalm. 9. *Psalm. 9.* diuitum enim amici multi. sic Hieronym. *Nemo contra diuitem quid audet.* Etiam aduersus linguas maledicorum armatus viuit, qui diues est. Enimuerò quis audeat aduersus diuitem mutire? Pugnant pro diuite omnes, imò & lapides ipsi contra maledicentem diuiti consurgent; circundat diuitem turba famelicorum, qui nihil non moliuntur modo panem promereantur, & accipiant: plurima etiam sequitur adulatorum eluuies, *Adulantur diuiti etiam ad peccata.* non arguunt peccantem, sed benedicunt, extollunt, licere dicunt quicquid libeat, nobili, graui, prudenti, diuiti viro. Sic misero malè diuitiæ suffragantur ad interitum, dum adulatores diuitum peccata blandiendo, & laudando fouent.

18. *David ab auaritia alienus.* Rex erat David, etsi diues opibus regiis, animo tamen, & affectu pauper, támque alienus ab auaritia, vt ob hanc vnam causam speret introire in potentias Domini, vtique in beatitudinem sempiternam, in qua infinitæ quodammodo videntur omnipotentiæ Dei, qui quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, suis seruis, & amicis ad præmium, & gloriam præparauit. Audi Prophetam, *Quoniam non cognoui literaturã: introibo in potentias Domini.* Psalm. 70. *Psalm. 70.* *Literaturam* Symmachus, & recentiores Hebræi legunt: *Numeros.* S.Chrysost. Arnob. August. & plerique alij, *negotiationem.* Erat igitur Propheta penè imperitus *David à negotiatione alienus.* circa negotia huius seculi, quæ negotiatorum in numerando, rationibúsque subducendis scientia, & dexteritas solet laudari, ab illo verè regio, ad arma nato, imò (quod præstabilius est) sancto, & Diuinis rebus intento procul esse videbatur. Vacuus (inquit) curis, & occupationibus secularibus, *David imperitus numerorum.* quæ mentem à Diuinorum contemplatione abducunt, viuo etsi positus in regali solio, nec quid nummi valeant noui. Fuerit id quidem meorum seruorum: at regem dedecet vel quantulacunque auaritiæ vmbra. Pudeat iam nunc virum nobilem, aut etiam Ecclesiasticum ita esse tam auari, quàm angusti, & abiecti animi, vt totius domus suæ, capsarum, & supellectilis, & ostiorum longos secum trahat clauium funes, subducat ad numerum quotidie quot è mensis poma, & frustula supersint,

Auaritia deprimit animam.

& (ô ignominiam!) quot oua pariant alites domesticæ. Profectò Dauid icciręo alienus est à numeris, à negotiatione, eo quod cum pecuniæ negotiis, & curis maximè periclitatur, quæ sola necessaria est, æternæ salutis cura, & negotiatio. *Dissolue* igitur (ô quisquis auarus es) *colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes.* Isaiæ 58. Legit sanctus Chrys. *Dissolue obligationes violentarũ cautionum.* fœnoris videlicet, ac vsurarum literas ita appellat. sic ille. *homil. 57. in Matth.* Nimirum vbi diuitiarum cupiditas, ibi iniquitas, ibi fœnora, vsuræ, latrocinia, ibi peccatorum onera, quibus animæ diuitum, & auarorum depressæ in barathrum vsque detruduntur. At nihilominus gloriatur auarus: *Inueni dolum mihi.* Oseæ 12. Sed audi miser quid inuenisti: *Auen* Hebr. quod non profit (inquit S. Hieron.) possidenti casso labore sudauit. Sicut autem gulosi, & luxuriosi venter est Deus; ita & auarus adorat auri idolum: & dicit in corde suo: Inueni quod quærebam. Sed audiet: *Stulte hac nocte rapietur anima tua à te: quæ autem praparasti, cuius erunt?* Luc. 12. hæc S. Hieron. *in Oseam.* Mittamus tandem de auaro Laban, & infido, & inhumano loqui. Dolendum est, quod oculos eius (adiungit S. Hieron.) diuitiarum non dicam fulgor, sed cæcitas occuparit. sic ille.

Isaiæ 58. S. Chrysost. — *Auaritia mater iniquitatum.* — *Auarus pecuniam adorat.* — Oseæ 12. D. Hieron. — Lucæ 12. — *Cæcitas diuitum.*

SECTIO II.

Misit, & vocauit Rachel & Liam in agrum, vbi pascebat greges, dixítque eis: Video faciem patris vestri quòd non sit erga me sicut heri & nudiustertius: Deus autem patris mei fuit mecum.

1. ARmatur Laban cum filiis aduersus vnum Iacobum: at quem virum? vtique modestum, fidelem, iustum, ac toti familiæ, substantiæque Labani valde vtilem. Pascebat ille suos, & soceri greges: vtrique sub illo mirum in modum accreuerant. At (quæ hominum est insatiabilis cupiditas) sua cuique non satis placebant: sua quemque non satiabant: nec in diuite iam, & opulenta domo inter propinquos iure omni coniunctos concordia stare diu potuit. Nimirum cum opibus accrescit pariter cupiditas; à qua lites, odia, bella oriuntur. Hinc videas in paupere familia potius, quàm in diuite animorum concordiam, pacémque vigere. Profectò vt miraculum ad maiorem sanctissimi Iob laudem narratur: *Et erat vir ille magnus inter omnes orientales: & ibant filij eius, & faciebant conuiuia per domos, & vocabãt sorores vt comederent & biberent cum eis.* Iob 1. Insignis quidem concordia, fraternique amoris documentũ pariter & monumentum. Non enim ad luxum, sed ad charitatem dirigebantur quotidiana hæc conuiuia, vt optimè ostendit noster Pineda. Quin & ipsius conuiuij ratio secum affert solenne quoddam ab antiquis mortalibus institutum maximè ad confirmandam & augendam charitatem animorum, & communis vitæ societatem, quod vel ex illo Ciceronis loco humaniores literæ concelebrant. sic habet: Bene maiores nostri accubationem epularum, quòd amicorum, & vitæ coniunctionem haberet, conuiuium nominarunt. sic ille, *de senect.* Honestis igitur, & quotidianis conuiuiis filij Iob fraternam concordiam, vnitatémque fouebant: quod in ipsorum, & patris egregiam commendationem cedit: tam sanctè videlicet esse à patre institutos, vt quam à patre filij disciplinam fraternæ beneuolentiæ accepissent, obseruarent perpetuò, & augerent.

Cupiditas insatiabilis cum opibus crescit. — *Cupiditas odiorũ fons.* — *Maior in paupere, quã in diuite domo concordia.* — Iob 1. — *Conuiuiũ pro concordia institutum.* — Tull. de senect. — *Bona filiorũ institutio.*

2. Atque, vt ea fraternæ concordiæ commendatior laus haberetur, præmissum paulò ante fuerat Iobi diuitias ingentes, opulentiam magnam, familiam sumptuosissimam extitisse: quod etiam patris institutionem reddit multò laudabiliorem. Vtrumque optimè considerat Addon Abbas Cluniacens. ita exclamans: O inæstimabilem paternæ institutionis laudem! & pater diues dicitur, & filij concordes. sic ille, *in 1. cap. Iob.* Enimuero diues, etsi pater sit, hoc vnum curat, vt opes augeat: totúsque nummo deditus nec filiorum, imò nec sui, Deique vllam habet curam. Eaque diuitis infelicitas est, vt diues & peccator idem iam nunc esse habeatur, ac nominetur: quod regius Vates exprimere videtur, cum ait: *Facies peccatorum sumitis.* Psalm. 81. Sed quinam isti peccatores, quorum acceptio est apud iniquos, & auaros iudices? haud dubiè ipsimet sunt diuites, quorum causa nonquam mala est, nisi sub bono iudice: ac semper bona est sub malo iudice: adiungit enim Propheta: *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Igitur peccatores & diuites iidem dicuntur, qui pauperculos vexant, & opprimunt, trahúntque ad iudicia, & contra misellos facilè, quam cupiunt, à sceleratis iudicibus emercantur sententiam. Pronum est enim (scribit S. Ambros.) genus hominum facere honoratioribus, ne læsos se putent, ne victi doleant. sic ille, *lib. 2. offic. cap. 24.* Commendat itaque Dominus, imò strictè mandat iudicibus: *Eripite pauperem & liberate de manu peccatoris*, hoc est (vt appositè interpretatur noster Pineda) *ditioris, atque potentioris.* Cum superbæ opes non superbiæ solum, sed libidini, cæterisque vitiis materiam & facultatem præbeant: Iobo tamen omnium virtutum pabulum, atque nutrimentum extiterunt. sic ille, *in locum Iob citatum.* Quòd si diues quis est, simúlque inhonestus (vti hæc duo frequenter copulantur) quid quæso ab illo pium, bonum, atque ad cælum pertinens sperari deinum potest? Proiectus vtique ad ventrem, escam, & lutum saginæ pariter, ac macello natus in altum oculos, & os non attollit porcus. O quam multis in facie humana, in mente rationis compote fœdum & porcinum ingenium inuenitur: quibus vtique anima pro sale data fuisse videtur, ne putrescerent! Quanto ergo feliciores forent, si cum paupertate bonorum temporalium, virtutum, ac bonorum cœlestium affluentiam possiderent? Icciręo regius Vates huiusmodi terræ filiis bene imprecatur: *In chamo, & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Psalm. 31. Sunt quidem velut pigri equi, vix pedem mouent: stare potiùs, aut iacere, quàm progredi, nedum currere, parati videantur. Tota quippe multis dormitur vita: nullum virtutis studium, nulla incedendi, nedum currendi ad cœlestem patriam cura. Equi sunt & muli, quibus non est intellectus: vt ibidem dicitur. Hos igitur, qui tam procul à Deo dissiti viuunt, aut potiùs volutantur in terra, vt ad Deum tandem procurrant, optat regius Vates, ac precatur, velit Dominus inhibere fræno & chamo constrictos. Sed quid hoc est, quod ais, rex prudentissime, post vitam in præliis non exercitam modò, sed etiam consumptam? Qui tardigradi sunt, qui non incitantur ad cursum, fræno & chamo sunt constringendi? An non calcaribus incitatur equus, fræno cohibetur à cursu? Dic potius: Stimula ô Domine, vulnera, etiam cruentato calcaribus huiusmodi pigros, qui non approximant ad te. Sed prudentissimus rex fræno dicit

Miraculũ est diuites bene institutos esse filios. — Addon Abb. — *Diues soli pecuniæ studet.* — *Diues & peccator idem.* — Psalm. 81. — *Diues emit in iudicijs quicquid libet.* — S. Ambros. — *Liberandus à tyrannide diuitis pauper.* — Pineda. — *Diuitiæ pabulum vitiorum.* — *Multis vita porcina.* — Psalm. 31. — *Impedit affluentia bonorum temporalium animam ne ad Deũ currat.*

dicit egere vt promoueantur. Enimuero ſcit optime tardos & pigros homines ideò ad Deum non approximare, non procurrere, quia videlicet plurimo terræ fœno inhæreant. Non incedunt, quia pabulo detinentur: bene paſti equites ſaginam curant, non iter. Quid ergo conſilij? ne comedant, ne pabuli teneantur illicio, frænum, & chamum vel iouiti accipiant, quò præpediti à paſtu, ad capeſſendum iter, imò & alacriter inuolandum concitentur. Tenent hominem etſi natum cælo terreſtria bona, honores, opes, deliciæ: pabulo ſunt pigris animantibus. His igitur frænum, chamúſque inditur, vt deſpecti, humiliati, pauperes, afflicti dolentéſque non de terra, ſed de cælo cogitent: non compedes ſentiant, quibus teneantur conſtricti; ſed ipſarum calamitatum velut acutiſſimis calcaribus ſtimulati, compunctique virtutum capeſſant iter, cælóque tantum intenti ad Deum velociſſimè rapiantur. Deſpectus enim (inquit S. Gregor. ad hunc eundem Pſalmi verſum) in hoc mundo, tantò celeriùs trahitur ad Deum, quantò nihil habet in ſeculo, vbi delectetur. Orat igitur fidelis anima, vt lubricos peccantium curſus mundana aduerſitate virtus Diuina coërceat: quatenus erroris ſui deſideria ſequi non valeant: & hoc modo ad ſe reuerſi, ſaltem ex difficultate, & impotentia peccandi reſipiſcant. ita S. Gregor. Non eſt igitur Prophetæ maligna imprecatio, ſed bona piáque precatio exoptantis ac poſtulantis a Deo, vti filij huius ſeculi, bonorum terreſtrium atque illecebrarum ineſcati pabulo, tandem cohibeantur a prauo iſto affectu, & rerum difficultatibus, atque malorum incurrentium aduerſitatibus ſtimulati ad virtutis amorem, Deique obſequium tam felici, quàm celeri curſu rapiantur.

S. Gregor.

Tribulatio ad Deũ vrget compellit.

3. *Miſit, & vocauit.*] Miſſo videlicet nuncio accerſiuit in agrum, vbi paſtor agebat, vxores. Rachelem prius nominat Moyſes, vtpote primariam, & voluntarie ſine fraude, acceptam. Quòd verò alibi præponatur Lia, ideò fit, quia filiorum eius turma priori loco in narratione ſtatuenda erit, vti legitur *cap.* 33. Accerſitæ in agrum ambæ ad virum veniunt, vbi ſine arbitris mentem ille ſuam vtrique aperiat. Ac primò quidẽ Iacob Labani animum prorſus immutatum, faciem ſubtriſtem, pallorem inuidiæ, atque exinde natum iracundiæ ſupercilium ſibi iam pridem notum quotidie magis increſcere dicit: *Video faciem Patris veſtri, quod non ſit erga me ſicut heri & nudiuſtertius.* Vbi enim mea accreuit ſubſtantia, dolor ſocerum oppreſſit, inuidia miſerum tabefecit. Cuius in animo latentis mali prima & potiſſima in vultu ſigna monſtrantur. Et quidem animo inuido (vt S. Baſil. animaduertit) nunquam triſtitia, nunquam mœſtitia deeſt. Eſt enim inuidia dolor de proximi proſperitate, ac rerũ ſucceſſu conceptus. ſic ille *homil. de inuidia.* Profectò inter morbos animi nullus aut pernicioſior, aut deteſtabilior inuenitur, ac deplorari poteſt. Eſt quidem inuidia (vt loquitur idem Baſil.) interitus vitæ, peſtis naturæ, aduerſa omnibus bonis ex Deo venientibus; demum ipſi Deo contraria. ſic ille. Cætera vitia, etſi praua, fœdáque, atque homine indigna ſint, aliqualem tamen vel tenuem boni & commodi vmbram præ ſe ferunt, cuius fucata ſpecie hominem detinere ac decipere conſueſcunt: at inuidia nec vllam ſpeciem, vmbrámque habet, qua oblectet ac decipiat: vtique (vt vocatur ab eodem Baſil.) pugnæ in Deum magiſtra, homicidij mater, naturæ confuſio, calamitas abſurdiſſima. hæc Baſil. *homil. citata.* Nam quæ maior hominis confuſio, & impudentia, quàm vt alterius bono quis doleat: quod alter rideat, ipſe lugeat: mori ſe reputet, quod alter viuat? Quid verò tam calamitoſum, tamque abſurdum, quam vt ſibi miſer dolorem acceriat, mortem conſciſcat, non ab alio quam a ſeipſo, ne proſperum alium videat, diuitem, lætum, honoratum, impulſus? Quid miſer homo (exclamat idem Baſil.) angeris, nihil mali paſſus? quid cum eo contendis, aut quid eum petis in bonis quibuſdam exiſtentem, qui de tuo nihil detrahit, aut minuit? ſic ille. Quid etiam æque deteſtandum, quam vt inuido vnum illud ſit ſolatium, morbique ſui vnum leuamentũ, quòd alter ægrotet, ac defleat? Vnam quippe (adiungit idem) tantùm mali requiem expectat, ſi quando cui inuideat, ruentem fortè aſpiciat. Hic finis odij, ſi miſerum ex beato, infelicem ex æmulo videat. Tunc demum amicus ei efficitur, quando lacrymantem viderit, libentiúſque lugentem miſeratur & plorat, quam gaudenti collætetur aut applaudat. hæc ille. Quid quæſo magis inhumanum & barbarum, ac ferinum eſſe poteſt? non quieſcit, non lætatur inuidus, niſi vbi viderit æmulum turbari & lamentari. Vnum inuido & grauiſſimum tormentum eſt, ſi lætum, ſi ridentem, ſi quietum videat cui inuidet. Qui etiam faciliùs ad commiſerationem commouebitur, cum alius affligitur, ac mœret: quam ridenti corrideat, & honorato gratuletur. Iſthæc in animo latet morbi vis, ſed foras etiam erumpit. Nam (adiungit idem Baſil.) & ipſo fatentur ore hoc vitium inuidi. Aſpectus illis eſt aridus, & obſcurus, gena ſubtriſtis, ſupercilium demiſſum, anima ipſo morbo ſuffuſa, prudentiam in dignoſcenda veritate, ac rebus agendis minimè habens. hæc ille. Vide obſecro quàm vile, quam turpe, quàm infame, quam indignum homine vitium ſit inuidia, vt eam ſaltem ob illius turpitudinem procul à te repellas, ac deteſteris.

Prima inuidiæ ſigna in vultu dantur.

Inuidia grauiſſimus animæ morbus. S. Baſil.

S. Baſil.

Nulla ſpecies boni eſt inuidiæ.

Inuidia malum impudẽs.

Inuidus ſeipſum permit. S. Baſil.

Inuidia cr... deleat. S. Baſil.

Inuidi fera... in vultu. S. Baſil.

Infamis inuidia.

4. *Deus autem Patris mei fuit mecum.*] Scilicet meam augendo ſubſtantiam contra dolos & iniuſtitias ſoceri: méque à calumniis, fraudibus, odiis, & violentiis domeſticorum hoſtium defendendo. Non eſt igitur, quòd iuſtus hominem quantumuis inimicum, iniquum, potentem, ac ferocem timeat, cum Dei ſui præſidio fulciatur. Quod Iſaias ad populum Domini externos timentem hoſtes ita oſtendit: *Non dicatis, Coniuratio: & timorem eius ne timeatis, neque paueatis. Dominus ipſe pauor veſter, & ipſe terror veſter. Et erit vobis in ſanctificationem.* hæc Iſai. *cap.* 8. Solus enim timendus eſt, qui poteſt & corpus occidere, & animam perdere. Quòd ſi adhuc præ humana imbecillitate hominum, ac dæmonum inſidias, minas, ac terriculamenta metuimus: *erit nobis Dominus in ſanctificationem*: vertunt alij: *In aſylum.* Nam hic ſanctificatio ponitur pro ſanctuario, vt etiam vertitur: at delinquentes in templa confugiunt, ibique ſecuri ab omni violentia quieſcunt. Vertit etiam Pagninus, & in Biblia trilingui ſic habetur; *Palatium.* Eſt enim Regis palatium quodammodò ſacrum, in quo nulla vis, nulla fraus eſſe debet, ſed cunctis eſt aſylum. Sic Ieroboam Regis palatium, ac regiã Vrbem vocauerunt illius ſerui ſanctificationem, cum Prophetã Amos ibidem prædicare vetuerũt: *In Bethel non adiicies vltra vt propheties; quia ſanctificatio Regis, & domus regni eſt.* Amos cap. 7. Itaque Dominus refugium noſtrum & virtus: ad illum vel à vitiis ac dæmonibus impugnati, vel ab incommodis, ærumniſque vitæ diuexati, vel ab hoſtibus & inuidis afflicti, & laceſſiti confugimus: ac ſub illius vmbra, & alis, & præſidio tecti & ſecuri conquieſcimus. Nobis ille palatium eſt, & nobis regia ciuitas: etſi à mundo male affecti, ipſe

Dei auxilium mire defendit.

Iſaiæ 8.

Deus iuſtis aſylum.

Amos 7.

In Deo noſtri fortitudo.

tique, ac velut peripsemata inter homines habeantur iusti: at longè felicissimi; quippe ad Deum transfugerunt, in Deo vt in sinu ac portu tranquillissimo tuti consistunt. Denique honorem & gloriam adepti, Palatium summi Regis introgressi, & in album magnorum apud Deum principum relati, Diuinorum stemmatum, ac titulorum insignibus perfruuntur ornamentis. O felicem Iacobum, quia spretus, afflictúsque à Labano, & à filiis malè affectus in Deo suo requiem, honorem, ac de pastoris & pecuarij humillimo apud Labanum seruitio, supremam cum Deo cœlestis principatus inuenit felicitatem!

Gloriosum est seruire Deo.

5. Nunquam planè cum Deo aut vtilitatis, aut honoris quisquam hominum fecit iacturam. Si pauper pro Christo efficitur, verè dioes euadit: si pro Christo contemptus; summè gloriosus à Deo & ab Angelis reputatur. En Laban, & filij conuiciis, dolis, iniustitiis afficiunt & affligunt Iacobum: at *Deus* (inquit ille) *Patris mei fuit mecum.* Quid, quæso, aut vtilius homini, aut gloriosius? Contra verò licet impius diuitiis abundet, & honoribus emineat, verè miserrimus, ac despicatissimus est. *Multa* siquidem (ait Vates regius) *flagella peccatoris.* Psal. 31. Vbi est hæc tam egregia commentatio S. Gregor. Si cui ad iniquitatis suæ cumulum peccanti contigerit exteriùs proficere, hoc ipsum est Diuinæ animaduersionis flagella tolerare: quia modò in conspectu Dei eo ipso interiùs deiicitur, quòd falsa gloria in conspectu hominũ exteriùs eleuatur. Et illi sua in pœnam vertitur culpa: quia hoc ipsum fuit verè intus cadere, qood foras ostenditur profecisse. hæc S Gregor. *ad Psal. 31.* Quapropter nulla maior in vita potest huiusmodi filius seculi, quos cæcum vulgus vocat felices, laudátque in turpissimis, quibus liberè fruuntur, voluptatibus, infelicitas aduenire, quàm vt nullo pœnarum & incommodorum fræno cohibiti vitam in carne, & in vanitate deliciosam pariter ducant, & gloriosam. Nihil est enim felicitate peccantium infelicius. Verè igitur felix haberi debet Rex Dauid, non cum tot per menses aliena vxore impunè ac liberè potitur; sed cum à Deo castigatus, à regia ipsa vrbe, filio persequente abiectus, in exilio, in squalore, in doloribus miserandam traduxit vitam. Proh quantum flagellis profecit, quem deliciæ, atque peccandi libertas à recto virtutis, & honoris studio, & ab ipsius Dei gratia procul expulerunt! En loget Dauid (inquit S. Saluianus) purpura exuitur, diademate exhonoratur: cultu, & corde mutatur. Totum Regem cum ornatibus suis abiicit: pœnitentem cum patrocinio ambitiosi squaloris assumit. hæc ille, *lib. 2. de iud. & prouid.*

Cum Deo nulla nobis iactura.

Psalm. 31.
S. Gregor.
Infelix & exitialis felicitas in mundo.
Felix calamitas cum pœnitentia.
S. Saluian.

6. Sed quænam isthæc tam in spótaneis, quàm in grauibus diuinitus inflictis suppliciis Regi felicitas fuit? Et tamen (adiungit Saluian.) Rex tanti nominis, sanctitate maior, quàm potestate, prærogatiuis meritorum antecedentium supereminens, cum tanto habitu supplicet, non euadit. Et hic tantus, tam grandis fructus pœnitentiæ est, quod æternis quidem piaculis non addicitur: sed in præsenti tamen veniam non meretur. hæc Saluian. Etsi enim Rex pœnitens veniam culparum à Deo impetrarit, non proinde tamen illarum pœnas in hac vita effugit; misericorditer Domino ita disponente; vt castigatus in præsenti non puniretur in æternum. Prosperatur cum filiis in terra Laban, iustum opprimit, vexat, spoliat Iacobum: at ille miser cum suis in gehennam reseruatur comburendus. Gaudeat igitur iustus, & glorietur cum Iacobo in suis tribulationibus: *Deus* enim (inquit) *fuit mecum.* adest quidem suis seruis Dominus, vt laborantes videat, vt deprecantes audiat. *Ecce oculi Domini super timentes eum, vt eripiat eos.* Psalm. 32. Felices planè, qui Diuinitatis inspectionem merentur; quibus protegendis & conseruandis tota inuigilat Dei prouidentia! Aspectus enim (declarat S. Saluian.) Diuinitatis propitiæ munus est conseruationis humanæ. sic ille. Sed quid de precibus iustorum? *Oculi Domini* (ait Propheta) *super iustos, & aures eius in preces eorum.* Psal. 33. In oculis (adiungit idem Saluian.) affectus aspicientis ostenditur, in auribus semper exaudientis largitas demonstratur. sic ille, *lib. 2. de iud. & prouid.* O hominem quàm felicissimũ, cui præsto sunt semper & oculi, & aures Dei: affectus, & largitas! Intuetur laborantem: exaudit clamantem: intuendo commiseretur, audiendo accurrit, & postulata magnificè largitur, & pius Pater, & magnificus Dominus; imò & æqualem cum pietate magnificentiam patris exhibet.

Dauidis pœnitentia felix.
S. Saluian.
Gloriandum in tribulatione.
Psalm. 32.
Fauet afflictis Deus.
S. Saluian.
Psalm. 33.

7. Meritò Iacob, *Deus* (inquit *patris mei fuit mecum.* Semper adest, & suis seruis velut addictã suam habet prouidentiam: liceat ita loqui, cum hoc idem apponat S. Saluian. sic effatus: Quamuis per id quod dicit Diuinas aures in precibus semper esse iustorum, non audientia tantùm Dei, sed quædam quasi obedientia Dei designetur. Quomodo enim in precibus iustorum Diuinæ aures sunt: nisi vt semper audiant, semper exaudiant, vt promptè tribuant, vt illico exaudita concedant? hæc ille. Quàm læti ergo, quàm securi agere debent iusti, licet à mundo malè habeantur, & affligantur? Semper ergo (colligit Saluian.) ad audiendas Sanctorum preces paratæ Domini aures, semper attentæ sunt. sic ille. Quòd si tam pia, tam studiosa, tam diligens ad nostra commoda Dei semper intenta est prouidentia, quid à nobis deinde tam mira, tam paterna Dei nostri beneuolentia exposcit? Bene subinfert ad hunc locum S. Hieron. Quia Deus & audit & videt nos; propterea nos faciamus voluntatem illius. sic Hier. Oculos illi demus, vt nec amare, ne videre quidem contra illum quicquam velimus: aures illi demus, vt illius mandata & libenter auscultemus, & alacriter sanctéque impleamus. Pulchrè idem Saluianus exclamat: Quàm beati essemus omnes, si quàm promptam erga nos Dei audientiam legimus, tam promptè ipsi Deum audire vellemus. hæc ille indicato loco. Prouidentia Diuina oculos suos in bonum hominis habet intentos: at inobedientia humana suos à Deo auertit oculos, ne Deo iubenti pareat; ne Deum vbique præsentem reuereatur: sic enim viuit, sic impudenter peccat, ac si latenter id agat; ac si nullos suorum scelerum testes habeat & conscios. Dicat igitur vnusquisque hoc ipsum, quod Iacob dicit: Deus semper mecum est, in conspectu illius viuo; oculi Domini super me sunt: omnia illius oculis nuda & aperta: ipsius prouidentia & vigilantia, etsi ad puniendum dissimulatrix sit, ad videndum esse non potest. Intuetur profunda, etiam abyssos perscrutatur: at nihilominus in oculis Domini & Angelorum in nos, nostrásque actiones defixis: nos tamen cæci ac sine sensu viuimus. Quòd si ita omnium (clamat S. Bern.) oculi in nos: nostri quò abierunt? aut quare soli ipsi recesserunt à nobis? à dextris siquidem, & à sinistris tanto studio circumspecti, soli dissimulamus intueri, nec verentes deceptorios, nec administratorios saltem spiritus reuerentes. hæc S. Bern. *serm. 31. de paruis.* Positus quidem est vnusquisque nostrũ velut in medio quodam theatro, in quem vnum hominem

Mira Dei prouidentia erga iustos.
S. Saluian.
S. Saluian.
Promptum à nobis obsequium Dei prouidentia exigit.
D. Hieron.
S. Saluian.
Hominis erga Deum inobedientia.
Deo cuncta patescunt.
Cæcitas hominis erga seipsum.
S. Bernard.

Homo nullius spectrum oculis.

minem Dei, Angelorum, ac dæmonum intenduntur oculi: at homo, cùm tot contuentibus sit obiectus, cùm tanto consessui circunstantium & circunspectantium sit spectaculum: se tamen ipsum non intuetur, à suis recedit fugitque sensibus, sui prorsus immemor, & contemptor. O cæcitatem, ô dementiam, ô infelicitatem summè deplorandam!

8. In nihilum reciderunt doli, fraudésque Laban, & filiorum ad perniciem Iacob nihil mali non struentium. Quid enim illi noceat, cui Deus

S. Ambros.

præsto est? aut quid illi deesse queat (ait S. Ambros.) cui adest rerum omnium plenitudo? sic ille, *lib. 2. de Jacob, cap. 2.* Sed quænam est hæc rerum omnium plenitudo, nisi Deus? illam possidet, qui Deum sibi habet propitium, ac beneuolum. Mi-

D. Chrysost. *Mansuetudo, & patientia Iacob.*

ratur S. Chrysost. & quidem meritò, cùm Iacob magnam mansuetudinem, tum Laban, & filiorum ingratitudinem. *homil. 57 in Genes.* Enimuerò ille multis & grauibus iniuriis affectus nihil tamen socero ac filiis asperum, nihil virulentum retorsit. O egregiam hominis patientiam! Talis ea in Iacob semper extitit, qualem ita describit S.

S. Zeno. *Patientia commendatur.*

Zeno Veronens. Semper immobilis manet, alta quadam ac Diuina temperantia robuste librata, vniuersas promotiones animorum placida moderatione compescens: & vt omnia magnopere deuincat, se primò vincit. sic ille, *serm. de patiem.* Profectò arma confringet, armatos prosternet exercitus, vniuerso triumphabit de mundo, qui lacessitus iniuriis exulceratum compescit animum, iracundiam cohibet, & æquabilem retinet mentis constantiam. Nemo sibi de virtutibus blandiatur, si vna careat patientia. Mater quidem, magistra, custósque omnium virtutum est patientia.

S. Zeno.

Non enim (adiungit idem Zeno) virtutes possunt esse virtutes, nisi disciplinam quasi quædam solicita Mater patientia custodiret. sic ille. Quid quæso Martyres omnium Sanctorum in Ecclesia Dei efficit illustrissimos, nisi patientia, quam primus martyrum Abel in seipso demonstrauit?

S. Zeno.

Quare optimè apposuit idem Veronensis Episcopus: Abel ideò martyr, quia iustus: ideò iustus, quia patiens: à quo pati martyres didicerunt, patiendo libenter quod non merentur. hæc Zeno Veronensis.

S. Ambros. *Tormentum inuidorum de bonis alienis.*

9. Sed quis non succenseat aduersus inuidos & ingratos Labani filios? Ab iis (inquit S. Ambros.) vt opulentissimus in inuidiam vocabatur, qui suum gregem alieni gregis accessione cumulasset. sic ille, *lib. 2. de Jacob. cap. 2.* Norunt isti quidem suos greges, & vniuersam paternæ domus substantiam post Iacobi aduentum abunde accreuisse: sed suarum opum incrementa nihili æstimant, quandiu alterius hominis etsi cognati augmentum considerant. Sic etiam Aman honoribus ac diuitiis abundantissimus nihili sua omnia quantumuis magna & illustria æstimabat, quandiu videbat pariter aliquali vmbra honoris fruentem

Sua bona nihili æstimat inuidus, cùm bona videt aliena.

ad fores palatij Mardochæum. Sic enim infelix homo postquam amicis sua grandia bona narrando exposuit, adiecisse legitur: *Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quandiu videro Mardochæum Judæum sedentem ante fores regias.* Esther

Esther. 5.

cap. 5. Non patitur princeps palatij apud regem quòd vnus pauperculus ad fores regias assideat. Profectò libentiùs paterentur Labani filij suas minui facultates, quam alienam substantiam cum propriis eorundem opibus augescere intuerentur: ex bono siquidem alterius inuido nascitur dolor immedicabilis. Ardent quidem inuidi, Iacobum impugnant socer & filij: at iustus constanti animo

A patiētiam exhibet, virtutibus quàm opibus ditior. Est enim illa vera fidelium mater, iustorum nutrix, sanctorum magistra, Christianæ gentis decus & ornamentum. Idcirco dicitur: *Sicut turris David collum tuum.* Cant. 4. Bellè Carpathius Philo

Cantic. 4. Philo Carp. *Describitur patientia Christiana.*

per collum intelligit Christianam fidem capiti suo Christo vnitam, vt collum vnitur capiti. Sublimis est turris, quæ cælos, & Trinitatis diuinæ arcana penetrat: rectà in altum assurgit, quæ nulla vi hominum, dæmonúmque insi...dutus. Firma stat, & immobilis, contra quam nec portæ inferni præualent. Sed vide obsecro qualis hæc turris sit, non tam ad impugnandum, quàm ad propugnandum; non tam ad impetendum, quàm ad patiendum instructa est. Nulla in hac turri missilia tela, non

B tormenta lethiferum eiaculatura globum videntur. Scutis illa tantùm horrescit tota & munitur, vt ictus excipiat, ad patiendum, non ad bellandum, mille clypei pendent ex ea: omnis armatura fortium. Nec enim fortes in Christo alia ge-

Patientia Christianorū fortitudo.

stant arma, quàm scuta patientiæ, quibus aduersa omnia constanter excipiunt, ac sustinent: perferendo, non inferendo, vincunt, ac triumphant. Sed ô arcem vitiorum, diuitias! Antequam substantia Labani accresceret, cum adhuc pauperculum gregem soceri pasceret Iacob, concordia domi vigebat; nullus aduersus generum dolus, nulla fraus, iniuriæ, conuicia nulla. Creuerunt dein-

Diuitiæ malorum seminarium.

de greges, creuerunt opes, & cum opibus creuit pariter inuidia; & , quæ ex isto maledicto semine

C oriuntur fraudes, iniuriæ, conuicia, lites, odia, pullularunt. Quis ergo sapiens à diuitiis, hoc est, ab omnium malorum seminario, non sibi timeat?

Clem. Alex.

Perbellè Clem. Alex. Aurum (inquit) & argentum & priuatim & publicè est inuidiosa possessio, si vsum excesserit: rara ad acquirendum: difficilis ad custodiendum, & non apta ad vtendum. sic ille, 2. *pædagog. cap.* 3. Quidni valde inepta sit in vsu, cum quo abundantior est, eò maiorem habendi famem excitet: & inuidiam, lites, odiáque exsuscitet? Liber ab his omnibus humanæ vitæ, aut veriùs mundanæ vanitatis, calamitatibus ille perbeatam, vtique securam, transigit vitam, qui vel

Paupertas religiosa commendatur.

spiritu pauper mundum cum tota sua pompa irridet: vel saltem mediocritate sua contentus quàm

D longè à cupiditate, tam longè ab inuidia, & iniuriis viuit. Indigna sunt isthæc bona, quibus & affectandis, & congerendis nostri conatus, curæque ac studia impendantur: nec enim nostra sunt, vt de illorum possessione possimus meritò gloriari.

Clem. Alex.

Bene in hanc sententiam scribens consulit Clem. Alex. Sequere Deum nudus ab arrogantia, nudus a pompa momentanea, quod tuum est, quod bonum est, quod auferri non potest, in Deum fidem, beneficentiam in homines possidens: quod quidem est possessio pretiosissima. ita Clem. 2. *pædag. cap.* 3. Pulcher sanè vsus diuitiarum, si beneficen-

Pulcher diuitiarum vsus in pauperes.

tiam in pauperes efficiat: felix pecunia, pretiosa substantia, quæ non tam diuitem reddit hominem, quàm pium ac prudentem ipsarum in pau-

E peres dispensatorem. Solum ad huius Christianæ pietatis vsum à sapiente viro expeti possunt diuitiæ, quæ alioqui animo immortali sunt prorsus indignæ. Sapienter enim scripsit idem Clem. Alex.

Clem. Alex. *Diuitiarum contemptus.*

Veræ diuitiæ sunt paupertas cupiditatum: & vera animi magnitudo est, non propter diuitias sibi placere, & magnos spiritus sumere: sed eas despicere. sic ille, *loco citato.*

10. At quid tandem ad contemptum diuitiarum, & omnium bonorum, quæ pluris æstimantur in mundo, potuit efficacius doceri, quàm quòd

Deus homo pauper, pauperes habet.

Deus humanam assumens naturam, in extrema

pauper

paupertate, atque humilitate natus fuerit, vitam egerit, mortémque obierit? Sola in pretio apud Deum habentur cœlestia bona: nihili sunt, nihili æstimantur quæcunque in mundo bona censentur. Illa suis amicis largitur magnificè, ista vel hostibus suis & reprobis attribuit: illa, non hæc, vere diuitem faciunt, & exornant. An non Deus Matrem elegit humano quidem censu pauperem, at infinitis gratiis, donisque supra omne, quod Deus non est, diuitem & gloriosam? Non suæ Matri Deus homo diuitias terræ contulit, quas Turcis, Mauris, gentilibus, suis quidem hostibus ad infernum destinatis (tanquam ossa canibus proiecta) confert amplissimas. At veris animæ, cælique opibus, ac donis Matrem suam Virginem ita locupletauit, vt in illo quodammodo effusi & exhausti Diuinæ bonitatis & magnificentiæ thesauri esse videantur. Nec enim vlli creaturæ maius quidpiam & excellentios à Deo, quàm dignitas cum dotibus Matris Dei potest conferri. Vno verbo complexus omnia salutauit Angelus: *Aue gratia plena*. Et licet Zacharias, Elisabeth, Apostoli, Ioannes Baptista, Stephanus in sacris literis, pleni gratia & Spiritu sancto fuisse dicantur: in immensum tamen abundantior fuit plenitudo gratiarum in Virgine Dei Matre: vt quæ longè maiorem habuerit sinum, & (vt Theologi loquuntur) capacitatem ad recipiendam Dei gratiam. Enimuero vascula dicuntur plena, fons plenus, stagnum plenum, fluuius plenus, ac mare similiter plenum aqua dicitur. At multùm diuersæ plenitudines istæ sunt. Plena quidem sunt omnia, sed iuxta cuiusque mensuram & capacitatem; quæ non eadem omnibus est; ac proinde non eadem in cunctis est aquæ plenitudo. Ita planè cæteri, qui plenitudinem gratiæ accepisse, & Spiritu sancto repleti fuisse dicuntur, vti vascula, vel stagna, vel fluuij fuerunt pleni: at Virgo Dei Mater abyssus, Oceanus, mare vndique interminatum infinitis redundat gratiis. Sola Dei Mater ab Angelo & à fidelibus vocatur gratia plena: ita quidem plena, vt etiam (quod summum priuilegium in sola Virgine inter mortales fuit) nullo in momento suæ vitæ plena non extiterit. Vacui omnes ab omni gratia, videlicet filij iræ, hostes Dei, serui dæmonum, originali reatu infecti, primo nostræ conceptionis puncto apparemus.

Insidoles diuitiis plena.

B. Maria diuas thesaurorum Dei.

Lucæ 1.

Plenitudo gratiæ in B. Maria.

B. Maria gratiarum abyssus.
Lucæ 1.

11. At Virgo beatissima non priùs concepta, quàm sanctificata; non priùs vitam, quàm gratiam; non ante primum temporis in rerum natura momentum habuit, quàm cœlestium gratiarum plenitudinem. Aue igitur gratia plena, nunquam non plena, nunquam vacua; semper immaculata, semper sācta. Vtique aurora vti apparet, illico disparent tenebræ, nec auroram emicantem vlla offendit caligo. Nox quidem est humana conceptio, totum circumuoluitur genus humanum antelucana originalis peccati caligine: cæterum in eo (liceat ita loqui) crepusculo illuxit aurora, Virgo scilicet Mater Dei non tenebris infecta, sed pulcherrima & purissima Diuinæ gratiæ luce coruscans, omnem, ne vel tantulùm accederet, originalis culpæ obscuritatem fugauit. Optimè S. Bernardin. de Virginis Deiparæ gratia sic effatur. In prima sua sanctificatione Virgo beata progrediebatur *quasi aurora consurgens*. Cant. 6. quia fugauit tenebras horrendæ noctis originalis infectionis, & carnalis societatis humani generis. sic ille, *tom. 2. serm. 51. cap.* 4. Non intelligit sanctissimus Pater Virginem Matrem priùs fuisse originali nocte offusam, ac deinde adueniente sanctificatione, fugatis illis tenebris, irradiasse: sed conceptam, simúlque sanctificatam ab originali labe puram, & immunem: vti auroram à tenebris, quas secum exoriens haud patitur, liberam intuemur. Aue igitur gratia plena in conceptione, sicut aurora consorgens: plena, vbi vitam hausit, & quandiu duxit. In sua enim (adiungit idem) conuersatione facta est pulchra vt luna illius cœlestis Solis lumine plena. sic ille. Aue gratia plena etiam ante incarnationem Verbi. In tertia verò (concludit) sua perfectione propter incarnationem Filij Dei ad tantam lucem veritatis, & ardorem charitatis ascendit, quòd fuit electa vt sol; & tunc omnibus hostibus facta somme fuit *terribilis, vt castrorum acies ordinata*. Cantic. 4 hæc S. Bernard. Aue igitur ô Domina mundi, ô Mater Dei in ipsa incarnatione diuini Verbi non solùm vt antè plena, sed superplena gratiis: non emicans vt aurora, non irradians vt luna; sed vti sol immensa splendorum plenitudine cælum, terrámque illustras, & comples.

B. Maria concepta sine peccato originali.

S. Bernardin.

Cantic. 6.

Ad. ii. viet. na. S.B.

Cantic. S.Bern.

SECTIO III.

Et ipsæ nostis quòd totis viribus meis seruierim patri vestro. Sed & pater vester circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus: & tamen non dimisit eum Deus vt noceret mihi. &c. vsque ad *tibi Laban.*

1. EXponit vxoribus Iacob sui consilij rationem, abeundi scilicet à Labani consortio, & in Chanaan ad parentes redeundi: qui enim iā ampliùs soceri fraudes & iniurias infelix gener poterit sustinere? Pater (inquit) vester me iam multis ab hinc annis habet vti mancipium, non velut ex sorore nepotem, aut generum suum filiarum maritum. Sed non ego detrectaui iugum, non seruitium indignatus & conquestus abieci, imò ne dolui quidem: sed verò totas animi corporisque vires vt seruus in domini obsequium & famulatum exhibui. Hebr. *becol cochi gnabadttbi* בכל כחי עבדתי, *in omni vi, & fortitudine mea seruiui*, seu *in omni virore meo.* Sic etiam Psalm. 21. *Aruit tanquam testa virtus mea. Cochi* כחי *viror meus.* Tunc enim fortior est in arbore virtus, cum viret: & quodammodo senescit, atque infringitur, cùm deperdito virore marcescit. Sic in homine viret iuuentus, & viuida virtus animi vigorem & corporis robur ostentat: quæ omnia ingruente senio prorsus euanescunt. Plenus hodie mundus est huiusmodi querimoniis: seruiunt plerique vanissimo iuxta & iniquissimo suo domino, scilicet mundo totis quidem suis viribus. Camelis optime similes habentur à S. Gregor. Quid enim (inquit) esse grauius, atque onustius potest, quàm afflictionem seculi prætereuntis perpeti, & nequaquam ad releuationem mentis gaudia remunerationis sperare? hæc ille, *lib. 1. moral. cap. 15.* Seruiunt miseri, afflictantur, gemunt, dum suarum vanitatum portandis oneribus opprimuntur: sed prono in terram vultu instar pecudum, quibus vnum studium & cura est venter, oculos in sublime haudquaquam attollunt; vnde gaudia mentis, quæ iustis ad præsentium ærumnarum leuamentum condonantur, effundi solent. Seruiunt infelices; at sine præmio laborant, sine fructu lassantur, sine requie opprimuntur: hæc enim felicitas præmij, fructus requietis iis tantùm conceditur, qui pro Deo sudare, ac periclitari in animum induxerunt.

Psalm.

Grauis & inutilis seruitus mundo exhibita.

D. Gregor.

Carent mundani consolationibus Diuinis.

2. Qui

A

Math. 24.

Mundus molendinum dicitur.

S. August.

2. Quis ergo ſapiens vano, & iniquo credat mundo, à quo premi quidem poteſt, ſed præmio affici nequit? *Matth.* 24. in extrema temporum tribulatione ponitur illud à Domino, *Duæ erunt molentes*. Sed quodnã iſtud eſt molendinum: quænam in eo molentes? declarat optimè S. Auguſt. Molendinum puto dictum mundum iſtum; quia rota quadam temporum voluitur, & amatores ſuos conterit. ſic ille, *in Pſalm. 36. enarrat. 1.* Bellè quidem mundus dicitur molendinum, quod miſeri mortales verſant, & circumuoluunt. At quid ſub illo conteritur? vtique opes congeſtæ mortalium in ludis, in pompis, in deliciis, in vanitatibus, in ganeis & popinis. Vita deinde, ac ſalus & vires corporum in concupiſcentiis, in ambitionibus, in litibus, in vaniſſimis mundo exhibitis obſequiis conſumuntur. Hanc igitur de mortalium opibus, corporibus, & animis ſub grauiſſimo pondere in puluerem redactis ſibi mundus farinam elicit. Quis etiam credat Labano, ſcilicet homini cum mendaci, tum fragili quoque, vt in illius aut amore, aut poteſtate ſuam figat ſpem?

S. Greg. Naz.

Vana in mũdo ſpes.

Benè S. Greg. Nazianz. omnes ſibi diras imprecatur: Si hominum (inquit) potiùs opem, atque adiumentum, quàm Dei præſidium quæſiuero; imbecilli, fragilique rupi vitæ meæ rudentes alligem. hæc ille, *in opuſcul.* Inanis eſt hæc fiducia, vana ſpes, quæ in homine collocatur: parua videlicet ratis per exoletum funiculum male ſaxo, ſeu

C

potiùs fœno (eſt enim omnis caro fœnum) alligata; quæ leui quolibet flatu auulſa pelagi fluctibus abſorbebitur; aut in tranſuerſum illiſa diſſoluetur. Tam malè igitur ſibi conſulit, támque inſanus eſt, qui ſuas extra Deum in homine ſpes collocat, quàm qui medio in ſalo fluctuantem cymbam litoreo fœniculo lætus & ouans ſecuritatem ſomnians apprehenderet. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius.*

Hierem. 17

Hierem. 17 Fortem ſe miſer iſte iudicat, nec facilè à quauis iniuria dimouendum, cum credit amico, confidit in diuite, in nobili, in principe. Vana illa fortitudo, fragile brachium; quippe quod totum caro eſt, & nihil oſſeum, ac durum & firmum habet.

D

3. Simili etiam maledictione feritur, qui putat ſe aliquid eſſe, nec diuinæ gratiæ, ſed propriæ induſtriæ ſuam committit fiduciam Hoc enim ſenſu ita præſentem locum interpretatur S. Hieron.

D. Hieron.

Vana de ſe cuiuſque præſumptio.

Maledictus eſt non ſolùm qui ſpem habet in homine, ſed qui ponit carnem brachium ſuum, id eſt, fortitudinem ſuam, & quicquid egerit, non Domini clementiæ, ſed ſuæ putauerit eſſe virtutis. ita S. Hieron. O planè inſipiens ac demens, qui Labano credit, ponitque ſpem ſuam in ſeculo, de

Mundi fugacitas.

quo illud optimè à S. Bernard. dicitur: Hoc interim dum præſens ſeculum manet, vel manat magis & fluit. ſic ille, *ſerm. 2. in ramis palmar.* Quòd ſi mundus tranſit profectò cum mundo tranſeunte noſtræ ſpes ac fiduciæ in illo poſitæ pariter pertranſibunt; cum manante ac fluente ſimul manabunt ac diffluent.

E

Exclamare igitur licet: O munde fallax, ô munde proditor! ſemper manas, perpetuò diffluis, perenniter tranſis, ac peris, & mortalium quaſi firma rupes, quæris animas, corda, ſpéſque retinere. Sed verè fugis, ac diſpares. Ah, quid facerent miſeri amatores tui, ſi ſtares, ſi permaneres, ſi nec falleres, nec malè tuos afficeres? Diuino fit conſilio in vtilitatem ac ſalutem hominum, vt nouis quotidie malis affligetur mundus, nihil in illo iam nunc ſit aut decorum, aut dulce,

Vtilis deſpectio & tribulatio.

aut magnum & præclarum, nihil firmum & verum, quo inuitati homines in mundi amorem &

A

obſequium raperentur: Sed miſerè decepti, & illuſi, grauitérque afflicti deceptorem oderint, ac tyrannum fugiant. Quod quidem in figura contigiſſe legimus Hebræis, dum in Ægypto grauiſſimis calamitatibus opprimerentur, diuina id quidem prouidentia in vtilitatem eorundem ſtatuente iuxta ſententiam Theodoreti, quæ ſic habet.

Theodor.

Quare Deus Iſraeliticum populum hæc pati permiſit? Vt odio proſequerentur Ægyptios, & illorum deos, à quibus talia paſſi erant, & vt diligenter parerent mandatis Dei hæc ille. Itaque tyrannica illa ſeruitus odium erga Ægyptios in Hebræorum animis imprimebat, quo vehementer incitari ad fugam Diuino præcepto indictam ci-

B

tiùs & alacriùs ſeſe expediebant.

Proſperitas à Deo retrahit.

Pellebant ab Ægypto miſeriæ ad terram promiſſionis, atque ad Deum afflictos & mœrentes, & mala omnia fugientes Hebræos: qui profectò, ſi cuncta ſuccederent proſpera, ſi propitiam & amicam haberent Ægyptum, nequaquam de fuga, de terra promiſſa, de Deo cogitarent. Quod Theodoret. in hunc modum adiungit.

Theodor.

Nam ſi miſeriis illis afflicti nihilominùs recordabantur deliciarum Ægypti, & ſæpenumero illuc redire conati ſunt, quis illis nullam moleſtiam paſſis ſuadere potuiſſet, vt Ægyptum relinquerent? hæc Theodoret. *q. 13. in Exod.*

Fallax & proditor mũdus.

4. Ingreſſum olim domum lætus & comis excepit Laban; at paulò poſt mille fraudibus, atque iniuriis affecit Iacobum: primò vultum hilarem,

C

& benignum aduenienti; deinde triſtem, ac ſeuerum exhibuit. Sic mundus, quo nihil fallacius, nihil inhumanius, in primis allicit, vt decipiat: blanditur, vt occidat. Nunquam ſcilicet dies illuxit, quin paulò poſt idem occumbat: & qui manè oritur, noctis deinde tenebris ſepelitur. Vt diſcamus (inquit S. Bernard.) in nulla lætitia huius ſeculi habere fiduciam: ſcientes quoniam extrema gaudij luctus occupat. ſic ille citato loco.

S. Bernard.

Ah miſerum hominem, qui fallaciſſimo credit Labano, veteratori ſcilicet peſſimo mundo: & velut incautus in fluuio piſciculus mundani quamlibet honoris, & voluptatis eſcam auide arripit: ſub qua delitéſcens humanæ infelicitatis hamus inhiantem ſtrangulat & ouantem. Hac nimirum vſus ſi-

D

militudine S. Greg. Nyſſ. de mundo ita loquitur:

S. Greg. Nyſſ.

Decepti à mundo

Tanquam eſcam quandam, hanc mundanam occupationem prauo hamo auidioribus porrigit. ſic ille, *tract. de orat.* O infelix hominum ambitio! inhiant illi ad honores horum fuco decepti: nec quid ſub illis curarum, ſolicitudinum, timorum, ac periculorum lateat, diſpiciunt. Bene ſibi cautus conſulebat S. Gregor. Nazianz. qui bona

S. Greg. Naz.

iſthæc mundi meritò diſpiciens ac deſpiciens aiebat: Infidæ ſunt opes, ſublimiúmque thronorum, & dignitatum faſtus mera ſunt inſomnia. ſic ille, *opuſc. de vita itiner.* At ea noſtra eſt vecordia, vt inſomniis capiamur, ac delectemur. ſatis quidem ridiculi ſumus, quibus ludicra mentes ſenſúſque

E

detineant ac deuinciant. Vniuerſa enim (inquit idem) iſta vitæ noſtræ ludibria ſunt. ſic ille, *opuſcul. de hominis vilit.* Porrò ad maiorem noſtri miſeriam accedit quòd præter vanitatem, qua diſpereunt iſthæc Labani, mundíque bona, ſecum habent malum, quo cruciant & affligunt. Enimuero (vt idem adiungit) lanx certè illa, qua mala continentur, multis partibus præponderabit: at contra lanx ea, in qua vitæ commoda exiſtunt, leuitate ſua ſurſum tendet. hæc Nazianz.

S. Greg. Naz.

Plus mali, quàm boni in mundo.

Itaque honores, dignitates, diuitiæ, ac voluptates huius vitæ mixta ſecum habent bona & mala: verumtamen ſi illorum bona in vna ſtatera, mala verò in altera reponantur; profectò leuior illa, grauior iſta videbitur:

debitur: quippe cum mala & plura sint & multò grauiora; bona verò pauciora & leuiora. *Mundo proditori non fidendum.* O munde proditor, quam multus in te Iudas inest! o sculo filium hominis tradis: oscularis, vt perimas. Quisnam quæso sapiens ac prudens est, cui fraudes, doli, proditionésque istius veteratoris non pateant? Extollit plurimos, non vt honoret, sed vt de sublimi præcipitet, lapsúque miseri grauiore ruant. Quemadmodum Saul Dauidem (vti legimus) amouit à se, & fecit eum tribunum super mille viros, dicens: *Sit super eum manus Philistinorum.* 1. Reg. 18. (1. Reg. 18.) Honorauit scilicet hominem, vt occideret. Præbet mundus honorem, vt vitam eripiat. Inuitat ad conuiuium (vti Absaloo Amnonem fratrem) sistit mensæ, regalibus pascit epulis, vt iugulet inter dapes & pocula trucidet. 2. *Reg.* 13. (2. Reg. 13.) Quis ergo fidat veteratori & proditori mundo? Cum de honorando Naboth fraudulentus agit, mortem misero machinatur. *Sedere* (legimus) *fecerunt Naboth inter primos populi.* 3. Reg. 21. (3. Reg. 21.) vt videlicet sententiam mortis subiret, vt post sedem honoris in cãpo lapidibus impetitus obrueretur. *Crudelis mundus & dolosus.* O munde crudelis pariter ac dolose! Infelici homini dicis: Salue mi frater; & quasi osculans occulto gladio per mis, vti Ioab Amasam. 2. *Reg.* 20 (2. Reg. 20.) Loqueris in dolo, vt percutias, vti Ioab Abner. 1. *Reg.* 3. (2. Reg. 3.)

5. Sed cui mortalium non erit infidus & proditor mundus, si Deo ipsi suo, à quo conditus & redemptus est, adeo ingratus & hostis fuit: *Deo mundus hostis.* vt nec venientem è cælo, atque è Virgine Matre natũ hospitio exceperit: nec in terris conuersantem honorauerit: sed morte demum turpissima inter latrones crucifixum occiderit? Meritò queritur dilectus Domino discipulus: *In mundo erat, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & sui eum non receperunt.* Ioan. 1. Qui sui? (occurrit ibi S. Aug.) (S. August.) homines ipsi, quos fecit. sic ille. Quod quidem summæ, ac deplorandæ ingratitudinis, atq; infidelitatis est: venire scilicet Deum è cælo in terras propter homines, & ab iisdem nec cognosci, nec recipi: sed conspui, sed flagellari, sed crucifigi. Quis ergo credat mundo, qui Deum suum non recepit, sed infinitis affectum iniuriis & cruciatibus peremit? Bene Dominus ipse infidelitatem, ac dementiam tam infidi & insani proditoris perspectã habens nihil ab illo eorum, quæ dicuntur & putantur bona, vnquam voluit accipere. Semper inops, semper humilis, nec opes, nec honores aut quæsiuit, aut admisit: deliciis, atq; omnibus aliis mundi bonis, & vanitatibus bellum semper habuit indictum. Quæsitus à turbis vt rex crearetur, aufugit: Rex in triumpho Hierosolymam ingressus etiam ab inimicis acclamatus, videns ciuitatem fleuit super eam: & paulò post egressus famem, vti homo, demonstrauit. *Christus delicias & honores mundi respuit.* Dein accumbens alienæ mensæ pertulit quidem mulieris pœnitentis vnguento perfundi dicens calumniantibus: *Mittens hæc vnguentum hoc in corpus meum ad sepeliendum me fecit.* Matth. 26. (Matth. 26.) *Præuenit vngere corpus meum in sepulturam.* Marc. 14. (Marc. 14.) Locus quidem subobscurus est: sed ita explicatur à S Hier. (D. Hieron.) Quod vos putatis perditionem, officium sepulturæ est. sic ille. At quî potest esse vnctio ista officium sepulturæ, vngendo scilicet corpori Domini Iesu, quod adhuc viuum erat, nec dum mortuum, vt sepulchro inferretur? Planè sic Dominus Iesus, etiam dum viueret, se gerebat, ac si iam corpus defunctum sine vllo sensu ad honores & delicias haberet. Non (inquit) istud vnguentum corpori viuo; sed iam mortuo, ac tumulando superfunditur. Sic in me, licet viuo ad patiendum, sensus omnes corporis ad suscipiendos honores, ad delicias admittẽdas mortui sunt, veluti iam corpus vita functũ sepulchro esset inferendum. Quamobrem non est quòd quis irascatur in mulierem tam piam, tamque religiosam. Nõ enim (declarat ibi Caiet.) (Caiet.) ad delicias corporis mei, sed velut corpori sepeliendo adhibuit hoc vnguentum. Constat enim quòd cadaueri non adhibetur vnguentum ad delicias. Itaque vtebatur Dominus hac vnctione sine omni sensualitate, sicut cadauer, quod vngitur vt sepeliatur. ita Caiet. O felix, qui ad exemplum Christi Domini sic viueret mortuus mundo, vt illius honores ac delicias sine vllo sensu exciperet, velut vnctionem cadaueri sepeliendo adhibitam! *Damnatur cupiditas honorum, ac deliciarum.* Cæterùm non ita res habet. Sic enim ad ambiendos honores, sic ad conquirendas captandásque mundi & carnis delicias viri sumus, vt nulla in re vegetior, & actior, & delicatior nobis sensus esse videatur. Christus Dominus in vita mortuus erat ad honores ac delicias mundi: at homunculos non pudet etiam in morte ac post mortem viuos esse velle, ac putari ad honores, & ridiculæ superbiæ vanitates, dum ad suorum cadauerum fœtorem, & saniem excipiendam pretiosorum lapidum monumenta extrui, cælóque attolli imperant mausolæa.

6. Denique immortalem hominis animum, *Cupiditas mundi deprimit animam.* cælo, Deóque natum, nihil æquè deprimit, ac dedecorat, sicut hæc terrenorum bonorum insatiabilis pariter affectio, & possessio. quod regius Vates deplorasse videtur, inquiens: *Humiliasti nos in loco afflictionis.* Psalm. 43. (Psalm. 43.) Quis quæso locus iste afflictionis, nisi mundus iste, in quo anima immortalis cum vanitatem, & deliciarum importuna simul & impura conflictatur concupiscentia? legit S. Hieron. *In loco draconum.* S. Chrysost. *In loco sirenum.* Pulchre mundi bona, honores præsertim, & maximè voluptates carnis, vocantur dracones ac sirenes. Dracones quidem, quia permolestum ac peracerbum animæ gerunt bellum; suarúmque illecebrarum lethale virus imprimunt: tantáque vi, & ferocitate hominem adoriuntur & impugnant, vt nisi Dei gratia ferat opem, expugnent, ac dilacerent. Sirenes verò (quod multò periculosius est) *Voluptates alliciunt, & mactant.* quia fallaci quodam prauæ suauitatis cantu sic animis illabuntur; sic illos detinent, fascinant, dementant, reddúntque stupidos, vt à blanda & lethifera vitiorum dulcedine sese expedire sine Dei gratia nequaquam possint: vt miseri & lamentari & exclamare cogantur, Ite malæ sirenes, vsque in exitium dulces! In hac igitur terra, vbi dracones & sirenes huiusmodi contra hominem excubant in insidiis, humiliati viuimus & abiecti. Etenim humiliati (vt alibi iam docuimus) in Diuinis literis idem aliquando est, atque pollui, & dehonestari. Non curat infelix Laban, filiíque illius aliud, quàm terram ac terræ lutum. Quid enim sunt bona omnia sub cælo nisi lutum & cænum, quo animæ hominum polluuntur, ac detinentur? Quid verò Deus, quid cælum, quid illius bona & dona sint vel nesciunt prorsus, vel scienter miseri respuunt, atque oderunt. Ac illud quidem certum omnino est, nimis terræ amantem hominem à cæli affectu longè alienum viuere: intentúmque terrenis bonis animum, cœlestibus inanem esse. Bene Iethro ad generum Moysen, quem regendi populi curis, ac negotiis distentum videbat, dixisse legitur: *Non bonam rem facis, stulto labore consumeris.* Exod. 18. (Exod. 18.) Meritò rem stultam dicit, laborem stultum, quo frustra Moyses consumitur, *Terræ deditus Dei immemor.* totus scilicet vt negotiis temporalibus deditus, ne tantulum quidem & temporis & studij Deo amando & contemplando reseruet.

Animus

Animus enim nimis occupatus terrenis, Deo quodammodo euacuatur secundum S. August. qui ad eundem locum sic effatur. *Nunc itaque* (ait ; ethro) *audi me, & consilium dabo tibi, & erit Deus tecum.* Vbi mihi videtur significari, nimis intentum humanis actionibus animum Deo quodammodo euacuari: quo fit tantò plenior, quantò in superna atque æterna liberiùs extenditur. Hæc S. Aug. *q. 68. in Exod.* Non enim potest quis simul duobus dominis seruire, Deo & mundo.

D. August.

7. Ex illo studio & affectu nimio terrenorum bonorum prouenit acerbissima summéque deploranda tyrannis, qua filij huius seculi pauperculos & misellos opprimunt, vt spolient, ac deuorent sicut escam panis. Videlicet potentium ac diuitum præda & esca solet esse ipsamet inopia & miseria pusillorum. At sciant illi pauperculis, quos vexant, & comedunt, tutorem esse Deum, qui iudex viduarum, & pater dicitur orphanorum, timeantque quod regius Vates cecinit: *Deus stetit in synagoga deorum: in medio autem deos diiudicat.* Psal. 81. Quænam isthæc synagoga deorum, nisi conuentus potentium, & iudicum, qui & vocantur in sacris literis dij, & vt tales haberi, colique volunt à plebe? In medio igitur istorum conuentu Deus immortalis dicitur, non sedere quidem, sed stare: sicut ab Stephano, dum lapidaretur, visus est, cum exclamauit: *Video Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* Actor. 7. Stat quidem Deus inter potentes, inter iudices, inter principatus, vt laboranti pauperculo subueniat: vbi miser ab omnibus lapidatur. Vnusquisque videlicet in iudicio siue scriba, siue iudex, siue accusator lapidem mittit in pauperem, vt premat, vt deiiciat, vt spoliet, vt occidat. Sic etiam in aulis principum, siue in conuentu magnatum & potentum, in commercio diuitum lapides in pauperum substantiam, vitámque iaciuntur. patet cunctis pauper iniuriis. Solus ille, qui stat, omnipotens Deus pauperem respicit ac fouet, & qui pauperculorum & miserorum iudex & pater est, iniurias & dolos impiorum hominum considerat, expendit, ac tandem seuerissimè opportuno tempore vindicabit. Hanc ipsam pauperum inter potentes ac diuites infelicitatem egregiè depingit Nathan Propheta in sua illa parabola, quam regi Dauidi construxit. *Cum* (inquit) *peregrinus quidam venisset ad diuitē parcens ille sumere de ouibus & bobus suis, vt exhiberet conuiuium peregrino illi, qui venerat ad se, tulit ouem viri pauperis, & præparauit cibos homini, qui venerat ad se.* 2. Reg. 12. O facinus execrandum! diues conuiuium instruit non de suis, quibus abundat, gregibus, & armentis, sed de ouicula pauperis. Enimuerò de fundibus, de pauculo pecore, de agello, de hortulo, de vite, de ficu, de cespite pauperum reges ac principes tributa colligunt, vt suæ cupiditati ac superbiæ conuiuium instruant, vt magnos & diuites in regno suos seruos efficiant. Quid quòd respublicæ, ciuitates, viri quoque magnates suis munera regibus ampla, & subsidia in bellum, aliósve huiusmodi sumptus decernunt ac mittunt, nec ea tamen de diuitum & potentum pinguissimis patrimoniis ac redditibus; sed de pauperum prædiolis, aut etiam quotidianis laboribus colligunt? quod S. Saluianus ita suo tempore legitur deplorasse. Indictiones tributarias ipsi interdum diuites faciunt, pro quibus pauperes soluunt. Decernunt potentes quod soluant pauperes: decernit gratia diuitum. quod prodat turba miserorum. Ipsi enim in nullo sentiunt quod decernunt. Estote ergo vos diuites in conferendo, qui estis primi in decernendo. Estote primi in largitate rerum, qui primi estis in liberalitate verborum. Qui das de meo, da & de tuo. Tametsi rectissimè quisquis ille es, qui solus vis capere gratiam, solus patereris expensam. hæc Saluian. *lib. 5. de iud. & prouid.* Vident vt isti potentes in seculo conuiuium faciant suis principibus de ouiculis pauperum? Quid quod etiam diuites ac potentes mensam non de suis vineis, hortisque latissimis instruunt, sed de tenui substantiola prope vicina pauperum? Vnde iam nunc (vt idem S. Saluian. scribit) apertissimis facinoribus non furta tantum diuitum, sed latrocinia comprobantur. Quotus enim quisque iuxta diuitem pauper aut intactus, aut tutus est? Siquidem persuasionibus præpotentum aut sua homines imbecilli, aut etiam seipsos cum suis pariter amittunt; vt non immeritò de vtrisque facer sermo testetur: *Venatio leonis onager in eremo: sic pascua sunt diuitum pauperes.* Eccles. 13. hæc S. Saluian. *lib. 4. de iud. & prouid.* O pauper, ô misella ouis iuxta diuitem, inter vngues, dentésque leonis!

Psalm.

Actor.

Pauper ab omnibus impugnatur.

Deus stat pro pauperibus.

2. Reg. 12.

Tributis pauperes premuntur.

S. Saluian.

Diuites à tributis immunes.

S. Saluian.

Diues pauperum latro.

8. Est tamen in cælo Deus, qui pauperem respicit: & sicut olim in Dauide adulterium & homicidium, sic in istis pauperum oppressoribus tyrannidem istam per horrenda supplicia expiabit. Hoc ipsum in præsenti loco ita comprobatur. Mille Iacobo fraudes struit Laban, innumeras infert iniurias: decem vicibus, hoc est, permultis mercedem pastori pactam, & promissam, & iam comparatam commutat. Contra vnum Iacobum Laban, & filij armantur omnes: at oculi Domini in pauperem respiciunt, afflicto assistit, consolatur mœrentem: docet autem qua ratione fœtus sibi coloris pacti enascantur. *Vidi* enim (inquit Dominus) *omnia, quæ fecit tibi Laban.* Vltionum quidem Dominus sum, video quæ mala inferant pauperculis diuites ac potentes in seculo? nec aliud æquè doleo, atque opprimi pauperes, dolisque & iniuriis misellos affligi. Sic apud Isaiam queritur Dominus de vinea Israël: *Expectaui eam, vt faceret vuas, & fecit labruscas.* Isai. 5. Est itaque Resp. Hebræorum vinea Domini, sed ea tamen cum maturos, dulcésque racemos proferre debuisset, peracerbos & fellis instar amaros protulit: at quænam ista fuit amaritudo? Declarat statim ipsemet Dominus: *Expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas: & iustitiam, & ecce clamor.* ibidem. Itaque inter Hebræos grauis quædam exercebatur tyrannis in pauperes: in iudiciis non pauperem iustitia defendebat, nec innocentia absoluebat: sed diuitem ac potentem dignitas & pecunia extollebat. Vbique iniquitas, vel (vt alij vertunt) humiliatio, & clamor pauperum, qui humiliati, & oppressi, & conculcati pedibus potentium ac diuitum, suam vicem lamentabantur, Deíque opem inclamabant. Sed ô infelix ætas mortalium, in qua hodie nulla est Resp. nulla vinea, quæ labruscas pro vuis non proferat; amaritudinem pro dulcedine, iniquitatem pro æquitate! Dolet Dominus labruscas pro vuis produci: sunt enim palato Domini fructus acerbi, amari, ac fellei, quas pauperes & miselli patiuntur, iniuriæ, atque oppressiones. Non vinum, sed acetum propinant Domino, qui pauperes vexant & opprimunt, non minùs quidem acerbum, & intolerandum, quàm quod in cruce pendenti vinitores Hebrææ vineæ obtulerunt. Nimirum hoc ipsum Dominus Hebræis exprobrat: *Conuertistis in absynthium iudicium.* Amos 5. Vnde scilicet pauperes iustitiā, pacem, solatiúmque iure optimo sperabant, inde vexati & afflicti, & bonis suis spoliati omnem amaritudinem atque infelicitatem sibi effundi lamentantur. Contra verò iudices ac magistr. ...

Dolet Deus opprimi pauperes.

Isaie 5.

Amos 5. Iniqua iudicia contra pauperes.

huius seculi, qui non æquitatem in iudiciis respiciunt, sed litigantium potentiam reuerentur, & pecuniam diuitum spe deuorant, conuertunt dulcedinem iudicij in absynthij amaritudinem. At nouerint tandem Deum assistere in iudiciis, & vniuscuiusque notare, atque expendere dicta, scripta, factáque, deinde grauiter minari: *Væ scribentibus, qui iniustitiam scripserunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei, vt essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent.* Isai. 10. Minæ igitur diuinitus intentantur iis, qui ferunt iniustam sententiam contra pauperes. Maximè autem Diuina vltio in scribas & notarios causarum distringitur: ab illorum siquidem manu, calamóque tota in iudiciis peruersitas, & iniquitas solet prouenire.

Isaiæ 10.
Scribarum in pauperes iniquitas.

9. Itaque Laban, & illius filij contra vnum Iacobum peregrinum, hospitem, pauperem alieno in solo, pastorem, mercenarium, famulúmque soceri non linguis tantùm, sed fraudibus, & iniustitiis armantur: ac si nec Deus in cælo esset, qui facta hominum in terris intueretur, expenderet, discuteret, ac puniret tandem: ac si non altera post hanc vita esset, in qua per omnem æternitatem aut supplicia subeunda, aut felicitas bonorum omnium potiunda sit. Planè sic plerosque viuere, agereque videmus in hoc mundo, ac si pecudes se, non homines iudicent: ac si non immortalem sempérque permansuram, sed mortalem & cum corpore simul interituram animam sibi esse arbitrarentur. Nihil miseri aliud cogitant, sapiunt, æstimant, nisi mundum, in quo viuunt, quem vnicè diligunt, in cuius bonis suam omnem felicitatem collocarunt. Rectè S. Petr. Chrysolog. admonet: Ne ad mundi longinqua, & nimis peregrina tendamus. sic ille, *serm.* 2. Honores siquidem, voluptates, & securam animi requiem, ac felicitatem ostentat nobis mundus, promittítque. Dein miseri falsa specie illecti accurrimus, inhiamus, manum admouemus, bona, quæ obiiciuntur, rati præsentia, feréque possessa: cæterùm illa sunt longinqua, procul a manu distant, quæ falsò adesse oculis putantur: peregrina quidem sunt a terris, quas incolimus, à vita quam ducimus, ab statu mortali, in quo adhuc sumus, peregrináque proinde à nostro studio, cura, & affectu esse oportet. Hæc mundi bona & lōginqua sunt & peregrina, & in illa vt præsentia propriaque, ac nobis congenita & naturalia tendimus: nec miseri tamen ad præsentia & domestica & nobiscum nata & adulta mundi mala oculos dirigimus. Quàm hodie multi sunt, qui gaudia mundi sperant, mœroresque ac dolores recipiunt! Mella sibi promittunt, & miseri ebibunt fella & absynthium. Sperant à principe nouos honorum titulos, ampliores reditus: & infelices rapiuntur in ergastula, & (vt iam Olisipone vidimus) cum regiis ad grandia munera diplomatibus læti atque ouantes, subitò in suspendia tolluntur. Est quidem mundus, qualem in Græcia veteres depingebant deum hospitalitatis: qui quidem tali erat artificio constructus, vt introeuntibus faciem ostenderet hilarem, seuerum autem vultum egredientibus. Inhumana profectò & bellnina conditio mundi: premit suos tyrannico imperio, & miseris insuper famulantibus oculos eruit (vt Samsonem Philisthæi exocularunt) ne suam ipsi videant infelicitatem. Deiñ grauatos seruitio, luminibus orbatos, in orbem cæco impetu circumactos, fame malorum extrema enecat. Vsque adeo miserorum mundo seruientium excrescit infelicitas pariter &, ignominia, vt etiam suam ipsi, qua contabescunt, famem suis sudoribus emercari dicantur à Propheta. *Quare* (inquit) *appenditis argentū non in panibus, & laborem vestrū non in saturitate?* Isai. 55. Miseri (declarat S. Hieronym.) qui magnis pretiis, ac labore continuo appendunt argentum pro ea disciplina, in qua non sunt panes: & sudant pro his cibis, in quibus nulla saturitas est. sic Hieron. In schola quidem mundi laboratur, sed frustrà sine fructu: quicquid in ea discitur, ac docetur, in vanum recidit: quippe cum sapientia mundi sit inimica Deo, nec animæ salutem pariat, sed exitium sempiternum. Et nihilominus cæci ac stulti amatores mundi totam suam curam, studium, & vitam in tam ridicula rerum istarum inanitate consumunt. Bene regius Vates hanc stultitiam & cæcitatem hominum considerans risui esse dicit & ludibrio prudentium & sanctorum virorum. *Videbunt iusti, & timebunt, & super eum ridebunt.* Psalm. 51. Vtique psalmos est contra potentem, diuitémque filium huius seculi, qui (vti adiungitur) non posuit Deum adiutorem suum. Risui est miser homo, qui spreto Deo totum se tradit mundo in seruum, barbaro scilicet ac truculento domino, qui laborantem seruum non amico vultu excipit, non meritis donat muneribus. Lanceolis quidem & nouaculis sese Baal sacerdotes incidebant, donec perfunderentur sanguine. 3. *Reg.* 18. at illorum deus, cuius in honorem se miseri dilaniabant, neque vociferantes exaudiuit, nec incisis & sanguine madentibus opem tulit. Ah infelices, qui mundo inseruiunt, martyres se (liceat ita loqui) mundo suo se faciunt exhibéntque iis laboribus, in sudoribus; sanguinem fundunt, vitam insumunt: cum tamen barbarus, & infidus cæcum se præbeat, ne videat vt soletur: surdúmque ac mutum, ne audiat, ne alloquatur; vt dolorem tollat, vel mitiget.

Libertas peccandi sine Dei memoria.
S. Pet. Chrys.
Falsa mundi bona.
Tyrannis mundi.
Fames mundo seruientium.
Isaiæ 55.
D. Hieron.
Psalm. 51.
3. Reg. 18.
Mundus erga suos proditur crudelis.

10. Contra verò clemens & pius Dominus iugum suis seruis imponit quàm suauissimum. Labores enim illorum perennibus cœlestium dulcedinum solatiis, & præualentibus suæ gratiæ præsidiis faciles reddit, leues, & amabiles. Clamantes, vel etiam desiderantes exaudit: afflictis opportunam & exoptatam fert opem: pressos humi attollit, humiliatos eleuat. Mille quidem dolos Iacobo struxit Laban, mercedem genero pactam sæpius mutauit socer: at doli, fraudes, atque mutationes in vtilitatem iusto cesserunt. Beatus igitur, qui in protectione Dei cæli commoratur: armetur licet mundus, fremant maledici, totúsque irruat coniuratus dæmonum exercitus: aspirante Dei gratia in præsidium iusti, & mundus corruet exarmatus, atque exanimis; & maledicorum dentes confringentur; & tartareæ legiones, sicuti noctis tenebræ ad solis ortum, euanescent. Beatus, qui ascendit in montem, & ad locum sanctum eius, qui Domini tabernaculum ingreditur, & sub velo vmbráque illius sanctuarij requiescit: non enim flagellum appropinquabit tabernaculo Domini, quantumuis & fraudum, & iniuriarum flagella Iacobo intentent Laban, eiúsque filij ac ministri. Sed quodnam istud velum est, tabernaculum, & sanctuarium Domini? Haud dubiè beatissima Virgo Dei Mater: ob illius vtique amorem, & preces Deus ipse Filius mortalibus sua dona & beneficia dispensat. Cuius quidem veritatis illud est signum euidentissimum: quia scilicet primum omnium miraculum ad Matris suauissimæ petitionem Dominus in nuptiis operatus est: ac demum sub vitæ exitum proximus passioni miraculum postremum excitando ab Inferis Lazarum edidit in reuerentiam sacrosancti nominis Mariæ matris ipsius. Enimuero aduenienti Domino in castellum

Dei clementia in suos.
B. Maria Dei velum & sanctuarium.

Primum & vltimum miraculum in gratiam B. Mariæ à Filio factum.
Ioan. 11.
S. Pet. Chryſ.

lum Martha occurrit, rem totam de funere fratris expoſuit, longúmque Dominus coram diſcipulis de reſurrectione mortuorum cum Martha ſermonem inſtituit. Cæterùm non excitauit ab inferis Lazarum, niſi ad preces & lacrymas ſororis, quæ tandem acceſſerat, Mariæ. *Ioan.* 11. Quia videlicet (ſubnotauit S. P. Chryſol.) ſine Maria nec effugari mors poterat, nec vita reparari. ſic ille, *ſerm.* 4. Nimirum ſicuti beatiſſima Virgo mediatrix Deo fuit ad expellendam mortem, vitámque reparandam: etiam ipſamet abſente voluit Dominus ipſius Filius, vt ſaltem Matris ſuæ ſanctiſſimum & dulciſſimum aſſiſtat nomen ad excitandum ab inferis Lazarum: quo detur intelligi mortalibus validiſſimum illis à Deo conſtitutum eſſe præſidium in ſacroſancto nomine Dei Genitricis Mariæ; illúdque in corde teneant, ore frequentiſſimè pronuncient: Aue MARIA. Denique refert vxoribus Iacob admonitum ſe à Deo, id eſt, ab Angelo Deum repræſentante quonam artificio, dolóque in hoſtem licito ſuam de fœtura gregum multiplicaret mercedem, & ſubſtantiam. vetat modeſtia minutim ſingula commentari.

Inuocandum B. Mariæ nomen ſacroſanctum.

SECTIO IV.

Ego ſum Deus Bethel, vbi vnxiſti lapidem, & votum vouiſti mihi. Nunc ergo ſurge, & egredere de terra hac, reuertens in terram natiuitatis tuæ. Reſponderúntque Rachel & Lia: Nunquid habemus reſidui quidquam in facultatibus & hæreditate domus patris noſtri? Nonne quaſi alienas reputauit nos, & vendidit, comedítque pretium noſtrum? Sed Deus tulit opes patris noſtri, & eas tradidit nobis, ac filiis noſtris: vnde omnia quæ præcepit tibi Deus, fac.

1. NArrat vlteriùs vxoribus ſuis Iacob Dei viſionem, quam acceperat. Enimuerò qui loquebatur, aut ipſemet Deus erat, aut veroſimiliùs Deum repræſentans, Deique vicem gerens Angelus. Dicit itaque ſeipſum illum eſſe, qui peregrinanti olim Iacob, atque in ſolo nudo pernoctanti apparuerat, ſummo cælum vſque pertingentis ſcalæ nixus cacumini. Quæ viſio narrata eſt ſuperiùs *cap.* 28. Hoc autem Angelus commemorauit, ne fortè Iacob illuſionem phantaſiæ, quæ in ſomnis frequenter occurrit; aut dæmonis aſtum, quo viri iuſti ſæpiùs pertentantur, extimeſceret. Non habet locum tartareus hoſtis, vbi Diuinum adeſt præſidium, quo Iacob inter Labani, ac filiorum contumelias & calumnias, perfruitur ſecurus. Deus enim (inquit ad hunc locum Theodoret.) certat pro iniuriam paſſis. Vt cognoſcas per experientiam quanta prouidentia fruuntur, qui confidunt in Deo omnium autore. ſic ille, *q.* 88. *in Gen.* Spes quidem non confundit, nec vana iuſto eſt in Deo fiducia. Inuident enim Iacob ſocer & cognati, mercede fraudare debita, boniſque immenſo labore per omnem iuſtitiam acquiſitis ſpoliare hominem moliuntur: at Deus è cælo iuſtum beneuolè reſpicit, ab iniuriis tuetur, illæſúmque conſeruat, ac demum ingenti pecorum, & opulentæ ſupellectilis incremento in dies locupletem, & glorioſum reddit.

Spes & auxilium in Deo.

Theodor.

2. Ita planè cum Eccleſia Dei actum videmus. Tyranni ſiquidem, malique principes vi, ferróque armat, inhiantes Eccleſiaſticis opibus cupiditate, A templa, templorúmque vaſa, veſtes, prædia, reditúſque aut magna ex parte, aut funditus depopulati ſunt. Sed in immenſum tandem Eccleſiæ Chriſtianæ templa, vtenſilia, reditus, opéſque accreuerunt: videlicet ad eam Eccleſiam dicente Domino: *Venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus liliis.* Cantic. 7. Nimirum ille ipſe venter, quem depeculatores ſuo debito iure, cibóque fraudauerant; cui iuſtam portionem iniuſtè ſurripuerant, factus à Domino eſt aceruus tritici. Abundat quidem ſibi, & aliis ditiſſima penus eſt. Vnde hoc? quia vallatus liliis: ſpe ac fiducia Dei vndique cinctus. Notum eſt enim, & vulgo tritum ſpei ac fiduciæ ſymbolum extitiſſe lilium. In quo etiam videtur edoceri vir iuſtus, maximè ſacerdos, cuius B portio, & hæreditas Deus eſt, non ſibi tam curandum de tritico, quàm de lilio: non congerendis vndecunque theſauris, ſed ſpei ac fiduciæ in Deo, præſtandique Domino obſequij ſtudium ſibi fore continuum. Circumuallata quippe eſt (exponit ibi Theodor.) & cuſtodita hæc repoſitio tranquillitate, quæ agri liliorum exemplo in Euangelio declaratur, ne iſtius vitæ ſolicitudinibus mens, quaſi bonus agricola, ſpiritali ipſius fructu priuetur. hæc Theodoret. Impedit profectò nimia vitæ iſtius ſolicitudo ſpiritualem animæ profectum, qui à Dei prouidentia, gratiáque magis, quàm ab hominis pendet induſtria. Hæc tamen ab illo exigitur, vti Iacob virgarum (quod ſuprà vidimus) artificio vſus eſt: ne deſit homo gratiæ Dei, atque C ignauus, & ſupinus Diuinis ſe ſperet beneficiis cumulari.

Eccleſia ſpoliata, ſed aucta.

Cantic. 7.

Lilium ſpei ſymbolum.

Tutus in Deo caret mundi curis.
Theodor.

Hominis induſtria cum Dei gratia.

3. Conſuluit Dominum Dauid, conſurgerétne contra Philiſtæos, præliúmque iniret; qui reſpondit: *Non aſcendas contra eos, ſed gyra poſt tergum eorum, & venies ad eos ex aduerſo pyrorũ. Et cum audieris ſonitum gradientem in cacumine pyrorum, tunc inibis prelium: quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuã, vt percutiat caſtra Philiſtiim.* 2. Reg. 5. Cur ita Dominus locum, & tempus ad ineundum prælium aſſignauit: vt ſcilicet & Dauid iniret prælium, & Dominus percuteret Philiſtæos? quia hoc ipſum ita ordo, legéſque militiæ præſcribebant. An non Dauidi poſſet Dominus inermi & quieſcenti præbere victoriam? poſſet quidem: ſed ta- D men induſtria, bellantis animus, dexteritas, ſtratagema, impetúſque ad victoriam expoſcitur. *Manus Domini facta eſt ſuper Eliam, accinctíſque lũbis currebat ante Achab.* 3. Reg. 18. Ad curſum Dei manus impellebat Eliam; actus ille Diuino impulſu præcurrebat: cæterùm non ſine aliquali induſtria, quam ſuperiori virtuti diuinitus hominem impellenti, accinctus, expeditóque (vt moris eſt) habitu ad iter, & curſum capeſſendum exhibuit. Hic idem Iordanis alueum tranſiturus *tulit palliũ ſuum, & inuoluit illud, & percuſſit aquas, quæ diuiſæ ſunt.* 4. Reg. 2. Sciebat quidem tantum illud miraculum Diuinæ fore virtutis, atque ad contactum pallij ſui, & aquarum fluminis à Deo peragendum: at E nihilominùs pallio non expanſo, ſed inuoluto ad inſtar virgæ aquas percuſſit. Hanc enim ab illo Dominus induſtriam exigebat. Fidendum itaque potius eſt Diuinæ gratiæ; ſed tamen omnes humani conatus, induſtriæque promendæ: vt homo Dei cooperator eſſe dicatur.

2. Reg. 5.
Deus ab homine induſtriam exigit.

3. Reg. 18.

4. Reg. 2.
Homo Dei cooperator.

4. Porrò Iacob à Deo viſionem illam certò fuiſſe cognouit, illámque vti habebat, vxoribus retulit, ne fortè vlla ſubiret ſuſpicio fraudis à veteratore ſpiritu inſtructæ: *Ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis.* 2. Cor. 11. Videlicet diabolus (exponit ibi S. Anſelm.) aſſumit præclarum habitũ, & apparet hominibus vt credatur ſanctus

2. Corint. 11.
Diabolica illuſio.
S. Anſelm.

Auaritia deprimit animam.

Isaiæ 58.
S.Chrysost.

Auaritia mater iniquitatum.

Auarus pecuniam adorat.
Oseæ 12.
D.Hieron.

Lucæ 12.

Cæcitas diuitum.

A & (ô ignominiam!) quot oua pariant alites domesticæ. Profectò Dauid iccirco alienus est à numeris, à negotiatione, eo quod cum pecuniæ negotiis, & curis maximè periclitatur, quæ sola necessaria est, æternæ salutis cura, & negotiatio. *Dissolue* igitur (ô quisquis auarus es) *colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes.* Isaiæ 58. Legit sanctus Chrys. *Dissolue obligationes violentarũ cautionum.* fœnoris videlicet, ac vsurarum literas ita appellat. sic ille. *homil. 57. in Matth.* Nimirum vbi diuitiarum cupiditas, ibi iniquitas, ibi fœnora, vsuræ, latrocinia, ibi peccatorum onera, quibus animæ diuitum, & auarorum depressæ in barathrum vsque detruduntur. At nihilominus gloriatur auarus: *Inueni dolum mihi.* Oseæ 12. Sed audi B miser quid inuenisti: *Auen* Hebr. quod non profit (inquit S.Hieron.) possidenti casso labore sudauit. Sicut autem gulosi, & luxuriosi venter est Deus; ita & auarus adorat auri idolum: & dicit in corde suo: Inueni quod quærebam. Sed audiet: *Stulte hac nocte rapietur anima tua à te: quæ autem præparasti, cuius erunt?* Luc. 12. hæc S.Hieron. *in Oseam.* Mittamus tandem de auaro Laban, & infido, & inhumano loqui. Dolendum est, quod oculos eius (adiungit S. Hieron.) diuitiarum non dicam fulgor, sed cæcitas occuparit. sic ille.

SECTIO II.

C *Misit, & vocauit Rachel & Liam in agrum, vbi pascebat greges, dixitque eis: Video faciem patris vestri quòd non sit erga me sicut heri & nudiustertius: Deus autem patris mei fuit mecum.*

Cupiditas insatiabilis cum opibus crescit.

Cupiditas odiorũ fons.

Maior in paupere, quã in diuite domo concordia.

Iob 1.

Conuiuiũ pro concordia institutum.

Tull. de senect.

Bona filiorũ institutio.

1. ARmatur Laban cum filiis aduersus vnum Iacobum: at quem virum? vtique modestum, fidelem, iustum, ac toti familiæ, substantiæque Labani valde vtilem. Pascebat ille suos, & soceri greges: vtrique sub illo mirum in modum accreuerant. At (quæ hominum est insatiabilis cupiditas) sua cuique non satis placebant: sua quemque non satiabant: occ in diuite iam, & opulenta D domo inter propinquos iure omni coniunctos concordia stare diu potuit. Nimirum cum opibus accrescit pariter cupiditas; à qua lites, odia, bella oriuntur. Hinc videas in paupere familia potiùs, quàm in diuite animorum concordiam, pacémque vigere. Profectò vt miraculum ad maiorem sanctissimi Iob laudem narratur: *Et erat vir ille magnus inter omnes orientales: & ibant filij eius, & faciebant conuiuia per domos, & vocabant sorores vt comederent & biberent cum eis.* Iob 1. Insignis quidem concordia, fraternique amoris documentũ pariter & monumentum. Non enim ad luxum, sed ad charitatem dirigebantur quotidiana hæc conuiuia, vt optimè ostendit noster Pineda. Quin & ipsius E conuiuij ratio secum affert solenne quoddam ab antiquis mortalibus institutum maximè ad confirmandam & augendam charitatem animorum, & communis vitæ societatem, quod vel ex illo Ciceronis loco humaniores literæ concelebrant. sic habet: Bene maiores nostri accubationem epularum, quòd amicorum, & vitæ coniunctionem haberet, conuiuium nominarunt. sic ille, *de senect.* Honestis igitur, & quotidianis conuiuiis filij Iob fraternam concordiam, vnitatémque fouebant: quod in ipsorum, & patris egregiam commendationem cedit: tam sanctè videlicet esse à patre institutos, vt quam à patre filij disciplinam fraternæ beneuolentiæ accepissent, obseruarent perpetuò, & augerent.

Miraculũ est diuiti bene institutos esse filios.

Addon Abb.

Diues soli pecuniæ studet.

Diues & peccator idem.

Psalm. 81.

Dives emit in iudiciis quicquid libet.

S.Ambros.

Liberandus à tyrannide diuitis pauper.

Pineda.

Diuitiæ pabulum vitiorum.

Multis vita porcina.

Psalm. 31.

Impedit affluentia bonorum temporalium animam ne ad Deũ curratur.

2. Atque, vt ea fraternæ concordiæ commendatior laus haberetur, præmissum paulò ante fuerat Iobi diuitias ingentes, opulentiam magnam, familiam sumptuosissimam extitisse: quod etiam patris institutionem reddit multò laudabiliorem. Vtrumque optimè considerat Addon Abbas Cluniacens. ita exclamans: O inæstimabilem paternæ institutionis laudem! & pater diues dicitur, & filij concordes. sic ille, *in 1. cap. Iob.* Enimuero diues, etsi pater sit, hoc vnum curat, vt opes augeat: totúsque nummo deditus nec filiorum, imò nec sui, Deique vllam habet curam. Eaque diuitis infelicitas est, vt diues & peccator idem iam nunc esse B habeatur, ac nominetur: quod regius Vates exprimere videtur, cum ait: *Facies peccatorum sumitis.* Psalm. 81. Sed quinam isti peccatores, quorum acceptio est apud iniquos, & auaros iudices? haud dubiè ipsimet sunt diuites, quorum causa nunquam mala est, nisi sub bono iudice: ac semper bona est sub malo iudice: adiungit enim Propheta: *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Igitur peccatores & diuites iidem dicuntur, qui pauperculos vexant, & opprimunt, trahúntque ad iudicia, & contra misellos facilè, quam cupiunt, à sceleratis iudicibus emercantur sententiam. Pronum est enim (scribit S.Ambros.) genus hominum facere honorationibus, ne læsos se putent, ne victi doleant. sic ille, *lib. 2. offic.* C *cap. 24.* Commendat itaque Dominus, imò strictè mandat iudicibus: *Eripite pauperem & liberate de manu peccatoris,* hoc est (vt appositè interpretatur noster Pineda) *ditioris, atque potentioris.* Cum superbæ opes non superbiæ solùm, sed libidini, cæterísque vitiis materiam & facultatem præbeant: Iobo tamen omnium virtutum pabulum, atque nutrimentum extiterunt. sic ille, *in locum Iob citatum.* Quòd si diues quis est, simúlque inhonestus (vti hæc duo frequenter copulantur) quid quæso ab illo pium, bonum, atque ad cælum pertinens sperari demum potest? Proiectus vtique ad ventrem, escam, & lutum saginæ pariter, ac macello natus in altum oculos, & os non attollit porcus. O quam multis in facie humana, in mente rationis D compote fœdum & porcinum ingenium inuenitur: quibus vtique anima pro sale data fuisse videtur, ne putrescerent! Quanto ergo feliciores forent, si cum paupertate bonorum temporalium, virtutum, ac bonorum cœlestium affluentiam possiderent? Iccirco regius Vates huiusmodi terræ filiis bene imprecatur: *In chamo, & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Psalm. 31. Sunt quidem velut pigri equi, vix pedem mouent: stare potiùs, aut iacere, quàm progredi, nedum currere, parati videantur. Tota quippe multis dormitur vita: nullum virtutis studium, nulla incedendi, nedum currendi ad cœlestem patriam cura. Equi sunt & muli, quibus non est E intellectus: vt ibidem dicitur. Hos igitur, qui tam procul à Deo dissiti viuunt, aut potiùs volutantur in terra, vt ad Deum tandem procurrant, optat regius Vates, ac precatur, velit Dominus inhibere fræno & chamo constrictos. Sed quid hoc est, quod ais, rex prudentissime, post vitam in præliis non exercitam modò, sed etiam consumptam? Qui tardigradi sunt, qui non incitantur ad cursum, fræno & chamo sunt constringendi? An non calcaribus incitatur equus, fræno cohibetur à cursu? Dic potius: Stimula ô Domine, vulnera, etiam cruentato calcaribus huiusmodi pigros, qui non approximant ad te. Sed prudentissimus rex fræno

dicit

dicit egere vt promoueantur. Enimuero scit optime tardos & pigros homines ideò ad Deum non approximare, non procurrere, quia videlicet plurimo terræ fœno inhæreant. Non incedunt, quia pabulo detinentur: bene pasti equites saginam curant, non iter. Quid ergo consilij? ne comedant, ne pabuli teneantur illicio, frænum, & chamum vel iouiti accipiant, quò præpediti à pastu, ad capessendum iter, imò & alacriter inuolandum concitentur. Tenent hominem etsi natum cælo terrestria bona, honores, opes, deliciæ: pabulo sunt pigris animantibus. His igitur frænum, chamúsque inditur, vt despecti, humiliati, pauperes, afflicti dolentésque non de terra, sed de cælo cogitent: non compedes sentiant, quibus teneantur constricti; sed ipsarum calamitatum velut acutissimis calcaribus stimulati, compunctique virtutum capessant iter, cæloque tantum intenti ad Deum velocissimè rapiantur. Despectus enim (inquit S. Gregor. ad hunc eundem Psalmi versum) in hoc mundo, tantò celeriùs trahitur ad Deum, quantò nihil habet in seculo, vbi delectetur. Orat igitur fidelis anima, vt lubricos peccantium cursus mundana aduersitate virtus Diuina coërceat: quatenus erroris sui desideria sequi non valeant: & hoc modo ad se reuersi, saltem ex difficultate, & impotentia peccandi resipiscant. ita S. Gregor.

S. Gregor.

Tribulatio ad Deũ nos compellit.

Non est igitur Prophetæ maligna imprecatio, sed bona piáque precatio exoptantis ac postulantis à Deo, vti filij huius seculi, bonorum terrestrium atque illecebrarum inescati pabulo, tandem cohibeantur a prauo isto affectu, & rerum difficultatibus, atque malorum incurrentium aduersitatibus stimulati ad virtutis amorem, Deique obsequium tam felici, quàm celeri cursu rapiantur.

3. *Misit, & vocauit.*] Misso videlicet nuncio accersiuit in agrum, vbi pastor agebat, vxores. Rachelem prius nominat Muyses, vtpote primariam, & voluntarie sine fraude, acceptam. Quòd verò alibi præponatur Lia, ideò fit, quia filiorum eius turma priori loco in narratione statuenda erit, vti legitur *cap.* 33. Accersitæ in agrum ambæ ad virum veniunt, vbi sine arbitris mentem ille suam vtrique aperiat. Ac primò quidē Iacob Labani animum prorsus immutatum, faciem subtristem, pallorem inuidiæ, atque exinde natum iracundiæ supercilium sibi iam pridem notum quotidie magis increscere dicit: *Video faciem Patris vestri, quod non sit erga me sicut heri & nudiustertius.* Vbi enim mea accreuit substantia, dolor socerum oppressit, inuidia miserum tabefecit. Cuius in animo latentis mali prima & potissima in vultu signa monstrantur. Et quidem animo inuido (vt S. Basil. animaduertit) nunquam tristitia, nunquam mœstitia deest. Est enim inuidia dolor de proximi prosperitate, ac rerũ successu conceptus. sic ille *homil. de inuidia.* Profectò inter morbos animi nullus aut perniciosior, aut detestabilior inuenitur, ac deplorari potest. Est quidem inuidia (vt loquitur idem Basil.) interitus vitæ, pestis naturæ, aduersa omnibus bonis ex Deo venientibus; dæmonum ipsi Deo contraria. sic ille. Cætera vitia, etsi praua, fœdáque, atque homine indigna sint, aliqualem tamen vel tenuem boni & commodi vmbram præ se ferunt, cuius fucata specie hominem detinere ac decipere consuescunt: at inuidia nec vllam speciem, vmbrámque habet, qua oblectet ac decipiat: vtique (vt vocatur ab eodem Basil.) pugnæ in Deum magistra, homicidij mater, naturæ confusio, calamitas absurdissima. hæc Basil. *homil. citata.* Nam quæ maior hominis confusio & impudentia, quàm vt alterius bono quis doleat:

Prima inuidiæ signa in vultu dantur.

Inuidia grauissimus animæ morbus.
S. Basil.

S. Basil.

Nulla species boni est inuidia.

Inuidia malum impudẽs.

A quod alter rideat, ipse lugeat: mori se reputet, quod alter viuat? Quid verò tam calamitosum, tamque absurdum, quam vt sibi miser dolorem accersat, mortem consciscat, non ab alio quam a seipso, ne prosperum alium videat, diuitem, lætum, honoratum, impulsus? Quid miser homo (exclamat idem Basil.) angeris, nihil mali passus? quid cum eo contendis, aut quid eum petis in bonis quibusdam existentem, qui de tuo nihil detrahit, aut minuit? sic ille. Quid etiam æque detestandum, quam vt inuido vnum illud sit solatium, morbique sui vnum leuamentũ, quòd alter ægrotet, ac defleat? Vnam quippe (adiungit idem) tantùm mali requiem expectat, si quando cui inuideat, ruentem fortè aspiciat. Hic finis odij, si miserum ex beato, B infelicem ex æmulo videat. Tunc demum amicus ei efficitur, quando lacrymantem viderit, libentiúsque lugentem miseratur & plorat, quam gaudenti collætetur aut applaudat. hæc ille. Quid quæso magis inhumanum & barbarum, ac ferinum esse potest? non quiescit, non lætatur inuidus, nisi vbi viderit æmulum turbari & lamentari. Vnum inuido & grauissimum tormentum est, si lætum, si ridentem, si quietum videat cui inuidet. Quin etiam faciliùs ad commiserationem commouebitur, cum alius affligitur, ac mœret: quàm ridenti corrideat, & honorato gratuletur. Isthæc in animo latet morbi vis, sed foras etiam erumpit. Nam (adiungit idem Basil.) & ipso fatentur ore hoc vitium inuidi. Aspectus illis est C aridus, & obscurus, gena subtristis, supercilium demissum, anima ipso morbo suffusa, prudentiam in dignoscenda veritate, ac rebus agendis minimè habens. hæc ille. Vide obsecro quàm vile, quàm turpe, quàm infame, quam indignum homine vitium sit inuidia, vt eam saltem ob illius turpitudinem procul a te repellas, ac detesteris.

Inuidus se ipsum perimit.
S. Basil.

Inuidia crudelitas.

S. Basil.

Inuidi feralis vultus.
S. Basil.

Infamis inuidia.

4. *Deus autem Patris mei fuit mecum.*] Scilicet meam augendo substantiam contra dolos & iniustitias soceri: méque a calumniis, fraudibus, odiis, & violentiis domesticorum hostium defendendo. Non est igitur, quòd iustus hominem quantumuis inimicum, iniquum, potentem, ac ferocem timeat, cum Dei sui præsidio fulciatur. Quod Isaias ad populum Domini externos timentem hostes D ita ostendit: *Non dicatis, Coniuratio: & timorem eius ne timeatis, neque paueatis. Dominus ipse pauor vester, & ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificationem.* hæc Isai. *cap.* 8. Solus enim timendus est, qui potest & corpus occidere, & animam perdere. Quòd si adhuc præ humana imbecillitate hominum, ac dæmonum insidias, minas, ac terriculamenta metuimus: *erit nobis Dominus in sanctificationem*: vertunt alij: *In asylum.* Nam hic sanctificatio ponitur pro sanctuario, vt etiam vertitur: at delinquentes in templa confugiunt, ibique securi ab omni violentia quiescunt. Vertit etiam Pagninus, & in Biblia trilingui sic habetur; *Palatium.* Est enim Regis palatium quodammodò sacrum, in quo nulla vis, nulla fraus esse debet, sed cunctis E est asylum. Sic Ieroboam Regis palatium, ac regiã Vrbem vocauerunt illius serui sanctificationem, cum Prophetã Amos ibidem prædicare vetuerũt: *In Bethel non adijcies vltra vt prophetes; quia sanctificatio Regis, & domus regni est.* Amos cap. 7. Itaque Dominus refugium nostrum & virtus: ad illum vel à vitiis ac dæmonibus impugnati, vel ab incommodis, ærumnisque vitæ diuexati, vel ab hostibus & inuidis afflicti, & lacessiti confugimus: ac sub illius vmbra, & alis, & præsidio tecti & securi conquiescimus. Nobis ille palatium est, & nobis regia ciuitas: etsi à mundo male affecti, spre-

Dei auxilium mire defendit.

Isaiæ 8.

Deus iustis asylum.

Amos 7.
In Deo iusti securitas.

tique, ac velut peripsemata inter homines habeantur iusti: at longè felicissimi; quippe ad Deum transfugerunt, in Deo vt in sinu ac portu tranquillissimo tuti consistunt. Denique honorem & gloriam adepti, Palatium summi Regis introgressi, & in album magnorum apud Deum principum relati, Diuinorum stemmatum, ac titulorum insignibus perfruuntur ornamentis. O felicem Iacobum, quia spretus, afflictúsque à Labano, & à filiis malè affectus in Deo suo requiem, honorem, ac de pastoris & pecuarij humillimo apud Labanum seruitio, supremam cum Deo cœlestis principatus inuenit felicitatem!

Gloriosum est seruire Deo.

Cum Deo nulla nobis iactura.

5. Nunquam planè cum Deo aut vtilitatis, aut honoris quisquam hominum fecit iacturam. Si pauper pro Christo efficitur, verè diues euadit: si pro Christo contemptus; summè gloriosus à Deo & ab Angelis reputatur. En Laban, & filij conuiciis, dolis, iniustitiis afficiunt & affligunt Iacobum: at *Deus* (inquit ille) *Patris mei fuit mecum.* Quid, quæso, aut vtilius homini, aut gloriosius? Contra verò licet impius diuitiis abundet, & honoribus emineat, verè miserrimus, ac despicatissimus est. *Multa* siquidem (ait Vates regius) *flagella peccatoris.* Psal. 31. Vbi est hæc tam egregia commentatio S. Gregor. Si cui ad iniquitatis suæ cumulum peccanti contigerit exteriùs proficere, hoc ipsum est Diuinæ animaduersionis flagella tolerare: quia modò in conspectu Dei eo ipso interiùs deiicitur, quòd falsa gloria in conspectu hominũ exteriùs eleuatur. Et illi sua in pœnam vertitur culpa: quia hoc ipsum fuit verè intus cadere, quod foras ostenditur profecisse. hæc S. Gregor. *ad Psal.* 31. Quapropter nulla maior in vita potest huiusmodi filiis seculi, quos cæcum vulgus vocat felices, laudátque in turpissimis, quibus liberè fruuntur, voluptatibus, infelicitas aduenire, quàm vt nullo pœnarum & incommodorum fræno cohibiti vitam in carne, & in vanitate deliciosam pariter ducant, & gloriosam. Nihil est enim felicitate peccantium infelicius. Verè igitur felix haberi debet Rex Dauid, non cum tot per menses aliena vxore impunè ac liberè potitur; sed cum à Deo castigatus, à regia ipsa vrbe, filio persequente abiectus, in exilio, in squalore, in doloribus miserandam traduxit vitam. Proh quantum flagellis profecit, quem deliciæ, atque peccandi libertas à recto virtutis, & honoris studio, & ab ipsius Dei gratia procul expulerunt! En luget Dauid (inquit S. Saluianus) purpura exuitur, diademate exhonoratur: cultu, & corde mutatur. Totum Regem cum ornatibus suis abiicit: pœnitentem cum patrocinio ambitiosi squaloris assumit. hæc ille, *lib. 2. de iud. & prouid.*

Psalm. 31. *S. Gregor.* *Infelix & exitialis felicitas in mundo.*

Felix calamitas cum pœnitentia.

S. Saluian.

Dauidis pœnitentia felix. *S. Saluian.*

6. Sed quænam isthæc tam in spõtaneis, quàm in grauibus diuinitus inflictis suppliciis Regi felicitas fuit? Et tamen (adiungit Saluian.) Rex tanti nominis, sanctitate maior, quàm potestate, prærogatiuis meritorum antecedentium supereminens, cum tanto habitu supplicet, non euadit. Et hic tantus, tam grandis fructus pœnitentiæ est, quod æternis quidem piaculis non addicitur: sed in præsenti tamen veniam non meretur. hæc Saluian. Etsi enim Rex pœnitens veniam culparum à Deo impetrarit, non proinde tamen illarum pœnas in hac vita effugit; misericorditer Domino ita disponente, vt castigatus in præsenti non puniretur in æternum. Prosperatur cum filiis in terra Laban, iustum opprimit, vexat, spoliat Iacobum: at ille miser cum suis in gehennam reseruatur comburendus. Gaudeat igitur iustus, & glorietur cum Iacobo in suis tribulationibus: *Deus* enim (inquit) *fuit mecum.* adest quidem suis seruis Dominus, vt laborantes videat, vt deprecantes audiat. *Ecce oculi Domini super timentes eum, vt eripiat eos.* Psalm. 32. Felices planè, qui Diuinitatis inspectionem merentur; quibus protegendis & conseruandis tota inuigilat Dei prouidentia! Aspectus enim (declarat S. Saluian.) Diuinitatis propitiæ munus est conseruationis humanæ. sic ille. Sed quid de precibus iustorum? *Oculi Domini* (ait Propheta) *super iustos, & aures eius in preces eorum.* Psal. 33. In oculis (adiungit idem Saluian.) affectus aspicientis ostenditur, in auribus semper exaudientis largitas demonstratur. sic ille, *lib. 2. de iud. & prouid.* O hominem quàm felicissimũ, cui præsto sunt semper & oculi, & aures Dei: affectus, & largitas! Intuetur laborantem: exaudit clamantem: intuendo commiseretur, audiendo accurrit, & postulata magnificè largitur, & pius Pater, & magnificus Dominus; imò & æqualem cum pietate magnificentiam patris exhibet.

Gloriandum in tribulatione.

Psalm. 32. *Fauet afflictis Deus.*

S. Saluian.

Psalm. 33.

7. Meritò Iacob, *Deus* (inquit *patris mei fuit mecum.* Semper adest, & suis seruis velut addictã suam habet prouidentiam: liceat ita loqui, cum hoc idem apponat S. Saluian. sic effatus: Quamuis per id quod dicit Diuinas aures in precibus semper esse iustorum, non audientia tantùm Dei, sed quædam quasi obedientia Dei designetur. Quomodo enim in precibus iustorum Diuinæ aures sunt: nisi vt semper audiant, semper exaudiant, vt promptè tribuant, vt illico exaudita concedant? hæc ille. Quàm læti ergo, quàm securi agere debent iusti, licet à mundo malè habeantur, & affligentur? Semper ergo (colligit Saluian.) ad audiendas Sanctorum preces paratæ Domini aures, semper attentæ sunt. sic ille. Quòd si tam pia, tam studiosa, tam diligens ad nostra commoda Dei semper intenta est prouidentia, quid à nobis deinde tam mira, tam paterna Dei nostri beneuolentia exposcit? Bene subinfert ad hunc locum S. Hieron. Quia Deus & audit & videt nos; propterea nos faciamus voluntatem illius. sic Hier. Oculos illi demus, vt nec amare, ne videre quidem contra illum quicquam velimus: aures illi demus, vt illius mandata & libenter auscultemus, & alacriter sanctéque impleamus. Pulchrè idem Saluianus exclamat: Quàm beati essemus omnes, si quàm promptam erga nos Dei audientiam legimus, tam promptè ipsi Deum audire vellemus. hæc ille indicato loco. Prouidentia Diuina oculos suos in bonum hominis habet intentos: at inobedientia humana suos à Deo auertit oculos, ne Deo iubenti pareat; ne Deum vbique præsentem revereatur: sic enim viuit, sic impudenter peccat, ac si latenter id agat, ; ac si nullos suorum scelerum testes habeat & conscios. Dicat igitur vnusquisque hoc ipsum, quod Iacob dicit: Deus semper mecum est, in conspectu illius viuo; oculi Domini super me sunt: omnia illius oculis nuda & aperta: ipsius prouidentia & vigilantia, etsi ad puniendum dissimulatrix sit, ad videndum esse non potest. Intuetur profunda, etiam abyssos perscrutatur: at nihilominus in oculis Domini & Angelorum in nos, nostrásque actiones defixis: nos tamen cæci ac sine sensu viuimus. Quòd si ita omnium (clamat S. Bern.) oculi in nos: nostri quò abierunt? aut quare soli ipsi recesserunt à nobis? à dextris siquidem, & à sinistris tanto studio circunspecti, soli dissimulamus intueri, nec verentes deceptorios, nec administratorios saltem spiritus reuerentes. hæc S. Bern. *serm. 31. de paruis.* Positus quidem est vnusquisque nostrũ velut in medio quodam theatro, in quem vnum hominem

Mira Dei prouidentia erga iustos.

S. Saluian.

S. Saluian.

Promptum à nobis obsequium Dei prouidentia exigit.

D. Hieron.

S. Saluian.

Hominis erga Deum inobedientia.

Deo cuncta patescunt.

Cæcitas hominis erga seipsum. *S. Bernard.*

Homo mediis theatrum effectus.

minem Dei, Angelorum, ac dæmonum intenduntur oculi: at homo, cùm tot contuentibus sit obiectus, cùm tanto consessui circunstantium & circunspectantium sit spectaculum: se tamen ipsum non intuetur, à suis recedit fugitque sensibus, sui prorsus immemor, & contemptor. O cæcitatem, ô dementiam, ô infelicitatem summè deplorandam!

S. Ambros.

8. In nihilum reciderunt doli, fraudésque Laban, & filiorum ad perniciem Iacob nihil mali non struentium. Quid enim illi noceat, cui Deus præsto est? aut quid illi deesse queat (ait S. Ambros.) cui adest rerum omnium plenitudo? sic ille, *lib. 2. de Iacob, cap. 1.* Sed quænam est hæc rerum omnium plenitudo, nisi Deus? illam possidet, qui Deum sibi habet propitium, ac beneuolum. Miratur S. Chrysost. & quidem meritò, cùm Iacob magnam mansuetudinem, tum Laban, & filiorum ingratitudinem. *homil. 57. in Genes.* Enimuerò ille multis & grauibus iniuriis affectus nihil tamen socero ac filiis asperum, nihil virulentum retorsit. O egregiam hominis patientiam! Talis ea in Iacob semper extitit, qualem ita describit S. Zeno Veronens. Semper immobilis manet, alta quadam ac Diuina temperantia robustè librata, vniuersas promotiones animorum placida moderatione compescens: & vt omnia magnopere deuincat, se primò vincit. sic ille, *serm. de patient.* Profectò arma confringet, armatos prosternet exercitus, vniuerso triumphabit de mundo, qui lacessitus iniuriis exulceratum compescit animum, iracundiam cohibet, & æquabilem retinet mentis constantiam. Nemo sibi de virtutibus blandiatur, si vna careat patientia. Mater quidem, magistra, custósque omnium virtutum est patientia. Non enim (adiungit idem Zeno) virtutes possunt esse virtutes, nisi disciplinam quasi quædam solicita Mater patientia custodiret. sic ille. Quid quæso Martyres omnium Sanctorum in Ecclesia Dei efficit illustrissimos, nisi patientia, quam primus martyrum Abel in seipso demonstrauit? Quare optimè apposuit idem Veronensis Episcopus: Abel ideò martyr, quia iustus: ideò iustus, quia patiens, à quo pati martyres didicerunt, patiendo libenter quod non merentur. hæc Zeno Veronensis.

D. Chrysost.
Mansuetudo, & patientia Iacob.
S. Zeno.
Patientia commendatur.
S. Zeno.
S. Zeno.

9. Sed quis non succenseat aduersus inuidos & ingratos Labani filios? Ab iis (inquit S. Ambros.) vt opulentissimus in inuidiam vocabatur, qui suum gregem alieni gregis accessione cumulasset. sic ille, *lib. 2. de Iacob. cap. 1.* Norunt isti quidem suos greges, & vniuersam paternæ domus substantiam post Iacobi aduentum abunde accreuisse: sed suarum opum incrementa nihili æstimant, quandiu alterius hominis etsi cognati augmentum considerant. Sic etiam Aman honoribus ac diuitiis abundantissimus nihili sua omnia quantumuis magna & illustria æstimabat, quandiu videbat pariter aliquali vmbra honoris fruentem ad fores palatij Mardochæum. Sic enim infelix homo postquam amicis sua grandia bona narrando exposuit, adiecisse legitur: *Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quandiu videro Mardochæum Iudæum sedentem ante fores regias.* Esther cap. 5. Non patitur princeps palatij apud regem quòd vnus pauperculus ad fores regias assideat. Profectò libentiùs paterentur Labani filij suas minui facultates, quam alienam substantiam cum propriis eorundem opibus augescere intuerentur: ex bono siquidem alterius inuido nascitur dolor immedicabilis. Ardent quidem inuidi, Iacobum impugnant socer & filij: at iustus constanti animo patientiam exhibet, virtutibus quàm opibus ditior. Est enim illa vera fidelium mater, iustorum nutrix, sanctorum magistra, Christianæ gentis decus & ornamentum. Iccirco dicitur: *Sicut turris Dauid collum tuum.* Cant. 4. Bellè Carpathius Philo per collum intelligit Christianam fidem capiti suo Christo vnitam, vt collum vnitur capiti. Sublimis est turris, quæ cælos, & Trinitatis diuinæ arcana penetrat: rectà in altum assurgit, quæ nulla vi hominum, dæmonúmque inst[i]tuitur. Firma stat, & immobilis, contra quam nec portæ inferni præualent. Sed vide obsecro qualis hæc turris sit, non tam ad impugnandum, quàm ad propugnandum; non tam ad impetendum, quàm ad patiendum instructa est. Nulla in hac turri missilia tela, non tormenta lethiferum eiaculatura globum videntur. Scutis illa tantùm horrescit tota & munitur, vt ictus excipiat, ad patiendum, non ad bellandum, mille clypei pendent ex ea: omnis armatura fortium. Nec enim fortes in Christo alia gestant arma, quàm scuta patientiæ, quibus aduersa omnia constanter excipiunt, ac sustinent: perferendo, non inferendo, vincunt, ac triumphant. Sed ô arcem vitiorum, diuitias! Antequam substantia Labani accresceret, cum adhuc pauperculum gregem soceri pasceret Iacob, concordia domi vigebat; nullus aduersus generum dolus, nulla fraus, iniuriæ, conuicia nulla. Creuerunt deinde greges, creuerunt opes, & cum opibus creuit pariter inuidia; &, quæ ex isto maledicto semine oriuntur fraudes, iniuriæ, conuicia, lites, odia, pullularunt. Quis ergo sapiens à diuitiis, hoc est, ab omnium malorum seminario, non sibi timeat? Perbellè Clem. Alex. Aurum (inquit) & argentum & priuatim & publicè est inuidiosa possessio, si vsum excesserit: rara ad acquirendum: difficilis ad custodiendum, & non apta ad vtendum. sic ille, *2. pædagog. cap. 3.* Quidni valde inepta sit in vsu, cum quo abundantior est, eò maiorem habendi famem excitet: & inuidiam, lites, odiáque exsuscitet? Liber ab his omnibus humanæ vitæ, aut veriùs mundanæ vanitatis, calamitatibus ille perbeatam, vtique securam, transigit vitam, qui vel spiritu pauper mundum cum tota sua pompa irridet: vel saltem mediocritate sua contentus quàm longè à cupiditate, tam longè ab inuidia, & iniuriis viuit. Indigna sunt isthæc bona, quibus & affectandis, & congerendis nostri conatus, curæque ac studia impendantur: nec enim nostra sunt, vt de illorum possessione possimus meritò gloriari. Bene in hanc sententiam scribens consulit Clem. Alex. Sequere Deum nudus ab arrogantia, nudus à pompa momentanea, quod tuum est, quod bonum est, quod auferri non potest, in Deum fidem, beneficentiam in homines possidens: quod quidem est possessio pretiosissima. ita Clem. *2. pædag. cap. 3.* Pulcher sanè vsus diuitiarum, si beneficentiam in pauperes efficiat: felix pecunia, pretiosa substantia, quæ non tam diuitem reddit hominem, quàm pium ac prudentem ipsarum in pauperes dispensatorem. Solum ad huius Christianæ pietatis vsum à sapiente viro expeti possunt diuitiæ, quæ alioqui animo immortali sunt prorsus indignæ. Sapienter enim scripsit idem Clem. Alex. Veræ diuitiæ sunt paupertas cupiditatum: & vera animi magnitudo est, non propter diuitias sibi placere, & magnos spiritus sumere: sed eas despicere. sic ille, *loco citato.*

S. Ambrof.
Tormentum inuidorum de bonis alienis.
Sua bona nihili æstimat inuidus, cum bona videt aliena.
Esther. 5.
Cantic. 4.
Philo Carp.
Describitur patientia Christiana.
Patientia, Christianorũ fortitudo.
Diuitiæ malorum seminarium.
Clem. Alex.
Paupertas religiosa commendatur.
Clem. Alex.
Pulcher diuitiarum vsus in pauperes.
Clem. Alex.
Diuitiarum contemptus.

10. At quid tandem ad contemptum diuitiarum, & omnium bonorum, quæ pluris æstimantur in mundo, potuit efficacius edoceri, quàm quòd Deus humanam assumens naturam, in extrema

Deus homo pauper, pauperes habet.

pauper

paupertate, atque humilitate natus fuerit, vitam egerit, mortémque obierit? Sola in pretio apud Deum habentur cœlestia bona: nihili sunt, nihili æstimantur quæcunque in mundo bona censentur. Illa suis amicis largitur magnificè, ista vel hostibus suis & reprobis attribuit: illa, non hæc, vere diuitem faciunt, & exornant.

Infideles diuitiis pleni.

An non Deus Matrem elegit humano quidem censu pauperem, at infinitis gratiis, donisque supra omne, quod Deus non est, diuitem & gloriosam? Non suæ Matri Deus homo diuitias terræ contulit, quas Turcis, Mauris, gentilibus, suis quidem hostibus ad infernum destinatis (tanquam ossa canibus proiecta) confert amplissimas.

B. Maria diues thesaurorum Dei.

At veris animæ, cœlique opibus, ac donis Matrem suam Virginem ita locupletauit, vt in illo quodammodo effusi & exhausti Diuinæ bonitatis & magnificentiæ thesauri esse videantur. Nec enim vlli creaturæ maius quidpiam & excellentius à Deo, quàm dignitas cùm dotibus Matris Dei potest conferri. Vno verbo complexus omnia salutauit Angelus: *Aue gratia plena.*

Lucæ 1.

Et licet Zacharias, Elisabeth, Apostoli, Ioannes Baptista, Stephanus in sacris literis, pleni gratia & Spiritu sancto fuisse dicantur: in immensum tamen abundantior fuit plenitudo gratiarum in Virgine Dei Matre: vt quæ longè maiorem habuerit sinum, & (vt Theologi loquuntur) capacitatem ad recipiendam Dei gratiam.

Plenitudo gratiæ in B. Maria.

Enimuero vascula dicuntur plena, fons plenus, stagnum plenum, fluuius plenus, ac mare similiter plenum aqua dicitur. At multùm diuersæ plenitudines istæ sunt. Plena quidem sunt omnia, sed iuxta cuiusque mensuram & capacitatem; quæ non eadem omnibus est; ac proinde non eadem in cunctis est aquæ plenitudo. Ita planè cæteri, qui plenitudinem gratiæ accepisse, & Spiritu sancto repleti fuisse dicuntur, vti vascula, vel stagna, vel fluuij fuerunt pleni: at Virgo Dei Mater abyssus, Oceanus, mare vndique interminatum infinitis redundat gratiis.

B. Maria gratiarum abyssus.
Lucæ 1.

Sola Dei Mater ab Angelo & à fidelibus vocatur gratia plena: ita quidem plena, vt etiam (quod summum priuilegium in sola Virgine inter mortales fuit) nullo in momento suæ vitæ plena non extiterit. Vacui omnes ab omni gratia, videlicet filij iræ, hostes Dei, serui dæmonum, originali reatu infecti, primo nostræ conceptionis puncto apparemus.

B. Maria concepta sine peccato originali.

11. At Virgo beatissima non priùs concepta, quàm sanctificata; non priùs vitam, quàm gratiam; non ante primum temporis in rerum natura momentum habuit, quàm cœlestium gratiarum plenitudinem. Aue igitur gratia plena, nunquam non plena, nunquam vacua; semper immaculata, semper sãcta. Vtique aurora vti apparet, illico disparent tenebræ, nec auroram emicantem vlla offendit caligo. Nox quidem est humana conceptio, totum circumuoluitur genus humanum antelucana originalis peccati caligine: cæterum in eo (liceat ita loqui) crepusculo illuxit aurora, Virgo scilicet Mater Dei non tenebris infecta, sed pulcherrima & purissima Diuinæ gratiæ luce coruscans, omnem, ne vel tantulùm accederet, originalis culpæ obscuritatem fugauit.

S. Bernardin.

Optimè S. Bernardin. de Virginis Deiparæ gratia sic effatur. In prima sua sanctificatione Virgo beata progrediebatur *quasi aurora consurgens*. Cant. 6. quia fugauit tenebras horrendæ noctis originalis infectionis, & carnalis societatis humani generis. sic ille, *tom.* 2. *serm.* 51. *cap.* 4.

Cantic. 6.

Non intelligit sanctissimus Pater Virginem Matrem priùs fuisse originali nocte offusam, ac deinde adueniente sanctificatione, fugatis illis tenebris, irradiasse: sed conceptam, simúlque sanctificatam ab originali labe puram, & immunem: vti auroram à tenebris, quas secum exoriens haud patitur, liberam intuemur. Aue igitur gratia plena in conceptione, sicut aurora consurgens: plena, vbi vitam hausit, & quandiu duxit. In sua enim (adiungit idem) conuersatione facta est pulchra vt luna illius cœlestis Solis lumine plena. sic ille.

Ad... viuis... S. Bern.

Aue gratia plena etiam ante incarnationem Verbi. In tertia verò (concludit) sua perfectione propter incarnationem Filij Dei ad tantam lucem veritatis, & ardorem charitatis ascendit, quòd fuit electa vt sol; & tunc omnibus hostibus facta summè fuit *terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Cantic. 4 hæc S. Bernard.

Cantic. S. Bern.

Aue igitur ô Domina mundi, ô Mater Dei in ipsa incarnatione diuini Verbi non solùm vt antè plena, sed superplena gratiis: non emicans vt aurora, non irradians vt luna; sed vti sol immensa splendorum plenitudine cælum, terrámque illustras, & comples.

SECTIO III.

Et ipsa nostis quòd totis viribus meis seruierim patri vestro. Sed & pater vester circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus: & tamen non dimisit eum Deus vt noceret mihi. &c. vsque ad *sibi Laban.*

1. EXponit vxoribus Iacob sui consilij rationem, abeundi scilicet à Labani consortio, & in Chanaan ad parentes redeundi: qui enim iã ampliùs soceri fraudes & iniurias infelix gener poterit sustinere? Pater (inquit) vester me iam multis ab hinc annis habet vti mancipium, non velut ex sorore nepotem, aut generum suum filiarum maritum. Sed non ego detrectaui iugum, non seruitium indignatus & conquestus abieci, imò ne dolui quidem: sed verò totis animi corporísque vires vt seruus in domini obsequium & famulatum exhibui. Hebr. *becol cochi guabadtthi* בכל כחי עבדתי, *in omni vi, & fortitudine mea seruiui,* seu *in omni virore meo.* Sic etiam Psalm 21. *Aruit tanquam testa virtus mea. Cochi* כחי *viror meus.*

Psalm.

Tunc enim fortior est in arbore virtus, cum viret: & quodammodo senescit, atque infringitur, cùm deperdito virore marcescit. Sic in homine viret iuuentus, & viuida virtus animi vigorem & corporis robur ostentat: quæ omnia ingruente senio prorsus euanescunt. Plenus hodie mundus est huiusmodi querimoniis: seruiunt plerique vanissimo iuxtà & iniquissimo suo domino, scilicet mundo totis quidem suis viribus.

Grauis & inutilis seruitus mundo exhibita.

Camelis optime similes habentur à S. Gregor. Quid enim (inquit) esse grauius, atque onustius potest, quàm afflictionem seculi prætereuntis perpeti, & nequaquam ad releuationem mentis gaudia remunerationis sperare? hæc ille, *lib. 1. moral. cap.* 15.

D. Gregor.

Seruiunt miseri, afflictantur, gemunt, dum suarum vanitatum portandis oneribus opprimuntur: sed prono in terram vultu instar pecudum, quibus vnum studium & cura est venter, oculos in sublime haudquaquam attollunt; vnde gaudia mentis, quæ iustis ad præsentium ærumnarum leuamentum condonantur, effundi solent. Seruiunt infelices; at sine præmio laborant, sine fructu lassantur, sine requie opprimuntur: hæc enim felicitas præmij, fructus requietis iis tantùm conceditur, qui pro Deo sudare, ac periclitari in animum induxerunt.

Carent mundani consolationibus Diuinis.

2. Qui

Math. 24.

Mundus molendinum dicitur.

S. August.

2. Quis ergo ſapiens vano, & iniquo credat mundo, à quo premi quidem poteſt, ſed præmio affici nequit? *Matth.* 24. in extrema temporum tribulatione ponitur illud à Domino, *Duæ erunt molentes*. Sed quodnã iſtud eſt molendinum: quænam in eo molentes? declarat optimè S. Auguſt. Molendinum puto dictum mundum iſtum; quia rota quadam temporum voluitur, & amatores ſuos conterit. ſic ille, *in Pſalm. 36. enarrat.* 1. Bellè quidem mundus dicitur molendinum, quod miſeri mortales verſant, & circumuoluunt. At quid ſub illo conteritur? vtique opes congeſtæ mortalium in ludis, in pompis, in deliciis, in vanitatibus, in ganeis & popinis. Vita deinde, ac ſalus & vires corporum in concupiſcentiis, in ambitionibus, in litibus, in vaniſſimis mundo exhibitis obſequiis conſumuntur. Hanc igitur de mortalium opibus, corporibus, & animis ſub grauiſſimo pondere in puluerem redactis ſibi mundus farinam elicit. Quis etiam credat Labano, ſcilicet homini cum mendaci, tum fragili quoque, vt in illius aut amore, aut poteſtate ſuam figat ſpem?

S. Greg. Naz.

Vana in mũdo ſpes.

Benè S. Greg. Nazianz. omnes ſibi diras imprecatur: Si hominum (inquit) potiùs opem, atque adiumentum, quàm Dei præſidium quæſiuero; imbecilli, fragilique rupi vitæ meæ rudentes alligem. hæc ille, *in opuſcul.* Inanis eſt hæc fiducia, vana ſpes, quæ in homine collocatur: parua videlicet ratis per exoletum funiculum male ſaxo, ſeu potius fœno (eſt enim omnis caro fœnum) alligata; quæ leui quolibet flatu auulſa pelagi fluctibus abſorbebitur; aut in tranſuerſum illiſa diſſoluetur. Tam malè igitur ſibi conſulit, tàmque inſanus eſt, qui ſuas extra Deum in homine ſpes collocat, quàm qui medio in ſalo fluctuantem cymbam litoreo fœniculo lætus & ouans ſecuritatem ſomnians apprehenderet. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius.*

Hierem. 17.

Hierem. 17. Fortem ſe miſer iſte iudicat, nec facilè à quauis iniuria dimouendum, cum credit amico, confidit in diuite, in nobili, in principe. Vana illa fortitudo, fragile brachium; quippe quod totum caro eſt, & nihil oſſeum, ac durum & firmum habet.

D. Hieron.

Vana de ſe cuiuſque præſumptio.

3. Simili etiam maledictione feritur, qui putat ſe aliquid eſſe, nec diuinæ gratiæ, ſed propriæ induſtriæ ſuam committit fiduciam. Hoc enim ſenſu ita præſentem locum interpretatur S. Hieron. Maledictus eſt non ſolùm qui ſpem habet in homine, ſed qui ponit carnem brachium ſuum, id eſt, fortitudinem ſuam, & quicquid egerit, non Domini clementiæ, ſed ſuæ putauerit eſſe virtutis. ita S. Hieron. O planè inſipiens ac demens, qui Labano credit, ponitque ſpem ſuam in ſeculo, de quo illud optimè à S. Bernard. dicitur: Hoc interim dum præſens ſeculum manet, vel manat magis & fluit. ſic ille, *ſerm. 2. in ramis palmar.*

Mundi fugacitas.

Quòd ſi mundus tranſit profectò cum mundo tranſeunte noſtræ ſpes ac fiduciæ in illo poſitæ pariter pertranſibunt; cum manante ac fluente ſimul manabunt ac diffluent. Exclamare igitur licet: O munde fallax, ô munde proditor! ſemper manas, perpetuò diffluis, perenniter tranſis, ac peris, & mortalium quaſi firma rupes, quæris animas, corda, ſpéſque retinere. Sed verè fugis, ac diſpares. Ah, quid facerent miſeri amatores tui, ſi ſtares, ſi permaneres, ſi nec falleres, nec malè tuos afficeres? Diuino fit conſilio in vtilitatem ac ſalutem hominum, vt nouis quotidie malis affligatur mundus, nihil in illo iam nunc ſit aut decorum, aut dulce, aut magnum & præclarum, nihil firmum & verum, quo inuitati homines in mundi amorem & obſequium raperentur: Sed miſerè decepti, & illuſi, grauitérque afflicti deceptorem oderint, ac tyrannum fugiant.

Vtilis deſpectio & tribulatio.

Quod quidem in figura contigiſſe legimus Hebræis, dum in Ægypto grauiſſimis calamitatibus opprimerentur, diuina id quidem prouidentia in vtilitatem eorundem ſtatuente iuxta ſententiam Theodoreti, quæ ſic habet. Quare Deus Iſraëliticum populum hæc pati permiſit? Vt odio proſequerentur Ægyptios, & illorum deos, à quibus talia paſſi erant, & vt diligenter parerent mandatis Dei hæc ille.

Theodor.

Itaque tyrannica illa ſeruitus odium erga Ægyptios in Hebræorum animis imprimebat, quo vehementer incitati ad fugam Diuino præcepto indictam citiùs & alacriùs ſeſe expediebant. Pellebant ab Ægypto miſeriæ ad terram promiſſionis, atque ad Deum afflictos & mœrentes, & mala omnia fugientes Hebræos: qui profectò, ſi cuncta ſuccederent proſpera, ſi propitiam & amicam haberent Ægyptum, nequaquam de fuga, de terra promiſſa, de Deo cogitarent.

Proſperitas à Deo retrahit.

Theodor.

Quod Theodoret. in hunc modum adiungit. Nam ſi miſeriis illis afflicti nihilominùs recordabantur deliciarum Ægypti, & ſæpenumero illuc redire conati ſunt, quis illis nullam moleſtiam paſſis ſuadere potuiſſet, vt Ægyptum relinquerent? hæc Theodoret. *q. 13. in Exod.*

Fallax & proditor mũdus.

4. Ingreſſum olim domum lætus & comis excepit Laban; at paulò poſt mille fraudibus, atque iniuriis affecit Iacobum: primò vultum hilarem, & benignum aduenienti; deinde triſtem, ac ſeuerum exhibuit. Sic mundus, quo nihil fallacius, nihil inhumanius, in primis allicit, vt decipiat: blanditur, vt occidat. Nunquam ſcilicet dies illuxit, quin paulò poſt idem occumbat: & qui mane oritur, noctis deinde tenebris ſepelitur. Vt diſcamus (inquit S. Bernard.) in nulla lætitia huius ſeculi habere fiduciam: ſcientes quoniam extrema gaudij luctus occupat. ſic ille citato loco.

S. Bernard.

Ah miſerum hominem, qui fallaciſſimo credit Labano, veteratori ſcilicet peſſimo mundo: & velut incautus in fluuio piſciculus mundani quamlibet honoris, & voluptatis eſcam auide arripit: ſub qua deliteſcens humanæ infelicitatis hamus inhiantem ſtrangulat & ouantem. Hac nimirum vſus ſimilitudine S. Greg. Nyſſ. de mundo ita loquitur: Tanquam eſcam quandam, hanc mundanam occupationem prauo hamo auidioribus porrigit. ſic ille, *tract. de orat.*

S. Greg. Nyſſ.

Decepti à mundo.

O infelix hominum ambitio! inhiant illi ad honores horum fuco decepti: nec quid ſub illis curarum, ſolicitudinum, timorum, ac periculorum lateat, diſpiciunt. Bene ſibi cautus conſulebat S. Gregor. Nazianz. qui bona iſthæc mundi meritò diſpiciens ac deſpiciens aiebat: Infidæ ſunt opes, ſublimiúmque thronorum, & dignitatum faſtus mera ſunt inſomnia. ſic ille, *opuſc. de vita itiner.*

S. Greg. Naz.

At ea noſtra eſt vecordia, vt inſomniis capiamur, ac delectemur. ſatis quidem ridiculi ſumus, quibus ludicra mentes ſenſúſque detineant ac deuinciant. Vniuerſa enim (inquit idem) iſta vitæ noſtræ ludibria ſunt. ſic ille, *opuſcul. de hominis vilit.* Porrò ad maiorem noſtri miſeriam accedit quòd præter vanitatem, qua diſpereunt iſthæc Labani, mundíque bona, ſecum habent malum, quo cruciant & affligunt. Enimuero (vt idem adiungit) lanx certè illa, qua mala continentur, multis partibus præponderabit: at contra lanx ea, in qua vitæ commoda exiſtunt, leuitate ſua ſurſum tendet. hæc Nazianz.

S. Greg. Naz.

Plus mali, quàm boni in mundo.

Itaque honores, dignitates, diuitiæ, ac voluptates huius vitæ mixta ſecum habent bona & mala: verumtamen ſi illorum bona in vna ſtatera, mala verò in altera reponantur; profectò leuior illa, grauior iſta videbitur:

Mundo proditori non fidendum.

debitur: quippe cùm mala & plura sint & multò grauiora; bona verò pauciora & leuiora. O munde proditor, quàm multus in te Iudas inest! osculo filium hominis tradis: oscularis, vt perimas. Quisnam quæso sapiens ac prudens est, cui fraudes, doli, proditionésque istius veteratoris non pateant? Extollit plurimos, non vt honoret, sed vt de sublimi præcipitet, lapsúque miseri grauiore ruant. Quemadmodum Saul Dauidem (vti legimus) amouit à se, & fecit eum tribunum super mille viros, dicens: *Sit super eum manus Philisthinorum.* 1. Reg. 18. Honorauit scilicet hominem, vt occideret. Præbet mundus honorem, vt vitam eripiat. Inuitat ad conuiuium (vti Absalon Amnonem fratrem) sistit mensæ, regalibus pascit epulis, vt iugulet inter dapes & pocula trucidet. 2. *Reg.* 13. Quis ergo fidat veteratori & proditori mundo? Cum de honorando Naboth fraudulentus agit, mortem misero machinatur. *Sedere* (legimus) *fecerunt Naboth inter primos populi.* 3. Reg. 21. vt videlicet sententiam mortis subiret, vt post sedem honoris in cāpo lapidibus impetitus obrueretur. O munde crudelis pariter ac dolose! Infelici homini dicis: Salue mi frater; & quasi osculans occulto gladio perimis, vti Ioab Amasam. 2. *Reg.* 20. Loqueris in dolo, vt percutias, vti Ioab Abner. 1. *Reg.* 3.

1. Reg. 18. *2. Reg. 13.* *3. Reg. 21.* *Crudelis mundus & dolosus.* *2. Reg. 20.* *1. Reg. 3.*

5. Sed cui mortalium non erit infidus & proditor mundus, si Deo ipsi suo, à quo conditus & redemptus est, adeo ingratus & hostis fuit: vt nec venientem è cælo, atque è Virgine Matre natū hospitio exceperit: nec in terris conuersantem honorauerit: sed morte demum turpissima inter latrones crucifixum occiderit? Meritò queritur dilectus Domino discipulus: *In mundo erat, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & sui eum non receperunt.* Ioan. 1. Qui sui? (occurrit ibi S. Aug.) homines ipsi, quos fecit. sic ille. Quod quidem summæ, ac deplorandæ ingratitudinis, atq; infidelitatis est: venire scilicet Deum è cælo in terras propter homines, & ab iisdem nec cognosci, nec recipi: sed conspui, sed flagellari, sed crucifigi. Quis ergo credat mundo, qui Deum suum non recepit, sed infinitis affectum iniuriis & cruciatibus peremit? Benè Dominus ipse infidelitatem, ac dementiam tam infidi & insani proditoris perspectā habens nihil ab illo eorum, quæ dicuntur & putantur bona, vnquam voluit accipere. Semper inops, semper humilis, nec opes, nec honores aut quæsiuit, aut admisit: deliciis, atq; omnibus aliis mundi bonis, & vanitatibus bellum semper habuit indictum. Quæsitus à turbis vt rex crearetur, aufugit: Rex in triumpho Hierosolymam ingressus etiam ab inimicis acclamatus, videns ciuitatem fleuit super eam: & paulò post egressus famem, vti homo, demonstrauit. Dein accumbens alienæ mensæ pertulit quidem mulieris pœnitentis vnguento perfundi dicens calumniantibus: *Mittens hæc vnguentum hoc in corpus meum ad sepeliendum me fecit.* Matth. 26. *Præuenit vngere corpus meum in sepulturam.* Marc. 14. Locus quidem subobscurus est: sed ita explicatur à S. Hier. Quod vos putatis perditionem, officium sepulturæ est. sic ille. At quî potest esse vnctio ista officium sepulturæ, vngendo scilicet corpori Domini Iesu, quod adhuc viuum erat, nec dum mortuum, vt sepulchro inferretur? Planè sic Dominus Iesus, etiam dum viueret, se gerebat, ac si iam corpus defunctum sine vllo sensu ad honores & delicias haberet. Non (inquit) istud vnguentum corpori viuo; sed iam mortuo, ac tumulando superfunditur. Sic in me, licet viuo ad patiendum, sensus omnes corporis ad suscipiendos honores, ad delicias admittēdas mortui sunt, veluti iam corpus vita functū sepulchro esset inferendum. Quamobrem non est quòd quis irascatur in mulierem tam piam, támque religiosam. Nō enim (declarat ibi Caiet.) ad delicias corporis mei, sed velut corpori sepeliendo adhibuit hoc vnguentum. Constat enim quòd cadaueri non adhibetur vnguentum ad delicias. Itaque vtebatur Dominus hac vnctione sine omni sensualitate, sicut cadauer, quod vngitur vt sepeliatur. ita Caiet. O felix, qui ad exemplum Christi Domini sic viueret mortuus mundo, vt illius honores ac delicias sine vllo sensu exciperet, velut vnctionem cadaueri sepeliendo adhibitam! Cæterùm non ita res habet. Sic enim ad ambiendos honores, sic ad conquirendas captandásque mundi & carnis delicias viui sumus, vt nulla in re vegetior, & acrior, & delicatior nobis sensus esse videatur. Christus Dominus in vita mortuus erat ad honores ac delicias mundi: at homunculos non pudet etiam in morte ac post mortem viuos esse velle, ac putari ad honores, & ridiculæ superbiæ vanitates, dum ad suorum cadauerum fœtorem, & saniem excipiendam pretiosorum lapidum monumenta extrui, cælóque attolli imperant mausolæa.

Deo mundus hostis. *S. August.* *Christus delicias & honores mundi respuit.* *Matth. 26.* *Marc. 14.* *D. Hieron.* *Caiet.* *Damnatur cupiditas honorum, ac deliciarum.*

6. Denique immortalem hominis animum, cælo, Deóque natum, nihil æquè deprimit, ac dedecorat, sicut hæc terrenorum bonorum insatiabilis pariter affectio, & possessio. quod regius Vates deplorasse videtur, inquiens: *Humiliasti nos in loco afflictionis.* Psalm. 43. Quis quæso locus iste afflictionis, nisi mundus iste, in quo anima immortalis cum vanitatem, & deliciarum importuna simul & impura conflictatur concupiscentia? legit S. Hieron. *In loco draconum.* S. Chrysost. *In loco sirenum.* Pulchrè mundi bona, honores præsertim, & maximè voluptates carnis, vocantur dracones ac sirenes. Dracones quidem, quia permolestum ac peracerbum animæ gerunt bellum; suarúmque illecebrarum lethale virus imprimunt: tantáque vi, & ferocitate hominem adoriuntur & impugnant, vt nisi Dei gratia ferat opem, expugnent, ac dilacerent. Sirenes verò (quod multò periculosius est) quia fallaci quodam prauæ suauitatis cantu sic animis illabuntur; sic illos detinent, fascinant, dementant, reddúntque stupidos, vt à blanda & lethifera vitiorum dulcedine sese expedire sine Dei gratia nequaquam possint: vt miseri & lamentari & exclamare cogantur, Ite malæ sirenes, vsque in exitium dulces! In hac igitur terra, vbi dracones & sirenes huiusmodi contra hominem excubant in insidiis, humiliati vitiosus & abiecti. Etenim humiliari (vt alibi iam docuimus) in Diuinis literis idem aliquando est, atque pollui, & dehonestari. Non curat infelix Laban, filiique illius aliud, quàm terram ac terræ lutum. Quid enim sunt bona omnia sub cælo, nisi lutum & cænum, quo animæ hominum polluuntur, ac detinentur? Quid verò Deus, quid cælum, quid illius bona & dona sint vel nesciunt prorsus, vel scienter miseri respuunt, atque oderunt. Ac illud quidem certum omnino est, nimis terræ amantem hominem à cæli affectu longè alienum viuere: intentúmque terrenis bonis animam, cælestibus inanem esse. Bene Iethro ad generum Moysen, quem regendi populi curis, ac negotiis distentum videbat, dixisse legitur: *Non bonam rem facis, stulto labore consumeris.* Exod. 18. Meritò rem stultam dicit, laborem stultum, quo frustra Moyses consumitur, totus scilicet vt negotiis temporalibus deditus, ne tantulum quidem & temporis & studij Deo amando & contemplando referuet.

Cupiditas mundi deprimit animam. *Psalm. 43.* *Voluptates alliciunt, & mactant.* *Exod. 18.* *Terra deditus Dei immemor.*

Animus

D.August.

Animus enim nimis occupatus terrenis, Deo quodammodo euacuatur secundùm S.August.qui ad eundem locum sic effatur. *Nunc itaque* (ait Iethro) *audi me, & consilium dabo tibi, & erit Deus tecum.* Vbi mihi videtur significari, nimis intentum humanis actionibus animum Deo quodammodo euacuari: quo fit tantò plenior, quantò in superna atque æterna liberiùs extenditur. hæc S. Aug. *q. 68. in Exod.* Non enim potest quis simul duobus dominis seruire, Deo & mundo.

Diuites ... perli tyr...

7. Ex illo studio & affectu nimio terrenorum bonorum prouenit acerbissima summéque deplotanda tyrannis, qua filij huius seculi pauperculos & misellos opprimunt, vt spolient, ac deuorent sicut escam panis. Videlicet potentium ac diuitum præda & esca solet esse ipsamet inopia & miseria pusillorum. At sciant illi pauperculis, quos vexant, & comedunt, tutorem esse Deum, qui iudex viduarum, & pater dicitur orphanorũ, timeant quod regius Vates cecinit: *Deus stetit in synagoga deorum: in medio autem deos diiudicat.* Psal.81. Quænam isthæc synagoga deorum, nisi conuentus potentium, & iudicum, qui & vocantur in sacris literis dij, & vt tales haberi, colique voluit à plebe? In medio igitur istorum conuentu Deus immortalis dicitur, non sedere quidem, sed stare: sicut ab Stephano, dum lapidaretur, visus est, cum exclamauit: *Video Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* Actor.7. Stat quidem Deus inter potentes, inter iudices, inter principatus, vt laboranti pauperculo subueniat: vbi miser ab omnibus lapidatur. Vnusquisque videlicet in iudicio siue scriba, siue iudex, siue accusator lapidem mittit in pauperem, vt premat, vt deiiciat, vt spoliet, vt occidat. Sic etiam in aulis principum, siue in conuentu magnatum & potentium, in commercio diuitum lapides in pauperum substantiam, vitámque iaciuntur. patet cunctis pauper iniuriis. Solus ille, qui stat, omnipotens Deùs pauperem respicit ac fouet, & qui pauperculorum & miserorum iudex & pater est, iniurias & dolos impiorum hominum considerat, expendit, ac tandem seuerissimè opportuno tempore vindicabit. Hanc ipsam pauperum inter potentes ac diuites infelicitatem egregie depingit Nathan Propheta in sua illa parabola, quam regi Dauidi construxit. *Cum* (inquit) *peregrinus quidam venisset ad diuitẽ parcens ille sumere de ouibus & bobus suis, vt exhiberet conuiuium peregrino illi, qui venerat ad se, tulit ouem viri pauperis, & præparauit cibos homini, qui venerat ad se.* 2. Reg.12. O facinus execrandum! diues conuiuium instruit non de suis, quibus abundat, gregibus, & armentis, sed de ouicula pauperis. Enimuerò de sudoribus, de pauculo pecore, de agello, de hortulo, de vite, de ficu, de cespite pauperum reges ac principes tributa colligunt, vt suæ cupiditati ac superbiæ conuiuium instruant, vt magnos & diuites in regno suos seruos efficiant. Quid quòd respublicæ, ciuitates, viri quoque magnates suis munera regibus ampla, & subsidia in bellum, aliósve huiusmodi sumptus decernunt ac mittunt, nec ea tamen de diuitum & potentum pinguissimis patrimoniis ac reditibus; sed de pauperum prædiolis, aut etiam quotidianis laboribus colligunt? quod S.Saluianus ita suo tempore legitur deplorasse. Indictiones tributarias ipsi interdum diuites faciunt, pro quibus pauperes soluunt. Decernunt potentes quod soluant pauperes: decernit gratia diuitum. quod prodat turba miserorum. Ipsi enim in nullo sentiunt quod decernunt. Estote ergo vos diuites in conferendo, qui estis primi in decernendo. Estote primi in largitate rerum, qui primi estis in liberalitate verborum. Qui das de meo, da & de tuo. Tametsi rectissimè quisquis ille es, qui solus vis capere gratiam, solus patereris expensam. hæc Saluian. *lib.5. de iud. & prouid.* Vident vt isti potentes in seculo conuiuium faciant suis principibus de ouiculis pauperum? Quid quod etiam diuites ac potentes mensam non de suis vineis, hortisque latissimis instruunt, sed de tenui substantiola prope vicina pauperum? Vnde iam nunc (vt idem S.Saluian. scribit) apertissimis facinoribus non furta tantùm diuitum, sed latrocinia comprobantur. Quotus enim quisque iuxta diuitem pauper aut intactus, aut tutus est? Siquidem persuasionibus præpotẽtum aut sua homines imbecilli, aut etiam seipsos cum suis pariter amittunt; vt non immeritò de vtrisque sacer sermo testetur: *Venatio leonis onager in eremo; sic pascua sunt diuitum pauperes.* Eccles 13. hæc S.Saluian. *lib.4. de iud. & prouid.* O pauper, ò misella ouis iuxta diuitem, inter vngues, dentésque leonis!

Psalm. 81.

Actor.7.

Pauper ab omnibus impugnatur.

Deus contra pauper...

2. Reg.12.

Tributis pauperes premũtur.

S.Saluian.

Diuites à tributis immunes.

S.Saluian.

Diues pauperum latro.

Eccl. 13.

8. Est tamen in cælo Deus, qui pauperem respicit: & sicut olim in Dauide adulterium & homicidium, sic in istis pauperum oppressoribus tyrannidem istam per horrenda supplicia expiabit. Hoc ipsum in præsenti loco ita comprobatur. Mille Iacobo fraudes struit Laban, innumeras infert iniurias: decem vicibus, hoc est, permultis mercedem pastori pactam, & promissam, & iam comparatam commutat. Contra vnum Iacobum Laban, & filij armantur omnes: at oculi Domini in pauperem respiciunt, afflicto assistit, consolatur mœrentem: docet autem qua ratione fœtus sibi coloris pacti enascantur. *Vidi* enim (inquit Dominus) *omnia, quæ fecit tibi Laban.* Vltionum quidem Dominus sum, video quæ mala inferant pauperculis diuites ac potentes in seculo; nec aliud æquè doleo, atque opprimi pauperes, dolisque & iniuriis misellos afflictari. Sic apud Isaiam queritur Dominus de vinea Israël: *Expectaui eam, vt faceret vuas, & fecit labruscas.* Isai.5. Est itaque Resp. Hebræorum vinea Domini, sed ea tamen cum maturos, dulcésque racemos proferre debuisset, peracerbos & fellis instar amaros protulit: at quænam ista fuit amaritudo? Declarat statim ipsemet Dominus: *Expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas: & iustitiam, & ecce clamor.* ibidem. Itaque inter Hebræos grauis quædam exercebatur tyrannis in pauperes: in iudiciis non pauperem iustitia defendebat, nec innocentia absoluebat: sed diuitem ac potentem dignitas & pecunia extollebat. Vbique iniquitas, vel (vt alij vertunt) humiliatio, & clamor pauperum. qui humiliati & oppressi, & conculcati pedibus potentium ac diuitum, suam vicem lamentabantur; Deique opem inclamabant. Sed ô infelix ætas mortalium, in qua hodie nulla est Resp. nulla vinea, quæ labruscas pro vuis non proferat; amaritudinem pro dulcedine, iniquitatem pro æquitate! Dolet Dominus labruscas pro vuis produci: sunt enim palato Domini fructus acerbi, amari, ac fellei, quas pauperes & miselli patiuntur, iniuriæ, atque oppressiones. Non vinum, sed acetum propinant Domino, qui pauperes vexant & opprimunt, non minùs quidem acerbum, & intolerandum, quàm quod in cruce pendenti vinitores Hebrææ vineæ obtulerunt Nimirum hoc ipsum Dominus Hebræis exprobrat: *Conuertisti in absynthium iudicium.* Amos 5. Vnde scilicet pauperes iustitiã, pacem, solatiúmque iure optimo sperabant, inde vexati & afflicti, & bonis suis spoliati omnem amaritudinem atque infelicitatem sibi effundi lamentantur. Contra verò iudices ac magistratus

Dolet Deus opprimi pauperes.

Isaiæ 5.

Amos 5.

Iniqua iudicia contra pauperes.

huius seculi, qui non æquitatem in iudiciis respiciunt, sed litigantium potentiam reuerentur, & pecuniam diuitum spe deuotant, conuertunt dulcedinem iudicij in absynthij amaritudinem. At nouerint tandem Deum assistere in iudiciis, & vniuscuiusque notare, atque expendere dicta, scripta, factaque, deinde grauiter minari: *Væ scribentibus, qui iniustitiam scripserunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerẽt causæ humilium populi mei, vt essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent.* Isai. 10. Minæ igitur diuinitus intentantur iis, qui ferunt iniustam sententiam contra pauperes. Maxime autem Diuina vltio in scribas & notarios causarum distringitur: ab illorum siquidem manu, calamóque tota in iudiciis peruersitas, & iniquitas solet prouenire.

Isai. 10.

9. Itaque Laban, & illius filij contra vnum Iacobum peregrinum, hospitem, pauperem alieno in solo, pastorem, mercenarium, famulúmque soceri non linguis tantùm, sed fraudibus, & iniustitiis armantur: ac si nec Deus in cælo esset, qui facta hominum in terris intueretur, expenderet, discuteret, ac puniret tandem: ac si non altera post hanc vita esset, in qua per omnem æternitatem aut supplicia subeunda, aut felicitas bonorum omnium potiunda sit. Planè sic plerosque viuere, agereque videmus in hoc mundo, ac si pecudes se, non homines iudicent: ac si non immortalem semperque permansuram, sed mortalem & cum corpore simul interituram animam sibi esse arbitrarentur. Nihil miseri aliud cogitant, sapiunt, æstimant, nisi mundum, in quo viuunt, quem vnicè diligunt, in cuius bonis suam omnem felicitatem collocarunt. Rectè S. Petr. Chrysolog. admonet: Ne ad mundi longinqua, & nimis peregrina tendamus. sic ille, *serm.* 2. Honores siquidem, voluptates, & securam animi requiem, ac felicitatem ostentat nobis mundus, promittitque. Dein miseri falsa specie illecti accurrimus, inhiamus, manum admouemus, bona, quæ obiiciuntur, rari præsentia, feréque possessa: cæterùm illa sunt longinqua, procul a manu distant, quæ falsò adesse oculis putantur: peregrina quidem sunt a terris, quas incolimus, à vita quam ducimus, ab statu mortali, in quo adhuc sumus, peregrináque proinde à nostro studio, cura, & affectu esse oportet. Hæc mundi bona & lõginqua sunt & peregrina, & in illa vt præsentia propriaque, ac nobis congenita & naturalia tendimus: nec miseri tamen ad præsentia & domestica & nobiscum nata & adulta mundi mala oculos dirigimus. Quàm hodie multi sunt, qui gaudia mundi sperant, mœroresque ac dolores recipiunt! Mella sibi promittunt, & miseri ebibunt fella & absynthium. Sperant à principe nouos honorum titulos, ampliores reditus: & infelices rapiuntur in ergastula, & (vt iam Olisipone vidimus) cum regiis ad grandia munera diplomatibus læti atque ouantes, subitò in suspendia tolluntur. Est quidem mundus, qualem in Græcia veteres depingebant deum hospitalitatis: qui quidem tali erat artificio constructus, vt introeuntibus faciem ostenderet hilarem, seuerum autem vultum egredientibus. Inhumana profectò & belluina conditio mundi: premit suos tyrannico imperio, & miseris insuper famulantibus oculos eruit (vt Samsonem Philisthæi exocularunt) ne suam ipsi videant infelicitatem. Dein grauatos seruitio, luminibus orbatos, in orbem cæco impetu circumactos, fame malorum extrema enecat. Vsque adeo miserorum mundo seruientium excrescit infelicitas pariter & ignominia, vt etiam suam ipsi, qua contabescunt, famem suis sudoribus emercari dicantur à Propheta. *Quare* (inquit) *appenditis argentũ non in panibus, & laborem vestrũ non in saturitate?* Isai. 55. Miseri (declarat S. Hieronym.) qui magnis pretiis, ac labore continuo appendunt argentum pro ea disciplina, in qua non sunt panes: & sudant pro his cibis, in quibus nulla saturitas est. sic Hieron. In schola quidem mundi laboratur, sed frustrà sine fructu: quicquid in ea discitur, ac docetur, in vanum recidit: quippe cum sapientia mundi sit inimica Deo, nec animæ salutem pariat, sed exitium sempiternum. Et nihilominus cæci ac stulti amatores mundi totam suam curam, studium, & vitam in tam ridicula rerum istarum inanitate consumunt. Bene regius Vates hanc stultitiam & cæcitatem hominum considerans risui esse dicit & ludibrio prudentium & sanctorum virorum. *Videbunt iusti, & timebunt, & super eum ridebunt.* Psalm. 51. Vtique psalmus est contra potentem, diuitémque filium huius seculi, qui (vti adiungitur) non posuit Deum adiutorem suum. Risui est miser homo, qui spreto Deo totum se tradit mundo in seruum, barbaro scilicet ac truculento domino, qui laborantem seruum non amico vultu excipit, non meritis donat muneribus. Lanceolis quidem & nouaculis sese Baal sacerdotes incidebant, donec perfunderentur sanguine. 3. *Reg.* 18. at illorum deus, cuius in honorem se miseri dilaniabant, neque vociferantes exaudiuit, nec incisis & sanguine madentibus opem tulit. Ah infelices, qui mundo inseruiunt, martyres se (liceat ita loqui) mundo suo se faciunt exhibéntque in laboribus, in sudoribus; sanguinem fundunt, vitam insumunt: cum tamen barbarus, & infidus cæcum se præbeat, ne videat vt solet: surdúmque ac mutum, ne audiat, ne alloquatur; vt dolorem tollat, vel mitiget.

S. Petr. Chrys.

Falsa mundi bona.

Tyrannus mundi

Fames mundo seruientium.

Isaiæ 55. D. Hieron.

Psalm. 51.

3. Reg. 18.

Mundus erga suos praditur crudelis.

10. Contra verò clemens & pius Dominus iugum suis seruis imponit quàm suauissimum. Labores enim illorum perennibus cœlestium dulcedinum solatiis, & præualentibus suæ gratiæ præsidiis faciles reddit, leues, & amabiles. Clamantes, vel etiam desiderantes exaudit: afflictis opportunam & exoptatam fert opem: pressos humi attollit, humiliatos eleuat. Mille quidem dolos Iacobo struxit Laban, mercedem genero pactam sæpius mutauit socer: at doli, fraudes, atque mutationes in vtilitatem iusto cesserunt. Beatus igitur, qui in protectione Dei cæli commoratur: arrietur licet mundus, fremant maledici, totúsque irruat coniuratus dæmonum exercitus: aspirante Dei gratia in præsidium iusti, & mundus corruet exarmatus, atque exanimis; & maledicorum dentes confringentur; & tartareæ legiones, sicuti noctis tenebræ ad solis ortum, euanescent. Beatus, qui ascendit in montem, & ad locum sanctum eius, qui Domini tabernaculum ingreditur, & sub velo vmbráque illius sanctuarij requiescit: non enim flagellum appropinquabit tabernaculo Domini, quantumuis & fraudum, & iniuriarum flagella Iacobo intentent Laban, eiúsque filij ac ministri. Sed quodnam istud velum est, tabernaculum, & sanctuarium Domini? Illud dubiè beatissima Virgo Dei Mater: ob illius vtique amorem, & preces Deus ipse Filius mortalibus sua dona & beneficia dispensat. Cuius quidem veritatis illud est signum euidentissimum: quia scilicet primum omnium miraculum ad Matris suauissimæ petitionem Dominus in nuptiis operatus est: ac demum sub vitæ exitum proximus passioni miraculum postremum excitando ab inferis Lazarum edidit in reuerentiam sacrosancti nominis Mariæ matris ipsius. Enimuero aduenienti Domino in castel-

lum

Dei clementia in suos.

B. Maria Dei velum & sanctuarium.

Primum & vltimum miraculum in gratiam B. Mariæ à Filio factum. Ioan. 11. S. Pet. Chrys.

lum Martha occurrit, rem totam de funere fratris exposuit, longúmque Dominus coram discipulis de resurrectione mortuorum cum Martha sermonem instituit. Cæterùm non excitauit ab inferis Lazarum, nisi ad preces & lacrymas sororis, quæ tandem accesserat, Mariæ. *Ioan.* 11. Quia videlicet (subnotauit S. P. Chrysol.) sine Maria nec effugari mors poterat, nec vita reparari. sic ille, *serm.* 4. Nimirum sicuti beatissima Virgo mediatrix Deo fuit ad expellendam mortem, vitámque reparandam: etiam ipsamet absente voluit Dominus ipsius Filius, vt saltem Matris suæ sanctissimum & dulcissimum assistat nomen ad excitandum ab inferis Lazarum: quo detur intelligi mortalibus validissimum illis à Deo constitutum esse præsidium in sacrosancto nomine Dei Genitricis Mariæ; illúdque in corde teneant, ore frequentissimè pronuncient: Aue MARIA. Denique refert vxoribus Iacob admonitum se à Deo, id est, ab Angelo Deum repræsentante quonam artificio, dolóque in hostem licito suam de fœtura gregum multiplicaret mercedem, & substantiam, vetat modestia minutim singula commentari.

Inuocandum B. Mariæ nomen sacrosanctum.

SECTIO IV.

Ego sum Deus Bethel, vbi vnxisti lapidem, & votum vouisti mihi. Nunc ergo surge, & egredere de terra hac, reuertens in terram natiuitatis tuæ. Responderúntque Rachel & Lia: Nunquid habemus residui quidquam in facultatibus & hæreditate domus patris nostri? Nonne quasi alienas reputauit nos, & vendidit, comedítque pretium nostrum? Sed Deus tulit opes patris nostri, & eas tradidit nobis, ac filiis nostris: vnde omnia quæ præcepit tibi Deus, fac.

1. NArrat vlteriùs vxoribus suis Iacob Dei visionem, quam acceperat. Enimuerò qui loquebatur, aut ipsemet Deus erat, aut verosimiliùs Deum repræsentans, Deique vicem gerens Angelus. Dicit itaque seipsum illum esse, qui peregrinanti olim Iacob, atque in solo nudo pernoctanti apparuerat, summo cælum vsque pertingentis scalæ nixus cacumini. Quæ visio narrata est superiùs *cap.* 28. Hoc autem Angelus commemorauit, ne fortè Iacob illusionem phantasiæ, quæ in somnis frequenter occurrit; aut dæmonis astum, quo viri iusti sæpiùs pertentantur, extimesceret. Non habet locum tartareus hostis, vbi Diuinum adest præsidium, quo Iacob inter Labani, ac filiorum contumelias & calumnias, perfruitur securus. Deus enim (inquit ad hunc locum Theodoret.) certat pro iniuriam passis. Vt cognoscas per experientiam quanta prouidentia fruontur, qui confidunt in Deo omnium autore. sic ille, *q.* 88. *in Gen.* Spes quidem non confundit, nec vana iusto est in Deo fiducia. Inuident enim Iacob socer & cognati, mercede fraudare debita, bonísque immenso labore per omnem iustitiam acquisitis spoliare hominem moliuntur: at Deus è cælo iustum beneuolè respicit, ab iniuriis tuetur, illæsúmque conseruat, ac demum ingenti pecorum, & opulentæ supellectilis incremento in dies locupletem, & gloriosum reddit.

Spes & auxilium in Deo.

Theodor.

2. Ita planè cum Ecclesia Dei actum videmus. Tyranni siquidem, malique principes vi, ferróque armat, inhiantes Ecclesiasticis opibus cupiditate, templa, templorúmque vasa, vestes, prædia, reditúsque aut magna ex parte, aut funditus depopulati sunt. Sed in immensum tandem Ecclesiæ Christianæ templa, vtensilia, reditus, opésque accreuerunt: videlicet ad eam Ecclesiam dicente Domino: *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis.* Cantic. 7. Nimirum ille ipse venter, quem depeculatores suo debito iure, cibóque fraudauerant; cui iustam portionem iniustè surripuerant, factus à Domino est aceruus tritici. Abundat quidem sibi, & aliis ditissima penus est. Vnde hoc? quia vallatus liliis: spe ac fiducia Dei vndique cinctus. Notum est enim, & vulgo tritum spei ac fiduciæ symbolum extitisse lilium. In quo etiam videtur edoceri vir iustus, maximè sacerdos, cuius portio, & hæreditas Deus est, non sibi tam curandum de tritico, quàm de lilio: non congerendis vndecunque thesauris, sed spei ac fiduciæ in Deo, præstandique Domino obsequij studium sibi fore continuum. Circumuallata quippe est (exponit ibi Theodor.) & custodita hæc repositio tranquillitate, quæ agri liliorum exemplo in Euangelio declaratur, ne istius vitæ solicitudinibus mens, quasi bonus agricola, spiritali ipsius fructu priuetur. hæc Theodoret. Impedit profectò nimia vitæ istius solicitudo spiritualem animæ profectum, qui à Dei prouidentia, gratiáque magis, quàm ab hominis pendet industria. Hæc tamen ab illo exigitur, vti Iacob virgarum (quod suprà vidimus) artificio vsus est: ne desit homo gratiæ Dei, atque ignauus, & supinus Diuinis se speret beneficiis cumulari.

Ecclesia spoliata, sed aucta.

Cantic. 7.

Lilium spei symbolum

Tutus in Deo caret mundi curis Theodor.

Hominis industria cum Dei gratia.

3. Consuluit Dominum Dauid, consurgerétne contra Philistæos, præliúmque iniret; qui respondit: *Non ascendas contra eos, sed gyra post tergum eorum, & venies ad eos ex aduerso pyrorũ. Et cum audieris sonitum gradientem in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium: quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuã, vt percutiat castra Philistiim.* 2. Reg. 5. Cur ita Dominus locum, & tempus ad ineundum prælium assignauit: vt scilicet & Dauid iniret prælium, & Dominus percuteret Philistæos? quia hoc ipsum ita ordo, legésque militiæ præscribebant. An non Dauidi posset Dominus inermi & quiescenti præbere victoriam? posset quidem: sed tamen industria, bellantis animus, dexteritas, stratagema, impetúsque ad victoriam exposcitur. *Manus Domini facta est super Eliam, accinctísque lũbis currebat ante Achab.* 3. Reg. 18. Ad cursum Dei manus impellebat Eliam; actus ille Diuino impulsu præcurrebat: cæterùm non sine aliquali industria, quam superiori virtuti diuinitus hominem impellenti, accinctus, expeditóque (vt moris est) habitu ad iter, & cursum capessendum exhibuit. Hic idem Iordanis alueum transiturus *tulit palliũ suum, & inuoluit illud, & percussit aquas, quæ diuisæ sunt.* 4. Reg. 2. Sciebat quidem tantum illud miraculum Diuinæ fore virtutis, atque ad contactum pallij sui, & aquarum fluminis à Deo peragendum: at nihilominùs pallio non expanso, sed inuoluto ad instar virgæ aquas percussit. Hanc enim ab illo Dominus industriam exigebat. Fidendum itaque potius est Diuinæ gratiæ; sed tamen omnes humani conatus, industriæque promendæ: vt homo Dei cooperator esse dicatur.

2. Reg. 5. *Deus ab homine industriam exigit.*

3. Reg. 18.

4. Reg. 2. *Homo Dei cooperator.*

4. Porrò Iacob à Deo visionem illam certò fuisse cognouit, illámque vti habebat, vxoribus retulit, ne fortè vlla subiret suspicio fraudis à veteratore spiritu instructæ: *Ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis.* 2. Cor. 11. Videlicet diabolus (exponit ibi S. Anselm.) assumit præclarum habitũ, & apparet hominibus vt credatur sanctus

2. Corint. 11. *Diabolica illusio.* S. Anselm.

angelus, & ita decipiat, & cum se transfigurat, opus est nobis iudicare, & dignoscere, ne fallendo ad aliqua perniciosa seducat. sic ille. Hoc maximè dignoscitur malus angelus, cum hominis animū ad superbiam, & quid aliud simile permouet: plenæ siquidem historiæ sunt infinitis ruinis hominum miserorum, qui à Satana in angelum lucis transfigurato turpiter illusi, & consequenter vana illa visione, quam Diuinam esse sibi persuadebant, inflati & superbi in extremum vitiorum, & cæcitatis barathrum deciderunt. Scilicet ipsemet Satanas de se inaniter præsumens è cælo in gehennam prolapsus, quidni hominem vana quadam gloriola deceptum, sibíque blandientem ex alto virtutis statu, sedéque prudentiæ præcipitet? Scribitur enim: *In oculis eius quasi hamo capiet eum.* Iob. 40. Enatabat quidem (vt ita loquar) angelus in profundissimo illo supernaturalium, ac naturalium bonorum pelago. Inde tamen superbia per illius oculos ad instar hami totum angelum miserrimè illectum extra patriom sinum ac portum expiscata in gehennæ incendium præcipitauit. Hoc actu plerosque decipit hostis; quorum oculi sunt hamus, & illicium diaboli, quibus miseros intercipit, foràsque extrahit, nimirum altè de se præsumentes, propriæ aut nobilitatis, aut scientiæ, aut virtutis ornamento inflaros, Deíque oblitos. Quocirca monet ad locum Pauli S. Hieron. Non tam facile somniis, aut aliquibus quasi angelis lucis fides habenda: ne fortè transfiguret se Satanas in angelum lucis, & decipiat ac fallat incautos. sic ille.

Superbia ruinarum causa.

Iob 40.

Superbia hamus diaboli.

D. Hieron.

Cauendum ab illusionibus diaboli.

5. At Iacob vir & prudentia naturali, & supernaturali gratia munitus dæmonum fraudibus non succubuit, sed certò cognouit Deum esse, quem videret, & quem audiret loquentem: *Ego sum Deus Bethel, vbi vnxisti lapidem.* Non ait: Vbi scalam cælos attingentem vidisti, vbi Angelos deorsum ac sursum cursitantes expectasti, vbi Deum in summo gradu stantem contuitus domum esse Dei, ac cæli portam exclamasti. Hæc enim omnia Dei solius erant, illius nimirum dona, & beneficia peregrino, exuli ac laboranti præstita. Sed *vbi vnxisti lapidem*: vbi Deo, quem videras, obsequium exhibuisti erecto in titulum marmore, oleúmque supereffundens symbolicè animi pietatem, fidémque, ac fragrantissimi odoris votum obtulisti. O admirabilem Diuinæ beneficentiæ magnitudinem! Non meminit Dominus, non commemorat quid ipsemet homini præstiterit, sed quid ab homine acceperit. Non sua refert beneficia, sed hominis prædicat officia. Non vbi Deus apparuerit, cælúmque suum monstrauerit; sed vbi homo lapidem vnxerit, Deóque debitum cultum exhibuerit, ac votum emiserit. Veluti (liceat dicere) nostra pluris æstimet opera & merita, quàm sua, quibus perfruimur, dona, & gratias, quibus ornamur. Hoc idem in die iudicij palam Dominus contestabitur. Enimuerò suam gloriam electis donabit in præmium bonorum operum, quæ sigillatim commemorabit. Operuistis me, vestistis me, visitastis, &c. Atque adeò quia hæc eadem non effecerint, reprobis sempiternam maledictionem irrogabit. Nec tamen legimus Dominum ipsum vtrisque commemoraturum quàm multa, quàm grandia illis beneficia contulerit: quorum in vtramuis partem vsus illis ad gloriam, istis ad gehennam quàm maximè valebunt. Talem quippe, ac tantum habemus Dominum, cui seruimus, vt nec nostris indigeat obsequiis, nec ab illis suum mutuetur honorem. à seipso habet, vt diues, vt magnus, vt gloriosus sit. At nos miseri, & viles, & nihilum, si quid magnum, & speciosum habemus,

Magni Deus æstimat hominis obsequia.

Christus in die iudicij nostra opera commendabit.

Matth. 25.

Nos Deo egemus, non ille nobis.

A ab illo accepimus; ex quo amplius subintulit S. Hieron. Quid vnquam tam superbum, quid verò tam ingratum videri potest, quàm aduersùs eius viuere voluntatem, à quo ipsum viuere acceperis? quàm illius præcepta despicere, qui ideo aliquid imperat, vt causas habeat remunerandi? neque enim obsequij nostri Deus indiget, sed nos illius indigemus imperio, hæc S. Hieron. *epist. ad Celant. matron.* Quin etiam cum Dominus nostra celebrat prædicátque opera; sua planè prædicat & celebrat. Illa siquidem non tam a nobis exeunt, quàm ab illo procedunt. Potiores enim in bono opere hominis partes habet Dei gratia præueniens, adiuuans, subsequens, quàm voluntas, actióque humana. Iccirco valde gloriosum Domino est, vt sua B gratia efficaciter in nobis operetur, nostrámque voluntatem in bonum opus cum suauitate inclinet, cum efficacitate reddat operantem.

D. Hieron.

Gratia Dei in operibus nostris.

6. *Nunc ergo surge.*] Haud sine mysterio ponitur illatio & consecutio, *nunc ergo.* Sensus est: Quia ego sum ille Deus, quem pio ritu vnctionis coluisti, cuius in honorem solemne illud votum nuncupasti: *nunc ergo*: tandem hoc tempus est, quod expectabam, vt tibi & cæremoniam vnctionis, & votum debitis persoluam præmiis. *Surge, & egredere, &c.* Putares fortè in obliuione apud me tua fuisse posita obsequia. Nec arboris folium sine mea prouidentia decidit: & capilli de capite serui mei omnes numerati sunt. *Matth.* 10. Equidem haud possum obliuisci mearum promissio- C num, & mihi mea fides iustitiáque pluris est, quàm quælibet hominum officia. Hæc Domini sententia prædicatur ab Isaia: *Erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renū eius.* Isaiæ 11. Cingit Deum sua ipsa veracitas, fidelitas, iustitiáque: nec enim Dominum hominis opera constringūt, obligant, debitorémque reddunt, atque ad soluendum compellunt: sed ipsius data fides, veráxque promissio, per quam suæ iustitiæ obligatum se reddidit. Vana essent profectò, & inutilia hominis opera, nisi ex quodam quasi contractu Dei cum homine, bene operanti accederet diuina promissio, à qua bonum quodcunque opus habet vt meritum sit, Deúmque ex iustitia obliget. Non est enim creaturæ ad Creatorem iustitia, nisi hæc D fundetur in pacto Dei cum homine, atque in fideli, veracique ipsius ad hominem promissione. Sic planè legimus miranda quædam, & prodigiosa Dauidis facinora: nec tamen illis in stuporem mortalium gestis quicquam a rege Saule aut promeruisse, aut accepisse. Vrsos quippe, ac leones pastor solus inermis in agro obtruncarat. Minoris subinde virtutis, & facinoris fuit de gigante victoria: sed huic tamen (quia ex pacto promissa) reddita fuit in vxorem Regis filia. 1. *Reg.* 17. Præclarom quidem opus, sed sine pacto editum nullo in pretio habetur: illo autem accedente perquam pretiosum, & gloriosum est.

Deus remunerator fidelis.

Matth. 10.

Isaiæ 11.

Deum sua obligat veracitas.

Ad meritum operis opus est Dei pacto.

1. Reg. 17.

7. Ratum profectò, statutúmque est, vt homini bene operanti præmium à Deo & promis- E sum sit, & merenti reddatur: nec aliud in lege Dei frequentiùs inculcatur. Ea quippe Dei magnitudo, & magnificentia est; ea subinde hominis cum inopia, tum cupiditas; vt ille voluntatem hominis ad virtutem propositis accendat præmiis potiùs, quàm terroribus ac minis compellat: iste suis intentus commodis ad captanda Dei munera concitetur vehementiùs, quàm terroribus cogatur. *Quis est homo* (clamat Propheta) *qui vult vitam, & diligit videre dies bonos?* Psalm. 33. Priùs siquidem (occurrit S. August.) mentem nostram inflammat ad præmium, vt qood præcipitur, magis bonum

Dei magnificentia erga hominem.

Psalm. 33.

Præmiis hominem Deus inflammat.

S. August.

bonum amando, quàm malum timendo faciamus. hæc ille *lib. 5 o.homil. hom. 1. c. 1. Nunc ergo* (ait Dominus) *egredere*. Pauca obtulisti, recipies plurima. Pro vnctione lapideæ columnæ, pro voto in futurum emisso redi tandem in patriam, ad parentes tuos, cum vxoribus, & liberis, cū seruis & ancillis; opibus & honoribus perquàm celebris & gloriosus. Hæc Dei nostri magnificentia hominum tantula officia, tam mitis suæ benignitatis muneribus, ac beneficiis persoluentis! quo in argumento illud scribitur sanè quàm memorabile. Postquàm scilicet Dominus spiritū Mosis septuaginta senioribus distribuit, legislator ipse cum iisdem adoraturus Dominum accessit ad tabernaculum. *Viderunt autem* (legitur) *Deum Israel, & sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphyrini, & quasi cælū cum* B *serenum est*. Exod. 24. Vbi *lapidis*, vertitur etiam à

Exod. 24. Caiet. *lateris*: ab aliis *mensa*. Sed quorsum lateres inter sapphyros, gemmásque pretiosas? Quid luto eum sereno cælo, stellisque distincto? Quorsum Deus maiestatem suam Moysi, ac senioribus repræsentans pedes in lateribus, nimirum fictilibus,

Lyppoman. ac luteis collocauit? Egregiè Lyppomanus respondet: Significabat secundùm Hebræos lateres fidelium in Ægypto versos in sapphyrum: seruitutem corporis in libertatem spiritus, secundùm nos.

Quanti Deus æstimet nostra obsequia. hæc ille. Proh immensam Dei bonitatem, atque admirabilem Dei magnificentiam! Viden' vt hominum persoluat obsequia; vt quod pro illius amore patimur, præclaris & copiosis donet beneficiis? Lateres Hebræorum manibus, laboréque C in Ægyptiaca seruitute confectos, in gemmas, sapphyrósque conuertat? quin etiam in stellas, quibus suum picturauit cælum? Quid subinde obsecro faceret ipsis seruorum suorum manibus luto infectis, cæno sordidis, labotando fessis, concisis,

Pati pro Deo gloriosum & fructuosum. sanguinéque manantibus? Pulchrum sanè, gloriosum, atque insigniter homini fructuosum pro Deo periclitari, pro Dei obsequio affligi, pro Dei amore grauissima quæque pati ab hominibus! Vincunt Dei præmia hominum agones. Vincuntur nostra illius beneficiis officia: immensum, atque infinitum est, quod recipimus: quod patimur, prope nullum. *Momentaneum* quippe (autore Apostolo) *& leue tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. 2. Corinth. 4. Neque verò maxima so-

2. Corint. 4. *Maiora Dei præmia, quàm hominis opera.* lùm, sed & leuissima hominum officia Dominus respicit, amplectitur, æstimat, condonat, quorum etiam capillos habet (vt superiùs vidimus) numeratos. Quod quidem (ait S. Hieron.) immensam Dei

D. Hieron. erga homines ostendit prouidentiam. & ineffabilem signat affectum, quod nihil nostrum lateat Deum, etiam parua & otiosè dicta eius scientiam non fugiant. sic ille, ad 10. *Matth.*

8. *Nunquid habemus residui quicquam?*] Lamprìdem à patre filiarum animi abalienati recesserant: nec illius atrox & agreste ingenium, mores impij,

Impietas patris in filias. turpísque auaritia merebantur aliud. Rumpuntur omnia iura naturæ, vbi tam fœda cupiditas, támque hostiles fraudes, támque execranda in gene- E rum ipsúmque ex sorore nepotem, atque adeo in filias, tenerósque nepotes impietas. Quid iam (inquiunt) restat amplius? quid à tam impio, tam barbaro expectandum patre? Nonne nos exhæredes fecit? nihil nobis in dotem reliquit miseris. Sibi omnia latro & helluo vsurpauit, atque etiam ligurìuit. Excludimur miseræ à paterna domo indotatæ, atque ab ipsa filiabus debita hæreditate in sempiternum expulsæ. Nobiscum pater egit, vti cum extraneis, aut ignotus & peregrinus, aut (quod potius) vti hostis cum captiuis. Nos quippe non locauit filias in matrimonium pater, sed viro

Ben Fernand. in Genesim. 2.

A ancillas herus vendidit: & consequenter nostræ venditionis pretium, nostri scilicet viri quatuordecim annis in pascendis gregibus seruitutem sibi serus homo arrogauit. An non istud fuit potius lenonis scorta prostituentis, quàm patris filias nuptui tradentis? Aduerte hic vbi vertitur: *Pretium*, Hebr. poni *chesesh* פכס *argentum*, à radice *chasaph* פכס *diligere, amare*: eo quòd argentum sit omnibus amabile, ac desiderabile. Hæc est mortalium conditio, vt quia nihil aliud æquè pulchrum & gloriosum illis est, atque pecunia; sic auidiori studio quicquam aliud non affectent, non curent, non inquirant, ac pecuniam. Humanæ vitæ pecunia fulcimentum est, absque ista nutat & corruit illa. Sanguis est nobilitatis humanæ pecunia: fouet, nutrit, vegetat, viuámque & viuidam, & formosam reddit nobilitatem pecunia. Miseri apud homines habentur, qui pecunia carent, atque inter viuos vti mortua corpora trahuntur potiùs, quàm viua incedunt. *Pecunia amor & pretium.*

9. Profectò hanc in auro nummorum pretiosissimo vim perspectam habens Nabuchodonosor mortales sibi subiectos in sui adorationem aut pellicere, aut verò etiam cogere voluit. Idcirco enim fecit statuam, regia figura conspicuam, vt in ea sacrilegus rex à Babyloniis adoraretur. quod S. Hieron. & Theodoret. *Dan. 3.* adnotarunt, & nos priore tom. ad *cap. 14 sect. 19.* scripsimus. Sed vt facilius hominum oculos intuitu statuæ detineret, animósque in adorationem pertraheret: totam ex auro fecit statuam: quod enim præsens ipsamet persona regis ab hominibus non posset elicere; ipsius aurea statua licet muta & inanimis ob auri fulgorem, & mortalium cupiditatem auro inhiantem mirabiliter extorqueret. Rapit quidem oculos, mentésque in se, ac post se aurum. Nec solùm Babylonij hominem aureum, sed etiam Hebræi vitulos ac bestias aureas adorabant: ab auro suppetias quæsiuit Ieroboam, vt adoratione vitulorum aureorum idololatriam Israelitis à vero patrum suorum Deo abductis speciosam, amplectendámque efficeret. Est quidem *auaritia simulachrorum seruitus*, ad Col. 3. Qui enim (explicat Theodoret.) vitio seruit auaritiæ, tanquam Deum colit diuitias. sic ille. Intelligendum autem hoc est secundùm similitudinem: nec enim auaritia est species idololatriæ. Quia (vt S. Thom. animaduertit) auarus ponit vitam suam in pecunia: idololatra est quando quis exhibet alicui imagini honorem debitum Deo. Auarus autem honorem debitum Deo exhibet pecuniæ; quia tota sua vita circa hoc est. sic ille. Quæ quidem seruitus, quæ idololatria cùm in quolibet fideli sit execranda, maximè verò est in viro Ecclesiastico, cuius Deus hæreditas & portio. *Aurum idololatria prosidium.* Dan. 3. ad Coloss. 3. Theod. *Auaritia cū idololatria comparatur.* S. Thom. *Auaritia dedecet Ecclesiasticos.*

10. Mirum est, quàm seuerè Dominus in templo egerit. *Intrauit enim* (scribitur) *Iesus in templum Dei, & eiiciebat vendentes, & ementes in templo, & mensas nummulariorū, & cathedras vendentium colūbas euertit, & dixit eis: Scriptum est: Domus mea, domus orationis vocabitur. Vos autem fecistis illā speluncam latronum*. Matth. 21. Vide quàm sit infamis auaritia, vt de augustissimo Dei tēplo efficiat speluncam latronū. Latro enim est (occurrit S. Hier.) & templum Dei in latronum conuertit specum qui de religione sectatur, cultúsque eius non tam cultus Dei, quàm negotiationis occasio est. sic ille. Nihil æquè Dei Ecclesiam decolorat, atque auaritia, cum in viris Ecclesiasticis deprehenditur. Idcirco Dominus mensas subuertit, pétque humum dispergit pecuniam, veluti reum solo prostratum, & pertractum, hominum potiùs concul- Matth. 21. D. Hieron. *Auaritia infamat Ecclesiam.* *Pecunia debellatur à Christo.*

candum pedibus, quàm in mensis, in abacis reponendum. Scilicet in terram, vnde eruitur, tandem in sui condemnationem recondatur necesse est.

11. *Sed Deus tulit opes patris nostri.*] Ita in caput tyranni recidunt, quas aliis solet struere, technæ; & moliri, fraudes. Cessauit patri fœcunditas & felicitas in gregibus: viro autem nostro, nobisque, & liberis diuinitus augescit in dies. Iniquitas in caput patris nostri, quam nobis intulerat, conuersa est. At patrem (quod mirari non desino) nihilominus vocant, etsi Labanum, scilicet impium, idololatram, versipellem, filiarum proditorem, eundem & generi & nepotum hostem capitalem; denique hominum oppressorem, ac Dei contemptorem. Hæc planè debet esse filiorum erga parentes reuerentia, & pietas. Abnegandum patris, ac matris nunquam est nomen. Modestia, submissio, charitas in vtrumque nullis vnquam iniuriis inde acceptis amitti debet, aut debilitari. Exhæredauit pater, domo abiecit, expulsum concidit filium (si quando id vsquam visum est) vulneribus? at pater est: at pater dici à filio, & honorari debet. *Deus* (inquiunt) *tulit opes patris nostri:* cuius & nomen & reuerentiam nostris infixam mentibus nulla obscurabit obliuio, nulla ipsius iniquitas labefactabit. Amandi quidem sunt parentes, tolerandi sunt, etiam cum oderunt (si tamen id contingit) cum nocent: hoc ipso nimirum, quòd parentes sunt. In hanc sententiam optimè scripsit S. Hieron. ad fœminam, quæ matris ingenium perosa longè alio ab illius contubernio habitatura diuertit. sic infit: Tu filia eius domum angustam iudicas, cuius non tibi fuit venter angustus? nouem mensibus vtero clausa vixisti; & vno die in vno cubiculo cum matre non duras? Difficilis est mater: non bene morata mater est. Illa te diu portauit, difficiliores infantiæ mores blanda pietate sustinuit. hæc ille, *Epist. de vitand. contub. susp.*

Pietas filiorum in parentes.

Pater etiam malus honoretur.

D. Hieron.

Honoranda mater etiam mala.

12. Præstringit quidem harum mulierum pietas in Labanum patrem, Christianorum hominum, siqui sunt parentibus duri, dirique barbaram impietatem. Illæ patrem ethnicum, ferocem ingenio, moribus insuauem, agnoscebant tamen, colebant, venerabantur: at erit inter fideles, qui parentem fidelem, Christi seruum, & à quo in fide veri Dei fuerit egregiè institutus, nesciat tamen, obliuiscatur, expellat, oderit; honore, cibo, domóque defraudet? Bene S. Hieron. Fœminam illam, ad quam scripsit, incusat, eo quòd à matre abscesserit illius exosa mores: Quæ tamen (adiungit) vt Christum amares docuit. sic ille. Quis non miretur vti Christus Dominus in cruce pendens, vulneribus confossus, exanguis, semianimis, moribundus denique, seriò tamen, grauitérque pietatem filij erga matrem suam virginem exhibuerit? *Mulier* (inquit) *ecce filius tuus: deinde discipulo: Ecce mater tua.* Ioan. 19. Ad quem locum quærit optimè S. Chrysost. Sed cur non alius mulieris meminit, cum adessent? nimirum aderant Maria Magdalene, Maria Salome, Maria Iacobi, & multæ aliæ piæ fœminæ, quæ ad passionem sublata cruce inter militum arma, satellites præsidis, & Iudæorum opprobria, blasphemiásque euntem Dominum Iesum comitatæ fuerant; crucísque affixum lamentabantur: at nihil tamen illis Dominus loquitur: solius meminit parentis, quia parens est. Admonens videlicet (respondet S. Chrysost.) quiddam amplius matribus tribuendum. Vt enim cum spiritualia impediunt parentes, ne cognoscendi quidem sunt: ita cum nihil impediunt, meritò omnia his sunt tribuenda, & omnibus præferendi: quia genuerunt, quòd educauerunt, quòd innumeras pro ipsis molestias subierunt. hæc ille, *hom. 84. in Ioan.* Moriens itaque Dominus meminit Matris, Matrem alloquitur, Matris curam dilecto discipulo committit, Matri egregium pietatis præstat officium & obsequium. Nec enim in terris, vnde abscedebat, quicquam aliud æquè pretiosum, charum, & gloriosum intuebatur. Quicquid enim in cælo & in terra creatũ à Deo est, infinito distat interuallo à beatissima semper Virgine Dei Matre. Profectò (liceat dicere) felicissimi oculi Domini IESV, non solùm quia Dei hominis sunt, & velut fenestræ, aut (si mauis dicere) specilla diuinitatis: sed etiam quia primum, & postremum obiectum omnium, quæ in terris hauserunt, fuit ipsa Dei Mater, cuius excellentia & maiestas omnium, quæ vel esse, vel cogitari possunt, sub Deo maxima est. Natus ex vtero Virginis Deus homo Matrem rerum omnium primam intuitus est; moriens tandem in cruce Matrem ipsam Virginem postremò inspiciens oculos in mortem clausit. Denique in cælum ascendens oculos in dilectissimam & suauissimam Matrem defigens à terris, & a conspectu mortalium aufugit.

Amandus parens qui bene instituit filium.

Christus in cruce pietatem in parentes docet.

Ioan. 19.

D. Chrysost.

D. Chrysost.

Christus de cruce matrẽ alloquutus.

B. Maria obiectum oculorum Christi.

13. *Vnde omnia, quæ præcepit tibi Deus, fac.*] Quàm bene iam, sanctéque à viro suo institutæ fœminæ! Deum nouerunt, Deum nominant, verum quidem illum, quem vir earundem adorabat, cuius in tutela erat, cui se totum gubernandum commiserat. Celebrant præ mulieres Dei prouidentiam, quæ sedulò curat res humanas; afflicto & oppresso Iacobo benignissimè consulit; veteratorem Labanum meritò irrogatis castigat suppliciis: auarum scilicet, fraudulentum, raptorem, iniustum, tyrannum denique concupita pecorum fœtura, & perquisitis domesticæ substantiæ priuat incrementis: afflictum verò Iacobum, & iniquè sæpius delusum, ac proprio iure, & peculio spoliatum immensis bonorum omnium augmentis diuitem reddit, ac perbeatum. Sed Deus (inquiunt) tulit opes patris nostri, & eas tradidit nobis ac filiis nostris. Longè quidem melior est fœminæ vir optimus, quàm pater, quàm mater. Icciirco Dominus matrimonium instituens, *Erunt* (inquit) *duo in carne vna: atque adeo alter alteri, postbabitis parentibus, adhærebit.* Meritò igitur Elcana vxorem Annã sterilitatis mœrore confectam solabatur: *Anna cur fles? & quare non comedis? & quamobrem affligitur cor tuum? Nunquid non ego melior tibi sum, quàm decem filij?* 1. Reg. 1. Nec filij, quibus parenti charius & dulcius nihil est, multóque minùs parentes ipsi & fratres maritatæ fœminæ, quàm vir ipsius, si bonus, si amans, si iustus est, prodesse consueuerunt. Alacri ergo, & vnanimi consensu respondent: *Vnde omnia, quæ præcepit tibi Deus, fac.* Sed heus vos quid loquimini? Præcipit Deus marito, vt abscedat, vt fugiat, vt liberos, vt vxores secum abripiat. Itáne verò vt parentes, vt natales foci, ac lares, à quibus & in quibus natæ, nutritæque fuistis, relinquendi sint? Secedendum à patria, in exterum solum, cælúmque ad ignotas gentes exulandum? Clam à patre fugiendum inter mille discrimina, laborésque & itineris molestias, tenellis, delicatulis, adolescentulis cum graui paruulorum sarcina peregrinandum? *Vnde omnia, quæ præcepit tibi Deus, fac.* Virum fugientem, exulantem, laborantem, periclitantem lætæ, ouantésque sequuntur. Vincit omnia iustus & sanctus amor.

Vxor à viro bene instituta.

Vxori nihil melius, quàm vir bonus.

Genes. 2.

1. Reg. 1.

Amor vxoris erga virum.

14. Frustra obiiciuntur, incassum intentantur amori grauissima quæque pericula. Solus enim amor difficultatis nomine erubescit. Purior, verior, vehementior amor est, quem plures & grauiores

Fortis & victor amor.

grauiores oppugnant quidem, sed non expugnant A difficultates. Quin etiam amanti nihil difficile. Non aduerso flumine, contráue auram; aut tarda, velísque ac remis carente cymba nauigat amor. Nihil arduum, nihil non leue, dulcéque amori est. Inflatis fauonio carbasis, fortiter æquè ac suauiter aquam remis falcantibus secundo flumine fertur & volat Euro velocius amor. Non maris falsam findit aquam, sed dulci amne lusitat amor. Ne cessa igitur (aiunt) neque differ. Fac quæ tibi à Deo tuo sunt imperata: & cum Deus tecum sit, patrem dimittimus & matrem libentissimè, & cognatos, & domum, & patriam, tibi adhæremus. Quòcunque Deus vocat, abi: nos enim quocunque perrexeris, te comitabimur. B Amantibus viros vxoribus nihil est arduum. Nobis vna tecum & caro & voluntas, & anima. Egregia sanè pietas, & mira fœminarum constantia, virtus, charitas! Inuitare debet virum mulier ad parendum Deo, ad virtutis opera exequenda, incitare ad studia pietatis, ad Deum adducere: non autem à virtute, à pietate, à Deo auertere: sequatur bene operantem virum vxor, iubenti secundùm iustitiam obedire marito necesse est. Parant igitur se alacri studio, hilarique animo ad fugam, ad laborem, ad exilium delicatæ mulieres, quibus amor erga virum Iacobum & vela & remos, alásque dabat. O egregium symbolum amantium Deo amantium! pro cælo, in quod suspirant, pro Deo, quem vnice amant, & desiderant, nihil illis tam C graue, tam arduum est, quam non ire, non currere ad Deum, non in cælum introire ad gaudia Domini sui. Nihil tam facile, tam leue, tam dulce est, quàm difficultatibus omnibus alacriter perruptis in cælum aduolare, Deóque tandem inhærere. Pulchrè S. August. in hanc eandem sententiam ita disserit: Si non est tribulatio, non est peregrinatio: si autem peregrinatio est, aut parū patriam diligis, aut sine dubio tribularis. Quis enim non tribuletur non esse cum eo, quod desiderat? Sed vnde tibi non videtur ista tribulatio? quia non amas. Ama alteram vitam & videbis quia ista vita tribulatio est, quacunque prosperitate fulgeat, quibuslibet deliciis abundet, atque circumfloreat. Quando nondum est illud gaudium sine vlla ten- D tatione certissimum, quod nobis in fine seruat Deus, sine dubio tribulatio est. hæc S. August. *in Psalm.* 137. Fugam igitur cum Iacobo à Labano fœminæ meditantur. Nos cum Christo & Sponso & Patre animatum à mundo, à carne, ab omnibus vitiis, cursúsque mundi in cælum fugiamus. Audiamus elamantem & sequamur præeuntem: *Surgite* (inquit) *eamus hinc.* Ioan. 14. Ad quæ verba S. Ambros. ita disserit: Qui saluus esse vult, supra mundum ascendat, fugiat hunc mundum. Non enim potest percipere illud quod est, & est semper, nisi priùs hinc fugerit. Vnde & Dominus volens Patri Deo appropinquare, ad Apostolos ait: *Surgite, eamus hinc.* hæc S. Ambros. *lib. de fuga se-* E *culi, cap.* 1. *Surgite* (omnibus clamat Dominus) *eamus hinc*: à cœno in pratum; à sordibus in flores, in gemmas; à miseriis, ad felicitatem; à seruitute, in libertatem; à carcere, in palatium. Infelicior est mundus carcere. Maiores siquidē (probat Tertull.) tenebras habet mundus, quæ hominum præcordia excæcant. Grauiores catenas induit mundus, quæ ipsas animas hominum constringunt. Peiores immunditias expirat mundus, libidines hominum. Plures postremò mundus reos continet: scilicet vniuersum hominum genus. *lib. ad Martyres.*

Vir & vxor ad virtutem mutuò ducunt.

S. August.

Tribulatio est extra Deum esse.

Ioann. 14. *Fugiendum à mundo cum Christo.*

Mundus carcer est. Tertull.

SECTIO V.

Surrexit itaq; Iacob, & impositis liberis ac coniugibus suis super camelos, abiit. Tulitq; omnem substantiam suam, & greges, & quidquid in Mesopotamia acquisierat, pergens ad Isaac patrem suum in terram Chanaan.

1. PErspectam iam habens Iacob vxorum voluntatem, & ad fugam, itinerísque laborem capessendum vtriusque vnanimem consensionem (inuita enim & coacta, imò & restitante ac lugente nihil arduum moliri vxore prudens debet maritus) alacriter se ad iter accingit. Camelis igitur imponit quatuor vxores, vndecim filios, vnicam filiam. Maximus natu omnium Ruben nondum quatuordecim annos compleuerat: minimus Ioseph vix erat sexennis. Cum hoc tandem comitatu fugam arripuit, Labano, eiúsque filiis, domo, familiáque insalutatis. Indignus planè mūdus est, (cuius typus Laban) quo cum viuas, cum quo habites, & multò minus cui seruias: indignus, quem, cum relinqueris, honoris tamen ergo salutes: indignus, cui seruus Dei aue dixerit. *Vanitas* (inquit Ecclesiastes 1.) *quæ in hoc seculo sunt.* Quare (monet S. Ambros.) qui saluus esse vult, supra mundum ascendat, quærat Verbum apud Deum, fugiat hunc mundum, terras relinquat. sic ille, *lib. de fuga seculi, cap.* 1. Est quidem Labanus, vti præmisimus, veterator iniquus & inhumanus mundi, animatum, Deique hostis celebratum à Patribus symbolum. Nec aliud ab iisdem ita frequenter, ita grauiter, serióque inculcatur, quàm & à Labano recedendum, & à mundo fugiendum. Iccirco videlicet, quia nihil homini ad vitia procliui, amantíque illecebratum difficilius occurrit, quàm Laban, quàm mundus. In quam sententiam optimè illud scripsit S. Ambros. Frequens nobis est de effugiendo seculo isto sermo; atque vtinam quàm facilis sermo, tam cautus & solicitus esset effectus. hæc ille citato loco. Bene quidem. Nam & mundi vanitas, & mundi fallacia, imposturæ, insidiæ omnibus cognitæ linguas contra ipsum mundum distringunt, sed non animos ita. Mundum incusamus omnes, mundum vocibus execramur: sed animis tamen amplectimur, affectibus etiam fugientem sectamur. Sed (quod peius est) adiungit S. Ambros. frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum offusio mentem occupat; vt quod studeas vitare, hoc cogites, animóque voluas: quod cauere difficile est homini, exuere autem impossibile. sic ille. Dicit impossibile spectato hominis ingenio post naturam corruptam, & citra Dei gratiam; cuius tamen virtute mundus, & mundi quæcunque vanitates, atque irritamenta quotidie à viris, à fœminis, à pueris, puellisque in religiosum statum confugientibus in Ecclesia Christi despiciuntur, vincuntur, conculcantur. Cæterùm si humanam consideres infirmitatem in opere tam arduo & glorioso relinquendi mundum; voti (ait S. Ambros.) eam magis esse rem, quàm effectus. testatur propheta dicendo: *Declina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam.* Psalm. 118. sic ille. Itaque boc opus est Diuinæ gratiæ, non humanæ virtutis. Deus est, qui auertit hominis animum ab auaritia, & in suam legem, gratiámque conuertit. Non enim (addit S. Ambros.) in potestate nostra est cor nostrum: sed nostræ cogitationes, quæ improuiso offusæ mentem, animúmque confundunt, atque aliò trahunt,

Mundus non sero affectu indignus.

Eccles. 1. S. Ambros.

Laban mundi typus.

S. Ambros.

Mundum voce accusamus, affectu amplectimur.

S. Ambros.

S. Ambros.

Mundum relinquere magna difficultas.

S. Ambros.

hunt, quàm tu proposueris, ad secularia retrocant, mundana inserunt, voluptuaria ingerunt, illecebrosa intexunt. Vnde ipso in tempore, quo eleuare mentem paramus, insertis inanibus cogitationibus ad terrena plerunque deiicimur. hæc ille.

Oratio impugnatur à diabolo.

2. Hæc scilicet vna est ex molestissimis, quas in hac vita patimur, calamitatibus. Enimuero diabolus aut orationem, cui volumus insistere, omnino conatur impedire, vt qui rectè nouerit præclarum in ea situm esse homini ad omnem virtutem & incitamentum, & fulcimentum; aut saltem importunis, iisque ineptis, & sæpe indecoris ac turpibus dehonestare cogitationibus. Verba illa S. Ambrosij citat & commendat S. August. *lib. 2. contra Iul. & Pelag. cap.* 8. In quibus (inquit) verbis quoddam speculum communis humanæ infirmitatis agnoscitur. sic ille.

S. August.

Dei gratia in certamine vitiorum.

Quod quidem permittitur homini ad exercendam humilitatem, ad implorandam instantiùs Dei gratiam; qua nimirum adiuuante cum vitiis periculosum faciat, & gloriosum postremò conficiat certamen. Quoniam (ait S. August.) quamlibet fortiter contra vitia dimicemus, homines sumus: Dei autem gratia sic nos in hoc corruptibili corpore adiuuat dimicantes, vt non desit, propter quod exaudiat veniam postulantes: *Dimitte nobis debita nostra.* Matth. 6. hæc ille.

Matth. 6.

Quis fructus ex culpis venialibus.

Itaque iuxta S. August. peccata venialia & quotidiana à Deo permittuntur, nec datur (vt loquuntur Theologi) auxilium ad omnia collectim sumpta euitanda, vt propterea cogatur homo ad orationis asylum confugere, in eáque de commissis huiusmodi defectibus à Deo veniam implorare. Tam grata scilicet Deo est hominis cum humilitate deprecatio, vt propter illam iugiter faciendam permittat Dominus in veniales culpas hominem frequẽter elabi: salubriúsque sit, & gloriosius homini humilem Deo exhibere orationem, quàm omnibus carere defectibus, nec pro illorum venia impetranda orationis indigere suffragio.

Gratia Redemptoris elucet in pugna cum vitiis.

Prætereà hæc tam importuna & periculis plena, quam cum vitiis gerimus, pugna diuinitus permittitur; vt admiranda Redemptoris Domini demonstretur virtus; quæ tanta est, vt fragili, luteoque homini victoriam de diabolo concedat ac triumphum. Nam etsi agnoscimus, & dolemus in nobis nascentis originis vitium, iustificationis tamen non est desperãda perfectio. Quia sicut (inquit S. August.) est humana natura Creatori Deo formabilis, ita sanabilis Redemptori. hæc ille citato loco.

S. August.

Oratio pro venialibus culpis.

Quapropter iubemur à Domino vti Dominicam orationem quotidie recitantes dicamus: *Dimitte nobis debita nostra.* Matth. 6. Videlicet (vti concludit S. August.) in ista fragilitate & infirmitate pro quotidianis peccatis, sine quibus hic non viuitur, etiam cum bene viuitur, quotidianam remissionem & vt petamus prouidenter instruit, & petentes clementer exaudit. hæc August. *contra duas Epistol. Pelag. lib. 4. ad finem.*

S. August.

A venialibus soli Christus & Mater immunes.

Iuxta hanc doctrinam à culpis venialibus nulla est in hac vita sanctitas omnino immunis. quibus sanè (Christo & matre Christi exceptis) nemo liber extitit: nascuntur enim velut noxia germina à fomite peccati, & ab originali reatu. quibus soli Christus & Virgo Mater in genere humano caruerunt.

3. Sic igitur in lubrico, & in maligno positus est mundus; tam turpi luto, glutinosóque cœno scatet, vt etiam summis quidem pedibus incedentem virum iustum, atque perfectioni studentem aliquali saltem leuiorum culparum labe inficiat.

Necesse est à mundo fugere.

Quis ergo non effugiat cœnosum, ne turpetur? Quis non irrideat vanum, ne cum vano desipiat?
A Quis non declinet fraudulentum, ne capiatur insidiis, ne illaqueetur dolis, ne præstigiis dementetur? fugiendum ergo ab huiusmodi proditore, auolandum ab isto malorum omnium volutabro, in fuga libertas, salus, felicitas. Icciro dolebat Propheta: *Perijt fuga a me.* Psalm. 141. Grauatas vtique habebat pennas, & fortasse auolare non poterat. ait S. Ambros. *de fuga seculi cap.* 5. Grauatas nimirum aut inanibus seculi curis, aut etiam prauis cogitationibus, ac memoria illecebrarum ex anteacto scelere, in quo permultos iacuit menses. Quamobrem clamabat: *Quis dabit mihi pennas sicut columba, & requiescam?* Ps. 54. Vbi enim (declarat S. Ambros.) volatus, ibi requies. hæc ille loco indicato.

Psalm. 141.

Psalm. 54.

S. Ambros.

Affectibus à mũdo fugiendum.

Porrò hæc fuga, hic volatus à mundo non gressibus fit, sed affectibus. B In mundo quippe commorans, & viuens, si affectu tamen fertur in sublimia, si corde cælum affectat, si animo adhæret Deo; extra mundum est, fugit, auolauit à mundo; cuius cupiditatibus non constringitur, cuius solicitudinibus non tenetur, cuius amore non illigatur, cuius deliciis non eneruatur, cuius vanitatibus non intumescit. Hanc viri iusti à mundo fugam illa Hebræorum ab Ægypto fuga præfigurauit. Sic enim (ait S. Ambros.) fugit & populus Hebræorum, vt fides eius, & vita inter fluctus sibi aperiret viam. Fuga illa erat trames innocentiæ, virtutis via, pietatis assumptio. sic ille, *lib. de fuga seculi, cap.* 4.

S. Ambros.

Nihil in mũdo solidum.

4. Et quis est, si tamen sapiat, qui affectu saltem C à mundo non fugiat, in quo nihil solidum & firmum est, cui se immortalis animus possit adstringere? Fugiamus ergo hinc (colligit S. Ambros.) vbi nihil est, vbi inane est omne quod magnificum putatur esse: vbi & qui se putat aliquid esse, nihil est, omnino non est. sic ille, *cap.* 5.

S. Ambros.

Volatile, vanum, penéque nihil est, quod in mundo pulchrum, iucundum, & spectabile videtur. Quid enim in mũdo diutius persistit? Quid cum transeunte non transit pariter, cum fugaci non fugit, cum volatili non abit in auras? Hilari vultu Iacobum Labanus excipit, generum facit duarum filiarum maritum. Lætus adolescens exultat amore, coniugioque Rachelis, & numerosa liberorum turba felix D habetur Iacob. At volat Euro velocior humana lætitia.

Infidelitas mundi.

Labanus commutat vultum, exacerbat animum, hostem se Iacobo & filiabus capitalem exhibet: armatur tota Labani contra Iacobum familia: iniuriis, fraudibus, violentiis Iacob lacessitus, & vexatus procul aufugere cogitur. Hoc est ingenium veteratoris, & infida conditio mundi. Nemo sibi ex sua, si quam habet, felicitate blandiatur, amicum mundi, ac fortunæ filium se iudicet. Non ita est. Sed indiscretè (inquit S. Ambros.) veniunt ista, quæ modo fluminis quodam seculi profluuio voluntantur. sic ille, *in Psal.* 72.

S. Ambros.

Mundus instar torrentis.

Est quidem mundus instar fluminis, aut consonantiùs E verbis sancti doctoris, instar torrentis, hyberno ac lutulento profluuio stagnantis: alueo igitur secum diuitias, honores, voluptates, terrenáque huiusmodi bona defert; atque (vt fit) casu sua quæ portat, vtramuis in ripam exonerat: huc videlicet pecuniam expuit, illuc honorem ingerit, alibi voluptates relinquit. Sed quis credat fraudulento, quis incerto torrenti fidat? Inerescet subinde, atque iteratis profluuiis obiecta quæque ac vicina corradens, sua, quæ priùs alicubi remiserat, longè aliò deuoluet. Nec miseris, quibus beneuolè afflauerat, nil nisi paleas, lutum, egestatem, opprobria, extremámq; importabit calamitatem. Quod quidem Propheta se vidisse testatur: *Vidi* (inquiens) *superexaltatum, & eleuatũ supra cedros Libani.*

Psalm. 36. S. Ambros. *Mundi inconstantia.*

A *bani. Et transiui, & ecce non erat.* Psalm. 36. bene occurrit S. Ambros. Incredibilis celeritas extinctionis eius. Quanta est enim vmbra in terra? quam non diuturna? Transpone vestigium, & vmbra præterit. hæc ille citato loco. Transit quidem mundus, & cum eo bona illa, quibus cæci homines inhiant, pariter transeunt. Quin etiam si non transiissent; adhuc fallaci non credendum mundo.

S. Bernard.

Sunt enim (vt bene loquitur S. Bernard.) illius pomposi quidem, sed periculosi fauores. sic ille, *Epistol.* 104.

Periculosus religiosis mundus.

5. Fugam Iacob à Laban, hoc est, à mundo, quem virtutis amor incitat, & Christianæ perfectionis, vti Rachelis, abducit affectus, etiam insalutato hospite, seu potiùs hoste deluso, vir prudens arripit, vocantem, & præeuntem sequens

B Deum. Heus tu (inquam) ô quisquis es: In mari hoc

S. Ambros.

(monet S. Ambros.) nauigas, & in hoc seculo fluctuas. Fuge terram, saxa habet, lapides habet. Nã sæpe nautæ, maximè in tempestate, fugiunt terram. sic ille, *in Psalm.* 36.

Cautè nauiget religiosus.

Nec enim religioso viro in cœlestem patriam enauiganti, etsi multis diuexetur incommodis, etsi grauioribus religionis affligetur laboribus, maiora intentantur pericula, quàm ab ipsa, quã reliquit, terra; quàm ab ipso, a quo fugit, mundo. Rupes habet mundus, quibus impactam religiosus nauim allidit, si currat incautus, ac frangit. Cautè igitur, vt securè possit, mundi radens oram velificet oportet religiosus: atque vt cautiùs & securiùs nauiget, procul effugiens ab omni consortio mundi in sempiternum

C valere iubeat seculum, & seculi vniuersam pompam ac felicitatem.

Mundus omnium hostis.

Omnium hostis est mundus, maximè religiosorum. Putant miseri, qui mundo inseruiunt, ab illo se amari. O stultos, qui tali fidunt amicitiæ, tali credunt amico! Perfidiosus ille in amicitia est, nulli integram seruat fidem. Quem mundus amicum non læsit? cui se de amico non fecit proditorem? Quòd si amicos, si seruos, iniuriis, dolis, perfidia mundus agitat, cum quare putet inimicitias cum fide habere religiosus? Plena sunt omnia in Labani domo, in mundo, & laqueis, & foueis: facile illos induunt, citò in istas decidunt, ipsisque absorbentur, quos temere, incautéque vagos mundus foris intercipit.

Secura religio.

D In tuto planè agunt qui carcerem potiùs religionis, quam mundi eligunt libertatem. Sic Patriarchatum renuncians, & pristino religionis Instituto se restituens S. Gregor. Nazianz. vehementi exultabat gaudio: Cum iis (inquiens) consuetudinem habeam, qui vagam mentem velut compedibus quibusdam astrictam intus collegerunt. hæc Nazian. *ad Episcop.*

S. Greg. Naz. *Anima religionis constricta triūphat.*

Pulchrè dictum. Habet quidem suam intus collectam religiosus animam, ne foris aut inquinetur, aut illaqueetur. Habet constrictam obedientiæ, regularúmque funibus: non tamen dolet constrictus; sed inter hos nexus triumphanti similis clamat: *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Psalm. 72.

Psalm. 72. *Encomia religiosi.*

E 6. Agnosce igitur ô religiose dignitatem tuam, quam mundi commercio aut perdis omnino, aut certè decoloras. Te scilicet iure optimo vocat S. Gregor. Nazianz. margaritam inter gemmas, inter sydera luciferum, ver inter anni partes, rosam inter flores. sic ille, *opusc. ad Hellenium.* Cur ergo margaritam luto infici, obscurari luciferum, ver hyemalibus fœdari iniuriis, rosam aut spinis discerpi, aut cæno turpari patiemur? At nonne satius erat cum Labano viuere, cuius in domo gregum, seruorum, substantiæ, bonorúmque huiusmodi omnium circunfluebat felicitas? Non planè. Præstat enim multò magis peregrinam & pauperem vitam agere. Sunt namque diuitiæ vitiorum suppellex, subsidium, arx, seminarium. Faciliúsque intrabit camelus per foramen acus, quàm diues in regnum cælorum.

Paupertas organum. S. Greg. Naz.

At paupertas sacra (vt loquitur S. Gregor. Nazianz.) velut est commodissimum virtutis organum. sic ille loco proximè citato. Proh suauissimum concentum, qui redditur à paupertate euangelica! resonat hîc humilitas, mansuetudo, modestia, corporis & animæ puritas, Dei charitas. Dulce quidem hoc melos efficitur in organo paupertatis, quod Christiana virtus, inflatum Dei spiritu, in harmoniam percutit modulatissimam. At non satius erat in Mesopotamiæ vrbe nobili, inter cognatos, & amicos, cum parentibus puellas vitam ducere; quàm per vastas ire solitudines, die noctéq; in desertis cum Iacobo commorari?

Commendatur vita religiosa.

Nonne adolescenti melius foret libero frui mundo, vagari per vrbem, mortalium tam iucundis, quàm variis se immiscere conuentibus, & colloquiis: quàm religionis claustro teneri, parietibus & muris circumuallari, seu vinciri potiùs, aut etiam in eremo inter feras, & syluas ante mortem sepeliri? Non quidem. Lætus enim & felix dicit cum S. Hieron. *Mihi oppidum carcer est, & solitudo paradisus.* hæc ille, *Epist. ad Rust. monach.*

D. Hieron.

Religiosis solitudo vtilis.

7. Sic planè res habet. Religioso viro vel ipsa Olisipo carcer est, vbi scilicet plura sunt vincula, quibus oculi, aurésque, atque animi capiuntur & constringuntur. Vbi nulla est libertas spiritus: sed plurium passim seruitus, ac tyrannis vitiorum.

Religiosa vita lau.

Contra verò solitudo, & religionis claustrum procul à seculo non tam locorum spatiis, quàm animorum affectibus, vitæque melioris institutis distant: instárque habent cœlestis paradisi: nimirum ibi de Deo, & cum Deo agitur, ibi Deus loquitur, Angeli audiuntur, videntur, commorantur. Vbi etiam peccata non sunt, aut rarò admissa, illico sopiuntur. Laboratur in religione: cum incommodis, afflictionibus, ærumnis, ac tentationibus perenniter est colluctandum? Bene id quidem. Sed his videlicet depuratur ac demonstratur prudentia hominis, & constantia.

D. Chrysost. *Religiosorum encomia.*

Sicut enim (inquit S. Chrysost.) gubernatorem tempestates, & ducem pericula; sic & religiosum tentatio apparere facit. sic ille, *homil.* 20. *ad populum Antiochen.* Præterea seminariũ illud est palmarũ, victoriarum, triumphorum. Quot enim luctæ, quot tentationes, quot tribulationes religioso subeundæ incurrunt: tot quidem è cæli floribus contexuntur coronæ, capitíque presso afflictionibus imponuntur. Hæc est illustrior portio gregis Christi, hi verè Christi milites, serui, amici; Christiano stigmate consignati: quippe verbis & factis; ore, ac vita Christum confitentur.

Secularium malignitas.

Plena sunt oppida, vrbes abundant, scatet seculum innumerabili hominum multitudine, qui Deo mentiuntur, filij nequam, filij alieni, claudicantes à semitis suis. Christum ore confitentes, vita blasphemantes; nomine Christiani, moribus infideles. Horum impietatem Propheta deplorabat: *Miserere mei Domine, quoniam tribulor; conturbatus est in ira oculus meus.* Psalm. 30.

Psalm. 30.

Tria quidem patitur Vates: tribulatur, conturbatur, irascitur. Tribulatur animo, conturbatur oculis, videns irascitur.

D. August.

Quare subtiliter S. August. Si tribularis (inquit) cur irasceris? irascitur iste alienis peccatis. Quis non irascatur videns homines seculo verbis, & non factis renunciantes? hæc ille. addiderim: & quis non irascatur videns homines Deum verbis, & non factis confitentes? Aspirat religiosus Christianæ perfectioni; vti verbis, sic moribus Christi doctrinam profitetur.

Zelus religiosorum.

Zeloque honoris

honoris Dei, atque salutis animarum accensus piè irascitur, intus conturbatur, dolet aliena peccata, vt sua. Scimus enim (scribit S. Bernard.) monachi officium esse non docere, sed lugere. sic ille. *serm. 64. in Cant.* liceat mihi dicere: Scimus institutum nostræ Societatis esse & docere, & lugere. Nostra quippe anteactæ vitæ vulnera & proximorum dolemus, curare, sanareque nitimur: dein Christi doctrinam, bonarúmque literarum disciplinas inculcamus.

S. Bernard.

8. Fugit Labani domum Iacob; valere iussit seculum religiosus, mundi honoribus, delicijsque nuncium remisit: at non proinde melioribus caret gaudiis voluptatum. Meritò enim S. Bernard. hoc de argumento disserens ait: Delectationes non perdimus, sed mutamus: de corpore ad animum, & de sensibus ad conscientiam. sic ille, *de vit. sol. ad fratr. de monte Dei.* Enimuero abdicauit se religiosus omnibus carnis voluptatibus: sed loco illarum spiritualibus & cœlestibus à Deo concessis perfunditur. Qui enim posset homo carne infirma, & post peccatum corrupta indutus carnis illecebras conculcare, atque innumeras in virtutis studio perferre molestias, absque diuinarum subsidio voluptatum? Columbarum instar à terris in altum auolantium ad fenestras cæli, & in foraminibus petræ, hoc est, in vulneribus IESV Domini crucifixi nidificantium viri religiosi ab huiuo sese erigunt, terrestrium bonorum spreto pabulo, cœlestia bona desiderant, Deoque pascuntur. Quocirca vnum illis periculum vel maximè timeri potest, ac debet: ne ab alto se deiiciant, ne humum ac lutum repetant, ne à libertate spiritus, ad laqueos, ad viscum, ad cœnum, ad caueam, ad seruitutem reuolent, non minùs execrando, quàm deplorando casu. Quo in sensu S. Bernard. religiosum columbæ comparans hæc apponit: Quid ergo timendum est sic volanti, nisi ne fortè cadauer, vel simile aliquid in terra videat, cuius desiderio tractus videatur à venatoribus illis pessimis, & præparatis laqueis capiatur? sic ille, *serm. 3. in Psal. Qui habitat.* Beatus igitur erit, qui possit dicere: *Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium.* Psalm. 90. Nec enim vel in ipsa religione tutus erit, nisi quem Domini gratia liberabit.

Religiosi vitæ gaudia. *S. Bernard.* *Vis religiosis periculum.* *S. Bernard. Religiosi ruina.* *Psalm. 90.*

9. Verumenimuero etsi præsens locus ad religiosos cum Iacobo à Labano & à mundo fugientes pertineat, mirificè tamen conuenit felicissimis fœminis, quæ Sponso cœlesti Domino IESV consecratæ delicias carnis, mundique vanitates virili planè ausu, & Apostolico spiritu in sempiternum abdicauerunt. Sic enim subnotauit Procopius ad hunc locum: Venerandæ Saluatoris sponsæ parato animo sequuntur vocantem, quasi ipsi Deo sint à mundo venditæ. Nam non pecunia, sed suo cruore sponsas emit Christus. sic ille. Fugiunt itaque cum Iacobo Lia & Rachel, patriam, penates, parentes, cognatos oblitæ: fugiunt cum Christo Sponso virgines, fugiunt & viduæ, quarum cœnobia in Christiana Ecclesia vernantium instar pratorum cœlestem ipsum paradisum æmulantur. Suadet iure optimo S. Hieron. Furiæ matronæ nobili, vt in alendis sacrarum monialium conuentibus suam eroget substantiam: Suscipe (inquiens) viduas, quas inter virginum lilia, & martyrum rosas quasi quasdam violas misceas: pro corona spinea, in qua Christus mundi delicta portauit, talia serta compone. sic ille, *Epistol. ad Fur.* Vide quanti Dominus Iesus faciat virgines, sibi sacras, vt ex illis velut albicantibus liliis serta martyrum rosis & sanctarum viduarum violis intertexta suo capiti imponat. Magna laus Christianæ

Virgines Christo sacratæ. *Procopius.* *Sponsæ Christi fugiunt à mundo.* *D. Hieron.* *Virginum & viduarum sanctarum status.*

A gentis, & legis gratiæ, quam nationes cunctæ celebrant, mundus admiratur, ex choro Virginum sacrarum, quæ non minùs constantes, quàm puræ, sprens mundi vanitatibus, ac delicijs, Labanum fugientes, Christum Sponsum per carnis mortificationem ad crucem, ac subinde ad cœlestem gloriam consequuntur.

Laus Ecclesiæ ex sacris virginibus.

10. Sed ea tamen vis est in gratia Domini Iesu, vt vocantem, & præeuntem etiam infirmiores pueri ad grauiora sequantur discrimina. Quod ita S. Ambros. egregiè dispungit: Ne mirere in adolescentulis professionem, cum legeris in paruulis passionem. An dubitamus si eum vsque ad continentiam sequatur adolescentia, quem vsque ad B mortem confitetur infantia? hæc ille, *lib. 3. de Virgin.* Videlicet innocentes pueruli à bimatu & infra pro Domino Iesu ab Herode perempti martyrium subierunt: ac deinde persecutionum temporibus vbique gentium infiniti propemodum pueruli, & puellæ, atque adeo infantes etiam cum parentibus aut allisi, aut discerpti, aut iugulati gloriosam sibi palmam martyrij pepererunt. Et quidem præuij magnitudo magnitudinem parit etiam in puellis animorũ. Adiungit enim optimè S. Ambros. Et quasi incredibile putamus, si puellæ nubiles Christum sequantur ad regnum, quem etiam pueri sequebantur in desertum? Sicut legimus, quia *saturata sunt quinque hominum millia exceptis pueris, & mulieribus.* Matth. 14. sic ille. Est C quidem sacrarum Deo virginum constantia, & puritas (si naturam humanam spectes) admirabilis, atque incredibilis, imò & impossibilis: non ita verò, si Christi gratiam, Deique virtutem consideres. Deo quippe armata fragilitas carnis non modò terram, ac mundum, sed ipsum etiam infernum armatum, atque impugnantem facilè debellabit. Amanti Deum nihil arduum, nihil non leue. Amate igitur, ô sacræ virgines, amate Sponsum, qui lauit vos in sanguine suo: leuisque ac dulcis erit, qua tenemini, parietum, vallorum, cancellorum, cratiúmque custodia. Etsi autem sanctus ac laudabilis timor sit initium videlicet sapientiæ, ad Dei gratiam primus aditus, ductor, incitamentum: maior tamen laus, gloriosior palma in D amore est.

Martyrium in tenera ætate. *D. Ambros.* *D. Ambros.* *Matt. 14.* *Constantia virginum.* *Vis Diuinæ gratiæ.* *Amor Dei in virginibus.*

11. Iccirco docet egregiè S. August. Qui timendo (inquiens) non facit malè, male faceret si liceret: itaque si facultas non datur, voluntas tenetur. Non facio (inquit) quare? quia timeo. Adhuc seruus es: esto filius. Sed ex bono seruo fit bonus filius. hæc S. August. *conc. 1. in Psalm. 32.* Ne sint quæso (ô sponsæ Christi) valli, cancelli, crates, parietes, muri ad timorem vestrum; quippe Sponsũ habetis, qui amari potiùs vult, quàm timeri. Sint ad timorem bestiarum, quæ pratum Domini, viridarium Christi, puritatis fontes irrumpere conantur, ac deturpare. Non quidem amantes Dei sponsas, ne foras exeant, claudit illa tam diligens cu-E stodia: sed à bestiis tutatur intus cum Deo agentes, arcétque omnem belluarum, & prædonum incursum, & iniuriam. Procul ô procul este profani, conclamant custodes virginum sacrarum Angeli: cœlestes sunt iam spiritus, carne licet induti, quorum conuersatio in cælis est, à terra longissimè non tam loco, quàm affectu subleuati. Quid enim aliud terra est, quàm (vti vocat S. Ambros.) officina improbitatis? sic ille, *de fuga seculi, cap. 4.* Hęc porrò est *generatio quærentiũ Deum, quærentiũ faciem Dei Iacob.* Psal. 23. Vtique benedictæ contempto seculo, conculcatis voluptatum illecebris, Dei faciem contemplari desiderant; Deum quærunt. In simplicitate cordis (ait S. Bernard.) quærunt illum: non

S. August. *Potior amor, quàm timor.* *Monialium custodia.* *Virginum encomia.* *D. Ambros.* *Psalm. 23.* *S. Bernard.*

non aliud tanquam illum, non aliud præter illum, non aliud post illum. sic ille, *serm. 2. de altit. cord.* In Deo solo suum præfigunt amorem, in Deo vno Sponso sponsæ conquiescunt. Quod ad castitatem (inquit S. Bernard.) & sanctimoniam Angeli quidem terreni, aut potiùs cæli ciues, sed interior in terra peregrini. sic ille loco citato. Fugite igitur deuotæ Deo animæ Labani domum, terram relinquite, irridete priùs, quàm vos irrideat, mundum. Valere iubete res humanas, quæ Diuinis natæ estis, & Diuinum habetis sponsum. Quid cum seculo habeant, quæ Angelis pares inter cælites conuersantur? Audite quid S Ambr. ad Virginem deuotam hac de re scripserit. Quid (ait) tibi cum hominibus secularibus, aut quem tractatum habes cum illis? Rogo te quid tibi demonstrant? Dic mihi, castimoniam, quam non habent? fidem, quam non inueniunt? doctrinam, quam non sequuntur, nisi diabolicam sapientiam huius seculi? ieiunium, quod oderunt? humilitatem, quam opprimunt? sobrietatem, quam negligunt? verecundiam, quam proiiciunt à se? si Christum quæris, non manet in illis. hæc S. Ambros. *lib. citato. cap. 1.* Non est quidem, non est in domo Labani quid virgines sacræ secum asportare velint; non in mundo relinquant quid subinde aueant, aut debeant sibi rursus vindicare. Nihil est in secularibus quod sibi ad virtutē quærant incitamentum. Non Christum, sed Antichristum in seculo inueniunt: non docent secula res puritatem, ac pietatem: sed planè dedocent.

S. Bernard.

Virgines mūdum irrideat.

Virgines sacræ procul à secularibus.

S. Ambros.

12. Vocant seculares homines solitudinem, desertum, eremum, vbi virgines sacræ à conuentibus, ab aspectibus, à colloquiis mortalium, à seculo remotæ cum Deo viuunt. benè. Sed tamen inde ad cælum ascendentem admirantur Angeli Virginem Christi: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus?* Cant. 3. legunt Aquila, & Symmachus: *Sicut similitudo fumi ex suffimento.* Desertum quidem est religio: at per illud Virgo Christi concrematis mundi vanitatibus ac deliciis tota corpore animoque in tenues, suauéque olentes halitus redacta Christianam Ecclesiam replens odore in Dei amorem, atque in ipsius denique cælo iam restituta potiùs, quam donata beatifica visionem eleuatur. Theodoret. legit: *Ascendit è deserto sicut virgula fumi redolens myrrham, & thus.* Deinde myrrha significari vult humanitatem, thure autem Diuinitatem Christi. Etenim Virginis corpus ita puruni, sanctúmque debet esse, vt sacrosanctam Domini Iesu carnem, anima verò Diuinitatem eius redoleat. Hi sunt sacratum virginum odores, vnguenta, suffimenta. Dicit Virgo Christi Sponsa cum Apostolo: *Christi bonus odor sumus.* 2. ad Cor. 2. Volat illa, nec mundo tenetur, nec illecebris carnis præpeditur, in altum instar fumi, auræque leuioris subrigitur. Quod quidem opus est Diuinæ gratiæ. ait enim Dominus: *Equitatui meo assimilaui te amica mea.* Cantic. 1. En cursus, en velocitas ad Deum eundi. En cōstantia instar equitatus bellici cuncta sibi obstantia perrumpentis. Sed vnde tam expedita Dei Virgo? ex eo scilicet, quod adiúgitur: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis: collum tuum sicut monilia.* Cantic. 1. cuius loci explicatio à Patribus apud Theodoret. ad nostrum institutum hæc apponitur: Cum equo te similem dixerim velocissimo, in maxilla tua non indiges fræno. Genæ enim tuæ sunt ornatissimæ, & fræni loco, naturali pudore sunt præditæ, instar pudicæ turturis amantis solitudinem. hæc ille. Hic est ornatus, hic mundus muliebris: non autem ille, quem

Odor sacrarum virginum.

Cantic. 3.

Theodor.

2. Corint. 2.

Expedita & fortis Virgo.

Cantic. 1.

Cantic. 1.

Theodor.

Pudor Virginum ornatus.

Vanus & periculosus fœminina ornatus.

A delicatulæ amant, quem stultæ perquirunt, de quo vanæ ac superbæ gloriantur, vocatque subtiliter ac verè Clem. Alex. Insolentium deliciarum argumenta: inuidiæ, mollitíque ignauiæ insidiosa commoda. Nihil habent propter quod sit iure in eis multum studij ponendum. sic ille, *lib. 2. Pedag. cap. 3.* Armant quidem ambitiosi & pretiosi vestium ornatus, & luxus inuidiam & cupiditatem inspectantium: reddúntque animos & molles, & effeminatos. Ad hoc vnum & possideri, & æstimari possunt, vt pro Deo abiiciantur. Valent quidem, vt contemnantur. Vnica vestium illarum elegantia, vnicum totius mundani ornatus, & luxus pretium est, si pro Deo relinquantur. Hoc vnum scilicet commodum ex omnibus mundi B deliciis, diuitiis, atque honoribus religiosi viri, ac fœminæ colligunt, vt habeant, quibus Deum anteponant.

Clem. Alex.

Deus mundo præferendus.

13. Sed quis tandem est ornatus virginis Christi, qui colores, quæ pigmenta? ipsa nimirum puritas, ipse pudor: vt vel leuem suspicionem, vmbrámque impuritatis timeat, ac refugiat. Pudeat virginem, etiā quòd leuiter pertentetur ab hoste, imò quòd sentiat mulierem se esse ac videri, quòd adhuc in terra viuat, quòd non iam associata cælestibus Deum sponsum contueatur, & amplexetur. Hæc vita, hoc studium, hæc solicitudo, curáque debet esse virginum sacrarum: ita suum statum prope angelicum æstiment, sic Sponso adhæreant cælesti, vt nihil æquè detestentur, atque vel C ipsas vanitatum, voluptatum, connubiorum, maritum, filiorum cogitationes. Alioqui etiamdum est, ne in parthenonibus, Christi scilicet viridariis, Deo consecratæ virgines intra claustrum, cancellósque abditæ damnationem tamen illam incurrant, quam Apostolus denunciat his verbis: *In Christo nubere volunt habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt.* 1. Tim. 5. Id est (exponit S. August.) in eo, quod primò vouerant, non steterunt. Nec tamen ait nubunt, sed nubere volunt; & ideò non nubunt, quia impunè non possunt: quas pœnitet professionis, & piget confessionis. hæc ille, *lib. de Virgin. cap. 33. & 34.* Damnationem dicit Apostolus miseras incurrere, non D quia nubunt, non quia votum castitatis opere ipso lethifero violant: sed quia nubere volunt; quia cum non possint, cum illis non liceat, habent tamen voluntatem nubendi: vellent, si possent, maritos, & filios habere. Piget miseras & voti, & status, & virginitatis, & Sponsi cœlestis: carnalia cuncta mallent. Faxit Dominus nullæ vt sint in sacris conuentibus huiusmodi fatuæ virgines, quas pœniteat professionis, & pigeat confessionis, quam suarum culparum, & prauarum falsarum cogitationum integram & Christianā emittere coguntur, & pudore quodam ac timore stulto & pernicioso non emittunt! Non est ô benedictæ, ô felices, quòd secularibus, quòd coniugaE tis inuidere possitis. In salo miseræ illæ fluctuant, ac plurimæ submerguntur. Vos interim in littore securæ oculis maria contuitæ, pedibus humum, & prata, & honores teritis. Illæ tribulationes carnis habent, & cum illis tota vita dolentes colluctantur: vos de spiritu, de cælo, de Deo agitis.

Cura pudoris in Virgine.

1. Tim. 5.

Virginum vitanitas & leuitas.

S. August.

Quæ fatuæ virgines.

Felicitas virginum sacrarum.

14. De vobis illud scribitur: *Oculi tui columbarum, quæ resident iuxta fluenta.* Cantic. 5. Residetis nimirum in terra, quia nondum cælo donatæ, at non in fluentis tamen, vbi continua sunt naufragia. Residetis iuxta fluenta, extra fluenta. Aquæ scilicet multæ, populi multi; mortales quidem adhuc fœminæ, sed à carnalibus tamen seiunctæ, ac si vultis, cum Dei gratia, securæ. Est enim mundus

Cantic. 5.

Securitas virginum sacrarum.

In mundo nihil tutum.

mundus solitudo, desertum est saltus & sylua, vbi omnia bestiarum & ferarum genera, à quibus nihil tutum, nihil munitum. At sacræ virgines inde vocatæ, indéque diuinitus tractæ ad regiam pacifici Salomonis, Christi videlicet Domini religiosam domum, vbi communitæ ac securæ, dulces cum Deo sub vmbraculo obedientiæ captant somnos, iuxta illud: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi; vniuscuiusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos.* Cantic. 3. Cum Deo tuta quiescit in religione Virgo, quam vndique tutãtur armati Christiano zelo, & Ecclesiastica potestate, atque bono virtutis exemplo, sanctísque religiosæ disciplinæ institutis & consiliis Prælati, Confessarij, ac diuini Verbi concionatores. Pulchrè autem vnusquisque duplici armatur gladio; vnum distringit, alterum cingit. Illo scilicet externos arcet hostes à parthenonibus sacrarum virginum: hoc autem seipsum comprimit, ne quid ipse audeat, quod aliis interdicit. Ne mali quid Christi sponsis inferat, quod alios inferre prohibet. Ne de custode fiat prædo, de pastore lupus, de Angelo cacodæmon. Nihilominus cum adhuc in terra viuant sacræ virgines, etsi longè securiùs, quàm seculares: at non proinde remissius agunt velut extra omne iam periculum in cælo constitutæ: præsertim iuniores. Rectè siquidem dixit S. August. de sacra Virgine: Quamuis videremus fulgorem professionis, tamen lubricum timebamus ætatis. hæc ille, *serm. de vita Cler.*

Securitas in religione.

Cantic. 3. Qui custodes virginum sacrarum.

Virginum cautela.

S. August.

15. Ergo sanctæ Virgines vocantem, trahentémque Sponsum cælestem sequimini, currentes in odorem vnguentorum illius, Domini scilicet vestigia sequentes, vitam, virtutésque imitantes. Etenim Iacob cum coniugibus surrexit, & abiit: & Christus (inquit Procop.) migrauit cum sponsis dicens: Surgite eamus hinc: mundus vos odit. hæc ille ad hunc locum. Mundus quidem ô virgines Christi vos odit; non est quòd illum ametis, Mundus alienas vos reputauit; non est quòd illum requiratis. Mundus vos vendidit; non est quòd illum æstimetis, & Deo præferatis. Mundus comedit pretium vestrum; agite denum, ne vitam, honorem, corpus & animam helluo pariter obliguriat. Seruate vos Deo sponso dignam illo victimam, dignam illo escam. Indignus est mundus, qui nostram comedat substantiam. Mundum oblitæ, mundum execrantes aufugite. Numquid est vobis portio, aut hæreditas in mundo: & non sicut alienæ à mundo habitæ & abactæ estis? Alienat quippe (ait S. Ambros.) à se, ac refugit, seséque cupit separare; quoniam eas oneri esse cernit sibi, & putat se lucrum fecisse, quòd alienauit eas. hæc ille in Exod. *ad Iren.* Ita plane res habet. Sunt filiæ parentibus oneri: laboriosum ducunt & graue totius familiæ onus, insignéque dispendium, si matrimonio locabunt filiam; exhaurietur scilicet in dotem vnius filiæ tota parentum substantia. Detrudantur igitur filiæ in cœnobia. Minore illic pretio filia tradetur, tenui quidem dote locabitur Christo. Denique inclusa iam filia in parthenonem parentes grauissimo deposito onere conquiescunt. Ergo, virgines Dei sponsæ mundus vos odit. mundum vos odio tanquam hostem habete. Alienas reputarunt parentes, velut grauem & molestam sarcinam in monasterium filias abiecerunt. Ergo iam consecratæ Christo parentes carnis velut extraneos & vobis alienos existimate. *Audite filiæ, & videte, & inclinate aurem vestram, obliuiscimini populum vestrum, & domos parentum vestrorum, & concupiscet Rex decorem vestrũ; quia ipse est Dominus Deus vester.* Psalm. 44. Labanum mittite, Labanum prorsus nescite; Iacob sponsum sequimini, Christo inhærete.

Mundus odio habendus à sacris virginibus.

Procopius.

S. Ambros.

Filia parentibus onus.

Sacræ virgines mundum nesciant.

Psalm. 44.

16. Nota obsecro quid a Virgine sacra exigat Propheta, vt audiat, inclinet aurem suam, obediat nimirum in simplicitate cordis: non verò blateret, non vana loquacitate, ridicula garrulitate inutiles misceat sermones. Audiat, addiscat, non contentiose disputet, nec etiam de Sanctorum prælatione; quis cui sit præferendus: quæ contentio semper virginum conuentus exagitauit, ac verius dicam decolorauit. Gynæcea siquidem vocat S. Gregor. Nazianz. simplicitatis alumna. vbi scilicet virgines sacræ in simplicitate, ac modestia instituuntur, ac conseruantur: vtramque verò quæstiones & contentiones magnoperè diminuunt, & labefactant. Deinde virginali pudori valde officiunt: adiungit enim idem Nazianz. Pudoris flos præcipiti hac contendendi libidine compilatur. sic ille, *orat. 1. de Theolog.* Ergo-ne virgines Christi aliam sequimini, quàm Matrem Domini & Sponsi vestri Virginem: cuius modestiam, & humilitatem ab omni contentione, vanitate, imò & garrulitate alienam & scitis, & veneramini? Vna est columba mea: dicit æternus Sponsus, idémque & Pater & Filius Virginis. Etenim sola inter filias Euæ columbinam habuit & simplicitatem, & puritatem. Cælis illa, syderibúsque, imò & angelis purior, nec sub Deo aut maior aut æqualis esse, aut cogitari potest puritas. Sola in toto humano genere simplex, comis, blandáque, sine vngue, sine felle, sine amaritudine: apis illa nimirum, quæ suo in vtero dulcissimum mellis fauum construxit, Deum scilicet hominem concipiens, pariénsque.

Simplicitas & silentium sacrarũ virginum.

Altercatio de sanctorum meritis.

S. Greg. Naz.

S. Greg. Naz.

Humilitas & puritas B. Mariæ.

Cantic. 6

17. Quidni humilis Virgo sit, quæ humilem, & humilitatis magistrum peperit Filium, & mira sua humilitate sublimem, vt sublimis etiam sit sua humilitate ancilla & Mater Dei, rerúmque omnium Regina? Non enim quia se Dominus humiliauit ad crucis vsque mortem, ideò suam maiestatem imminuit, suámque dignitatem amisit. Humilitate vicit: quò humilior, eò sublimior, etiam regnauit à ligno Deus. Sed vt de hoc tantùm agamus mysterio, quod hisce diebus & terra & cælum concelebrant; illius siquidem montes stillant dulcedinem, colles fluunt lac & mel irrorant cæli desuper, nubes pluunt iustum, terráque germinat Saluatorem: nihil infante Deo in præsepi Bethlemitico humilius, nihil illo ibi sublimius. Cælum de præsepi vagiens Puellus concutit, Angelos auocat, ciet in cohortes, cogit in choros, in cantus choreasque adducit: noua creat in cælo sydera, gentium reges excitat, & à remotissimis regionibus suam infantiam, & humilitatem adoraturos accersit. Impletúmque est nunc illud vaticinium: *Ascendet sicut virgultum coram eo.* Isaiæ 53. *Virgultum* est ramus tener, ac propriè quoque idem est, atque puer lactens, puer sugens. Hebr. *caioneq.* כיונק, *sicut sugens. ianaq* ינק, *sugere, lactere.* Infantulus enim, velut radicem ramus, sic Matris vbera sugit. Vnde L X X. legunt: *Sicut puerulus* Vides vti iungantur hæc duo: *Ascendet, sicut lactens, sugens puerulus?* In quo scilicet & humilitas infantis, & regnantis sublimitas, demonstretur. Descendit in præsepis vilitatem Deus Infans, ascendit in capita, cordáque mortalium, quibus planè charius & gloriosius nihil est, quàm vt capita humili Deo subiciant: quàm vt in cordibus Infantem Deum gestent. Proh quãta cũ Diuinæ suauitatis dulcedine Virgo Mater Infantulum amplexata & suauiata dicebat: *Fasciculus myrrhæ*

Humilis Christi sublimitas.

Natiuitas Christi admirabilis.

Isaiæ 53.

Infantia IESV dulcissima.

Dilectus

dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur. Cãt. 1. Bene *fasciculus* (occurrit S.Bernard.) quia paruulus natus est nobis. sic ille, *ser.43. in Cant.* Nam cum totus sit dulcedo Dominus IESVS, dulciorem tamen eum facit teneritudo membrorũ. Quid enim amori gratius, sensibus iucundius, & amabilius animæ, cordíque suauius, quàm Infantulus IESVS, totus desiderabilia, totus desiderium? Rectè *fasciculus*: quia corpus (inquit S. Ambros.) suscipiens Dominus IESVS charitatis se vinculis illigauit: & non solùm se membris nostris, & passionibus naturalibus, sed etiam cruci vincit. hæc ille, *serm. 3. in Psalm. 118.* Itaque Dominus IESVS & in præsepe vagiens, & in cruce moriens, amoris est fasciculus, ideoque gestandus in pectore, cordíque affigendus.

Cantic. 1.
S. Bernard.
S. Ambros.
Iesus amoris fasciculus.

18. *Tulitque omnem substantiam, &c.*] Prudens vir quicquid iustè sanctéque acquisierat in Mesopotamia, secum asportauit, vt haberet bonus paterfamilias vnde vxores, liberos, seruósque sustentaret. Id quidem prudentia, & Christiana pietas edocet, imò & conscientia obligat patremfamilias. Imprudens verò est. Impius ac sine Deo, qui facultates suas in ganeis, in lupanaribus, in homicidiis, & in ludis, aliisque id genus & vanitatibus & iniquitatibus patrimonium prodigit. Curandum patri, si prudens, si Christianus est, vti sedulò dotes locandis filiabus paret, viuénsque (quoad fieri possit) eas aut nuptui tradat, aut Christo sponsas in parthenonibus consecret. Mille quidem puellis honoris & vitę discrimina reliquit stultus pater, qui de illarum statu nihil in vita præstituit. At fratres supersunt boni, prudentes, diuites, qui sororibus in locum parentum succedant. Egregia sanè prouidentia parentum! Misellis (quotidie videmus) non fratres, sed hostes testamento relinquuntur; non qui prouideant sororibus, sed qui tanquam extraneas ignorẽt, abiiciant, & propriis dotibus, ac patrimoniis exuant, spoliéntque miseras instar prædonum. Non curat frater sororem, quam imprudens pater non curauit. Cæterùm hinc nemo colligat sibi esse à Deo naturáque impositum onus, vt pro congerendis in immensum opibus, quibus filios ac filias efficiat opulentos, & in hoc seculo gloriosos, tota vita indefesso studio dies noctésque desudet. Sanctum est filiis moderatè prouidere; immoderatè autem est impietas pariter atque stultitia. Scripsit enim optimè Saluianus: Relictæ filiis diuitiæ parentes non liberant de mendicitate; imò relicta immoderatè filiis facultas parentum est sempiterna mendicitas: ac per hoc nulli parentibus magis noxij, quàm filij nimia amati: dum enim illi patriis bonis affluũt, parentes in sempiternitate cruciantur. sic ille, *lib. 3. ad Eccles. Cathol.* Scilicet parentes dum nimiam operam nauant filiis ditandis multa contra fas iusq; indigna perpetrant: ac filios suo malo exemplo ad similia patrãda impellunt, eósque dum relinquunt diuites, latronum videlicet & iniquórum parentum hæredes in gehennam potiùs, quàm in cælum ducunt, plus vitiis quàm opibus diuites. Ausim etiam dicere non amati filios à parentibus, qui grandibus ditantur patrimoniis, sed eos, quibus (vt præmiserat idem) parentes has facultates iuxta Apostol. *ad Ephes. 6.* fidem, timorem Dei, modestiam, sanctimoniam, disciplinam reliquerunt. ita S. Saluian. *lib. 1. ad Eccles. Cathol.*

Sedulò consulendum familiæ.
Filiabus opportunè cõsulendum.
Fratres sororum hostes.
S. Saluian.
Immoderata parentum in filios prouidẽtia.
Quæ filiis leganda hæreditas.
S. Saluian.

19. At quia præsens locus valde moralis est, illud ego tandem colligam ex ipsomet Saluiano, ad parentum scilicet pietatem & prudentiam instruendam. Sic enim effatur: Hoc specialiter dico, & peculiari admonitione commoneo; ne vllum omnino aliquis quãuis charissimum pignus animæ præferat. Neque enim iniquum est, vt quilibet Christianorum etiam legitimis hæredibus in hoc seculo consulat, dummodo sibimet in æternitate succurrat. hæc ille, *lib. 3. ad Eccles. cathol.* At dicet pater intolerandum sibi videri quòd filij superstites in paupertate, ac miseria viuãt inglorij. Quare omni ope curandum, vt abundantes in hoc seculo & gloriosi relinquantur. Sed ô infelix quid curas de filio superstite, at teipsum in æternitate negligis? Cur tibi potiùs, quàm filiis, non succurris? Cur animam tuam perdis, vt terram ac lutum filiis lucreris? Nonne (vti aduertit idem Saluian.) facilius est hîc hæredibus deesse quidpiam de patrimonio, quàm illic testatoribus de salute? Et multò est leuior præsens tenuitas, quàm æterna paupertas, & mors etiam, ac pœna. Infelicissime omnium cogitas quàm bene alij post te viuant, non cogitas quàm malè ipse moriaris! hæc Saluian *lib. 3. ad Eccles. cathol.* Latiùs fortasse commẽtatio expatiata videbitur in præsenti instituto; sed quia res extremis plena periculis, graui & seria opus est admonitione. Non damnantur facultates, sed iniquitates: non moderatum ac iustum sustentandi familiam damnamus in parentibus studium, sed immoderatum atque iniustum.

S. Saluian.
Filius animæ patris non præferendus.
S. Saluian.
Testatoris dementia.

20. *Tulit Iacob omnem substantiam suam, &c.*] In quo S. Ambros. egregiè considerat qualis vir iustus esse debeat, si inuidia fuerit exorta. Nam quia Iacob substantia nimis accreuit generi, & totius familiæ in se conflauit inuidiam. Primum igitur oportet (ait S. Ambros.) vt declinet inuidiam. Melius est enim sine lite abire, quàm residere cum iurgio. sic ille, *lib. de Iacob, & vit. cap. 5.* Certa quidem est discordia, præstò sunt lites, & iurgia, quæque de isto infami seminario mala suboriuntur: vbi flammas excitat inuidia, quæ ad incendium vsque solet desæuire. Profuit ergo discedens Iacob etiam Labano, & filiis, ne scilicet miseri ad conspectum illius inuidia contabescerent. Viuant (diceret) viuant me absente, cuius præsentia moriuntur. Ad hunc modum Apostolus aiebat: *Christi bonus odor sumus in omni loco, & in iis, qui salui fiũt, & in iis, qui pereunt.* 2. Corint. 2. Meritò S. Aug. stupet ad Pauli sententiam. Saluum enim (inquit) fieri hominem bono odore, non est incredibile: perire autem hominem bono odore, quę ratio est? sic ille. Rei quidem nouitas coëgit Apostolum adiungere: *Et ad hæc quis idoneus?* hoc est (declarat S. August.) quis intelligat homines mori bono odore? Prædicabat Paulus Euangelium; multi illum amabant, multi illi inuidebant: qui illum amabant, bono odore saluabantur: qui illi inuidebant, bono odore peribant. hæc S. August. *in Psalm. 44.* Vide quam graue malum sit inuidia, quanta sit infelicitas inuidorum. Recreant boni odores, delectant, faciunt animos, deliquia sistunt, abeũtem reuocant animam, vertigines componunt, dolores mitigant, morbis medicantur: at rosis, liliis, cariophylis, mosco, zybetto, ambaro, vnguentis, aliisque id genus odoribus hominem obstupescere, exanimari, cõcidere, linqui anima, mori denique, id quidem instar prodigij habetur. Hæc scilicet inuidiæ malignitas. An non proximi præclarum ingenium, multarum disciplinarum comprehensio, dexteritas in negotiis, compti sanctíque mores, virtutes piis probatæ operibus, vita denique famáque omnibus grata, summéque amabilis, fragrantissimi sunt, suauissimíque, ac velut de cælo stillati, de Deo delibati odores quibus & morbidi sanitatem, & mortui vitam (dignè videlicet ad laudandum bonorum omnium autorem Deum,

S. Ambros.
Fons malorum inuidia.
2. Corinth. 2.
D. August.
D. August.
Inuidia mors ex vita & bono alterius.

cunctos, qui viderint, excitando) teuocarent? at A hoc ipso inuidus tabescit: hoc ipso tristis, macilentus, aridus, sui carnifex, in morbum, & in mortem decidit: odoribus bonorum ac donorum inuidus consternatur, alieno bono perit, vtrique emoritur aliena. Et quisnam tu es, qui audeas inuidere homini, quem Deus beneuolis côtuitus oculis, multiplici dono locupletauit? Lingua, vultu, manúque persequeris hominem, quem Diuinis nosti affluere benedictionibus? Læsit patrem inuerecundus filius Cham: rescriit euigilans factum senex; non proinde tamen impudentem (vti merebatur) ausus est maledicere Nimitum (vt pulchrè animaduertit Theodoret.) temerarium existimauit Noe maledictionem illi inferre, qui benedi- B ctionem Diuinam consecutus fuerat. *Benedixit enim Deus Noe & filijs eius.* Genes. 9 hæc ille, *q.* 58. *in Genes.* Sic se habuit de vino euigilans Noe: at inuidus furore in proximum ebrius audet Diuinis benedictionibus furiale bellum indicere.

Lædit Deum inuidens ipsius alijs beneficia.

Genes. 9.

Theodor.

Noe malediccre non ausus.

Genes. 9.

21. Porrò secum omnia Iacob sua portauit. Iustus enim (ait S. Ambros.) talia possideat oportet, quæ secum auferre possit, vt in nullo teneri ab aduersario possit obnoxius. sic ille, *lib. 2. de Iacob & vit. cap. 5.* Igitur à demone, à peccato fugiens nihil omnino post se relinquat, quod suum ille, vel istud repetat. Suam nempe omnem substantiam Iacob asportat, nihil suum reliquit, aut aliquid Labani defert. Fugis peccatum? fuge pariter occasionem peccati. Reliquisti ad pedes confessarij delicta pœnitentiæ infossa, & sepulta voragini? relinque ibi simul ac sepeli quicquid ad peccandum & oc- C casio, & incitamentum fuerat, ac deinceps esse poterit. Veram si quidem & perfectam pœnitentiam reddit, honoráque vitę prioris in meliorem commutatio. Etsi enim Dei gratia, & misericordia præstò semper est peccatori, quoties ad pœnitentiam se conuertet; nihilominus sæpius in peccatum relabi, atque ad vomitum frequentius redire, hominis arguit inuerecundiam, Deique benignitatem grauiter offendit. Bene Tertull. peccatorem qui abutitur Diuina misericordia sic præstringit: Absit, vt aliquis ita interpretetur, quasi eo sibi etiã nunc pateat ad delinquendum; quia patet ad pœnitendum: & redundantia clementiæ cœlestis libidinem faciat humanæ temeritatis. Nemo ideirco deterior sit, quia Deus melior est, toties delinquendo, quoties ignoscitur. hæc ille, *de pœn. cap. 7.* O deplorandam, ac detestandam hominis impudentiam! sic ne fiet. vt ex benignitate Dei ad peccandum concitetis: Deique misericordia contra ipsum Deum armatus in Dei irruas ignominiam. Iccirco infelix, ac demens, quia Deus ergate, cui parcit, quem recipit, benignior est, in contra eundem audacior, inuerecundior, sceleratior fies? vno tandem impetu, atque omnino fine vlla spe ac voluntate redeundi secedendum à Labano, à deterioris vitæ sordibus, & occasionibus, ac periculis fugiendum. Quo in negotio animæ ad salutem vtilissimo monet optime S. August. Nemo à peccato tanquam rediturus abscedat, nec E se huiusmodi quasi societatis pacto cum iniquitate constringat, vt eam confiteri magis, quàm cauere delectet. hæc ille, *lib. de sancta Virgin. cap.* 49. Heu nos miseros, qui iugiter peccamus, & perfectè nunquam emendamur, frequenter côfitemur delicta, nec tamen illis æternum vale dicimus! ita se habet nostra de peccatis confessio, velut ad nũdinas, aut verò in aliquod miraculis clarum, & piorum frequentia celebre templum, expeditio, & progressio. Qui enim sic abit, eodem paulo post rediturus abscedit. Et multi sic ad confessionem

S. Ambros.

Fugitiuus cum peccato etiã occasio.

Honorat pœnitentiã vita mutatio.

Tertull.

Non redeundum ad priora peccata.

Impudens qui Dei abutitur misericordia.

S. August.

Peccatis æternum vale dicendum.

procedunt, mox tamen in eadem, aut similia aut fortè grauiora peccata obstinato animo reuertendi.

22. Quasi constituto cum sceleribus pacto ad confessionem progredimur. Non recedimus ô chara delicta, ô dulcis turpitudo nostratum voluptatum, ô inueterata nostris animis odia, ô furta, ô iniustitiæ nunquam ab animis depellendæ! nisi vt paulo post cum vehementiore gaudio ad vos redeamus. Vadimus ergo, quia censuris Ecclesiæ cogimur, non tamen animo illic manendi. Breuis mora fiet. Remeabimus illico ad priorem consuetudinem, ad consuetas illecebras, ad suaues animę amores, ac delicias; ad pristina odia, in priores rapinas & latrocinia. Confitebimur quidem delicta, sed non relinquemus, non auocabimus ab ore, non à corde dimittentur. O summam peccatoris infelicitatem! secum omnia Iacob detulit sua, scilicet, non aliena, quæ hostis repetens postliminio abeuntem posset aut retrahere in pistrinum, aut saltem remorari, ne ad Deum expeditius feratur. Abit Iacob diues, & diuitem fecerat ac reliquerat Labanum: quod quidem est viri perfecti, vt subnotauit S. Ambrô: Hoc est (ait) perfectum esse, adhærentibus sibi commodi plurimum dare, nihil afferre incommodi. sic ille, citato loco. Vera sanè perfectio viri iusti, qui & aliis multum prodest, & in nullo sibi obest: alios ad salutem sine suo periculo; quin etiam cum magno emolumento adducit. Nam (iuxta Domini consilium) *quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentũ patiatur?* Matth. 16 qui locus potest etiã intelligi de lucro animarum cum proprio dispendio. Quid enim mihi prodest, si per me vitam æternam omnes gentes ad fidem Christi conuersæ consequantur: at ego in sempiternam mortem præcipiter? Quæ maior insania, quàm vt alios à naufragio liberans, tu verò interim relicta tabula, relicto fune in profundum demergaris? Quis tam demens, vt è mediis ignibus alium, ne concremetur, eruens, seipsum verò sinat aut velit potius absumi flammarum incendiis? Siccine vt alios intra Domini tui paradisum introducas, at teipsum in gehennam detrudas? Optimus (ait S. Bernard.) reD rum æstimator, qui nihil aliud sibi præferendum putet *serm. 30. in Cant.*

23. Eò deinde magis commendatur virtus, & prudentia Iacobi, quò sceleratior erat Laban, & periculosior illius consuetudo. Bene S. Ambros. Quam (exclamat) virtus, cui societas lucrum dabat, non irrogabat dispendium! sic ille, loco indicato. Diues opibus, ditior meritis, ac virtutibus clarior è Labani domo egreditur Iacob, cui pessimorum societas non detrimẽtum attulit, sed bonorum operum occasio fuit, & palæstra triũphorum. Igitur ô tu quisquis in virtutum studio proficere contendis, audi S. Ambros. monentem hoc eodem loco: Sequere sanctum Iacob, qui nec de alienis vitiis quicquam habebat, neque suarum virtutum erat inanis & vacuus. sic ille. Nihil scilicet afferebat de bonis Labani, multóque minus de vitiis illius, & abduxit omnem substantiam suam, quam acquisierat in Mesopotamia: quod non solùm de opibus terræ, sed etiam de cœlestibus bonis intelligendum est: non enim viro iusto in pretio est aurum, quod (autore S. Ambros.) non ornat animam, sed onerat; non locupletat cor, sed potius deprimit. sic ille, loco posito. Sed virtutes, ac merita solùm æstimantur, quibus comparandis per patientiam ac pietatem apud infidum, barbarum, & impium socerum insudauerat. Itaque Iacob pergit ad patrem Isaac, iubenti Deo ac præcunti

Mala quorũ damcõfessio.

D. Ambros.

Matth. 16.

Zelus animarum non cum proprio dãno.

S. Bernard.

D. Ambros.

Mirum est malorum cõtactu non pollui.

D. Ambros.

D. Ambros.

Aurũ onerat nõ ornat animam

eunti obediens: cui sanè vrilissimum fuit, quòd Labani & filiorum odiis atque iniuriis vexaretur. Compellunt à mundo saltem affectu profugere, & ad Deum currere, quas in hac vita patimur, tribulationes. Nam quæ mala Iacob à Laban acceperat, in illud bonum (inquit Rupert.) sancto vi. 10 cooperantur, vt quò vocabat Deus, illuc ipsa aduersitate impellente, citiùs insequeretur, *lib. 7. in Genes. cap. 41.* Pergit ad patrem Isaac: quid filio sancto gratius, & optabilius? Ad terram patribus, sibique ac posteris promissam: quid homini glorioſius? Compellunt ire iniuriæ, doli, odiáque Labani, & filiorum: quid Iacobo vtilius? Pulchrè sibi gloriatur Propheta in tribulationibus, quibus ad sublimiora consequenda subuectus non deorsum, sed in altum ferebatur. *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat; vt requiescam in die tribulationis meæ, vt ascendam ad populum accinctum nostrum.* Abach. 3. de laboribus ac doloribus sancti Iobi loquitur, quos libenter suscipiet, vt in quibus sit requies, & ad cælum ascensus. sic enim commentatur S. Hieron. Libenter patior, quod passus est Iob, non solùm carnes meas, sed medullas quoque ossium cupio tabefieri, & stratum meum putredine, & innumeris scatere vermibus, vt postquam hic pro peccatis meis hæc sustinuero, requiescam in die amara, & ascendam ad populum bellatorem. hæc ille. Vide quàm vtilis Prophetæ sit tribulatio: Ascendam (declarat amplius idem Hieron.) deorsum positus, & quasi de valle ad sublimiora. ibid. Seruit enim tribulatio viro iusto pro vehementiore in virtutem, in cælum, in Deúmque impulsu. Atque (adiungit idem Hier.) quo tempore cæteri in tribulatione sunt & angustia, mihi cura sit de ascensu. sic ille. Ignaui deprimuntur, fortes & iusti extolluntur tribulationibus, quæ similiter filiabus Laban profuerunt. Vt citiùs videlicet (ait Rupert.) talem sequerentur virum, & cum patribus tanti meriti promissiones acciperent. Hoc vento aduerso nauigium feliciter impellente vltrò portum aspiciunt. hæc ille loco citato. Egregia sanè similitudo. Est quidem tribulatio vti ventus secundus ac prosper; anima vti nauigium: illa igitur aspirante hæc impellitur, impulsáque portum subintrat æternæ felicitatis. Quare concludit optimè Rupert. Sicut illas coniuges Iacob aduersa impulerunt, vt illum relinquerent patrem, qui filiarum comedisset pretium, & talem sequerentur virum: sic & aduersa mundi plerunque dilectam Dei animam iuuant, vt anhelantius tendat ad Deū. sic Rupert.

Tribulatio à Deum compellit. *Rupertus.* *Abachuc.* *D. Hieron.* *Tribulatio iusto optabilis.* D. Hieron. Rupertus. *Tribulatus ad Deum secundo nauigat.* Rupertus.

SECTIO VI.

Eo tempore ierat Laban ad tondendas oues, & Rachel furata est idola patris sui. Noluitque Iacob confiteri socero suo quòd fugeret. Cumque abiisset tam ipse quàm omnia quæ iuris sui erant, & amne transmisso, &c. vsque ad *in monte Galaad.*

1. IAcob opportunum ad profectionem eligit tempus, quo Laban ab domo abesset causa tondendi oues, quæ grandis erat occupatio, qua diues & auarus homo detineretur: maximè quia priscis illis seculis ouium detonsio celebris habebatur, & cum nimio apparatu, epulóque fiebat, vt constat ex *lib. 2. Reg. cap. 13.* Vbi ad tondendas oues ab Absalone filij Regis Dauid & Rex ipse, & Principes inuitati sunt. Quod ita subnotauit Lyranus ad illum locum. Tunc enim faciebant antiqui magna conuiuia in memoriam Patriarcharum; qui fuerunt pastores ouium, vt habetur *Genes. 47.* Igitur Rachel abitura cum marito peropportunam absentiæ patris nacta occasionem surripuit patris idola. Hebr. תרפים *teraphim*, cuius vocis germanam explicationem apud peritos variam inuenimus. Vt plurimum in scriptura *teraphim* sunt imagines hominum, per quas dæmones loquebantur, & futura consulentibus prædicebant: idque præcipuè fiebat in capite abscisso pueri primogeniti, & sacrificati in honorem dæmonis, super cuius linguam ponebatur aurea lamina dæmonis cuiusdam nomine insignita: indéque dabantur consulentibus oracula. Sic scribit Abulens. hoc loco, & fusiùs ad *cap. 21. lib. Numer.* Aliquando etiam *teraphim* non idola, sed quæcunque simulachra significat, vti legimus *1. Reg. 19.* quod ita docuit S. Hieron. *Epistol. 113.* scripta ad Marcellam super voce *teraphim*. Scito *teraphim* ab Aquila μορφώματα interpretari, quæ nos figuras, seu figurationes possumus dicere. Nam *1. Reg. 19.* vbi dicitur Saul iussisse nunciis, vt caperent Dauidem, LXX. vertunt: *Et venerunt nuncij, & ecce κενοτάφια in lecto.* Pro cenotaphiis in Hebr. est תרפים *teraphim*. Significans puluinum de caprarum pelle consutum, qui in tonsis pilis caput inuoluti in lecto hominis mentiretur. hæc S. Hier. vbi quoque adiungit: Quæ ad sacerdotalia pertinent ornamenta per teraphim Mich. 3. & aliis locis significari. Itaque à Michol non idolum (nullum enim erat in domo Dauid) sed figura hominis raptim efficta in lectulo posita est. Plura, si voles, inuenies apud nostrum Perer. qui eruditè admodum (vt solet) huius loci difficultatem absoluit.

Lyran. *Voci. Teraphim explicatio.* D. Hieron. D. Hieron.

2. *Furata est.*] Arbitratur S. Chrysost. Rachelem surripuisse idola patris, quia nimirum studiosa mulier esset idololatriæ. sic enim effatur, *hom. 57. in Genes.* Non sine causa dictum est, nobísque propositum, furatam esse Rachel idola patris sui: sed vt sciamus mulieres illas adhuc paternam habentes consuetudinem, idolorum cultui addictas fuisse. Animaduerte autem quantum in hoc studium, cum nihil aliud patri auferre voluerint, nisi idola eius. Id verò faciebant ignorante viro: neque enim ille fieri hoc permisisset. hæc S. Chrys. Similia scribunt Rupert. *li. 4. comment. in Gen. c. 42.* Caiet. Oleast. ad hunc locum. Facillimo quidem negotio parentum vitia imbibunt filij, difficillimo semel imbibita euomunt. Sunt illi exemplaria istorum: illos isti velut pictores in seipsis tum contuendo, tum colloquendo, audiendóque ad viuum exprimunt: & (quæ naturæ humanæ corruptela est) vitia potiùs, quam virtutes à parentibus in filios deriuantur, transfusáque in perpetuum adhærent. Atque ideirco parentes ob filiorum delicta & culpantur, & puniuntur: quippe quibus istorum fuerint doctores ac duces. Contra verò accidit nonnunquam, vt boni parentes habeant filios valde vitiosos, quibus nec exemplum, nec disciplina parentum profuit: tunc autem istis solùm, non illis, & culpæ imputantur, & pœnæ irrogantur. In quo celebre illud est S. Hier. Non polluitur iustus ex vitiis filiorum: sed libertas ab Apostolo Ecclesiæ principi reseruatur, vt talis fiat qui non timeat propter vitia liberorum extraneos reprehendere. Quod tunc fiet, si non erit quod sibi imputetur. hæc S. Hieron. *in cap. 1. Epist. ad Titum.* Nam si Prælatus prauos habuisset filios, quibus tamen debita diligénsque doctrina & medicina patris non defuisset; ab illorum vitiis pater prorsus immunis liberè, sanctéque extraneos pro-

S. Chrysost. *Rupertus. Caietan. Oleaster.* *Parentū mores filys imprimuntur.* *Ex bono patre malus filius.* D. Hieron.

suo munere carpere posset, ac punire. Cæterum Iosephus *lib. 1. antiq.* longè aliam causam assignat istius furti ad hunc modum scribens. Sigilla verò deorum suorum ferebat Rachel, non quòd deos coleret quorum contemptum à marito didicerat: sed vt si fortè pater fugientes assequeretur, haberet quò confugeret, veniam impetratura. sic ille. Quod quidem esset de fœmineo ingenio. Sciens enim mulier patrem impensiùs deditum idolis, propter eorum venerationem & cultũ patri charissimum pro marito & pro se iratum patrem deprecata compesceret. Opinantur alij Rachelem abstulisse idola patris sui, quòd ea constarent ex pretiosa materia vel auri, vel argenti, nimirum pro dote sibi & sorori debita, qua ipsas auarus pater priuarat: dein pro mercede, qua maritum fraudauerat. Hæc verò causa planior, & congruentior literæ videtur nostro Pererio. Sic autem furti nomen impropriè sumitur ad veritatem: etsi ad speciem, & opinionem hominum tale videtur, & dicitur, sicuti philosophamur de Hebræorum furto, quando spoliatis Ægyptiis profugerunt.

Iosepħ.

Quale furtũ idolorum à Rachele.

3. Nihilominus melior pars doctorum affirmat Rachelem surripuisse patris idola, vt homini occasionem idololatrandi eriperet, illúmque ablatis de medio idolis à sacrilego & nefando cultu illorum abduceret. Ergo S. Basil. ad initium *lib. prouerb.* ita scribit. Præclara fuit astutia Rachelis patrem decipiendo, ab idolololatria illum liberantis. sic ille. Deinde S. Gregor. Nazianz. Si quæpiam (inquit) Rachel es anima patriarchalis, & magna, patris tui cum inueneris idola, surripe, non vt conserues, sed vt deleas. hæc ille, *orat. de Paschate.* Eadem est opinatio Theodoret. *q. 89. in Genes.* ad hunc modum: Rachel idola furto abstulit, quia volebat patrem liberare ab impio dæmonum cultu. Pietatem enim eius satis docet Scriptura Diuina. hæc ille. Constat verò haud obscurè multis ex locis sacræ Scripturæ Rachelem Dei fide præditam cum Deo fideliter egisse: quod ita probat idẽ Theodoret. *Recordatus est enim* (legitur) *Deus Rachel, & exaudiuit eam, & aperuit vulnam eius.* Genes. 30. Cum enim audiuisset à Iacob: *Nunquid ego tibi sum pro Deo, qui te priuauit fructu ventris?* vehementiores Deo preces obtulit, & adepta est quod poscebat. Atque etiam post partum demonstrauit suam pietatem. dixit enim: *Abstulit à me Deus opprobrium, & vocauit nomen illius Joseph, dicens: Addat mihi Deus alterum filium.* hæc ille. Vides quàm frequenter & clarè, ac piè mulier Deum agnoscebat, recordabatur, nominabat? Quomodo igitur (adiungit Theodoret.) hoc in Deum affectu prædita idolis, quæ non sunt dij, inseruire potuisset? hæc Theodoret. Quòd autem Genes. 35. reperta fuerint idola inter domesticos Iacob, dici poterit seruos illa habuisse ac fortasse non colendi gratia, sed propter materiæ præstantiam. Deinde verisimile est illa ipsa idola non ex Mesopotamia fuisse allata, sed in recenti Sichimitarum direptione, cum cætera præda eisdem ablata.

S. Basil.

S. Greg. Naz.

Theodor.

Rachelis fides erga Deum.

Theodor.

4. *Qui assumptis fratribus persecutus est.*] Noluit Iacob aperire socero profectionem suam, quam vtique impedisset, aut certè spoliatum opibus, & priuatum vxoribus, ac liberis generum barbarus & ferox homo dimisisset: quod infra Iacob indicat: *Forsitan* (inquiens) *nudum me dimisisses.* Hebr. vbi nos legimus: *Noluit confiteri socero*, ponitur, *ignab*, גנב, *furatus est*, *etleb* את לב *cor Laban.* Qua phrasi significatur prorsus occultare, vel celare aliquem. Lyppomanus existimat diuitias fuisse cor Labani; & ideò, quia illas clam asportauit,

A dici cor furto ablatum. Quod quidem Hebræo textui conuenit, non autem Latino. Scilicet auarus homo non Deo, sed pecuniæ cor suum, animámque tradiderat; imò illius studium, amor, cor, anima nil nisi pecunia & opes videbantur. Quare Labano cor & animam extraheret, qui homini pecuniam surriperet. Meritò ab Apostolo dicitur, *Auaritia idolorum seruitus.* Et propheta lamẽtatur: *Væ qui opulenti estis in Sion.* Amos 6. Siccine vos in Sion, in Ecclesia Christi, vbi semper pauperes habetis vobiscum, estis opulenti? Vtique in Sion pauperes, erogatis in miseros opibus, esse deberetis. Legunt LXX. *Væ qui despiciunt Sion.* Væ nimirum iis, qui Dei Ecclesiam, fidem Christi, cælum ipsum, ac Deum nihili faciunt.

Auari cor pecunia.

Coloss. 3.

Amos 6.

Immisericor in pauperes infideles.

B Idem igitur est esse diuitem inter pauperes, viduas, orphanos, misellámque turbam Christianorum; atque fidei, cæli, Deique contemptorem esse; videlicet qui viscera sua, cum diues sit, Christi pauperibus claudit. Furata est Rachel cor patris sui, dum illi pretiosa metalla rapuit. Sic miser seruituti addictus erat pecuniæ, vt ab ipso cor illa sustulerit. Est enim auarus suæ crumenæ mancipium, vt contra auarum effatur S. Bernard. his verbis: Conformatis crumenæ tuæ tanquam seruus dominæ suæ, dum quomodo ille illi necessariò & congaudet gaudenti, & dolenti condolet; tu quoque cum crescente tuo marsupio crescis pariter animo, & cum decrescente decrescis: nam & contrahetis tristitia, cum illud exinanitur, &

S. Bernard. Crumenæ mancipium.

C lætitia soluetis, aut certè inflaris superbia, cum impletur. hæc ille, *serm. 21. in Cant.* Res sanè homine ad æternitatem nato indigna, vt auidissimè perquirat aurum, argentum, pretiosasque gemmas, quæ summa sunt terrestrium bonorum ornamenta: & ab autore tamen rerum, ab ipsáque natura nihili habentur. Canit enim regius Vates: *de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.* Psal. 16. adimpletus dicitur, non verò satiatus. Est enim insaturabilis fames habendi: & quò sunt plures, plus sitiuntur opes. Sed quorsum ista terræ bona, quæ tam pretiosa homini habentur; abscondita dicuntur: quæ scilicet Autor ipse naturæ in subterraneis terræ specubus, atque in profundo maris contecta, & veluti sepulta esse vo-

Psalm. 16.

Bona terræ vt ea habentur à Deo.

D luerit? An vt ostenderet horum bonorum vilitatem? Nam sicuti sordes, quæ à domo euerruntur, in angulum, specúmve totius domus magis reconditum atque ab oculis remotum solent abijci: sic ex tota huius mundi machina, quæ pulcherrima & ornatissima est, aurum, argentum, gemmas naturæ autor procul amouit, atque in penitiores latebras abscondit, tanquam purgamenta, sordésque totius naturæ.

5. Nihilominùs diuitiæ solum propter malum vsum damnantur, ac propter bonum valde sunt laudabiles. Hinc illud S. Ambr. Scias non omnes diuites auaros, nec in facultatibus crimen hærere: sed in iis, qui vti nesciunt facultatibus. Nam diuitiæ vt impedimenta improbis, ita bonis sunt ad-

Bonus & malus diuitiarum vsus.

S. Ambros.

E iumenta virtutis. hæc ille, *in 19. Luc.* Quod enim iusto viro diuitiæ non sint impedimenta virtutis, imò adiumenta, vel ipse terrerimus hostis loquens cum Deo de Iob ita contestatur: *Nonne tu vallasti eum?* Iob 1. diuitias nimirum, quibus valde abundabat Iob, vallum & murum vocat. Quid mirum ergo (ait) si te ô Domine amet hic homo, si à tua fide, atque obsequio non recedat; si meis tentationibus non cedat, non vincatur? Non potui equidem illùc penetrare: ita vallo muróque circuncingitur ac munitur bonorum scilicet omnium terrenorum, quibus in regia dignitate circunfluit,

Iob 1.

Diuitiæ iusto murus.

confluit. Eia Domine dissipetur vallũ, solo æquetur murus, non muniatur Iob; spolietur bonis illis, pateat nudus meis assultibus, atque ictibus illico peruincetur. En sanctissimo viro, qui prudenter sanctéque diuitiis vtebatur, non oberant, sed proderant regiæ (quod magis mirandum est) opes, honores, sublimisque dignitas: non ad vitia hominem incitabant, sed aduersus vitia circuncingebant, ac tutabantur. Hæc quidem vera sunt. Cæterùm ad perfectionem Christianam, cuius magistrum Deus homo se præbuit, non diuitiæ requiruntur, sed illarum potiùs inopia expeditiorem reddit hominem. Hinc illud optimè scripsit S. Petr. Damian. Seruus Dei cum temporale quid percipit, debet timere: tunc gaudere, cum perdit; quia cui propositum est cœlestia scandere, expeditiùs procul dubio vacuus, quàm onustus gradietur. hæc ille, *lib. ad Domin. cap.* 1. Ergo tu quisquis es omnem adhibe curam bonis animæ ad salutem acquirendis, & omnia deinde tibi cooperabuntur in bonum: tibi, si malos eris, nec ipsa paupertas proderit: si bonus, nec diuitiæ oberunt. Memor esto illius sententiæ, quam S. Hildebert. Cænomanens. Episcop. scriptam reliquit. Nihil est homini bonum, sine se bono. *Epist.* 15. adde: Et nihil est homini malum, vbi ipse bonus est.

Diuitiarum contemptus perfectio Christiana. S. Pet. Dam.

A seipso quis non à diuitiis nominatur. S. Hildebert.

6. Porrò S. Gregor. *lib.* 30. *moral.* ad illa verba Iob. *Clamorem exactoris non audit. cap.* 39. Potest (inquit) per Laban mundus intelligi, qui cum furore persequitur Iacob; quia electos quosque, qui Redemptoris nostri membra sunt, persequendo opprimere conatur. sic ille. Quidni seruos Domini persequatur mundus, cum Dominum ipsum illorum ad mortem vsque fuerit persecutus? quanquam hoc discrimen est: Etenim Christum apertis odiis, iniuriis, ignominiis, doloribus, cruciatibus, alapis, flagellis, patibulo crucis persecutus; nos tamen Domini seruos apertis illecebris, sed occultis odiis insectatur. Illecebris amicitiam simulat, inimicitiam tegit: sic verò est partim amicus, partim inimicus, aut (verius dixerim) quo fraudulentior, eò nocentior; quò blandior, eò truculentior. Quare vehementer expostulat cum carne mundi veteratoris deceptrice administra in hunc modum S. Paulinus. Caro per illecebras delectationum suarum malesua da mihi blãditur, vt me quasi illo parricidali Iudę osculo paratis in capriuitatem meam prodat inimicis. sic ille, *Epist.* 2. Proditor, & Iudas est mundus, qui osculatur vt capiat, vinciátque; ridet, vt decipiat; souet Samsonem, vt cæcum efficiat, & in pistrinum compingat; blanditur, vt mactet. Atque his dolis miserum hominem ad Deum fugiētem insectatur, tenet, retrahit, déque vitiis in vitia circumrotare contendit, vt S. Gregor. Nazianz contra ipsum veteratorem succensebat: O munde (inquiens) amice, non tamen omnino amice, quid me in cõtrarium proficisci contendentem trochi cuiuspiam instar versas? sic ille, *opusc. de hum. vit.* Trochum pueri flagello concussum lositando versant: & mundus suos amatores agitat rerum humanarum vanitatibus deceptos; atque adeo miseros potiùs flagellat, quàm honorat; magis cruciat, quàm recreat. At nihilominus, cum miseri hæc tam dura videant, & patiantur, omni tamē studio parent crudeli & fallaci domino serui atque obsequuntur.

D. Gregor.

Mundi fraudes.

Caro deceptrix administra mūdi. S. Paulinus.

S. Gre. Naz. Mundus in suos crudelis.

7. Et vos quoque, Iacobi sponsæ, Laban persequitur: mundus Christo consecratas virgines, cum Christo à terra in cælum fugientes insectatur: ne qua sit de sua professione statúque viuat secura, vt liberam se ab omni vitiorum assultu in

Monialibus insidiatur mundus.

Ben. Fernand. in Genes. tom. 2.

A religione arbitretur. Scilicet pergentes in itinere persequitur Laban. Estis adhuc in via, quæ in parthenonibus vitam ducitis. Sed hic tamen inclusæ facilè cum Dei gratia, si vultis, Labani iniurias, mundi astutias iudificabitis. Tam secura est Christi virgo, quàm reclusa; quàm procul à secularium aspectibus, & colloquiis, tam longè à dæmonum ictibus. Prudenter Asella nobilis & Romana virgo, quæ se Deo consecrauerat, vt scribit S. Hieron. ita se semper moderatè habuit, vt nunquam pedem proferret in publicum, nunquam viri nosset alloquium: & quod magis sit admirandum, sororem virginem amaret potiùs, quàm videret. sic ille, *Epi.* 5. *ad Marcellam.* Nec tamen vir-

Virgo tuta, si reclusa.

D. Hieron.

B go Asella intra parthenonis claustra tenebatur: morabatur quippe intra domum paternam vltro inclusa in secretiore cellula. Mihi etiam admirationi est virginis istius modestia, secretique amor, eum pietatis ergo augustissima vrbis templa, altaria, reliquias sanctorum necesse habebat adire. Sic enim scribit S. Hieron. Ad martyrum limina pene inuisa properabat, & cum gauderet proposito suo, in eo vehementiùs exultabat, quòd se nullus cognosceret. Solitudinem putabat esse delicias, & in vrbe turbida inuenit eremum monachorum. sic ille. Discant virgines amare secretum, à virorum se conspectibus abducere: aut nunquam, aut raro in publicum prodire. Quòd si opus erit; ita procedant, vt quoad fieri possit, nec videre, nec videri queant. Sed quid plura? qualis postmodum, quam modesta, quàm perfectè virgo futura esset Asella,

D. Hieron. *Virgo amans secreti*

C etiam ante ortum suum diuinitus patri monstrata est in quodam pulchro & admirabili symbolo, vti S. Hieron. ibidem scribit his verbis: In matris vtero benedicitur & antequam nascatur: & in phiala nitentis vitri, & omni speculo purioris virgo traditur per quietem. hæc omnia S. Hieron. O egregium sacræ Deo Virginis symbolum! Puella inclusa in phiala nitentis puríque vitri: inclusa nimirum, quia tam pura, tutáque est virgo, quàm reclusa, quàm abscondita, vt paulò superius animaduertimus. In vitro autem, quia nihil est magis obnoxium periculis, quàm virgo.

D. Hieron.

Pulcherrimum symbolum monial.

D 8. Tenera quidem est in puellis pudicitia, periclitatur aspectu, vel tenui hebetatur aura, leniculo etiam æstu flos iste adurit ur, ac marcescit. Nitet vitrum, sed vitro nil fragilius: vitrum si labitur, ita confringitur, ita dissipatur; vt vix de vasculo tenuissima relinquantur frustula. Cadit ex abaco vitrum nō silenti quidem ruina, sed valde sonora. Et cum tantillum sit vasculum, si cadat, tinnitu suo longè latéque auditum sui casus præconium contestatur. Quid porrò de vitri fragmentis fiet? procul à præsentia mortalium expelluntur, ne obuium quemque vulnerent & cruentent. irreparabilis est ruina vitri. Quin etiam malefici puluisculos vitri propinant, qui semel hausti paulatim viscera corrodunt, ac lancinant: & immedicabili

Virgo periculis obnoxia.

E tabe miserum hominem consumunt. Sed ô deplorandam infelicitatem virginis, quæ de sublimi statu desponsa Deo sacram pudicitiam amisit! Sonora, latéque infamis, & irreparabilis miseræ fœminæ ruina est: semélque abraso pudore, mulier Dei, suíque oblita in cænum & in barathrum præcipitatur. Ostensa in vitrea phiala parenti fuit virgo Asella, vt significaretur voluptas carnis, cuius semper exitii symbolum fœmina, cum timoribus, ac periculis nunquam non coniuncta: puella in phiala vitri, voluptas timori subiecta. Scripsit enim perargutè de vitreis vasculis, quibus ad potum comparandis mortalium delitiosa vanitas insudat, Clem. Alex. in hunc modum: Curiosa, ac

Miserrima Virginis ruina.

Carnis voluptas periculis plena.

Clem. Alex.

 super

superfluæ ornatorũ in vitro vana gloria, ad frangendum propter artem paratior; quæ simul docet & timere, & bibere. sic ille, 2. *pædagog. cap. 3.* Pulchrè dicit, vitreum quidem poculum docet & timere, & bibere. Manu tenes vitreum vrceolum frigida plenum, admoues ori, bibis tandem, sed times interim ne fortè decidat, ne frangatur: atque adeo voluptatem bibendi timor minuit. Heus tu, qui carnis voluptatẽ captas, aquam in vitro bibis? vnde plus times, quàm gustas. *Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi*, ait Apostolus de coniu-

1. Corint. 7.

gatis. 1. Corinth. 7. Inclusa in vitro Virgo? sed quò vestes expandet ad vanitatem pariter, ac delicias?

Virgo à lenocinio aliena.

Non eget externo decore, quam propria exornat pudicitia. Quæ suo nitet pudore, non indiget ementito fuco, vanóque decore, nec pateretur B clausa vitro contineri, si fucato lenocinio studeret; si delicioso, & ambitioso amictu vteretur. Nam quæ faciem colorat, comit cæsariem, elegãter induitur; ista profectò & videre cupit & videri. Quorsum enim vestes alarum nomine significaui

Hierem. 2.

Hierem. cum dixit: *In alis tuis inuentus est sanguis animarum pauperum, & innocentium.* cap. 2. nisi ad hunc sensum: quem sic explicabimus?

9. In vestibus nimirum tuis quas vel pauperes opifices tibi confecerunt, nec tamen miseris debitam soluisti mercedem: vel ex latrociniis, prædisque miserorum & innocentium acquisisti. Vestes quidem non incongruè dicuntur alæ, tum quia C laciniosa ambitu latè panduntur: tum vel maximè, quia vestibus, vt alis volucres in altum, sic homines procedunt in publicum contenti, ornatique: ac demum vti sine alis volucres nequeunt

Vanus, & periculosus vestiũ ornatus.

volare, sic male amicti homines prodire foras erubescunt: mulieres maximè pretiosis ornatę vestibus non se domi continent, dare se in publicum visendæ virorum oculis vehementer student. Sunt enim alatæ, currunt, volántque extra domum, vbi frequentior virorum concursus, quibus nimirum sint spectaculo, admirationíque; quorum in se amorem suis alis conflent & succendant. Hic solet esse habitus, hæc deliciarum stultitia, vt vocat

Clem. Alex.

Clem. Alex. 2 *pædagog. cap. 3.* Hæc vanitas filiarum huius seculi, at virgo illa Romana, de qua supe-

D Hieron. *Ornatus vestium contemptus.*

rius, aurum colli sui (ait idem S. Hieron.) absque D parentibus vendidit, & tunicam fusciorem, quam à matre impetrare non poterat, induta pro negotiationis auspicio, se repente Domino consecrauit, vt intelligeret vniuersa cognatio non posse aliud extorqueri, quæ iam seculum damnasset in vestibus. hæc ille. Magna quidem pars seculi posita est in vestibus, magnopere mundum condemnat, qui vestes contemnit. Ferè totam seculi vanitatem irridet, qui pretiosè ac deliciosè vestiri negligit. Quid mirum igitur si quæ paupere humi-

D. Hieron. *Cella virgini paradisus.*

lique tegebatur amictu (vti adiungit S. Hieron.) vnius cellulæ clausa angustiis latitudine paradisi fruebatur? idem terræ solum & orationis locus extitit, & quietis hęc omnia S. Hieron. Intra perangustæ cellulæ parietes sponsa Christi continebatur, huic tanto studio inhęra, vt dulces cum Deo E secura sermones ageret, & somnos caperet. Hanc si vultis ô sponsæ Christi, quæ terrestris paradisi accolæ (sic enim religiosam domum appellare licet) dein iam æternitatis candidatæ, Angelorum æmulæ, Virginem Romanam sanctitate potiùs, quàm nobilitate celebrem, vobis imitandam proponite.

10 Imò (quod excellentius erit) semper Virginem Dei Matrem ante oculos omnium virtutum, pudoris maximè virginalis exemplar habetote. Condemnatis (vt dixit S. Hieron.) cum vestibus A seculum respicite mundi Reginam Dei Matrem:

B. Maria vestes.

paupere, mundo tamen, & honestissimo amictu induta perhibetur. Quin etiã Ioanni dilecto IESV visa est amicta sole. Scribitur enim: *Signum magnum apparuit in cælo, Mulier amicta sole* Apoc. 12.

Apocal. 12.

Non sericis ac pretiosis terræ vestibus Dei Mater Virgo induitur, sed solis radiis circundatur. Vt Reginam suam vestiat, ornétque, totum suum expendit cœlestis orbis thesaurum. Sol quidem luminum fons Virgini de suis fulgoribus, & purissima luce tunicam & amiculum composuit. Luna deinde cum maximè plena est, tota in calceolos Reginæ sinuatur; gloriabunda nimirum, quòd

Admirabilis B. Mariæ ornatus.

pedibus Deiparę subiiciatur, imò & ornetur. Grã- B diora & illustriora duodecim in cælo sydera toto ex choro astrorum electa sese coniungunt & contexunt, vt Reginæ caput micanti ambiant diademate. En signum magnum apparuit in cælo, non autem in terra. Cœleste quidem prodigium, & sacratissimum spectaculum. Mulier sexu, virgo professione, ætate puella, creaturarum pulcherrima, non terreno amictu, sed cœlesti ornatur: nihil in ea terrenum & abiectum; sed omnia planè sublimia & diuina in Dei Matre visuntur. Est illa siquidem cæli terræque mysterium, & stupendum miraculum. At quàm abscondita, vt virginibus Deo sacris omnis sit pudoris, ac modestiæ norma & exemplar? non in phiala vitri, sed in medio solis iubare, mulier amicta sole. Ecquis vnquam po- C tuit irretorto & inconniuenti oculo solem ipsum, vti est, contueri? Quam quæso non hebetabit, non offendet, non excæcabit aciem oculorum, si quis intentum in ipsum solis oculum defigat obtutum? Soli aquilæ à natura hoc datum est, vt inconniuenti oculo irradiantem contueatur solem. Et quidem Ioanni Apostolo, regiæ scilicet aquilæ, cui licuit diuinitatis arcana contemplari, concessum pariter est videre signum magnum in cælo; mulierem amictam sole, Virginem dico, quæ suo

B. Maria radiorus soli Deo comprehensibilis.

in vtero purissimo Deum hominem factum circundedit, & ab eodem Deo homine circumamicta est omnium gratiarum, donorúmque ac virtutum splendoribus, vt etiam in Matris vtero Deus Infantulus lucem habitet inaccessibilem. Tota D quippe Dei Mater amicta sole in lucem atque in solem ipsum transmutata videtur: soli nimirum Deo, vti est, in sanctuarii fulgoribus & visibilis, & comprehensibilis. Etenim *Spiritus sanctus superuenit in illam & virtus Altissimi obumbrauit illi.*

Lucæ 1.

11. *Et comprehendit eum.*] Transmisso Euphrate, qui fluuius Mesopotamiam à Syria diuidit. Inane figmentum est Hebræorum diuinitus fluuium Iacob exsiccatum fuisse, vt per arentia vada cum familia & gregibus transmigrare posset. Venit ergo Iacob in montem, qui ad tergum Phœniceæ, & Arabiæ extenditur collibus Libani copulatus: à Ptolemæo dicitur Hippus, montium omnium, qui trans Iordanem sunt, altissimus est, & quinquaginta circiter milliaria longus. Lusitani quem Latini hìc & alibi montem pluribus eminentem E collibus, & longiùs protensum dicunt, appellamus *Cerra*. Ne quis existimet fortasse vnum esse montem, collémque propter spatia terrarum ac prouinciarũ, quas pertingit, varia in scripturis sortitur nomina: vt sunt Seir, Hermon, caput Libani, Galaad. Est ille quidem arborum, aromatum, & graminis feracissimus, ideoque omnium, qui trãs Iordanem sunt, montium celeberrimus. In hoc igitur monte consederat Iacob septimo pòst fugam die, cum Laban manu, odióque armatus superuenit. Non sunt viro iusto à mundo, à diabolo,

Iusto nõ sunt induciæ à tentationibus.

à vitiis induciæ, aut si aliquantulæ sunt, non diu

durant:

durant : pax & quies non est. Iccirco non otio A
& securitati credendum & indulgendum. Vicisti
semel hostem, prostrasti diabolum, vitia conculcasti,
occasionem anteacti sceleris procul aufugisti?
Rectè quidem. At non in tuto es. Non extra
maris vndas in littore conquiescis. Adhuc in
mari nauigas : paulò post futuram tempestatem,
Cautè viuendum. quæ incautum & dormientem opprimet, time,
quod sæpe insperatum aduenit naufragium Stultam
huiusmodi securitatem Apostolus hominibus
etiam iustis, & post multa certamina de diabolo
victoribus timens, consulit prudentissimus
doctor animarum : *Accipite armaturam Dei, vt
possitis resistere in die malo: & in omnibus perfecti stare.*
ad Ephes. 6. ad Ephes. 6. Legit Theophylact. *Et omnibus
Semper iuste timendum. confectis stare.* Quod quidem summam facit admirationem. B
Enimuerò confectis omnibus, cum
iam nihil superest faciundum, quid est quod iubeat
Apostolus? Si iam sunt perfecti, quorsum
stabunt, quorsum accipient armaturam, quorsum
illam induent? Si perfecti, ergo & iam debellatis
omnibus hostibus victores sunt ac triumphatores?
Cur amplius stare iubentur in acie? aduersus
quos hostes? an victi & occisi resurgent,
armisque resumptis victores ipsos nihil aduersum
timentes adorientur? Sic planè fiet, fitque
quotidie. Debellati hostes, atque in cineres redacti
à prudentibus timeri solent, ac debent. Declarat
Theophyl. rat igitur Theophyl. Omnibus affectibus, & prauis
cupiditatibus debellatis. Et postquam plerique
parta victoria ceciderunt; stare addidit. Opus C
est enim post victoriam etiam consistentia, ne victus
ad oppugnandum rursus insurgat. hæc ille.
S. Chrysost. Nimirum à S. Chrysost. mutuatus: cuius verba &
quidem illustriora hæc sunt. Oportet & post partam
victoriam persistere. Nam multi adepti victoriam
denuò ceciderunt, sic ille. Quandiu enim
dies malus est, securus nemo viuit. Resistendum
erit, quia prælium ciebitur, & hostes insurgent.
Diem malum (adiungit S. Chrys.) præsentem vitam,
& seculum malum præsens hoc vocat. Stare
oportet, ne fatigemini post cædem. hæc S. Chrys.
Vana securitas à vitijs. Plerique siquidem cædendo conciderunt: lassatique
sua ipsa victoria & arma abiecerunt, & animam
exhalarunt. Optimè quidem ac prudentissimè D
Dauid postquam se maximè amicum exhibuit
Sauli, cui vitam, cum tutò posset, non tamen
abstulit: atque iccirco singulari illo beneficio reddidit
obligatum, vt iam videretur consopitis discordiis,
placatisque animis Regis amicitiam sibi
conciliasse : tunc vel maximè timuit, sibi & suis
cauit : Regis conspectum, & insidias longiùs subterfugit.
Scribitur enim : *Abijt ergo Saul in domum
suam : & Dauid & viri eius ascenderunt ad tutiora
1. Reg. 24. loca.* 1. Reg. 24. Quia non crediderunt (exponit
Carthusian. Carthusian.) verbis Saulis, cuius infidelitatem, &
instabilitatem, & odium toties erant experti; propter
quod probabiliter coniecerunt, quòd eos
rursùs in breui insequeretur; quod & fecit. ita
Dionys. Mundo, & diabolo, ac vitiis nemo E
sapiens credit. Cum iis nulla vnquam pax,
& vera concordia, securos maximè
intercipiunt, incautos prosternunt.
Hugo. Inuidiæ Saulis (occurrit Hugo)
non credendum. Similiter
(dixerim) inuidiæ diaboli
non credendum.

***

SECTIO VII.

*Viditque in somnis dicentem sibi Deum:
Caue ne quicquam asperè loquaris
contra Iacob.*

1. ODiis, armisque armatus Laban statuerat,
vbi eum comprehenderet, duriùs eum genero
agere. Sed barbarum hominem, ferùmque
Deus ipse inhibuit. Enimuerò in monte Galaad,
vbi quieturus tentorium fixerat, eum videlicet
serò illuc aduenisset Laban, nihil interim de genero
agens illa se nocte quietum continuit. Ergo
dormientem hominem per species in phantasiam
impressas Dominus alloquitur : *Caue ne quicquam* *Deus suos à mundo liberat.*
asperè loquaris contra Iacob : seu vt idem interpres
paulo inferius ex eodem fonte vertit : *Caue ne loquaris* Procopius.
quicquam duriùs. sensus est: Non solum prohibeo
illi factis nocere, sed etiam veto contendere
verbis; aut quicquam illi dicere, quod merito
illi displiceat. Caue igitur quicquam illi loquaris,
quod non ipse probet. Optimè Procop. ad
hunc locum : Mundum (inquit) nos persequentem
inhibet Deus: *Caue ne quicquam aspere loquaris
contra Iacob.* sic ille. Persequentem videlicet iustos, *Blandus & ferox mundus.*
ac religiosos viros, & quoslibet Dei seruos mundum
Dominus cohibet, ne lædat, ne impediat, ne
retrahat, qui ad Deum transfugerunt, quos iam
ipse Deus in suum admisit obsequium. Quid
enim mundus aduersus Deum, Deique seruos non
molitur? Nunc leonem se fingit vt deterreat, arduam,
laboriosam, penéque impossibilem homini
virtutem obiiciens : nunc blanditiis, nocentiore
quidem contra hominem stratagemate, in vitia
blanda illectum deducit. Cæterum prudenter
agit iustus, cùm nec terroribus frangitur, nec illecebris
emollitur. Labanum æquè blandum, ac
ferocem execratur Iustus. Sed ô admirabilem Dei
clementiam & prouidentiam erga seruos suos!
Caue (inquit) *ne quicquam illi asperè loquaris.* Non
facta solùm, & violentiam, sed etiam verba prohibet.
Non angelum Deus mittit, vt irati hominis
linguam coerceat, ipsemet appaiet, vt illi frænum
iniiciat. Adeò magnum est arduúmque opus *Lingua maledica.*
effrænem maledici, præsertim irati, hominis cohibere
linguam!

2. Rogauit Iobum Dominus aliquando : *An
extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam
eius?* Iob 40. Hoc scilicet miraculum Diuinæ Iob. 40.
virtutis est, non humanæ : balenam, siue diabolum
compescere hamo & fune Hamo, hoc est,
linea setáue piscatoria, cui adnectitur hamus, totum
ipsum Leuiathan ac diabolum; fune autem
tantummodò illius linguam. Res mira. Totum
balenæ corpus, totámque diaboli potentiam linea
vincit, tenétque constrictam : at tantulam verò *Mira difficultas frænandi linguam.*
illius linguam vix grandis & validus illigat funis,
quo quidem nauis Indica Lusitanorum Oceano
ipsi quodammodò insultans constricta in anchoris
tenetur immobilis! Tenui quidem filo, sicut
à pueris vincitur passerculus, contineri totus poterit
diabolus : at linguam sola cohibebit, quæ
naues in mari continet, vis. Nimirum longè difficiliùs
intemperantia linguæ compescitur, quàm
omnia omnino vitia peruincuntur. Linguam (ait
Apostolus) nemo hominum domare potest. Pro- Iacobi 3.
fectò & charitas Dei, & memoria gehennæ linguam
hominis & cohibet & perficit; iuxta illud:
Argentum electum lingua iusti. Prouer. 10. *Argentum* Prouer. 10.
electum, non verò vti è fodinis eruitur, plenum *Qualis lingua iusti.*
scoria, & luto sordidum : qualem scilicet ab ipsa

post peccatum corrupta natura linguam accipimus. Sed argentum sæpiùs ignibus excoctum, ac depuratum: Dei videlicet amore, ac timore gehennæ desæcatam, splēdidam, nitentem linguam iustus habet; in qua velut in argento rerum humanarum pretium, sic proximorum honor, fama, vita, gratiaque consistit. Isthæc lingua est viri iusti At Labani lingua, quam solus Deus inhibuit, inflammata à gehenna (*Iacobi 3.*) proximorum honorem, famam, vitámque inflammat, lingua scilicet maledica. Multæ profectò vbique familiæ ab vna huiusmodi inflammatæ lingua videntur in cineres abiisse. Sed vnde quæso tam exitialis inflammandi, & consumendi vis? à gehenna quidem.

Iacobi 3.

Lingua maledica ab inferno.

B Enimuero vt faber cæmentarius contundendis & cædendis lapidibus ferreum præparans malleum, ad ignitam priùs mittit incudem, vbi aptatur & exacuitur: Ita maledicus homo, impetu furens, odiísque armatus ad incudem inferni, ad cacodæmones gehennæ malleatores suam mittit linguam, vt furiali quodam splendescat acumine, quo deinde mores hominum contundat, honorem, famam, vitámque prorsus comminuat.

Iacobi 3.
Inflammat lingua maledica.

3. *Inflammat* (ait Apostolus) *rotam natiuitatis nostræ.*] Prodigiosa quidem diaboli machina, qualis ad spectaculum nocturnum tota in editis locis, turribúsque præfigitur artificiosis instructa ignibus. Hinc ergo diabolus gehennalem, ignem, & obuia quæque inflammantem, imò & consumentem quoquouersùm eiaculatur, cōceptisque flammis prælatorum, principum, iudicum, religiosorum, sacerdotum laicorum, coniugatorum, virorum, mulierúmque omnis status & ordinis & conditionis fama, vita, honórque inardescit, atque in cineres redigitur. Et quem obsecro isthæc non attingit, non adurit flamma; vel saltem illius fumus non offundit, fœdátve fuligo? In cælum isti ab orco afflati *posuerunt os suum, & lingua eorum transiuit in terra.* Psalm. 72. Hebr. *vssit.* Rapido quidem & incendiario cursu obuia quæque comburens transcurrit lingua maledicorum. Ab hac verò iniuria, licet barbarus iras eructaret Laban, Deus tamen misericors seruum suum liberauit. Caue (inquit) ne quicquam asperè loquaris contra Iacob. benè S. Chrysost. animaduertit: Non imperauit Labano, vt ad propria reuerteretur, sed solum prohibet, ne quid durum vel molestum iusto loquatur; vt discat per opera ipsa iustus quantam sui curam gerat. ita Chrysost. *homil. 57. in Genes.* Adiutor est enim Dominus in tribulationibus; & ne sanctus Iacob mali quid acciperet ab irato & iniquo socero, accurrit præstò qui saluos facit sperantes in se. Ne timeant sponsæ Domini, quæ vocantem sequuntur; licet eas persequatur mundus, & ferè comprehendat. Cum Domino, & in Domino confidant; nihil deinde habent, quod formidandum sit. Quare optimè Procop. Deus (inquit) vocat Iacobum, Iacobus vocat vxores. Vnde magnum solatium (Ecclesias ille vocat) adhibetur sponsis, quas mundus propter Christum persequitur. Eas Christus sibi vendicat, & quasi diuitias acquirit. sic ille. Quidni ergo sanctæ virgines Labanum patrem, ac mundum oderint, atque subterfugiant propter Sponsum, à quo tanti æstimantur, tantopere amantur? Deiu quantum sibi accersit damnum, quàm grauiter Deum offendit, qui Virginem Deo sacram audet contingere, Christi thalamum violare, Christi thesaurum deprædari? Dicam iterum, & sæpiùs commemorabo: non videbit faciem Christi, qui violauerit Sponsam Christi.

C

Psalm. 72.

Presto suis seruis Deus fert opem.

D

S. Chrysost.

Virgines Christi mundus persequitur.

Procopius.

E

Graue facinus violatio Sponsæ Christi.

4. Nemo igitur sapiens veteratori credat mundo. Quapropter (inquit Procop.) concionatur Saluator: mundus vos odit. Cæterùm mundum nos occidentem & persequentem inhibet Deus, edicens minabundus: *Caue tibi ne fortè loquaris cum Iacob mala.* sic ille. Quid autem credat aduersario, etiam cum blanditur? Tunc magis nocet, tunc decipit incautum, ac deceptū interimit. in Hebr. legimus *mittob ghad ragh* מטוב עד רע, *ne loquaris à bono vsque ad malum*: hoc est, non loquaris ad eum bonum vt reducas eum, neque malum vt noceas ei. sic Hebræi apud Isidor. Clar. Agit enim mundus contra Dei seruos & minis, & illecebris: terret, allicitque in vtroque malus, perfidus, truculentus hostis: sed quò blandior, eò perniciosior. Prius enim ponitur *mittob* à bono. Deinde *ghad ragh* vsque ad malum. Quasi periculosior longè tentatio sit hostis blandientis, quàm territantis. Prosternunt sæpè blanditiæ, quem non terruerunt duritiæ. An non grauioribus pertentatus dæmonum ictibus Iob, triumphator tamen extulit trophæum: & leuioribus impugnatus assultibus Adamus, succubuit tamen: & cum toto genere humano periit? Quid causæ fuit in tanto rerum vtrobique discrimine? Vicit homo (respondet S. August.) in stercore, victus est in paradiso. sic ille, *in Psal. 47.* Quem scilicet dolores non fregerunt, deliciæ subiugarunt. Rem profectò confectam sibi diabolus persuadet, prostratum gloriatur hominem iacere, vbi delicias mundi, & carnis blanditias dulci quodam & periculoso bello ducit in aciem aduersus hominem carneum & luteum. Hanc hostis impudentiam in seipso expertus Propheta lamentabatur: *Lumbi mei impleti sunt illusionibus.* Psalm. 37. Ambros. cum LXX. legit: Anima mea impleta est illusionibus. Eo quòd (explicat) in tentationibus diabolus ei videatur illudere, & insultare quasi grauiter laboranti. hæc ille. Nimirum in tentationibus carnis, quæ lumborum nomine significantur, sic laborat anima cum hoste viribus & insidiis instructissimo decertans, sic omnem suam vim solet amittere; vt iam de victoria securus hostis miserè captiuam illudat: ac pro eodem reputet tentare carnis stimulis, atque prostratam animam irridere cachinnis, sputis illudere, alapis deformare. Illusiones diaboli vult S. Hieron. intelligi ipsasmet illecebras voluptatū, quibus homo & pertētatur, & vincitur. sic ait: Illis illusionibus se profitetur esse infirmatum atque repletum, quibus diabolus humanum genus allicit, vt delinquat. Se vnusquisque consideret, & titillantem corporis intelligat voluptatem. Deus tu cognouisti insipientiam meam; quia lumbi mei impleti sunt illusionibus. sic ille. Voluptates carnis ipsa mera sunt insipientia & stultitia. Illusiones vocat diabolus. Tum quia in iis veritas non est; sunt enim ludicra quædam, & insomnia: tum etiam quia iis cupiendis, & habendis miserandum in modum illuduntur & subsannantur, ac nihili habentur animi ad æternitatem bonorum creati.

Procopius.
Mundus decipuit.

Euincunt blanditiæ.

Adam & Iob dispares.

S. August.

Psalm. 37.
S. Ambros.

Periculosa carnis tentatio.

D. Hieron.

Stulta carnis voluptas.

5. Benè apposuit S. Ambros. insultare quasi grauiter laboranti, eo quòd anima grauiùs periclitetur inter delicias; leuiùs rem gerat, securiùs agat inter flammas pœnarum. Nec animæ Deum timenti pariter, atque amanti molestior vlla est tribulatio, quàm cùm voluptatum illecebris impugnatur. Quod Propheta vehementer pertimescens Diuinam implorabat opem: *Tu es refugium meum in tribulatione, quæ circumdedit me; exultatio mea: erue me à circumdantibus me.* Psalm. 31. Siccine verò Prophetam vndique circuncingebant tribulationes? Et quænam illæ? audi S. Gregor. Sancta etenim

Molestissima carnis tentatio.

Psalm. 31.

S. Gregor.

Anima tribulatio carnis volupta.

A cetenim anima Diuini amoris ſpiculis vulnerata cum anhelare in Deum cœperit, cum ad supernã ſe patriam per deſiderium extendit, ad tentationem ei vettitur quicquid in hoc ſeculo amicum antea, blandúmque putabatur. ita Pontifex, *ad prædictum Pſalm.* Sed vndenam licet coniicete delicias hic vocari tribulationem? Exiſtimo quia & ſanctæ animæ non eſt tribulatio in pœnis, quæ ad virtutem ire compellunt; ſed in deliciis, quæ à virtute auertunt, & in vitia detrudunt. Deinde quia bis dicit ſe circundatum: duplicata enim vi animam blanditiæ carnis tenent, conſtringunt, & à curſu in Deum remorantur. Nihil quidem eſt animæ iuſtæ, ſi cum Dei gratia certet fortiter, & B vincat feliciter, illuſtrius & glorioſius tentatione, quam nonnunquam (liceat ita dicere) vel ipſe hoſtis non induceret, niſi Diuina prouidentia noſtris commodis ſedulò prouidens permiſiſſet. Quæ doctrina traditur à S. Ambroſ. ad hunc modum: Cogitur aduerſarius ſanctos Domini ad ſua damna tentare: dum enim tentat, meliores reddit. ſic ille, *in Pſalm.* 43.

S. Ambroſ. Tentatio in bonum hominis.

Non quidem Dominus impellit, cogítve diabolum, vti ad peccandum pertentet hominem. Hoc enim eſſet Deum cauſam eſſe peccati, quod eſt impium dicere: ſed quia non impedit diabolum, cum poſſit, rerúmque circunſtantias ita diſponit, in quibus infallibiliter ſcit hominem à diabolo (quæ ſolet eſſe inuidia & malignitas aduerſarij) pertentandum: idque in bonum hominis, quem nouit conſtanter acturum. Et quidem Propheta (vt paulo ante præmiſit) illuſiones vocauit tentationes; quibus videlicet anima illu- C ditur, illuſáque humiliatur. At quæ maior animæ vtilitas, quàm quæ ex tentationibus, iiſque abiectiſſimis, humilitas virtutum mater, meritorum officina, theſaurus Diuinæ gratiæ conſueuit acquiri?

Humilitas ex tentatione.

S. Ambroſ.

6. Pulchrè in hanc ſententiam S. Ambroſ. Tempus (ait) tentationum; tempus humilitatis animæ noſtræ. Humiliatur enim anima noſtra, dum traditur tentatori duris examinanda laboribus, vt luctetur. ſic ille, *ſerm. 7. in Pſal.* 118. Exercetur enim anima tentationibus, ad grauiora in dies duratur certamina, vt ſcilicet durioribus aſſueta prælijs illuſtriores eluctetur coronas, & glorioſiùs ſubin- D tret patriã cœleſtem triumphando. Igitur ô ſponſæ Chriſti Chriſtum abeuntem ſequentes, non eſt quod Labani timeatis incurſum. Perſequetur vos mundus, tentabit caro, dæmon inſectabitur: at felices tamen quæ cum Iacob, cum Chriſto armatæ hoſtium impetus ludificabitis. Præſtò vobis in prælio eſt gratia, præſtò miſericordia Dei Sponſi veſtri: certantes adiuuat gratia, certantium vires admetitur miſericordia. *Non enim Dominus patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis.* 1. Corinth. 10. ad quæ verba egregiè concludit S. Ambroſ. Cur non præſumas gratiam, cum habeas præſulem certaminis miſericordiam? ſic ille, de obitu Theodo- E ſij.

Lucrum ex tentatione.

1. Corin. 10.
S. Ambroſ.

Dei gratia ad tentationem.

Noſtrarum ſcilicet tentationum, noſtrorum cum diabolo vitiiſque certaminum præſes aſſiſtit Dominus, qui vires tribuit certanti, qui tentatoris vim prout expedit, veluti arcus neruum aut remittit, aut contrahit, tentationiſque laborem iuſta quadam trutina pro certantis animo, facultatéque ponderat, ac metitur. Non ampliorem (declarat ibidem S. Hieron.) nobis tribulationem venire patietur, quàm ſuſtinere poſſimus. ſic ille. Si ſpectes naturam hominis, nulla eſt leuis tentatio: ſi gratiam Dei quę hominem armat; nulla eſt grauis. Ipſe enim (aduertit ibi S. Chryſoſt.) dat tolerantiam, & citam affert liberationem adeo, vt hac ratione ſit tentatio tolerabilis. ſic ille, *homil. 25. in*

D. Hieron.

S. Chryſoſt.

A *1. Corinth.* Ne timeas ergo Iacob ingruentem & iratum, & armatum Labanum. Ne timeas ô Chriſtiane tentatorem Vinces, ſi voles. Enimuero conatum tuum (monet S. Auguſt.) nouit Deus, & voluntatem tuam inſpicit, & luctam cum carne conſiderat: & hortatur vt pugnes, & adiuuat vt vincas, & certantem inſpectat, & deficientem ſubleuat, & vincentem coronat. hæc S. Auguſt. *conc. 1. in Pſalm.* 32.

D. Auguſt.

7. Illud etiam obſeruari debet: *Caue ne loquaris, à bono vſque ad malum.* Quaſi à malo homine, qualis erat Laban, & lingioſo, & iracundo, & fraudulento, nec boni quicquam, imò nec etiam aue oporteat accipere. Senſus eſt. Nolo quicquam be- B neuolè, amicéque loquaris Iacob, cuius ergo illum aut retrahas, aut ſaltem tecum ille in priſtinam redeat amicitiam. Cum iracundis enim, cũ fraudulentis, cũ barbaris ingenio, vitáque impiis amicitiam & commercium iuſto eſſe nõ patitur Dominus. Vt nouerimus expedire nonnunquam, Deique voluntatem ita diſponere, vti cum aliquibus nec commorandum, nec colloquendum ſit, ſine vllo diſpendio charitatis quod à Dauide prudenter factum fuiſſe legimus. Cum enim aliquando Saulem ſuæ malignitatis, & iniuſtitię pœniterer, datáque fide Rex promitteret nunquam ſe Dauidi quicquam mali ampliùs moliturum: nihilominus Dauid abeuntem Regem, atque omnino (vt videbatur) placatum comitari noluit. Scribitur enim *Abijt ergo Saul in domum ſuam, & Dauid, & viri eius aſcenderunt ad tutiora.* 1. Reg. 24. Et quidem pru- C denter, vt rectè ſubnotauit Abulenſ. ad hunc eundem locum his verbis: Egit hoc Dauid cautiſſimè: quia credidit quòd Saul nunquam reuerteretur ad ſanam mentem erga eum firmiter, ſed ad tempus. hæc ille. Cæterùm videbitur fortaſſe alicui perperam id factum à Dauide, qui teneretur, in teſtimonium confirmatæ amicitiæ, credere Sauli, & cum eo deinceps ad priſtinum ſtatum, conſuetudinémque redire. Sed non ita eſt, vt ſtatim animaduertit idem Abulenſ. Neque (inquiens) in hoc agebat Dauid contra conſcientiam, quia quanquam tenemur inimicis veniam petẽtibus parcere; tamen non tenemur illis credere, nec redire in D priſtinam amicitiam, etiam ſi petant hoc, ſi credimus quòd non ſeruabunt legem amicorum. ſic ille. quæ doctrina vera & bona eſt. Reconciliato inimico parcendum quidem ex Diuina lege: credendum autem prorſus ac fidendum nec Diuina lex cogit, nec prudẽtia docet. Cautè quidem cum homine, quem ſæpiùs in amicitia inconſtantem, perfidúmque ſumus experti, agendum erit. Foris columbina ſimplicitas, intus autem ſerpẽtis aſtutia, prudentiáque cum huiuſmodi amico ſeruetur oportet. Negari tamẽ haud poteſt magnitudinem animi tunc maximè videri, atque celebrari, cum quis etiam læſus ita in priſtinam redit gratiam cum inimico, vt præteritorum omnium, quæ mẽ- E tem exulcerabant, oblitus quaſi nihil ſiniſtrum, aduerſúmque mutuò, interceſſerit, ſic deinceps cum homine ſe gerat. Hanc ſanè imperatoriam in Iulio Cæſare gloriam antiquitas demirata eſt: vti S. Auguſt. refert his verbis. Cæſari adminiſtratori Reip. mores eius extollens Cicero dicebat, quòd nihil obliuiſci ſoleret, niſi iniurias. ita S. Auguſt. *Epiſt. 5. ad Marcellinum.* quòd autem hæc Cæſaris gloria omnibus percelebris haberetur, adiungit: Hæc cum in eorum legũtur auctoribus, exclamatur & plauditur. ſic ille. His carbonibus charitatis in eandem ſimul inflammantur animi, ſiúntque de inimicis amici, quos odia ſeiunxerant, & in mutuam accenderant inimicitiam. Proprium ſanè diuinitatis

Cũ malo non conuerſandũ.

1. Reg. 24.
Abulenſ.
Cum inimico reconciliato agendum cautè.

Abulenſ.

S. Auguſt.
Parcendum inimico.

vinitatis ingenium parcendo maximè ac miserando se prodit. Iratus enim Dominus, & rebellis atque ingrati populi Hebræorum vindictam expetiturus a seruo suo Moyse placatur tandem, qui Domini furorem hac demum ratione cohibuit: *Magnificetur ergo fortitudo Domini*. Num. 14. Enimuero homines sibi falsò persuadent suam se magnificare fortitudinem, si de aduersariis sese vlciscantur, illatásque irrogato supplicio iniurias vindicent: at isthuc quidem imbecillitatis est, & ignauiæ. Contra verò Deus omnipotens non in vindicando, quod facilè possit, sed in parcendo potentiam suam exerit, Potentissimi nomen adipiscitur.

Num. 14. *Vltio imbecillitas.*

Deus parcendo omnipotens.

Amici ex inimicis.

B 8. Diximus paulo ante per charitatem de inimicis fieri amicos, quod est vnum à charitate facinus gloriosum. Videlicet sic amore voluntates emolliri, corda conuerti, animos inflecti, vt inimici, quorum priùs exarserant odiis, commutentur in amicos, hostes in fratres. Et quæ maior quæso, & gloriosior victoria? Ita quidem triumphans in cruce Dominus IESVS vitam voluit cum sanguine pro hominibus profundere: cum scilicet Patrem rogauit: *Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. Luc. 22. quod etiam Isaias prædixerat: *Et pro transgressoribus rogauit*. Isai. 53. Eo admiranda Domini misericordia, & nimia (vt vocat Apostolus) charitas! Sed vide quàm victrix sit, quàm triumphet. animaduertit enim ad prædictum locum Gloss. ordin. Ad hanc vocem secundum Euangelium Nazarenorum multa millia Iudæorum astantium circa crucem crediderunt. sic Gloss. Et visis tamen Christi miraculis, quæ infinita & augustissima extiterant, non proinde signorum effectori; sed iniurias mortémque toleranti atque ignoscenti corda, & animos subdiderunt. Non quidem humanum est, sed humano planè augustius, acceptam iniuriam & condonare, & obliuisci. Agnouerunt milites Dauidis, & opere celebrarunt hanc ipsam, quam præscripsimus doctrinam. Pepercit quidem Dauid Sauli, noluitque cum securè posset, hominem occidere. Igitur (quod optimè aduotauit S. Chrysost.) iccirco milites postea Dauid non iam vt homini, sed vt Angelo parebant. sic ille, *homil. 1. de Dauid & Saul*. Certiores nimirum facti milites D admirandæ, atque inauditæ illis seculis charitatis & fortitudinis Dauid non iam vt hominem, cui est innatus furor, & vindictæ appetitus, sed Angelum planè carnis & affectuum humanorum prorsus expertem deinceps & respiciebant, & venerabantur. Meritò igitur Iudæorum & gentilium, qui ad grauissimum illud & cruentissimum spectaculum Christi de cruce pendentis aderant, multi audita illa voce ignoscentis peccata hostium & crucifigentium, atque pro iisdem orantis Domini, illum non solùm iustum & sanctum hominem, sed etiam verum esse Deum & agnouerunt, & confessi sunt. Diuinitatis profectò egregium in Christo testimonium! tam inaudita erga inimicos, à quibus fuerat in patibulum sublatus, charitas, & in cruciatibus tolerantia non solum hominem innocentem, sed & verum Deum esse conuincebat. Hæc est illa immensa Dei nostri charitas ab Apostolo non satis celebrata: *Cum enim (inquit) inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius*. ad Rom. 5.

Luc. 22. Isai. 53. *Christus parcendo vicit.* Glos.

Diuinum est parcere.

1. Reg. 26.

D. Chrysost. *Dauid parcendo vt Angelus celebratur.*

Christus parcendo cognitus Deus.

ad Rom. 5.

9. Pulchrè idem Apostolus paulò superiùs eodem cap. præmiserat: *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*. ad Roman. 5. Benè S. Ambros. ex his omnibus Apostoli verbis colligit: Non tantùm pro accepta salute & securitate Deo gratias agendas docet; sed & gloriandum per Christum Iesum in Deo, qui dignatus est ex impijs & inimicis dici nos suos amicos. sic Ambros. O infinitam, & incomprehensibilem Dei ergo nos charitatem! Quia scilicet (inquit ad hunc locum S. Chrysost.) mortuus est, & pro impiis, & reconciliauit, & seruauit, & iustificauit, & immortales reddidit, & filios effecit, & hæredes. ita Chrysost. Sed & ô miseram hominum conditionem! nullus vnquam fuit in toto humano genere, qui aliquando inimicus Deo non extiterit, si vnam post Filium Dei Matrem sanctissimam excipias. Enimuero omnes peccauerunt, saltem obnoxij peccato originali, & cum pariter nati & polluti fuerunt ante baptismum, & Dei gratiam, peccatores, & filij iræ: dein abluti deterso illo reatu in gratiam & amicitiam Dei recepti sunt. Suos igitur omnes Deus de inimicis fecit amicos: quod si non pepercisset inimicis, nullum profectò in omnem æternitatem haberet amicum. Vna tantùm post Christum Virgo Mater excipitur; quæ nimirum speciali priuilegio vt dignum Deo Filio in seipsa pararet habitaculum, ab omni quidē actuali, imò & originali reatu exempta & immunis extitit. Dixi speciali priuilegio Virginem beatissimam fuisse à primæua labe immunem ab ipso nimirum Filio suo & Redemptore suo per redemptionem quidem, vt Theologi vocant, præseruatiuam. Quo C sensu its loquitur S. Anselm. Indiguit beata Virgo redemptione, & Christi passione, non propter peccatum quod infuerit, sed propter peccatum, quod infuisset, nisi ipsemet ex speciali priuilegio eam præseruasset. hæc S. Anselm. *lib. 2. Cur Deus homo, cap. 10*. Decebat quippe immaculatum Deum hominem, ipsiúsque puritatis fontem, vt non nisi de immaculata omninóque pura Matre nasceretur. Quod quidem Exechieli Prophetæ monstratū legimus: sic enim scribit: *Super firmamentum, quod erat imminens capiti animalium, quasi aspectus lapidis sapphyri, similitudo throni, & super similitudinem throni quasi hominis desuper*. cap. 1. Itaque primo apparuit firmamentum, siue cælum ipsum octauum syderibus adornatum: dein supra cælum astriferum visa est sedes, siue solium planè regium, in quo sedebat homo. Sedes autem illa, thronúsve solus erat ex sapphyro. Hæc erat visio: quam egregiè dispungens Galatin. ita scribit: Similitudo throni, vel solij, siue sedis, est gloriosa Mater Messiæ: super hanc similitudo hominis, qui est Dei Filius incarnatus, seu Messias. Dicit aspectum sedis similem sapphyro, vt innuat intemeratam Virginis puritatem: vt enim sapphyrus est diaphanus & clarus; ita Virgo semper fuit immaculata, & clarissima absque originali peccato. ita Galatin. *lib. 7. cap. 18*. Perbellè quidē super firmamentum sedes ac thronus Deo homini constituitur, videlicet supra cælum cælique lumina & sydera consistere videtur E Dei Mater illa omnia suo splendore ac puritate vincens. Enimuerò si ad cælum vsque sydereum nec vmbra terræ, nec vlla orbis nebula peruenit: *Non accedet* (ait Propheta Deum alloquutus) *ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*. Psalm. 90. Nec enim Christus Dominus vllà potuit mali, hoc est peccati, labe inspergi: nec eiusdem priuilegio Domini Mater, tabernaculum scilicet Verbi incarnati, vllo peccati vel actualis, vel originalis siue flagello, siue flabello debuit aut præstringi, aut hebetari. Quòd si cum D. Augustino intelligas tabernaculum Dei, carnem à Verbo assumptam, inde quoque astruitur immaculata conceptio Virginis. Explicat enim S. August. Tabernaculū Dei caro est. *In sole posuit tabernaculum suum*

Immensa Christi charitas erga homines.

D. Chrysost.

Omnes Dei amici ex inimicis facti.

B. Maria ab originali reatu immunis.

S. Anselm.

B. Maria conceptio absque reatu originali conuincitur.

Ezechiel. 1.

Galatin.

Psalm. 90.

S. August. Psalm. 18.

suum: Psalm. 18. Quid est in sole? in luce quæ terras de cælo perfundit. sic ille, *in Psalm.* 90. Nimirum Virgo Mater, in qua Verbum incarnatum inhabitauit, sol erat, lux ipsa extitit. Quid autem purius luce? quæ vmbra, quæ labes ad solem non disparet, non euanescit? Solem non attingit caligo; Virginem Dei Matrem nulla vel originalis macula potuit non dicam offundere, sed ne afflare quidem.

B. Maria sol.

SECTIO VIII.

Iámque Iacob extenderat in monte tabernaculum: cúmque ille consecutus fuisset eum cum fratribus suis, in eodem monte Galaad fixit tentorium. Et dixit ad Iacob: Quare ita egisti, vt clam me abigeres filias meas quasi captiuas gladio? Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi, vt prosequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis? Non es passus vt osculare filios meos & filias: stultè operatus es.

1. POstridie quàm venerat Laban in montem Galaad, admonitus iam & à cõcepto furore cohibitus, accessit cum suo comitatu ad Iacob in tentoriis. Non potuit autem ferus & barbarus homo, aut noluit potiùs ira sibi temperare, quin (vt erat impius & ferox) digna indignis, falsa veris misceret: abductas nimirum filias a Iacob queritur, non vti vxores; sed vti mancipia bello capta, non ad coniugalem vitam, sed ad intolerandam seruitutem. Verùm huius loci paraphrasim præstat audire ex Iosepho, qui *lib. 1. antiquit. c.* 19. ita scribit. Sequenti luce Labanus Iacobum ad colloquium euocat, non dissimulans oraculum. Cumque ille fidei eius se commisisset, cœpit hominem accusare exprobrans quòd pauperem, omniúmque egenum suscepisset, & de suis facultatibus abunde ipsi suppeditasset. Propterea filias (inquit) tibi coniunxi, putans hoc pacto beneuolentiam erga nos tuam fore firmiorem: tu verò nec matrem tuam, & communem sãguinem, nec vxores apud me ductas, nec liberos, quorum ego auus sum, reueritus, non aliter quàm hostem me tractasti: rapuisti mea bona, filiabus vt parentem fugerent, autor fuisti: sacra patria tecum portasti: & quæ vix hostis hosti faceret, tu cognatus è sorore nepos, gener, hospes, ac domesticus conuictor mihi fecisti. hæc Iosephus. Plena quidem omnia iracundiæ, ac malignitatis. Etsi enim Diuino oraculo cohibitus à violentia & iurgio fuerit, ad ingenium tamen rediens iniustas & aculeatas effudit querimonias. Adeò cuiuis homini arduum est, vt innatam animi passionem aut omninò reprimat, aut etiam saltem moderetur. Maximè hoc videre est in iracundia, qui sanè furor hominem sic inuadit, vt offuso mentis iudicio, miserum in rabiem succendat, in perniciémque præcipitet. Rectè monet Apostolus: *Non vos vindicantes charissimi, sed date locum iræ.* ad Rom. 12. Notandum illud est: *Date locum iræ*: hoc est (exponit S. Ambros.) declinemus eam, ne nos illa corripiat. sic ille, *de Joseph. cap.* 13. Pulchrum verbum: *Corripiat*: ad exprimendam iracundiæ violentiam, atque exitium. Remis, inquam, velísque fugiendum ab iracundia, ne furiosa isthæc passio nos corripiat velut ignis, qui fortè succensus in exitiale gliscit incendium: aut velut præcipitans ex præaltis montibus flumen obuia quæque sinuosis vndarum voluminibus circumuoluit, absorbétque: aut velut agitatus in circo taurus, iniectis ludentium spiculis totus inhorrescens qua data porta ruit furibundus. vna salus homini tunc est, si declinet, si fugiat. Enasci autem solet iracundia præsertim ex vltionis libidine, aut ex ambitione rerum temporalium. Iccirco enim Dominus duplicem hanc istius mali labem à suis discipulis voluit amouere. sic enim adiungit idem Ambros. Vnde Dominus Iesus dimittens ad euangelizandum discipulos, misit eos sine pecunia, sine virga: id est, vt & incendium litis, & instrumenta eriperet vltionis. hæc S. Ambros. Vbi scilicet non est pecunia, lis nulla & controuersia geritur. Vbi arma non apparent, aut vindicta non est, aut facilè sopitur. Contra verò lites pecuniam comitantur, & armis vltio incenditur, & exercetur.

Iosephus.

Ira furor effrenis, & preceps.

ad Rom. 12.
S. Ambros.
Fugiendum ab iracundo.

Iracundia vnde nascitur.

S. Ambros.

2. Continuit manum barbarus homo, non verò linguam: non exeruit vim, sed verba distinxit: *Clam* (inquiens) *me abegisti filias meas, quasi captiuas gladio.* Sicut videlicet pecudes furto à prædone abiguntur: & bello capti ante rhedam victoris trahuntur serui. Planè mentitur. Sponte sua quidem & amantes amantem pariter feminæ virum sequuntur: quin etiam alacriter patrem fugiunt vti aduersarium, ac tyrannum. Nemo quidem se plenè dignoscit, nemo sua vitia intuetur, aut sentit vulnera, aut vlcera sobolet. Quod quisque mali habet intus; in aliis aut iudicat, aut falsò confingit reperiri, & palam notari. Labanus quidem natura pater harum mulierum: sed dolis tamen iniuriísque prædo, ac violentia ferocitatéque tyrannus indotatas viro tradidit, & substantiam viri sudoribus acquisitam surripuit ipse ac liguriuit. At iniquus tamen homo innocentem accusat Iacobum, prædonem vocat, tyrannum inclamat. Sic habet improba conditio mortalium. Erga nos ipsos nimiùm faciles, blandi, dulcésque: contra alios (proh Deum immortalem!) seueri censores, inexorabiles tyranni, carnifices truculenti. Conniuemus ad nostra delicta, quin cæcutimus potiùs: ad aliena lynceos habemus oculos, Catonis supercilium, & virgam, staterámque Rhadamanti. Quæ verò prauitas hominum est, iccircò alios carpimus non tam quia delinquunt, quàm quia deliquisse comprehenduntur: & quod mali nobiscum struimus, ab aliis publicè patrari indignamur. Quod quidem egregiè monet D. August. Vide (inquiens) ne fortè quod reprehendis in altero, cogites facere: & ideò in illum clamas non quia fecit, sed quia inuentus est. Redi ad te, intùs est tibi iudex. sic August. *in Psalm.* 65. Extra seipsum fertur, sui prorsus immemor, quisquis aliena vitia perscrutatur. Quod si redeat intrò, & propriam discutiat conscientiam, haud dubiè ab illa edoctus, & conuictus, veram etsi seueram contra seipsum pronunciabit sententiam. Mali quidem erga nos sumus iudices, erga alios multò peiores. Nobis, cum irasci, cum indignari, cum pœnam inferre deberemus, indulgemus tamen, imò & abblandimur. Aliis verò, cum oporteret ignoscere, condolere, velamen charitatis vitia proximorum operientis obtendere, medicinam præbere vulneribus: oculorum tamen rigorem, verborum aculeos, linguarum virulentiam distringimus. Sed heu me, nascitur hoc malum ex ipsamet vitiorum illuuie, quibus miseri sordescimus, nostras siquidem sordes aliena putamus labe aut dilui posse, aut saltem occultari! Quo in argumento illud optimè scriptum reliquit. S. Greg. Nazianz. Alij aliorum peccata obseruamus, non vt lugeamus; sed vt exprobremus; non vt medicinam

Rara cognitio sui.

Nobis blandi aliis seueri.

Vitia incusamus aliena, obliniscimur nostra.

S. August.

Sui oblitus alios diiudicat.

Erga nos & alios mali iudices.

S. Greg. Naz.
Alienis nostra mala excusamus.

cinam affectamus, sed vt à proximorum vulneribus excusationem vitiis nostris petamus. sic ille, *Apologet.* 3. Verùmenimuerò nostra vitia ex alienis inepte petunt excusationem: nec quia sordidos alios aut videmus, aut ridemus; nostræ abluuntur fordes, nósque puri & redditi ut, & videmur.

S. Chrysost. 3. Porrò autem spectato barbari hominis ingenio haud incommode S.Chrysost. mansuetudinem & humanitatem in illius verbis agnoscit.

Iratus mutatur in mansuetum diuinitus. Nam qui tanto (inquit) impetu comprehendere Iacob, & pœnam fugæ de eo sumere volebat non solùm nihil asperum & durum aduersus eum loquitur; sed sicut pater filium compellans, ita blandis verbis conuenit: Quid fecisti? Vide quanta mutatio, vide quomodo is, qui vt bestia insaniebat, ouium imitatur mansuetudinem. ita Chrysost. *hom.* 57. *in Genes.* Itaque Labani verba, si consideretur barbari hominis ac præferocis ingenium, lenia & quodammodo paterna iudicantur: à fero enim pectore quid nisi ferum, & aculeo plenum timeri poterat? Cæterùm hæc tam insolita hominis mutatio diuinitus facta creditur à S.

Dei gratia de periculis liberat. Chrysost. ne quid seruus Dei aut iniuriæ, aut molestiæ ab iniquo & agresti homine acciperet.

S. Chrysost. Quando enim (inquit) superna prouidentia nobis assistit, non solùm malorum hominum insidias effugere possumus, sed etsi in bestias inciderimus, nihil aduersi nobis eueniet. sic ille. Quod etiam probat in elementis. Quando enim (ait) Dominus vult, tunc & elementa ipsa naturæ suæ obliuiscuntur, & neque ignis facit quod ignis solet. ita Chrys. adducit statim vtriusque rei exemplum ab historia Danielis. Illum quippe (adiungit) leones sicut oues circundabant, iusto parcebant leones reueriti eum. Similiter eos, qui erant in fornace, ignis elementum reuerebatur quasi ligata operatione sua. Dei enim manus potentior est omnibus ipsa nos vndequaque satis munit, & inuictos facit. hæc omnia S.Chrys. *homil.* 57. *in Genes.* Facile vincitur quicquid durum & asperum sese obiicit, vbi Diuina prouidentia hominem ducit, ac munit. *In tribulatione dilatasti mihi.* canit

Psalm. 4. regius Vates *Psalm.* 4. Nimirum (vt exponit S.

S. August. August.) ab angustiis tristitiæ, in latitudinem gaudiorum me duxisti. sic ille. Quasi post tenebras

In tribulationibus delectatio. lucem, & post tempestatem laboranti homini tribuat serenitatem. Cæterùm adhuc magis enitescit Dei prouidentia, cum in ipsismet aduersitatibus (vt locum intelligit Theodoret.) delectationem Dominus elargitur: vt scilicet etiam ipsa, quæ grauia sunt, leuia, quæ acerba efficiat dulcia, ponátque miram in ipsis doloribus voluptatem. Hac fretus Dei prouidentia pariter ac beneuolentia Noe vir ille Deo gratissimus (vti animaduertit S.Paulin.) super orbem dimersum vna vbi-

Securitas in periculis. que diffusi maris facie, inter effusas cæli & abyssi aquas solidè tot inuatabat mundo. sic ille. *Epistol.* 34. Læto siquidè ac securo animo ferus Dei ventis insistit, ac resistit, fluctus diuidit, maria prætermaigat, cum syrtibus, cum naufragiis cum morte ipsa colluctatur. Fugientem Dei populum à tergo exercitus persequitur, iam iámque premit mortem exitiúmque ferens. Quo deinde fugiat, quane rursò euadat, nulla omnino spes: ante oculos videlicet mare rubrum immensis aquarum gurgitibus minabundum: qua tranari queat nec apparet nauis, nec ratio succurrit. At, quæ Dei prouidentia præsto solet esse iustis, ducit Moy-

S.Greg. Nyss. ses (inquit S. Greg. Nyssen.) per mare siccis tantum populum pedibus; non manibus, sed fide pelagus transit. sic ille, *de vita Moysis.* Adeò potens est seruorum Dei fides in Domino suo, quin etiam

A seruum, cum puniri oportet, in ipsis quoque pœnis erga illum Diuina benignitas demonstratur, quod in Iona sic expendit S. Paulin. Fugitiuum

S. Paulinus. Prophetam vltor & custos cetus excepit. sic ille, *Epistol.* 34. Venter enim balenæ non vt deglutiret, sed vt custodiret, tandémque incolumem terræ Prophetam redderet, reum seruum accepit.

4. *Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi, vt prosequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis?*] Forte iste mos erat illis secu-

Qua sit conditio hospitis. lis discedentes amicos prosequendi: aut (quod aliquis dixerit) istæc semper fuit mortalium conditio, vti hospites subtristi animo & vultu (quicquid aliter simulent) excipiant venientes; at læ-

B to nimiùm abeuntes dimittant. Profectò vti perhumaniter sunt hospites excipiendi, quod est Christianæ charitatis egregium sanè argumentum: sic hospes ita se gerere debet (quod est humanæ prudentiæ) vt molestiæ ac fastidio non sit: nimirum terat paululum domum alienam, hospitio frequens non sit, mensæ non diu accumbat, sellámque (vt loquuntur) non calidam diuturna sessione reddat. Sit ergo ad famem, ad desiderium hospes, non ad nauseam. Addunt prudenter qui-

A quo excipiendum hospitium. dam: excipiendum est audacter & fidenter hospitium, mensa, lectus à cognato non vltra hebdomadam, ab optimo fratre tantùm vno mense; ab intimo amico per annum; à deterrimo etiam pa-

C tre per totam vitam. Mirum est quàm commendetur in scripturis hospitalitas; quæ à Clem. Alex.

Clem. Alex. dicitur artificium amicitiæ. sic ille, 2. *Stromat.* Ab

Commendatur hospitalitas. amicitia siquidem velut ab ingenioso artifice inuentum est, & compositum, vti domo, lecto, mensáque excipiantur hospites. Ad hanc virtutem in-

ad Rom. 12. uitat Apostolus: *Necessitatibus Sanctorum commu-*

S. Chrysost. *nicantes, hospitalitatem sectantes.* ad Rom. 12. Vbi optimè S.Chrysost. expendit verbum *sectantes.* Nõ dicit (ait) facientes, sed sectantes, instruens nos, vt non expectemus egenos, donec ad nos veniant; sed ad ipsos curramus, eos sectemur, vt faciebat Abraham. sic ille ad locum Pauli. Sunt enim quærendi, sunt inuitandi, sunt compellendi vt intrent; sunt retinendi vt persistant hospites. Hinc enim grandis redundat vtilitas: dixerat enim

D Apostolus: *Necessitatibus Sanctorum communicantes.* vbi S. Chrysost. non dicit: Necessitatibus il-

S. Chrysost. lorum subuenite: sed communicate: ostendens

Misericordia in pauperes lucrum. quod plus accipiant, quàm præstent: & quòd res ista negotiatio sit: communicatio siquidem est. Tu pecuniam affers, illi fiduciam tibi erga Deum afferunt. hæc ille. Quæstuosa res est in pauperes misericordia, fœnus non modò licitum, sed plenum emolumentis. Benè igitur occurrit hoc loco

Theodor. Theodor. Mentione facta communicationis hortatur Apostolus ad liberalitatem. Quia enim non libenter pecuniam communicauerit, vt fit rei benè gestæ, & emolumenti particeps, sic ille. Maximè verò vtilis est hospitalitas, quæ viris sanctis exhibetur, vti apponit S. Chrysost. Suscipiamus

S. Chrysost. Sanctos, vt splendeat domus, vt liberetur à spinis,

Ex hospitalitate lucra. vt potius fiat domicilium. hæc ille, *homil.* 30. *ad*

E *Rom.* Cedit quidem hospitanti hæc virtus ad splendorem domus, quæ hospitio Sanctorum honoratur: cedit ad vitia illorum conspectu, & præsentia prorsus extirpanda: cedit ad omnem animi & corporis, ac totius rei familiaris tranquillitatem. Portus est enim, vbi virtus locum habet, & vir iustus commoratur: inconstans, & inquietum est omne vitium.

5. Rudis homo & planè barbarus abeuntes generum, filias, nepotes, meliorem vtrique, maioremque suæ familiæ partem, non gaudio, sed dolore;

Qualis amātiū discessus.

lote; non cantu, sed lamentis prosequi debuisset. Nec enim sine dolore amittitur, quod cum amore possidetur: atque in mutuo discessu amantium lancinantur viscera, tabescunt corda, oculi soluuntur in lacrymas: hæc sunt veri amoris argumenta. Hic vel maximè demonstratur humanum cor blandum pariter atque durum: nec cera mollior illo, nec durior calybs. Discessum dolet, luctúque dissoluitur ac liquescit: discedentis verò imago, verba vltima, & memoria sic animo infixa, sic insculpta hærent in posterum; quasi ferreo stylo æri aut chalybi fuissent in omnem æternitatem incisa. Dolet proinde honesta vidua mariti funus, ac moribundi quoque verba extrema & animo seruat, & identidem repetit: in desiderio & luctu vitam subinde trahit; quod quidem Dominus famis voluit symbolo declarare. *Venient* (inquit) *dies, cum auferetur ab eis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus.* Luc. 5. Locum explicat S. Ambros. de ascensione Domini. Iccirco enim à terra in cælum abiens hominum aspectum consortiúmque subterfugit, vt ipsorum desideria vehementiùs inflammaret. Cum scilicet (inquit S. Ambros.) Christus ascendit in cælum, nostris aufertur obtutibus, famem patimur non corporis, sed amoris: & non tam cibi ieiunio, quàm desiderio laboramus. Desideria enim quædam nostri sustinent oculi, dum non perspiciunt quem requirunt. hæc ille, *serm. 60.* Desiderium itaque fames amoris est. Nam quemadmodum in fame simul est & appetentia cibi, & quandiu iste differtur, cruciatus & pœna: sic amans & absentis cóspectum desiderat, & desiderio dum expleti non datur, acerbissimè torquetur. Vtrumque regius Vates in seipso expertus aiebat: *Defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.* Psalm. 68. Nimirum (vt Theodoret. exponit) hoc dicit ex translatione eorum, qui aliquem necessarium & notum peregrè redeuntem expectant, & vias circunspiciunt. sic ille. Dolent siquidem discessum, reditum suspirant. Clariùs idipsum alibi sic exprimit: *Defecit in salutare tuum anima mea, & in verbū tuum supersperaui: defecerunt oculi mei in eloquium tuum dicentes: Quando consolaberis me? Oculi mei defecerunt in salutare tuum, & in eloquium iustitiæ tuæ.* Psal. 118. Viden' vt crebrò idem repetat verbum, *Defecerunt?* Vt scilicet (inquit Theodor.) intensum ostendat desiderium. Nam qui aliquid vehemēter desiderāt, & re desiderata sunt priuati, dicuntur deficere. Similiter qui aliquem domesticum ex peregrinatione expectant, desiderant quidem semper, desiderij verò non cópotes facti liquefiūt. hæc ille.

[Margin: *Lucæ 5. Desiderij vehementia.* — S. Ambros. *Ascensio Domini.* — Psalm. 68. Theodor. *Desideria in Deum.* — Psalm. 118. Theodor.]

Amoris deliquia.

6. Pulchra sanè atque optabilia (si erga Deum sint) amoris hæc sunt deliquia. Cruciant quidem isthæc amantem desideria, sed quia dulcia ex amore sunt, mirum in modum consolantur. Quod quidem Dei spōsa in seipsa commendabat: *Nigra sum, sed formosa. decolorauit me sol, &c.* Cant. 1. Nigram se dicit, & formosam. decoloratam à sole, sed non deformem se agnoscit. Sol (inquiens apud S. Bernard.) iustitiæ decolorauit me, Christus, cuius amore langueo. Languor iste coloris quædam exterminatio est, & defectus in desiderio animæ. Vnde *memor fui Dei, & delectatus sum, & defecit spiritus meus.* Psal. 76. hæc Bernar. *serm. 28. in Cant.* En habes ex memoria Dei & delectationē, & defectionem: deliquium scilicet amoris, dulcem cruciatum, fauum mellis cum aculeo apis: defectum (vt obseruat S. Hieron.) desiderio Dei. Tanta verò, támque vehemens delectatio ex Dei recordatione animam sponsæ perfundebat, vt nigrorem quendam contraheret admirabilem. Sed quisnam iste scit, ex eodem Bernard accipe. Quis nostrum (adiungit) ita sancto amore ardet, vt desiderio videndi Christum omnem colorem præsentis gloriæ, lætitiæque fastidiat, & deponat? hæc ille. Desinit quidem sanctus amor in defectum, deficit in deliquium: sed ita gloriosum, vt ad illius præsentiam stercus sit omnis mundi gloria: & ita dulce vt præ illo amarum sit, & fel & absynthium quicquid in mundo delectabile, quicquid illecebrosum reputatur. An non dolens gaudénsque simul aiebat Propheta: *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi?* Psal. 37. Profectò sagittæ Domini, sunt autore D. Aug. desideriorum. Dicuntur sagittæ, quia (subiungit idem) ipse amor non potest esse sine dolore. quicquid enim amamus, & non habemus, necesse est vt doleamus. Vnde sponsa Cant. 2. & 5. dicit: *Vulnerata charitate ego sum.* Amabat enim quiddā, & nondum tenebat: dolebat quia nondum habebat. hæc ille. Vides in hisce desideriorum sagittis amorem simul cum dolore: quòd autem illæ diuinitus emissæ in animam iusti designantur, ipsemet August. in seipsō contestatur Deum sic affatus: Sagittaueras tu Domine cor meum charitate tua. Hic vnus est ex potissimis diuini spiritus inhabitantis in anima effectibus, nimirum accendere in ea Dei, ac cœlestis patriæ desideria cum dulci quodam gemitu ac suspirio, dum bona illa maxima, quæ sperantur, & differuntur, & sitiuntur, *Spiritus ipse* (ait Apost.) *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* ad Rom. 8. Sunt autē gemitus isti inenarrabiles (vt intelligit S. Aug.) desideriorum. *serm. de Paschate.* Postulat autem Spiritus (explicat S. Hier.) quia postulare nos facit gemitibus, qui enarrari non possunt. sic ille. Sentiuntur quidem, quia oblectant; explicari autem nequeunt, sunt enim iam nūc quædā quasi supernæ felicitatis prælibationes.

[Margin: Cantic. 1. — S. Bernard. — Psalm. 76. — *Super omnia dulcia sanctus amor.* — S. Bernard. — Psalm. 37. S. August. *Non est amor sine dolore.* — *Amoris sancti suspiria.* — ad Rom. 8. S. August. D. Hieron.]

7. Fugit Iacob à Labano, fugit à mundo vir iustus: qualis verò hæc esse debeat fuga, Dominus ipsemet edocet. *Orate ne fiat fuga vestra hyeme vel sabbato.* Matth. 24. ad quæ verba sic Ambros. Fuga hæc fœcunda virtutum est, non effœta meritorum. Fuga hæc nescit frigus timoris, tremorem mortis, contractionem solicitudinis, dissolutionis otium, lasciuiæ ferias, torporem lentitudinis; sed vitæ cœlestis requirit impigrum viatorem, regni superioris competitorem strenuum, diuitem agricolam, qui fructus suos cogat, & cogendo diripiat. hæc S. Ambr. *lib. de fuga secul. cap. 6.* Sic habet isthæc viri iusti à mundo, eiúsque & vanitatibus, & voluptatibus fuga nō modò gloriosa, sed etiam fructuosa. Illam proinde Laban, hoc est mundus, aut etiam diabolus conatur impedire, idque subsidio inanium voluptatum, quæ transfugientibus ad virtutem maximo solent esse obstaculo. *Cur* (inquit) *nō indicare voluisti, vt prosequerer te cū gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis?* Quasi verò prudentissimus vir hæc ipsa lethalia blandimenta, simúlque impedimenta non timuerit. *Prosequerer te* (ait) *cum gaudio.* idipsum sibi iustus periculosum, imò & ignominiosum esse iudicauit, scilicet cum vano, cum perfido, cum impuro, cum idololatra, cum hoste, ac tyranno pariter incedere. *Prosequerer te cum gaudio, &c.* In quo (bene occurrit s. Ambr.) prodidit quod iustus fugerit, ne eum prosequeretur, ne eum deduceret, ne tali comitatu stipatus procederet. sic ille, *Epist. ad Iren.* Abhorret iustus impiorum consortia, multóque magis & festa & gaudia, in quibus nihil nisi vanum, & fœdum agnoscit. *Prosequerer te cum gaudio, &c.* Dimisisses me (inquit s. Ambros) cum lætitia tua, quæ plena est mœstitudinis: cum tympanis atque organis immodulata modulantibus. & sonis tibiarum suauibus, insuauia resultantibus sonis dissonis, cymbalis

[Margin: Matth. 24. D. Ambros. *Vtilissima fuga à sæculo.* — *Voluptas mundi ad Deum fugientes impedit.* — D. Ambros. *Fugienda consortia, & gaudia mundi.*]

Noxia mundi gaudia.

A balis animam ferientibus? En quam sunt falsa mundi gaudia, quam vana lætitia, noxij cantus. corpus quidem recreant, sed animam feriunt, periimúntque. His me delectari (adiungit Ambros.)

S.Ambros.

posse credidisti? his reuocari? hæc sunt, quæ ego fugi. fugi, ne me talia sequerentur. sic Ambros. Scilicet Laban terræ filius, cælum non curans, Dei prorsus immemor aut etiam nescius quæ sunt huius vitæ dulcia, splendidáque in pretio, in amore, in studio habet: ea verò ipsa Iacob iustus, & cælo natus, Deíque seruus odio habet, fugit, execratur. Hoc enim inter se discrimine peccator & iustus dissident: Peccator quidem (autore S. Ambros.) dominatur in seculo, iustus in Dei regno. sic ille, *lib. de incarnat. cap.* 1. Sed miser ille, qui rerum captat insomnia, vmbras semper fugientes insequitur. id

S.Ambros.

B enim mundus est, & quæ in mundo magni fiunt.

Vanitas & voluptas mundi à Christo damnatur.

Vniuersa planè Christi doctrina huiusmodi vanitatum simul ac sordium cupiditatem dedocet, ac detestatur. Nimirum docet Christus Dominus (inquit S.Gregor. Nyssen.) vt ad nullam eiusmodi rem cupiditatem nostram applicemus, cuius nullus expetentibus propositus est finis: in quibus & vanum & inutile studium est. sic ille, *lib. de beatit. in* 3. Ah pudeat inutili & vano studio illa consectari, quorum (adiungit) cursus in infinitum fertur. Mundus enim transit; fugiunt vmbræ, quas frustra insectamur. quod etiam Labani filiæ à pio tamen viro edoctæ nouerut verbis illis paulò superiùs contestando: *Nunquid habemus residui quicquam in facultatibus, & hereditate domus patris nostri?* Sensum

S.Greg. Nys.

Vanum quicquid in mundo est.

C enim huiusmodi S. Ambros. hinc elicit. Consulis nos vtrùm velimus ab eo recedere? quasi verò non cognoueris quòd nullam habeamus cupiditatem eius societatis, neque nos dulcis secularium diuitiarum cupiditas teneat, aut lætitia luxuriæ. Hæc sunt quæ nos misera & nobis aliena duximus; hæc sunt quæ plena inopiæ atque egestatis arbitramur. sic Ambros. *Epist. citata.* facile pietatis philosophiam mulieres edocentur.

S.Ambros.

Mulier pietate nata.

Dulces aui nepotes.

8. *Non es passus vt osculare filios meos, &c.*] Dicit filios, qui erant ex filiabus nepotes. tenerrimè siquidem puellos amant aui, quos habent nepotes; quibus senilis ætas colludit & abblanditur: & senes vulgo dicimus repuerascere, cum puerilibus

Senes puerilibus delectantur.

D mirum in modum oblectantur ioculis. Volúntque proinde haberi tractarique tenerè, delicatè, ac velut pueriliter; quasi tūc primò infantuli prodierint in lucem. Amant subinde tenerius nepotes, ijsque delectantur impensiùs, eo quòd seipsos, suúmque genus ac familiam videant in iis vlteriùs propagari. Hæc vel maxima Labano cura est, seculari scilicet ac vano homini, vt nominis vanam in terris gloriam aucupetur, æternúmque suæ vanitatis argumentum pariter ac monumentum posteris relinquat. Sed *periit memoria eorum cum sonitu.* cecinit regius Vates *Psalm.* 9 Nihil enim solidum, firmum, ac verum in filiis huius seculi reperire est. Nihil quod videas; solum quod audias præferunt.

Psalm. 9.

Enimuero (vt Salomon monuit) *Quasi tempestas transiens non erit impius.* Prouerb. 10. Cælum ali-

Prouerb. 10.

Potentes in seculo instar tempestatis

E quando tenebris obducitur; dein maligno fulgore intermicant fulgura, reboat æther, immugiunt tonitrus, furit tempestas. Quid ergo? pauor, horrórque in terris. Bene. Sed soluta demum in pluuias nube, tempestas silet, cælo redit serenitas, terras lux alma reuisit. Quieuit tandem fragor, qui gentes terruerat, sola in terris visenda restant lutum, sordésque. Sic habent filiꝗ huius mundi. dum viuunt, honorum, dignitatúmque nominibus ac titulis, pomparum vanissimarum strepitu, auri argentíque facti & infecti tinnitu reboant, audiun-

A tur, sciuntur, celebrantur, mortalibus sunt admirationi, ac terrori. tempestas est Cæterùm mortis interuentu, sepultis illorum cadaueribus pariter illorum superbia, & memoria sepelitur. Optimè verò adiungit Sapiens: *Iustus autem quasi fundamentum sempiternum.* Prou. 10. Impius quidem in oculis, & in ore hominum est, iustus verò sub humo latet infossus, vt parietis cœmenta: contemnitur, opprimitur. at quàm dispar vtriusque finis? illius anima sempiternis deputatur incendiis, euanescit gloria, & in perpetuam obliuionem memoria tumulatur: at iusto dicitur: Leua caput tuum, attolle sursum oculos, quia appropinquat redemptio tua: surge ab humo, & intra in gaudium Domini tui. Plane infelix homo, quem su-

Prou. 10.

Iusti & iniusti dispar exitus.

B perbia sic excæcauit, vt relicto Diuinæ felicitatis & gloriæ amore, terrenarum vanitatum gloriolæ totum suum studium, curámque impendat. Rectè cum auaritia, quam hucusque in Labano execrati sumus, superbiam nunc etiam videmus coniunctam. Idem profectò qui superbus, auarus est: quod admodum subtiliter S. August. colligit in hunc modum. Excedit modum superba anima; & quodammodo auara est. Superbus homo excedit modum: auarus progreditur vltra quam sufficit. Quid auarius illo, cui Deus sufficere non potuit? hæc Aug. *tract. 8. in Epist. Ioan.* Qua etiam ratione dicit sibi concordare duas istas sententias: *Radix omnium malorum auaritia.* 1. Timoth. 6. & *Initium omnis peccati superbia.* Eccles. 10. Inuenimus

Insana honoris ambitio.

Superbia cū auaritia coniungitur.

S.August.

1. Tim. 6.

Eccles. 10.

C enim (inquit) & in superbia auaritiam esse. sic ille.

9. Gloriosa planè res est humilitas, quæ humanam despicit gloriam, quæ hominem totius mundi gloriosum reddit contemptorē, quæ recta stratáque via in cælum est, quæ Dei Matrem de ancilla reginam fecit. Et quæ per humilitatem latebat Virgo abscondita, per eandem Dei parens effecta omnium gentium linguis, per omnes temporum ætates beata & superbenedicta concelebratur Illa domunculæ in Galilæa, hoc est in angulo terræ, abstrusa tenebris, quam solus Deus, Angelique nouerant, nunc mundo conspicua, cæloque irradians, iam vicina soli, Deo scilicet Filio, Mater apparet, affulgétque, vt eadem quodammodo vtriusque lux & gloria esse videatur. Prædixerat

Commendatur humilitas.

Humilitas B. Mariam extulit.

D enim Isaias: *Et erit lux lunæ sicut lux solis.* cap. 30. Christum & Virginem Matrem dici solem ac lunam quis nescit? Lucet Filius, lucet etiam Mater: regnat, honoratur, imploratur Filius, similiter & Mater. Filium qui adorat Deum, Dei Matrem simol veneratur: non seiungitur à Filio Mater; pendentem de collo ad vbera matris Filium duplicato honore colimus. Superbum vidimus simul auarum, cui Deus non sufficiat Humilis Virgo eadémque Mater solo Deo eodémque Filio & ornatur, & satiatur. Iccirco dicitur Cant. 1. *Collum tuum sicut monilia.* Tam pulchrum scilicet est, atque ipsa sunt auri & margaritarum ornamenta. Nullum verò gratius Matri est, quàm Filius ipse infantulus. Quo in argumento pulchrè S. August.

Isaiæ 30.

B. Maria cū filio Iesu.

E de innocentibus ab Herode occisis dixit: Mater crines capitis dissipabat, quæ ornamentum capitis amittebat. *serm* 1. *de Innocent.* Prudenter Cornelia Gracchorum mater matronæ cuidam sua lenocinia & gemmas per ambitionem ostentanti Gracchos ipsos adhuc puerulos offerens respondisse fertur: At hæc ornamenta mea sunt. Quo in sensu ipsemet Dominus non multitudinem tantùm. sed etiam sanctitatis pulchritudinem futurorum fidelium, vtique filiorum Ecclesiæ, prædicens aiebat: *Omnibus his velut ornamento vestieris, & circundabis tibi eos quasi sponsa.* Isai 49. Virginis Matris ornamenta,

S.August.

Matris ornamentū filius.

B. Maria ornamentum Filius è collo pendens.

Isaiæ 49.

menta, monilia, torques, gemmæque Filius ille pendens è collo erat, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. Iam nunc videmus, iam experimur quod Isaias prædixerat: *Et erit lux Lunæ sicut lux Solis*. cap. 30. Et Filij, & Matris gratia similis, aut verò eadem potiùs. Ille aduocatus, illa aduocata; ille Patrem vulneribus interpellat, exorátque: illa quicquid vult à Filio per vbera impetrat. Patrem illum futuri seculi Propheta vocauit. Matrem illam gratiæ, ac misericordiæ veneramur homines, & inuocamus.

Isaiæ 30.
B. Maria & Filij similis gratia.

SECTIO IX.

Et nunc quidem valet manus mea reddere tibi malum: sed Deus patris vestri heri dixit mihi: Caue ne loquaris contra Iacob quidquam durius. Esto, ad tuos ire cupiebas, & desiderio erat tibi domus patris tui: cur furatus es deos meos?

1. STultè Iacobum egisse dicit Laban quòd ita furtim inscio socero fugam arripuerit cum vxoribus, ac liberis. Robustam dicit manum suam, satis se valentem, armatum, paratúmque esse, vt de perfuga sumat vindictam: cohiberi tamen Deo minante, ne quid asperè Iacobo loquatur. Sic mali homines coguntur à Deo nonnunquam contra seipsos veritatem dicere. Fatetur enim se ad nocendum venire paratum: virtute tamen Dei prohiberi à concepto facinore. Quod in Balaam legimus: *Benedixit enim Israeli qui se ad maledicendum fatetur venisse*. Num. 13. Sæpiùs etiam dæmones Diuina virtute coacti, etsi mendaciorum patres habeantur, veritatem enunciant. sic Luc. 4. scribitur: *Et in synagoga erat homo habens dæmonium immundum, & exclamauit voce magna dicens: Sine: quid nobis & tibi Iesu Nazarene? Venisti perdere nos. Scio te, quia sis sanctus Dei*. Græcè est articulus emphaticus, *scio te esse illum sanctum Dei*, nempe Christum, seu Messiam in lege & Prophetis prænunciatum & promissum. Coactus autem dæmon virtute diuina sic effatus est, vt veritas Diuina eò magis comprobaretur, cum ab aduersariis accipit testimonium, vt his verbis insinuat S. Irenæus *lib. 4. cap.* 14. Illa vera & sine contradictione probatio, quæ etiam ab aduersariis ipsis signa testificationis profert. hæc ille, idem docuit S. Gregor. Nazianz. *orat. 1. contra Iulianum*, hoc modo. Dæmones inuiti Iesum confitentur; atque per contraria, quò plus fidei & autoritatis habeat, veritas demonstratur. ita Nazianz. Voluit itaque Dominus, vti Diuina hæc veritas ab omnibus enunciata & comprobata nullum dubitationi locum relinqueret. adiungit enim optimè idem S. Irenæus: Accipiens testimonium, quoniam verè homo, & quoniam verè Deus est, à Patre, à Spiritu sancto, ab Angelis, ab ipsa conditione, ab hominibus, ab apostaticis spiritibus, & ab erroneis, & ab inimico, & nouissimè ab ipsa morte. hæc Iren. Grauiùs ita Iudæorum impietas, & infidelitas tam publico, tam generali, ac latè patente Christi Domini fidei testimonio comprobatur, & damnatur. Suam porrò imbecillitatem à Deo compulsi, & inuiti confitentur dæmones, nimirum fractis eorum à Christo viribus. quod sæpiùs audiens S. Pachom. religiosis suis ita retulit: Magna vigilantia & attentione opus est, ô fratres, ad hoc vt salui simus. Etenim sæpe malos audio iactantes dæmones, quòd decipiant eos, qui se exercent, & alij qui vlulantes: Talis est assiduus in orationibus, & cum ardorem ferre non possemus, recessimus. Aduersum igitur vos Domini voluntatem sequentes nihil poterunt inimici. sunt enim cinis & fumus. hæc ille, *apud Sur. in vita Pachom. tom. 3*. Ibidem etiam dæmon speciem pulcherrimæ mulieris ementitus ad decipiendum, compulsus est fateri Pachomio se suósque aduersus religiosos timore Dei circumseptos liberè non posse accedere. Hæc autem (inquit) omnia vobis euenerunt propter Deum Verbum, qui homo factus est: qui quidem dedit vobis potestatem conculcandi omnem nostram potentiam. hæc apud Sur. Idem denique aduersarius sub eadem specie occultatus, sed à Pachomio cognitus vlteriùs hæc ipsa retulit: Ex quo ab omnipotente Christo in terra facta est salutaris humanæ naturæ susceptio, nos euasimus imbecilli, adeò vt tanquam passer ab eis, qui credunt in ipsum, illudamur & irrideamur. Sed etsi effecti sumus imbecilli, minimè tamen cessamus, in quibus possumus, à nostra operatione. hæc loco citato. In quo etiam videas importunam, & infatigabilem aduersarij ad tentandum homines vim, & improbitatem.

Veritas ab inimicis prolata.
Lucæ 4.
Irenæus.
S. Greg. Naz.
Mira & multa de Christo testimonia.
Irenæus.
Fidei Christi testimonio infidelitas Iudaica damnatur.
Pachomius.
Dæmones fracti à Christo.
Sur.
Sur.
Sur.
Dæmonis imbecillitas.

2. Valet (inquit Laban) manus mea, robosta est satis, possem tibi magnum inferre malũ. Vindicaret equidem, ni cohiberer. Patrum tuorum Abraham & Isaac, quem colitis, Deus inhibuit à vindicta. Præstò siquidem suis Dominus adest, cum maxime laborantes videt: adiutor est in opportunitatibus. Ne quis aut Dei ingenium ignorans, aut nimiùm abiectus & pusillanimis tunc maximè à Deo deseri, ac nesciri se dicat; cum variis exercetur aut tentationibus, aut tribulationibus. Apostoli quidem Sanctorum omnium potissimi (vt S. Saluianus subnotauit) tormenta tolerarunt. Et certè dubitare non possumus, quòd tunc Deo maximè curæ erant, cum pro Deo ista paterentur. sic ille *lib. 1. de prouid*. Planè insipiens, qui cum morbis affligetur, cum doloribus torqueatur, deflet seipsum velut à Deo derelictum. Certum est enim illud S. Ambros. Vir sapiens, si desit sanitas, non afficitur animo, neque frangitur dolore corporis, qui se potest virtutum perfectione solari. sic ille, *lib. 1. de Iacob. cap. 8*. At (inquies) laborante corpore virtutum actiones, quæ corporeis organis perficiuntur, cessare necesse est. Nonnullæ quidem cessant, quæ à corpore pendent; non eæ tamen, quæ sublimiores sunt, & ab anima tantùm operatrice producuntur. De his enim ita philosophatur idem Ambros. Operationes nõ impediuntur debilitatibus corporis, sed augentur, bono commendantur affectu. sic ille loco prædicto. An non charitas virtutum omnium perfectissima, etsi desint suis muneribus obeundis destinata corporis membra, quocunque in statu etiam dolorum & cruciatuum exerceri ab anima potest? Quin etiam tunc maximè ostenditur excellentia charitatis, cum *patiens est, & omnia suffert*: vt scribit Apostolus 1. Corinth. 13. Sic Dominus Iesus commendauit charitatem suam inter grauissimos dolores, & inter abiectissimas passionis suæ ignominias. Vnde à S. Petr. Chrysolog luculentè apponitur. Crucifixum audis, vt ex magnitudine iniuriæ magnitudinem sentias charitatis. sic ille, *serm. 61*. Expendit quidem iniurias, & ignominias passionis Dominicæ; quæ solent molestiores haberi, & multò acerbiùs humanum feriunt animum, quàm quicunque vel ex acutissimis cruciatibus dolores. Posset Dominus Iesus mortem subire, & acerbissimis exerceri cruciatibus: quin simul adiungeret opprobria, illusiones, & infinita

Dei gratia præsto est laborantibus.
S. Saluian.
Qualiter morbi tolerandi.
S. Ambros.
Virtutis operatio non cessat in morbis.
S. Ambros.
1. Cor. 13.
Christi charitas in passione.
S. Pet. Chrys.
Ignominia quàm dolor acerbior.

huiusmodi genera perferendarum iniuriarum. At illius nimia charitas sine iniuriarum patientia non tantùm commendaretur, & emineret: nec tolerati cruciatus amorem Domini Iesu aut oblectare, aut satiare possent. sine illo tolerandi ignominias velut condimento & sagina epulum prorsus macctum, & insipidum Quo in sensu delicatè admodum scripsit Tertull. Taceo quòd figitur: in hoc enim venerat. Nunquid tamen subeundæ morti etiam contumeliis opus fuerat? Sed saginare voluptate patientiæ discessurus volebat. sic ille, *lib. de patient. cap. 3.* Igitur Dominum mira quadam voluptate perfudit patientia, nimirum ex amori suo sapidissima iniuriarum tolerantia.

Iniuria cum doloribus in passione Christi.

Epulū Christo passio. Tertull.

Patientia Christo pabulum.

3 *Cur furatus es deos meos?*] Fugeris quidem desiderio in patriam remeandi, inuisendique parentes: quis enim aut affectum istum, aut reditum condemnet? Hebr. elegantiùs: *Et nunc discedens discessisti, quoniam desiderans desid. de ab ai domū, &c.* Cur quæso malum hoc vlterius intulisti auunculo & socero, vt imagunculas meorum deorum abstuleris? Quæ tanta hæc impietas, vt furto abripias deos meos? Ista verò teraphim, quæ tum idola, tum dij ab interprete vertuntur, aut erant imagunculæ inanium deorum, cuiusmodi Iouis, Iunonis, Veneris, Adonidis, & similium, quos antiquitas venerabatur, deorum simolachra colebantur ab infidelibus: aut non repræsentantes Numinum icunculæ. Tales erant in quibus dæmones inhabitantes & responsa reddebant gentibus, & ab iisdem sacrificia, ritúsque, & honores in fanis, in delubris, in altaribus recipiebant. Sic erat Beelzebub simulacrum muscæ, Dagon piscis, & in India Orientali dens Simiæ toto illo eoo celebratus orbe, quē Lusitani ex impiissimo & impurissimo abreptum fano Gentilium, ipsisinet spectantibus, ac lamentantibus Prorex excellentissimus Brigantiæ Ducis filius Constantinus Goæ in publico theatro iussit contundi, comminui, & cremari. Miserandum quidem spectaculum: bestiolæ dentem ab illis infidelibus pro Deo haberi & coli! Ridiculum etiam, quòd vnius bestiæ natæ risibus & iocis dens à dæmone incoleretur, & ab hominibus coleretur: pro quo etiam redimendo mille trecentorum aureorum pretium legati Indorum Lusitano Duci, ac verè Principi non promittebant quidem, sed demum pendebant. Non potuit Constantinus lacrymas continere, stupens nimirum, ac dolens homines immortali animo præditos, Dei sanguine redemptos, in tam horrendum, ac nefandum cæcitatis & impietatis barathrum cecidisse, vt rem adeò vilem, abiectam, & ridiculam diuinis honoribus venerari non dubitarint. Magnus etiam vir, per omnes gentium ætates memorandus; quem suo regio sanguine, atque imperatorio nomine dignum auri sacra fames, & auaritia idolorum seruitus non inflexit, non fefellit! Nota quidem & percelebris inter Lusitanos historia est: eámque ab ipsomet Episcopo inquisitore, qui præsens tunc aderat Goæ ad spectaculum, postea Conimbricæ in consessu totius nostri Collegij non sine lacrymis ob memoriam Constantini, ego ipse audiui.

Deus Simia ab Indis adoratus.

A Lusitanis crematus.

Constantinus India Prorex.

4. Vocat deos suos. Extrema planè stoliditas & dementia deos dicere: nihil enim tam impossibile, quam plures esse deos, quam non esse vnum tantummodò Deum. Nam qui Deus est, proculdubio sic extra & supra omne quod aut esse, aut fingi potest, consideratur magnus, diues, excellens, eminens, vt neminem aut æqualem parémque, aut superiorem habere queat: alioqui Deus non esset. Quod primum inter omnia principium

Impossibilis deorum pluralitas.

A lumine ipso rationis cognitum ab Aristotele adducitur in Metaphysica. consule philosophiam. Quo de argumento iam disseruimus in priore tomo. Deos vocas, ô stulte, ô demens! Deus vnus est, nimirum (vt loquitur S. Gregor. Nazianz.) velut pelagus quoddam essentiæ immensum, & interminatum, omnem tum temporis, tum naturæ cognitionem superans, mente sola adumbrabile, & quidem perexiguè, ac perobscurè, non ex his quæ in ipso sunt, sed quæ circa ipsum. sic ille, *orat. de natiuit. Christi.* Cum enim per se notum omnibus sit Deum esse atque vnum esse; qualis tamen ille sit, obscurè admodum nouimus: habitat enim lucem inaccessibilem. Quare optimè dixit S. Cyprian. Deum sic dignè æstimamus, dum inæstimabilem dicimus. sic ille, *lib. de idol. vanit.* Quî enim B à limitato creaturæ intellectu comprehendi potest, qui omninò est incomprehensibilis? *Te decet hymnus Deus in Sion.* Psalm. 64. Vtique (vt bene explicat S Hieron.) non theatralibus, neque simulacrorum templis; sed tibi Omnipotens laus iugiter est reddenda. sic ille. Vertunt aliqui: *Tibi siles laus, aut tibi silentium laus.* Sed non placet peritioribus. Verbum enim Hebr. דמה *damah*, a quo דומיה *dumiiah*, propriè significat *acquiescere* alicui, non dissentire, conuenire, aptarique alicui: quod optime subnotauit doctissimus Forer. *in 1. Isaia.* Fit igitur hic sēsus: *Tibi acquiescit laus.* Extra Deum nihil est quod omnino & ex se bonum sit, ac proinde dignum, in quo tandem laudatio præfigatur C omnimoda. Laudantur multa extra Deum, sed in illis inquieta videtur laus obmurmurante scilicet interim aliquo næuo, labe, vitio, quo laudatio interturbatur. At in Deo, qui est ipsamet perfectio, bonorúmque omnium fons, omnis laudatio figit pedem, & sine vllo murmure, ac perturbatione prorsus, tanquam in proprio loco verè tandem conquiescit. Laudabat Dominum Propheta in gratiarum actionem pro infinitis ac maximis, quæ ab ipso acceperat, beneficiis: & meritò dicit suam laudationem in Deo quiescere, nec inde vnquam moueri ac deficere, quippe cum ea sit Dei bonitas & benignitas, vt nec ipsum benefecisse vnquam pœniteat; imò semper eadem in Deo benefaciendi voluntas persistat immobilis. Iccirco D enim in illa visione admirabili Ezechielis animalia non reuertebantur, cum incederent, sed vnumquodque ante faciem suam gradiebatur. Ezech. 1. Nimirum exprimebant Dei qui in eorundem curru vehebatur, ingenium, & bonitatem. Motus autem Dei (animaduertit ibi Apollinaris) est immutabilis, & sine pœnitentia. sic ille. Quod expressius apposuit Samuel: *Triumphator* (inquiens) *in Israel pœnitudine nō flectetur.* 1 Reg 15 Non quiescit nostra & laudatio, & gratiarum actio in hominibus, quorum voluntas sæpiùs mutatur, quos frequenter pœniteat benefecisse, aut saltem ad benefaciendum trahantur inuiti. Denique vbi nostra laudatio quiescit, pariter & affectus & cor quiescat oportet. Nusquam enim alibi, siue sur- E sum ascendas, siue deorsum te conuertas, quietem inuenies. Rectè igitur queritur S. August. Hei mihi Domine quàm excelsus es in excelsis, & quàm profundus es in profundis; & nusquam recedis; & vix redimus ad te! sic ille, 8. *Confess.* 1. Pleni ergo Dei beneficiis grati tanto benefactori ad illum cum gratiarum actione, cum laudibus redeamus. Dei siquidem laudationem vel ipsæ quæ sentire ac loqui nesciunt, creaturæ magni faciunt, ac venerantur. Pueri (vt legimus) in mediis ignibus illæsi, & læti decantabant Dei laudes *Dan* 3. Vnde hoc? scilicet (respondet S. Chrysost) oden illam

Qualis sit Deus. S. Greg. Naz.

Obscura nobis Dei cognitio.

S. Cyprian. *Deus incomprehensibilis.*

Psalm. 64. D. Hieron.

Forer. *Laus in solo Deo quiescit.*

Immota Dei benefaciendi voluntas.

Ezechiel 1.

Apollinar.

1. Reg. 15.

Solo in Deo & laus & affectus noster.

S. August.

Gratitudo erga Deum.

Gratitudo etiam insensibilis grata.

Dan. 3

S. Chrysost.

illam admirabilem reuertitus est ignis. sic ille, *hom. 7. in Epist. ad Ephes.*

5. Deos meos (inquit Laban) deos: quanta hominis impudentia: quam protecta hominis audacia: vt ausus sit regnante vno Deo, & creaturis omnibus imperante deos plures nominare? Quis quęso alium audeat appellare Regẽ ipsa in aula, & in oculis auribúsque proprij Regis? Audacior planè contra Deum vel ipsemet homo interdum est, quàm diabolus. Profectò grauissimum omnium peccatorum est ipsum idololatriæ facinus; & tamen diabolus, quantumuis Deo inimicus, non audet palam aut negare Deum, aut illius honorem alij deferre: *Dixit enim insipiens in corde suo: Non est Deus.* Psalm. 13. Vtique hic insipiens (vt interpretatur S. Chrysost.) ipsemet diabolus est, qui scilicet secum architectando in corde mortalibus inferendum exitium, facinus hoc nefandum excogitauit: negari Deum esse, non haberi, non credi in mundo Deum: quod tamen publicitus effari non ausus est. Id quidem per internas suggestiones, per tædium virtutis, affectum carnis, libertatem cauteriatæ conscientiæ hominibus occulto quodam & doloso artificio persuasit. At ipsi verò homines semel hoc malo imbuti partim absolutè Deum negarunt, partim inuenta multitudine inanium deorum Deum, qui vnus est, de medio sustulerunt. Potior quidem in diabolo timor, maior etiam reuerentia erga Deum, quàm in homine (ô scelus nostrum!) inuenitur. De sanctissimo Iob cum Deo disserens diabolus: *Extende* (ait) *manum tuam: & tange paululum cuncta, quæ possides, nisi in faciem benedixerit tibi.* Iob 1. Sensus est: Tange Domine tuum istum Iob, aufer armenta, domum, spolia, filios perime, videbisque hominem adeo impatienter indignari, vt etiam Deo maledicat. Sed cur quęso ista verbi mutatio? Maledixerit tibi, debuisset dicere. Sed non audet tam impium ore verbum proferre? quasi dixerit: Impatiens quidem Deo ipsi maledicet homo: malum istud ille patrabit, ego verò ne nominare quidem ausus fuerim. An non contribules Domini (vt refert *Luc.* 4.) in Nazareth eiecerunt illum extra ciuitatem: & duxerunt illum vsque ad supercilium montis, vt præcipitarent eum: homines Deum hominem: quem tamen diabolus tentator sustulit in pinnaculum templi, non vt præcipitaret, sed vt persuaderet prodigiosum inde ad ostentationem supernæ virtutis non tam casum, quàm volatum?

Deum negare diabolus apertè ausus non est.

Psalm. 13.
S. Chrysost.

Idololatria inuentio.

Iob 1.

Magis Deum diabolus, quàm homo timet.

Lucæ 4.

S. Chrysost.

6. *Deos meos furatus es.*] Pulchrè S. Chrysost. O excellentem (inquit) insipientiam! tales sunt dij tui, vt quis eos furari queat? Non erubescis dicens: quare furatus es deos meos? Vide quanta fuit erroris grauitas, dum hi qui ratione præditi, colunt lapides & ligna. hæc ille, *homil. 57. in Genes.* Multiplex quidem deorum illorum inanium varietas: erant quidam ipsæmet creaturæ, quarum vsus in hominum vtilitatem redundat; & iccirco miseri cum Deum creatorem & benefactorum recognoscere ac venerari debuissent, illo prorsus ignorato & spreto, solem, lunam, aëra, terram, aquam, arbores, fruges, & similia Diuinis honoribus coluerunt. Planè insipientes vt pueri, qui parentum munuscula non ipsis, à quibus mittuntur, grato animo reddunt accepta, sed famulis & seruis, qui eadem deferunt à parentibus transmissa. Deus creator est (ô cæci homines) qui solem, lunam, & totum orbem condidit; Deus est qui per has creaturas hominibus diem, lucem, vitam, cibum, & cætera transmittit. Deus ergo est ab hominibus rite adorandus, non creaturæ. Hanc suæ idololatriæ causam quidam gentilium minus (vt se reputabant)

Creaturæ pro Deo à gentilibus colebantur.

stupidi & impudentes reddebant, cum de Iouis, Apollinis & huiusmodi deorum falsa diuinitate, veráque turpitudine confusi, & præstricti à nostris tenebantur. Quod argumentum iam priore tomo *cap. 3. sect. 11.* explicauimus.

Communior causa infidelibus monstra suorum deorum confingendi fuit ipsamet vita, quam ducebant, omnibus flagitiorum importatibus infamem: nec mirum aut nouum qoid profero, quippe cum etiam hæresum omnium prima labes & origo semper extiterit perditorum morum impuritas, & peccandi effusa licentia, quo in cæno Christiana fides in multis naufragium facere consueuit. Certè vt scribit S. August. nonnulli æternitatem pœnarum inferni negarunt, vt suis perditis moribus hanc pollicerentur impunitatem. sic ille, *lib. 21. de ciuit. cap.* 18. Si enim absit fides de æternitate pœnarum; neque credatur post hanc vitam peccatoribus vllum iudicium, suppliciúmque irrogandum ac subeundum: quo deinde quæso carnis petulantia fræno cohibebitur? quo repagulo sese liberè profundens vitiorum turpitudo constringetur? An non fidem deseruit Nouatianus, nouámque & absurdam disseminauit hæresim impatiens nimirum atque indignatus quòd exciderit Episcopatu? Scribit enim S. Ambros. in hunc modum. Episcopatus amissi dolore succensus Nouatianus schisma composuit. sic ille, *lib. 1. de pœn. cap.* 15. Et Paulum Samosatenum, aliud ab orco excitum monstrum, scribunt amore cuiusdam mulierculæ defecisse à fide. Sic enim testatur S. Chrysost. Paulum Samosatenum, vt mulieri cuidam rem gratam faceret, salutem suam inquiunt contempsisse. sic ille, *homil. 7. in Ioann.* En duo fontes hæresum ambitio, & libido: tertius est auaritia. Nam S. Gregor. vocat auaritiam hæreticorum alimentum: hoc enim cibo aluntur. ita 20. *mor. c.* 12. Quæ quidem summa sese offert hæreticis borealibus, ne ad fidem Catholicam sese reuocent, difficultas. Cogentur enim redditus Ecclesiæ amplissimos, quibus per summum nefas sacrilegi potiuntur, Christi patrimonio, quod depeculantur, restituere. Itaque sunt plerique, ne dicam omnes, ideo hæretici, quia libidinosi, quia ambitiosi, quia auari non esse nolunt. Et non pudet tamen huiusmodi magistros tam infandis purulentos vitiis Christi Domini Apostolis, & doctoribus, ac toti Christianæ Catholicæ Ecclesiæ anteferre!

Hæreses ex impuritate morum.

D. August.

Fides peccãdi frænum.

S. Ambros.

S. Chrysost.
Hæresum triplex origo.

S. Gregor.

Hæretici redditibus Ecclesiæ potiuntur.

Infandi hæreticorum magistri.

7. *Deos meos furatus es.*] Sed ô stulte qui tales deos veneraris! Et sunt (ait S. Chrysost.) hi dij tui, ô Laban, qui neque cum furaturi se quidam erant, iuuare se potuerunt? qui enim possent, qui è lapide sunt confecti? sic ille. Tam execranda gentilium vecordia est, vt lapides ac ligna deos vocent: támque deploranda stoliditas simul & impietas perditorum hominum est, vt veneri, auróque & honori velut idololatræ mancipati sic spurcitiam carnis, sic luteas opes, sic vanos mundi splendores ament, aueant, æstimentque ac si deos habeant, & venerentur. Sed heus vos, ô stulti ac miseri vanitatum & turpitudinum amatores, ac tandem idololatræ, fient hæc ipsa quæ nunc adoratis, idola si non in vita, saltem in morte dolores, cruces, tormenta, quibus anima miserandum in modum discruciabitur. Iccirco apud Isaiam *cap.* 10. eodem planè verbo idola & dolores nuncupantur: *Sicut feci Samariæ, sic faciam Ierusalẽ, & simulachris eius.* Hebr. *laghaçabbeiah* לעצביה *& doloribus eius*, vertunt periti. radix *ghaçab* עצב *dolore afficere, discruciare animum, contristare.* Quæ scilicet in vita nos delectant voluptate sua, quæque malè amando, dum viximus, stolidi & impudentes Deo præferimus,

S. Chrysost.
Inanitas deorum.

Impura & stolida deorũ adoratio.

Idola vitæ tormenta mortis.

Isaiæ 10.

inus, quem vnicè diligere deberemus, in morte nobis vertentur in miserandam animæ carnificinam. Scilicet nostri amores fient nobis acerbissimi dolores. Extrema enim gaudij luctus occupat. Porrò impius Laban impie succenset in generum, furti accusat iustum, socero persimilem iudicat.

D.Chrysost.

Non vides (arguit meritò S Chrysost.) ô Laban erroris tui magnitudinem, & iustum furti arguis? Quare enim iustus illos furari voluisset, quos abominabatur, imò quos sciebat esse insensatos lapides? sic ille, *homil. 57. in Genes.* Sapiens est & vnus de magnis sapientibus, ac sapientiæ typus extitit Iacob: quomodo igitur vir sapiens tam turpiter insaniat, vt deos Labani furetur, deos seculi amet, adoret: vt animum veræ sapientiæ sedem, quietis amantem, virtutis pace fruentem, Eurypo semper mobili, perenniter inquieto, amori scilicet carnis

Amor, & honor idola mundi.

& mundi idolo addicat, & immolet? Etenimuero in amore (dixit Comicus) hæc omnia insunt vitia: iniuriæ, suspiciones, inimicitiæ, induciæ, bellum, pax rursum: incerta hæc si te postules ratione certa facere, nihilo plus agas, quàm si des operam, vt cum

Terent.

ratione insanias. Terent. Eunuch. *scen. 1 act. 1.* Suas hìc vident apprimè depictas amatores carnis insanias, quas miseri deplorant, & stulti amant. Non

Ambitio malorum fons.

minùs inquietum aliud malum, quod summum in mundo idolum sapiens & iustus vir execratur, ambitio est omnium discordiarum, & bellorum fax

S.Cyprian.

& incendium. Quando enim (inquit S.Cyprian.) vnquam regni societas aut cum fide cœpit, aut sine cruore desiit? Sic Thebanorum germanitas rupta, & permanens rogis dissidentibus etiam in morte discordia: & Romanos geminos vnum non capit regnum, quos vnum vteri cepit hospitium. hæc ille, *lib. de idol. vanit.* Quid de idolo auarorum & diuitum huius seculi dicam? *Desideria quidem inutilia & nociua mergunt diuites in interitũ & per-*

1. Timot. 6. Auaritia tempestas.

ditionem: vti docuit Apostolus 1. Tim. 6. Mergunt more tempestatis, quæ ventis reboat, & immugit; quæ maria mouet, fluctus attollit. Quid æque inquietum, ac furiosum, atque procella in pelago? nihil planè, nisi cupiditas, & ardor insanus habendi. Certè apud Salomonem eadem voce significa-

Prouerb. 19. & 28.

tur stultus, inconstans, diues, כסיל *Chesil.* Prouerb. 19 & 28. Quid enim incóstantius, ac leuius, quam qui diuitiarum acquirendarum continuis die ac nocte curis, solicitudinibus, & desideriis fluctuat, agitatur, efferuescit?

Hæretici sacras imagines impugnant.

8. Eò vsque prorupit impudentia pariter atque imperitia hæreticorum nostri temporis, vt ex hoc loco sumant occasionem blaterandi aduersus Catholicos quòd sacras imagines & reliquias Sanctorum veneremur, appellentque tam falsò, quàm inuerecunde idololatras. Sed heus vos, qui tam fœde insanitis, audite quæso quæ nostra sit hæc religio. Nos sacras imagines nec deos vocamus, nec pro Deo colimus, nec coram illis Deo debitum honorem profundimus, nullam iis inesse diuinitatem credimus. Scimus esse ex auro, aut argento, aut metallo, aut ligno, & quauis alia materia; vel ex penicillo ac lineamentis figuras, quæ tamen repræsentãt Christum Dominum, aut Virginem Dei Matrem, aut sanctos viros & fœminas, quorum animæ in cælis cum Deo perbeatũ æuum

Qua ratione Catholici venerantur sacras imagines.

ducere creduntur. Illas ergo honoramus propter prototypa, quæ nostris proponunt oculis, & quidem non eodem prorsus ritu & cultu, quo prototypa in iis repræsentata honoramus, sed imperfectiore, qui tamen analogia quadam ad speciem illius cultus reducitur, qui personæ repræsentatæ, seu (vt loquimur) prototypo debetur. Audite amplius: nos imaginem, vt imago est, consideramus,

Duplex adorandi imagines modus Catholicus.

scilicet cum relatione ad exemplar cuius est imago: ipsumque exemplar v.g. Dominum Iesum in illa imagine repræsentatum verè ac ritè adoratione latriæ veneramur: nec inter Catholicos alia est religio, aliúsve adorandi modus, quem hæretici nobis calumniosè impingunt. De hoc argumento, quod multum hoc tempore celebre est, disputant omnes, qui controuersias scripserunt. Doctissimi

Bellarm. Vasquez. Soarius. Sanderus.

sunt & eruditissimi Bellarm. Vasquez, Soarius de nostra Societate. Nicolaus Sanderus, & alij, quorum libri percelebrantur in mundo. Audite adhuc

Quid sit idolum.

hæretici: sacræ, quas colimus Catholici, imagines nec sunt nec dici possunt idola. Nam idolum est

Sacræ imagines non sunt idola.

quicquid colitur vt Deus, siue sit simulacrum, siue res aliqua, quæ non est Deus: at imago est similitudo alicuius exemplaris veri, quæ si rem dignam veneratione repræsentet, cum ipso exemplari adoratione, & cultu honoratur. Hanc doctrinam col-

S.August. S.Athanas.

ligit Vasquez *lib. 2. disp. 1. cap. 3.* ex D.August. *lib. 20. contra Faustum, cap. 5* & ex D.Athanas. *in oratione contra idola.* Vbi clarè idolum vocat quicquid vt Deus colitur cum vere Deus non sit.

9. Fuisse autem semper in Ecclesia Dei receptum dogma deberi cultum & honorem sacris Christi Domini, Virginis Deiparæ, & Sanctorum imaginibus contestantur Patrum & Doctorum, qui de illis scripserunt, incorrupta testimonia: item permulta œcumenica Concilia, quorum decreta leguntur. Quam veritatem Catholicam Deus ipse prima veritas per infinita miracula edita in honorem & cultum sacrarum imaginum confirmauit in omnibus ætatibus; & quotidie multis in locis etiam apud Indos & Iapones, qui populi terrarum orbem habitabilem clausisse demum videntur, euidenter admodum confirmat.

Primæ duæ imagines Christi.

Et quidem tempore Christi Domini percelebres extiterunt illius imagines. Prima, quam ipse facie sua expressam in linteo misit Abagaro, cuius meminerunt Euagr. *lib. 4. cap. 26.* Damasc. *orat. 1. de imagin.* Metaphrast. *in vita Constant.* Quam etiam approbarunt historiam Stephanus Papa, vt refert Innoc. 4. *p. decret. c. 85.* & Adrian. *in scripto de imagin. ad Carol. respons. ad 2.* Visitur hæc imago hodie Romæ in Ecclesia Monialium S. Siluestri. Secunda Christi Domini imago fuit illa, quam mulier à fluxu sanguinis liberata Christo suo benefactori & curatori gratitudinis ergo apud Paneadem erexit, fuitque toto in orbe primis illis temporibus clara miraculis. Eius meminit S.Gregor. *Epist. ad Germanum, quæ habetur in 7. Synodo, act. 4* S.Damasc. *orat 1. de imag.* Sozomen. *lib. 5. cap. 20.* Eandem quoque se vidisse testatur Euseb. *lib. 7. hist. c.*

Veronicæ imago.

14. Quid quod imago Veronicæ communiter dicta etiam hodie ostenditur in Ecclesia Giennensi, olim Aurigensi in nostra Hispania, nimirum in linteo expressum Domini vultum tempore passionis, vt celebris est ex antiquis traditio, ad viuum referens? Quid quod Taurini etiam nunc seruatur & colitur Syndon, qua Christus Dominus in sepulchro fuit inuolutus? Quid quod Berithi in Syria celebris fuit per orbem vniuersum imago Christi crucifixi facta à Nicodemo, & à Iudæis per ludi-

Aliquæ imagines celebriores.

brium iterum crucifixa; quæ infinitis miraculis nobilitata inter gentes fuit? quæ historia refertur in 7. *Synod. act. 4.* Plura de imaginibus inuenies apud Canis. *lib. 5. de B.Virg. cap. 22.* Profectò traditio est Virginis Deiparæ imaginem, quæ nunc seruatur & ritè colitur in Ecclesia S Mariæ Maior. penicillo depictam fuisse à S.Luca Euangel. Item imaginem Saluatoris in pariete delineatam apparuisse primò, idque diuinitus, in Lateranensi templo tempore Constantini magni, tam vera, quàm

vulgata

vulgata est historia. Legimus Imperatori Heraclio contra Persas Deo inspirante bellum suscepturo datam diuinitus imaginem B. Virg. cum Filio Domino Iesu, cuius ope, quam scilicet in prælio secum gestabat, tres omnium celeberrimas, quæ à mortalibus memorantur, victorias de Persis reportauit. Quid plura? Ferè non est inter Catholicos in Ecclesia Christi aut regio, aut prouincia, aut etiam ciuitas, in qua non sit vlla ex sacris imaginibus fidelium frequentia celebris & miraculis omnium sermone contestatis illustrata.

Astruitur Catholica reliquiarum Sanctorum veneratio.

10. Restat vt pro reliquiis Sanctorum similiter contra hæreticos deprælienur. Illæ autem vel fuerunt partes Sanctorum ipsorum, vt ossa, carnes, cineres: vel aliæ res quæ ipsos tetigerunt, aut ad ipsos pertinebant, vti vestes, &c. Hæc omnia in honore sacro habenda esse definita veritas est in Ecclesia Catholica. De quo argumento scripserunt Vuald. *tom. 3. c. 14.* Osius *in confess. Polon. c. 58.* Alanus *in 3. dialog. cap. 12.* Ayala. *tract. de trad. 3. p. cap. de vener. reliq.* Noster Vasques eruditissimè (vt solet) *lib. 3. de adorat.* Sic inter mortales viuunt, & honorantur per reliquias suas viri sancti, qui iam cum Deo agunt in cælis, per quas nimirum continua & clarissima eduntur miracula. Iccirco scribitur Eccles. 49. *Duodecim Prophetarum ossa pullulant de loco suo, nam corroborauerunt Iacob, & redemerunt se in fide virtutis, &c.* Pullulare Sanctorum ossa idem est, atque in memoria hominum & honore ob virtutem & fidem illorum & per miracula diuinitus in ipsorum honorem & cultum patrata reuiuiscere.

Eccles. 49.

Quis modus venerandi reliquias.

Quocirca eodem prorsus modo de reliquiis, atque de imaginibus loquendum est: eas videlicet secundum se adorari non posse, sed solum coniunctas cogitatione cum eo cuius reliquiæ sunt, eum in ipsis apprehendendo. Quod S. Hieron. factum à sanctissima Paula Romana scribit in hunc modum: Atque inde specum Saluatoris ingressa, postquam vidit sacrum Virginis diuersorium, me audiente iurabat se cernere fidei oculis infantem pannis inuolutum, vagientem in præsepio. Magos adorantes Dominum. Ego (aiebat Paula) misera atque peccatrix indigna sum deosculari præsepe, in quo paruulus Dominus vagiit. hæc S. Hieron. *Epistol. 27.* Optimus quidem modus iste adorandi præsæpe Domini, vt in ipso præsepi vagiens Infans IESVS oculis fidei cernatur; ipsumque osculum præsepi corporaliter infixum, spiritu & affectu transeat in Infantem vagientem, & reclinatum in præsepio.

D. Hieron.
S. Paula ad præsepe Domini.

Quare debetur honor sanctis reliquiis.

Et quidem debetur iste honor & cultus Sanctorum reliquiis, vtpote in quibus Diuina virtus per ostensionem miraculorum, quæ à solo Deo patrari possunt, habitare proculdubio cernatur. hinc illud S. Ambr. Bona fides, quæ frequenter operatur in mortuis. Aduersarius, & legiones suæ quotidiana Martyrū virtute torquentur. Vnde arbitror quod fila chordarum citharæ ideò fides dicantur, quoniam & mortua sonum reddant. hæc ille de obitu Theodosij.

S. Ambros.

Reliquiæ sanctæ instar fidium lyra.

Sunt quidem reliquiæ Sanctorum in se mortuæ, atque inanimatæ, vti fides quæ ex pelle contextæ sunt. Sed in curandis fidelium morbis, in expellendis à corporibus hominum dæmonibus, aliísque virtutibus exercendis, vitam quodammodo animámque habere videntur. Hanc admirabilem virtutum operationem ex ossibus, & reliquiis sanctorum in honorem eorundem diuinitus resultantem egregiè vocat S. Ambros. harmoniam quæ in gloriam Dei omnipotentis, qui est mirabilis in sanctis suis, & ipsorummet sanctorum redditur, vniuersámque Christi Ecclesiam suo concentu oblectat, & fidem Christianam Catholicam (quicquid obganniant hæretici) personat, & contestatur.

Sudarium S. Pauli miraculis celebratum.

11. Quis quæso non admiretur & sanctitatem, & potentiam Apostoli Pauli, cuius vel ipsum sudariolum miraculis orbem replebat, quod similiter legimus de cingulis zonisve Apostoli? Scribitur enim. *Act. 19. Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita vt etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.* &c. Hæc non de reliquiis corporis Apostoli, sed de iis quæ illud aliquo modo attingebant, stupenda commemorantur. Dein quorsum & vnde tanta hæc virtus in sudario, in cingulo? quare ad vtriusque conspectum, aut contactum dæmones expellebantur? Mira sanè virtus Apostoli, quam sic ad hunc locum S. Chrysost. demonstrat: Vbicunque Paulus apparebat, omnia cedebant, omnia inferiora erant, tanquam adesset, qui mundum superaret. Et quemadmodum qui in bello multa vulnera acceperunt, etsi vel arma vulnerantis viderint, exterrentur: sic dæmones illius sudariolū tantùm conspicati exiliebant. ita Chrysost. *hom. 13. in 1. Cor.* Quòd si istod linteolum Pauli tam miris clarum miraculis visebatur; quis, modò caudex & stipes non sit, negare illi ausit honorem & cultum à mortalibus meritò deferendum? Et quis hunc ipsum deneget reliquiis multò sacratioribus, quæ partes fuissent corporis Pauli? Audite insuper eundem S. Chrysost. qui statim adiungit: Si quis mihi orbem terrarum possidendum daret, solum Pauli vnguem omni illo imperio potentiorem esse arbitrarer. Omnibus deliciis illius paupertatem, omni gloriæ ignominiam, omnibus diuitiis nuditatem, omni licentiæ impactos sacro illi capiti collaphos, omni diademati lapides in eum proiectos prætulerim. hæc ille.

Actor. 19.

S. Chrysost.
Dæmones sudario S. Pauli terrebantur.

S. Chrysost.

Magistri hæreticorū quid sunt ad S. Chrysost.

I nunc hæretice, confer cum S. Chrysostomo tuos istos, quos noui Euangelij non pudet appellare magistros; pygmæos cum Hercule, lepores cum leone, culices cum aquila, tenebras cum sole, cum angelo Ecclesiæ Christianæ aureo flumine orbem irrigante spurcissimos sues in volutabro.

Honorat, honorarique vult Deus Sanctos suos.

Honorat, honorarique vult ab hominibus Deus omnipotens seruos suos; & quorum corpora dum viuerent Diuino obsequio mancipata, suis animis omnium exercendarum virtutum instrumenta extiterunt, post mortem deinde, animæ vt cum ipso Deo agant in cælo, & non modò integra corpora, sed vel minutulæ illorum partes ac reliquiæ à mortalibus ornentur, celebrentur, sacróque rite in altaribus, in templis colātur, in Ecclesia sua Dominus statum firmúmque decreuit.

S. Greg. Naz.
Sanctarum reliquiarum virtus.

Diximus minutulas corporum Sanctorum partes esse honorandas cum S. Gregor. Nazianz. cuius hæc sunt verba de sanctis Martyribus. Quorum (inquit) vel sola corpora idem possunt quod animæ sanctæ, siue tangantur, siue honorentur: quorum vel solæ sanguinis guttæ, atque exigua passionis signa idem possunt quod corpora. sic ille, *orat. 3.* Grande solatium habere Catholici debemus, qui Sanctorum reliquias vel tenuissimas gestare in thecculis ad collum appensis, & cum iis pariter grande ad vitam & mortem corporis & animæ munimentum consueuimus.

Thecula reliquiarum ad collum appensa.

Sic iure optimo Sanctorum corpora honorantur à Deo, quæ pro illius amore, ac fide dum viuerent, multis & grauibus perfuncta sunt molestiis. Enimuerò sancti Martyres (apponit idem Gregor.) igni & ferro, & belluis, & præsentibus malis, alacri animo velut in alienis corporibus, imò quasi corporum expertes, dimicarunt. sic ille. Quod de cæteris

S. Greg. Naz.

Sanctorum ordinibus suo quoque modo dicendum est.

Ossa Ioseph magno in pretio habita ab Hebræis.

12. Profectò cum Hebræorum populus ductore Moyse fugam ex Ægypto arriperet, persequentibus Ægyptiis extremumque exitium minantibus: videre erat primores totius populi, ac principes viros ossa sancti Ioseph humeris in arcula deportare. quorum sanè præsentia fugientes ex timore recreabat, & ab hostiũ incursu mirabiliter defendebat. Cúmque reliqui Hebræi Ægyptiorum spoliis opulenti incederent: sibi Moyses non alium Ægyptiacæ gazæ thesaurum, quàm hæc eadem sancti viri ossa libens & lætus arrogauit. *Tulit quoque* (scribitur) *Moyses ossa Ioseph.* Exod. 13. ad quem locum ita Procopius: Hebræi, quia carnalia sectabantur, iussi sunt mutuò accipere aurea & argentea vasa. Moyses verò elegit viri iusti ossa, quæ præfert immensis Ægyptiorum thesauris. sic ille. Dicitur Moyses portasse ossa Ioseph, vel quia sibi tanquam de Ægypto spolium, & pretiosiores diuitias assumpsit, curauitque subinde, vt illorum feretrum principum humeris portaretur, aut cum loculus non esset magni ponderis ad sarcinæ vecturam, & pretij videretur inter omnia spolia planè incomparabilis, Moyses ipsemet arculam illorum ossium suis impositam humeris voluit asportare. quod idem Procop ita insinuat: Ecce Moyses legislator non solum contrectat ossa Ioseph, sed quasi in humerum sublata portauit, nec tamen contrectando ossa immunditiem contraxit. Dedit igitur Iudæis literam, ipse sibi reseruauit rem, quæ literis tenetur. sic Procop Tulit enim Moyses legem quæ pronunciabat pollui, qui ossa mortui attingeret: sed eam non de ossibus virorum sanctorum latam esse voluit. Quòd si tam pretiosas duxit Moyses reliquias Ioseph Patriarchæ, quid quæso par est iudicemus de reliquiis sanctissimorum in Ecclesia Christi Apostolorum, dein Martyrum, Virginum, & Confessorum, quibus Christi Ecclesia non minus quam cælum astris & luminibus, exornatur? Meritò igitur S. Basil. *orat.* 40. de sanctis Martyribus, quorum in terris ossa piorum cultu & veneratione celebrantur, ita effatur: Hi sunt, qui nostram regionem administrant, & veluti turres quædam securitatem ab hostium incursu exhibent sic ille. Grande siquidem præsidium in reliquiis Sanctorum Christiana Ecclesia Catholica habet collocatum. His illa propugnaculis aduersus infidelium vires armáque, & contra dæmonũ phalanges, vitiorúmque colluuiem sese tuetur.

Procopius.

Pretiosa Sanctorum reliquia.

Procopius.

Ecclesia reliquiis Sanctorum ornatur, vt astris cælum.

S. Basil.

Grande præsidium in reliquiis Sanctorum.

13. Dices hanc virtutem in corporibus integris, non in cineribus, aut minutis partibus reperiri Ad hæc, præterquam quod iam supra cum S. Greg. Nazianz. præmisimus, adiciam amplius pro asserenda & ab hæreticorum iniuriis vindicanda sanctarum reliquiarum gloria. Igitur de hoc ipso argumento præclara illa est sententia. D. Ambros. Hæc est sanctorum Martyrum gloria, quorum etsi per vniuersum mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo. hæc ille, *serm. de Nazar. & Cels.* Minutim quidem conciduntur ossa Sancti alicuius, & aliquando in puluillos diuiduntur: at non idcirco minuitur virtus, quæ diuinitus ad prodigiosa opera in iis inest; sed tota & integra in singulis reperitur. Atque ob hanc virtutem magnorum effectuum, imò & miraculorum effectricem, in reliquiis Sanctorum inhabitantem, dicuntur ipsorum animæ perbeatæ illic etiam residere. Quamobrem peracutè, ac verè, Pubert. *in Apocalyp* dicit reliquias sanctorum Martyrum vocari animas ipsorum ab Apostolo Ioanne. sic enim scribit Apostolus: *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & clamabant voce magna.* Apoc. 6. Non quòd ibi morentur animæ vsque ad generalem resurrectionẽ, sed quia cum ibi iaceant illarum corpora, & ad ipsorum præsentiam aut contactum quotidie efficiantur miracula, potius animæ, a quibus ea virtus manat, quam corpora & reliquiæ ab Apostolo censentur residere. Quin illud longè admirabilius videbitur: maiorem multò virtutem miraculorum scilicet operatricem animæ Sanctorum post illorum obitum habere videntur in defunctis sepultísque sub humo corporibus, quàm in iisdem viuis vnquam habuerunt. Hoc apertè in Elisæo comprobatum legimus. Viuus enim Propheta non facilè defunctum puerum excitauit, sed multa miraculum præcesserunt. Deambulauit ille, orauit, proiecit se supra cadauer, nec primò nec secundò, sed tertiò tandem rem obtinuit. Contra verò Elisæi demortuum corpus, vbi primum defuncti cadauer simul consepultum attigit, illicò viuum reddidit. Quæ doctrina traditur à S. P. Damian. huiusce verbis: Quid dicam de honore quem Deus Sanctorum suorum corporibus exhibet, quando ipse Deus Moysi corpus dignatus est sepelire, & Elisæi cadauer mortuum legitur suscitasse? Imò vt verũ fatear, quod in carne viuentibus Sanctis minimè contulit, hoc sæpe Diuina dispensatio mortuis prærogauit. Quod in Abdo scilicet viro Dei liquidò perpenditur; quem viuentem quidem leo potuit occisurus inuadere; sed cadauer eius nequaquam permissus est aliquatenus violare. hæc Cardin. *in vita B. Ruffini. tom. 4 Sur* Nota est historia ex 3. *Reg.* 13. Occisus enim à leone, quia Deo inobediens, fuit Propheta, sed tamen leo iuxta cadauer, quod est reueritum, stare visus est. Hic honor, quem Deus omnipotens corporibus demortuis Sanctorum præstare solet, & à mortalibus deferri iubet, est veluti subsidiaria pecunia, quam Rex duci post bella emerito assignat interim dum maior ille, largiorque & honoratior redditus demum homini attribuendus non accedit. Lusitani dicimus *Tenca antes da comenda.*

Pubert.

Apocal. 6.

Animæ Sanctorum virtutem in reliquiis habet.

Sanctorum reliquia potentius operantur, quàm viui illi operabantur.

4. Reg. 4.

4. Reg. 13.

S. Petr. Dam.

Mortuis Sanctis maiorem virtutem, quàm viuis Deus attribuit.

3. Reg. 13.

Quæ sit gloria corporibus mortuis Sanctorum.

S. Ambros.

Virtus magna etiam in minutis reliquiis Sanctorum.

14. Hæc necesse fuit hoc loco adnotare pro pietate fidelium Catholicorum, quæ debetur, & exhibetur sacris imaginibus, & reliquiis Sanctorum. Vtrasque honore, religioso cultu, ac veneratione adorandas esse docet Ecclesia. Ac Sancti quidem (vt loqui solent Theologi) dulia coluntur, quæ scilicet inferior est religione & latria: cæterum beatissima Virgo Maria Dei Mater eximio quodam cultu longeq; præcellentiore, quàm sit illa Sanctorum dulia (etsi tamen inferior latria Deo debita) quæ scilicet appellari consueuit hyperdulia ob incomparabilem suæ dignitatis excellentiam adoratur à Catholicis. Ita docet S. Thom. 3. *p quæst.* 25. *artic.* 5. & communi consensu scholastici. quam veritatem eruditè, ac fusè pertractat noster Canis. *lib.* 5. *cap.* 15. post illum Vazques *de adorat. disp.* 7. *cap.* 1. Cum enim Matris Dei dignitas excedat omnem, quæ esse aut fingi potest, post Deum, & dignitatem, & excellentiam: iure optimo illi debetur cultus, & adoratio post latriam, quæ summa & excellentissima sit. Hinc illud à S. Greg. Nazianz. *in carm.* de Christo patiente canitur: Admitte Virgo ô inclyta, quando tibi Verbi parenti, sed super modum tuum, legémque, solum inter omnes contigit honor. hæc ille. Hinc demum colligitur imaginem Virginis Deiparæ hyperdulia venerandam esse; nimirum eodem simul cum prototypo imago solet ac debet,

Hyperdulia debetur B. Mariæ.

S. Greg. Naz.

A debet, vti iam præmisimus, cultu adorari. Enimuerò, vt egregiè testatur S. Athanas. *lib. contra Arrianos*, refertúrque a S. Damasc. *orat.* 3. in imagine species, & forma Regis, & in Rege species est imaginis: expressa est in imagine Regis similitudo, vt qui videt imaginem, in ipsa Regem aspiciat, & qui videt Regem, intelligat hunc esse illum qui in ea sit expressus imagine: & quia non differt similitudo, idcirco post conspectam imaginem, volenti Regem intueri imago dixerit, *ego & rex vnum sumus*. Qui enim adorat imaginem, is Regem adorat: nam illius formam & speciem imago continet. hæc Athanas. Quam veritatem Catholicam, cum à lectore in *act.* 4. *in* 7. *Synod.* pronunciaretur, collegit in hæc verba Tharasius: Hæc sanè rerū natura docet, quòd honor imagini exhibitus ad ipsum fontem primum referatur; quomodo & contumelia. sic ille. Itaque B. Maria nomine & natura Virgo illa est quam Dei Matrem dicimus, confitemur, adoramus: illius autem imago significatione nominis dicitur Maria Dei Mater, non autem natura: habétque communionem nominis & honoris atque adorationis cum prototypo. Idcirco vocamus Virginem, & Dei Matrem quamcunque illius imaginem videmus, & colimus. Lege nostrum Vasquez *disp.* 8. *lib.* 2. *cap.* 5. vbi eruditissime hanc ipsam veritatem de imaginibus confirmat.

S. Athanas.

Imago, & prototypus simul adorantur.

B Sed quid de reliquiis beatissimæ Virginis dicendum est? Beatissima quidem Dei Mater Virgo Maria etsi mortua fuerit, a Filio tamen ac Deo suo suscitata creditur post tertium diem, dein cum augustissimo, & apparatissimo triumpho innixa super Dilectum suum subuecta in cælum est, vbi corpore & anima existens gloriosa sempiternum cum Filio suo Regina mundi ac beatissimū æuum ducit. Quare de corpore purissimo & gloriosissimo Virginis Matris nihil in terris quod sit aut os, aut caro, relictum est. At (quod quidem omne pretium excedit) habemus Olisipone, hoc in templo nostræ Societatis duo & maxima & iucundissima Virginei corporis ornamenta: nimirum & non paucos B. Virginis capillos auro & luce quidem ipsa splendidiores, & partem interioris tunicæ, siue camisiæ, qua corpus sanctissimum Dei Matris induebatur. Hunc duplicem inter reliquias huius nostri templi, quæ maximæ sunt & clarissimæ, admirabilem & incomparabilis pretij thesaurum in publico altari (certis statisque diebus) populo fidelium expositum & piissima spectantium adorantiúmque vota, precésque, & lacrymæ consequuntur. Scilicet per hasce reliquias hauddubiè videmur intueri, venerari, alloqui, inuocare beatissimam & purissimam Virginem Mariam Dei Matrem, ipsam videlicet restauratricem nostræ spiritualis regenerationis, salutem mundi, inuentricem gratiæ, aduocatam hominum, spem, fiduciam refugiúmque peccatorum, pœnitentium asylum, spem, gaudium, vitam mundi, dominam Angelorum, nostræ humanæ naturæ florem, venustatem, ornamentum, gloriam luti nostri.

Nulla sunt reliquia de corpore beatæ Mariæ.

B. Mariæ capilli, & pars camisiæ coluntur Olisipone.

Eximia fidelium pietas erga reliquias B. Mariæ.

Encomia B. Mariæ.

SECTIO X.

Respondit Iacob: Quòd inscio te profectus sum, timui ne violenter auferres filias tuas. Quòd autem furti me arguis: apud quemcunque inueneris deos tuos, necetur coram fratribus nostris.

1. ÆGrè tulerat Laban Iacobum aufugisse clandestino secessu, socero insalutato, cuius etiam facti generum vehementer obiurgat: at iustus (inquit S. Chrysost.) constanter respondet, quòd non voluntarie illud fecerit, sed suspicatus iniustitiam, & timens ne vellet auferre filias, & alias Iacobi facultates, vbi resciret. hæc ille, *homil.* 57. Itaque vir prudens ac iustus Deum vocantem & præeuntem secuturus noluit Labano aperire quid cum Deo & pro Deo moliretur, sed insalutato inscióque homine, quem violentum, iniustum, & barbarum nouerat, fugam arripuit. At ille Iacobi auunculus & socer erat; vxorum Iacobi pater, filiorum auus. ita planè. Sed nulla est affinitas, nulla necessitudo, nulla cum mundo & secularibus pietas, nullum ius naturæ; vbi de Dei agitur obsequio. Deus omnibus præferendus. Sed elegantiùs hoc ipsum traditur a S. Ambros. hisce verbis: Ergo cui Deus portio est, nihil debet curare nisi Deum, ne alterius impediatur munere: quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, atque huic nostro officio decerpitur. Hæc enim est vera sacerdotis fuga, abdicatio domesticorum, & quædam alienatio charissimorum, vt suis se abneget, qui seruire Deo gestit. hæc S. Ambros. *lib. de fuga secul. cap.* 2. Scilicet agens de Leuitis, quorum erant ciuitates refugij, & qui Deo contenti cæteris in mundo etiam parentibus, & cognatis nuncium remittebant. Hac enim pietate in Deum, & suorum obliuione ac renunciatione initiabantur veri Leuitæ iuxta illud, quod Moyses in benedictione Leui apposuit in hunc modum: *Qui dixit* C *patri suo, & matri suæ: Nescio vos; & fratribus suis: Ignoro vos: & nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt. &c.* Deuter. 33. Verus quidem Leuita, hoc est (inquit Origen.) qui intentè & permanenter permanet in ministerio Dei, peruigil in seruitio eius agit excubias, qui in sola sibi sapientia & verbo Dei viuendi vsum exercitiúmque posuit; qui semper in sapientia & voluptate Dei deliciatur: hic ei cibus, hoc erit poculum, istæ diuitię, hoc erit regnum. sic ille, *homil.* 21. *in Numer.* Hic igitur quisquis est, dicit patri & matri suæ: *Nescio vos.* Videlicet (vti Gloss. interlin. occurrit) cursum mentis impedientibus. &c. Et fratribus suis, &c. vim scilicet Diuinæ charitatis minuentibus. ita in Gloss. Nescire D quidem debent, & prorsus ab affectu, memoriaq; aboleri vel ipsi fratres si quando minuunt nostram erga Deum charitatem; vel ipsi parentes si fortè nostræ animæ officiant, & currentem ad Dei religionem & obsequium aut omnino retineant, aut aliqua saltem ex parte remorentur filium. Rectè igitur admonetur in Glos. ordin. Debemus & temporaliter his, cum quibus viciniùs coniungimur, plus prodesse: debemus copulam terrenæ cognationis agnoscere: sed si cursum mentis præpedit, ignorare: vt affectus mentis viscera repleat, sed à spirituali proposito non auertat. hæc in Gloss.

D. Chrysost.

Cedunt cuncta naturæ iura vbi de Dei obsequio agitur.

Deuter. 33.

Origen.

Parentes si Dei obsequium impediunt, nesciendi.

Gloss. interl.

Deus super omnia amandus.

Gloss. ordin.

2. Prudenter egit Iacob, quòd inscio Laban ad Deum confugit; prudenter etiam fœminæ, ac pueri, qui abeuntes de salutando patre, atque auo mi- E nimè curarunt. Falsis cum mundo blanditiis parentes auertunt interdum à religionis studio, amoréque filium: quasi verò illum sibi tantummodò, non autem Deo potiùs genuerint. At sunt qui velint secum retinere filios in seculo, vt honoribus illos reddant conspicuos, rati scilicet honoratum & præclarum esse non posse, qui sese religiosæ vitæ addixerit: solo in seculo theatrum esse honoris, & campum in quo ambitio decurrat, & dignitatum emineant splendores. Vniuersim hoc malum inoleuit aliquando inter alia, quæ inuicem coniuncta Diuinam vindictam vsque ad extremam

Filius à religiosa vita nō impediendus.

Religionem dedecori habent stulti in seculo.

mam Romani imperij vastitatem concitarunt effusis conspirato agmine ex media barbarie nationibus ferocissimis Gothorum, Vuandalorum, & similium in Italiam, ac reliquas imperij prouincias. Quo de argumento diuinitus plane scripsisse videtur S. Saluianus illo ipso seculo Massiliæ Episcopus. Scribit itaque deprauatos adeò illius gentis mores extitisse, vt dedecori haberetur spreto seculo in religionem transfugere. Quantus quæso (inquit) in christiano populo honor Christi est, vbi religio ignobilem facit? statim enim vt melior esse quis tentauerit, deterioris abiectione calcatur: ac per hoc omnes quodammodo mali esse coguntur, ne viles habeantur. Et ideo Apostolus clamat: *Seculum totum in malo positum est*. 1. Ioan. 5. Meritò enim totum esse in malo dicitur, vbi boni locum habere non possunt. hæc Saluian. *lib. 4 de vero iud. & provid.* Egregiè dicit totum in malo mundum esse positum, siquidem si bonus quis in illo esse velit, nec honorem, nec locum inueniet. quippe omnia sibi occupant mali. Probat amplius: Etenim (inquit) ita totum iniquitatibus plenū est, vt aut mali sint qui sunt in illo, aut qui boni sunt, multorum persecutione crucientur. Itaque si honoratior quispiam religioni se applicauerit, illico honoratus esse desistit. sic ille. Sed quid æquè peruersum, indignū, fœdúmque dictu esse, aut cogitari potest? Talem videlicet esse hodie mundum, vt soli pateat malo, nusquam mundi bonus habeat, vbi consistat! vt omni honore decidat qui Deo mundū posthabuit, qui bonus esse cum Deo, quàm cum mundo malus viuere maluit! Sed quid mirum si odit vos mundus, cum de mundo non sitis? ex Domini ore habemus. Et quidem in Africa maximè non ignominiæ tantùm, sed etiam odio erant religiosi. quod S. idem Saluian. refert, & rationem huius odij hanc reddit. Non sine causa Dei seruos in Africa persequebantur: nam quis dicere possit, quod sine causa, homines scilicet omnibus a se vitæ studiis discrepantes, in quibus nihil videbant suum, quoniam Dei totum? maxima enim causa est discordiarum diuersitas voluntatum: quia fieri aut omnino non potest, aut vix potest, vt eam rem in alio quisquā diligat, à qua ipse dissentit. Itaque non sine causa eos oderunt, in quibus omnia sibi æmula & inimica cernebant. hæc ille. *lib. 8. de prou.* Oderant Afri viros religiosos, oderunt eosdem hodie hæretici. causa est morum discrepantia. Quod ita demum colligit Saluian. Illi enim viuebant iugiter in nequitia, isti in innocentia: illi in libidine, isti in castitate: illi in lustris, isti in monasteriis: illi propè iugiter cū diabolo, isti sine cessatione cum Christo sic ille. Sunt prata virtutum monasteria religiosorum: sunt volutabra porcorum, conuentus & conciliabula hæreticorum. Hæc discrepantia seminarium est omnium discordiarum, & odiorum, quibus illos isti persequuntur.

S. Saluian. *Prauitas morum Romani imperij.* — 1. Ioann. 5. *Bonus in mūdo nec locum, nec honorem habet.* — *Solus in mūdo malus locum habet.* — *Africa religiosos oderat.* — S. Saluian. — *Hæretici oderūt religiosos.* — *Mali bonos oderunt.*

3. Hæreditarium videlicet istud est in secularibus & peruersis hominibus odium contra religiosos viros, haustúmque ab illorum parente diabolo. Illis enim à Domino dictum est: *Vos ex patre diabolo estis*. Ioann. 8. At diabolo quidem irreconciliabile contra religionem, & religiosos bellum est. quod S. Bernard sic aperuit. Facilè aduertimus longè acriùs impugnari spirituales viros ipsius Ecclesiæ, quàm carnales. Agit hoc superba semper inuidiosa malitia perfectiores quosque vehementiùs pulsans, iuxta illud Iob. 40. *Esca eius electa*. sic Bernard. *serm. 7 in Psalm. Qui habitat.* Porrò quatuor sunt præcipua tentationum & persecutionum genera, quibus religiosum diabolus impugnat. Eas arbitratur idem Bernard. significari à regio Propheta Psalm. 90. cum ita concinit: *Scuto circundabit te veritas eius: non timebis à timore nocturno, a sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano, &c.* Prima igitur diaboli tentatio, quam religioso viro intentat, est timor nocturnus. Etenim (ait S. Bernard.) primordia nostræ conuersionis primus exagitat timor, quem intrantibus statim horror vitæ ingerit arctioris, & insueta austeritas disciplinæ. hæc ille, *serm. 33. in Cant.* Pulchrè hæc tentatio, timórque ille, qui primus tyrones impugnat, dicitur nocturnus. Enimuerò nocturni timores maximè percellunt pueros, pusillique animi homines, cum tamen ridiculi vt plurimum & vani sint. Motatur arbor? putatur armatus sicarius. Stridet ostij cardo, ventulo ingruente? haud dubiè latro irrumpit fores? iacet humi funiculus: heu me miserum, serpens sinuoso volumine spirarum contortus! territant vmbræ, quasi armatorum cuneus, aut etiam gehennalium cohors furiarum. Pulsantur quidem animi tyronum fictitiis & ridiculis, austerioris vitæ, ac difficillimarū, quæ obiiciuntur, virtutū tentationibus. Cæterùm illucescente Diuinæ gratiæ splendore omnis illa turba inaniū spectrorum disparet, vana omnia terriculamenta dissoluuntur. Negari autem non potest virtutem homini post peccatum, & naturæ corruptionem, haberi quam difficillimam, summéque arduam. Certum enim est quod hac de re scripsit S. Gregor. Nazianz. his verbis: Nihil minoris negotij, difficultatisque est, quàm malum fieri, etiam si nemo ducem se nobis ad vitium præbeat: rara tamen atque ardua est virtutis adeptio; quamlibet etiam multis modis ad eam inuitemur ac retrahamur. sic ille, *apolog.* 1. Ad virtutem quippe sursum accliui & aspero salebris colle ascendimus: in vitium decliui descensu ferimur, ac rotamur. Secundo flumine, decursu profluuij, remis, velis, ventisque vltro & impune impellentibus acta vitij nauigat, imò volat euris ocyor cymba: virtus aduerso flumine, contra ventos & fluctus, remo, contóque subacta, non sine multo sudore in altum surrigitur. Id quidem ex infirmitate, & corruptione humanæ naturæ: at cum Dei gratia, quæ laboranti homini præstò est, & vitij cohibetur decursus, & facilis fit virtutis ascensus.

Ioann. 8. *Religiosos diabolus odit.* S. Bernard. — Iob. 40. *Quatuor tentationes Religiosorum.* — Psal. 90. — S. Bernardin. — *Vanus timor virtutis pulsat tyrones.* — *Virtus ardua, facile vitiū.* — S. Greg. Naz.

4. Porrò altera diaboli tentatio sequitur: *A sagitta volante in die.* quæ est (inquit S. Ber.) inanis gloria. sic ille. Nimirum religiosum impetit inanis gloriæ affectus: sciri appetit, & in ore versari hominum, aucupatur rumores, ac famæ vanitatem, laudes amat, qui laudibus digna potiùs amare debeat. Nec miserordatur in sola inanitate istiusmodi gloriolæ consistere. Siquidem (adiungit idem Bernard.) restat vt solidius aliquid afferatur de diuitiis & honoribus seculi: si fortè qui non curat laudes, appetat dignitates. sic ille. En pestis extrema religiosorum hominum siquando vsquam à diabolo excitatur: ambitio videlicet dignitatū, aut prælaturæ in ipsa religione, aut etiam Episcopatus, in quem postremò fertur religiosi sed irreligiosa cupiditas. Ac nos non pudet, qui mundum pro Christo reliquimus, iam cum Christo agentes, ipsius crucem amplexantes, nihilominùs honoribus & appetendis, & perquirendis curam studiúmque impendere? Quid tibi cum seculi altitudine qui crucis humilitati vitam addixisti? Quid quæso tam dedecorosum religioso, quid ab eius instituto æquè alienum, atque honorum ambitio? Vis honorari, eminere, vis te gloriosum haberi? quis honor, quæ gloria maior, quàm (etsi re-

Psalm. 90. S. Bernard. *Grauis tentatio religiosorū, ambitio dignitatis.* — *Turpis religioso ambitio dignitatis.* — *Grandis honor ex religione.*

li qua

liqua desint) religiosum esse? Religio ipsa & suos nobilitat, & totam Christi Ecclesiam illustrat. Audi egregium in hoc argumento locum ex Diuinis literis. *Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri.* Psal. 67. Commendatur somnus inter sortes (ita cleros interpretamor) quæ significant in sacris literis hæreditatem, quod est notissimum. Hæ verò sortes (declarat S. August.) sunt terrena felicitas, & æterna immortalitas. Dormire autem inter medios cleros (siue sortes) est, nec illam iam quærere ardenter, & istam expectare patienter. hæc ille. Sumus quidem, qui viuimus, inter hasce sortes, sed pauci sunt qui dormiant interim. Nam multi (adiungit August.) dum quærunt in hac vita felicitatem, non dormiunt inflammantibus cupiditatibus agitati. sic ille. Nec enim die, ac nocte, nec in vita ipsa hominem, quem acerbissimis licet etiam vanissimis exedit curis, patitur ambitio consistere. Felix ille qui dormit inter medias sortes, qui ad appetentiam terrenorum planè sensu omni caret, & cælestium interea honorum & bonorum affectu, & cogitatu somnians quodammodò se Diuinis perfrui iam videt. Quisnam iste est, nisi qui verè religiosus dormit ad terrena, quæ reliquit, & spreuit; somniat cælestia, quæ sola concupiscit? Huius ergo, qui sic dormit, qui ita somniat, pennæ columbæ deargentatæ, &c. efficiet nimirū vt pennæ columbæ, hoc est fama, noménque Ecclesię, candore pretióque argentum imitentur: in mundo apud mortales in honore habeantur. Quia (exponit S. August.) per eos, qui sic moriuntur, Ecclesia diffamatur, & quasi quibusdam pennis excelsæ laudis attollitur. sic Aug.

Psalm. 67.

S August.

Ambitio inquietum malum.

Somnus viri religiosi.

Psalm. 67.

Religiosi Ecclesiam illustrant.

S. August.

5. Ex pura & sancta hominum vita pulchrior & splendidior in Ecclesiam Christi laus & fama consurgit. Nec vlla gens est inter Christi fideles (vt plurimum loquor) quæ puriùs viuat, sanctiùs operetur, & ardentiùs in cælestia feratur, quàm cœtus ipse religiosorum. Meritò hos ipsos affatus S. Bernard. religiosi status sanctitatem ita commendat: Credo nullum hîc esse, qui si quartam partem eorum, quæ facit, in seculo actitaret, non adoraretur vt sanctus, reputaretur vt Angelus. Nunc autem quotidie tanquam negligens arguitur & increpatur. sic ille, *serm. 4. in Psalm. Qui habitat.* Nimirum religiosus & seipsum arguit, & à Prælatis arguitur etiam de minimis. Quippe & næuus quidem dedecet religiosum. Atque cum Apostolo obliuiscens quæ retro sunt, opera & merita, quæ iam edidit & comparauit, ad ea quæ sunt anteriora, & nondum acquisita totum se extendat necesse est. Non curet religiosus perfectioni studens quid iam habeat, sed quid nondum habeat: non quæ lucra possideat, sed quid adhuc illi desit. Quare optimè colligit S. Bern. Hæc est vtique magna virtus, & summa securitas, quando & piè viuis: & tamen plus attendis quæ desunt tibi, quàm quæ obtinuisse videris, oblitus quæ retro sunt, & extendens te ad anteriora. hæc ille. Quænam igitur commendatio illustrior, & honor, vel ante homines celebratior, quàm verè ac purè religiosum esse? Quid iam religioso cum seculo, & seculi dignitatibus? Tentatio est & sanè turpis, indigna religioso statu ambitio ista verè secularis. Circundet me Dominus Iesus sua vndique humilitate, liberétque *à sagitta volante in die*: dein etiā *à negotio perambulante in tenebris*. Psalm. 90. quæ est tertia diaboli tentatio contra virum religiosum; victum scilicet à secunda, quæ est honorum ambitio. Necesse est (inquit S. Bern.) circumueniri te à negotio perambulāte in tenebris,

Religiosi eminent in Ecclesia Christi.

S. Bernard.

ad Philip. 3.

Religiosus perfectioni studet.

S. Bernard.

Indigna religiosis ambitio.

Psalm. 90.

S. Bernard.

quod est hypocrisis. Etenim ista de ambitione descendit, & in tenebris habitatio eius, quippe abscondit quod est, & quod non est mentitur. sic ille, *serm. 33. in Cant.* Solent hypocritæ virturem ementiri, vt bono illo amicti velamine hominum rumores aucupentur, beneuolentiam concilient; famam prudentium, humilium, sanctorúmque virorum adepti ad honores non modò admittantur, sed vel inuiti compellantur. Fitque huiusmodi fæcis hominibus hæc virtutis ostentatio, acquirendarum dignitatum ingeniosa negotiatio. iccirco enim Vates vocauit negotium in tenebris perambulans. Adiecit ideò S. Bern. Negotiatur enim omni tempore formam retinens pietatis ad sese occultandum, virturem autem eius venditans, & emens honores. hæc S. Bern. dictum egregiè: Isti ambitiosi, virturem autem simulantes, peruersi caupones sunt. Venditant quidem falsam, & dolosa quadam impostura effictam virtutem; at per illam inanitatem, veréque mendacium, dignitates, prælaturas, aut saltem speciosam apud mortales famam elucrantur. Aurichalcum venditant, & aurum coëmunt. Vendito ære argentum comparant. Quidni ergo sequatur tentatio quarta: *Et dæmonio meridiano?* Transfigurans se hostis in angelum lucis falsis, licet aliquo modo apparentibus, istos honorum ambitioni deditos vsque ad extremum interitum decipit illusionibus. De his vltima tentatione impetitus fortè non plures numerantur: at illis sycophantis planè scatet mundus, vti scribit S. Gregor. Nazianz. cuius hæc sunt verba: Fuco ac simulationi quisque studet: subque oue lupum celat, æri vtique non absimilis sub pabuli illecebra piscibus mortem occultanti. sic ille, *carm. ad Episcop.* Lupi sunt sub ouina pelle; vanitatis & superbiæ hamus, qui dignitates expiscatur. additque S. Bern. Non est apud eos virtutes colere; sed vitia colorare quodam quasi virtutum minio. sic ille, *serm. 66. in Cant.* Nimirum vt sic honores aucupentur.

Hypocrisis religiosorū tentatio.

Hypocrisis dignitatum negotiatio.

S. Bernard.

S. Greg. Naz.

Hypocritarū simulatio & amictio.

S. Bernard.

6. Planè stultus est, qui tam peruerso, ac vitioso stratagemate vtitur ad comparandos in loco humilitatis, hoc est, in religione honorum gradus, milléque induit Prothei formas vt animæ suæ pericula elucretur. Ascendat tandem iste in prælaturam. Quid inde? *Quomodo nix in æstate, & pluuiæ in messe; sic indecens est stulto gloria.* Prou. 26. Nec enim solùm est intempestiua & importuna dignitas stulto homini, sed etiam illi & reliquis exitialis: vti nix æstiuos fructus adurit, & pluuiis demessę fruges, & in area manipuli dissoluuntur. Quod si locum Salomonis intelligas de indocto homine, qui sine scientia regere alios ambit, audétque, non minùs egregiū elicies cum S. Hier. aut Beda hunc sensum: Hic versiculus, ne indoctis honor docendi committatur, præmonet. Nix namque æstate, & pluuiæ in messe sunt persecutiones infidelium, quæ dum grauiores fortè insistunt, & calorem in multis impediunt dilectionis, & fruges bonæ operationis fœdant. sic ille niuis, & pluuiæ symbolum euoluit. Deinde ad honorem stultè collatum stulto & indocto ita demum colligit: Quibus rectè gloria, quæ stulto confertur, esse similis asseueratur: quia si indocto cathedra docendi tribuitur; æquè similiter per hoc Ecclesia, vt infidelium persecutione, læditur: quod esse verissimum Arianæ tempestatis calamitas probauit. sic ille. Non minorem infert indoctus & imperitus magister (quales hodie sunt ferè omnes hæreticorum doctores) Ecclesiæ Christianæ, aut etiam religiosæ familiæ, seu Episcopatui, & cuilibet Parochiæ Prælatus huiusmodi, quàm persecutori

Hypocrita in dignitatem euectus.

Prouerb. 26.

Exitialis stulto & subditis dignitas.

D. Hieron.

Indoctus in dignitate est tyrannus.

D. Hieron.

cutor aliquis ex antiquis tyrannis, cum interitu & sanguine debaccharetur fidelium. Cathedram docendi ascendit non concionator modò in templo, & doctor in Academia, sed etiam Prælatus, animarum, qui subditos doctrina, & exemplo instruere debet. Diximus de stultis, quibus deferuntur honores: dicamus nunc de prudentibus, qui honores sciunt aut timere, aut prorsùs despicere.

Religiosa perfectio non admittere dignitatem.

Ita equidem mihi persuasum habeo religiosæ virtutis perfectionem tunc videri maximè atq; eminere; cum etiam honores oblati non admittuntur. Quod quidem de seipso scribit S Gregor. Nazianz cum secessit fugiens in eremum, ne oblatum reciperet Episcopatum, sic enim inquit: Maximè quidem inopinato rei euentu perculsus, quemadmodum qui repentinis strepitibus exterrentur, rationem, mentémque tenere non potui. *Apolog.* 1. O egregium & verè regium animum, qui sic honores in mundo contemnit! ô veram ac sublimem religiosi viri perfectionem! Vel ad solum Episcopatus nomen auditum timuit, palluit, territus aufugit: quasi à conspectu draconis, aut leonis: quo alij titillantur, tripudiant, triumphant! Non sperabat, non appetebat honorem, non illi in mentem venerat nec ipsum quidem nomen Episcopatus: illud autem audienti fuit strepitus, terror, spectrum laruæque nocturnæ ruinam, periculum, exitiúmque animæ horribiliter minitantes. Quod quidem hodie ferè omnibus dulce, lætum, speciosumque videtur. At Nazianz. prudentiùs agit & loquitur. Tranquillæ vitæ amore flagrabam. Non tuli me imperiosè cogi, atque in medios tumultus contrudi, atque ab hac vita perinde atque ab asylo quodam per vim auelli. sic ille. O illam ætatem auream, ô felix illud seculum: in quo tam mira hominibus inerat prudentia, támque prudens dignitatum despicientia! Et hæc satis fuerint in isto argumento, cui dedit occasionem persequens iustum Iacobum Laban impius ac fraudulentus, quem in mundi typum doctores acceperunt.

S.Greg.Naz.

Episcopatus nomen terret religiosum.

S. Greg. Nazianz. egregia laus.

S.Greg.Naz.

7. *Timui ne violenter auferres filias tuas.*] Non quod illas vti pater diligeret, vellétque ex amore paterno domum retrahere; quippe cum ipsas tradiderit indotatas in matrimonium, ac deinde illarum substantiam viri sudoribus acquisitam violenter inuitéq; velut tyrannus abstulerit, & comederit. Quod misellæ fœminæ multis, sed frustra querimoniis deplorarunt. Retraxisset tamen filias, vt propter illas generum, atque adeo eundem seruum familiæ pascendorum gregum impigrum curatorem simul cum tota substantia, cuius cupiditate improbus homo æstuabat, posset reducere. Quid quod etiam barbarus ac tyrannus filias reputabat ancillas, quod illæ superiùs conquerebantur? Sed vnde iste timor Iacobo? Ex inueterata scilicet malitia Labani. Cur quæso non sibi timeat iustus ab illo, quem tot per annos impium, crudelémque expertus fuerit? Fortè resipuerit, & ad meliorem frugem redierit. Arduum est abnegare quod sis, dixit S.Ambros. *in Luc.* 9. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas: & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* Ierem. 13. Adeo quidem est arduum & quodammodo impossibile mutare antiquos mores atque ipsammet naturam, vt Æthiops nigredinem exuat, & pardi variegata pellis esse desinat. Hunc enim sensum colligit Theodoret. ita locum interpretans: Verus profectò sermo, consuetudinem videlicet esse alteram naturam. Omnia enim quæ longa consuetudine comparauit animus, paria censentur cum naturalibus. sic ille.

Praui mores difficilè exuuntur.

S. Ambr.

Ierem. 13.

Theodor.

Consuetudo altera natura.

Et paruis natum initiis flumen decurrit, deinde assumptis hinc inde riuulis pleno tandem alueo fluens transuadari non potest. Concipit ignem stipula, dein in proximam syluam transfundit, hinc fortiùs accensa flamma quercus, ilices, annosásque in montibus ornos corripit; atque adeò impune subiecta quæque deuorans cum miserando mortalium exitio debacchatur. Quid tenerius, quid fragilius, quid etiam leuius virgula, seu ramusculo subtus terram condito? Hic tamen si semel humi radices agat, deinde multos in annos irrigatus demum in arborem assurgat, iam nunc robusto stipite, ramorúmque densa opacitate syluescens auelli radicitus haudquaquam poterit, sed ventos illudet, ac tempestatibus obsistet. Sic habet vitium, consuetudine inolitum, difficilè admodum ab animo expeditur: & barbaries innata Labano, cadauere ipso sepulto, cum anima in orcum pariter detrudetur. Nemo tamen proinde aut factum excuset, aut desperet ad meliora regressum. Nostra socordia nutritur malum, & vitium adolescit, vt ab illo reuocari ad virtutem videatur impossibile. Iccirco enim apposuit Ierem. *Et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malũ.* cap. 13. Didiceritis, non babueritis congenitum. Discitur enim vitium, seu paulatim in animum influit, sponteque admittitur, non per vim intruditur, aut cum homine oritur. Quicquid enim (exponit S.Hieron.) discitur, non naturæ est, sed studij & propriæ voluntatis, quæ nimia consuetudine & amore peccandi quodammodo in naturam conuertitur. Sed hoc quod hominibus impossibile est, Deo possibile est. Sic Hieron. Impossibile est totius naturæ viribus, vt homo à peccato ad virtutem conuertatur. Sed huiusmodi miracula quotidie operatur Diuina gratia. Bene igitur adiungit S Hieron. Nequaquam Æthiops & pardus suam videntur mutare naturam, sed ille qui in Æthiope operatur & pardo: dicente Apostolo: *Omnia possum in eo qui me confortat, Christo, &c.* hæc ille. Sed in Labano, à qua sibi timebat Iacob, & qui in dolis, & iniquitatibus callum obduxerat, nec illa fuit mutatio, nec Diuinæ gratiæ vllum apparuit vestigium.

Vitium consuetudine robustium fit.

Nostra ignauia vitium adolescit.

Ierem. 13.

Vitium non est congenitum, sed acquiritur.

D.Hieron.

Non est impossibilis à vitio regressus.

D.Hieron.

8. *Quod autem furti me arguis, &c.*] Quàm dolis, rapinísque infamem Iacobus Labanũ cognouerat, tam se ab omni fraude, furtóque alienum nouit, & dicit Iacob: & cum iustus sit, iustam pariter suam vniuersam reputat familiam. De furto isto (inquit) nihil scio prosus, nihil audiui. Sed heus tu scrutare diligenter cum tuis meam supellectilem, & meorum: & qui furti deprehensus fuerit, capitali pœna puniatur. Reum ego libenter me constituo, teipsum actorem, cognatos autem, qui adsunt, vtriusque nostrum iudices, qui ferant sententiam. Duo hinc elicies, & iniquum demonstrari Labanum & sanctum Iacobum. Laban furti arguit iustum. Quomodò namque (ait Procop) malus non foret, cum impiè admodum sentiat de his, qui ipsi plurimum profuere? O malignum hominis ingenium! Siccine arguis furti hominem, quem multos per annos domi tuæ, in pascendis gregibus, in amplificanda tuæ familiæ substantia expertus es fidelissimum? Quanta verò laus est Iacobi, quem nullius criminis conscium propria conscientia stimulet? Qui nihil Labano abstulerit; nullius rei, quæ ad impium pertineat, labe aspersus viuat? Nihil, quod tuum sit, apud me inuenies. Sed antequam mystico sensu verba Iacobi euoluam, præmonebo deduci ex hoc loco in lege naturæ pro simplici furto pœnam mortis infligi solitam. Adeò semper inter mortales iniu-

Impius iustũ arguit.

Procopius.

tiosum

Furti crimen antiquum & communius. riosum & iniquum habitū est furti crimen. Quod A quidem sic vulgare, sic frequens est, vt nullum aliud vbique gentium communius esse videatur. Nec seruile tantummodo vitium est, ingreditur etiam diuitum, nobilium, principum, domos, animósque: eti illorum sit crimen, quam istorum excusabilius. Audi hanc sententiam ex S. Saluian. Plura sunt, ac maiora vitia dominorum, quamuis non omnium, quam seruorum. Ac primum serui, si fures sunt, ad furandum forsitan egestate coguntur: quia etiamsi eis stipendia vsitata præstentur, consuetudini hæc magis, quàm sufficientiæ satisfaciunt: & ita implet canonem, quod non explet satietatem. Ac per hoc culpam ipsam inopia minùs culpabilem facit; quia excusabilis furti reus est, qui ad furtum cogi videtur inuitus. hæc B ille. Miseri quidem male accepti à dominis, enecti fame, seminudi, macri, penéque emortui coguntur tamen seruire, die noctéque defatigari. Quid ergo facient? & quæ culpa quæso, si de bonis dominorum elanculum surreptis naturæ satisfaciant, vitam vtcunque sustentent? Datur illis (inquiunt domini) quod statum ratúmque est, proculdubio alimentum. Bene. Sed quod implet canonem, & non explet famem. Iniqui sunt hi vestri canones, hæc stata seruis cibaria, panis quidem niger, mucidus, hordeaceus, & is quidem vix pugno capitur An non lacera & subtrita vestis exangues prodit artus? vbi calceus, qui pedem à frigore, & petraium, spinarúmque aculeis tueatur? quæ maior necessitas misero erit? quid indignatur dominus, C si huiusmodi quid seruus furetur: Nam & scriptura (adiungit S. Saluian.) quasi subexcusare quodammodo miserorum omnium noxas videtur, dicens: *Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit, furatur enim vt esurientem impleat animam.* Prou. 6. Ac per hoc non satis à nobis accusandi sunt, qui Diuino sermone excusantur. hæc Saluian. *lib. 4. de vero iud.* Peccatum quidem est furtum, & lethale, si rapitur notabilis quantitas. Sed nihilominus nec tam graue, nec tam grauiter puniendum est vti adulterium. inter vtrumque enim fit eo loco à Salomone comparatio. Vbi optima est paraphrasis Iansenij, quæ sic habet. Ex lege Dei & ipsa rerum æquitate ostendit longè adulterium sceleratius esse ac perniciosius homini, quam sit furtum. In primis id ostendit ex occasione mali; ex D qua dependet magna pars & veniæ & supplicij. Qui enim furatur, plerunque id facit ex inopia rerum ad vitam necessariarum, sicque furando esurientem implet animam, & bonum aliquid facit: proinde meritò talis venia dignus est, nec vllam meretur magnopere vel confusionem, vel vltionem apud eos, qui æqui sunt iudices. Hebr. habet: *Non contemnent,* scilicet homines furem, non hoc ei magno vitio vertent. hæc ille. At qui adulterat, non ex necessitate, sed ex malignitate, atque effrænata concupiscentia, quam posset & deberet cohibere, peccare ostenditur.

S. Saluian. *Excusabile serurum furtum.* *Stipendium seruis non sufficit.* *Miseria & egestas seruorum.* *S. Saluian.* *Prouerb. 6.* *S. Saluian.* *Grauius furto adulterium.* *Iansen.* *Furtum ex necessitate excusatur.* *Inexcusabile adulterium.*

9. Excusatur hoc loco fur, aut saltem non grauiter accusatur, cum ex necessitate ad furandum E impellitur, quales vt plurimum ij sunt fures, qui & sciuntur, & deprehenduntur, ac tandem miseri suspenduntur. Nam alij sunt fures, qui maiores, ideò & securiùs viuunt, & à mortalibus magis gloriosi, & illustres habentur, & celebrantur. Sic peracute Diogenes Philosophus cum aliquando furem fugientem apparitor insequeretur, dixisse fertur: *Maior latro insequitur minorem.* Hoc argumento celebre est quod Alexandro magno contigisse ferunt. Cum enim pirata captus ad illum deductus esset, rogatus qua re fretus auderet infestare maria, compendio respondit: *Ego, quoniam id vnico nauigiolo facio, pirata nominor: sed cum idem facias magna classe, rex appellaris.* Alexander admiratus intrepidum animum, donauit illi vitam. Paul. Manut. *apophth. lib. 4.* Itaque honorantur magni prædones, parui damnantur. Gentium exterarum opes, vrbes, prouincias, regnaque exercitu, classéque diripere, ac depopulari summum inter homines habetur decus & gloriosum ornamentum. Furari verò pecudem, vestem, duos teruncios, & insigne dedecus est, & suspendio plectitur. Quocirca optime Satyricus cecinit:

Furtum in magnatibus decus, in plebeis crimen. *Pirata ad Alexandrum magnū egregia responsio.* *Ben. Fernand. in Genes. tom. 2.* *Paul. Man.* *Iuuenal.*

Ille crucem pretium sceleris tulit, hic diadema.

Reddunt latrones sæpe infesta itinera: & videmus ad tollendam hanc pestem viatoribus exitialem ex oppidis & vrbibus armatorum instructas exire copias: at interea morantur in oppidis & vrbibus, qui potentia diuitiarum, aut dignitate aliqua validiùs, & securiùs armati fraude, ac latrocinio, impunè tamen omnia complent. Præclarè siquidem scripsit S. Cyprian. In latronibus est vtcumque aliqua scelerum verecundia: auias fauces & desertas solitudines deligunt; & sic illic delinquitur, vt tamen delinquentium facinus tenebris & nocte velentur: auaritia palam sæuit, in fori luce. sic ille *lib. ad Demetr.* Grauiora quidem & frequentiora fiunt latrocinia in foro, in tribunalibus, inter mercatores, in aulis principum, quæ licet in luce fiant non curantur tamen, non castigantur: at quæ in desertis, aut in tenebris noctium eduntur, hæc in ore sunt hominum, hæc damnantur. Præterea S. Chrysost. cum imprimis pecuniatum concupiscentiam malorum omnium causam esse demonstret, Hinc enim (inquit) pugnæ, hinc contentiones, conuicia, contumeliæ, cædes, furta, sacrilegia: propter hanc non ciuitates, ac regiones modò, sed & viæ ipsæ; & qui habitatur, & qui non habitatur orbis, tum montes, saltus, colles, vnóque verbo omnia sanguinis & cædis plena sunt, &c. *homil. 11. in Epist. ad Rom.* Tum deinde affirmat peiores esse vrbium, quàm viarum & saltuum prædones. Auaritia (inquit) hoc effecit, vt ciuitates ipsæ nihilo meliùs, imò multo deteriùs habeant, quam loca vasta ac deserta. Nam qui obsessis viis insidias struunt, ab iis cauere perfacile, vtpote qui non continenter adoriantur: qui verò mediis in vrbibus illorum exemplum imitantur, tantò sunt illis pestilentiores, quantò difficilius fuerit ab his, quam ab illis cauere. Quod enim scelus illi clam & obscurè audent, hi palam ac fidenter aggrediuntur. hæc ille.

S. Cyprian. *Priores in vrbe, quàm in deserto latrones.* *S. Chrysost.*

10. Sed vbinam inter ciues hæc tam grauia, quàm impunita exercentur latrocinia? ferè vbique: sed tamen frequentius & detestabilius grassatur hoc malum in iudiciis inter forenses, inter iustitiæ ipsius administros. Sic enim citato loco adiungit S. Chrysost. Quæ leges hac de causa latæ sunt, vt latronum tollatur malitia, eas illi leges ad sui auxilium cum pertraxerint, huiusmodi cædibus, ac sceleribus ciuitates complent. ita Chrysost. Malum sanè quàm execrabile in omni lege naturæ, scripta, & gratiæ. de lege naturæ iam vidimus. In scripta legimus grauem admodum pœnam infli- ctam latroni: *Si fur non habuerit quod pro furto reddat, ipse venundabitur.* Exod. 22. Inter Christianos autem suspendij mortisque pœna latronibus irrogatur. ad ea Exod. verba sic apponit Caiet. Vide disparitatem temporum: priscis temporibus fur non erat reus mortis; & tamen vendebatur pro furto: nostris seculis fur laqueo suspenditur: nec vnquam Christianus liber venditur. hæc ille. Nimirum morte punitur latro inter Christianos, aut

Latrocinium in iudiciis. *S. Chrysost.* *Fur in lege Moysis venundabatur.* *Exod. 22.* *Caiet.* *Fur inter Christianos suspenditur.*

 quia

Grauitas furti in lege gratia.

quia minus graue supplicium est suspendi, perimique, quam vendi, quam libertate priuari: aut si grauius est occidi, quam vendi, meritò à Christianis grauior pœna infligitur, quippe ab illis maior exigitur pietas, & Christiana fides quolibet delicto maximè dedecoratur. Videlicet in lege gratiæ ad sua bona pauperibus si non omnino, saltem moderatè eroganda inuitantur fideles: & perfectio à Christo prædicatur relinquendi omnia propter Deum, paupertatísque Euangelicæ votum emittendi: ac proinde grauioribus censebitur dignus suppliciis, qui nec sua prorsus renunciet, nec de suis pauperem sustentet; imò potiùs non contentus iis, quæ possidet, magis libidine, quam necessitate ad depeculanda aliorum bona rapiatur. Quòd si hæc satis non sint ad perfringendam latronum audaciam, & cupiditatem: illud nouerint miseri graue se damnum inferre suis bonis, cum illis de rapto admiscent aliena. Sic enim egregiè disserit S. Chrysost. Licet pauca iniustè lucrifeceris, ex his tamen vniuersam substantiam tuam corruperis. Iccirco pauca malè parta multa benè comparata perdiderunt. Nihil enim corruptibilius auaritia, quamuis clauem arcæ tuæ imponas, quamuis ostium, quamuis vectem; omnia frustra contendis, si auaritiam intus latronem grauissimum, & qui omnia auferre potest, incluseris. ita Chrys. *homil. 15. in 1. Corinth.* Pestis est furtum, si hoc tuis bonis adiunxeris, pestem illis intulisti, paulatim ista corrumpentur, ac tabe quadam exitiali consumentur. Ignem tuis bonis admouisti; haud dubiè incendio redigentur in cineres. Furatus es aliena, vt auaritiam tuam expleres, quæ tamen est inexplebilis. Latronem vtique, qui & tua omnia deprædabitur, domum, in arcam, in crumenam, in horreum introduxisti.

S. Chrysost. Furtum bonis propriis pestis est.

11. Adeò contestata hæc veritas est, vt propterea seriò & grauiter admoneat S. Gregor. Nazianz. ne ex aliorum egestate opes nostras comparare sustineamus. Absit vt tam longè à Diuina æquitate recedamus, nec diuitias nostras cum aliorum lacrymis misceamus, a quibus tanquam à rubigine ac tinea consumentur, aut (vt scripturæ verbo vtar) euomentur. hæc ille, *orat. 9.* præstringit maximè potentium ac diuitum tyrannicam impietatem, qui vel diripiunt pauperum bona, vel saltem cum miserorum vtantur ministerio, debitam mercedem nequaquam pauperculis reddunt, nec illorum sudoribus indolent, nec precibus inflectuntur, nec lacrymis permouentur. Horum igitur bona luctu miserorum madentia diu non possunt salua & integra permanere. Est enim furtum rubigo, est tinea, quæ bona istorum tyrannorum, quibus adhærent, funditus exesa disperdet. Est planè venenum, quo hausto vel qui ebibit, emorietur, vel saltem reliqui etiam salubriores cibi simul ab stomacho prægrauato euomentur. Sic enim Sophar vnus ex amicis Iob de huiusmodi pauperum oppressore ac latrone dixit: *Diuitias, quas deuorauit, euomet, & de vẽtre illius extrahet eas Deus.* Iob cap. 20. Euomet (ait) quod cum violentia laboréque & cruciatu pectoris imò totius corporis vt plurimum contingit, grauiúsque dolebit prædator cum se viderit alienis, quæ rapuit, bonis priuari, quàm doluit pauperculus, quem spoliauit. Quare locum sic interpretatur S. Hieron. Quod iniquè & violenter rapuit & inuasit: meritò ei Deus pœnas illatis criminibus eius reddidit; & ita extorquebitur ab iniquo quod iniustè abstulerat. ita S. Hieron. Luculentius hoc idem exponit S. Thom. ad eundem locum: Diuitias, quas rapaciter acquisiuit, cum abominatione perdet, & Diuino iudicio per quandam violentiam ei auferentur. sic ille. Euomet (ait) diuitias tanquam cibum malè digestum. Vt enim (adiungit S. Thom.) cibus comestus, si digeri non potest, per vomitum extra eiicitur cum abominatione & dolore: ita quandoque peccatores, bona temporalia quæ in hoc mũdo malè acquirunt, quasi indigesta diuino iudicio cum dolore amittunt. hæc S. Thom. Videas interdum alicuius diuitis domum, velut regium ærarium, & opibus, & pretiosa supellectili opulentam paulatim deinde minui, euacuari, ac demum exinaniri. Fortè aliena bona iniustè rapta asseruabat. *Et de ventre illius* (ait Sophar) *extrahet illas Deus.* LXX. vertunt *de domo*: domi enim tanquam in ventriculo reconditæ asseruabantur. Est quidem huiusmodi prædonis domus velut stomachus insatiabili quadam voracitate opes alienas degluttiens. Verbum enim *deuorauit* Hebr. בלע *balagh*, significat *inexplebiliter vorare*. Philipp. intelligit cor, quòd nimirum affectus & amor in rapinis sit: & cum aquæ furtiuæ dulciores sint, vt malè proposuit, sed turpiter experta est adultera illa *Prouerb. 9.* planè dulcius amant isti quæ rapuerunt, quasi magno suo labore ac periculo comparata. Iccirco grauiùs dolebunt amittere, quæ dulciore affectu amabant & possidebant. Quo in sensu præsentem locum ita Philipp. interpretatur. *In ventre eius*, id est, *in corde suo*, pro iniquitatibus suis amaros dolores, acerbos, & nimios, conscientia torquente, patietur: & quod per violentiam rapuit, & cupiditatis studio deuorauit, extorquebitur ab iniquo. sic ille.

S. Greg. Naz. Debitã operariis mercedem negare.

Malè acquisita consumuntur.

Iob 20.

D. Hieron.

S. Thomas. Raptor rapta violenter perdit.

Latronis domus vorax, & inexplebilis.

Prouerb. 9. Rapta latroni dulciora.

Philipp.

12. Fauet huic argumento luculentè admodum Isaias, qui sic vaticinatur: *Omnis violenta prædatio cum tumultu, & vestimentum mistum sanguine erit in combustionem & cibum ignis.* cap 9. Sic enim Diuinam iustitiam prouocant prædæ, violentiæ hominum, & ipsæ dolo congestæ opes, atque adeo vestes quæ (liceat dicere) ex corio pauperum detrahuntur, ac miserorum sanguine videntur infectæ, vt etiam in hac vita flammis dentur Diuino iudicio, & in fauillas ne diutius rapinis suis potiantur fures, redigantur. Heus tu quisquis aliena rapis, non modò gehennalem tibi succendis ignem, quo in æternum discruciaberis: sed etiam in hac vita supplicium tibi & amissionem bonorum, vel, si in futurũ reseruaueris, hæredibus tuis. quod S. Chrysost. sic animaduertit. Quòd si nunc supplicium effugiunt, tunc maiorem in modum metuant. Ad grauius enim supplicium reseruantur, vel potiùs si ipsi effugiant, qui hæredes eorum fuit, puniuntur hæc S. Chrysost *homil. 15. in 1. Corint.* Sed quid est hoc Domine, cur ignibus huiusmodi vestes potiùs tradis, quæ aliter discerpi, atque exterminari à conspectu & vsu mortalium possent? respondet ibidem S. Hieron. Vestis, quæ humano sanguine cruentata est, lauari non potest, sed infecta sanguine comburitur igne, vt maculæ cum vestimento fœdi cruoris intereant. sic Hieron. Irritat vehementer iram Dei, vindictámque accersit macula sanguinis pauperum in veste, in calceo, in ornatu diuitis. Qui quidem vel ex furto pauperis spoliati, vel ex fraudata misello opifici mercede sese ornat, ac tegit. Ah quam perniciosum Ioab fuit in baltheo & calceo Abner sanguinem apparere! Icirco à Dauide capitali morti est addictus. Sic enim moriens mandauit filio Salomoni: *Tu quoque nosti quæ fecerit mihi Ioab, quæ fecerit Abner quẽ occidit, & posuit cruorẽ in baltheo suo, & in calceamento suo. Non deduces canitiem eius pacificè ad inferos.* 3. Reg. 2. Quid tu ô bone rex iustitiæ zelo nũc efficeres, si multos passim videres in foro, in plateis vrbium,

Isaiæ 9. Furta Dei vindictam prouocant.

Furto ignis succenditur.

S. Chrysost.

Hæredes latronum puniuntur.

D. Hieron. Vestis cruentata sanguine pauperu.

Cur occisus Ioab.

3. Reg. 2.

Diuites sanguine pauperum infecti.

vrbium, in tribunalibus iudiciorum, in principum aulis pretiosis quidem fulgentes vestibus, sed iis tamen cruore pauperum perstillantibus? Et mirabitur quis Diuinam vltionem etiam in hac vita contra huiusmodi prædones armari & inflammari? Est etiam quod miremur in verbo *vomitionis*, quod Sophar apposuit. Nimirum vt tam noxij quam salutares cibi, si euomantur à ventriculo, sunt omnino inutiles & execrandi: sic etiam

Rapta fiunt omnibus inutilia.

diuitiæ rapto, aut per dolum acquisitæ, non à suis modò iniustis possessoribus auferuntur, sed etiam quibusuis aliis inutiles redduntur, tanquam ædes ab aliquo (vt contingit) cacodæmone occupatæ non modo dominum suum expellunt illico, sed etiam quemlibet alium habitatorem exterrent. Quis enim ausit cum diabolo sub eodem tecto

Furtum est panis diaboli. Anastas.

commorari? Sunt quidem opes illæ, quas rapuisti, & iniuste possides, substantia, panisque diaboli. Nam vt optime scripsit Anastas. Nicen. *quæst.* 9. *in script.* Nullus, qui ex bellis, cædibus, furtis, periuriis, rapinis, munerúmque corruptelis, & iniuriis opes colligit, potest dicere se per Deum esse ditatum, sed per peccatum maligni. hæc ille. Si-

S. Greg. Nys. *Latro pascitur à diabolo.*

milis est sententia S. Gregor. Nyss. Fructus (nempe) qui nascitur ex iniustitia, ab aduersaria procedit natura: & qui colit iniustitiam, pascitur à benefactore iniustitiæ. sic ille, *in orat. dom.*

13. *Necetur coram fratribus nostris.*] Infelix homo, qui propter pecuniam, aut quid aliud simile furto raptum vita ipsa, qua nihil pretiosius, priua-

Furem Deus execratur.

tur. Et quidem iure optimo rapinam & raptorem Deus execratur. Valde siquidem alienum est à Dei magnificentia, quæ sese hominibus totam effundit, quòd aliquis non modò proximis aliqualem portionem suorum bonorum non largiatur; imò potiùs illos tuos, fraudibus, violentiis, & iniu-

Misericordia in pauperes.

riis, bona diripiat. Dantem sua, & misericorditer egentibus dispensantem non bonis modò cœlestibus, sed etiam terrenis Deus ipse vtpote Deo persimilem cumulare atque honorare consueuit. Dignus planè, quem immortalem omnes cuperent, habetur ille cuius in benefaciendo ingenium elucescit. Iccirco dilectus Dei Apostolus multos in annos vt viuat Caius & exoptat & precatur. sic enim scribit: *Senior Caio charissimo, quem ego diligo in veritate. Charissime de omnibus oratione facio prospere te ingredi & valere, sicut prospere agit*

3. Epist. Ioa.

anima tua. 3. Epist. Ioann. Caius iste vir erat sanctissimus, & in operibus misericordiæ fideliter in Domino operam collocabat, dignus proinde qui nũquam moreretur, aut saltem in longum produceret vitam, ne pauperibus paternum illud subsidium, & Ecclesiæ vir tam præclaræ virtutis, exemplúmque misericordiæ deesset. Quod enim sanctis huiusmodi operibus exerceretur, apertum est ex eo, quod statim subiicit Apostolus: *Fideliter facis quicquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos, qui testimonium reddũt charitati tuæ in conspectu Ec-*

Misericordi in pauperes vita prorogatur.

clesiæ, &c. Celebris itaque inter Christi fideles tunc erat charitas & misericordia istius viri, cui prosperam & longam vitam Apostolus benè precatur: *In omnibus orationem facio prospere te ingredi, & valere, sicut prosperè agit anima tua.* Hoc est (inter-

Hugo Card.

pretatur Hugo Cardin.) hoc oro, vt sicut bonam voluntatem habes in mente: sic salutem habeas corporis, vt eam possis explere. Et hoc dicit: quia insistebat in operibus misericordiæ, vbi necessaria est salus & fortitudo corporis. sic ille cum Glossa. Precatur ergo Apostolus Dominum vti proroget vitam homini misericordiæ opera in pauperes exercenti, ad eos sanè terminos, ad quos etiam illius animus beneficentiam in votis habet:

A vt quemadmodum longa est voluntas benefaciendi, longa sic etiam sit vita & salus ad bene operandum. Profectò misericordia erga pauperes vitam prorogat benefactori, ac multi consequenter ex diuitibus diutius viuerent, si misericordes existerent.

Auaritia Deo execrabilis.

14. Aliena quidem (vti præmisimus) à Dei ingenio est hominum auarorum tenacitas, quæ ab auaritia vti à ferali & exitiali radice ortum habet. Tam enim solet esse auarus in retinendo tenax, quàm in acquirendo cupidus. Quid autem tam Deo inimicum est, atque cupiditas bonorum temporalium, & auaritia quæ dicitur ab Apostolo simulachrorum seruitus? Deum reiicit, Deum non vult auarus, si cum Deo aut bona sua amittere,

B aut saltem ea in discrimen adducere cogetur. Audi locum ex Euangelio in hac sententia peregregium. *Eiiciens Dominus Iesus ex energumeno legionẽ cacodæmonũ, illos permisit ingredi in porcos, qui propè deerrabant. Et ecce magno impetu abiit totus grex per præceps in mare & mortui sũt in aquis.* Matth. 8. Stu-

Matth. 8.

por ergo accolas inuasit. *Et ecce tota ciuitas exiit obuiam Iesu, & viso eo rogabãt eum, vt transiret à finibus eorum.* ibid. O planè stolidi, ô insidi, ô cæci mortales! Excipiendus erat in ciuitatem talis hospes, tantus vir, tanti patrator miraculi; non verò abiiciendus, non timendus. Ita quidem decebat. Cæterùm miseri grauiorem aliam sibi noxam porcorum facta iactura timebant. Salutem

Nolunt homines salutẽ animæ cum damno temporali. Caiet.

quippe (occurrit Caiet.) hominum liberatorum à

C dæmonibus, & perditionem porcorum videntes ex aduentu Iesu, magis timuerunt augmentum damni rerum temporalium, quàm concupierint augmentum salutis spiritualis. Salus hominum admirationem ciuitati generauit: damnum porcorum timorem maioris damni in ea excitauit. ita Caiet. Deum isti nolunt, si ex illius aduentu damnum aliquod rebus temporalibus sit timendum, nedum inferendum. En auaritia eiecit Deum ho-

Christum auaritia expellit.

minem à Gerasenorum ciuitate: nec enim cum Deo auaritia potest commorari. Nolunt recipere Christum & custodes, & heri porcorum. Videlicet, quia (inquit Theophylact.) vbi est vita porci-

Theophyl.

na, ibi non manet Christus, sed diabolus. sic ille. Quod autem hæc vis in auaritia sit contra Chri-

Impuritas Christo inimica.

D stum, eiúsque fidem, ipsimet cacodæmones apertè demonstrarunt, cum expellendi tandem Christi virtute de corporibus illorum hominum petierunt à Domino: *Si eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.* Matth. 8. Cupierunt scilicet (inquit

Matth. 8.

Iansen.) nocumentum illuc hominibus illius loci inferre, vt perditis porcis, domini gregis, aliique homines horum damno consternati Iesum non susciperent, sicque fructu prædicationis priuarentur. Quod ex parte euenit. ita Iansf. *concord.*

Iansen.

cap. 31. Nolunt isti Deum, si cum damno aliquo rerum temporalium veniat. Diabolum malint homines, si cum emolumento aliquo veniat. Vtrumque videas in actis Apostolor. *cap.* 16. Christianam

Lucrum temporale Deum pellit, diabolum admittit.

quippe fidem prospere disseminare cœperant Philippis in Macedonia Paulus & Silas. At subitò in-

E terturbata sunt omnia: conspirauit tota ciuitas in Apostolos, multísque affectos iniuriis & plagis primò in carcerem coniecerunt, dein extra ciuitatem expulerunt. Vnde tanta hæc rerum commutatio? Curauit siquidem Paulus puellam, quæ habebat spiritum Pythonis & quæstum magnum præstabat dominis suis diuinando. *Videntes autem domini eius, quia exiuit spes quæstus eorum, apprehendentes Paulum & Silam, &c.* Actor. 16. Vbi optimè S. Chrysost. Vbique malorum causa pecunia. O paganorum inhumanitatem, vt augeant pecu-

Actor. 16. S. Chrysost.

niam, puellam à dæmone vexari volunt. sic ille. Itaque Philippenses ob auaritiam & prædicatores Diuinæ fidei expulerunt, & ipsam fidem prorsus abdicauerunt.

Auaritia fidem auertit.

15. En auarus Laban, adeóque tenax & cupidus bonorum terrestrium, vt generum eundémque nepotem persequatur, filias oderit, indotatas locauerit, matrimoniíque earum dotem ac pretium comederit: & quod multò grauissimum est, Deum vnum verúmque non agnoscat, non veneretur, non timeat: sed plures deos colat, atque aurum & argentum in icunculis adoret: indigneturque proinde: *Furatus es deos meos.* Hæc est auarorum infelicitas, vt sic ament pecuniam, sic adhæreant opibus terræ, sic auro incubent, ac si vnum hoc numen recognoscant, colántque. Si de soluendo debito, eroganda eleemosyna, vilitate numorum contemnenda, bonorum instar aquæ labentium, atque euro magis fugacium affectu abiiciendo coram disseras, aut rident miseri, aut tu surdis, & cautibus loqueris. Mille siquidem vt velint ditescere, vt nolint vel obolum è manu dimittere, sibi fingunt rationum non momenta, sed figmenta. Quàm sapiens (ait Tertull.) argumentatria sibi videtur ignorantia humana, præsertim cum aliquid eiusmodi de gaudiis, & de fructibus seculi metuit amittere. sic ille, *lib. de spectac cap.* 2. Ne quid pro Deo relinquat, aut creditori soluat, aut pauperi donet, auarus sibi molta nectit argumenta, sed ab ignorantia non à scientia indoctus ac demens argumentatur. Quantò veriùs ac sapientiùs argumentatur à sapientia Christianæ perfectionis, qui verbo & facto contendit mundum cum bonis suis pro Deo relinquere, licet etiam in terra pauper & abiectus ignobilem ac laboriosam ducat vitam. Felix iste quicunque erit, tantóque magis diues ac plenus Deo Deíque bonis; quantò inanior mundi & affectu & opibus. Etsi enim inter opes & in abundantia seculi virtutem sapiens tenere possit: nihilominus (vt experientia quotidiana contestatur) Christianus magis in paupertate irradiat, quàm in diuitiis: paupertas quippe, si cum patientia toleretur, & multarum nutrix virtutum, & plurimorum meritorum seminarium est.

Multa mala ex auaritia.
Auarorum tenacitas.
Argumentatur pro tenacitate auarus.
Tertull.
Paupertas de perfectione Christiana.

16. Profectò (etsi cætera deessent) diuitiis agnata superbia Christianæ Philosophiæ, quæ tota sita est in humilitate, mirandum in modum aduersatur. Enimuerò monuit optimè S. August. Tolle superbiam, diuitiæ non nocebunt. Vermis diuitiarum superbia est. sic ille, *lib.* 50. *homil. homil.* 13. Benéque ibidem colligit: Difficile est, vt non sit superbus, qui diues est. idem August. Et quidem superbus ex arrogantia cordis persuasum sibi habet, quòd nihil non possit: diues nihil non audet & aggreditur præsidio armatus diuitiarum. Certè nil contra diuitem durius audias, quàm quod ab Apostolo Iacobo dictum legimus *Nonne* (inquit) *diuites blasphemant bonum nomen, quod inuocatum est super nos?* Iacobi 2. Rectè ad eadem verba ita scribit S. Saluian. Quis est omnino diues aut innocentiam seruans, aut à cunctis sceleribus manus abstinens? Vtinam vel à maximis, quia volunt sibi id fortè quasi maiores priuilegium dicare, vt iure suo crimina vel minora committant. Quis est aut humano sanguine non cruentus, aut cænosa impuritate non sordidus? Vnum quidem ex his ad pœnam æternam sufficit, sed propè nullus diuitum non vtrumque commisit. hæc ille, *lib.* 3. *de prouid.* Blasphemant quidem diuites non omnes, sed plerique tamen, salutiferum Christi nomen si non verbo, at certè re ipsa, vel dum opprimunt pauperes, illorúmque possessiunculas diripiunt, quod statim subiicit Apostolus: vel dum (ait Caiet.) de diuitiis intumescunt. Quæ omnia maximè contraria sunt Christi & nomini, & Euangelio. Huiusce fæcis homo erat Laban, bonorum huius mundi auidissimus, Deum vnum ac verum ignorans, plures sibi confingens, oppressor pauperum, raptor publicus substantiæ generi ac filiarum; plenus diuitiis, magis plenus vitiis. Crudelem ac barbarum erga filias fecerat effrænata habendi cupido. Hoc enim inter cætera vitium reperitur in diuitibus, vt nihil pensi habeant affligere, atque adeò perimere. Quod idem his verbis subnotauit: Homicidia in diuitibus assidua spe ac fiducia impunitatis: nisi fortè cum occidunt, ius putant esse, non crimen. Eodem etiam priuilegio in exercendo impudicitiæ cœno abutuntur. sic ille, *lib.* 4. *de prouid.* Hæc sunt multorum diuitum ornamenta seu inquinamenta: Crudelitas, & spurcitia: vt tam sanguine pauperum infecti, quàm stercore libidinis sordidati esse videantur. At offendi hoc verbo diuites & nobis succensere dicet aliquis. Respondeo illud S. Ambrosij in simili argumento. Cum diuitibus in gratiam reuertamur: nolumus enim offendere diuites, qui volumus, si fieri potest, sanare omnes. Discant non in facultatibus crimen hærere, sed in iis, qui vti nesciant facultatibus. Nam diuitiæ vt impedimenta improbis, ita bonis sunt adiumenta virtutis. hæc S. Ambros. *lib.* 8. *in Luc.* 19. Enimuerò Abraham, Iob, Dauid, & alij tum antiqui Patres, tum in lege gratiæ viri opulentissimi pariter etiam sanctissimi extiterunt existúntque hodie. Nihilo tamen seciùs illud optimè subnotauit S. Saluian. de sui temporis infelicitate, cùm ob diuitum & potentium tyrannidem, pauperum calamitates ab illis oppressorum, imò & ipsam Rempubl. auaritiæ diuitum, & potentium tyrannidi ad excidium pauperculæ plebis traditam; extremo tandem exitio vastatum esse à barbaris Imperium Romanum. Quando etiam (adiungit) Respublica tributorum vinculis, quasi prædonum manibus strangulata moritur. sic ille, *lib.* 4. *de prouid.* Quis nunc ad præsentem rerum inter Christianos statum oculos animúmque intendens non timeat, non lamentetur? Cæterùm impendenti huiusmodi ruinæ subueniat Iacob, opem ferat Rachel: contineant ambo Labanum, ruentem scilicet in præceps mundum teneat obsecro clementissimis IESVS, teneat piissima Mater Virgo Maria, quorum illi duo in seipsis typum expresserunt.

Diuitiis agnata superbia.
S August.
Iacobi 2.
S Saluian.
Diues vitiis plenus.
Diuites blasphemi.
Caietan.
Diuitum tirānis & crudelitas.
S. Saluian.
S. Ambrof
Cupiditas & malus vsus diuitiarum.
Romani imperij excidiū ob auaritiam & tyrannidē diuitum
Tributa strāgulāt Remp.
S. Saluian
Iesus & Maria mundum, ne ruat, sustinent.

17. Superbia (vt vidimus) opibus armata contra Christum & Christi Euangelium velut in acie decertat: quippe Christus Dominus humilitatis magistrum se præbens humiliauit & exinaniuit semetipsum vsque ad mortem crucis: docuítque suos fideles humilitatem, qua maximè debellantur tartareæ legiones, & vitia saluti hominum insidiantia egregiè vincuntur, & conculcantur. Quin etiam consideranti facile videre est, vti contra superbiam maximè militet vniuersa Christi fides & doctrina. Et proculdubio demonstratur ex ipsa Christi Domini humilitate ortam videri atque in sublime deinde subleuatam Christianorum Ecclesiam. Colligo id quidem ex Euangelio. Legimus enim Christum vsque adeo contemptum, homiliatum, probróque affectum, vt triginta argenteis (quo pretio mancipia Iudæorum olim vendebantur) à proditore Iuda fuerit venditus. Qua deinde pecunia coëmptus fuit ager figuli in sepulturam peregrinorum. *Matth.* 27. Cuius rei mysterium sic peracutè S. Ambros. euoluit.

Victrix humilitas.
Christi Ecclesia ex humilitate orta.
Matth 27.
S. Ambros

Dum

Dum ager figuli ea, qua venditur Christus, comparatur pecunia, dum is locus humandis peregrinorũ reliquiis dicatur, surgentis Ecclesiæ mysterium reuelatur. hæc ille, *ad 23. Luc.* Ager quidem est mundus: peregrini sunt fideles consepulti per baptismũ & commortui Christo, quos ad perpetuitatis gratiam reseruauit. idem. Nihil quidem est, quo magis exaltetur, de quo sibi magis glorietur Ecclesia Christi, quàm de ipsamet humilitate, de ipsis opprobriis, morte, cruceque Domini: vnde scilicet natum est Ecclesiæ quicquid honoris habet & splẽdoris. Negabat illa omnia Marcion hæreticus, qui Christum in corpore phantastico illa perpeti dicebat, ratus indignum Deo videri, quòd verè se humiliauerit vsque ad mortẽ crucis. In quẽ impostorem ita Tertullian inuehitur. Parce vnicæ spei totius orbis, qui destruis necessarium decus fidei. quodcunque Deo indignum est, mihi expedit. Natus est Dei Filius? non pudet, quia pudendum est. Mortuus est Dei Filius? prorsus credibile, quia ineptum est. Et sepultus resurrexit? certum est, quia impossibile est. sic ille, *de carne Christi, cap. 5.* Non se proderet vti est, non emineret amor Christi erga homines, nisi pro iisdem patiendo humiliationis modum omnem ac terminum excederet, nisi transiliret. Hac sua Dominus IESVS humilitate gentium inflexit duritiem, obstinata emolliuit pectora, in suam fidem & amorem corda animosque conuertit. Oleum est enim (inquit S. Ambr.) humilitas, quo ceruicis nostræ dura mollescunt. sic ille, *serm. 14. in Psal. 118.* Sed quid de paupertate Domini dicam? audi Apostolum. *Dominus noster Iesus Christus propter vos egenus factus est, cum esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis.* 2. Corinth. 8. vbi S. Ambros. Pauperem dicit Christum factum, quia Deus nasci dignatus est homo, virtutem potestatis suæ humilians, vt hominibus diuinitatis diuitias acquireret. sic ille. Nec diuitiis tantùm diuinitatis & cœlestium bonorũ locupletata est Ecclesia ex inopia Christi, sed etiã amplissimis terrestrium bonorum facultatibus cumulata fuit. In immensum prope redditus Ecclesiastici in Christiana Republ. qui omnes & verè dicuntur & sanctè habentur Christi pauperis patrimonium: in honorem quippe Christi propter nos inopis, demùmque nudi & crucifixi à fidelibus in sacrosanctæ Eucharistiæ cultum, in templorum splendorem, in ministrorum Ecclesiæ deseruientium & subsidium, & amplitudinem (decet enim Ecclesiam Dei iste suorum ministrorum decor & amplitudo) à fidelibus vltrò oblati & erogati magnificè fuerunt.

Gloria Ecclesiæ ex humilitate Christi.
Tertull.
Decus fidei humilitas Christi.
Conuertit orbem humilitas Christi.
S. Ambros.
2. Corint. 8
S. Ambros.
Ecclesiæ redditus ex paupertate Christi.

18. Verumenimuerò Ecclesiastici homines quando à Christo tam copiosè, largitérque sustentantur, & honorantur, expediti proinde ac liberi à solicitudine quæritandi victus, quem paupertas Domini de suo patrimonio abunde administrat, omnem curam & studium in eo tantùm defigant, vt suo ministerio digni Ecclesiam honorent, Christo deseruiant. Quod mihi videtur expressum in virga sacerdotis Aaron, quæ in tabernaculo Domini posita germinauit, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt. *Numer. 17.* Germinauit virga, floruit, fructum reddidit; nec tamen vlla vel cura vel industria ab Aarone fuit experita. Nocte siquidem germinauit virga coram Domino constituta, cum Aaron ipse in aurem vtramuis otiosè (vt dicitur) suo in lecto dormiret. Fruuntur quidem Ecclesiastici pinguissimis redditibus, quos illis Ecclesia in manus defert, illis inquam non occantibus, non serentibus, non metentibus. Plerique enim comedunt; & parum, aut minimè laborant. Sed ita diuinitus constituitur, vt quò liberiùs ac securiùs victum a Deo accipiunt; eò in Dei obsequium expeditiùs ferantur. Maximè verò, religiosi homines ita se gerere debent, ac solent, vt dum securos cum Deo somnos contemplando, operando, obediendo ducunt, diuina prorsus magnificentia fretis religio ipsa germinare, atque in flores & fructus erumpere videatur. O fortunati sua si bona norint! ô felix in castris Christi militantium cohors! Irrident, execrantúrque hæretici vitam religiosorum. at cæci sunt, & duces cæcorum: at sus ad aurum, asinus ad lyram. Prudentissimus verò ille rerum æstimator, & diuinarum conscius gratiarum, qui ad hunc modum de religiosis scripsit. De illis, qui expediti omnibus sarcinis Saluatoris viam sequuntur, & Dominum IESVM non sanctitate tantum, sed etiam paupertate imitantur, illud Prophetæ dico: *Mihi autẽ nimis honorificati sunt amici tui Deus.* Psal. 138. Hos enim ego omnes non aliter, quàm imitatores Christi honoro; non aliter quàm imagines Christi colo; non aliter quàm mẽbra Christi suscipio. Et ad hoc tantùm illorum memini, vt eorum memoria dignus fiam. hæc S. Salu. *lib. 2. ad Eccles. Cathol.* Tanti facit sanctissimus & doctissimus Episcopus Massiliæ religiosos viros, quos insectantur hæretici, quia nimirum imitantur Christum non Antichristum: quia sunt imagines Christi, quibus de Ecclesia tollendis bellum isti habent indictum: quia sunt membra Christi, cuius Corpus in sacrosancta Eucharistia furiæ istæ persequuntur.

Num. 17.
Ecclesiasticorum cura non de victu, sed de Christo.
Secura vita religiosorum.
S. Saluian.
Psalm. 138.
Honoranda religiosorum vita.
Religiosos oderunt hæretici.

19. Dixi nonnihil de humilitate, déque paupertate Christi Domini. adiungam etiam aliquid in laudem Deiparæ Virginis, quæ ex iisdem quoque virtutibus cum Filio suo pariter effloruit. De paupertate Virginis beatissimæ quid attinet dicere, quæ sponsum habuit fabrum, quæ vt Filium suum Virgo Deum pareret, non inuenit locum in diuersorio: coactaque est in stabulo parere, atque in præsepi reclinare Infantulum? Nulla domus ambitio (inquit S. Cyprian.) nisi reclinatorium in stabulo, Mater in fœno, Filius in præsepio. Pedissequas substantia familiaris non patitur, mancipiorum obsequia sumptus tenuis, & inops mensa excludit. hæc ille *de natiuit. Christi.* Cõsimilem tota vita paupertatem Regina mundi obseruans cum Sponso paupere, ac Filio paupere vti diuitias seculi contempsit, ac ferè damnauit: sic paupertatem euangelicam & sacrauit & honorauit. Electa verò est in Matrem Dei hominis Virgo pauper, ac nutritius faber: vt poneretur regula (autore S. Cyprian.) & indissolubilis daretur forma, quod non nisi pauperibus spiritu Christi pateret humilitas: nec superbos ad intuitum sui posset admittere veritas. sic ille, *ibidem.* De humilitate Virginis Matris quid aliud dicam, quàm quòd seipsa vocauit ancillam Domini cum in Matrem eligeretur? Cuius humilitatem admirabilem his verbis depingit Albert. Magn. Credimus beatam Virginem in aduentu Angeli inclinatis genibus, & eleuatis puris manibus, & iactis in cælum oculis ad Patrem misericordiarum pro incarnatione Filij sui deuotissimas preces cum lacrymis fudisse: & Angelo venienti reuerenter assurrexisse, sicque perturbatam de noua salutatione, capite inclinato humiliter stetisse. sic ille, *supra Missus est.* Hoc tam humili, & ancillari corporis vultusque habitu Virgo sanctissima venientem Angelum & loquẽtem excepit: maioréque subinde humilitate consentiens mandato Dei verbum ipsum suis intemeratis visceribus hominem factum concepit. Sic

Mira B. Mariæ paupertas.
S. Cyprian.
Paupertas & humilitas B. Mariæ & S. Ioseph.
S. Cyprian.
Alb. Magn.
Qualis corporis status B. Mariæ in annunciatione.

Alb. Magn.

enim prosequitur idem Albert. Rursum percepta iam annunciatione, flexis genibus in terram, & eleuatis oculis in cælum ac manibus, ex intimo corde erumpentibus præ gaudio lacrymis deuotissimè flagitando dixisse: *Ecce ancilla Domini, &c.* & sic Deum pariter & hominem concepisse. Et iste modus positionis & situs eorũ est, qui de manu Angeli vel sacerdotis suscipiunt Dominicum corpus de altari. hæc Albert. Nota hinc pro suscipienda Eucharistia piissimam corporis & mentis compositionem. Hæc tã humilis & pauper, quàm pia Virgo Mater Dei cum suo Filio, Rachel cum Iacob Labanum cohibet, mundum ne dissoluatur, homines ne peccent, ne pereant, continet. Actum iam nobis foret, si Rachel nõ adesset, si Virgo Matet Dei Matrem quoque hominum non se agnosceret, non ostenderet, multò etiam veriùs atque humaniùs, quàm Moyses iratum Hebræis Dominum placaturus dixit: *Obsecro, peccauit populus: aut dimitte eis hanc noxã, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Exod. 32. Loquitur planè Moyses (ait S. Bernard.) parentis affectu, quem nulla possit delectare felicitas, extorribus, quos parturiuit. sic Bern. *serm. 12. in Cant.* Dixisset quidem mater, si fortè in reginam eligeretur modo filios nõ admitteret in aulam, sed in ergastulis dimitteret constrictos: Nolo sine filiis regina fieri, filiorum quippe salutem propriis anteponit mater honoribus. Hunc profectò parentis affectum illa beatissima Virgo, quæ plus omnibus amauit, Deo Filio supplicans pro hominibus demonstrat. Nouit enim sapientissima Domina, nisi peccata & peccatores in mundo fuissent, nec Deum in terras hominem venturum, nec ipsam Dei Matrem, mundique reginam futuram fuisse.

[Margin: Lucæ 1. — *Maternus B. Maria in homines affectus.* — Exod. 32. — S. Bernard. — *Fructum incarnationis.*]

SECTIO XI.

Scrutare, quicquid tuorum apud me inueneris: & aufer.

1. SCrutare, &c.] Bene sibi conscius Iacob, omnisque fraudis dolique expers, quòd huiusmodie dola non abstulerit Labano, audacter homini rispondet, inquirat vt ille sedulò perlustrans omnia tabernacula, & supellectilem, nunquid ex suis bonis vi raptum inueniat. Iacob viri iusti & ad Deum currentis (vt sæpè vidimus) typus, Labani, cum quo multos annos vixerat, consortium denique, aspectúmque fugiens tantam nihilominus sinceritatem ac puritatem animæ conseruauit, vt de fraudulenti atque impuri hominis labe, vitióque nihil admiserit. Ac proinde securo animo, audaci conscientia proponit: *Scrutare, quicquid tuorũ apud me inueneris: & aufer.* Hoc est (vti explicat S. Ambros.) cognosce si quid est tuorum apud me, id est, nihil tuorum habeo, quære si quid agnoscis vitiorum tuorum & criminum. Nihil mecum abstuli, fraudum tuarum dereliqui consortia, illa non habeo, omnia tua tanquam contagium refugi. hæc S. Ambros. *lib. 2. de Iacob cap. 5.* Rarũ est, quinetiam duxerim miraculum à praua, maximè diuturna consuetudine liberum, purúmque exilire. Mel à sacrificio & ab altari suo Dominus respuebat. *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quicquã fermenti, ac mellis adolebitur.* Leuit. 2. Quid quæso id est, vt cœleste donum tam dulce quàm purum mel ab altari Domini arceatur? Sit illa (præter alias, quas alibi subnotauimus) ratio ad nostrum institutum quàm optima à Theod. his verbis tradita: Prohibet offerri mel ad altare, eo quòd apis (vt quidam ferunt) in locis impuris sedeat, & vndecumque conficiendi mellis occasiones coaceruet. hæc ille, *quæst. 1. in Leuit.* Qui nescit aut non vult delectum habere in hominum commercio & consuetudine, sed promiscuè atque vt libido fert, cum his, & cum illis conuersatur, non discernens bonum à malo, purũ ab impuro, sacrum à profano, sanctum à vitioso; is vitam non habet quæ Deo possit debeátque offerri. At apis est (inquies) non modò solers, & ingeniosa dum construit fauum, sed etiam dum flores decerpit, rorem delibat. Bene. Verùm ea solet esse rerum impurissimarum tenacitas, ea discernendi purum ab impuro difficultas: vt nec ipsamet apicula per hortos, prat áque peruolitans, & vbique insidens, & vndecunque delibans, ab omni se labe, sordéque, tum vterculum, tum in eo rorem ad flosculum reddere possit immunem. Quinetiam illud ex *Leu.* 11. ad hoc argumentum valet plurimum: vbi sic præscribitur. *Qui tetigerit morticina eorum, immundus erit. Vas autem fictile, in quod horum quicquam intro ceciderit, polluetur, & idcirco frangendum est, &c.* Bone Deus, si quid ex cadauere animalis immundi ceciderit in vasculum fictile, lympida non poterit ablui aqua? abluatur ergo, non conteratur. Profectò sic tenaciter immunditiés ex morticino adhærebit vasculo, vt semper, etiam post nimiam ablutionem, aliquid saltem sordis labisque maneat. talis est natura cum peccati, tum praui hominis consuetudo. Pulchrè Theodoret. ad eundem locum ita loquitur: Discimus quantum malum sit peccatum, cum veram pollutionem conteri mandet. sic ille, *quæst. 12. in Leuit.* Perstringatur igitur vas necesse est, quando nulla ratione lauari omnino & eradi potest spurea tenacitas.

[Margin: S. Ambros. — *Mira vis in consuetudine diuturna.* — Leuit. 2. — *Mel ab altari reiectum.* — Theodor. — *Delectus habendus in iis, quibus cum agimus.* — Leuit. 11. — *Peccati tenax impuritas.* — Theodor.]

2. Haud mirandum est, quòd Laban tam impius, tam impurus, tam ferox & barbarus fuerit, cum diis quippe agebat (deos suos vocauit stultus) qui vel lignei, marmorei, æreíque erant, in quibus dæmones insidebant & loquebantur: vel homines fuerant omnibus cooperti flagitiis, quales Romani venerabantur & Græci, Iouem, Venerem, Martem, Saturnũ, & cætera gentilitiæ superstitionis monstra. Talium quippe numinum sordes ipsis adoratoribus inhærebant, & quò diuiniora illa vitia putabantur, eo tenaciùs infixa mortalium animis difficiliùs auelli poterant. Quocirca idem de praua hominum malorum consuetudine, quod de gentilium impura superstitione dixit Clem. Alex. pulcherrimè quoque affirmandum censeo. sic enim scribit: Maligna & serpens bellua homines affligit barbarorum ritu puniens, qui dicuntur cadaueribus alligare captiuos, donec in ipsis quoque putrescant. Hic ergo malus tyrannus quoscunque sibi potuerit vindicare, lapidibus & lignis & simulachris misero superstitionis vinculo viuos adducens, vnà cum eis sepelit; donec vnà cum eis interierint. hæc Clem. Alex. *ad gent.* contra impietatem sacrilegam & impuram simul scribit: vt iam retulimus 1. *tom. cap. 3. sect.* 11. *num.* 2. ad hunc verò locum adducimus ad prauæ consuetudinis tenacitatem demonstrandam. Illa verò supra omnem barbariem & plusquam ferina crudelitas, cuius meminit Clem. Alex adscribitur Mezentio Hetrurorum tyranno, si tamen vera cecinit Latinus Poëta his carminibus:

Mortua quinetiam iungebat corpora viuis,
Componens manibusque manus, atque oribus ora,
(Tormenti genus) & sanie, taboque fluentes
Complexu in misero longa sic morte necabat.

Hæc Virgil. 8. Æneid. Consuetam verò huiusmodi truculentiam, & ferum atrocitatem ulius tyrannis

[Margin: *Vitia gentiles adorabant.* — Clem. Alex. — *Malæ consuetudinis tenacitas.* — *Tyrannorum crudelitas.* — Virgilius.]

nis Sophocles quoque in Elect. commemorat. Cruciatuum (inquiens) genus, quibus tyranni in longum vitam ciuium protrahunt, vt quibus mors beneficij loco indulgetur, vita autem, hoc est, moriendi mora, pro supplicio, & in pœnam conceditur. sic ille. Miserandum planè sibi exitium accersit, qui temere stultéque probroso & impudico lenoni amicitiam, consuetudinémque adiunxit; alligauit se infelix mortuo, fœtido, tabidóque ac purulento corpori: quidni ergo pariter cadaueris saniem, tabémque, & fœtorem contrahat execrandum? Talis omninò quisque solet esse, qualem amat, sociat, alloquitur, tractat amicum. Quid de corporibus, quid de animis loquor, quibus tam facile insperguntur ex mala consuetudine labes vitiorum? Etiam parietibus, lapidibus, lateribus, B cæli, etiam tectis, tignis, tegulis domus, vbi leprosus habitat, malum indelebile inhæsisse videns Dominus iussit destrui domum, & lapides eius ac ligna, atque vniuersum puluerem proijci extra oppidum in locum immundum. *Leuit.* 14. Subtiliter autem Theod. domo ista leprosa Iudaicam Remp. significari dicit his verbis: Domui leprosæ similis est domus Israël: de qua qui peccauerant, tanquam infecti lepra lapides sublati sunt, quandóque per Assyrios, aliquando per Babylonios, interdum Macedonum opera. Et quia adhærenti lepra laborabant, illorum domum dirui funditus iussit Legislator. hæc Theodoret. *quæst.* 18. *in Leuit.* Periit omnino Resp. Iudæorum, dissoluta est synagoga, æquata solo domus Israel: nec enim C humanis Diuinísque remediis lepra illa infidelitatis cedere passa est & aboleri. Lapides igitur, trabésque domus euersæ, hoc est, extorres ipsi totoque orbe vagi, ad ludibrium Iudæi, per omnes mundi plagas dispersi fuerunt. Prauorum sanè morum, & nefariæ consuetudinis vitia & dedecora & hominibus, & hominum ædibus inspersa videtur indelebili quodam quasi bitumine adhærere. Fugiendum illinc (vnum hoc restat, præstátque) vbi lepra inest, vbi leprosus commoratur; siue is impurus sit scortator, siue infamis aleator, siue pestilentis animæ obtrectator. Sed heu nos miseros, qui nefandis leprosorum huiusmodi turbis (adeo malum grassatur) admisti viuimus, incedimus! Et quis picem attrectans non pice inficitur? Quis inter morbidos, ac tabe, pestéque infectos non pestifero halitu commoritur? Diuinæ D tantùm virtutis miraculum est, à pice, à tabe, à peste, à morte liberum sanúmque euadere. Prudenter agit, qui fugiendo se proripit à periculo: in quo se positum lamentatur Dauid: *Vsquequo Domine obliuisceris me in finem? Vsquequo auertis faciem tuam à me?* Psalm. 12. Quasi Dominus & ab oculis, & ab animo, atque à memoria prorsus aboleuerit Dauidem, sic iste suam deplorat vicem. Quia nimirum vt statim subiiciet in 13. Psal. *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.* Vtrumque versum simul explicans ait S. Chrys. Cur excrucior, rogas? Quoniam dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. Cum impio conuersationem existimo E esse à Deo auersionem. Deum mei esse oblitum suspicor, quòd vnà cum impio viuam. Sancto enim viro cruciatus est & ad iram prouocatio, impiorum impietas. hæc S. Chrysost. *ad Psal.* 13. Tam grauis tentatio est, tam grande periculum cum improbo versari, vt pro supremo supplicio id Propheta defleat, velut iam sempiternæ reprobationis signum habere videatur. Contra verò prædestinationis effectus inter cæteros vnus proculdubio est cum bonis piisque versari.

Sophocl.
Vti in praua consuetudine.
Leuit. 14.
Theodor.
Excidium Iudæorum.
Vitia ex praua consuetudine adhærét, & durant.
Fugiendum à consortio improborum.
Psalm. 12.
Graue malũ cum malo conuersari.
S. Chrysost.
Psalm. 13.
Grande bonum cum bono conuersari.

3 *Scrutare, quicquid tuorum inueneris, aufer.*] Fugit Labanum, Labanique domum, scilicet mundum & seculi pompam ac vanitatem vir religiosus. Felix si dicere possit: *Scrutare quicquid tuorum est apud me*: sibi conscius nihil è mundo iam habere in vita religiosa. Non quidem mundus in eo reperit (de suis hoc maximum est) honoris insanam cupiditatem, qua destruitur humilitas, hoc est, primum & validissimum religiosæ vitæ fundamentum conuellitur: & fons bonorum omnium, quæ in religiosam animam à Deo effunduntur, exsiccatur. Est enim (autore S. Chrysost.) bonorum omnium mater animi humilitas, *homil.* 1. *in epist. ad Roman.* Hac igitur bene fundatus & radicatus religiosæ vitæ studiosus facili negotio dignitates in seculo, præfecturas, prælaturas, Episcopatus contemnit non expetens vt offerantur, generose abdicans si offerentur. At quid hoc est, quod maximè mundus ambit, persequitur, æstimat, suspicit, suspirat? Haud dubiè in nominibus potiùs, quàm in rebus ille splendor, illud pretium est, vt eleganter animaduertit S. Chrysost. hoc modo: Dignitatum nomina cum hac vita depereunt, quæ & pecuniis sunt venalia. In vestitu, in satellitio, in mensa potestatem habent. Nequaquam quis dixerit dignitates, sed dignitatum nomina. sic ille, *hom.* 1. *in Epist. ad Rom.* En quã multa in iis honoribus vanitas, quàm multæ grauésque miseriæ quotidie cernuntur? Ad summum cum vita perdurant, cum illa demum elabuntur; raroque fit, vt totam perenni felicitatis cursu vitam comitentur. Sæpius enim videas hodie non comparere, in fauillas nempe redactum, quem heri inter cedros Libani attollentem caput & metuebas, & beatum prædicabas. Non ipsam attingunt animam honores; in solo externo habitu videntur, in apparatu, in deliciis, in vestibus. Quin etiam nec morbos nec curas depellunt à corpore, nec illi vitam prorogant. Imò & curas augent, & solicitudines ingerunt, timores iniiciunt. Nam animi tranquillitatem (quæ summa hominis felicitas est) & lætitiam (inquit S. Chrysost.) non principatus magnitudo, non pecuniarum copia, non potentiæ tumor, non corporis fortitudo, non mensæ sumptus, non vestium ornatus, non aliud quicquam rerum humanarum afferre consueuit, præterquam recte factum, & conscientia bona. sic ille. Non iste fructus est Spiritus sancti animam sanctificantis & tranquillantis. Non honores ambit, non dignitates expetit vir religiosus, nec istum in illo mundus affectum inuenit. Meritò S. Bern. capit immoderatum dignitatum studium etiam in quouis Ecclesiastico, qui virtutem potiùs, quàm honorem magni facere, tuerique debet. Sic igitur indignatur vir sanctissimus: Vides omnem Ecclesiasticum zelum feruere sola pro dignitate tuenda? honori totum datur; sanctitati nihil, aut parum scilicet. sic factitabat Petrus, sic Paulus? hæc ille, *lib.* 4. *ad Eugen.* Proh pudor! zelo ardent plerique quæ religio præcedere cæteris debeat; quis locus nempe sublimior hunc vel illi conueniat: & pro tantulo lucro totus tumultuatur orbis: at pro humilitate Christi, pro modestia, pro zelo animarũ, velut hæc ab Ecclesiastico ordine forent aliena, nulla habetur cura, nullus labor suscipitur. Igitur ô serui Dei, ô ministri Ecclesiæ, *æmulamini charismata meliora Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* sic Apostolus. 1. *Cor.* 12. vbi S. Thom. ordinat affectum eorum. Desiderate gratias potiores. Excellentiorem vobis demonstro viam, scilicet charitatem, qua directiùs in Deum itur. sic Thom statim enim aggreditur commendare charitatem. Quòd si vi aliqua

Religiosus à mundo alienus.
Humilitas fons bonorum.
S. Chrysost.
Contemptus dignitatum.
S. Chrysost.
Vanitas dignitatum.
Dignitatum miseria.
S. Chrysost.
Sola virtus hominem solatur.
S. Bernard.
Ecclesiasticus zelus pro dignitate.
Zelus animarum & virtutum despicitur.
1. *Cor.* 12.
S. Thom.
Æmulatio circa charitatem.

Verus religiosus sanctè se habet in dignitate.

qua potentiore coactus dignitatem suscipiat, ne tunc quidem in vero religioso mundus de suis inuenit tumorem ac superbiam; vt de paupere in diuitem, de humili in superbum, de modesto ac sui conscio in vanum, tumidum, ac dementem & furiosum mutatus esse videatur. Idem sui semper similis, qui sapiens & iustus est. Quod quidem in Eugenio Papa qui de monacho ascenderat ad Petri claues, ita S. Bern. prædicat: In te hanc mutationem factam esse confido, non de te: nec priori statui tuo successisse promotionem, sed accessisse. sic ille, *in prolog. lib. de consid.*

S. Bernard.

Sapientia mundi reprobatur.

4. Nullum omnino de seculi affectibus secum defert, qui verè ab illo ad Deum, vti a Labano ad parentes suos Iacob, transfugit. Illam quoque sapientiam mundanam, quæ tanti valet inter seculares, qua isti vrbani, politici, ac prudentes celebrantur, religiosus vir non curat, non agnoscit, non insectatur. Rectè illam S. Gregor. Nyssenus comparat filiæ Pharaonis, quæ in filium adoptauit infantulum Moysen, in se quidem sterilis, alieni fit partus mater. Tolerabile est quòd Moyses (ait) eousque se falsæ matris filium profiteatur, quousque imperfectior atque tenerior ætas sit. Qui verò ad maturiorem iam ætatem peruenit, eum pudebit eius se falsò filium appellari, quæ naturaliter sterilis atque inanis est, nisi tandem vera foueatur doctrina. Quare tantum Ægyptiæ assidebit Reginæ, quantum opus erit ad hanc inferiorem doctrinam percipiendam, ne omnino expers humanorum præceptorum esse videatur. hæc ille, *de vita Moys.* Pueri sumus, dum adhuc in seculo secularibus dediti studiis curísque viuimus, & puerilia tractantes, non mirum est, quòd sapientiæ mundanæ in qua nihil firmum, ac solidum inuenitur, tanquam nutrici sterili, fictæque matri nutriendi tradimur, nouerimus apices, instituamur præceptis, scita & monita obseruemus. Veruntamen iam grandior factus Moyses Ægyptiam matrem reiicit, ab Ægypto fugit; *Fide* scilicet (inquit Apostolus) *Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi.* ad Hebr. 11. Habent suam seculares in factis, in dictis, in negotiis, in amicitiis, in salutationibus, in rerum, quæ geruntur, sententiis, & opinionibus longè aliam a religiosa, sana, seriáque alienam sapientiam. Illius normas legésque in seculo addiscimus, obseruamus, magni facimus. Decent illa pueros adhuc puerilia. Verùm inde ad religionem transfugientes, à Deóque in famulatum assumpti iubemur ea circuncidere, quæ leuitatem & vanitatem redolent secularem, ne alioqui cum Moyse & Sephora filium incircuncisum gestantibus pariter districto & minante Angeli gladio periclitemur. Habet enim (adiungit idem Gregor.) Philosophia seculi partus, humanáque disciplina carnale quoddam præputium, quo circunciso quod relinquitur, Israeliticæ inuenitur esse nobilitatis. sic ille. Non improbo eam, quæ vera prudentia est, ac debitam vrbanitatem, quæ religiosum potiùs ornat, quàm dedecorat. Insipientiam, inurbanitatem, rusticitatem omni homine indignam procul amouendam censeo. Addóque illud optimè dictum à S. Ambros. Noxiæ sunt conuersationes cum insipientibus: & inficiunt sobriam animam, ac decolorant. sic ille, *Epist.* 4.

S. Greg. Nyss. — *Sapientia mundi adiuuet ad virtutem.* — ad Hebr. 11. — *Dedecet religiosum sapientia mundi.* — Exod. 4. — S. Greg. Nyss. — *Prudentia & vrbanitas ornant religiosum.* — D. Ambros. — *Non agendū cum stultis.*

Sapientia Dei donum.

5. A Deo quidem est, inter dona, quæ hominibus communicantur, sapientia, quod vnum est inter maxima naturæ humanæ ornamentum. Nec enim aliud est, quo magis homo inter animantia præstare atque eminere videatur. Extiterunt inter gentes plerique omnium ore percelebrati sapientes. Sed non sine Deo, quorum etiam scita & placita, sapientérque dicta in suorum fidelium, qui venturi erant, gratiam & vtilitatem sciri ab omnibus & celebrari voluit. Quare optime scripsit S. Iustin. Mart. Quæ præclare ab omnibus dicta sunt, nostra sunt Christianorum. sic ille, *in dialog. cum Tryph.* Præclarè dicta non eloquenter dicta: nec enim Christiani hominis, nedum religiosi est verborum inani eloquentia delectari, sed sapientibus institui, formarique sententiis. Quod quidem in scriptoribus Ecclesiasticis vel maximè spectari debet, vti de se non minus eleganter, quàm religiose scripsit S. Saluian. hisce verbis: Nos, qui rerum magis, quam verborum amatores, vtilia potiùs, quam plausibilia sectamur; neque id quærimus, vt in nobis inania verborum ornamenta, sed vt salubria rerum emolumenta laudentur: in scriptiunculis nostris non lenocinia esse voluimus, sed remedia: quæ scilicet non tam otiosorum auribus placeant, quàm ægrotorum mentibus prosint. hæc ille, *in proœm. lib. de prouid.* Id quidem Laban scrutatur in supellectili Iacob. Id quod suum est, quod tantummodò amat æstimátque mundus, scilicet verborum lenocinium, in libris & monumentis hominum doctorum & prudentium quærit. Sed frustra tamen: non enim scribimus auribus, sed mentibus, non ad voluptatem, sed ad sanitatem. Nemo (inquiés) euadit sanus. sit ita. Dicam igitur quod ipsemet sanctissimus pater adiungit: Si hæc salus nostra quosdam sanauerit, fructus non paruus erit, quòd multis profuit. Sin autem id non prouenerit, & hoc saltem ipsum infructuosum non erit, quod prodesse tentaui: mens enim boni studij ac voti pij, etiamsi effectum non inuenerit cœpti operis, habet tamen præmium voluntatis. hæc Saluian. Sane quàm optime. Hominis enim industria sine Dei ope nihil proficit, nec proinde illa omittenda erit, etsi effectus illam non sequatur. Quo in argumento diuinitus multa scripsit ad Eugenium Papam S. Bernard. nonnihil seligam. Noli (ait) diffidere: curam exigeris, non curationem. Denique audisti: *Curam illius habe.* Eccles. 32. & non cura, vel sana illum. Verum dixit quidam: Non est in medico semper releuetur vt æger. Paulus loquitur: *Plus omnibus laboraui.* 1. Cor. 15. non ait: Plus omnibus profeci, aut plus omnibus fructificaui. aliàs nouerat homo, quem docuit Deus, *quia vnusquisque secundum suum laborem accipiet, non secundum prouentum.* 1. Cor. 3. & ob hoc in laboribus potiùs, quàm in profectibus gloriandum putauit: *In laboribus plurimis, &c.* 2. Cor. 11. hæc omnia S. Bern. quibus concionatores, scriptores, præfecti animarum, prælati suos possunt, si quando incassum recidunt, solari bono zelo benè collocatos labores.

S. Iust. Mart. — *Sapienter dicta pertinent ad Christianos.* — S. Saluian. — *Vana eloquentia reiicitur.* — *Ecclesiastici scriptoris stylus.* — S. Saluian. — *Voluntatis pia præmium.* — *Industria humana laus.* — S. Bernard. — Eccles. 32. — 1. Cor. 15. — *Industria humana sine effectu, non sine fructu.* — 2. Corinth. 3. — 2. Cor. 11. — *Zelus animarum fructuosus.*

6. Scrutatur Laban quod suum est, sed in Iacobi manibus non inuenit. Neque finem neque argumentum operis (vt in stultis & profanis videre ac lugere passim est) in religiosis scriptoribus mundus vanitatis & ostentationis amator permittitur inuenire. De profanis enim pulchrè scripsit S. Saluian. Verè cum ingeniorum tantùm laudem cupientes tam indignis rebus curam impenderint, non tam illustrasse mihi ipsa ingenia, quàm damnasse videntur. sic ille loco citato. Quid quæso lympidam è puro fonte aquam in cloacam deriuas? Quid liliis, quid rosis, quid vernantium pratorum floribus sterquilinium circundas, & ornas? Quid aureo poculo venenum propinas? Id quidem egisti, dum ingenium, studium, eloquentiam in fabellarum inanitatibus, aut amatoriis

S. Saluian. — *Profani scriptores indignum argumentum.* — *Ingenia malè collocata.*

toriis sordibus turpiter admodum scribendo collocasti Dedecet etiam Iacobum, hoc est, virum iustum ac religiosum omnis in loquendo scurrilitas, *Scurrilitas damnatur.* quæ damnatur à Paulo. *ad Ephes. 5.* quæ verò illa sit, ita definit S. Hieron. *D.Hieron.* Scurrilitas de prudenti mente descendit, & consulto appetit quædam vel vrbana verba, vel rustica, vel turpia, vel faceta: quam nos iocularitatem alio verbo possumus appellare, vt risum moueat audientibus. hæc ille. Lusitanè *Chocarrices.* adiungit igitur: Verum & hæc à sanctis viris penitus propellenda: quibus magis conuenit flere, atque lugere. sic ille. ac demum colligit: Stultiloquium, & scurram non decet esse Christianum. hæc Hieron. Multò veriùs dedecet religiosum, itémque sacerdotem. quod *S. Bernard.* *Nugæ in sacerdote, vel religioso damnantur.* S.Bernard. sic animaduertit: Inter seculares nugæ, nugæ sunt: in ore sacerdotis blasphemiæ. Interdum tamen si incidant, ferendæ fortassis, referendæ nunquam. Talibus os aperire illicitum; assuescere sacrilegum est. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt de ore eius.* Malac. 2. *Malac. 2.* non nugas profectò, vel fabulas. Verbum scurrile, quod faceti vrbanive nomine colorant, non sufficit peregrinari ab ore: procul & ab aure relegandum. hæc S.Bernard. *lib. 2. de consid.* En quàm irreligiosum, *Risus & facetiæ à concionibus pellendæ.* ne dicam sacrilegum est in concionibus scenis se gerere scurrā, facetus Dei verbum, aures fidelium, ipsum suggestum, ac templi altaria, ineptiisque & risibus deturpare. quid si effusè cotrideat audientium consensus? Fœdè (adiungit Bernard.) ad cachinnos moueris, fœdiùs moues. sic ille. *S.Bernard.* *Munus concionatoris.* Est quidem Ecclesiasticus prædicator non ad ludibrium sui & suæ prædicationis, atque adeo ipsius Ecclesiæ à Deo in suggestum & cathedram euectus: sed vt per illum Christi honoretur Ecclesia, iuxta illud S. Ambros. *D. Ambros.* Gratia Ecclesiæ, laus doctoris est. *2. de offic. cap. 24.* Est prædicator ad permouendas hominum animas, ad omnem scilicet pietatem, ac virtutem à vitiis vitiorúmque affectu traducens: non verò ad risum, turpémque cachinnum excitandum. Iccirco Isaias appellauit Prudentem eloquij mystici. *cap. 3.* *Isaiæ 3.* *Concionator est incantator animarum.* Theodotion vertit Incantatorem. quam lectionem commendans ita explicat S Hieron. *D. Hieron.* Videtur mihi vir esse eruditus & exercitatus tam in lege & Prophetis, quam in Euangelio & Apostolis, qui possit singulas animi perturbationes sua sanare doctrina, & ad statum mentis reducere dum scortator recipit castitatem, & ganeo frugalitatem, & quondam auarus dat eleemosynam. sic Hieron. *Nec apud Iudæos, nec apud hæreticos vera prædicatio.* Hic est verus Christi prædicator, non qui facetias eructet, nugisque & risibus omnia compleat, ne dicam deturpet. Hinc etiam colligit idem Hieron. *D.Hieron.* Euentila omnes Iudæorum synagogas, & nullum poteris inuenire doctorem, qui sancta præcipiat, & contemptis diuitiis sectandam doceat paupertatem. sic ille. *Hæreticus magister pro vitiis pugnat.* Quod tu perbellè dixeris de hæreticorum fanis: nullum ibi reperies doctorem (Ministrum vocant) qui sanctum quid doceat, imò qui non vana quadam fide, quam astruit, omnem ab animis timorem sanctum depellat, & liberam faciat atque impunitam peccandi licentiam.

7. Ne quæso scrutator suorum bonorum, seu malorum potiùs Laban, mundus scilicet inueniat *Vana gloria prædicatoribus indigna.* in concionatoribus mundanæ vanitatis, & gloriolæ cupiditatem, qua ducti vt audientium captent applausus inanes verborū phaleras, & plenam fuco & fumo loquacitatem expromunt. Dedecet sacerdotis grauitatem istiusmodi vanitatis choragium. *S. Prosper.* Quod ita præmonuit S. Prosper. Sacerdotes sancti non inflantur officiis occurrentium salutationibus, sed grauantur: nec honorari

A se, sed onerari fauentium sibi laudibus credunt. *lib. 2. de vit. com. cap. 25.* Præferre siquidē sacerdotes humilitatem Christi & verbis, & factis debent. Reliquisti iam domum, consortiúmque Labani: nihil, quod illius fuerit, & ille scrutando inueniat, tecum asportes. Si mundum cum religione commutasti, *Mundus cum mundo relinquendus.* cur etiam cum professione istius omnem illius affectum non abdicasti? vita laicus, habitu religiosus, monstrum planè est. Inuehitur in istius vanæ religionis sectatores Massiliensis Episcopus S. Saluian. ad hunc modum. *S. Saluian.* Aliqui religiosi sub specie religionis vitiis secularibus sunt mancipati: post veterum flagitiorum probrosa crimina titulo sanctitatis sibimet inscripto, non conuersatione alij, sed professione; nomen tan-
B tùm demutauere, non vitam: & summam Diuini cultus habitum magis, quàm actum existimantes, vestem tantummodo exuere, non mentem. hæc ille, *lib. 5. de prouid.* Et mores, & vita, & affectus *Religiosi exemplo sit virtutum.* mundi cum mundo pariter à religioso debent prorsus in omnem vitam ablegari. Abstinentiam Christi & pœnitentiam religiosus, vel ipsis qui viderint ad virtutis exemplum, & religionis honorem exhibeat, non verò aut ingluuiem & intemperantiam, aut illarum saltem dedecorosa vestigia ingerat oculis inspectantium. Quod in prædicatore damnabilius esse contestatur S. Hieron. his verbis. *D. Hieron.* *Abstinentiæ specimen in prædicatore.* An non confusio & ignominia est, Iesum crucifixum magistrum, pauperem atque esurientem fartis prædicare corporibus; ieiuniorúmque
C doctrinam rubentes buccas, tumentiáque ora proferre? Si in Apostolorum loco sumus, non solum sermonem eorum imitemur, sed conuersationem quoque, & abstinentiam amplectamur. hæc ille, *in 2. Mich.* Nihil etiam suum reperiat Laban in *Qualis sit religioso habitus.* habitu ipso religiosi solum interioris hominis ornatum (cum exterioris decenti incuria) perquirentis. Vti eleganter depingit S.Paulin. hoc pacto: *S.Paulinus.* Religiosi ornatu pudicitiæ inornati, & decenter inculti, & honorabiliter despicabiles, cum ingenitam quoque speciem corporis pro interiore cultu aspernantes, etiam studio deformantur: vt fiant prudenter honesti vultibus, cum perficiantur salutariter honesti mentibus. Vigiliis honestatis integrè saucij, & sobriè temulenti; quos parcimo-
D nia facit, non vorago titubare. hæc ille. *Epistol. 7.* quibus apprimè describitur religiosa modestia in *Modestia in religiosis.* vestitu, temperantia in potu, ac victu. Quorum omnium exemplar optimum illud est à S. Gregor. *S.Greg.Naz.* Nazianz. in Basilio Magno religiosorum patre ac *S. Basilius religiosorum exemplar.* magistro peregregiis diuinæ suæ eloquentiæ depictum lineamentis. Basilio (inquit) quid vnquam fuit præter corpus, ac necessaria carnis integumenta? Diuitiæ illi erant nihil habere, & crux, cum qua sola ipsius vita versabatur, & quam maiore in pretio habebat, quàm ingentes pecuniæ aceruos. Quis vnquam tanta inedia fuit, penè etiam dixerim quis tam carnis expers? Hunc solum luxum norat, nempe à luxu abstinere. Illi tunica vna, & pallium vnum, & stratus humi lectulus, & illu-
E uies, & vigiliæ (illa eius decora & ornamenta) & suauissima cœna & obsonium, panis & sal, potio de fonte. hæc Nazian. *orat. 20. de Basilio.* Quid igitur Laban, mundúsque in S. Basilio religioso- *Mira laus S. Basilij* rum hominum pulcherrimo exemplari suum perscrutando reperiet? vitam quippe viuebat humana longè augustiorem; potiúsque Angelus carnis expers, quàm illa homo amictus. Mortuus denique fuit. Oportebat enim eum hominem deprehendi: adiungit idem Gregor. *S.Greg.Naz.* Quod enim vixit, Angeli fuit; quod mortuus est, fuit hominis. O præclarum religiosæ vitæ magistrum, & religio-

religiosorum ductorem ac doctorem.

8. Effugisti Labanum; a peccato demum tyrannorum sæuissimo transfugiens ad Deum, prioris vitæ sordibus per pœnitentiam ablutus in gratiam cum Deo & cum virtutibus rediisti? Restat

Pœnitens vitam corrigat.

igitur hoc vnum vel maxime necessarium ad salutem animæ, atque perfectionem pœnitentiæ: vt nihil, quod prius Laban fuerit, tecum deferas. Nulla deinceps occasio, nullum tentamentum, quo antea peccatum primò sensim illabens, deinde totam deceptæ animæ denique inferebat vsque ad illius miseram seruitutem, aut relinquatur post fugam pœnitentis, aut iterum repetatur. Pulchrè sanctéque pœnitentium ille magister in confessione atque holocaustis, quæ potissimum Deus acceptat, suæ pœnitentiæ Canticum ita concludit:

Commendatur & describitur confessio sacramentalis.

Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, & oblationes & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos. Psal. 50. *Acceptabis Domine* (declarat S. Hieron.) *sacrificium*, id est, *confessionem ex ore peccatoris.* sic ille. Caiet. legit ex Hebræo. *Tunc voles sacrificia iustitiæ, holocaustum, & totum, &c.* Vaticinatur Propheta (vt vult Theodoret.) perfectam remissionem peccatorum in testamento perfecto contineri. sic ille. Est quidem confessio sacramentalis, quæ à Christo Domino fuit instituta sacrificium iustitiæ. Quippe per confessionem mactantur pecudes nostrorum scelerum cùm confitentis vera contritione, tum etiam Confessarij sacerdotis debita illorum absolutione.

Psalm. 50. D. Hieron. Caietan. Theodor.

Mirum sit in confessione iudicium.

Vocatur *sacrificium iustitiæ*, eo quòd in gratiam & laudem Diuinæ iustitiæ nobis propter delicta nostra succensentis, atque ad placandum Diuinæ ipsius iustitiæ furorem fit confessio sacramentalis; per quam etiam fit iudicium peccatoris, dum ille testem agit, & accusatorem, atque sui quoque carnificem & tortorem; sacerdos verò tanquam iudex Christi Domini verus minister audit, discutit, examinat, reprehendit, punit, sententiam profert, peccata prorsus condemnat, peccatorem omnino perimit vt dispereat, pœnitentem absoluit, Diuinæque gratiæ cumulatum & honoratum remittit muneribus: Deóque prius offenso, cuius honor læsus, cuius violata iura & leges fuerint, per confessionem pœnitentis, & per Christi merita plene atque integre satisfaciens debita cuncta persoluit. O vere maximum, & vtilissimum, & saluberrimum sacramentum! Sed huic sacrificio iustitiæ coniunguntur holocausta, seu holocaustum, & totum. Nam quemadmodum holocausto tota victima incendebatur, nec de illa quicquam omnino extra flammas, & cineres remanebat: ita perfectissima illa, quam Deus maxime acceptat, censetur peccatorum confessio, in qua non modò ipsa peccata prorsus abolentur ex anima, sed etiam tolluntur simul omnia tentamenta, occasionésque peccandi,

A confitente peccata, & occasiones tolluntur.

9. Si forte Nazaræus præsentia demortui pollueretur, iubebatur in lege non modò purificationem corporis illico asciscere, sed & capillos capitis iterum atque iterum radere. *Si mortuus fuerit quispiam coram eo, radet caput illico in eadem die, & rursum in septima, &c.* Num. 6. Facta quippe delictorum confessione, ablutáque anima, & gratiæ donis conspicua, restat etiam nunc nouacula, quæ radicem peccati euellat, capitis nimirum capillos abradat; nec enim initia fontésque scelerum, nec ipsorum cogitatus & affectus, nec tantula illorum vestigia, fila, technæque, quibus anima fuerat illigata, deinceps comparere debent. Ita iugulando delicta (inquit S. Hieron. *ad Psalm.* 50.) mactando vitia dignum Deo, acceptabiléque præparas holocaustum. sic ille. Itaque sacramentalis confessio

Numer. 6.

D. Hieron. Cur confessio dicatur holocaustum.

non qualecunque sacrificium esse debet, sed holocaustum, ex quo ne reliquiæ quidem vllæ mactatæ hostiæ supersint; scilicet non priora pericula, non occasiones, non affectus, non ipsa titillans cogitatio, non memoria. Talis oportet sit transmutatio peccatoris per pœnitentiam, qualem ipse Propheta expetebat. *Et mundabor, & lauabis me, & super niuem dealbabor.* Psal. 50. Estque petitio, vt S. Hieron. sic interpretatur: Tu Domine potens es peccatum piceum in lacteum candorem transferre: fuliginosissimúmque hebenum in crystalli fulgorem conuertere. sic ille. Ea sit in pœnitentis anima post confessionem puritas, vt in ea nec labes, nec næuus, nec fuligo, nec vllum vel tantillum signum prioris fœditatis appareat; sed ipsa vti lac albescere, vti crystallum fulgere videatur. Petit igitur (inquit ad eundem locum S. Chrysost.) vt noua vitæ ratio quamprimùm præbeatur. sic ille. in qua scilicet anteactæ mortis nulla vmbra, vestigiúmque appareat. Ad hanc tam eximiam cum vera pœnitentia prioris vitæ commutationem suis in lamentationibus Hierem. peccatricem animam hoc pacto inuitat: *Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini.* Thren. 2.

Psalm. 50. D. Hieron.

Mira per confessionē trāsmutatio.

S. Chrysost.

Thren 2.

Perfecta mūdities per cōfessionem.

Egregia sanè similitudine aquæ nostrum institutū ostenditur. Si aquam e vasculo effundas, aut nihil amplius pristini humoris relinquitur, aut si quid remanet, illico exsiccatur; nec in vase, quod aquam priorem suboleat, remanet. Est illa quidem expers odoris: aliter verò accidit in oleo, aceto, & quolibet alio liquore, cuius etiam effusi plurima supersunt & sentiuntur vestigia. Perfecta igitur ea censetur pœnitētia, talisque à Hieremia præscribitur; vt ante conspectum Domini ad pedes Confessarij totum ipsum cor, & quicquid in eo vitiosum est sic foras effundatur per confessionis sacramentum, vt in anima omnibus abluta sordibus ne vestigium quidem vllum ac signum pristinæ fœditatis relinquatur. Huiusce rei mysterium *Leuit. 6.* inuenitur: vbi scilicet iubetur: *Ista est lex hostiæ pro peccato, &c. Vas autem fictile, in quo cocta est, confringetur, &c.* Videas hinc qualem Deus exigat à pœnitente confessionem, quæ scilicet hostia est & sacrificium pro peccatis admissis: quanto etiam odio Deus purissimus turpitudinē scelerum nostrorum execretur. Non modò enim peccata vult concremari, sed ipsum quoque vasculum, quod sanguis victimæ pro peccatis attigerat, comminui & omnino dissolui, ita vt dispareat, præscribit. Tergendum scilicet in nobis est, & prorsus abolendum non modò peccatum ipsum, sed etiam quicquid reliquiarum illius nobis vnquam adhæsit. Quid quod ingressuris in terram promissam Hebræis iubetur à Domino: *Aras eorum subuertite, & confringite statuas, lucósque succidite, & sculptilia comburite. Quia populus sanctus es Domino Deo tuo?* Deut. 7.

Leuit. 6.

Peccatum, & illius vestigia abolenda.

Deuter. 7.

Quia nimirū Dei gratiam & sanctificationem suscepit in sacramento fidelis, conari omni ratione debet, vt peccata, & quicquid illa vel attingit, vel excitat, & in memoriā reducit, funditus destruatur. Delenda omnino est peccati, quod confessione pœnitens ab anima, sensuque & desiderio, atque affectu aboleuit, vel ipsa, ne perperā illiciat, recordatio. *Delebo enim memoriā Amalech sub sole*, ait Dominus, *Exod* 17. hostium videlicet spiritualium, aduertit Raban. Sic per cōfessionem peccata & perempta & sepulta sunt, sic procul ab illorum affectu aliena mens esse debet, ac si nunquam illa vel in cogitatu fuerint, vel in memoriam venerint. Etiam peccati memoria (quid de opere dixerim?) quàm exitialis fuit peccanti, tam detestabilis fiat oportet pœnitenti. Contra verò

Etiā peccati recordatio abolenda.

Exod. 17. Raban.

certum

S.Greg.Naz.

certum est, quod S.Gregor. Nazianz. scripsit: Nulla re Deus perinde delectatur, vt hominis, pro quo omnis sermo, & omnia mysteria, resipiscentia & salute. sic ille, *orat. in sanct. lum.* Iccirco Deus homo factus, & in cruce affixus pretiosum suum Sanguinem fudit, vt nos ablutis omnino scelerum sordibus mundos & conspicuos Diuino conspectui sisteret.

Sanguine Christi mundamur.

10. *Scrutare, quicquid tuorum apud me inueneris, aufer.*] Et quis obsecro tam nullius reatus conscius sibi, támque ab omni labe alienus, vt audacter dicat diabolo sub finem vitæ, in discessu, in fuga ab hac in alteram regionem, vbi sanctorum patria, vbi pater, vbi requies: Scrutare ô maligne spiritus, nihil tuorum apud me inuenies. Quàm beatus vir (ait S. Ambros.) in quo diabolus nihil offendit quod suum posset dicere, in quo inimicus nihil inuenit quod suum agnosceret. sic ille, 2. *lib. de Iacob cap.* 5. Sunt quidem peccata, quæ committimus, opera diaboli, quæ ille tentando malesuado illicio a nobis expromit. Ea demum in morte requirit, ea perscrutatur, ea inuenta necdum per pœnitentiam abolita diuino præsentat iudicio, vt propterea damnatos secum deuoluat in barathrum. Sed quis est, qui se tam liberum, purum, immunémque videat? Impossibile (adiungit S. Ambros.) videbatur istud in homine, sed typum gerebat eius qui dixit: *Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam.* Ioann. 14. In Christo (exponit ibid. S. August.) diabolus princeps tenebrarum non habebat quicquam: quia neque cum peccato Deus venerat, nec eius carnem de peccati propagine virgo pepererat. hæc ille, *tract. 79. in Ioann.* Insidiatur diabolus animæ, velut hostis vrbem obsidione premens; cúmque non inueniat quà sibi aditum aperiat, saltem iacit in altum, vt intro cadat, sagittam, scilicet prauam aliquam suggestionem, quæ cum fuerit in gehennæ incude instructa, peccati flammam possit concitare, concitatóque incendio tota queat anima conflagrare. Ab hac iniuria saluam & incolumem Dominus suam Hierusalem, dilectam videlicet animam reddit, vt prædixit Isaias: *Non intrabit rex Assyriorum ciuitatem hanc, & non iaciet ibi sagittam, & non occupabit eam clypeus, &c.* Isaiæ 37. contrà verò in Iuda proditore factum legimus. In primis enim scribitur: *Cum diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas.* Ioan. 13. deinde infrà dicitur: *Post buccellam introiuit in eum Satanas.* ibid. ad quem locum optimè commentatur Origenes hisce verbis. Obserua Satanam anteà non ingressum fuisse in Iudã, sed tantùm misisse in cor eius vt magistrum proderet, deinde post offulam introisse in eum. Quam ob rem caueamus & nos, ne quando diabolus in cor nostrum iaciat qualemcunque sagittam sui ipsius ignitam. Nam si iecerit, mox etiam obseruat tempus ingrediendi. hæc Origen. *in cap. 13 Ioan.* Primò quidem diabolus in animam iacit sagittam, deinde intrat clypeo tectus, tandem occupat; dominatur. Tota mali labes in sagitta fuit: muniendus omnis aditus ne intro incidat, admittatúrque suggestio, & praua cogitatio; ignem gehennalem in se conceptum gestat: quo, si exarserit, totus conflagrabit homo. Principiis obstandum: paulatim enim succrescens malum adeo fit robustũ, vt omnem eludat medicinam, omni conatui, viribúsque resistat. bene S. Ambros. Augetur (inquit) & cumulatur ipso vsu malitia, & est sine moderatione, sine fine. sic ille, *de fuga seculi cap.* 7. Accidit interdum, vt quis incautè, ac temere sese carnis turpitudini dedat corrumpendum. Grauis quidem morbus, sed initio, vbi proditur, vbi carcinoma erumpit; adhibitis serio ac sedulo remediis, sanari poterit. Quòd si malum diuturno vsu recrudescat; sic miseræ animæ dominatur, vt ne ipsius quidem Dei aut medicinam admittat, aut etiam recognoscat. Huiusce siquidem peccati vsu & affectu sæpè naufragium facit ipsa fides. Propterea minatur Dominus: *Visitabo super viros defixos in fæcibus suis, qui dicunt in cordibus suis: Non faciet bene Dominus, & non faciet malè.* Sophon. 1. Non quicunque peccatores ac libidinosi, sed quos ipsa peccandi consuetudo in foueam vsque adeo detrusit, vt luto ac sordibus operti iaceant, penitúsque inhæreant. Hi scilicet eò dementiæ sunt delapsi, vt (quò liberiùs peccent nullo timore perculsi) Dei prouidentiam negent. Sic enim explicat S. Hieron. Tollentes prouidentiam, nec boni nec mali Deum autorem esse dixerunt. Hoc est, quòd nec bonis bona, nec malis mala redderet. Sed quòd fortunæ cuncta regerentur arbitrio, & casu ferrentur incerto. hæc ille. Nec iam alicui mirandum illud videbitur, quòd plerique hæretici demum præcipitentur in atheismum: aut certè præ verecundia Deum inficiari non ausi, doctrinam sibi confingant, in qua & liberiùs peccatur, & leuiùs condonatur. Nimirum (ait S. Hieron.) hæretici in doctrinis dæmoniorum cauteriatam habentes conscientiam applaudunt sibi. sic ille, *in cap. 1. Abdiæ.* Fugiendum igitur maturè à Labano, cum peccato non diutius commorandum; nam ex longo vsu delinquendi valde homini difficilis & ardua penéque impossibilis (vt miseri etsi falsò dictitant) à sceleribus suis reddenda est resipiscentia.

Felix, qui purus in morte inuenitur.

S. Ambros.

Diabolus in morte tentator.

S. Ambros.

Ioann. 14.

Christus ab omni malitia immunis.

S. August.

Tentatio diaboli.

Isaiæ 37.

Ioan. 13.

Origen.

Suggestio tentatio diaboli.

Tentationis gradus.

Praua cogitatio ignem gestat inferni.

Obstandum initio mali.

S. Ambros.

Vsu crescit malignitas.

Sophon. 1.

Consuetudo peccandi fidem subuertit aliquando.

D. Hieron.

Heresis in atheismum.

D. Hieron.

Difficilis pœnitentia ex longo vsu peccandi.

11. Quàm rectè clauum suæ vitæ teneret ac regeret, quàm prudenter animæ suæ consuleret quisquis meditando secum crebriùs animo versaret extremum subeundæ mortis periculum: venturum scilicet diem, quo Labanus fugientem comprehendat, quo insperatus aduentens hostis sua omnia perscrutando inquirat, furta inueniat, idola repetat! At falsa vitæ voluptas mortis non sinit animo illabi recordationem: a sensibus quippe procul expellit quicquid vanam cordis lætitiam aut abigere possit, aut minuere. Sed audi quæso Prophetã: *Hæc ostendit mihi Dominus Deus: Et ecce vncinus pomorum. & dixit: Quid tu vides? & dixi: Vncinum pomorum & dixit Dominus: Venit finis super populum meum Israel.* Amos 8. Legunt LXX. *Vas aucupis.* Visco nimirum, aut laqueo volantes (declarat S. Hieron.) per aerem, & sublimiùs discurrentes ad terram detrahit aues. sic ille. Duplex innuitur similitudo à Propheta vncini pomorum & laquei alitum. Quoad priorem ita disserendum censeo. Arbor est in autumno pomis ad terram vsque onustas accedit quis, oblongum, pandum, & intortum hastile surrigit; prehendit hoc vel illud, quod lubet, pomum; calathóque infert. O miseram hominis conditionem! Sed ô miserrimam hominis stoliditatem! In sublimi quis vitæ, honorisque statu positus hærere se vtique firmiter & immobiliter existimat, longas fouet spes, multos in annos lætum se felicémque victurũ, vt ille qui ait: *Ego autem dixi in abundantia mea: Non mouebor in æternum.* Psalm. 29. Videtur Psaltes suam temeritatem incusare, quòd malè credidisset suæ abundantiæ, quam in omne æuum permansuram in eodem semper felicitatis statu (siue de humanis, siue de Diuinis, quibus frueretur, voluptatibus intelligatur) non rectè sibi persuaderet. Quæ quidem vox fuit in abundantia primi & felicis, & infelicis inter homines. sic enim adnotauit S. Hieron. Vox Adam in paradiso,

quia

Vtilis memoria extremi iudicij.

Amos 8.

D. Hieron.

Mortis insperatus aduentus.

Vana fiducia in vita & in honore.

Psalm 29.

Nihil in vita firmum.

D. Hieron.

A quia fine fide ibidem se putabat esse. sic ille. Huius dementiæ notantur ab Isaia, qui dictitabant: *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos, quia posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus.* Isai. 28. Stulti plane qui sibi à morte sicut à fure non timebant; non moriemur (aiebant) nisi fortè vnquam libuerit; non infernus, siue sepulchrum aut præpropere, intempestiuéque; aut incautos, furtim oppressos, ac nolentes intercipiet: pactum est vtrinque firmatũ, sanctéque seruandum: sepulturæ dabimur, cùm volemus. O barbaram temeritatem! ó stultitiam prorsus pecorinam! Et putant nihilominus suas non in mendacio spes esse collocatas: iungit

Isaiæ 28.
Vana vita securitas.

B enim S. Cyrill. Alex. particulam negatiuam cum sequentibus verbis. *Non posuimus in mendacio spem nostram, &c.* Dein ita commentatur. Quomodo non in mendacio spem suam posuerũt? Non enim erat penes eos vt possent effugere: sed in Diuinæ, & ineffabilis potentiæ, & excellentiæ potestate situm est sic ille. Putabant miseri Hebræi a suis pseudoprophetis illusi calamitates, quæ ab Isaia prædicebantur, illi populo euenturas, in longum diuturnúmque tempus adhuc procrastinari; sese verò interim satis magna & longa rerum omnium felicitate potituros. Morte siquidem (aiebant) calamitates, quæ contingent Hebræis, læta & facili morte præueniemus. ita Cyrill. Sed ó miseri, quibus quotidie repentinus superuenit interitus! Credunt morti, fidelem arbi-

S. Cyr. Alex.
Mors certa & incerta.
S. Cyr. Alex.

C trantur in pacto: at illa cum nemine fœdus percussit, nec (si percuteret) custodisset: non est pactum, non est pax cum morte; inducias aliquando mors, sed non diuturnas homini concedit. Flagellum inundans vocant illi, pertransiturum credunt, sero tamen, post longam scilicet felicitatem: quasi verò tempestas subito non passim incautos, & nihil tale opinantes opprimat nautas, & demergat. Quasi fur securò dormientem non intercipiat, non spoliet, non trucidet. Quasi ludentem in aqua pisciculum hamus piscatoris non capiat, aut sagena inuoluat. Quasi volantem libero aere non derepente auiculam comprehendat accipiter. Quasi garriens in arbusto auis sagittam effugiat. Quasi carduelis dulcicule cantitans, vbi forte

Nulli mors parcit.
Mors incautos opprimit.

D te considet visco illita virgula non frequenter illigetur, ac teneatur. Quæ fuit altera similitudo Prophetæ Amos. Nihil prorsus æque insidiosum, nihil etiam sic ineuitabile, atque mors homini. Lapis est, qui abscissus de monte sine manibus deuoluitur subito casu, & vanitatis statuam, luteam scilicet, percutit, & comminuit. *Dan.* 2.

Mors inopinata.
Dan. 2.
Theodor.

12. Hinc Dauid (vt loquitur Theodoret. visionem Danielis præmissam interpretans) humanæ tranquillitatis arguens vanitatem *Verumtamen* (inquit) *in imagine pertransit homo.* Psalm. 38. Itaque præsens etiam vita celerrimas habet mutationes; mortalia enim omnia, quę videntur, ad exiguũ tempus permanentia fluxa sunt & caduca; & ima-

Psalm. 38.
Vita humana breuis & inanis.

E go rerum vim haud continet; sed solas regum ac principum, illisque subiectorum figuras ostendit: & ipsa quoque figura facillimè dissolui potest. hæc ille. Vas quidem illud aucupis (iuxta versionem LXX. vti præmisimus) de quo supra locutus est Amos *cap.* 8. nec reges, nec ipsa illorum regna, nec vllus denique mortalium effugiet. Omnia siquidem orta occidunt, & aucta senescunt, & senescentia demum pereunt. Volat quis ambitionis affectu delusus per aëra sublimium sibi rerum spes animo confingens, fortunæ subuectum se ferri alis mundo ipso celsiorem arbitratur: at non inde

In mundo figura rerum non res ipsa.
Amos 8.
Morti obnoxia cuncta.

A inferiùs despicit vas aucupis, mortis laqueum, scilicet morbum aliquem prorsus lethalem, qui hominem certo ac diuinitus statuto die comprimet, compressum discruciabit, perimet denique ac tumulabit. Pulchre & commode illud Oratoris licebit ad demonstrandum istius aucupis, mortis nimirum, fallaciam repetere. O fallacem hominum spem, fragilémque fortunam, & inanes nostras contentiones, quæ in medio spatio sæpe franguntur, & corruunt, & ante in ipso cursu obruuntur, quam portum conspicere potuerunt! M. Tull. 3. *de orat.* Falce sua, quam nullus mortalium euadit, nunc florescentem, nunc maturescentem, interdum etiam iam maturam, fructúque prægrauidam ambitionis, consilij, solicitudinis, spei, ac fi-

Ambitiosos manet mors.
M. Tull.
Mortis falce præciditur ambitionis seges.

B duciæ, præcidit mors segetem: nec proinde qui supersunt, quotidianas tragœdias spectantes, humanam deplorant calamitatem, & rerum in mundo expendentes inconstantiam, sese morti venturæ præparant, & ad immortalem sempiternámque beatitudinem animos studiáque conuertunt. Sedula mortis, iugique recordatione cum bona corporis terræque despiciuntur; tum animæ, cælique dona æstimantur, & auidissime comparantur. Idcirco Spiritus sanctus hoc suæ Sponsæ per Angelos, hoc est, prædicatores fabricandum indixit ornamentum. dicebant illi: *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argẽto.* Cant. 1. O nouum & inauditum ornamentum: inaures argenti cum vermiculis! *Cum punctis argenti.* legunt alij. Et

Vtilis recordatio mortis.
Cantic. 1.
Vermes cadaueris sepulti.

C quosnam alios dicam vermiculos, nisi qui de cadauere sub terram sepulto, ac tabe saniéque diffluente subnascuntur? Puncta hic habes, & vermiculos. Nec enim inter nos sine instar argenti pulchros, & omni ornatu speciosos, opibúsque opulentos, atque inter mortem, sepulturam, vermes ac saniem maior quàm puncti distantia intercedit. Puncto miseri distamus à morte, à vermibus, a sepulchro. O egregium animæ ornamentum, copiosum lucrum, thesaurum opulentissimum; ipsam cuique suæ mortis recordationem! Hæc vna frænare quis poterit lasciuientis carnis appetitiones, cohibere motus; & quascunque mœrentis animi ægritudines mitigare. Quod sanctissimus Iob de seipso his verbis profitetur. *Pu-*

Puncto à morte distamus.
Mortis recordatio animæ ornamentum.

D *tredini dixi: Pater meus es; mater mea & soror mea vermibus.* Iob 17. cuius loci eruditissimam habes expositionem apud nostrum Pined. Sed ad præsens institutum satis est, quod Origenes ad hæc eadem verba ita commentatur: Vt pueri parentes habent consolatores: sic ego mortem & putredinem. hæc ille. Non solùm quidem aiebat Iob in morte atque in sepulchro veluti puerulum aut timore perculsum, aut dolore queritantem, aut deambulando fessum ac lassatum, aut fame sitique enectum, in parentum vlnis demum quiescentem, sese ita vitæ suæ labores, corporísque ærumnas & dolores dulci quodam fine depositurum: sed etiam quicquid in vita vel animum vel corpus percelleret, sola mortis suæ recordatione

Iob 17.
Origen.
Morte quiescunt mala.

E temperare consueuisse. Quamobrem inquit Iob: *Mors mihi & sepulchrum, parentes sunt.* Plorat infantulus, nec sibi misellus temperat à lacrymis, nisi cum à matre in sinum excipitur, ac fouetur: ibi dolor finitur, siccantur oculi, quiescunt lamenta. Sic planè quæcunque vel carnis, vel auri cupiditas, quæcunque inuidiæ, iracundiæve furor, quælibet honoris ambitio, aut corporis ægritudo, molestia, despectus, miseria, ærumna; cum ad mortis recordationem confugio, ibi comprimitur, silet, omninóque disparet.

Passiones mitigantur morte.

13. Porrò autem etsi grauis sensus mors homini sit,

Mortis dolor ob separationē amantium.

S.August.

sit, eò grauior habetur, quò dulciora erant pignora, quæ per mortem dissociantur. Iccirco & qui abit, & qui relinquitur ob huiusmodi discessum, & mutuam separationem vehementer dolent, & anguntur. Quo in argumento hæc scribit S. August. Necesse est, vt tristes simus, quando nos moriendo deserunt quos amamus: quia etsi nouimus eos non in æternum relinquere nos mansuros: tamen mors ipsa, quam natura refugit, cum occupat dilectum, contristat in nobis ipsios dilectionis affectū. hæc ille, *serm. 32. de verbis Apostol.* Vehemens quidem dolor mortis corpus occupat: vehementior animos discruciat, cum necesse est illi per mortem separentur, qui præ amore in animam vnam coaluerant: ac proinde iustus est dolor; meritò vtrioque defletur, cum ita & relinquitur & amittitur, quod in vita diligebatur. Sed audi quæso S. Bernardum in obitu fratris sui Gerardi lamentantem.

S.Bernard.

Vehemēs dolor in morte ob amorem.

Cur quæso aut amauimus, aut amisimus nos? Cùm ergo essemus cor vnum, & anima vna; hanc meam pariter, atque ipsius animam pertransiuit gladius; & scindens mediā, partem locauit in cælo, partem in cœno deseruit. Ego ego, illa portio misera in luto iacens, trūcata parte sui, & parte potiori, & dicitur mihi. ne fleueris: auulsa sunt viscera mea à me, & dicitur mihi: ne senseris? hæc Bernard. *serm. 26. in Cant.* En quid grauius & acerbius esse potest huiusmodi animarum, aut veriùs, vnius animæ diuisione? Amauimus (inquit idem) nos in vita: quomodo in morte sumus separati? amarissima separatio, & quam non posset omnino efficere, nisi mors: omnino opus mortis, horrendum diuortium. Quis enim tam suaui vinculo mutui nostri non pepercisset amoris, nisi totius suauitatis inimica mors? Bene mors, quæ vnum rapiendo duos furiosa peremit. hæc ille.

S Bernard.

Amori mors inimica.

Hinc certè dixeris felicem, qui non aut Gerardum, aut Bernardum (dulcia charitatis vincula) morte amiserit: sed à Labano abscesserit fugiendo, aut à Labano prorsus deseratur; nimirum suauissima iusto viro mors contingit, cum & mundum & quicquid in mundo erat, nec in vita diligebat, nec in morte dolet, quod amittat. Felicissimus profectò Gerardus, felicissimus pariter quicunque post fugam à seculo, post spretam & relictam Labani domum, Diuinis tantùm bonis intentus ad præsentiam Dei sui, quem iam in spe, & paulò post in re possidebit, cantando moritur, & moriendo cantat: *In manus tuas Domine* I E S V *commendo spiritum meum.* Psa. 30. Ea quidem mors plus vitæ, quàm mortis habet. *Vox illa illuminatio in delicijs hominis est.* Psal. 138. Quid suauius quæso, quid (liceat dicere) deliciosius, quàm quod nuper vidimus? Laborabat iam sub mortem adolescentulus ea nostris tyronibus vnus Conimbricæ: Sentiens ergo tandem anima linqui; accersiri omnes socios ad campanę sonitum fecit: circunstantibus, & de more (vt fit) sanctéque orantibus omnibus: Date (inquit) in manus I E S V M Dominum cruci affixum: assumptum dulciter affatur: Domine I E S V hanc ego tuam crucem, tuam nauim tecum simul conscendo in æternitatem. Hæc dicens expirauit. Pretiosa quidem, paritérque deliciosa mors sanctorum Domini.

Felix qui sine amore mundi viuit, & moritur.

Dulcis mors iusto viro.

Psalm. 30.

Eccles. 138.

Mala malorum mors.

14. Non sic impij, non sic, tam securi, tam quieti, tam læti moriuntur. Nec immeritò. *Noluerunt siquidem.* (vt Propheta deflet) *attendere, & verterunt scapulam recedentem* (LXX. dederunt dorsum contemnens) *& aures suas aggrauauerunt, ne audirent: & cor suum posuerunt vt adamantem.* Zach. 7. Hęc est impudētia peccatorum, hæc est in sceleribus obstinatio, hæc Dei obliuio, & contemptus impiorum, dum viuunt: sed audiant quid illos maneat supplicij. *Et facta est indignatio magna à Domino exercituum. Sic clamabūt, & non exaudiam, &c.* Zachar. Iccirco (interpretatur S. Hieron.) ad magna peccata, magna facta est indignatio, & Domini verba completa sunt par pari referentis: vt sicut illi ambulauerunt ad eum peruersi, & ipse aduersum eos peruersus incederet, & non audiret verba inclamantium; quia & illi verba Domini surda aure contempserint. hæc S. Hieron. Heu te miserum, quisquis dum viuis Dei verba contemnis! Nam si vociferantem in morte, si gementem, si vndique corporis doloribus, angustiis animæ, cruciatibus conscientiæ, ac dæmonum oppugnantium & ad desperationem compellētium insultibus, ac violentiis afflictatum, barathrúmque ante oculos positum circunspectantem, Deus natura bonus & clemens non te exaudit, non te nouit, sed prorsus derelinquit, ac nescit: quis quęso alius tui miserebitur? audi ergo in vita Dominum bona consulentem: vt te in morte exaudiat pro sceleribus tuis veniam ab illo deprecantē. Sed quanta quæso confusio peccatoris, cum ante iudicis supremi tribunal pro suis delictis rationem reddet seuerissimam? Bene Guarricus Abbas hac de re ita loquitur. Fugiebat Adam vt absconderetur à Deo post vnius pomi vetitum gustum. Quid nos post tanta flagitia, post tanta facinora faciemus? sic ille, *serm. de deuot.* Acerba nobis in morte fient, quæ in vita sentiebantur leuia & dulcia. Vbi legimus ca. 2. Nahum. *Non est finis diuitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus. Dissipata est & scissa, &c.* Sermo propheticus est de Niniue fūditus euertēda. Legunt LXX. *Aggrauata est super omnia vasa concupiscentiæ suæ, &c.* S. Hieron. interpretatur locum de peccatore ad hūc modum: Niniue quantò plus habebat, tantò magis ipsa aggrauabatur, quæ grauia diligebat. Vnde & iniquitas in Zachar. super talentum plumbi sedet. *cap. 5.* Ægypti peccatis graues demersi sunt in mare vt plumbum. *Exod.* 14 Et ex persona peccatoris dicitur in Psalm. 37. *Quasi onus graue grauatæ sunt super me.* Et Petrus, qui antè leuis pēdulo gressu calcabat vndas, postquam infidelitate aggrauatus, vorabatur à fluctibus, manu Domini subleuatur. hæc S. Hieron. Itaque peccata, quæ homini videbantur desiderabilia, & vasa concupiscentiæ; sub mortem misero æstuanti videri solent horribilia, & vasa (vti erant) abominationis. Et quæ despiciebantur vti leuia, & prope nihil (bibit enim peccator iniquitatem velut aquam; & pro risu ac nuga peccatum etiam lethale ducit) vti plumbum, immaniáque rupium saxa morienti apparent. Quid ergo restat, nisi vt infelix peccator grauatam oneribus delictorum gestans animam, Diuini iudicij, furorísque haustus pelago in gehennæ profundum præcipitetur: iuxta illud: *Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis?* Exod. 15. Sola Dei manus hominem terrore perculsum, peccatíque pondere grauem extrema illa tempestate opprimendum, & gehennalium incendiorum vorandum vorticibus tenere, liberaréque poterit.

Zachar. 7.

D.Hieron.

Deseritur à Deo impius in morte.

Graue Dei iudicium peccatoribus.

Guarricus.

Nahum 2.

S.Hieron.

Zachar. 5.

In morte peccata grauia & acerba videntur.

Exod. 14.

Psalm 37.

Math 14.

Peccata in vita videntur leuia.

Condemnatio peccatoris.

Exod. 15.

15. Pulchrè ad præsens institutum ex regio Vate illud repete: *Cur timebo in die mala? Iniquitas calcanei mei circundabit me.* Psalm 48 Sed quænam ista est iniquitas calcanei? Facilis in præsentia hic venit explicatus de leui quocunque peccato, aut certè (quod verius dixerim) de illo, quod vel præ ignorantia supina, vel impudentia temeritaréque nostra non pensi habemus, sicut aquam bibimus, sine vllo grauamine conscientiæ, absque Dei & hominum timore ac reuerētia tum perpetramus,

Psalm. 48

Peccata ve-nali habita iniurgent in morte.

tum etiam patratum quasi ludibriũ ac risum æstimamus; ne propter illud erubescamus, timeamus, & sacramentum pœnitentiæ ad veniam & resipiscentiam quæramus. Vt enim quæ calcaneo contingimus, nihili ducimus, extra oculos, memoriámque habemus: sic nonnulla sunt (licet alioqui grauissima) scelera, quæ vel ex affectu præposteto, vel ex consuetudine ipsa nihil non facile ac leue nobis reddente, nihili æstimamus, & prorsus obliuioni tradimus. Hæc igitur sub mortem imminente iam Dei iudicio, cui præsentandi erimus, velut de calcaneo, loco scilicet insperato, minimè præuiso, vbi vel occulta, vel sepulta delitescebant, insurgent in aciem, & moribundum circundabunt, moréque serpentis in spiras adglomerati miserrimum peccatorem circumplexum, & circumligatum discruciabunt. O stolidam planè hominum temeritatem! Sed ô deplorandam calamitatem! Grata dum viuimus, & iucunda videntur; rosæ, florésque aut etiam poma, & bellaria iudicantur nostra scelera, peccandi occasiones, ipséque vsus, consuetudo, & illecebra peccatorũ: at sub mortem mutantur in absynthium, conuertuntur in aculeos; quin etiam (opportunius loquar) spinæ appatent sine fuco, sine melle, quo à veteratore ad nostram perniciem illitæ obiiciebantur. Compunctus hoc ipso aculeo diebat pœnitens ille peccator: *Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Psal.* 31. Rosa mihi videbatur meum illud adulterium cum vxore Vriæ: potitus concupita voluptate, qua mihi dulcius nihil putabam, malo suhinde meo didici quam falsa mendáxque fuerit illa dulcedo, quam mille secutæ sunt amaritudines, quæ tãdem Dauidis animum grauiter esedentes, ad pœnitentiam & Dei gratiam conuerterunt. Sed accipe Theodot. paraphrasim huius loci. Non iniusta, ô Domine, castigatio tua est, sed admodũ iusta. Nam causa malotum peccatũ fuit, quod veluti vuam dulciter produs pungor autem semper ab ipsa. Spinam enim peccatum nominauit, tanquam inutile germen, & ad pungendum natum. sic ille. S. Hieron. de conscientiæ stimulis animam peccatricem perpungentibus locum intelligit. Conuersus (inquiens) sum in assidua tribulatione flagellorum meorum, dum mihi configitur stimulus conscientiæ peccatricis. sic ille. Similiter S. August. Conuersus sum in ærumna mea, factus sum miser, confixa est mihi spina, compuncta est conscientia mea. Igitur datus est ei sensus doloris, inuenit infirmitatẽ suam, &c. sic ille. Falsa est in peccato voluptas, veri sunt dolores Nouerint amatores mũdi, quoniam: *Vna eorum vua fellis, & botri amarissimi. Fel draconum, vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Deuterou. 32. Percommodè quod S. Ambros. ad hæc ipsa verba de vini ebrietate interpretatur, in peccati voluptatem ita conuerte: Quid te delectant damna sine gratia? Cibos promis, tormenta irrogas. Vina prætendis, venena suffundis: omne enim, quod nocet, venenum est. Dicitur *insanabile.* Multi enim reliquorum serpentium veneno curantur, nemo voluptate. hæc Ambros. *lib. de Helia & ieiun. c.* 14. Vulgo teritur illud ex Quintiliano: Nemo vult in amore sanari, &c. Ægritudine scilicet plerique viuunt contenti sua; suas amant vomicas; sua fouent ac nutriunt vlcera: sua morte viuunt miseri.

Vaisa peccati dulcedo conuersa in amaritudinẽ.

Psalm. 31. Peccatum, & dolor Dauidis.

Theodor.

Peccatum ad pungendum natum. S. Hieron.

Stimulus conscientia. S. August.

Veri in peccato dolores.

Deuter. 32. S. Ambros.

Vol ptas malum insanabile.

Quintilian.

16 Scrutatur efferus & barbarus homo Laban vniuersa supellectilia Iacob cum graui sane periculo eorum, apud quos suum quidpiam reperiret. Ah quantò grauius subibit discrimen ille, cuius vitam censor seuerissimus, æquissimúsque iudex

De iudicio scrutum, & examen.

A viuorum & mortuorum Deus perscrutabitur? Sic enim minabundus edicit: *In tempore illo scrutabor Hierusalem in lucernis, & visitabo super viros defixas in fæcibus suis, &c.* Sophon. 1. Scrutabitur (exponit S. Hieron.) Dominus cum lucerna omnia abscondita, & nullum inultum patietur effugere. sic ille. Quid obsecro Dei oculos latere, quid illius tam sedulam effugere poterit inquisitionem? Scrutabitur, & cum lucerna, seu potiùs (vt vulgata legit) in lucernis. Quæ tam diligens scrutatio; támque seuera inquisitio, vbi Deus inquirit & scrutatur, adhibétque ad rimanda omnia non modo oculos, sed etiam lucernas? Hoc scilicet (animaduertit Theodoret.) posuit ex metaphora eorum, qui lucerna vtuntur ad rerum perditarum inquisi-
B tionem, non priùs discedentes, quàm inuenerint. Nullus ergo ex his, qui malefici} conuicti sunt, & rei peracti, euadet quin mulctetur. hæc ille. Sed quænam istæ res sunt perditæ, quas in lucernis Dominus inquiret? haud dubiè illæ sunt animæ, quæ de felici puritatis & gratiæ statu delapsæ in stercora suorum scelerum, longo tempore Deum oblitæ, in turpissimo volutabro iacuerunt. Vocat defixas in fæcibus suis: vnde nulla vi naturali, sed sola Diuinæ gratiæ omnipotẽtia extrahi possunt. Est quidem præsens locus de vltimo generalique iudicio, vti explicat S. Hieron. Tunc (inquiens) in lucerna sermonis sui atque rationis omnia vitia scrutabitur Dominus, & in medium proferet: & de ocioso quoque verbo fiet iudicium & vindi-
C cta. sic ille. Pende quæso *defixas in fæcibus suis*, à L X X. dici *contemptores*, qui scilicet contemnunt custodias suas. Id est (inquit S. Hieron.) mandata Domini contempserunt. In consummatione autem mundi, quia dies Domini ipsa intelligitur, scrutabitur Dominus, & vlciscetur super contemptores, &c. sic ille. Qui enim obruti cœno iacent, aut Deum contemnunt, aut prorsus nesciunt, tollentes prouidentiam, vt statim subiungit Propheta: aut etiam contemnunt custodias suas, nimirum Angelos qui hominum custodes; qui grauissimè offenduntur (cùm sint ipsimet purissimi, atque puritatis amatores) quòd homines, quos ipsi custodiunt, sine vllo Dei atque Angelorum
D respectu ac timore, fœdissimis sese inferant, atque obruant sceleribus. Hi enim vel leuiore hominis labe quantum lædantur, ex illo Apostoli ostenditur: *Ideo debet mulier potestatem habere supra caput propter Angelos.* 1. Corinth. 11. Potestatem vocat velamen, vt multi etiam legunt. Velamen siquidem mulieris, quo caput obuelat, signum est subiectionis ad virum, atque adeò potestatis, quam vir habet in mulierem, vt S. Thom. & alij communiter interpretantur. Inuelato capite ne assistat mulier in Ecclesia, sed se subiciat; se ipsam (explicat Theodoret.) contrahens propter Angelos qui præsunt hominibus. sic ille. Si igitur mulier subiecta, humilis, non pompa vanitatis capillaturam ostentet, faciem explicet, oculos quoquouersum incautè ac lasciuienter eiaculetur, maximè in tem-
E plo, vbi Diuina mysteria peraguntur: ne scilicet aliquali vel lasciuia, vel lasciuiæ vmbra offendantur obtutus Angelorum. Primò quidem intelligitur (inquit S. Thom.) de ipsis Angelis cœlestibus, qui conuentus fidelium visitare creduntur, præcipuè quando sacra mysteria celebrantur. Et ideò tam mulieres, quàm viri ad reuerentiam eorum honestè & ordinatè se debent habere, secundum illud Psal. 137. *In conspectu Angelorum psallam tibi.* hæc S. Thom. Ad hoc videlicet in templum fideles Christi venimus, vt (quod hic subnotauit Theodoret.) Angelos Deo concinentes imitemur sympho

Sophon. 1. S. Hieron.

Theodor.

Quæ sunt animæ perditæ. Perseuerare in peccato.

S. Hieron. Iudicij vniuersalis exacta inquisitio.

D. Hieron.

Impuri Angelos grauiter offendunt.

1. Corinth. 11 Velamen mulieris signum subiectionis.

Theodor. Mulierũ modestia maximè in templo.

S. Thom. Angeli in templo.

Psalm. 137.

Theodor.

A ſymphonia Spiritus. ſic ille. Sed quæ tanta debet eſſe hominis puritas, vt innexus Angelorum choris Dei laudes emoduletur? Grandes quidem poſt pœnitentiam progreſſus ſecerat Dauid, qui cùm antea dies noctéſque pœnitentiæ lamenta protulerit, iam nunc purioris conſcientiæ laude conſpicuus, inter Angelorum choros Deum feſtiuo ac dulci concentu percelebrare mereatur. Quo in ſenſu hæc obſeruat S. Hieronym. Vide profectionem pœnitentis: quia poſt confeſſionem & pœnitentiam cum Angelis meretur pſallere. Qui autem pſallit, iam non agit pœnitentiam; ſed gratias agit, & benedicit. ſic ille.

Puritas hominis in templis.

D.Hieron. *Poſt pœnitentiam qualis profectus.*

B 17. Scrutatur Laban quicquid in comitatu, & ſupellectili eſt Iacob, num aliquid ſuum inueniat, furtíque arguat & puniat raptorem. Et quis non timeat Dei iudicis ac punitoris perſcrutationem, cùm ſcilicet quæ in vita homini videbantur minuſcula, feréque nullius momenti ſcelera, ſub mortem in diuino iudicio ſeſe efferent immania, prodigioſa, & (vt ita dixerim) gigantea delicta? Dici poteſt illud Ezechielis homini peccata ſua veluti paruula & nihili æſtimanti. *Subuerſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas*. Ezech. 2. Et miſer quidem arbitratur pulices, aut ſummum formicas: ne dicam aut flores pratorum, aut nemorum auiculas ad aſpectum, & auditum gratiſſimas. Nimirum miſera peccatoris anima, dum vitam in peccando conterit, quibus cum monſtris C habitet, quos hoſtes ſecum habeat immanitate gigantes, atrocitate leones, tabie venenóque dracones, nec inſpicere, nec dignoſcere poteſt, vtique cimmeriis inuoluta & ſubmerſa tenebris. Veniet igitur extrema dies, & puteum ac ſpeluncam propriæ conſcientiæ immiſſus à diuino ſole radius illuſtrabit: apparebunt ſubuerſores, qui putabantur amatores. Sciet miſerrimus peccator ſe in vita cum ſcorpionibus habitaſſe, qui ſub floribus deliciarum abditi deliteſcebant. Et quis non timeat, ſi nouerit ſe cum ſcorpionibus habitare, eoſque diſpiciat? Quid quod etiam cùm immaniora, tum plura ſeſe obiicient peccatori iam moribundo, quæ viuo & minora & pauciora cenſebantur? Vnum vel alterum ſe commiſiſſe putabat lethale crimen, at in morte inſurgent millia faci- D norum. Audi Oſeam: *Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ*. Oſeæ 10. Sed quid ait Propheta? Nonne Bethauen eadem, quæ Bethel? *Et in Bethel poſuit Ieroboam vnum vitulum aureum, & alterum in Dan*. 3. Reg. 12. Cur ergo plures dicit Oſeas, & vaccas, non vitulos? Blanditur ſibi quidem peccator ſe vix vnum colere vitulum, nec taurum aut bouem grandiuſculum: at inueniet infelix numeroſa vaccarum fœtarum armenta, quæ quotidianis partubus ingentia enituntur vitulamina: non vnum tantummodò idolum, ſed copioſam idolorum ac vitiorum multitudinem conuincetur in E Diuino iudicio ſe in vita coluiſſe peccator. Profectò ſi quis hanc ſuæ mortis extremíque Iudicij animo viuam & iugem perpetuò habuerit recordationem, peccatorum illecebris aut non pertentabitur, aut certè nequaquam euincetur. Bene S. Gregor. Nyſſ. Si hæc (inquit) ſecum quis animo reputabit, nunquid iucundè viuet? ſic ille, *lib. de Virgin. cap. 3. O mors, quàm amara eſt memoria tua?* Eccleſiaſt. 41. Cùm ergo vel ipſa tantum recordatio mortis amara ſit: proculdubio ſi vel tantulum huiuſce amaritudinis ſuper carnis voluptates, malæque dulcedinis irritamenta effundatur: non iſto fuco, & illicio anima perpungetur verſans nimirum cogitatione tandem omnia etiam lætioris vitæ oblectamenta in mortem, in ſepulchrum, in

Ezech. 2.

Peccata in morte gigantes & monſtra.

Peccata ſcorpiones non flores.

Oſeæ 10.

3. Reg. 12. *Plura & grandiora apparēt in morte peccata.*

Vtilis recordatio extremi iudicij.

S. Greg. Nyſſ.

Eccleſ. 41. *Mortis recordatione tolluntur peccata.*

A vermes & purulentam cadaueris ſaniem deuentura. Sed heu me miſerum! longè amarior eſt memoria rationis extremo in iudicio reddendæ ſupremo Iudici! *Horrendum quidem eſt incidere in manus Dei viuentis*. ad Hebr. 10. Quanto enim (apponit S. Thom.) iudex iuſtior & fortior eſt, tantò magis timendum eſt. ſic ille. Quid ergo miſero peccatori fiet? Confide quiſquis es: Aduocatam habemus apud Iudicem, vtique Matrem Iudicis. Mater etiam eſt & peccatorum & miſericordiæ. Quam ob rem, quia Mater peccatorum, pro illis materno affectu vehementer atque infatigabiliter intercedet; & quia Mater miſericordiæ, lætabitur ſi miſericordiam impetret, nec ſce- B leribus noſtris cùm ab interpellando, tum à miſerendo retardabitur. Et quia Mater Iudicis, quàm ſuauiter, tam fortiter veniam nobis impetrabit. Quid enim ſuæ Matri ſanctiſſimæ tam iuſta petenti Iuſtus & miſericors Iudex Filius denegabit? At ſunt grauiſſima, ſunt innumera, quæ contra Deum commiſimus, quorum ſit reddenda Iudici expoſcenti ratio. Bene quidem: ſed cuncta illa, & plura etiam, & grauiora Matris Dei vox vna obliterabit. Cùm legiſſet Alexand. Magnus prolixam Epiſtolam ab Antipatro ſcriptam, in qua multæ inerant aduerſus Olympiadem calumniæ: Ignorare videtur (inquit) Antipater, quòd vna Matris lacryma multas delebit epiſtolas. ſic apud Paul. Manut. *apophth. lib. 3. verb. Alex. num.* 55. Ac- C cuſent igitur hominem acerrimè cacodæmones, proferant illius ante Iudicis tribunal infinita ſcelera; clamet aduerſus miſerum ipſa, quæ vices ſubit carnificis, propria conſcientia: vindictam exigat Diuina iuſtitia: profectò vna tantùm Deiparæ Virginis interpellantis vox; vna tantùm Deiparæ commiſerentis lacryma totum delictorum noſtrorum obliterabit chirographum, à Filio ſcilicet Iudice & pœnitentiam peccatoribus, & veniam peccatorum impetrando.

Ratio reddenda in iudicio extremo.

ad Hebr. 10. S.Thom.

B. Maria peccatorum Aduocata.

Vis impetrandi B. Mariæ à Filio iudice.

Paul. Man.

Efficacitas B. Mariæ pro peccatoribus interpellātis.

SECTIO.

D *Hæc dicens, ignorabat quod Rachel furata eſſet idola. Ingreſſus itaque Laban tabernaculum Iacob & Liæ, & vtriuſque famulæ, non inuenit. Cúmque intraſſet tentorium Rachelis, illa feſtinans abſcondit idola ſubter ſtramenta cameli, & ſedit deſuper: ſcrutantíque omne tentorium, & nihil inuenienti, ait: Ne iraſcatur dominus meus quòd coram te aſſurgere nequeo: quia iuxta conſuetudinem feminarum nunc accidit mihi. ſic deluſa ſollicitudo quærentis eſt.*

E

1. IGnorabat.] Damnandum indixit Iacob, qui de ſuo comitatu Labani ſurripuiſſet idola. Cautiùs profectò debuiſſet loqui; nec ſe tam facilè ſuorum bonæ opinioni credere. Fallit ſua quemque ſæpiùs fiducia. Latet anguis in herba, quem non introſpicias: interdúmque ſub Philoſophiæ pallio aut vanitatis, aut ſtultitiæ, aut etiam turpitudinis monſtra deliteſcunt. Raptorem idolorum morti addicit Iacob: ignorans quòd Rachel furata eſſet idola, chariſſimum iſtud caput in diſcrimen mortis adducit. Neceſſaria quidem eſt ad cauendum in nobis, & in noſtris vitium diligentia & vigilantia: ſed nulla tamen ſatis. Plura ſunt quæ ſubterfugiunt, quàm quæ prodeunt. Grauiora nos latent, quàm quæ ſciuntur. Ratus eſt inter

Latent in nobis peccata.

Pater sine sensu ad filiorum delicta.

parentes, qui ad filiorum errata non cæcus, non surdus sit. Iam foras prodierunt, iam in vicinia, imò & in plateia prędicantur, cantantúrque etiam tuorum filiorum ac filiarum lasciuiæ, intemperantiæ, infamiæ: at tu miser deménsque pater nec oculos vt monstra videas; nec aures vt clamores percipias; nec mentem vt te tuósque dispicias, habes. Optimè S. Hieron. animaduertit: Solemus mala domus nostræ scire nouissimi: ac liberorum & coniugum vitia vicinis canentibus ignorare. hæc ille, *epist. contra Sabinianum.* Quæ incuria & conniuentia cum sit in alijs valde damnabilis, tum præcipuè dedecet rectorem Ecclesiasticum à quo maior exigitur circa subditos vigilantia. Nimia quidem censura, nimia cura & perscrutatio damnosa est, quia ne quid nimis. At nulla tamen maiorem solet importare perniciem. Quapropter modum in vtroque præscribit optimum S. Bernard. ad Eugenium Papam ita scribens: Multa nescias, plurima dissimules, nonnulla obliuiscaris. Sunt tamen, quæ ignorare te nolim, mores quorumcumque & studia. Non oportet vt vitia domus tuæ vltimus scias: quod quamplurimis nouimus contigisse. hæc ille, *lib. 4. de consid.* Exercitum hac prudenti cura domesticorum censebat Apostolus dignum, qui ad Episcopatum deligeretur; ait enim: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, &c. suæ domui bene præpositum, &c. Si quis autem domui suæ præesse nescit; quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* 1. Timoth. 3. Bona quidem consecutio ex domesticis ad extraneos; ex cura patrisfamilias ad regimen Episcopatus. Nam (vt hoc loco Theod. obseruat) qui parua nescit administrare; quomodo poterit ei credi cura præstantiorum ac Diuinorum? sic ille. S. Hieron. ad operis difficultatem argumentari putat Apostolum hoc modo: Hinc eius diligentia comprobatur, si filios in castitate & humilitate nutriuit. Si enim filios suos erudire nesciuit, quomodò tantos Dei filios gubernabit, quorum mores secundùm numerum sunt diuersi? sic ille. Pauculos quidem regit paterfamilias, plurimos Episcopus moderatur. Ille filios suos, quos amare solet: iste filios Dei (vti apposuit S. Hier.) quos etiam obseruare, ac revereri debeat. Videat nunc Prælatus qualem se præstare subditis oporteat: an eos despicere, conculcaréque deceat: imò, an liceat. Filij Dei, filij regis æterni sunt, quos summa cum reuerentia tractari à pædagogo, à nutritio, à seruo necesse sit.

D Hieron.

Moderata vigilantia & censura Prælati.

S. Bernard.

1 Tim. 3.

Difficile munus Prælati.

Theodor.

D Hieron.

Subditi à Prælatorum reuerentia tractandi.

2. Deinde S. Doctor ex iisdem Apostoli verbis argumentum ducit ad fiduciam, adiungens: Vel quâ fiducia qui indisciplinatos habet filios, audebit exigere disciplinam? sic ille. Nam quo se ore audeat Episcopus Christi gubernare familiam in omni castitate ac modestia, qui suæ familiæ turpitudines aut supina ignorantia nescit, aut cognitas & perspectas stulta quadam dissimulat negligentia: Audiet ergo: Medice cura teipsum, tuósque. Rectè S. Bernard. familiæ curam Prælato digniorem quauis alia censet, ita scribens ad eundem Pontificem: Alius alia dispenset: de disciplina tu prouide, istud nemini credas. sic ille loco supra indicato. Vniuersim dico Prælatum non tam honoris, quàm oneris causa fuisse electum. Optimè quidem idem Bern. ad Eugenium eundem scribit quorsū præsideat in Ecclesia Christi. Blanditur (inquiens) cathedra? Specula est. Enimuerò prospectus iste procinctum parit, non otium. Quando libet gloriari, vbi otiari non licet? Nec locus est otio, vbi sedula viget solicitatio omnium Ecclesiarum. sic ille, *lib. 2. de consid.* Idem eleganter probauerat paulo ante adducens egre-

D Hieron.

Prælati cura erga domesticos.

S. Bernard.

Prælato magis onus, quam honor.

S. Bernard.

Damnatur ignauia Prælati.

A gium Prophetæ locum. Factum (ait) superiorem non ad dominandum opinor. Nam & Propheta cum similiter leuaretur, audiuit: *Vt euellas & destruas, & disperdas, & ædifices, & plantes.* Hierem. 1. Quid horum fastum sonat? Disce exemplo prophetico præsidere non tam ad imperitandum, quàm ad factitandum. Disce sarculo tibi opus esse, non sceptro, vt opus facias Prophetæ. Et quidem ille non regnaturus ascendit, sed extirpaturus. hæc ille. Itaque Prælatus non regnat, sed laborat. Operator est, non dominator. In alto est non vt otietur, sed vt speculetur. Non ascendit ad extrahendas subditorum exuuias, sed ad faciendas diligenter, pro illorum salute excubias. Indecens B Prælato est, si verè dicas: *Et ignorabat Iacob, quòd Rachel furata esset idola.* Cæterùm quātumcunque inuigiles, multa nihilominus tuam vigilantiam effugient, tuam frustrabuntur diligentiam. Sed in vtroque est quod te consoletur, si tuo non desis officio; quod quidem ita proponit idem S. Bern. Planta, riga, fer curam: & tuas expleuisti partes. Sanè incrementum, vbi voluerit, dabit Deus, non tu. Vbi fortè noluerit, tibi deperit nihil. *Reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum.* Sap. 10. Securus labor, quem nullus valet euacuare defectus. hæc ille, *lib. 4. de consid.* Itaque si Prælatus vigilet, ac multa prætereant vigilantem; non culpa est, nec meritum perit. Et quidem Censorem fugit, punitorem declinat, qui delinquit. Quòd si propterea nescitur, quia tenebras quærit, & fugitans seipsum abscondit: non tam grauiter of- C fendit censorem, cuius reueretur oculos: quàm qui eosdem prorsus contemnens in propatulo temerè, atque impudenter peccat. Nam vt eodem lib. scribit idem Bernard. quod perperam agitur te præsente, id tibi turpius. sic ille. Miraris quid si cur Iacob ignoret furtum Rachelis? At quam multi ignorant errata coniugum grauiora? Gloriantur infelices de Saræ ac Susannæ coniugio, & Bethsabeæ ignominiis polluuntur. Quin etiam, quod grauius est, ac turpius, sua multi delicta ignorant: & cum plurimis operti sceleribus, stridentium iam vocibus prænotentur, seipsos tamen miseri nesciunt. Rara vox (inquit S. Bern.) *nihil mi- D hi conscius sum.* 1. Cor. 4. Cautior in bonis ambulas, si & mala non lateāt. Magis autem scias, quid desit tibi: nam cui non desit? sic ille, *lib. 5. de consid.* Desunt scilicet homini virtutes: abundat ille vitiis scatet sordibus. Purior quidem auro ac sole Prophetæ anima coram Deo & Angelis erat: & exclamabat *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum.* Isaiæ 6. Legit S. Basil. cum LXX. *Væ mihi, doleo compunctus.* Satis supérque multa in me contueor, quibus compungor, quæ doleo, quæ defleo vitia: cur igitur aliorum errata prædicando ausim aut euulgare, aut exprobrare, aut emendare?

Hierem. 1.

Damnatur fastus Prælati.

S. Bernard.

Quodnam Prælati munus.

Scire omnia nequit Prælatus.

S. Bernard.

Securus labor Prælati licet non fructuosus.

Qui fugit Prælatū, non impudenter peccat.

S. Bernard.

Ignorantia propry defectus.

S. Bernard.

Nemo à vitijs liber.

Isaiæ 6.

Cæci ad nostra, lynces ad aliorum errata.

3. *Ingressus itaque Laban tabernaculum.*] Super- E stitiosus homo sua quæsiturus idola, & omnia supellectilia perscrutaturus, ne quid oculis non lustratum, & manibus intactum relinqueret, in primis tentorium Iacob, mox duarum ancillarum, deinde Liæ, denique Rachelis curiosè admodum perlustrauit. Proprium vnaquæque vxorum Iacob etiam in itinere, vbi quiescebant, tentorium habebat (sicuti de domibus suprà ostendimus) in quo cum filiis suis erat & operabatur. At frustra tamē peruersus homo in viri iusti perniciem omnes industriæ, ac malignitatis neruos intendit. peruersum dico & malignum, vt qui pro idolis suis necem genero & filiabus comminaretur, támque auarus esset, vt vitam generi ac filiarum

&

& nepotum imagunculis illis aureis aut argenteis omnino posthaberet: cum tamen, quando auunculus, socer, pater & auus esset, illis sua omnia bona læto & magnifico animo debuisset elargiri, quos tamen pro nescio quibus signis tyrannicè diuexabat. Proh quàm suorum quisque honorum & pecuniarum tenax est! omnis potestas impatiens consortis. Pecuniæ ab auaro sub terra lutoque conduntur potiùs, quàm in miserorum subsidium dispensantur. Etiam Moyses, quia homo, in principatum electus de socio vel ipso Aarone fratre non egit: & Samuel cum Hebræam gentem gubernasset, postulari à populo regem ęgrè tulit: & diues epulo etiam micas mensæ suæ vlceroso pauperi denegauit. Non sic planè, nō sic omnipotens Dominus. Creaturarum omnium sub cælo dominium, & moderamen Adamo tradit. Moysen constituit Deum Pharaonis. at quisnam esse, aut fingi potest sublimioris dignitatis titulus, & nomen? Pluuiam, ignémque pro libito moderandum & dispensandum Eliæ manibus committit. Solis frænos Iosue in manus contulit. Apostolis miracula sua dedit. Suam denique diuinitatem humanitati nostræ adiungens in hypostasim fecit hominem Deum: atque adeo sanguinem, vitam, & merita sua nobis in pretium & honorem effudit. O Deum magnificum, & (fas sit dicere) prodigum sui! Bene regius Vates: *Secundum multitudinem tuam multiplicasti filios hominum.* Psalm. 11. Nec tam de numerositate hominum toto orbe satorum loquitur, quàm de illorum in summos honorum gradus exaltatione. Legunt enim nonnulli: *Secundum altitudinem exaltasti filij hominum.* Alij: *Quando exaltati fuerint viles filiorum hominum.* Quæ verba sic interpretatur S. Chrysost. Nos, qui viles reputamur, & contempti, humiliatos gloria afficis secundùm altitudinem tuam, hoc est, similes tui effecisti, quatenus fieri potest, vt homo sit Deo similis. hæc ille, *in Psalm.* 11. Multiplicauit Deus hominem & exaltauit illum efficiens non modò honoribus, sed etiam opibus cùm terrestribus, tum cœlestibus conspicuum & abundantem. Hinc duo vel maximè colligo cum S. Chrysost. ad eundem locum. In primis ex magnificentia Domini perstringitur, & suffunditur nostra in eundem Dominum inhumanitas. Nos (ait) nudum Christum & fame confectum circuire videntes, ne quæ sunt quidem superflua, dimittimus, sed in summa rerum affluentia viuentes despicimus pauperes. sic ille Meritò quidem pudeat necesse est hominem, quòd Christum ipsum Dominus, à quo innumeris est cumulatus beneficus, cuius etiam opibus affluenter potitur, egerem in suis pauperibus saltem de superfluis non pascat, non soletur. Deinde pro honoribus in quos euecti à Deo sumus, debita obsequia grati & memores reddere debemus, ne alioqui pœnas vt ingrati exoluamus. Ait igitur sanctissimus Pater: Cum ergo considerauerimus honoris magnitudinem, quam par est, præbeamus pro ea remunerationem; ne nobis habitus honor insignis, fit nobis viaticum supplicij futuri. hæc S. Chrysost. Ah quàm sunt multi, quibus in terra dantur dignitates pro commeatu & viatico ad gehennam, quibus vita priuata & humilis gloriam compararet sempiternam!

Honoris & pecuniæ sua quisque tenax. — *Magnificè Deus honores, & opes effundit.* — Psal. 11. — S.Chrys. — S.Chrysost. *Damnatur inhumanitas in mendicos.* — *Diuites Deo gratias agāt per eleemosynas.* — S.Chrysost. *Deo gratiæ pro honoribus exhibendæ.*

4. Grandis quidem Labani fuit maleuolentia, qui velut contra furem & mendacem mortis occasionem perquirit, primò omnium tabernaculū Iacob perscrutatus. At contra iustos, qui habitant in adiutorio Altissimi, & in protectione Dei commorantur, nihil potest peruersitas impiorum. Nec enim quis impugnare poterit iustum, quin simul

Iniuria viri iusti & Dei eadem est.

Ben. Fernand. in Genes. tom. 2.

A Deum ipsum impugnet. Pulchrè hanc sententiam colligens S. Chrysost. ex illo regij Vatis. *Exurge Domine, & exaltare in finibus inimicorum meorum.* Psalm. 7. legit ipse: *Inimicorum tuorum*: additque demum: Magna est iusti virtus, quando eosdem habet Dei inimicos. sic ille, *ibidem.* Itaque ô Domine fer mihi opem contra inimicos meos, qui tui sunt iccirco, quia mei. Sic enim adhæreo tibi, sic me tuo sinu foues, & inter brachia innexum, (quæ tua est infinita bonitas) complecteris, vt nulla me possit iniuria lędere, quin te simul offendat. Eadem cuspide mei inimici cum mihi pectus trāfigunt, tua quoque pariter viscera transuerberant. Nemo vel leuiter me præstringet, quin tibi

B pupillam oculi compungat. Quid si etiam pauper sit, & à potentiore (vt fit) opprimatur? audi eundem Psaltem pro Deo ipso loquētem. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.* Psal. 11. Vbi ex parte pauperum sola potitur ipsa, quam miseri patiuntur, calamitas, atque ad summum gemitus, eiulatus. Nec enim dicit eos restitere, conqueri, indignari, itasque. Ergo patienter ferunt, cum premuntur: ideóque digni fiunt, pro quibus Diuina insurgat iustitia. Vnde subtiliter infert S. Chrysost. Pauperum patientia est, quod malè patiantur, defensio. non enim vitam, nec virtutem, sed malorum perpessionem dicit Deum excitare & eum ad supplicium & vindictam euocare. Tanta res est, si tibi fiat iniuria,

C eam ferre forti animo: tantam Deus curam gerit eorum, qui afficiuntur contumeliis. Maximæ defensionis loco est calamitas, & magna pati. hæc S. Chrysost. *in Psalm.* 11. Insaniunt adhuc, qui potentia & opibus armati more tyrannorum bellum habent indictum plebeis, & pauperculis, vt miseros pacta mercede fraudent, & graui imperio tanquam in pistrino seruire lassarique cogant; & bonis etiam suis, vti propriam explesnt cupiditatem, expoliant miseros, vt istis nihil aliud in vita relinquant, quàm & miseriam, & pro illa luctus & eiulatus. Cæterùm nouerint tyranni potentiores multò esse, validioribúsque instructos armis eosdem, quibus vim inferunt pauperculos. Quod quidem ita docet S. Chrysost. ad eundem versum:

D Habetis vos potentiam, opes, & pecuniam, & iudicum beneuolentiam: sed habent illi arma omnium validissima, luctus, & eiulatus, & illud ipsum iniuria affici; quę de cælis auxilium attrahunt. hæc ille. Malè igitur sibi consulit; imò & exitium sibi consciscit quisquis pauperes istos nihili pendit, eósque opprimere ac diuexare audet. Fortior est pauper diuite, humilis potente, gemens & eiulans armato & præliante. Animaduerterim tamen huiusmodi pauperes qui Diuino præsidio muniuntur, illos esse qui cum sua paupertate, atque luctu patientiam Christi coniungunt. Sic enim adiun-

E git S. Chrysost. Bonum, ac pium animum eorum Deus reueretur, quando mala patientes nullum malum verbum proferunt: solum autem gemunt, & sua mala deplorant. sic ille. Vniuersim dico: multò potentiora sunt arma quàm lacrymæ precésque fidelium. His illi armati cum persecutiones aut tyrannorum, aut infidelium patienter ferunt, ingentes solent de aduersariis reportare victorias. Quare optimè subintulit idem Chrysost. Hæc arma domos effodiunt, fundamenta euertunt, integras gentes submergunt, gemitus dico eorum, qui afficiuntur iniuria. sic ille. Frustra quidem Palæstinæ gentes aduersus Dei populum coniunctis viribus insurgebant, cuius erant arma victricia gemitus precésque ad Deum suum. Quod Balac rex Moabitarum apprimè intelligens ita dixisse legi-

S.Chrys. — Psal. 7. — *Pauperū oppressio Deum irritat, armátque.* — Psalm. 11. — *Patientia pauperis defensio.* S.Chrysost. — *Tyrannis potentiores pauperes.* — S.Chrys. *Pauperum arma flere ac pati.* — S.Chrys. *Pauperum patientiam Deus reueretur.* — S.Chrys. *Preces lacrymæque arma fidelium.*

tur ad Madianitas. *Ita delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur, quomodo solet bos herbas vsque ad radices carpere.* Nu. 22. Cuius loci subtilissima est interpretatio Origen. hisce verbis: Sicut vitulus ore abrumpit herbam de campo, & lingua tanquam falce quæcunque inuenerit, secat: ita & populus hic, quasi vitulus ore, & labiis pugnat, & arma habet in verbis & precibus. sic Origen. *homil.* 13. *in Num.* Eodem pacto se habet Christi Ecclesia. Nimirum (vt ibidem apponit idem Origen.) orationibus vincit, & pugnat aduersum hostes ore, non gladio. sic ille de populo Hebræo. quod aptius multò venit in populum Christianum. Etsi enim cum Turcis, Mauris, gentilibus, hæreticis deprædiando innumeros & summè gloriosos vbique terrarum (quod maximè à Deo concessum est Lusitanis beneficium) triumphos extulerit: at eosdem non armis tantùm, sed etiam & multò potiùs, ad Deum & beatissimam Virginem Deiparam precibus & lacrymis comparauit. Quamobrem (vt colligit Origen.) orationibus & precibus nulla possunt arma conferri. sic ille.

Numer. 22. Origen. *In oratione Victoria fidelium.* — Origen. *Christiani pugnant & vincunt orando.* — *Christianorũ victoriæ armis & precibus partæ.* — Origen.

5. Quid frustra moliris ô homo infidelis contra fidelem & Dei seruum Iacob? Habitat ille in protectione Dei cæli: vt nihil eorum, quæ sub cælo sunt, timere possit, qui protectionem eius habere meruerit. Conspirauit aliquando Hebræorum populus, factóque impetu irruit in Moysem & Aaronem seruos Domini. Quid illi? *Confugerunt in tabernaculum Domini. Postquam verò* (vti scribitur) *ingressi sunt, operuit nubes, & apparuit gloria Domini.* Num. 16. Pulchrè subnotauit Origen. Non legimus antea quia obtexerit nubes tabernaculum, & apparuerit maiestas Domini, & receperit intra nubem Moysem & Aaron, nisi nunc cum insurrexerit in eos populus, & lapidare eos voluerit. hæc ille, *homil.* 9. *in Numer.* Vide quàm sit vtile, quámque gloriosum homini fideli & seruo Dei ab impiis impugnari, maléque affici. Præstò illi est Domini tabernaculum, obtegitur à circunfusa Diuinæ protectionis nube, inter illas hominum persecutiones effusam & miro modo splendentem Dei gloriam contuetur. Sed præstat audire commentarium Origenis hoc modo: Discamus ex hoc quanta sit vtilitas in persecutionibus Christianis, quantum gratiæ conferatur, quomodo propugnator eis fiat Deus, quomodo abundanter Spiritus sanctus infundatur. Tunc enim maximè gratia Dei adest, cum hominum sæuitia concitatur: & tunc pacem habemus apud Deum, cum ab hominibus propter iustitiam bella perpetimur. sic ille. At quid hoc est, quod tam illustria horum virorum, anteactæque ad illam vsque horam virtutes non tam admirabili beneficio Diuinæ gratiæ donari meruerint? sanè fructus est persecutionum. Adiungit igitur Origen. Quamuis magni sint vitæ merito Moyses & Aaron, quamuis animi virtutibus polleant; apparere tamen eis Dei gloria non potuisset, nisi in persecutionibus, in tribulationibus, in periculis, atque in ipsa penè morte iam positis. Et tu ergo non putes tibi dormienti & otioso apparere posse gloriam Dei. hæc ille. An non etiam beatissimus protomartyr Stephanus inter lapidantium ictus, inter saxorum turbines crepitantium, *vidit cælos apertos, & gloriam Dei, &c.* Act. 7. & infrà, *Vidit cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei?* Quem Domini Iesu aspectum, & cælorum subinde prospectum considerans S. Ambros. *Epistol.* 30. sic effatur. Quod quæ iuxta pedes sunt, & infima ista, ac seipsum Stephanus despiciebat; ita vt etiam propterea lapidum non sentiret ictus, non consideraret corporis vulnera, oculis Christo affixus, & illi adhærens. hæc S. Ambros.

Tegit Deus quem impius insectatur. — Numer. 16. Origen. — Origen. *Vtilis & gloriosa Christianis persecutio.* — Origen. — Actor. 7. — *Stephan. gloriosa lapidatio.* — S. Ambros.

Quàm ergo vtilis fuerit ista sæuientium Iudæorum lapidatio beatissimo Stephano, vt qui inter saxa Christum Dominum, illiúsque gloriam viderit, ipsemet intelligens obligatum sensit ipsis hostibus, à quibus occidebatur, se vsque adeo, vt nec illis irasci, nec vindictam poscere; sed veniam potiùs tanti facinoris deberet ac sciret. Quod Hilarius Arelat. bene animaduertit inquiens: Nesciuit iis Stephanus irasci, per quos sibi videret aulam regni cœlestis aperiri, per quos se æternis seculis intelligeret consecrari. sic ille, *serm. de S. Stephan.* Non tibi nocet, sed multum prodest, qui iniuriam infert, qui spoliat, qui perimit, si tamen patientiam exhibes in tribulationibus, quæ tibi cœlestem construunt coronam. Amandus ergo, non odio habendus, qui tantorum bonorum præbuit occasionem.

Hilar. Arel. *Amandus, quia vtilis persecutor.*

6. *Illa festinans abscondit idola, &c.*] Malè sibi conscia, & ad quid pater veniret suspicata egregium adinuenit commentum, quo veteratorem illuderet; séque ac maritum ab omni periculo liberaret. Abdidit sub clitellas cameli vanas illas patris imagunculas: ac ne pater quæreret, sedit supra clitellas ægram se fluore menstruo simulans, ne à patre iuberetur assurgere. Quamobrem Laban quia nihil minùs, quam quod erat, suspicari poterat, vti homo superstitiosus sic fœminam affectam nequaquam diis insidere ausuram, leuiter credidit excusationi confictæ; ac demum fœmineis immundiciis accedere propiùs ægrescebat. Erit fortassè qui Rachelem incuset, quòd filia patri suo non assurgeret, non debitam exhiberet reuerentiam: sed pro fœmina egregiè respondet S. Ambros. Nemo credat paternæ pietatis læsam esse reuerentiam, quòd stante patre sedit, quoniam scriptum est: *Qui plus diligit patrem aut matrem, quàm me; non est me dignus.* Matth. 10. Vbi causa agebatur religionis, fides debuit habere sedem iudicij, & quasi rea stare perfidia. hæc ille, *lib. 2. de Iacob. cap.* 5. Nulla potior causa, quàm Dei est. Non est ratio iúsque parentum, nulla propinquitas, vbi agitur de Dei honore atque amore. Contemnendus & relinquendus, tanquam non pater habendus, qui & idola colebat, & filiæ cum viro sancto iussa Dei exequenti, ne properaret impedimentum obiectabat. Quocirca bene S. Cyprian. scripsit: Si Deus aliquid iusserit, quod secundùm homines iniustum esse videatur; iustum credatur & fiat: cum sine victoria non potest esse quod mandat. hæc ille *de singul. Cler.* Nimirum quia præcepta Dei sine de virtutibus, quæ sudore ac labore comparantur, ac proinde carni contra animam obluctanti aduersentur. Adimpleri nequeunt illa, nec istæ comparari, quin de carne per mortificationem Christi victoriæ & triumphi comparentur. Rectè igitur colligit S. Cyprian. Sine victoria scilicet animæ de carne, de mundo, de diabolo qui pro carne contra animam pugnarit, non potest fieri quod Deus mandat. Maximè verò res in vsu est ob carnis lasciuientis rebellionem, vt necesse homini sit ad præcepti Dominici impletionem, sibi etiam in illo maiorem adhuc iniungere seueritatem. quod idem Cyprian. eodem loco adnotauit his verbis: Nihil melius, nihil aptius mihi proponitur vnde vincam: nisi vt de ipso, de quo mihi præscribitur, ego ipse præscribam. sic ille. In eo scilicet, quod lex mihi vetat, amplius ego mihi etiam vetare debeo, delicatior nempe ac morosior in adimplendo, quàm lex ipsa & legislator in iubendo. Contemnendos mihi parentes & proculcandos lex præscribit, si Deo aduersentur: at licet non contradicant,

Patri Deus præferendus. D. Ambros. — Matth. 10. *Fides causa semper præferenda.* — S. Cyprian. — *Sine victoria Dei mandatũ non impletur.* — S. Cyprian. *Seueriùs sibi quisque imperet, quàm lex ipsa.*

tradicant, etiam pro Deo relinquere non iussus
volo; vt perfectiùs, & expeditiùs Christum se-
quar, Christo adhæream. Castitatem mihi lex
præscribit saltem coniugalem: ego verò perfe-
ctam mihi, & integram pro Deo meo continen-
Prædones castitatis. tiam præscribo. Quicquid (vti vocat idem Cypr.)
S.Cyprian. prædones pudoris, & plagiarij castitatis obluctén-
tur, & obganniant mancipia scilicet carnis, quo-
rum Deus venter est. Prædantur quidem pudo-
rem, & (vt ita dicam) nundinantur.

7. *Et sedit desuper.*] O munde immunde! Et
quid inanius, quid abiectius, quid turpius &
mundo, & idolis mundi? Subter stramenta came-
li, sub clitellis bestiæ condita iacent idola: pro-
Ridicula quæ prius hic & naturalis idolorum locus. En vbi sunt
mundi sunt. quæ ambitis, quæ sectamini, quæ inquiritis, quæ B
adoratis, ridicula, fœdàque, ô filij huius seculi.
Quidquid enim in mundo amatur & in pretio ha-
S.Ambros. betur, est planè autore S.Ambros. imago munda-
næ voluptatis meretriciis quibusdam illita fucis.
sic ille, *lib. de Isaac. cap.* 4. Imago scilicet rei, non
ipsa res: pictura honoris, voluptatisque; non au-
tem verus honor, veráque voluptas. Sed cur ita
Fucata quæ mentes hominum, oculósque eludit? Foco deci-
mundi sunt. pit turpis quidem facies, sed fuco illita colorem,
quo decipiat, alienum ementitur: bonum præsen-
tat oculis, & malum tegit: sensibus decorem ob-
iicit, & ipsamet deformitas est: foris voluptas vi-
Georg. Nic. detur, sed intus dolor habetur. Benè Georg. Ni-
comed. Malum quidem (ait) spectaculum vna
cum tempore marcescentem habet pulchritudi- C
Pulchritudo nem. sic ille, *orat. de præs. Virg.* Mundi tota, quæ
vana & in putatur, pulchritudo breui transiens annon in se-
sepulturam pulchrum, vermes, & stercus desinit? Subter stra-
desinens. menta conduntur & bona seculi, & bonorum
ipsorum amatores: procul ab oculis, longè ab ho-
minum memoria: sic infossis, & consepultis ne
nomina quidem restant quæ celebrentur, imò &
quæ sciantur. Rectè Euseb. Emiss. philosophatur
Euseb.Emiss. de diuite illo inter homines glorioso, qui Lazaro
Lucæ 16. mendico etiam frustulum panis denegauit: Diui-
Impiorum nomina sepeliuntur. tis (inquiens) nomen non dicitur ab Euangelista;
mendici verò dicitur. Hic Lazarus vocatur, ille
Matth.25. quomodo vocetur nescimus. Talibus enim dictu-
rus est Dominus: *Amen dico vobis: Nescio vos.*
Quid igitur mirum, si illum nescimus, quem ille D
Secularium nescit qui omnia scit? sic ille, *hom. de Lazaro.* Et
idolum fama. cæci tamen filij huius seculi amant sciri & cele-
brari inter mortales; mundanæ ac volatili famæ
vti Deo sua studia, curas, animásque addixerunt
& immolarunt. Icciroo magnificas construunt
ædes, atque insanas pensilium hortorum substru-
ctiones. Grandes circunferunt seruorum turmas;
sumptuosa spectacula populo exhibent, vt ina-
S.Paulinus. nem apud homines gloriolam aucupentur prodi-
gi ad vanitatem, auari ad salutem animæ coë-
mendam. Quod meritò ita lamentatur S. Paulin.
Et auaritia & liberalitate peruersa, Deo pro no-
bis egentes, Zabulo contra nos prodigi sumus.
Damnum in lucro & in damno lucrum ducimus,
vitámque nostram nec egentes redimere cura- E
mus, qui pro vita mortem emimus sumptuosè.
Beata esset nostra conditio, si tantùm præcepta
Christi, quantum populi sibila vereremur. sic il-
Ad vanitatem prodigi. le. *Episto.* 30. Timent miseri, ne si honori super-
biæque non studeant, à populo exsibilentur: non
curant si pro superbia & vanitate à Deo in æter-
num damnentur. Cariúsque miseris est perire,
quàm viuere.

8. Prudens & felix anima, cuius Rachel typus
Idola mundi extitit, quæ Labani idola, mundi honores, digni-
honores. tatésque contemnit; sub clitellas (vti meretur am-

A bitio) condit, nihili habet, sedétque desuper: cum
ea in capitibus seculares homines idola gestent,
in amore atque honore habeant, & miseri velut
numen aliquod venerentur. Profectò S. Gregor. *S.Greg. honorum contemptor.*
magnus, quem in contemptu honorum inter om-
nes Ecclesiæ Christianæ sanctus primum extitisse
arbitror; quippe qui supremam in terris dignita-
tem tam sanctè, constantérque defugerit: inuitó-
que & coacto delatam tristi vultu, lacrymantibus
oculis, admirabilique humilitate animi exceperit
de amico proinde conqueritur, quòd Papæ iam
creato de suprema sub cælo dignitate applaudens
gratuletur. Sic enim scribit: Quicquid mihi ho- S.Gregor.
nore sacerdotalis officij, extranei arrident, non *Non læto vultu excipiendus honor.*
valde penso. De vobis autem mihi hac ex re arri-
B dentibus non minimè doleo, qui desideriū meum
plenissimè scitis, & tamen profecisse me creditis.
hæc ille, *epist.* 3. *ad Paulum Scholasticum.* Non festos
agit dies in Pontificatu sanctissimus Pater, sed
tristes ducit, quod à vita humili & quieta tan-
quam è portu in salum proiectus fuerit. Sic enim
suam dolet vicem Christi vicarius. Sub colore S.Gregor.
Episcopatus ad seculum sum reductus, in quo tan- *Ecclesiæ dignitas laboriosa & periculosa.*
tis terræ curis inseruio, quantis me in vita laica
nequaquā deseruisse reminiscor. Alta enim quie-
tis meæ gaudia perdidi, & intus corruens ascen-
disse exteriùs videor. Pressus tumultu negotio-
rum ex eis me esse video, de quibus scriptum est:
Deiecisti eos, dum alleuarentur. Psalm. 72. Non enim Psalm.72.
dicit: Postquam eleuati sunt; quia praui dum fo-
C ris videntur surgere, intus cadunt. Alleuatio ergo
ruina est. hæc ille, *Epist.* 5. O si hominum menti- *Damnatur*
bus insideret hęc sanctissimi Pontificis sententia: *ambitio dignitatum.*
Alleuatio ruina est: non tanta auiditate ambirent
dignitates! defugerent potiùs, oblatas non exci-
perent, vsque intrusas & dolerent, & quanto pos-
sent conatu abdicarent; ne sibi de sua ruina blan-
diri & gloriari dicerētur. Quod si quis in salo ista- *Dolendum de*
rum solicitudinum, & negotiorum summæ alicu- *dignitate.*
ius dignitatis quietus viuit, ac lætus, tunc maxi-
mè habet quod doleat: sciens (nimirum ait S.
Bernard.) longiùs à salute absistere membrum, S.Bernard.
quod obstupuit: & ægrum sese non sentientem
periculosiùs laborare. sic ille, *ad Eugen. Papam*
lib. 1. Ad quid optatius (dicet aliquis) constituto in
D dignitate potest aduenire, quàm vt inter curarum
procellas quietus animo & conscientia viuat? Sed *Nulla securitas in dignitate.*
non est inter fluctus, inter naufragia homini tran-
quillitas. Audi ergo eundem Bern. Ab his sanè cu- S.Bernard.
pio tibi pacem, non cum his. Nihil plus metuo
tibi pace ista. sic ille. Videlicet optat ne curæ istæ
Pontifici bellum inferant, ne illius animum aut
eleuent aut opprimant, vincántque; & sancta cum *Securitas periculosa.*
Deo quiete, vitæque religiosæ modestia spolient.
Itaque bellum hoc modo non inferant: sed pa-
cem tamen cum illis non habeat; tanquam ser-
uus in dominatu heri, & mancipium bello ca-
ptum cum excutere iugum, & resilire non queat,
securam & lætam in seruitute vitam ducens. Sina- *Honoris contemptus.*
mus ergo idolum honoris subter stramenta ca-
E meli iacens tuftotum pedibus proculcari.

9. Alterum est, & fortè detestabilius, quia &
periculosius, & dictu visúque turpius Labani
mundique idolum, quod sub clitellis latere, imò
& in præaltis voraginibus infossum iacere opor-
tet, carnis videlicet turpitudo. Hæc est illa petra *Carnis idolum periculosum.*
scandali, hæc illa fouea totius generis humani,
hoc barathrum, in quo facilis casus, ac ruina, de
quo ascensus erectioque difficilis. Non est virium
humanarum, est solius gratiæ Diuinæ compescere
carnis libidinem, pedéque animæ puro eluuiem
pertransire carnalium voluptatum: & præter Di-

Arduam certamen libidinis.

unam gratiam, quę hominis industriam in parcimonia, in afflictatione corporis, in mortificatione sensuum, in fuga denique ab omni occasione peccati exigit operatricem. grandis hominis labor, & sudor ad propulsandam libidinem, & ad castitatem intromittendam & consetuãdam requiritur.

Miro castitatis dignitas.

Profectò tam pulchra est, támque amabilis castitas, tam digna immortalibus hominum animis, vt nemo illam (si facilior foret, nisi tam caro staret homini; si eam & externi hostes, & domestici multò grauiores non impugnarent, si eam caro ipsa pro dignitate hospitem exciperet, & foueret) ab affectu, ab animo procul abiiceret. Castus nemo non foret, si absque labore esse posset. Cæterùm contingit sæpenumero, vt quis honore & pulchritudine castitatis inuitatus eam possidere desideret, sed ad priorem libidinosæ tentationis

Laboriosa castitas. S. Ambros.

ictum victus illico succumbat: Et nequaquam (ait S. Ambros.) se tenens, nec legi carnis repugnans dicat: Putaui rem faciliorem, castimoniam sequi. supra humeros meos, supra vires meas est. rara est, cui ista iungatur. Vale castitas, recede, recede de finibus sensuum meorum: recurre citò, vnde huc venisti: non sustineo præsentiam tuam. hæc Ambros. *lib. 2. de Abrah. c. 4.*

Diuinæ gratiæ opus castitas.

Et nó videt miser homo, diuinæ potius gratiæ, quàm humani laboris esse hoc opus: illáque adiutas etiam puellas pro tuenda pudicitia, grauissimis ad mortem vsque tormentis perfunctas duplicatam virginitatis & martyrij palmam prætulisse. Quod ergo pueri & puellæ cooperantes diuinæ gratiæ præstiterunt, quis nostrum si velit, si cooperetur, non præstabit?

10. Condatur subter stramenta carnis voluptas: nec enim talis spurcitia in propatulo apparere debet, vbi suo fœtore ac fœditate sensus animósque offendat. De libidinosis cecinisse Dauid intelligitur: *Perierunt in Endor, facti sunt vt stercus terræ.* Psalm. 82. Qui sunt isti in Endor? respon-

Psalm. 82. S August.

det S. Aug. Endor interpretatur fons generationis, sed vtique carnalis, cui dediti perierunt. Merito ergo de illis dictum est: *Facti sunt vt stercus terra.* De quibus nihil propagatum est, nisi terrena fœcunditas. hæc ille.

Libidinis fœditas. D. Hieron.

Sed quinam sunt isti, qui perierunt in Endor? Respondet S. Hier. Madian & Sisara, & Iabin (vti præmiserat Propheta.) Madian interpretatur relinquens iudicium. non cogitat enim futurum iudicium. Sisara equi visio. non sunt isti de grege Dei, sed de equis, qui insaniunt in fœminas. Non solùm autem ceciderunt, sed in terra stercus facti sunt. hæc S. Hieron.

Libidinis cæcitas & brutalitas.

En libidinosi tam cœnoso rapiuntur impetu in omnem carnis petulantiam, ita suo in stercore volutantur, ac si pecudes sint, quasi nec immortalitatem agnoscant, nec tremendum vlli vnquam futurum Dei iudicium credant. de his Propheta:

Ioel. 1.

Computruerunt iumenta in stercore suo. Ioël. 1. legunt LXX. *Subsultauerunt vituli in præsepibus suis.*

Sobrietas mater castitatis.

Vbi enim præsepe, ibi & stercus. vbi Bacchus & Ceres abundant, Venus incalescit. Mater autem castitatis sobrietas & temperantia. Computrescit (ait S. Hieron.) in stercore suo, cuius Deus venter est. sic ille Abdomini ventrîque indulgens sic in omnem libidinis spurcitiam effunditur, vt continuato multos per annos turpitudinis vsu computruisse iam in stercore, ipsum denique stercus esse videatur. Quòd autem hoc sit idolum, cui se libidinosi immolarunt, multis ex locis sacræ Scripturæ colligitur.

Oseæ 9. D. Hieron.

Ipsi autem (ait Oseas) *intrauerunt ad Beelphegor, & abalienati sunt in confusionem, & facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.* cap. 9. *Intrauerunt* (explicat S. Hieron.) *ad idolum*, siue *intrauerunt ad libidinem.* sic ille. Confusionem autem (in-

S. Cyr. Alex.

quit S. Cyrill. Alex.) vocat Beelphegor: erat enim idolum forma omnium turpissima, & aspectu inhonestum. sic ille. Atque vt ex S. Hieron. colligitur, & communiter traditur, Beelphegor Moabitarum idolum erat ille Priapus, quem Romani ad ingressum hortorum reponebant. De quo ita Tibullus *eleg. 1.*

Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
Terreat vt sæua falce Priapus aues. Tibull.

Hoc igitur idolum turpitudinis, quod Gentiles inuerecundi venerabantur, cuique sese affingebant similes, Rachel nostra quàm pudica, tam pulchra subter stramenta pecudis abscondit, & sedet desuper.

Mirus castitatis amor in Ecclesia Christi. Oseæ 9.

Plena siquidem & fœcunda virginum & viduarum castissimarum Ecclesia Christi est. De Gentilibus & Iudæis Priapum colentibus dixit Propheta: *Et facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt*, vel vt in Hebræo, & idem est, *sicut amores eorum.* id est, *sicut res amata quæ turpes erant, & execrabiles.*

Ribera.

Hæc est enim (animaduertit egregiè noster Ribera ad hunc locum) natura voluntatis nostræ, vt quasi chamæleon in earum rerum se vertat colorem, quibus sese per amorẽ applicat. Fertur enim in res, quas amat, & amore illo quasi in earum transit naturam. sic ille.

Christi summa puritas.

Quia verò sanctæ ex nostris virgines, castæque viduæ Christum Dominum & Sponsum amant, & Deum venerantur, in eius puritatem, quæ summa est, præ amore atque imitatione transmutantur.

S. Greg. Nyss.

Enimuero (vt perbellè scripsit S. Greg. Nyss.) animus Virginis cum nullis rebus, quæ saluti repugnent, societatem init, quasi vna sit omnibus in rebus impuritatum communitas. sic ille, *de Virgin. cap. 14.* Scatet quidem sordibus, in quo viuimus, mundus, facileque mentibus adhærescit lutum ac cœnum turpitudinis, si cautè illæ non agant, si à

Cautè in mundo agendum.

terra in altum subuectæ Deo puritatis amatori non se adiunxerint, nec vnus spiritus cum illo fiant.

11. Hac etiam ratione vel maximè si castus & purus sit, Deum ipsum purissimum tanquam prototypum imago repræsentat homo.

Castus imago Dei.

Amittit verò istam Dei similitudinem (accidentariam dico; nam essentialis est ipsamet anima) cùm per carnis intemperantiam in lutulentam pecudem degenerat.

Anima sub fimo carnis.

Quod quidem Dominus in drachma, quam mulier accensa lucerna, totámque domum euerrens tandem sub fimo inuenit, significari voluit. *Luc. 13.*

Lucæ 13. S. Greg. Nyss.

Commentatur locum S. Greg. Nyss. ad hunc modum: Lucernam primò quidem accendi iubet, rationem significans. Deinde suæ quemque domi, nempe in seipso amissam drachmam exquirere vult. Hac sanè drachmæ indagatione summi Regis imaginem tacitè intelligi oportet, quæ non planè amissa, sed sub fimo occultata est. Fimus verò carnis est immunditiæ. sic ille, *lib. de Virg. c. 12.*

Libido in pecudem transmutat.

Drachma quidem semper eadem substantia & figura est: sed luto & sordibus operta nihil minus videtur, quàm quod est. Sic habet anima, quæ licet substantiam nunquam amittat, per quam Deo similis est; sic tamen spurca & fœda in cœno iacet libidinum, vt nihil aliud, quàm pecus ventri & abdomini esse nata videatur. Pulchrè quidem pulchra Rachel idolum Labani comprimit, & proculcat: pulchriùs Maria Moysis soror non modò idolum Laban, sed & licitam coniugij voluptatem compressit, & conculcauit, vti S. Greg. Nyss. scripsit hoc pacto:

S. Greg. Nyss. *Virgo soror Moysis extitit Maria.*

Maria soror Aaron & Moysis prophetissa virginum cœtui præfuisse putatur. Virginitas primùm ab hac Maria exculta est. In nullis enim literarum monumentis de eius matrimonio, viro, aut liberis mentio fit. sic ille, *lib. de Virgin. cap. 19.* Virgo

igitur

Exod. 15.

igitur extitit Maria soror Moysis, atque ideico illius virginitas tympano quod psallebat in choris Hebræarum, expressa creditur ab eodem Gregor. qui adiungit: Tympanum omni aquæ humore purgatum, aridúmque emitrit magnum sonum: ita virginitas, cum nullum huius vitæ humorem in se colligat, & clara & illustris est. sic ille. Quę verò dulcior vox, qui cantus suauior, quàm qui a virginitate ipsa in cælum, in aures Dei emittitur? Hęc autem tam cœlestis harmonia redditur à corpore, quod ab omni libidinis humore ac fæce depuratū ferè sic habet, vt ab ipsa concretione mortali prorsus alienum in spiritus Angelici subtilitatem transiisse videatur. Rupertus per tympanum intelligit significari mortificationem, sine qua virginitas conseruari non potest. Pulchrè (inquit) sumpsisse dicitur tympanum, quod modulationis instrumentum corium est in ligno extensum; significátque carnis mortificationem, sine qua nulla potest anima probam se exhibere cantatricem. sic ille. *lib. 2. in Exod. cap. 38.*

Harmonia per castitat. — *Caro per castitat. transit in spiritum.* — Rupertus. — *Harmonia per mortificationem.* — B

12. Pulcherrima est ex hoc loco S. Ambros. exhortatio ad virgines, in qua post multa hoc demum colligit: Mortificate membra vestra, vt tympani modo nulla in iis lasciuia carnis exæstuet, omnísque flagrantiæ corporalis sensus intereat. Nesciat in iis nisi in mortuis corporis voluptatibus solus spiritus resultare. Versate in manibus crucem Domini IESV, & in vestris eam operibus ablcuantes calcate mundi huius profundum, & pertransite. sic Ambros. *in exhort. ad Virgin.* Rectè quidem comparatur carnis voluptas, & libidinis petulantia mari rubro, quod Pharaonem, & Ægyptios cum curribus & equitibus, & equis submersit, hausitque, per quod tamen diuinitus apertum, & exsiccatum Dei populus sicco pede pertransiit. Adiungit ergo in hunc sensum S. Ambros. ad virgines. Dextera, læuáque circa vos aquæ murus sit, vt vapor omnis corporis temperetur, donec Dominus in monte hæreditatis suæ vos plantare dignetur, vbi sancta Maria choros ducit. hæc S. Ambros. Præcinit Virgo Mater, cæteræ virgines modulando respondent. Præit illa, istæ sequuntur: sed tamen istæ vt virginitatem conseruent, multo labore opus habent: nec enim sine tympano concinunt, id est, absque mortificatione, carnísque & sensuum afflictatione puritatem tueri possunt: ardet quippe in omnibus post naturam corruptam fomes peccati; quo quidem morbo totum laborat, & contabescit genus humanum. At beatissima Virgo Dei Mater ipsomet suæ conceptionis momento, vti fuit ab originali reatu immunis, ita non modò compressum ne vnquam exiret in actum, sed etiam prorsus extinctum habuit ex Diuino priuilegio fomitem peccati. Decebat tale priuilegium ipsam, quæ fuerat in Dei Matrem electa, vt esset interemptrix peccati, essétque (vt loquitur Andr. Cretens.) speculum, per quod iustitiæ solem venientem è cælo suscipientes ii, qui densis in tenebris peccati versabantur, illustrati sunt. sic ille, *de Annunt. Virgin.* Non decuit scilicet, vti per speculum vlla vel tenui aspersum nubecula, seu labe infectum ille sol pertransiret, qui est omnis puritatis fons, & Diuinę gratiæ, sempiternique splendoris origo. Ergo ô Domina mundi, quando Mater gratiæ diuinitus effecta es, quando ea puritate, qua maior sub Deo nec esse potest, nec cogitari, ab ipso donata enituisti: nec proinde quicquam è nostro luto inspergi tibi, nec te de nostris, quibus æstuamus, incendiis aut fumus, aut etiam fuligo afflauit aspersítve: precamur tuam clemêtiam, vt quos vides inter grauissima carnis tentamenta

S. Ambros. — *Mortificatio ad castitat.* — C — *Castitatum transitus per mare rubr.* — *S. Ambros.* — *Sine labore castitas non habetur.* — D — *In B. Maria extinctus fomes peccati.* — *Andr. Cret.* — *B. Maria speculum puritatis.* — E — *Inuocatur B. Maria pro castitate.*

A cum summo salutis æternæ versari discrimine, tuæ gratiæ benignissimo & purissimo rore cōspergas: ope tua & potentia tuearis. Sit nobis lanorantibus tui sacrosancti nominis præsto & tutamentum, & solatium. Enimuero (vt tuus ille Idiota nomine, sed virtute meritísque ac Diuina sapientia præcellentissimus scripsit) tantæ virtutis, & excellentiæ est tuum sanctissimum nomen, beatissima Virgo Maria, quòd ad inuocationem ipsius cęlum ridet, terra lætatur, Angeli congaudent, dæmones contremiscunt, & infernus conturbatur. Tanta est virtus tui sacratissimi nominis, ô semper benedicta Virgo Maria, quòd mirabiliter emollit & penetrat duritiam cordis humani. hæc ille, *lib. de contempl. Virg. cap. 5.*

Idiota. — *Mira virtutis nomen B. Maria.*

SECTIO III.

Tumensque Iacob, cum iurgio ait: Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum sic exarsisti post me, & scrutatus es omnem supellectilem meam? Quid inuenisti de cuncta substantia domus tuæ? pone hic coram fratribus meis & fratribus tuis, & iudicent inter me & te. &c. vsque ad *te heri.*

1. IAcob ignarus furti dolique Rachelis ægerrimè tulit iniustitiam, & violentiam (vt putabat) Labani, Quare animo vehementer commoueri cœpit & indignari: tumor vocatur internus huiusmodi affectus, qui erumpit in verba iracundiæ, vocat scriptura iurgium, LXX. pugnam, videlicet verbis conferri solitam. Sed quidnam hoc est in viro iusto, ac patiente? Nihil mirum: cum furor fiat læsa sæpius patientia: & mites aliquando si malè afficiantur, in asperiores prorumpunt voces, ita fert humana infirmitas. Cæterùm Christiana perfectio est, nec læsum hominem intus commoueri: nec foris indignatum animum per verba ostendere. *Nocentem vel capra mordet*: antiqua fuit paræmia: cum alioqui mordax capra non sit, contra naturam fiet si lædatur; præterquàm quòd improbis infecta sunt omnia. Fuerit hoc ipsum inter veteres visitatum antequam Deus factus homo in seipso & dedicarit, & demonstrarit veram patientiæ perfectionem, iuxta quam ipsemet edixit: *Si quis te percusserit in maxillam dexteram, præbe illi & alteram.* Matth 5. Nec voce ipsa quicquam asperius respondere permittit Dominus, *qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniuste.* 1. Petr. 2. En vbi quæso vindicta, vbi vox indignantis? *Oblatus est, quia ipse voluit; & non aperuit os suum. Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum* Isai. 53. Legunt LXX. *Afflictus non aperuit os suum.* Symmach. & Theodot. *audiens non aperuit os suum.* Egregia est huius loci paraphrasis apud S. Cyrill. Alex. in hunc modum. Ad tondendum suo tempore adducuntur oues; & pastores illis nouaculas admouent? Quæ etsi patiantur, interdum etiam ferro pelles attingente, mærent, ferunt & silent; & in eos, qui hoc faciunt, non insiliunt. Ita Christus conuiciis appetitus, conuicia non regessit, patiens non minatus est, sed iustè iudicanti rem commisit. hæc ille. Qua sanè supra omnem quæ fingi potest, patientia in Christo Domino nihil excellentius, nihil augustius ac diuinius, vel ipsi carnifices dum eum patibulo affixum, doloribúsque æstuantem viderent, suspicere & admirari potuerunt.

Perfectio patientis hominis. — D — *Mira Christi patientia.* — *Matth. 5.* — *1. Petr. 5.* — *Isaiæ 53.* — E — *S. Cyr. Alex.* — *Christi patientia in passione.* — *Christus per patientiam Deus cognitus est.*

potuerunt. Pulchrè in hanc sententiam ita disserit Tertull. Despuitur, verberatur, deridetur, fœdis vestitur, fœdioribus coronatur. Mira æquanimitatis fides. Qui in hominis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est. Hinc vel maximè Pharisæi Dominum agnoscere debuistis patientiam huiusmodi nemo hominum perpetraret. hæc ille, *lib. de patient. cap. 3.* Vbi optimè colligit iustis & sanctis viris, potissimùm verò martyribus, qui eam satis probauerunt, visam & contestatam, patientiam Dei esse naturam effectam, & præstantiam ingenitæ cuiusdam proprietatis. sic ille. Adhoc illam Deus homo in seipso demonstratam, hominibus amandam & sequendam non proposuerat. Quare mirandum non est, quòd tumuerit cum iurgio Iacob, animo ac voce iracundiam prætulerit.

Tertull. — *Patientia Dei natura.*

2. Tumor in Iacob excusabilis, in Christiano dānatur. Iurgium Iacob tolerari potest, Christiano autem nec animus (si perfectè Christum imitatur) ad iracundiam commouetur (sedatus animus est: neque vox prorumpit in vindictam indignabunda: mutus quippe ad iniurias est vti agnus, velut ouis. Certè ipsamet patientiæ, quā Tertull. depingit, effigies, qualis esse soleat mentis status in viro iusto dum aduersis probatur, egregiè nobis ostendit. illam ergo contemplemur. Vultus (inquit) illi tranquillus & placidus, frons pura, nulla mœroris aut iræ rugositate contracta: remissa æquè in lætum modum supercilia, oculis humilitate, non infelicitate deiectis. Os taciturnitatis honore signatum. Color, qualis securis & innoxiis. Motus frequens capitis in diabolum, & minax risus. Cæterùm amictus circum pectora candidus, & corpori impressus: vt qui nec inflatur, nec inquietatur. Sedet in throno spiritus eius mitissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo liuet, sed est teneræ serenitatis apertus & simplex. Nam vbi Deus, ibidem & alumna eius, patientia scilicet. hæc Tertull. *cap.* 10. Pulcherrima quidem species patientiæ, quæ si diligenter consideretur, mirabiles sui in nobis amores excitabit. Satis hoc sit, vt probetur; alumna Dei patientia est. eam scilicet Deus, vbi adest, & nutrit, & fouet. Perdit patientiæ thesaurum qui per se vindictam expetit, aut eam de aduersario exposcit à Deo. Dices iustè vindictam exposci à Deo posse, quippe cùm sanctorum animas viderit in cælo S. Ioannes Apostolus clamantes voce magna: *Vsquequo, Domine sanctus & verus non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?* Apocal. Ad obiectionem respondet optimè S. August. loquens de patientia Christiana. Hæc (inquit) semper fuit sanctorum Martyrum intentio. Vindicta enim vltima iuste poscitur, quando nullus iam restat correctionis locus, extremo scilicet summóque iudicio. sic ille, *Epistol. 4. ad Marcellinum, quæ dicitur quinta.* Nimirum animæ sanctorum Martyrum in extremo die iudicij finalis iustè sanctéque vindictam de tyrannis & carnificibus suorum corporum expetent & exposcent à Deo: quando scilicet impij ipsorum persecutores nec veniam, nec correctionem suorum scelerum, nec misericordiam à Deo sperare vllo modo poterunt. clausa enim tunc erit ianua. Cæterùm in vita dum adhuc mali & corrigi, & in sanctos mutari possunt, nulli omnino licet vindictam de illis expetere (excipe ministros iustitiæ, qui zelo pio & debito id faciunt.) & propterea S. August. adiungit: Nunc verò cauendum est, ne vindicandi cupiditate amittatur (vt nihil aliud dicam) ipsa patientia, quæ pluris est habenda, quàm omne, quod

Habitus & effigies patientiæ. — *Tertull.* — *Patientia Dei alumna.* — *Apocal. 6.* — *S. August.* — *In vita non licet exposcere vindictā.* — *S. August.* — *Patientia grāde pretium.*

potest etiam inuito inimicus auferre. hæc S. August. Optimè quidem apponitur grauissimum ex ira, ex impatientia, ex vindicta dispendium. Quid quæso nocumenti aduersarius tibi, ô quisquis indignaris, & vindictam expetis, intulit? An pallium abstulit, an pecuniam surripuit, an honorem labefactauit, an dignitatem auertit, an famam vellicauit? Quod ergo huiusmodi detrimentum cum eo conferri potest, quod tibi ex impatientia illatum est? Sola patientia, quam iratus, indignabundus, vltionis cupidus amisisti, vitæ omnibus commodis ac bonis præstat. Quid quod apud antiquos symbolico integumento veritatem obuelantes non vltores carnifices, sed vltrices furiæ nominabantur? Quia videlicet non masculam, sed fœmineam; non à virili & generoso, sed à fœmineo, & infirmo profectam animo arbitrabantur.

Incōparabile damnum ex impatientia. — *Vindicta infirma & fœminea.*

3. Multus quotidie in mundo Labanos est: rarus est, qui Iacobum referat, & imitetur. Qui noceant, qui persequantur, plurimi videntur: qui patienter ferant, qui neque lacessiti retorqueant vim, & maledictum, neque saltem animo indignentur, apparent rari nantes in gurgite vasto. Certè patientia (quod vnum satis esset ad illius commendationem) hominem Deo facit esse non amicum tantummodo, sed etiam propè simillimum. Quo in argumento multa diuinitus dicuntur à S. Chrysost. *homil. 3. ad Rom.* sic enim effatur: Homines hac potissimùm in re similes Deo efficiuntur, quoties mali nihil patiuntur ab iis, qui ipsis incommodare volunt: quoties nihil læduntur ab iis, qui lædunt. sic ille. Sed qui fieri hoc potest, vt à lædente non lædatur? Cùm ille videlicet (ait Chrysost.) factis non indoluerit. sic ille. At quomodo id continget, vt affectus verberibus, iniuriisque non doleat? Respondet sanctissimus Pater interrogans: Si te infantulus contumelia afficeret, ecquid contumeliam existimares? Quid autem? doleret tibi? nequaquam. Sin autem doleret, tum esses risu dignus. hæc ille. Itaque qui te lædit, infantulus est, imò infantulo dementior, vt statim subiicit. Quis autem prudens & cordatus vir infantiles ludos, & risus, & cachinnos non irrideat, non tanquam nihili habeat, ac velut indictum, infectúmque reputet? Quòd verò hæc patientis animi constantia, diuinum quid præferat, satis euidenter ex ipsius Dei magnitudine demonstratur. Enimuerò quanquam (adiungit S. Chrysost.) peccatores Deo iniuriam faciunt, tamen ipse non accipit, neque sanè eius gloria aliqua ex parte lacera & mutila facta est, sed manet ipse omnino laudandus. Dei quippe natura neque lædi, neque verti: Dei gloria neque immutari, neque moueri potest. hæc S. Chrysost. Mittuntur Apostoli à Domino tanquam oues inter lupos. *Matth.* 10. Quid obsecro periculosius? quid ad iniuriam & inferendam, & accipiendam opportunius? Oues in medio luporum. Isti rabie tument, ferocitate desæuiunt, dentes distringunt in miserarum ouium lanienam. Illę ad resistendum prorsus ineptæ ne vocem quidem edunt, cum discerpuntur, cum deuorantur à lupis. In hæc tam certa vitæ discrimina mittuntur Apostoli, sola nimirum ouium mansuetudine ac patientia muniti, quibus etiam virgam portare interdicitur. *Nihil tuleris in via, neque virgam, &c.* Luc. 9. Quare optimè colligit S. Hieronym. Quis Apostolis mitior, quis clementior, qui vt omnem vindictæ speciem, aut seueræ potestatis vmbram effugerent, ne virgam quidem portare iubebantur. sic ille, *ad Paulin. in Iud. libr.* Oues quidem sunt Apostoli,

Patiētia Deo similē reddit. — *S. Chrysost.* — *S. Chrysost. Cōmendatur patientia.* — *Infans qui lædit.* — *Patientia diuinum quid habet.* — *Matth. 10.* — *Missi Apostoli sicut oues.* — *Luc. 9.* — *D. Hieron.* — *Apostolorum mansuetudo.*

Apostoli mansuetudine subiugarunt mundum.

stoli, leones non sunt. Iudices sunt, sed virgam non præferunt; paterna illis inest potestas, ouiumque mansuetudo, qua inter lupos obarmati mundum vniuersum subiugarunt. Iccirco admirabundus Propheta exclamat: *Quam pulchri pedes euangelizantium.* Isaiæ 52. Tertull. 5. *contra Marcionem* c. 2. legit: *Quam tempestiui*: nam LXX. vertunt ὡραῖοι, vel ὡς ὥρα *ficus hora. pedes maturi*, legunt alij. Fructus enim maturi & tempestiui, & qui non sunt præcoces, intempestiui, malè cocti, crudique adhuc dicuntur ἄωροι. Nihil igitur durum, nihil acerbum, nihil immaturum & crudum in consiliis: nihil immite, nihil asperum in operibus ac moribus; nihil importunum, acidum, insuauéque in sermonibus Apostolorum videbatur; aliter illotis pedibus non se totus orbis deuictum & subiectum tradidisset.

Isaiæ 52. *Tertull.*

Qui Apostolorum pedes.

4. *Quam ob culpam meam.*] Duo maximè his verbis conquestus Iacob exprobrat Labano: & quòd abeuntem generum socer cum furore insecutus fuerit (id quidem est: *Exarsisti post me*): & quod vniuersam supellectilem generi quærens idola scrutatus sit. At vtrumque arguebat peccati Iacobum; nec enim hæc duplex iniuria posset nisi ob graue facinus homini maximè nepoti ac genero ab auunculo & socero irrogari: cùm tamen iniustè affligetur innocens, in quo veterator & barbarus nihil demum reperit, quod iustè accuset. Rectè habet ad hunc modum paraphrasis S. Chrysost. Quare tanto impetu insectatus es me? Qualem iniustitiam mihi potes opprobrare? quale peccatum? Neque id satis, nisi & tantam superinduxisses cõtumeliam, vt scrutareris omnia quæ in domo mea? ita Chrysost. *homil. 57. in Genes.* Sibi Iacob illatam dicit contumeliam, in se peccatum nullum fuisse, quod Laban argueret, & puniret, sibi quodcunque facinus ab iniquo socero imputari. Quicquid enim præposterum & improbum in familia geritur, vtique patrisfamilias adscribi solet. Errauit filia, lasciuiit filius? haud dubiè in patris caput illa intemperantia, estor ille filiorum recidit. Etenim ex incuria patris oritur filiorum impunita lasciuia. *Ephraim educet ad interfectorẽ filios suos.* Oseæ 9. Numquis vnquam tam immitis, tã barbarus pater extitit, vt filios carnifici dilaniandos traderet? Annon ille adolescens seditionem contra seipsum incitauit, aduersarium prouocauit, & propriæ arrogantiæ pœnas luens, duello fuit obtruncatus? Qui ergo huic nocuit pater? Nonne alius ob homicidium suspensus, aut ob furtum sublatus in furcam, aut in ipso adulterio deprehensus gladio eostinal s traiectus scelestam partes ac miserandam vitam finiuit? quo pacto hunc ipsum ad interfectorem pater eduxit? Quia nimirum pater filium non rectè instituit, non benè moratum reddidit: aut enim nimia indulgentia nutriens, aut paterna disciplina destituens, aut prauo (quod multò peius est) exemplo ad improbitatem instituens illum suum, vel fecit ire in vitia præcipitem, causáque proinde fuit, vt infelix animæ & corporis mortem incurreret. Enimuerò quasi hunc eundem sensum insinuans statim subiungit Propheta: *Percussus est Ephraim: radix eorum exsiccata est.* ibid. Quid ergo miraris ramos, stipitem, foliáque arboris exarescere? Radix ipsa tanti mali causa fuit. Pater filium (inquit hoc loco S. Cyrill. Alex.) propter insipientiam manu sua volens interfectioni tradidit. sic ille. Bonus ille pater qui seueriore disciplina filium educat & instruit, vera scilicet charitate patris in bonum filij obdurescente: qualis nimirum struthio, de quo apud Iobum dicitur *Duratur ad filios suos, quasi non*

S. Chrysost.

Filij vitia patri imputantur.

Oseæ 9.

Supplicia filij imputantur patri.

Oseæ 9.

S. Cyr. Alex. *Bona institutio filiorum.*

A *sint sui.* Iob. 39. Videlicet oua vbi eduxit, sub tellurem condit, non autem alis & pectore fouet. O prudens mater, quæ filiam non patitur nec infantulam patere in publicum, exponi ad auram, obiectari aspectibus, ad ianuam, ad fenestram, in platea, in conuentu virorum, nedum in spectaculis, in comœdiis, in ludis videre & videri: sed eam pia quadam sæuitia, vera charitate prudenter tamen piéque sæuienti domi tenet inclusam, & ferè consepultam, eo scilicet pulchriorem, & castiorem, quò ampliùs delitescit.

Iob 39.

Mater optimè filiam educans.

5. *Quid inuenisti.*] Tanto (declarat S. Chrysost.) scrutinio facto, potuistine aliquid inuenire quod ad me non attineat, vel quod tuum sit? Si inuenisti, profer in medium, vt qui hic adsunt apud B me & te iudicium faciant. sic ille. Fiduciam ingerit bona conscientia, vt nec timeat, nec sileat qui obiecti sceleris conscius non est. Profectò si Iacob, aut illius vxor in furto deprehenderetur, obmutesceret miser, ac iudicium, pœnámque pertimesceret. Quod quidem sibi accidisse fatetur Dauid: *Obmutui,* (inquiens) *& non aperui os meum: quoniam tu fecisti, amoue à me plagas tuas.* Psalm. 38. sensus est: Cùm me aduersarij conuiciis, & maledictis lacesserent, nihil omnino respondi, mutum me atque elinguem præstiti: considerabam equidem id à te permissum ob mea delicta quæ maledicorum iniuriis volebas expiari. Sic enim egregia paraphrasis Theodoreti habet. Te permittente inimicus perbacchatus est: & ille quidem similis erat flagello; tu verò per illud castigationem afferebas. Propterea silens flagella accepi, illum quiC dem despiciens, te verò in me animaduertentem perspiciens. hæc Theodoret. Negare haud poterat sua diuino supplicio delicta castigari, propterea ad plagarum crepitus ne vocem quidem edere audebat. Sic etiam ille rusticus, & impudens qui ausus est intrare in locum nuptiarum non indutus veste nuptiali, cum se vidit à rege increpari obmutuit. *Matth.* 22. Qui enim responderet infelix suæ rusticitatis conuictus conscientia? sic obmutescet in iudicio finali peccator: Non erit enim tunc (ait S. Hieron.) locus pœnitentiæ, nec negandi facultas; cùm omnes Angeli & mundus D ipse testes sint peccatorum. sic ille. Peccati conscientia vti cor ipsum vellicat & custodit, ita linguam cohibet os occludit, vocem præpedit, peccatorem ipsum reddit mutum, vt suo ipse silentio sententiam suæ proferat damnationis. Iccirco etsi Rex suis oculis videret hominem polluta veste amictum, sciretque proinde damnatione dignum, noluit tamen ab alio, quàm ab ipsomet ex conscientia teste atque accusatrice sententiam proferri. quod sic adnotauit S. Chrysost. Vides quomodo quanquam res ita pateat, non priùs tamen supplicia infert, quàm ille qui peccauit sententiam protulerit? Cùm enim nihil ad satisfaciendum afferat, à seipso condemnatus, rapitur ad E supplicium. sic ille, *hom. 70. in Matth.* Igitur nullius sibi erroris conscius tam audacter loquitur: quod ita S. Chrysost. effatur: Quoniam vidit se irreprehensibilem in omnibus, magna sumpta fiducia enumerat beneficia, quæ illi per omne tempus exhibuit. sic ille. Cùm verò ad tot tantáque officia, imò & beneficia Iacob erga Laban eiúsque familiam, & substantiam præstita Laban ipse ingratum se, atque immitem, quin etiam iniustum & tyrannum exhibuerit; instat acriter Iacob referens quæcumque bona contulerit, quæcumque mala receperit; vt Laban & pudore afficiatus, & abeuntem cum familia, & substantia sua generum liberè dimittat.

S. Chrysost.

Bona conscientia fiducia.

Psalm. 38. *Iniurijs inimicorum nostra expiantur delicta.*

Theodor.

Peccati conscientia mutum reddit. *Matth. 22.*

D. Hieron.

Suo se damnat silentio peccator.

D. Chrysost. *Sententiam profert propria conscientia.*

Audax qua bona conscientia.

6. Icirco

S. Chrysost. / *Miseri qui mundo inseruiunt.* / *Vana spes seruientium mundo.* / *Iudæ.*

6. *Ideirco viginti annis fui tecum*] Pro labore (inquit S. Chrysost.) tot annorum hisne dignus eram? Haccine inquam contumelia? Hi mei viginti anni? sic ille. Misera sanè conditio mortalium, qui Labano, mundo scilicet, inseruiunt! Non præmio quod videant, sed quod tantummodo futurum, & tarò venturum sperent, trahuntur miseri sub iugum, sub tyrannidem. Vana plerunque spes medio in cursu laborantes decipit, vacuósque & risu plenos relinquit. Hi maximè sunt, quos Apostolus Iudas vocat *arbores autumnales, infructuosas.* Appetente nimirum autumno, post primas aquas, aliquæ interdum arbores tepore illo atque humiditate velut rediuiuæ nouos proferunt flores, nouísque se vestiunt foliis. At quàm breui transiens illa florum gratia! quàm non diuturnus foliorum amictus! Autumnum excipit hyems, hyemalique rigore tellus percutitur, viduantur floribus campi, foliis exutæ arbores suam illam gratiam, suas in folio spes fructuum prorsus amittunt. Nihil tam frequens, tam quotidianum videas inter mortales, quàm spes infringi, atque in vanum recidere: quàm vacuos omni fructu etiam marcescentibus foliis iacere in cœno, quos mundus vana spe honorum sub iugo contentos, lætósque habuerat. Hi sunt (adiungit) *fluctus feri maris, despumantes suas confusiones.* Tolluntur quidem in altum spe concepta honorum, iámque vana futuratum, quas somniant, dignitatum arrogantia clari cælo ipsi, vt fluctus tempestate commoti, videntur quodammodo minitari. At subitò vt illa infracta, debilitatóque impetu compressi deorsum in arena, in lutóque subsidunt, & euanescunt. Sic miseros, qui mundo inseruiunt, sæpè ambitione honorum pertumescentes mors intercipit: sæpe etiam honorem adeptos mundus in calamitatem, miseriámque compingit, aut breui redactos in ordinem velut ad mortalium exponit ludibrium, aut certe inglorios obliuione sepelit sempiterna. Manet ambitiosos arena littoris, lutum sepulturæ, mortis obliuio. Vel ipsimet cum priuatam vitam agunt honore tandem dignitatéque priuati seipsos reputant mortuos, ac deflent consepultos, vt quibus vna vita fuerat eminere, atque imperare. Non vana confingo. Scribit enim Isaias: *In anno quo mortuus est Ozias, &c.* cap. 6. Et quidem peritiores animaduertunt, non illo ipso anno regem Oziam fato concessisse; vixit enim adhuc aliquot annos: sed eodem percussum lepra diuinitus domi suæ absque regis splendore, regnique administratione priuatum & inglorium se continuisse. Quæ sententia Hebræorum sic explicatur à Lyra. Iste non fuit annus mortis Oziæ regis, accipiendo mortem pro separatione animæ à corpore, sed annus, quo fuit à Deo percussus lepra, vt habetur 2. *Paral.* 26. Quia ex tunc modo reputatus fuit mortuus: quia extunc habitauit in domo sequestrata, & Ionathan filius eius regebat palatium, & iudicabat populum. vt habetur. 4. *Reg.* 15. & 2. *Paral.* 26. Huic consonat dicto litera sequens in hoc cap hæc Lyra. Nimirum ambitiosis vita est ipse honor, & dignitas. Vbi autem priuati, ibi mortui, ibi sepulti censentur. Repete quod alibi diximus de libro Dei, de libro vitæ, ac principatus.

Iudæ. / *Vanitas honorum, & exitus.* / *Isaiæ 6.* / *Lyra.* / *Vita est ambitiosis honor. mors priuari honore.*

S. Chrysost. / *Miseranda seruorũ conditio.*

7. *Oues tuæ, &c.*] Obliuisceris (declarat S. Chrysost.) laborum, quos exantlaui, pascens greges tuos? sic ille. Miseranda sors seruorum, & famulorum. Laborare coguntur, hoc vnum seuerè admodum ab illis expetitur. Vbi fiunt ad laborem inepti, procul vti canis mortuus, ac putidus, expelluntur. Sic Amalecitæ, vt erant barbari, seruum humi lassatum, faméque enectum, cum vltrà pedes non posset progredi, reliquerunt. 1. *Reg.* 30. Dixit enim ipse: *Vir Ægyptius ego sum, viri Amalecitæ: dereliquit autem me Dominus meus, quia ægrotare cœpi. &c.* Hic est (inquit Rupert.) quem indignum mundus deseruit. sic ille ad hunc locum. Ita se habet mundus erga suos, vt immitis herus erga seruos, quos ad necem vsque grauissimo iugo premit, laboribúsque fatigat. Similem illum dixeris vnguentario, seu pharmacopolæ, qui herbas quidem contundit, aut ex iis admoto igne stillatitium humorem exprimit. Nimirum vbi elicitur humor, exsuctæ aridæque herbæ in sterquilinium proiiciuntur. O seruorum infelicitas deploranda; sed & dominorum execranda inhumanitas! Atteruntur tota vita & prorsus consumuntur laboribus serui, dum pistrino ætas, & vires sufficiunt: vbi defecerunt ambæ, procul ab domo vetusti, contriti, ægríque illi ad mendicandum ostiatim, aut denique moriendum in xenodochiis expelluntur. Sic ætate, morbísque & vlceribus confecti abiguntur in agros equi, canibus & lupis escam præbituri. Sic post expressum in torculari mustum quæ supersunt exsucta vinacea pabulo porcorum egeruntur. Antiquis (vt legimus) lusoria pila serui egregium symbolum fuit. Sic miser ab hero mouetur, mittitur, remittitur, excipitur, tollitur; nusquam quiescere, nunquam humi consistere permittitur; continuo varióque motu per aërem rotatur; quousque tandem disrupta, exenteratáque dissoluitur. Ita misero sola mors quietem præstat: non vacat à labore seruus, nisi cùm in sarcophagum mortuus sepelitur. In seruos optimè conuenit: *Gaudent vehementer, cum inuenerint sepulchrum.* Iob. 3. Iactatis in salo portus idem est, ac seruis sepultura. Cùm pateat (inquit ille) malis effugiũ, & miseros libera mors vocet: portus æterna placidus quiete. Sen. *in Agam. Act.* 3. inuenies apud Pierium *lib.* 56. *fol.* 410. hanc antiquorum consuetudinem, cum primum serui domum admittebantur à dominis obseruari solitam: videlicet super caput serui spargebat herus nuces, ficus, dactylos, pomáque & fructus alios; simul varia leguminum olerúmque genera, denique auri argentique nummos. Quo quidem symbolo significabat seruum illum recens exceptum fore domino, ac domui, quàm intrabat, ita fructuosum & vtilem, vt in eo familiæ totius & sustentatio, & deliciæ positæ viderentur. Addiderim ego insuper significari quàm pio dulcíque affectu, quanta cura, & studio tractandus esset seruus; quantam scilicet solet paterfamilias adhibere industriam & solicitudinem in serendis, colligendísque frugibus, & oleribus, & congerendis ad alendam familiam cibariis. Talem profectò sese præstitit seruum Iacob Labano, qui tamen & nepos, & gener erat. Sed non talem sese exhibuit Iacobo Laban, qui seueram, imò crudelem, & iniquam contra generum atque nepotem, velut aduersus hostem capitalem, exercuit tyrannidem.

1. Reg. 30. / *Rupertus.* / *Seruus à dominis in senio abiguntur.* / *Dominorum inhumanitas.* / *Seruis sola mors quies.* / *Iob 3.* / *Senec. trag.* / *Pier.* / *Seruus domino fructuosus.* / *Domini erga seruum humanitas.*

8. Demonstrat ergo Iacob, qualem curam pastoralem Labani gregibus impenderit: ob quam nimia visa est illorum fœtura. Fidelitas verò tanta homini semper fuit, vt nunquam de vlla pecude Labani quicquam sibi assumpserit. Quòd si vllum caput aliquando casu aliquo desideraretur, ipsemet pastor de suo grege satisfaciebat. Quid de vigilantia? Vt cum æstus (declarat S. Chrysost.) flagraret, ferret fortiter, similiter & frigus noctis, vt illæsi conseruarentur greges Labani; & non hoc solum, sed & ipse somnus propter multam curam discederet ab oculis vigilantissimi pastoris. sic

Vigilantia patrisfamilias. / *S. Chrysost.*

sic ille. Æstu dicit,& gelu se aduri solitum. Enimuero vstio nihil est aliud, quàm nimia arefactio, quæ tam à calore, quàm à frigore prouenit: æstu videlicet pori dilatantur, intúsque contentus humor foras euaporat, & resoluitur: gelu autem condensatur cutis, clauduntur pori, induratur humor, minuitur, & tandem exarescit. Mira sanè Iacobi solicitudo & vigilantia, quæ somnum ab oculis fugabat: quo & boni patrisfamilias, & boni pastoris curam & vigilantiam cum primis exprimebat: illius quidem est vltimum decumbere, & primum stratu surgere; istius est noctu gregum custodiæ inuigilare.

S.Damasus.

Optimè S.Damasus Christi Vicarius, & Lusitanæ gentis columen. *Epistol.4.* ex hoc loco subintulit: Si ergo sic laborat & vigilat qui pascit oues Laban: quanto labori, quantísque vigiliis debet intendere, qui pascit oues Dei? sic ille.

Prælati vigilantia.

D. Chrysost.

Quo in argumento vberiùs excurrit S.Chrysost. ad hunc modum: Vidisti pastoris vigilantiam? vidisti intentum studium? Qualem habebunt excusationem ij, quibus rationales greges crediti sunt; & magnam præ se ferunt negligentiam: & quotidie iuxta Prophetam pecudes alias mactant, alias à bestiis captas contemnunt, alias verò ab aliis captas reducere non curant; tametsi minor sit labor, & cura facilis? anima enim est, quæ docetur: illic autem multus & corporis & animæ labor est. hæc S. Chrysost.

Sanctis timendus Episcopatus.

Et multa huiusmodi Patres sanctitate ac prudentia præditi & nouerunt & docuerunt; ac propterea sic Episcopatum, vt grauissimum animæ discrimen exhorrebant ac fugiebant. At nostra ætate, vbi & sanctitas rara est, & prudentia non multa cernitur; in aulis Principum, ac summorum Pontificum multi Episcopatus ambiunt, videlicet (ait S.Gregor.Nazianz.) vitæ subsidium & adiumentum iudicantes, non verò mortis reddendæ rationi obnoxium, sed imperium esse liberum, ac referendarum rationum metu solutum. hæc ille, *apolog.1.*

S.Greg.Naz. *Cæcitas ambitionis Episcopatuum.*

O si veniret illis in mentem, fore aliquando, vt seuero & integro iudici rationem animarum, quas susceperunt pascendas, & regendas sint reddituri! Sed ad iudicium Diuinum cæci, honore tamen, & opibus perstringuntur. Nimirum (vt concludit idem Nazianz.) pietate miseri, dignitatis splendore infelices. sic ille. Et quidem Iacob pro ablata pecude Labani vel alteram de suo grege sufficiebat, vel integrum pretium pro illa soluebat: atque hac ratione damnum, si quod gregi sibi credito accideret, resarciri poterat.

Prælatorum incuria & negligentia. D. Chrysost.

Non ita res habet in damno animarum. Quod S.Chrysost. hoc modo subnotauit. Et illic quidem, si incuria quædam acciderit, nullum damnum; hîc autem si vel vna ouis rationalis perierit, graue damnum, ineffabilis pœna. sic ille. Rem deinde colligit ad exemplum Christi, & animæ pretium incomparabile.

Animæ pretium incomparabile.

Nam si Dominus (inquit) noster sanguinem suum proprium effundere pro illa non declinauit: qua venia dignus fuerit, qui sic honoratam à Domino despicere voluerit animam: & non omnia, quæ potest, in curanda ouicula adimpleuerit? hæc S. Chrysost. *homil. 57. in Genes.*

9. *Nisi Deus patris mei, &c.*] Tam miris Iacobi officiis, tam egregiæ in pastorali suo munere & vigilantiæ, & diligentiæ barbarus homo, mille fraudes, iniurias, & iniustitias reddidit. decem quippe vicibus immutauit Iacobo mercedem. Tradunt quippe Eusebius & S.Hier. Laban, cum videret Iacobo conuentionem feliciter cecidisse, pactionem in futuram commutasse, sperantem præcedenti similem futurę prouentum. Erat etiam homini animus (adeo scilicet & agrestis & ferus erat) omnem vim Iacobo inferre, vt omni substantia, vxoribus & liberis spoliatum nudúmque dimitteret, nisi à Deo territus à facinore cohiberetur. Deum porrò vocat terrorem & pauorem Isaac, atque adeo Israelitarum, videlicet poni potest timor pro religione: quo sensu dixit etiam bonus Poëta Æneid.7.

——— *Multósque metu seruata per annos.* Virgilius.

Vel potius propriè sumi vox potest timor Isaac, timor Israelitarum, hoc est, per quem metuunt iurare, quem testem & vindicem reformidant. Sic Lucanus stygiam paludem vocat timorem superûm. videlicet quod alter dixit: Lucan.

Dij cuius iurare timent, & fallere numen. Virgilius.

Est quoque in scriptura sacra frequens Hebraismus, quo abstractum pro concreto ponitur, interdum passiuè, vt hoc loco, & in Psalmis: *Tu es spes mea & patientia mea*, scilicet in quem spero, & propter quem patior: interdum actiuè: *Diligam te Domine fortitudo mea.* qui videlicet me fortem facis. Sic etiam Apostolus loquitur: *Qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio.* 1.Corint. 1. Nempe qui nos docet, iustificat, sanctificat, redimit. 1.Cor.1.

Sed cur non dixit Deum Isaac, nec timorem Abrahæ? An quia non alicuius nisi post mortem solet ac vult nominari Deus? Etsi absolutè dicatur Deus viuorum non mortuorum: viuus siquidem mutari potest, & ex iusto fieri iniustus & improbus. nec enim decet vti nominetur Deus illius, qui in bono haud perseuerat, sed inconstans est. adeo grata Deo est hominis perseuerantia; ingrata verò inconstantia!

Grata Deo hominis perseuerantia in bono.

Constantem vult Dominus populum suum, dum ait: *Populus meus pendebit ad reditum meum.* Oseæ 11. Nimirum populus meus expectando reditum meum nón fatigabitur, non concidet animo, non amittet spem; sed constanter expectabit, & spe firma inconcussum constantémque amorem erga Deum suum fouebit. Ego verò, vt illius fidelitatem experiar, probémque amorem, dissimulabo interim differámque reditum meum. Perseueranti demum adueniam, constantem coronabo. Oseæ 11.

Vespere & mane, & meridie narrabo & annunciabo: & exaudiet vocem meam. Psal. 54. Perseuerantem orationem Prophetæ Deus exaudit: vti Theodoret. intelligit: Perfectas (inquiens) Dauid preces Deus videns nocte, interdiúque (ait Propheta) à me allatas, ab hostibus me liberabit, & gratuito pacem largietur. sic ille. Psalm. 54. Theodor.

Optandus iusto perseuerantis finis.

Sed cur primò omnium Dauid vespere apposuit? Voluit quidem sese de fine securum reddere, potiùs quam de principio: illius est enim & laus, & corona. Totam ego (inquit) vitam ô Domine in tuis laudibus transigam & insumam, à manè scilicet vsque ad vesperum. Et quidem manè & meridie, ad matutinum, vsque ad nonam quicquid laudum & festorum erit, tu Domine efficies, tuum erit. Vespere autem mihi potius est, hoc vnum eligo, hoc vehementius desidero, vt tibi vesperas concinam. Magnifacio initia & media; bene incipere; sed pluris facio finem, in quo securus fiam, in quo coronabor.

D. August. *Securitas perseuerantis.*

Bene S.August. perseuerantiam Prophetæ considerans exclamat: Quanta eius securitas? quanta consolatio? quanta refectio? sic ille.

10. Abraham hoc tempore mortuus erat. Isaac viuebat, qui post venditum Ioseph adhuc 10. annis superstes extitit. Timebat igitur tũc Isaac Dominum, colebat, & venerabatur. An timor etiam Isaac intelligitur ille, quem passus est tempore immolationis? Sic declarat Burgens. hunc timorem, & de quo paulò post scribitur: *Iurauit Iacob per timorem patris sui Isaac.* Solent enim (inquit) homi- Burgens.

Gratum Deo pro Deo pati.

ues iurare per aliqua terribilia, sicut per horam mortis, & similia. sic ille. Fortè non quia terribilis, sed quia quodammodo sacer, Deóque gratissimus timor ille Isaac habetur, filio Iacob venerationi est. Magno scilicet in pretio & honore Deus omnipotens habet quod pro illius obsequio patimur. Timuit Isaac, vt homo, mortem, sed tamen constanter sese illi obtulit. Sic ergo Dominus timorem illum Isaac acceptauit, vti amorem Abrahæ: non minùs timorem Isaac immolandi, quàm amorem Abrahæ pro Deo filiũ immolaturi Deus respiciebat & amabat. Vtrumque Dei oculis lætissimum spectaculum. Timor Isaac, hoc est pietas Isaac. illa capi potest, quam erga Deum habebat, quem religiose venerabatur: propter quam Deus filium tam pij sanctique patris ab iniuriis Labani liberauit.

Deus Patriarcharum timor.

Theodor.

B

Theodoret. ipsam Isaac pietatem censet esse ipsummet Deum, in quem illa ferebatur. sic enim loquitur: Timorem Isaac vocat pietatem ipsius, hoc est, Deum. gestabat enim ille in animo timorem Dei. sic ille, *quæst. 90. in Genes.* Igitur cum multa egregiè dicantur de huiusmodi timore; illud optimum, quod iam attigimus, per timorem Isaac intelligi Deum ipsum. Deus enim (inquit Rupertus) à timore nuncupatur; quod Græcè Θεὸς dicitur. sic ille.

Rupertus.

Quo sensu etiam loquitur Isaias: *Sanctificate Dominum Deum Israel, ipse est pauor vester, ipse terror vester.* cap. 8.

Isaiæ 8.

Nimirum dicitur Deus timor, pauor, terror, quòd sit efficiens timoris. Scholastici dicunt effectiuè, vel etiam obiectiuè, eo quòd in ipso Deo, vel circa ipsum Deum ille timor versetur. Isaac verò Deum eximio ac singulari timore, videlicet pleno reuerentiæ, ac pietatis, vnicè colebat ac venerabatur. Fuerit illa & quidem laus eximia Isaac, & sanctorum illis ætatibus virorum, vt Deum appellarent suum timorem: at vbi venit plenitudo temporis, Deus homo descendens in terras sui amoris gratiam in homines diffudit, & lex charitatis & gratiæ à Deo prædicata, recepta est ab hominibus, audent sancti viri Deum suum amorem identidem nuncupare.

C

Lex gratiæ & amoris.

Quemadmodum scribit Trithem. ex S. Dionys. beatum martyrem Ignatium dicere solitum: Amor meus crucifixus est. sic ille. *in vita Ignat.*

Trithem.

Christus crucifixus hominum amor.

Quidni amor hominum dicatur Iesus Dominus crucifixus, cũ etiam à Propheta Dei amor similiter appelletur. cecinit enim: *Cornua in manibus eius: ibi abscondita est fortitudo eius?* Abachuc 3.

D

Abachuc 3.

Legunt XXX. *Et posuit dilectionem robustam fortitudinis sua.* Et quidem cornua in manibus Domini, crucem significant, quæ non tam Christum tenebat crucifixum, quàm ab eodem tenebatur. Quis enim creatura aliqua suum ligaret, & torqueret Conditorem, nisi ipsemet voluisset, nisi seipsum libens offerret, nisi creaturam Creator & sustentaret, & quodammodo vinctam teneret, ne deficeret, imò ne defugeret? Crucem potiùs Christus, quàm Christum tenuit crux.

Christus tenuit crucem.

Sed quæ dilectio ista robusta? declarat optimè S. Hieronym.

D.Hieron.

Fecit Deus Pater Dilectum suum ab hominibus diligi, & diligi non leuiter, sed vehementer, & fortiter, vt qui eum fortiter dilexissent, & hærerent in dilectione eius, nemo tolleret eos de manu illius. hæc S.Hieron.

E

Sic enim Christum Dominum pro nobis crucifixum amare debemus. sic illi crucifixo inhærere inseparabiliter, ac si noster amor sit ipse cruci affixus. Quis enim ab amore si lapis, si truncus non sit, diuelli potest? E contrario (subnotauit etiam S. Hieronym.) diabolus facit amare nos mundum, & pro dilectione virtutis diligere vitia. & non leuiter, sed fortiter, vt de nobis possit dici: Et posuit diabolus dilectionem fortem

Inhærendum Christo crucifixo.

D.Hieron.

A

vitiorum suorum. hæc ille. Dixerit itaque Isaac Deum timorem suum: dicat nunc fidelis Dei seruus: Deus meus, amor meus: tu totus meus, & ego tuus.

11. *Afflictionem meam, &c.*] Afflictionem & laborem suum vocat, quæ scilicet apud Labanum per viginti annos passus est. *humiliationem*, siue *humilitatem* transferunt LXX. quam vocem recipiens S.Chrysost. ita locum præsentem explicat:

D.Chrysost.

Quoniam (inquit Iacob) scit Deus quomodo ego magno studio seruitutem meam perfecerim, & quantum laborem sustinuerim pascens oues die noctéque in curis versatus: ad illa respexit Deus misericors, & heri arguit te; coercuit iniustitiam, quam aduersũ me struebas, & irrationabiles tuos conatus. sic ille.

Afflictis Deus succurrit.

B

Miseratus quidem afflicti sub grauissima tyrannide Dominus serui sui, Labanum oppressorem, ac tyrannum cohibuit, & minis insuper deterruit, ne vllum deinde innocenti malum inferret. Certum namque est (ait hoc loco Rupertus) præconium iustitiæ, Deum testem aut defensorem habere. sic ille.

Rupertus.

Testis est enim Deus innocentiæ iustorum, defensor ipsorum cum iniustè opprimuntur. Iccirco enim malè habẽtur, quia Deo inseruiunt: virtúsque illorum aduersarios conflat, armátque: nec illa solet esse in pace, & in otio.

Deus iustorũ defensor.

Enimuero vbi persecutio, ibi virtus: & quò magis proficit quis in virtutibus, eò pluribus, ac vehementioribus oppugnatur aduersariorum insultibus. Quod in suis tribulationibus apprimè Dauid intelligens nouo quodam gestiebat gaudio, atque in Dei laudes gratus erumpebat: *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me.* Psalm. 29.

C

Persecutio virtuti præsto est.

Psalm. 29.

S.August.

Pulchrè ad hunc versum sic effatur S.Aug. Vera erit vox ista in populo Dei, qui modo angustiatur, modò tribulatur tantis tentationibus, tantis scandalis, tanta pressura. Hæc tormenta animi non sentit in Ecclesia qui non proficit; putat enim quia pax est. Sed incipiat proficere, & tunc videbit in qua pressura sit: *Quia cum creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania.* Matth. 13. Vnde Apostolus 2. Timot. 3. *Omnes qui volunt piè viuere in Christo, persecutionem patientur.* hæc S.August.

Matth. 13.

2. Timot. 3.

Suos quidem Dominus exercet ac probat persecutionibus; sed eos tamen, à quibus exercentur, & probantur, persecutores non inultos relinquet.

D

Persecutores qui reseruantur.

Sunt zizania, quæ tandem in fasciculos ad comburendum colliguntur: triticum autem, quod zizania suffocabant, in horreum cœleste congregatur. Insequitur Laban Iacobum, persequitur mundus religiosum, Christi alumnum (inquit Rupert.) mundum fugientem, id est, nihil in hoc mundo possidere cupientem, dum eum mundus malis exemplis, nonnunquam etiam vt sibimet conformare nititur. sic ille.

Rupertus.

Cæterũm occurrit Dominus Labano, hominémque à nefario conatu compescit, arguitque iniustitiæ contra innocentem millies patratæ.

Seculares arguuntur à Deo pro religiosis.

Sic etiam (adiungit Rupert.) Deus propter eos, qui Christi sunt, quique in sancta Ecclesia eius vsque ad finem seculi non deerunt, iugiter arguit mundum, cuius redargutiones secularium corda paulatim emolliunt. sic ille.

E

Vide quàm nobis vtile sit, quámque gloriosum in hoc seculo humiliari: humiliationem Iacob respexit Dominus. & malè quis putarit se à Deo despici, cum permittitur humiliari.

12. Quòd si humilitatem cum L X X. legas, pulchrior adhuc sensus existet in laudem humilitatis, quæ tam pulchra, tantæque dignitatis est, vt etiam Dei oculos in se rapiat. Quod de se ipsa cecinit beatissima illa Domini ancilla: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Luc. 1. Et cum omnes,

Lucæ 1.

atque

atque in summo gradu admirabiles in Virgine virtutes eminerent, de sola humilitate dicit: *Quia respexit humilitatem ancillæ:* atque adeò in actu humilitatis vltimum denique incarnationis Dominicæ fundamentum locatum est. Vbi enim Virgo sanctissima dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum,* Luc. 1. augustissimum incarnationis mysterium diuina Trinitas operata est. Quare (licet dicere) humilitati Virginis Deiparæ potius, quàm cæteris illius virtutibus obligatum est humanum genus. Neque verò solùm ancillam se dicit Virgo benedicta præsentem statum agnoscens, nondum Mater Dei effecta: sed in omne tempus, ac statum subinde futurum, & ancillam se nominat & profitetur. Quod enim in Virgine Dei Matre (etsi cuncta sint admirabilia) omnem videtur excedere admirationem, hoc vnum maximè apparet: nimirum cum se videret Matrem Dei, Reginam mundi; ita nihilominus se moderatè modestéque gerebat, vt veluti vnam ex cæteris fœminam, opificis coniugem, pauperculam, imò & ancillulam se reputaret atque ostenderet. Sic edocta fuit ab Spiritu sancto, qui Virginis personæ, gratiis, & meritis nouam quandam prætendit vmbram; ne, dum Filius eius redemptionis opus perageret, quæ tanta Matris esset dignitas & maiestas, proderetur. Et quidem de ineffabili sapientia Virginis idipsum S. Bernardin. ita statuit: Sciendum est, quod licet Virgo Deipara habuerit omnia genera gratiarum, non tamen habuit illa ad quemcunque vsum, sed ad vsum altiorem, & nobiliorem, & qui mulieri meritò congruebat. Sicut v. g. habuit donum sapientiæ non ad vsum publice docendi, vel prædicandi, iuxta Apost. 1. Tim. 2. *Mulierem docere nō permitto.* sed habuit ea ipsa ad altiorem vsum, scilicet ad Diuina gustandum & contemplandum. hæc ille, *tom. 1. 2. serm. 51. art. 3. cap. 1.* Matrem suam Dominus voluit humilitatis esse magistram, nec in illa vel tenuem vanitatis vmbram apparere. Satisque iudicauit Virgini esse gloriosum, & nobis fructuosum; si illius exemplo, non autem prædicatione instrueremur. Humilis Mater humilem peperit Filium, qui se exinaniuit formam serui accipiens, & humiliauit vsque ad mortem & ignominiam Crucis: simillima Filio Mater, ouis agno. Vera profectò Rachel, quæ ouis dicitur: sed illa longè pulchrior, longéque purior. Periclitatus est Iacob, vniuersáque illius familia ob vnius Rachelis furtum. At nostra Rachel, Virgo Dei Mater, nobis est ab omni periculo refugium: spes & fiducia post Deum, salúsque mortalium; in vita, inter fluctus, inter laqueos, inter malleum & incudem, in morte ipsa, inter furias dæmonum securus felixque consistit, quisquis Virginis Dei Matris gaudet patrocinio.

Humilitas ad incarnationem vltima dispositio. Lucæ 1.
Mira humilitas B. Mariæ.
S. Bernardin. *Sapientia B. Mariæ occultata.*
1. Timot. 2.
B. Maria exemplo prædicat.
B. Maria patrocinium.

SECTIO XIV.

Respondit ei Laban: Filiæ meæ & filij, & greges tui, & omnia quæ cernis, mea sunt: quid possum facere filiis & nepotibus meis? Veni ergo, & ineamus fœdus: vt sit in testimonium inter me & te, &c. vsque ad finem.

1. R*Espondit ei Laban.*] Commemorauit Iacob sua erga socerum officia, & soceri econtrario fraudes & iniustitiam, quæ barbarus homo nec diffiteri potuit, nec excusare. Imo (vt subnotauit S. Chrys.) erubescens Laban de his, quæ dixerat Iacob, nunc in timore assistit, & fœdera inire vult cum iusto. Vide prouidentiam Dei: qui tanto impetu ad persequendum exierat, timore coactus est, vt ab eo fœdera quæreret. sic ille. Simulauit tamen homo astutus pietatem paternam, qua minimè præditus erat; nec enim patris viscera ferebant, vti quicquam mali Iacobo inferret, cum pariter & filiæ, & nepotes à patre & auo cum Iacobo essent affligendi. *Quid possum* (inquit) *facere, &c.* Quasi dicat (explicat Abulens.) Dato quod vellem facere, quod malum possem facere, id est, deberem facere filiabus meis, & filiis tuis, qui sunt nepotes mei? Quasi dicat: nullum. Quia amor consanguinitatis inclinat ad oppositum. sic ille. Hoc est veteratoris ingenium; simulat pietatem, & dissimulat feritatem, qua stimulatus nihil non inferret nocumenti Iacobo, si Diuino oraculo prohibitus non fuisset. Fuit hoc Diuinæ prouidentiæ, & potentiæ opus. At vafer & impius suæ id pietati adscribit; quasi dicat; Possem liberè atque impunè debitas de te pœnas exigere: non faciam tamen, quia pater sum. Virtutem venditat, beneficium prædicat, quod coactus facit, quod inuitus præstat. Immitis homo laudem sibi comparat non ex bono quod facit, sed ex malo quod non infert. non quòd beneficium donet alicui, sed quòd nocumentum non irroget, à quo tamen inferendo non voluntate propria, aut etiam pietatis studio reuocetur, sed Diuina cogente virtute cohibeatur. Sed operam miser & oleum perdit; satis eius astutia Iacobo tot per annos est manifesta. Non capitur Iacob illius verbis, non credit ori, cuius nouit felle amariora viscera. Laban ille prorsus est, de quo sapiens: *Viam prauam & os bilingue detestor.* Prouerb. 13. Viam prauam vocat & victam, & ingenium, & consuetudinem versipellis hominis: vbi nihil rectum, nec planum, nec facile; omnia labyrinthus. De huiusmodi sycophantis scribitur: *Terram ingrediuntur duabus viis.* Eccles. 2. Altera scilicet via tecum incedunt, te comitantur, te amicè deducunt: altera subinde recedunt, te fugiunt; imò & tibi aliquando insidiantur. Aut velut si quis eodem vtróque itinere gradiens nunc in aduersam, nunc in obuersam partem pergat, tibique iam faciem, dein terga ostentet: modò amicum, modò inimicum se præbens. Sed celari fraus diu non potest. Cadet veterator aliquando tandem, vnde non resurget. quod Prouerb. 28. ita scribitur: *Qui peruersis graditur viis, concidet semel.* Enimuerò qui lupum ita sub ouina pelle tegit, demum ipse se prodit, vt detecta omnibus fraude velut ad meridiem visendus prodeat: iuxta illud: *Qui deprauat vias suas, manifestus erit.* Prouerb. 10. Nimirum (vti explicat Beda) qui prauis incedit viis, nolens licet, patescit, ac digna factis recipit. sic ille. Contra verò, *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter.* Prou. 10. *Maior est pauper in simplicitate sua, quàm diues in prauis itineribus.* Prouerb. 28. Accreuit scilicet substantia iusti & simplicis Iacob; magnificatus ille familia, liberis, opibus, seruis fuit: Laban insigne in iis omnibus accepit detrimentum. Illi sua iustitia & simplicitas profuit: istum suæ fraudes, suáque malignitas labefactarunt. Nam (vt eodem cap. scribitur) *Qui decipit iustos in via mala, in interitu suo corruet: & simplices possidebunt bona eius* Prouer. 18. Scio placere nonnullis, imò & necessarium omnino videri, vt fraudibus, ac dolis, atque adeò imposturis, ne dicam mendaciis, vtantur ad gubernandum tam in seculari, quàm in Ecclesiastico regimine. Sed prorsus falluntur. Non rector est, non princeps, nec prælatus, qui veteratoriis vti-

S. Chrysost.
Ingenium vafrum & immite. Abulens.
Vafro & immiti non credendum.
Prouerb. 13.
Eccles. 2.
Fraudes non diu teguntur. Prouerb. 28.
Prouerb. 10. Beda.
Prouerb. 28.
Prouerb. 28. *Dolo dedecet sinceritatem regentis.*

[1 Reg. 13.] tur artificus. Audi locum optimum ex 1.Reg. 13. *Filius vnius anni erat Saul, cum regnare cœpisset: duobus autem annis regnauit super Israel.* vbi egregiè [Theodor.] Theodoret. commentatur. Hoc significat quam tener esset eius animus, quando fuit rex electus. Illo autem non diu est vsus. Vnde subiungitur: *Et duos annos regnauit*: nempe cum ea simplicitate regnauit duos annos. Reliquum tempus, quo perrexit regnare, reputatum est esse administrationis Samuelis. hæc Theodoret. *q.28. in 1. Reg.* Vbi fraudes doliqúe, non est verum regnum, vera hominum moderatio; nec dignus est fraudulentus, [*Simplicitas in rege prudente.*] cui Diuina gratia opituletur. Cum enim à prima illa simplicitate puerili declinauit Saul, nudatus [Theodor.] (inquit Theodoret.) fuit Diuina gratia. sic ille. Nec enim Dei simplicissimi gratia in corde duplici, in anima fraudibus & dolis cooperta recipitur. Et Salomon, vti petiit, ita suscepit à Deo cor docile, siue cor intelligens, siue cor prudens. Hebr. שמע *xomeag*, à verbo *xamagh* שמע *audire, obedire.* Cor Salomonis parebat legi Diuinæ, atque illustrationi. Legunt enim alij, *Cor illustratum.* quale scilicet habet vir obediens Diuina gratia illustratum; vbi est simplicitas puerilis, qualem tunc habebat Salomon, qui aiebat: *Ego sum puer paruulus, & ignorans, &c.* [3 Reg. 3.] 3.Reg. 3. Præsto est Dei gratia viro simplici & obedienti.

2. *Veni ergo & ineamus fœdus.*] Mirum profectò est quid sit, quòd Laban ingenio ferox, & viribus præpotens, validáque instructus seruorum, & cognatorum cohorte: qui contra peregrinum & præsidio destitutum, atque inermem Iacob aduenerat furens & minax; tunc demum mutata voluntate, deposita iracundia, furoréque compresso, fœdera pacis à Iacobo fugiente petat, quasi timeat armatus inermem, robustus infirmum, stipatus milite solum penè ac nudum subsidio, irruens ac minabundus fugientem ac paulò antè contetritum. Sed quid mirum? Ille impius, iste iustus: illic vitium, hic virtus. [*Vitium ipsa infirmitas.*] Vitium quidem est ipsamet imbecillitas: quænam quæso fortis & constans anima labitur in vitium, & non se potiùs tenet vndique à vitiis impetitam? At virtus vel suo ipsius nomine constantiam præfert ac fortitudinem. [*Vitium fuco decipit.*] Impugnat hominem, sed non expugnat vitium vtens viribus, quibus omnino caret, sed fuco & illicio decipit: non vim voluntati infert, sed voluptatem obiicit, eámque falsam & absurdam, sed cui facilè infirmitas carnis illecta succumbit. Quin etiam vt humanam decipiat mentem, quod vi non efficit, arte demum exequitur vitium; dum virtuti semper ex insidiis proximè assistit, vt venientem ad virtutes animum in vitia, quæ statim blanda specie occurrunt, detrudat. [S. Basil.] quod ita S.Basil. eleganter eloquitur: Proxima, & veluti contiguis ianuis gentiles quoque aiunt vitia esse virtutibus. [*Vitium & virtus contiguis habitant ædibus.*] Quælibet denique virtutis ianua simillimam in vitia ferentem vtrinque speciem aperit; vt qui ad virtutem ingredi nititur, eius primum ianuæ assistens, dum hanc se pulsare arbitratur; aperta sibi hinc aut inde altera ex vitiorum ianuis, deceptus maxima similitudine ingrediatur veluti virtutis domum. hæc ille, *lib. de vera Virginit.* Itaque virtus & vitium vicinis, quin etiam contiguis, habitant ædibus: quarum ostia & limina non vicina tantùm, sed etiam perquàm similia visuntur, ita vt pro virtutis ostio frequenter quis ostium vitij deceptus ingrediatur. [S. Basil.] Hoc ipsum exemplis luculenter ipsemet statim comprobat ad hunc modum: Hoc modo eos, qui audentes ad virtutem esse cuperent, fallens temerarios arguit: qui verò temeritatis probra metuerunt, eos timidos ac pusillanimes prodidit. Et qui misericordes esse studerent, ad vitia malè molliuit: qui verò misericordes esse renuerent, immites immanésque declarauit. Ita & qui charitatis pulchritudinem sequuntur, eos falso dilectionis nomine vel ad voluptates corporis, vitámque cunctis execrabilem deiicit: vel eius probra & opprobria pertimescentes odisse fratres, & absque vllo boni sensu persistere facit. hæc S.Basil. Contiguis itaque sub tectis morantur virtus & vitium, exempli gratia, zelus, & temeritas; misericordia, & remissio; grauitas & feritas; charitas sancta, & amor impudicus. & quidem vitium venientes non vi pertrahit, sed fraude dolóque allicit.

3. Petit armatus ab inermi pacis fœdera: quis crederet? petit improbus à iusto viro: timet improbus iustum; nihil planè mirum. Audacem & fortem virtus facit, timidum & imbecillum reddit vitium. Corruit Heli retrorsùm, videlicet quia [1. Reg. 4.] peccauerat, ait S. Hieron. contrà verò Ezechieli [*Peccator infirmus.*] iubetur: *Fili hominis sta super pedes tuos. Et ingressus* (inquit) *est in me spiritus, & statuit me supra pedes meos.* Ezech. 2. vbi optimè S. Hieron. standi ver- [D. Hieron.] bum expendit: Nullum peccatorem stantem legimus: sed ad Sanctos dicitur: *State ergo succincti lumbos vestros.* Ephes. 6. Peccator autem illud [ad Ephes. 6.] Deuter. meretur audire: *Non erit stabile vestigium pedis tui.* Deuter. 28. sic ille. [Deuter. 28.] Infirmus sanè peccator est: stare pedes non potest, semper iacet. Ignauus est, nec magnum quid arduúmque aut meditatur, aut aggreditur. A terra sursum haud erigitur, terram amat, terrestribus contentus & lætus bonis viuit. Vel ad leuem non dicam tentationem, sed tentationis vmbram succumbit, concidit, animam tradit aduersario. Econtrario iustum inuenit [*Iusti constantia.*] omnis casus. Cælum suspicit iustus, cælo stans infert vim, cælúmque diripit. Impugnat diabolus, & instando acrior fit. Nam vt egregiè animaduertit Tertull. [Tertull.] tentationes nonnunquam instando perficiunt. sic ille, *lib. de cultu fœm. c.2.* [*Tentatio instando perficit.*] At iustus instantē hostem stando excipit, & repellit. Quod actitabat Propheta: *Super custodiam* (inquiens) *meam stabo, & figam gradum super munitionem, & contemplabor vt videam.* Abachuc. 2. [Abach. 2.] legunt LXX. *Ascendam super petram meam.* vbi legimus, *Figam, &c.* Sensus est (ait S.Hieron.) [D. Hieron.] Custodiam omni diligentia cor meum, & stabo super Christum petram: & hoc gyro & circino quasi muro sepiar, ne ad me leo rugiens possit irrumpere. sic ille. Vbi enim habemus: *Super munitionem:* Theodotion vertit *gyrum.* Aquila *circinum.* Sic tutus viuit, sic [*Iusti contra tentationes fortitudo.*] fortiter aduersus tentationes persistit iustus, quia cautus, quia intra munitionem inclusus, quia murorum gyro circundatus, quia intra sphæram in ipso puncto circini reclusus, quia procul ab occasionibus, & illecebris; quia denique in Christo fundatus. Rugiat ergo tartareus leo; circuire poterit, non tamen irrumpere. Non deficit iustus, quia fortis, dum per angustam viam graditur ad cælum, vti de se aiebat regius Propheta: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Psalm. 118. ergo subintulit S. Ambros. [Psalm. 118.] Via sit angustior, cor latius, *serm. 4. in Psalm. 118.* [*Latum iusti cor.*] Nec enim iusti cor angustus in lege Dei callis reddit angustum: sed illius potiùs latitudo latam facit Diuinæ legis angustiam. Etiam vires corporum, animorum constantia, res bello fortiter gestæ, vbi peccata gliscunt, irritæ cassæque redduntur: cum [*Conscientia peccati facit timidum.*] ipsa scelerum conscientia timidos facere ignauósque soleat. Profectò vbi effusè vltra modum flagitia Romanorum creuerunt, Romanorum illico

imperium

imperium concidit; scilicet ignauissimis alioqui barbaris traditum est deuastandum, quod fortissimi quondam Romani, sed vitiis tandem eneruati atque ignaui nec defendere, nec conseruare potuerunt. Multa de hoc argumento ex S. Saluiano alibi iam commemorauimus. Illud ego subiiciam de nostris, quod à forti viro & indicis bellis multos per annos exercito accepi: Valere plurimum ad bellicam constantiam, & audaciam in periculis, vt quis sana & bona conscientia, ritè nimirum confessus, & Diuina gratia se munitum existimans prælium aggrediatur. Contra verò aiebat ignauissimum se præbere hominem in prælio, quem peccatorum, in quibus adhuc miser detinetur, conscientia deprimit & eneruat. Nimirum facinorum recordatio ingerit etiam menti gehennæ

Romani ob vitia conciderunt.

In bello ignaui peccatores.

Vir iustus ad bellum audax.

B timorem, ac subindè condemnationem sempiternam, cui sese videt expositum, qui bellum ante oculos & in bello mortem cernit. Qui verò se in gratia Dei constitutum arbitratur, sperat sibi adfuturum Dei præsidium; quo armatus aut mortem euadet, aut mortuus cœlestem beatitudinem assequetur. Vel scilicet viuus triũphabit, vel mortuus in quoddã quasi martyriũ à Deo subuehetur.

4. *Tulit itaque Iacob, &c.*] Sanciendo vtrinque pacis fœderi parauit Iacob theatrum: videlicet aggerem lapidum, seu suggestum longum, latúmque, sed plana superficie; in quo nimirum velut in mensa geniali pacis & amicitiæ fœdera celebrarent. Suggestum istud nominauit Iacob Hebræo idiomate *galaghed*, גלעד *tumulum testis*, גל

C *gal* siquidem *tumulus* est, *ghed* עד *testis*. dein paulatim inflexa voce *galaad* dictus est. Laban verò natione Syrus Syriacum nomen indidit *Iegar Sahaducha*, aceruus est testimonij. sic S. Hieronymus, & peritiores loquuntur. Interpres nomen Syriacum Iacobo, & Hebræum Labano tribuit, quod quidem multis grande facessit negotium: quod tamen in Hebræo fonte nullum est. Quare sunt qui suspicentur à librariis Latini interpretis verba iam olim transpositis his duobus nominibus inquinata: & Latinum bene vertisse iuxta fontem Hebræum & Chald. & LXX. Quod si hoc minus placet; dici potest eadem verba ab vtroque simul prolata fuisse, atque incipiente Iacob vocare

D *Tumulum*, consequenter Labanum prounciasse *Tumulum*: & proferente Labano *aceruum*, Iacob consequenter reddidisse *aceruum*. Quare illi, qui nomen ab altero impositum elata voce repetiuit, tribuitur ab interprete Latino. Pronunciauit igitor Laban, cuius intererat magis celebratio fœderis, *Tumulum testis*. Hebr. vocauit nomen eius *Galghed & Misphah* המצפה significat *speculã* quia dixit: *Speculetur Dominus*. LXX. vertunt: ἡ [illegible] *visio*. Igitur huic tumulo tria sunt nomina imposita, Syrum videlicet & Hebræum, de quibus dictum est; & hoc aliud etiam Hebræum: *Misphah*. Tumulus quidem testis, videlicet fœderis initi. *Misphah*, quia Deum testem aduocans Laban adiunxit eum desuper hoc cernere, & quasi specula-

E torem fœdus celebrantibus imminere, vt nimirum iudicet quo pacto sancita vtrinque fœdera seruentur. Fauet Deus de cœlo pacem & constituentibus, & seruantibus; nec aliud minus Deo gratum, quàm discordia bellúmque. dicitur Deus pacis, non belli. Veniensque in mundum Deus homo in se omnia pacificans etiam ab ipsis cælimilitibus pacem acclamari voluit. *Luc.* 2. & Petri gladium edicto compescens bellum & arma quodammodo reprobauit, iuxta illud Tertull. Omnem postea militem Dominus in Petro exarmando discinxit. sic ille. *lib. de idololatr. cap.* 19. Insigne

Deus pacis amicus bellũ reprobat.

Lucæ 2.

Tertull.

A quidem suplicium Deus regno & Reip. & ciuitati, ac familiæ infert, cùm pacem aufert omnium bonorum fontem. Sic per Hieremiam effatur: *Abstuli pacem meam à populo isto, dicit Dominus, misericordiam & miserationes*. cap. 16. Sunt enim (occurrit S. Hieron.) misericordia indigni. sic ille. Misericordia verò Domini & miserationes cum pace sic inseparabiliter coniunctæ sunt, vt illa bellis ac discordiis repulsa pariter istæ auferantur.

Hierem. 16.

D. Hieron.

Graue supplicium pacis ablatio.

5. Pestem, famem, bellum, tria summa in orbe mala. horum alterum vt suo populo in pœnam eligeret, data est optio Dauidi. pestem maluit, *Melius* (inquiens) *est mihi incidere in manus Dei, &c.* 2. Reg. 24. Quasi existimet nec bellum, nec famem esse à manu Dei supplicium. Enimuero vti iudex

2. Reg. 24.

B reum cædi iubet: non manu propria, quæ iustitiæ clementiam admisceret, & rigorem prudentia temperaret; sed carnifici, quem neque clementia emollit, neque prudentia moderatur, truculento & furioso supplicium de reo misero committit. Ita Deus omnipotens, cùm ob nostra scelera vehementer indignatur, bellorum calamitatem aut Diuina bonitate indignam, aut Diuinæ misericordiæ valde contrariam, seruis, iisque abiectissimis & truculentissimis, atque adeò ad carnificinam appositissimis exequendam constituit. Quo sensu loquitur: *Assur virga furoris mei, & baculus ipse est: in manu eorum indignatio mea ad gentem fallacem mittam eum.* Isai. 10. Manu quidem sua pater flagellat, iudex per carnificem: aut si & virgam pater in ma-

Bellũ Diuina vindicta graue suppliciũ.

Isaiæ 10.

C nus assumat vt filium diuerberet; & bacillũ, vt percutiat: profectò ne hostes ipsi & carnifices sibi de victoriis & triumphis glorientur: flagellato filio, & precusso ad correctionem, receptoque demum in patris gratiam, pater virgam & bacillum in ignem mittit. Sic tyranni, sic barbari sempiternis incendiis destinantur: fideles autem Christi per illos flagellati & eruditi à patre cœlesti recipiuntur, & honorantur. Etiam Laban (quod miteris) speculatorem vocat Deum, illiúsque oculos, quibus nihil est occultum, nunc reueretur, ponitque Iacobo pertimescendos. At infelix sua flagitia, quæ in Iacob innocentem patrarat, non expendens, nunquam antea speculatorem Deum agnouit. Quis enim si lapis aut stipes non

Tyranni deputati gehennæ.

Fidelis peccat in oculis Dei.

D sit, peccare in Deum audebit, si meminerit se in oculis Dei peccare? Idcirco cæteris paribus grauiùs peccat fidelis, quàm infidelis. Ille quidem multò impudentior, quippe Deum ante oculos habens offendit, iste Deum nesciens velut à tergo illum habens lædit. Quare cognitio Dei, ipsiúsque legis & fidei, peccantem seueriùs accusat & condemnat: ne quis inaniter ac stulte sibi blandiatur de lege Christiana, quam profitetur, gloriabundus. In quo argumento multa diuinitus scripsit S. Saluian. Massiliensis Episcopus. Nunc paucula subiiciam. Quòd (inquit) lex bona est, nostrum non est: quod autem malè viuimus, nostrum est: & nihil vtique nobis prodest, quod lex est bona, si vita nostra & conuersatio non est bona. Lex enim bo-

Fidelis grauius peccat.

S. Saluian.

E na, est muneris Christi: vita autem mala criminis nostri: imò hoc magis culpabiles sumus, si legem bonam colimus, & mali cultores sumus. Quin potius nec cultores, si mali: quia cultor dici non potest, malus cultor: neque enim colit, qui rem sanctam non sanctè colit. ac per hoc accusatrix nostri est lex ipsa, quam colimus. hæc ille, *lib. 4. de proud.* Heu nos miseros, qui fidem Christi & habemus, & colimus: sed eam nihilominus dedecoramus nostris sceleribus: & quam deberemus habere adiutricem salutis, habemus nostrorum flagitiorum accusatricem!

6. Haud dubiè super illum aceruum latum & planum, ad instar mensæ constructum, pacis & fœderis conditores amicum & lætum celebrarunt conuiuium. hoc enim maximè solent mortales amicitiam & significare, & confirmare. Quem ipsemet Deus homo seruare voluit morem, cum ad sopiendas inimicitias; firmandámque pacem, & amorem demonstrandum inter Deum & homines, atque mutuum etiam inter ipsos homines, augustissimum, & iucundissimum sui corporis, & sanguinis epulum instituit & construxit. de quo optimè Clem. Alex. Pax (inquit) & dilectio simplices, & quæ lites ac negotia fugiunt sorores: nutrimentum eis verbum est. sic ille, *pædagog.* 1. *cap.* 12. Pax nimirum, amor, concordia nutriuntur Verbo incarnato, cùm in Eucharistia sacramento Vnionis & amoris caro & diuinitas Christi Domini assumitur. Quòd si quis ausit temere accedere ad sacramentum amoris, cum tamen odiis, atque iris excandescat, sciat se grauissimā corpori agni Dei inferre iniuriā. Edixit ergo Dominus ipse: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersū te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.* Matth. 5. Non acceptat Dominus munera hominis à pace & concordia alieni. Vnde optimè subintulit S. Hieron. Si munera nostra absque pace offerre non possumus, quantò magis & Christi corpus accipere? Qua conscientia ad Eucharistiam accedam, & respondebo, *Amen*, cum de charitate dubitem porrigentis? S. Hieronym. *Epistol. ad Theophil.* contra errores Ioann. Hierosol. Sacerdos qui Domini corpus communicantibus dispensat, ab omni discordiæ vmbra debet esse alienus; & qui etiam Dominicum corpus assumit, ad eandem charitatis concordiam obligatur. Quid enim tam præposterum, tàmque ineptum, imò & tam importunum & tam sacrilegum, quàm vt rabiem luporum, & serpentum virus pectore gestans Agni Dei carnem & sanguinem epuleris? Nec istud Iacobi & Labani conuiuium sine pace, communique omnium gaudio celebratur; nec ex conuiuio Christi cœlestibus & inexplicabilibus deliciis animæ fidelium rite communicantium non perfunduntur. Sūt illæ deliciæ, quas Apostolus vocat fructus Spiritus: *Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, modestia, cōtinentia, castitas.* ad Galat. 5. Hæ autem (occurrit Clem. Alex.) lætitiæ habent quoddam charitatis incitamentum ex nutrimento publico, quod ad æternam assuefacit immortalitatem. sic ille, 2. *pædagog.* 1. Itaque amoris illæ Christianæque charitatis deliciæ pariter cum corpore Christi Domini in Eucharistia comeduntur. Istud est nutrimentum publicum, mensa in Ecclesiis proposita fidelibus, cuius esca immortalitatis amorem, & quandam quasi dolcedinem sempiternæ beatitudinis mentibus communicantium ingerit. Quare frequentatio Eucharistiæ (qua nihil salubrius & sacratius) hominem ad cœlestem beatitudinem assuefacit. Iccirco Vates regius cecinit: *Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.* Psalm. 49. Quod autem aliud magis propriè sacrificium laudis esse ac dici potest, quàm sacrosanctæ Eucharistiæ mysterium à Christi sacerdote celebrari solitum, in quo recta ad cælum via fidelibus ostenditur, & cœlestis gloriæ pignus offertur?

Eucharistia conuiuium fœderis & pacis.

Clem. Alex.

Eucharistia sacramentum amoris.

Matth. 5.

D. Hieron. Sine charitate non accedendum ad Eucharistiā.

Deliciæ spiritus cum Eucharistia capiuntur.

ad Galat. 5. Clem. Alex.

Psal. 49. Eucharistia ad cælū via.

7. *Intueatur, & iudicet.*] Miror pietatem hominis hucusque infidi, barbari, & veteratoris: & quidem in mensa & post epulum, iam pacis vtrinque

A firmata fœdera. Proh quam multa & egregia tum animæ, tum corporis bona ex conuiuio pacis, ex mensa Domini proueniunt! Mensam Dei (quod alibi probauimus) vtique semper Virgo Dei Mater est. In ea panis vitæ primò à Deo mortalibus est propositus, & cum eo simul vniuersi Diuinitatis thesauri. Hæc mensa est omnium bonorum, gratiarum, & misericordiarum Dei. Quis enim vllam aut desideret, aut exposcat, quam in Virgine Matre non inueniat: cuius illa diuinitus effecta non sit dispensatrix? Pulchrè quidam dulcitérque pietatis affectu ad hanc Dei mensam, & gratiarum thesaurum accedens ita exclamat: O mihi sola Domina, mea ex Deo consolatio; ardoris, qui est in me, ros diuinus; exsiccati mihi cordis diuinitus irrorans aspersio, tenebrosæ animæ meæ lampas lucidissima: vires meæ imbecillitatis, nuditatis amictus, opes mendicitatis, immedicabilium vulnerum curatio, lacrymarum ablatio, requies gemituum, alleuatio dolorum, vinculorum solutio, spes meæ salutis, & bonorum omnium remuneratio. hæc S. German. Constant. *de præsent. Virgin.* Audacter, confidentérque inuocanda est Virgo Deipara, quippe quæ diues sit vt habeat; & potens & quodammodo omnipotens vt possit: & misericors vt velit quicquid ab illa petimus, elargiri. Super hanc mensam assistit Deus qui omnia intuetur, testísque omnium sermonum, qui ad eam & in ea peraguntur, exauditque preces fidelium, qui Virginem Dei Matrem C piè deprecantur, dolentérque implorant. Rectè hic Labanus Deum & pacti & sermonis testem dicit, etsi hominum oculi, testimoniáque abessent. Nullus (inquit) sermonis nostri testis est absque Deo, qui præsens respicit. hoc est: Cogitandum nobis omnino est, etsi mortalium nullus adesset, Deum esse præsentem, & semper inspectorem operum, & cogitationum vtriusque etiā post discessum, futurum; quem scilicet nihil vspiam latere potest. Videt ille omnia, examinat, & indelebili memoria custodit. Habet siquidem librum vitæ, in quo nihil quod semel exaratur, vnquam delebitur; viuunt in illo cuncta quæ scribuntur, & sibi ne dispareant, & Dei memoriæ, ne excidant, & in obliuione sepeliantur.

B. Maria mensa Dei.

Bona omnia ex B. Maria.

S. German. Inuocanda B. Maria.

Dēo cuncta & parent & durant.

D 8. *Si afflixeris filias meas.*] Quotidianum est, etsi detestabile, vt vir vxorem malè afficiat, si miseram parentum & cognatorum videat patrocinio destitutam. Quod enim vnquam coniugium extitit etsi grandi amore coniugum & primò inceptum, & deinde celebratum, quod stabili amoris & pacis & concordiæ cursu multos menses, ne dicam dies perstitisset? Enimuero (vt eleganter scribit S. Greg. Nazianz.) corporum amores, quia rerum fluxarum sunt, fluunt quoque ipsi, non secus ac veris flores. Nam nec flamma consumpta materia remanet, sed vnà cum ea extinguitur: nec cupiditas marcescente fomite subsistit. sic ille, *orat.* 20. Rectè quidem, ingruēte hyeme veris gratia perit, flores herbæque marcescunt: absumptoque oleo, E quo flamma nutritur, ignis extinguitur. sic planè coniugum amores specie quidem, valetudinéque in primis corporum, & bono ingenio comitatéque vtriusque, maximè verò copia ipsa rei familiaris, quasi pabulo aliti fouebantur. Vbi verò hæc omnia paulatim deficere incipiunt, amores illi similiter refrigescunt, demúmque aliquando desinunt in dolores. Quòd si adsunt parentes & cognati vxoris, magnum solent afferre coniugio emolumentum ad sublenandam egestatem, ad resarciendos animos mutuis iniuriis dissociatos, & ad stabiliendam pacem ne dissoluantur: at illis ab-

Coniugum amor inconstans.

S. Greg. Naz.

sentibus

ſentibus omnia huiuſmodi tolluntur præſidia & leuamenta. Durat per totam vitam amor coniugum, qui in Deo fundatur. Vnde amplius adiungit idem Greg. Naz. At pudici & Deo grati amores, quandoquidē rei ſtabilis & firmæ ſunt, propterea diuturniores etiam ſunt. ſic ille, *orat. cit.* Eſt autem Deus ipſe coniugij patronus ac defenſor, vindéxque; illatámq; alteri ab altero iniuriam intuetur, ac iudicat: vti haud dubiè faceret ſi contra ius fáſque Labani filias Iacob vxores ſuas affligeret. *Præſens* (inquit Laban) *Deus reſpicit*, & pactum ſoceri cum genero, & multò potius viri cum vxore, quod ſartum tectúmque vult, quippe qui præſens arbiter coniugio ſemper aſſiſtat: nec quos ille in ſanctum matrimonium coniungit, ſi peccabunt, niſi in oculis Domini mutuam ſibi iniuriam, Deoque ipſi facient. De fidelibus & qui in facie Eccleſiæ ante oculos Dei contraxerunt, quíque fidem & Deo, & mutuam ſibi promiſerunt, iſtud potius, quàm de infidelibus intelligendum eſt. quod ex loco Hieremiæ ita comprobo. *Erant* (ſcribit Propheta) *filij Iſrael, & filij Iuda iugiter facientes malum in oculis meis ab adoleſcentia ſua.* Hierem. 32. legunt LXX. *Erant filij Iſrael & Iuda ſoli facientes mala in oculis meis.* vbi S. Hieron. Oritur quæſtio, num & aliæ gentes eo tempore malum non fecerint? Quod ſic ſoluitur: qui habet iuſtitiam Dei & recedit ab eo, ſolus peccat in oculis Dei; qui verò increduli permanſerunt, quaſi illo non vidente, & negligente delinquunt. ſic ille.

S.Greg.Naz. *Deus matrimonij vltor ſeuerus iniuriæ.*

Hierem.

Coniuges peccant in oculis Dei.

D. Hieron.

9. Dei præſentiam conteſtatur ſocer, vt generum moneat inuiolati ſanctéque ſeruandi coniugij: nam cùm Deus præſens ſit intueatúrque adulterum, ad vindicandam iniuriam vehementer concitabitur. Eſt enim adulterium tam deteſtabile facinus vt oculis Dei appateos, non poſſit debeátque non puniri. Obtulerunt Pharisæi Domino adulteram iudicandam: ille verò auertens oculos, digito ſcribebat in terra. *Ioan.* 8 Nimirum (vt ſubnotauit S.P. Chryſol.) auertit faciem ſuam, & declinauit in terram; ne eamen cerneret, quod puniret. ſic ille, *ſerm.* 115. Quaſi cogeretur zelo iuſtitiæ ab adultera, ſi eam contueretur, debitum expoſcere ſupplicium. Maximè afflicturum Iacob filias Labani ſocer ipſe dicit, *Si introduxeris alias vxores ſuper eas.* Videlicet ſi viuentibus adhuc illis aliarum fœminarum connubia contraxeris. Nam illis demortuis hæc nec erant illicita, nec iniurioſa. Licitum quidem patribus (quod ſæpius docuimus) pluribus ſimul vxoribus copulari. Quod in lege gratiæ à Chriſto Domino prorſus interdictum eſt. Imò etſi licitum ſit mortuo coniuge alterum ſubinde quærere ex doctrina Pauli. 1. *Cor.* 7. 1. *Tim* 5. Nihilominus verè ſanctè ſcribit S. Hier. Laudat terna, quaternáque coniugia, quæ ego non tam coniugia dicam, quàm miſeriarum ſolatia, & extremam tabulam naufragorum. Niſi fortè tribuit indulgentiam Amazonibus ſuis, vt vſque ad decrepitam ſenectutem bella libidinum experiantur. ſic ille, *ad cap.* 16. *Hierem. in principio.* Per huiuſmodi ſecunda connubia dicit naufragium incontinentiæ declinari, de quo virgines, ſanctæque viduæ feliciùs & puriùs non tabulæ illi adremigando euadunt. Eleganter Amazones vocat illas, quæ etiam vetulæ nubunt, fortes quidem & bellatrices ad tribulationem carnis, quam dicit Apoſtolus, perferendam. 1. *Cor.* 7.

Adulterium grauiter à Deo vindicatur.

S.Pet.Chryſ.

D.Hieron. *Secunda nuptia licita, ſed minùs probanda.*

Vetulæ nubentes.

1. Cor. 7.

10. Erecta igitur in aceruo lapidum duplici columella, altera Iacobi, altera Labani; illa contra Meſopotamiam, iſta contra Chananæam; terminos, quos ad nocendum neutri malo tranſgredi animo liceret, præfixerunt. Deinde pacto vtrinque per iuramentum confirmato, peractóque à Iacob in Dei obſequium & pro communi ſalute cæſarum pecudum ſacrificio: datíſque etiam mutui amplexus & pacificæ oſculationis in verum amorem, ſempiternámque amicitiam teſtimoniis abinuicem receſſerunt.

Tandem, ô Domina mundi, conſtruximus in tuas laudes hunc aceruum lapidum, videlicet impolito rudique ſtylo commentationem; vtique tumulum & teſtimonium mei erga te obſequij, ac pietatis. Peregi tuæ laudationis (liceat dicere) ſacrificium: ac denique terminos ſcriptioni meæ præfigo. Nullus tamen ſit, ô Virgo parens, tuæ in me beneficentiæ, ac meis in te obſequiis. Nullus etiam ſit abinuicem receſſus; ſed pari ſtudio & tua gratia, & mea pietas; beneficia Reginæ, ac ſerui officia ſeſe comitentur: quo pactum Dominæ cum famulo firmum ſit, ac ſempiternum.

B. Maria epilogus operis.

FINIS.



INDEX RERVM, QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR, COPIOSISSIMVS.

Per literas C, S, N, *Capita, Sectiones, Numeri indicantur.*

A

Abraham

Affectus.

Amor

Apoſtoli

Bona

Chriſtus

Chriſtianus.

Commu

Cupiditas

Fœmina.

Fœtus.

Forma.

Fortitudo.

H

Hæretici

inter

Inimicos

ob

Iudicium

L

Laban.

B.Mariæ

Maritus.

Martyr, Martyrium.

Mater.

Matrimonium.

Mediocritas.

Meditatio.

Mendacium.

Memoria.

Mens.

Menſa.

O

P

S.Pauli

Prouidentiæ

verus

S.

Sacerdos.

Sacramenta.

in

Serui

Virgines

X.

B. Xauerius.

Z.

FINIS.



